ANAMNESIS,
SIVE
COMMEMORATIONIS
SANCTORVM HISPANORVM,
PONTIFICVM, MARTYRVM, CONFESSORVM,
Virginum, Viduarum, ac Sanctarum Mulierum;
AD ORDINEM, ET METHODVM
MARTYROLOGII ROMANI
QVO VTITVR ECCLESIA;
TOMVS SECVNDVS.
AVCTORE

D. IOANNE TAMAYO SALAZAR.
V. I. C. Presbytero Ilipensi Beturi-Turdulo.



LVGDVNI,
Sumptib. PHILIP. BORDE, LAVRENT. ARNAVD, & CL. RIGAVD.
M. DC. LII.
CVM SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO DOMINO, ET DOMINO SVO,

D. DIDACO DE ARCE REYNOSO

EPISCOPO PLACENTINO, PHILIPPO IV. Regi Catholico à Consilijs, & in omnibus Regnis eius, & Dominijs Supremo FIDEI *Censori.*

IOANNES TAMAYO SALAZAR
S. D. C.

ITERVM, atque iterum (ILLVSTRISSIME DOMINE) per eandem lineam, serram reciproco, & optimo iure, quia si iteratis obsequiis remuneratus euaserim, vt quid non crebris tuam officiis comitatem frequentare tentabo? *Quo itinere primùm* (inquit Seneca) *iuit sine periculo ad metam viator, illud prouidus prosequatur: non enim in notis, sed in vicissitudine periculum inest.* Cordubensis etenim Nostri prouidâ nube velatus, & securâ animaduersione vallatus, Tui commendationem repetitis, absque mutatione, seruitutibus opto; qui semper in mei tutelam ARCIS vice, & nomine ades. Ergo iam TOMI II. Nostri Hispanici Martyrologij, qui ad lucem gestit, suscipe VOLVMEN, in quo Mensium MARTII; & APRILIS, Hispanorum memorias, & Acta SANCTORVM, nouâ perscrutatus sum indagine, & genuinâ excriptione, plurima è MSS. Codicibus peruetustis recensui extracta. Eorum exemplis seriò, non serò ad virtutem etiam animatur auersus, cùm nihil sit, quòd spiritum fortius, & vehementius acuat, quàm sanctorum lectio facinorum, & virtutum. Si operis votum exoluerim, qualis securior censio, quàm tua? Quidquid ad assumpti pensi ponderis excusationem attinet, quid dicam, ignoro; si, licet iussus, gran-

dem fuerim prouinciam aggressus incautus. Ast pro me *VValafridus* loquatur *Strabo*, qui in simili pro se causa implicatus, hæc mihi carmina commodauit.

En Venerande Pater calcem compulsus adiui,
Cuius principium horror adire fuit.
Non ignoro quidem vitijs sordere camenam,
Extortos apice protege cùm valeas.
Ales enim quæcumque suas præcurrere pennas
Cogitur, ex superis corruit ima petens.
Nil prodesse scio, tamen est parere necesse:
Hoc potiùs Dominus, quàm sacra thura cupit.
Vestra sequens humilis famulus mandata peregi,
Ætate & sensu impar ad istud opus.
Ne reputes non Posse meum, sed Velle videto,
Atque bono vigeas, longa per æua, statu.

Igitur (ILLVSTRISSIME DOMINE) hos meos qualescumque labores, tuo nutu cæptos, tuâ protectione continuos, & tuo Nomini, Deo annuente, finiendos, iube tuis auspiciis feliciter perennare, quibus, & mei Eruditiores ad te accurrent specimine roborati, & Nos ad futura spiritus exhauriemus perficienda viriliùs. Viue interim feliciter, in tua Fidei ARCE constitutus, & vt Religioni omnigena trophæa, & hæresi subministres continuata supplicia. Madridij XXI. Kal. Septembris, Anno Domini M. DC. LI.

Illustrißime, ac Reuerendißime Domine,

Illustrissimæ Dominationis Tuæ,
Addictissimus Seruus,

L. IOANNES TAMAYO SALAZAR.

AD

LECTORI PRÆFATIO.

IAM in Primo Nostri HISPANICI MARTYROLOGII *volumine (Lector erudite) methodum in Commemoratione Sanctorum; diligentiam in exquirendis actionibus; solertiam in colligendis eorum elogijs; argutiam in Nostrorum opinionibus solidandis; curam in propulsandis contrarijs; nouitatem in consarcinandis veteribus MSS. laborem in collocandis, & assignandis vrbium situbus, earúmque originibus, & antiquitatibus interserendis; & omnia denique, quæ ad hocce opus enucleandum, aut relationi præcisa, aut elucidatiom fuere necessaria, summâ in singulis diebus breuitate vidisti. En* TOMI II. *pensum, eadem formâ, & dispositione collatum, sed variorum Opusculorum, nunquam à te visorum (quæ ferè Quinquaginta excedunt) ab originalibus MSS. Gothicis exscriptorum, thesauris conflatum, & quod potius est, melioris præli curâ editum, & politiori compositione compactum. Superioris menda igitur parce Typographo; nam Nobis absentibus, virgam typus correctionis non sensit. Difficilè enim opus perficitur, cuius dominus procul, alienis vtitur ministerijs. Vnum hîc te admonere lubet, ad debitam cautelam, & dignam obseruationem Apostolicarum sanctionum,* ſcilicet quòd Illuſtrium Virorum,quos hoc TOMO, aut aliis huius Operis recenſui, aut deinceps recenſendi ſunt, geſta, virtutes, dona, miracula, eam fidem duntaxat habere volumus, quæ ex Hiſtoria peti debet, aut traditione, non autem eam quæ in approbatione Eccleſiæ requiſita eſt ad publicum cultum, præter eos, quibus aliàs ex Sedis Apoſtolicæ ſpeciali indulto, aut longiſſimi temporis ſcientiâ,& tolerantiâ eiuſdem Sedis, vel Ordinariorum id contigerit. Et ſi quando appellationem SANCTI, aut BEATI, aut MARTYRIS, aut eiuſmodi ſubiunxerim, nequaquam ſtrictâ, & propriâ acceptione, & fundata in approbatione Canonica, & Eccleſiaſtica, quæ deſeruit ad communem cultum, & inuocationem, ſumenda eſt; ſed iuxta vulgarem notionem, quâ ſeruis Dei, & piis Viris, ratione inſtituti, vel arctioris vitæ, aut ſtudij rerum cœleſtium, etiam in carne viuentibus, ſolet accommodari; ac proinde hinc omne periculum, & argumentum tranſgreſſionis ſubmoueatur.

Protestatio.

Me, meáque omnia correctioni S. Matris Ecclesiæ ex corde subijcio. Hoc mi Lector te scire volebam, nunc ad vlteriora perge, vale, & fruere.

EPISTOLA FR. HIERONYMI A SANCTO IOSEPHO, CARMELITÆ EXCALCEATI, CELTIBERI, MANLIENSIS, SEV MALLENENSIS.

Ad Clarißimum Virum Ioannem Franciscum Andresium, Cæsaraugustanum Regni Aragonum Historicum, in qua de Authore Hispani Martyrologij, déque ipso Opere, fusiùs eloquitur.

ROGAS (V.C. ANDRESI) sæpéque amicissimè rogas, quid ipse noui, ex hac nouissima profectione mea Matritensi attulerim, quod mihi, ac tibi, necnon amicis gratum, vel etiam vtile fuerit. Non etenim de inani aliqua, vanáque sæculi huius, ac volubilium Reipublicæ rerum nouitate inquiris; sed de illa, quæ inueteratæ socordia mentis vetustatem, in vegetiorem, ac floridiorem vtique iuuentam queat renouare. Multi quidem Matritensis Curiæ solum illud celebre, veluti promissam Israëlitis olim terram, lacte, ac melle manantem, exploraturi curiosiùs petunt, vnde postea, terrenæ illius vbertatis, ac felicitatis indicia reportantes, ad sua quisque læti reuertantur. At ipse nihil eiusmodi, ea in regione, id est, Regali Curia quæritans, longè aliud, beatiúsque inde adfero. Quod quidem, & si mihi, ac tibi satis ex fama, ac nonnihil per litterarum commercia iampridem notum, noua tamen nunc experimenti ratione, atque euidentia notissimum fiet. Vidimus enim ibi, dum Matriti eruditorum Orbem lustraremus: *Monstra quædam* (liceat Sacram vsurpare phrasim) *de genere Giganteo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur.* Neque verò immensam aliquam hominum proceræ staturæ molem ibi offendimus; cuius admiratione, vulgi more, stupentes teneremur; sed maximam, ac in cœlum vsque se extollentem, quorundam ingeniorum celsitudinem, illorum scilicet Virorum, qui sapientiæ, ac eruditionis magnitudine: *Vniuerso populo, ab humero, & sursum* (*Saulis instar*) *eminebant.*

Curiosiùs, quinam hi sint, sciscitaris. Num, vt appositè respondeam, tuóque satisfaciam desiderio, eorum omnium Catalogum hîc texere oporteat? Liceat? queámve? Minimè. Plures enim è primoribus Reipublicæ, qui ad Magnum Dignitatis, & honoris culmen, vel natura, vel meritis euecti, eruditionis quoque tenent fastigium, nunc mihi essent recensendi: quos quidem altiori, ac elegantiori dignos elogio, cùm ipse nouerim, silentio potiùs, quàm incongruo à me sermone celebrandos putaui. Paucos itaque ex immensa illa Eruditorum florentissima Sylua delectos, ac mihi, diebus hisce familiariùs iucundissima eorum consuetudine vtenti, agnitos, hîc commemorabo. Horum igitur agmen ducat magnus ille Borgianæ Nobilitatis decus, Heróisque, ac hæres; nec minùs eruditione, quàm ditione, titulóque *Princeps Excellentißimus de* ESQVILACHE, cuius elegantissima Scripta, non modò typis excusa, verùm & proximè vulganda, ipse mihi videnda (veneranda potiùs) obtulit; è quibus sublime, ac suauissimum Principis ingenium, Poëtico præcipuè Numine, ac lepôre redundans facilè dignoscitur. Cui & illud Musarum nostri æui cultores, se debere fateantur necesse est; quòd tantus Princeps, non solùm Poësim, vt multi alij, co-

lucrit, sed & Poëmatum à se scriptorum typicam vulgationem viuens ipse curauerit; vtpote qui liberalissimæ, ac honestissimæ professionis minimè pudeat. Hunc proximus insequitur, Heros alter, multa sanguinis, ac ingenij gloria perceIebris, *Excellentissimus Comes de la* ROCA; qui ad maturam iam ætatem, Eruditionis flore comitante, Musarum manu perductus, vberrimis eam literarum fructibus, id est, scriptis, decorauit: Quorum postremum Sacratissimæ Reginæ Cœli vitam, perpulchro, ac diuino plane stylo dilucidat. Ego ipse, nuper euulgandum, censoriâ, ex iniuncto munere, commendatione potiùs, quàm examinatione celebraui. Sed tertius, Heros quoque Nobilissimus, sese nobis offert, multis mihi nominibus amandus, laudandúsque; *Illustrissimus nempe, ac Reuerendissimus Leiriensis designatus Præsul, Hieronymus* MASCARENAS, Lusitanici Paradisi germen inclytum, præclarissimi germinis pulcherrimus flos. Is omnigenâ disciplinarum peritiâ excultus, tot, tantáque selectioris Eruditionis Volumina, in florenti adhuc ætate conscripsit, vt si, numerositate, ac excellentia consimili, ad ipsius vsque senectam illa creuerint, fœcundioris Scriptoris celeberrima opera, suis, vel æquare, vel superare posse videatur. Equibus, quod primò nuper euulgatum, Descriptionem Itineris, Serenissimæ Reginæ nostræ è Vienna, Matritum vsque continet, qualia cætera euulganda, futura sint, clarissimè demonstrat; nempo vnica, & si multa, æque raritate, ac numero præstantia.

His tribus Reipublicæ Literariæ Proceribus, tres alios eruditionis Regni veluti Dynastas, ac Principes adiungam. Horum primus tibi omninò incognitus, mihi autem, ac multis aliis veræ sapientiæ æstimatoribus notissimus adest, D. CONSTANTINVS SIMENIVS, patria voce, XIMENEZ, Virxque literis, ac virtute admirandus. Qui vt vtrique animi ornamento impensiùs, ac liberiùs, vacaret, ab omnibus prorsus, & coniugij, & publici muneris, aliarúmque occupationum diuerticulis abstinuit. Neque hunc, quasi plurium Voluminum Authorem, tibi commemoro; sed quia cùm plurima, eáque omnigena sapientia referta posset conscribere, ac in lucem edere; maluit modestissimo silentio, quàm ambitioni resonanti litare. Igitur si Christianæ Philosophiæ simulachrum, vnà cum admirabili rerum notitia, vsu, ac prudentia, cæterísque Viro compositissimo dignis ornamentis perquiris, Constantinum quære; quem in Angulo Regio Curiæ latitantem, bonis tamen, ac eruditis omnibus pernotum, Curiâ ipsâ, ac se ipso Superiorem inuenies. Sed iam secundus scintillantibus eruditionis radiis splendescens occurrit nobis DON IOSEPHVS PELLICERIVS, *vir Celtiberis non tacendus gentibus, nostræque laus Hispaniæ:* Summus vtique Regiæ Chronographiæ, seu Historiæ Princeps: qui (vt ipsa cognominis fert allusio) vniuersum eruditorum Orbem, suis politissimis scriptis implens, eum in sui admirationem, ac laudem, omni procul explosa fraude *Pellexit*. Mirum sanè est, quàm huius eruditio, huius quoque pateat ingenium; dum omnium scientiarum, artiúmque secreta rimetur, & calleat, omnium penè linguarum sit peritiâ instructus, ac immensa feréque infinita, librorum, tùm prælo vulgata, tùm abstrusa manúque scripta volumina euoluerit; quorum thesauros ad suorum operum Spartam exornandam feliciter rapuerit; ditioréque; ac pretiosiores digna potiùs æmulatione, quam imitatione reddiderit. Nec Historicam modò concinnitatem, sed & Poëticum melos; Oratoriúmque splendorem, ac denique mansueriores omnes Musas, ita eleganter excoluit; vt ipsum, vel narrantem, vel canentem; dicentémve si audieris, id est legeris; Liuium, Maronem, ac Tullium, deinceps minimè requiras. Sed nec illud silentio prætereundum, quòd tam velociter præcox istud ingenium adoleuerit; vt cùm aliorum, præ maturo licèt incremento, florescat tantùm studium; PELLICERIA iam eruditio creberrimis litterarum fructibus prædiues maturescat. Inde igitur, tam multa, tam varia, támque selectioris literaturæ plena volumina, vel edita, vel edenda conscripsit, vt Abulensi Præsuli, & numero, & magnitudine, ac excellentia librorum, omnes si perficiantur, ac vulgentur, posset comparari. Vnde & illud eiusdem Præsulis Elogium PELLICERIO aptari quis audeat:

Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne.

Sed age (mi Andreâ) Tertium, prædictis tamen omnibus minimè secundum iam ingenium accipe. Intenta quidem aure illum auidissimè percepturus expectas; sed puto eum facilè à te diuinatione prænoscendum; neque aliud tibi à me renuncian-

dum selectius, quàm diuinum illud Clarissimi Viri IOANNIS TAMAII SALAZARII, Patria Illipensis, Ingenium, ô quale, quantúmque! Ea quidem omnia, quæ de superioribus diximus, quæque dicenda non diximus; de TAMAYO quoque, ipsius ingenio, ac eruditione simillimo, dictitata crede. Cùm enim ad vniuersam disciplinarum, ac virtutum Rempublicam capessendam natus vtique videatur; ita eius animum natura efformauit; vt quidquid, ad optimæ indolis, optimique ingenij lumen,& acumen pertinet,illi cumulatissimè præstitisse cognoscas. Huic è cœlo prærogatæ largitioni, laborem probum, ac improbum cum ipse addiderit, quid ex amænissimo literarum Paradiso eum illibatum putas reliquisse? Quid, licèt abstrusum nimis,non reseratum? Quid quantumvis abditum, per aditum ad Musarum adyta non peruium? Testes sint, quos vulgauit, elegantissimi, variis de rebus, Tractatus. Testes etiam, qui & prælo iam iam edendi feliciter desudant. Quorum omnium illud inprimis est dignissimum laude, quòd pietatis, ac Religionis Candorem Libri redolentes, nitidissimam quidem spirant eloquentiam; nec non simul eruditionis omnigenæ ornamento splendescunt. Verus nimirum purioris Sapientiæ Cultor; Sanctorum Patrum labores æmulatus, omnibus quidem, sed Ecclesiasticis præcipuè literis incumbit; quarum accuratissima tractatione, ac scriptione, & diuini cultus promouet augmentum, & fidelium in Deum, ac Virtutes excitat ardorem. Quod quidem, etsi aliàs vbilibet, at mirificè præstat in eo, quod à semetipso politissimis Characteribus (nam & in hoc excellit) exaratum mihi ostendit, Volumine. Sed quid Ego Volumen, quasi vnicum tantùm foret, commemoro; ac non potiùs Volumina, cùm tot iam Voluminum corpora habeat conscripta, quibus Magnum illud Hispanici Martyrologij opus complectitur? Immensi quidem huius operis non obscurus rumor nostras peruenerat ad aures, Magnúmque aliquid conceperamus, expectabamúsque. Sed famam rei veritas vicit, conceptúsque nostros, ac expectationem, Aureum ipsum opus,longè superauit. In eo siquidem cunctorum, quorum Hispania protulit, Sanctorum Historiam, Conquisitis hinc inde, ac expensis antiquarum Schedularum, ac monumentorum testimoniis dilucidans, nihil, quod ad eorum, ac patriæ gloriam posset pertinere,prætereundum curauit. Ita tamen (quod niuei candoris animum arguit) vt absque priuata in suos adfectione, vniuscuiusque Regionis, ac Prouinciæ, Diuos, siue ortus, siue domicilij, siue sepulchri iure, vel alio quouis titulo, ad vnumquemque pertinentes locum,æqua in omnes diligentia commemoret. At quàm facundè,quàm disertè, quámque prudenter id præstet,Volumina quidem ipsa testantur. Vbi & Historiæ veritas, & Philosophiæ subtilitas, Theologiæ grauitas, iuris, & antiquitatis peritia, eruditionis selectio, sermonis puritas, eloquentiæ fulmen, scientiarum denique omnium nitor, ac decor floridissimè fulgent, fulgentissimè florent. Dedit igitur Hispaniæ suæ, vel etiam nostræ, imò & vniuersæ dedit Ecclesiæ absolutissimam Hispanorum Sanctorum Historiam. Multi, multos ediderunt hac de re Tractatus, sed nullus præteritorum, ac præsentium (ipsorum pace dixerim) id muneris eâ quâ TAMAYVS noster dexteritate prosecutus est. Vbique Vir iste, dum scribit, admirandus, sed in hac Martyrologij Ordinatione, ac Commentatione secum ipse certans, sui quidem victor, nec non & suo cognomine dignior existit. Non enim *vtcumque* TAMAIVS, *sed* TAM MAGNVS; eiúsque istud opus præ cæteris, ITA MAIVS apparet, vt cùm vniuersi eius Tractatus singularem præostentent Excellentiam; iste, reliquos antecellens, longo eos post se relinquat interuallo; vtpote, in quo TAM MAIVS, quàm Aprilis, quàm cæteri, vel etiam rigidiores, ac æsticantes, seu brumales menses, & Authoris floribus, & Sanctorum ab eo descriptorum fructibus semper redundare cernantur. Elogio ergo ipsum haud absimili, quo *Pellicerium* coronemus eiusmodi:

Hic stupor: Hispanos, qui Sanctos retulit omnes.

Sed nec stupere (mi Andresi) desinas Martyrologio Hispanico solùm enunciato, nisi, & Mæcenatem ipsi Authori beneficentissimum tibi renunciem. *Ausus siquidem* TAMAIVS *est sub* ARCE (longè aliud, quàm olim impius apud Hebræos Iason) *gymnasium constituere*; istud nimirum Martyrologium, gymnasij omnium scientiarum specimen referens, sub tutissimo Illustrissimæ ARCIS patrocinio constituere, vulgaréque. Felix TAMAYVS scriptis suis; sed felicior ex Patrono, quoad ea concipienda,
parturien

parturienda, euulganda gloriatur. Quis Authori nostro beneuolentior aptiórque poterat contingere Patronus; quàm Ille, qui ad Hæreticorum væsaniam, ac non sanè Scribentium licentiam coërcendam, Supremam Fidei tuendæ, ac vlciscendæ ARCEM tenens; ab improbis scriptis Lectores ARCET; à melioribus inuidos ARCET, ac deterret? Is ergo tantus vir TAMAII Voluminum ex fronte, veluti ex ARCE, cui supereminet, constitutus, Ethnicam illam sacrans vocem, clamitat:

Odi prophanum vulgus, & ARCEO.

Quidni prophanum oderit vulgus, qui sacratissimis initiatus, ac deditus mysteriis, Mystiarcham agit venerandum? Quidni vulgus ARCEAT prophanum, qui Religionis Catholicæ sacra dogmata ab omni errorum labe defæcata purissimè conseruat? Diuina enim Sapientia, in admirandi huius Præsulis animo, sibi *domum* vbi perpetuò libentérque habitaret, *ædificans, septenis*, id est innumeris virtutum *columnis* eam firmatam constituit. Ibi suas sacrarum adfectionum *Victimas immolans*, mixtum prudentis, ac temperatæ gubernationis *Vinum propinans*, generalem, ad omnium fidelium animos cœlesti cibo pascendos, *Mensam proposuit*; eâque sic ædificatâ, firmatâ, optiméque bonis omnibus instructâ domo, cum in eâ Fidei, ac Religionis fortissimam locasset munitionem, suas diuinarum adspirationum *Ancillas misit*, hanc *vt vacarent ad* ARCEM, & ad ea Christianæ ciuitatis mœnia, id est dogmata, quæ ARCIS huius validissimo præsidio defenduntur. Hac igitur ARCE, nimirum Illustriss. ac Reuerendiss. Domin. D. DIDACI DE ARCE, Placentini Episcopi, & in Hispaniarum Regni Supremi Catholicæ Fidei Censoris patrocinio præmuuitus (ô TAMAI, tecum enim loquar)

Ridebis linguas hoc Numine tectus ab ARCE
Nec sic in ferreo tegmine tutus eris.

En (Eruditissime Andresi) quæsito illi tuo responsum. En, quid ex mea profectione Matritensi noui ad te affero; quas inde asporto merces, quósque thesauros. Credo equidem nullos tibi pretiosiores, nec à te pluris æstimandos. Neque enim Sapienti Viro quidquam gratius, quàm alios sibi similes conuenire, vel nosse; cùm ea sit ingenuè, ac verè sapientis animi indoles, & veluti Character, Sapientissimos quosque semper, ac vbique quærere, eorum consuetudine vti, Magisterio gaudere, vel ipsorum saltem notitia, & laudibus lætari. Cùm ergo Te, & Poësi, & Historia, ac cæteris animi, quibus isti præstant, ornamentis, videam excellere, gratissimam tibi rem me facturum existimaui, si præclarissimos hosce Viros, quos, vel ex fama, vel ex hac mea qualicumque adnotatione tibi agnitos, amore non minùs, quàm imitatione prosequeris; eo, quo Tu quoque dignus existis, præconio commendarem. Feci; vtinam Tibi, ac illis gratum; bonisque iocundum. Vale, ex hoc nostro Oscensi reparati Carmeli Cœnobio, Idibus Octobris, Clarissimæ Virgini, ac Matriarchæ nostræ Theresiæ consecratis. Anno M. DC. L.

Tuus iampridem ex animo.

Fr. Hieronymus à Sancto Ioseph.

APPROBATIO DOCTORUM.

PERLVSTRAVIMVS *Anamnesim seu Commemorationem Sanctorum Hispaniæ*, editam in lucem ab Eruditissimo Viro DD. Ioanne de Tamayo Salazar I. V. C. Ilipensi Presbytero, in qua Nos infrà scripri in Sacra Facultate Parisiensi Doctores Theologi omnia curiosissimè selecta, Ecclesiæ vtilia & orthodoxæ doctrinæ conformia iudicauimus hac die 28. Ianuarij 1651.

F. FRANCISCVS LORNET
Ordinis Prædicatorum.

F. PAVLVS LOMBARD Carmelitarum
Lugdunensium Prior.

PERMISSIO.

VISA Doctorum Approbatione, Ego infrà scriptus Regio nomine impedio, quin hic Liber à PHILIPPO BORDE, LAVRENTIO ARNAVD, & CLAVDIO RIGAVD Bibliopolis Lugdunensibus excusus in publicam lucem prodeat, cum defensione, tali casu requisita, & solita. Actum Lugduni 30. Ianuarij 1651.

LORIN.

CONSENSVS.

ITA & me non dissentiente fiat. Lugduni die 30. Ianuarij 1651.

SEVE.

INDEX
ALPHABETICVS NOMINVM
in hoc MARTII Menſe contentorum.

Iulianus

INDEX

INDEX

Topographicus Vrbium & Locorum, in quibus cultus datur Sanctis huius Mensis MARTII.

GERVNDA.

INDEX

Nominum Sanctorum per Dies, quæ in hoc MARTII Mense continentur.

V.

SCRI

SCRIBENTIVM IMAGINES in Librorum limine præfigi, & honestas, & necessitas persuadet, vt sicut Codicibus fruitur per quos erudiatur, ita effigies eorum, à quibus docetur, ad viuum delineatas, seculum consequatur.

Philostrat. in Vit. Apollon.



Corporis est isthæc præclari forma TAMAYI:
Effigiem Mentis docta camæna dabit.
Illam si quæris, placidam in compagine frontis
Inuenies normam, quòd venereris eam.
Istam si inquiris Sex volue Volumina Diuûm,
In quibus Ingenij grandis acumen inest.
I. T. S. A. D. D.

MARTIVS.

CELEBRIS Anni MENSIS apud antiquos, etiam ante *Romuli* constitutionem, Romæque constructionem; nam Italiæ populi, eo vtebantur MARTII Mensis nomine, quamuis, non omnibus vnus erat in collocatione numerus. *Albani* quippe inter Menses Anni, *Tertium* constituebant; *Phalisci* Quintum; *Hernici* Sextum; *Laurentes* Quintum; *Æquicoli* Decimum; *Peligni* Quartum; quorum variationes descripsit feliciter Ouidius *lib.3. Fastor.* his versibus:

Qualiter apud Italos numeraretur iste Mensis.

Quod si fortè vacas peregrinos inspice Fastos
Mensis in his etiam nomine Martis *erit.*
Tertius Albanis; *Quintus fuit ille* Faliscis;
Sextus apud populos, Hernica *terra, tuos.*
Inter Aricinos, *Albanáque tempora constat*
Factáque Telegoni mœnia celsa manu.
Quintum Laurentes; *bis quintum* Æquicolus *acer*
A tribus hunc primum turba Forensis habet.
Et tibi cum proauis, miles Peligne, *Sabinis*
Conuenit: huic genti Quartus vtrique Deus.

Hinc colligit Censorinus *de die Natal.* §. 22. nomen Mensis huius non à *Romulo* impositum Mensi, vt *Varro*, & Romani Scriptores arbitrantur, cum longe antè, hoc ipso nomine vterentur vetustissimi Italiæ populi. *Varro* (inquit Censorinus) *autem Romanos à Latinis nomina* Mensium *accepisse arbitratur: Auctores eorum, antiquiores quam vrbem fuisse satis argutè docet. Itaque* MARTIVM *Mensem, à* Marte *quidem nominatum credit, non quia Romuli fuerit pater, sed quòd gens Latina bellicosa.* B. verò Isidorus noster *lib.5.orig.c.33.* licet primùm auctoribus Romanis adhæreat, demum etymon Mensis non à Marte, sed *quod eo tempore cuncta animantia ad* marem *agantur, & ad concubendi voluptatem*, deduxit, quod & probauit Henric.Lindenbrog.*in Not.ad Censor.fol.*167.Sed ad Ethnicorum reuertamur fabellas. Censorini placitum roboratur ex Festi verbis: MARTIVS *Mensis* (inquit) *initium anni fuit, & in Latio, & post Romam conditam, eo quòd* Gens *erat bellicosissima.* Item ex Nasonis disthico:

Non à Marte nomen, ex Censorino.

Nomen, ex Isidoro nostro.

Mars *Latio venerandus erat, quia præsidet armis,*
Arma fera Genti, rémque, decúsque dabant.

Varronis, Isidori, & aliorum sententias, quibus MARTIVM à Marte, & ab animantium fœtu, etymon desumpsisse narratur, *Ausonius* hisce Quatuor versibus est amplexus:

Cinctum pelle Lupæ *promptum est cognoscere Mensem,*
Mars *olli nomen.* Mars *dedit exuuias.*

Omnia amplectitur Ausonius.

Tempus ver, hædus petulans, & garrula hirundo
Indicat, & ſinus lactis, & herba virens.

A Romulo primus Anni Menſis.

Ex antiqua verò *Romuli* conſtitutione Annus ſolùm decem Menſibus conſtabat, *vt tom.* 1. diximus, cuius Anni initium MARTIVS fuit, vt ex Solino *Polyhiſt. cap.* 3. Macrobio *lib.* 1. *cap.* 12. & aliis liquet, quibus ſuffragatur Ouid. *d. lib.* 3. *Faſtor.*

A te principium Romano dicimus Anno,
Primus de patrio nomine Menſis *erit.*

Varia Nomina à Nationibus.

Varia poſtmodum nomina Menſis iſte ſortitus eſt. Hebræi ADAR, quos ſequuntur Syri;Caldæi,& Ægyptij PHARMVTHI; Abiſſini MASCARAN; Græci, & Athenienſes MVNICHION; Macedones DYSTROS; Cyprij APHRODISIOS; Perſæ PHRVDIN; Arabes, & Sarraceni RABIV. I. Karolini ſiue Tudeſchi *Schlenckmonae*; Faſti veteres Germanici MERKE; Alemani MERK; Belgici de MAERTE; Cymbri TORMAANET; Galli LE MOIS DE MARS; Itali, & Hiſpani MARZO; Angli THE MONETH OF MARCHE. Quibus cognitis ad faſtos pergo.

Ignis æternus in Templo Veſtæ.

I. Dies MARTII, ſiue in eius *Kalendis*, celebris fuit Romæ *ignis æterni* renouatio in *Veſtæ* aris, qui ineunte anno religioſè denuò accendebatur, vt poſtmodum per totius anni circulum inextinctus à *Veſtalibus* ſeruaretur, alioquin pœnas à iure ſtatutas Virgo ſocors ſubiret. Ita Solin. *in Polyhiſt. c.* 3. Macrob. *lib.* 1. *Saturnal. c.* 12. Roſin. *Antiq. Rom. lib.* 4. *c.* 7. ex Ouid. *d. lib.* 3.

Adde quod arcanâ fieri nouus ignis in æde
Dicitur, & vires flamma refecta capit.

E quibus terebris eliciebatur.

Huius etiam ceremoniæ meminere Lil. Gyrald. *de Menſib. tom.* 2. *fol. mihi* 568. in edit. *Baſileæ apud Thomam Guarin. Ann.* 1580. Iuſt. Lipſ. *de Veſta, & Veſtal. c.* 8. qui formam eliciendi ignis apud Romanos ex *Feſto* producit, dicens: *Mos erat tabulam felicis materiæ tamdiù terebrare, quouſque exceptum ignem cribro æneo, Virgo in ædem ferret.* Has lignorum terebras è lauro factas notauit Theophraſt. *lib.* 5. *de Plant.* Græcis hanc ipſam formulam fuiſſe *Plutarchus* recenſet. Videſis apud *Lipſium* & verba, & figuram, quâ practicè renouationem ignis ex ſiccis terebris Solis miniſterio intueberis.

In Dei Eccleſia mos eliciendi ignem in peruigilio Paſchatis.

Hunc morem adhuc in *Eccleſia Dei* obſeruatum agnoſco, cùm in die *Sabbati ſancti*, ſeu peruigilio *Paſchatis*, iſthæc obſeruetur ceremonia, in carbonum accenſione, quæ ex ſilice, igne elicito, ad cerei Paſchalis opus inſeruit, vt ex *Romano* patet *Rituali*, & *Miſſali*, in quibus ad hoc Orationes præſcripſit Eccleſia, quarum prima, iſthæc: *Deus qui Filium tuum, angularem ſcilicet lapidem, claritatis tuæ ignem fidelibus contuliſti, productum è ſilice, noſtris profuturum vſibus,* NOVVM *hunc* IGNEM *ſanctifica, & concede nobis, ita per hæc feſta Paſchalia cœleſtibus deſiderijs inflammari, vt ad perpetuæ claritatis, puris mentibus, valeamus feſta pertingere.* Per D.N. Et licet

Hæreticorũ latratus reticentur.

Hoſpinianus Caluiniſta ferus obganniat, ridens extinguendi ignis antiqui, & conſecrandi noui Eccleſiaſticum ritum, clamitans more ſuo: *hoc ſumptum ex Ethniciſmo*, nam *idem Veſtalibus in more fuiſſe.* Aſt P. Iacobus Gretſerus *in Faſt. Chriſtian. lib.* 1. *c.* 25. aduerſus hæreticum inſurgens, cum Auguſtino & aliis fatetur: Quòd *hæc, quæ Ethnici factitarunt, noſtra confirmare, non euertere; ideo enim* Diabolus *futuri præſcius, cultoribus ſuis iſta tradidit, vt Lutherani* Logoduli, *& Caluiniani* Spermologi *occaſionem aliquando haberent traducendi Catholicos, quaſi ſua ab Ethnicis accepiſſent, non autem Ethnici, Diaboli inſtinctu, tanquam Chriſtianorum ſimij, ſacra noſtra imitari inſtituiſſent.* Videſis Caſalium *de Ritib. vet. Chriſt. cap.* 42. *fol.* 233. qui aliquot ritus Chriſtianorum etiam à Gentilibus proceſſiſſe probat; addens

Cauſa huius ritus in Eccleſia.

ideo hoc ſacro ritu vſam Eccleſiam, quòd Chriſti paſſione, & reſurrectione, tenebræ infidelitatis, & ignorantiæ euanuerint, & doctrinæ lumine Chriſti orbis accenſus, igne claritatis ſuæ illuminetur vbique. Igitur renouatio ignis æterni in *Veſta* templo hiſce *Kalendis* peragebatur, de quo etiam videndi Ian. Parrhaſ.

Epiſt.

Epist. 57. Manil. *lib.* 4. *Astronom.* Ioann. Baptist. Casal. *de Profan. Rom. Rit. c.* 16. *fol.* 167. De IGNIS deitate, siue πυρολατρεία ad amussim Guillelm. Stuck. *de sacrif. Gent. fol.* 100. *& seqq.* Ioann. Selden. *de Dys Syr. syntagm.* 2. *c* 8. *fol.* 317. Barnab. Brison. *in Persic. Hist. lib.* 2. *De Ignis Deitate.*

EADEM die de Palatio, curiisque, atque Flaminum domibus, itemque de fascibus Consularibus laureas veteres amouebant, & illarum loco nouas ponebant, vt notauit Ouid. *d. lib.* 3. *Lauri rami Noui ponebantur in locis publicis.*

Neu dubites, prima fuerint, quin ante Kalendæ
Martis, *ad hæc animum signa referre potes.*
Laurea *Flaminibus, quæ toto perstitit Anno,*
Tollitur, & frondes sunt in honore Noua.
Ianua tum Regis posita viret arbore Phœbi;
Ante tuas itidem Curia *prisca fores.*
Vesta *quoque vt folio niteat velata recenti,*
Cedit ab Iliacis Laurea cana focis.

Hunc eundem ritum hisce *Kalendis* obseruant Solin. *d. cap.* 3. & Macrob. *d. c.* 12. quibus accedit Lipsius *d. cap.* 8. Sed qua de causa in hisce publicis locis, isthæc à Romanis seruaretur ceremonia, nullus aperit. Fortè quia LAVRVS Romanis lætitiæ, victoriarúmque nuntia fuit. Adsit Plin. *lib.* 15. *nat Histor cap.* 30. sententia dicentis: LAVRVS *triumphis propriè dicatur, vel gratissima domibus ianitrix Cæsarum, Pontificúmque, quæ sola domos exornat, & ante limina excubat* Et post pauca: *Romanis præcipuè lætitia, victoriarúmque nuntia additur literis* (repone lituis) *& militum lanceis, pilisque. Fasces Imperatorum decorat: ex his in gremio Iouis Opt. Max. deponitur, quoties lætitiam noua victoria attulit* En causam ponendi laureas in Regiis, Curiis, domibus, & fascibus. Vel forte propterea quod isthæc arbor fulmine sola nō icitur, vt paulo inferius refert *Plinius*. Ex quo originem ornandi laureis domos emanasse non ambigo; cum mos fuerit Græcis baculum laureum præ manibus habere, tanquam ἀλεξίκακον φάρμακον, quòd crederent LAVRO inesse vim quandam malum auerruncandi, vt notauit Casaubon. *in Not. ad Character. Teophrast.* de quo item videndus Guillelm. Stuck. *de sacrif. fol.* 141. *col.* 2. Si ergo in LAVRO, aut victoriæ signum, aut malorum amuletum inspectabant, vt quid non in exordio anni laureas renouare properarent? *Quid in causa? I. Ratio. II. Ratio. Baculo laureo, vt quid, vtebantur Romani.*

MATRONALIA festa item hac die à Matronis peragebantur, quibus Marti celebrantes, & circa aras sacrificaturæ faculas tenentes, quodam gestu libamina conficiebant, ex Seruio *ad Virg. lib.* 3. *vers.* 445. Quarum gesticulamenta irridet Arnob. *lib.* 7 *aduers. Gent.* Hac ergo die TRIA fœminæ Romanæ consequebantur munia. I. Quòd earum Saturnalia erant, quibus à viris munera missitabantur, sic Martial. *lib.* 5. *Epigr.* 85. vbi Domitius, & Rader. Lamb. & Torrent. *ad Horat. lib.* 3. *Carm. Od.* 8. Martialem audi: *Matronalia festa quæ? Saturnalia fœminarum.*

Scio, puto vestra iam venire
Saturnalia, Martias Kalendas.

Quod & Plaut. *in Milite* recensuit, & Iuuenal. *Satyr.* 9. *v.* 53. hasce Kalendas ex hoc FOEMINEAS vocat:

Munera FOEMINEIS *tractas secreta* KALENDIS.

II. Quòd hac die Matronæ seruis cœnas apponebant, vt eo honore ad promptius obsequium prouocarent, vt notauit Solin. *d. cap.* 3. Macrob. *d. cap.* 12. Tibull. *ad Neream, lib.* 3. *eleg.* 1. *Matronæ seruis apponebant cœnas.*

Martis Romani festa venêre Kalendæ,
Perque vias vrbis munera, perque DOMOS.

Vbi Guillelm. Stuck. *Antiquit. Conuiuial. lib.* 1. *cap.* 32. illa munera Tibulli *per* DOMOS, intelligit de cœnis familiaribus seruis à Matronis dari solitis. Isthæc

ergo munera, ſeu cœnæ in exordio anni, differunt ab illis, quas quotcalendis offerebant, ſeu potius ſoluebant famulis domini, de quarum ſolutione agit Plaut. *in Stich. Act.* 1. *ſcen.* 2.

Vos meminiſtis QVOTKALENDIS *petere dimenſum cibum.*

Modium iniquum quid? Quo loco *Lambinus*, & *Colnius* intelligunt ex *Donato*, illos Quaternos modios frumenti, quos in quolibet menſe accipiebant à dominis ſerui, ipſóſque iniquos vocitat Iuuenal. *Satyr.* 14. *verſ.* 126.

Seruorum ventres MODIO *caſtigat* INIQVO.

Vbi *vetus Schol.* vertit *prauâ menſurâ*: Quia Domini ſeruorum ſalaria ſemper, aut ſæpius diminutè & infideli dimenſione ſoluebant. Videſis Stuchium *de Antiquit. conuiual. fol.* 140.

Huius ſolemnitatis cauſa quæ? I. Ratio. III. Quòd Marti ſacrificia, vt diximus, peragebant. Huius celebritatis quinque cauſas recenſet Ouidius *d. lib.* 3. *Faſt.* I. Quòd mulieres Sabinæ à Romanis captæ, ſuâ interceſſione atrox bellum, quod inter maritos, & patres motum erat, ſedauiſſent; hincque Marti Deo hoc die libamina offerrent.

Inde diem, primáſque meas celebrare Kalendas
OEbalides Matres, non leue munus habent.
Aut quia committi ſtrictis mucronibus auſæ,
Finierant lachrymis Martia bella tuis.

II. Ratio. II. Vt Martis fauore eam in filiis felicitatem conſequerentur, quam Ilia à Marte compreſſa Romulum pariens, illis Deus benigne conceſſerit.

Vel quòd erat de me feliciter Ilia *mater,*
Ritè colunt Matres *ſacra, diémque meum.*

III. Ratio. III. Quòd iſto Menſe terra hiemis frigora reſpuens fœcundis impregnatur auris, cuius tempora, inhiantes Matronæ, eandem cupiunt fœcunditatem.

Tempora iure colunt Latiæ *fœcunda parentes,*
Quarum militiam, votáque partus habet.

IV. Ratio. IV. Quia *Kalendis* Martij fuit ſacratum templum *Iunoni Lucinæ* in Eſquiliis, quo accedebant Matres, vt Dea partubus faueret earum:

Adde, quod excubias, vbi Rex Romanus agebat,
Qui nunc Eſquilias *nomine collis habet:*
Illic à nuribus Iunoni *templa Latinis*
Hæc ſunt, ſi memini, publica facta die.

V. Ratio. V. Quòd Mars credebatur Iunonis filius, & quia iſta coniugiis præerat, aut Matris obſequio, aut filij voto ad huiuſmodi compendia feſtorum accedebant.

Mater amat nuptias: Matrum me turba frequentat:
Hæc nos præcipuè tam pia cauſa decet.
Si qua tamen grauida eſt, reſoluto crine precetur,
Vt ſoluat partus molliter ipſa ſuos.

Mamuralia, ſiue Ancylia ſacra quæ? Quâ de cauſâ inuenta? MAMVRALIA, ſiue ANCYLIA ſacra erant à Saliis Marti dicata. Quorum originem *Numa* primus inuenit. Cauſam *Ouidius* prolixè narrat, cui te miſſum facio. Alij peſtē inuaſiſſe vrbem tradunt, lachrymas ad Deos paſſim emitti referunt, cùm ecce tibi diuinitus ſcutum æneum è cœlo excidit, in Vrbis ſalutem ab Egeriâ, Numa miſſum dictitauit; quod in memoriam rei ſeruaret, vt néve furtum pati poſſet, XII. alia ſimilia cælari curauit, quæ Mamurius ſic affabrè effinxit, vt vix vnum ab altero diſcerneretur. Scutum cœleſte Saliis ſeruandum tradidit, quorum XII. inſtituit, quos aut Collinos, aut Agonenſes, ſeu Quirinales vocitauit, licet poſtmodum Herculaneos, Auguſtales, Antonianos, Hadrianales, & Albanos in lapidibus nominatos deprehendes. Saliorum etymon, & munia deſcripſit Plutarch.

tarch. *in Numa*, hisce verbis: SALII *nominantur, non (vt fabulantur nonnulli) à Salio quodam Samothrace, aut Mantinensi, qui saltationem armatam docuerit: sed ipsa potius chorea, quæ saltibus constabat, quam per vrbem circumeuntes ducunt, cùm Mense* Martio *peltas gestant, puniceas tunicas induti, mitrísque latis æreis cincti, & galeas æreas ferentes, pugionibúsque arma pulsantes. Reliqua tripudij pars pedum officio constabat. Mouebantur enim eleganter, celeriter, atque confertim orbes implicantes, euoluentésque, multúmque in eo roboris, & agilitatis ostendentes.* Ferè eadem Dionys. Halicarnas. *lib.* 2. Varr. *lib.* 5. *de L. L.* Festus, Lil. Gyrald. *Syntagm.* 17. Rosin. *Antiquit. Rom. lib.* 4. *cap.* 7. VVolfgang. Lacius *de Republ. Rom. lib.* 10. *cap.* 10. Dicta sunt MAMVRALIA hæc sacra à *Mamurio* scuti cœlestis auctore, qui à Numa hoc solum pro mercede postulauit, vt

Salij Sacerdotes qui?

Quare dicta Mamuralia?

——Merces mihi gloria detur:
Nomináque extremo carmine nostra sonent.
Inde Sacerdotes operi promissa vetusto
Præmia persoluunt, MAMVRIV*mque vocant.*

Varro etymon non à *Mamurio* deductum, quem fabulosum artificem contendit, sed à voce vetustâ quam *Veturius Mamurius*, pro *veteri memoria* dicebant. Vtramque sententiam notauit *Plutarchus*, & vtramque retulit. ANCYLIA dicebantur propter scuti formam è cœlo cadentis, quod etiam *Ancyle* dicebatur ex *Festo*, causam nominis *Ouidius* expressit:

Quare? ex T. Varrone: Ancilia, quare?

——Quod ab omni parte recisum,
Quémque notes oculis, angulus omnis abest.

Huiusmodi *Ancyliorum* figuras expressit D. Carol. de Neapol. *in Comment. ad Fast. num.* 134. *lib.* 3. *fol.* 126. Formam, & etymon descripsit Plutarch. *in Numa* his verbis: *Ipsas peltas* ANCYLIA *appellant à figura: non enim ea est rotunda, neque instar parmæ circulum explet, sed excisa sunt in modum lineæ volutæ, cuius apices curuitatem habent, ac quâ peltæ crassissima sunt, in se conuertuntur, formámque curuam seu vncinatam exprimunt: siue à* cubito, *quo gestantur, quem* ἀγκῶνα *Græci dicunt. Hæc enim* Iuba *adfert, cupiens vocabulum Græcæ linguæ vendicare. Ac potest etiam nomen inde deductum videri, quòd desuper (id* ἀνέκαθεν *Græci dicunt) delatum sit* ancyle: *aut à remedio morbi, quod est illis* ἀκέσεως: *aut à squaloris (hoc est, vt ipsi loquuntur* αὐχμὸς*) solutione: aut denique à mali istius cessatione, quam* ἀνοχὴν *ijdem efferunt.* Eadem refert Robert. Constant. *verb.* Ἀγκύλια, *tom.* 1 *leg. Græc. Magn.* & alij plurimi.

Ancyle quid? Eius forma.

MVNYCHIA sacra erant apud *Athenienses*, quæ hisce Kalendis Mineruæ peragebantur. Etymon, aut à Mense, qui illis Μουνυχιὼν est, aut à Templo, quod in Atticis in loco maritimo Μουνυχία dictum inspicitur, vt referunt Paus. *in Attic. lib.* 1. & Strab. *lib.* 14. Abhincque Dianam Portus custodem dixit Calimach. Πότνια Μουνυχίη λιμενοσκόπε χαῖρε, hoc est: *Munychia ô custos portus salue veneranda.* Hinc Atheniensium agri *Munychij* dicti apud Ouid. *lib.* 2. *Metamorph. vers.* 551.

Munychia sacra quæ?

Munychios *volans agros, gratámque Mineruæ,*
Humum.

Causam huius celebritatis diuersam agnosces apud Gyraldum *de Dijs Gent. syntagm.* 12. *fol.* 358. & *de Mensib. fol.* 575. sed in hoc conueniunt, quod ob sedandam pestem à Diana Atheniensibus immissam, propter vrsam Deæ dicatam ab ipsis occisam.

Huius festi origo.

DIE VI. Martij notantur in Kalendario sacra Vestæ, quæ fiebant à *Vestalibus* eo cultu, ornatúque quem tantis Sacerdotibus sacer ritus exposceret. Nam suffibulo indutæ albo, prætexto, quadrangulo, oblongo, quod in capite sumebant, illúdque fibulâ subnecterent, casta mola, sale tuso in ollam fictilem misso, & in aquam iniecto, hæc sacra facerent; calicibúsque fictilibus, quos Culullos vocitabant, Vestæ Matri libabant. De hoc videndi Alex. ab Alex. *lib.* 5. *Dier. Gen. cap.* 12. Rosin. Rom. *Antiq. lib.* 4. *cap.* 7. qui duplicem ex nummis huius sacrificij figuram exprimit, quas duplici carmine *Ouid.*

Sacra Vestæ quo ritu peragebantur?

Quisquis ades, castaque colis penetralia Vestæ,
Gratare, Iliacis thuráque pone focis.

Quare à vino in his libaminibus abstinebāt? In hisce sacris notauit Guillelm.Stuck.*de sacrif.Gent.fol.*35.*&* 133. à vino in libaminibus abstinuisse *Vestales,* cùm Castæ Deæ,& à castis ministris sacra peragerentur.Hinc *Casta mola* dicta sunt sacrificia Vestalium,vt inquit Festus Pompeius *lib* 3. Stuck.*fol.*49. Vt quid casta? quia absque vini immersione, cuius furor, & vis sæpissimè castissimas coinquinat.

Hac ipsa die consignatur in Fastis Assumptio C.Octauij Augusti Imperatoris ad Pontificatum Maximum, quem *nunquam* (inquit Suetonius) *viuo Lepido auferre sustinuerat, quo mortuo demum suscepit.* Quod & Dion Cass. lib. 54. euenitque Anno ab vrbe conditâ DCC. XLI. De hac inauguratione Ouid.

Cæsaris *innumeris, quos maluit ille mereri,*
Accessit titulis Pontificalis *honor.*

Assumptio ad honorem Pōtificalem Cæsarum colebatur apud Ethnicos. Ab hinc in posterùm sequentes Imperatores Romani omnes, ad Gratianum vsque exemplum Augusti secuti hoc sacrum recepere munus,vt notauit Zozimus *lib.*4.his verbis: *Simul atque summum Imperium quisque accipiebat, amictus ei sacerdotalis à Pontificibus offerebatur, & continuò* Pontificis Maximi *titulum vsurpabat: & cæteri quidem Principes vniuersi lubentissimo animis hunc honorem accepisse, & hoc vsi titulo videntur; adeóque Constantinus etiam potitus imperio,licet is à rectâ sacris in rebus via deflexerit* (loquitur vt Ethnicus) *& fidem Christianorum amplexus esset, itémque post illum reliqui ordine secuti, & Valentinianus, atque Valens. Cum ergo Pontifices ex more* Gratiano *talem amictum attulissent, auersatus est id quod petebant, ratus, non esse fas illiusmodi habitu Christianum vti.*

Veiouis sacra quæ? Die VII. Ad Templum Veiovis sacra, in memoriam eius dedicationis ad lucum Asyli. Erat ergo Veiovis, qui & Veivpiter, & Vedivs appellatur, Deus nociuus, id est, quòd eius potestas semper contra humanam naturam *Veiouis Deus quis? Eius pictura.* exerceretur,sic vt quælibet nocua Deo Veiovi tribuerentur. Ideo eius simulachrum sagittis armatum depingebant Romani, quibus noscerettur, Deum continuò ad nocendum fuisse paratum. De hisce sacris Ouid.

Vna nota est Martis Nonis, *sacrata quòd illis*
Templa putant lucos Veiovis *ante duos.*

An Iupiter puer? Qui in sequentibus carminibus Iouem puerum fuisse contendit. Videsis A. Gellium *lib.*5.*Noct.Attic* 12. Lil.Gyrald.*syntagm.*2. Illum Iouem nondum barbatum appellitauit Iuuen.*satyr.*6. Caprâ litabatur,cuius imaginem,quam cornutam dixit *Alexander*, ad simulacri pedes effinxere. Etymon à Iove, & dictione ve, quæ nomini præposita,Iouis adiutorium denegat; videndus *A. Gellius,*qui Grammaticè intentum supplet, à quo Rosin. Gyraldus, & cæteri Antiquitatum Romanarum venditores.

Equiria II. hoc Mense. Eqviria, Pridie Idus Martij, hoc est die XIV. peragebantur. De hisce ludis equestribus egimus supra Tom. I. in Prolegomenis Februarij, vbi eorum triplicem solemnitatem notauimus. Præsentium meminit Ouidius *d lib.*3.*Fastor.*

Sex vbi sustulerit, totidem quoque deserit ortus,
Purpuream rapido qui vehit axe diem.
Altera gramineo spectabis Eqviria *campo,*
Quem Tyberis curuis in latus vrget aquis.
Qui tamen eiecta si fortè tenebitur vndâ,
Cœlius accipiet puluerulentus equos.

Vbi fiebant, & in quo differunt à primis. Inter istos,& præcedentes ludos discrimen inuenit *Bulengerus,*quod primi fuere pro equitatus lustratione; secundi vt equitum numerus compleretur. Hæc Eqviria in campo Martio fiebant, nisi Tyberis alueus exundans ipsius campi planiciem aquis validis inundaret; nam tunc in Cœlio monte Equestres isti ludi peragebantur.

ANNÆ PERENNÆ festum Idibus Martij erat, cuius in poculis licentia, sic modestiæ frena laxauit in Ethnicis, vt campestria Bacchanalia fateberis. Eius compendium descripsit mirificè *Naso*, cuius carmina referre prolixum. Quæ ista ANNA PERENNA fuerit, nec ipsi nouere Gentiles; alij *Annam* Didonis sororem, alij vetulam *Bouillis* oriundam; nonnulli *Lunam*, quidam *Atlantidem*, plurimi *Iô*, & cæteri *Themin* somniarunt; vt videbis apud Ouidium *d. lib.* 3. *Fastorum.* Lil. Gyrald. *syntagm.* 1. & Rosinum *d. lib.* 4. *cap.* 7. Pro ANNA Didonis sorore stat *Naso*, sic:

Anna Perennæ festum quod?
Quæ ista Anna Perenna?

Ipsa loqui visa est: Placidi sum Nympha Numici,
Amne perenne latens, ANNA PERENNA *vocor.*

Ab hinc *annare, & perennare* apud Macrob. *lib.* 1. *cap.* 12. vbi de hoc festo agens dixit: *Eodem quoque Mense* (Martio) *& publicè, & priuatim* ad ANNAM PERENNAM *sacrificatum itur, vt* annare, perennare *commode licet.* Quid sibi hæc voces velint hucusque à nemine elicui: forte *annare* idem fuit ac sacrificium huiusmodi offerre Deæ; aut annare, id est quotannis festum continuare. *Perennare*, hoc est diutius durare. Ex quo sensus erit: *Annare, perennaré*que, idest festum hoc annuatim, diutiúsque peragere. Hanc etiam *Anna* fabulam descripsit Silius noster *lib.* 8. *Punic.* & concludit:

Annare, & perennare quia apud Macrobiũ?

Ex illo primis Anni celebrata diebus (ANNA)
Per totam Ausoniam venerando numine culta est.

Anna Perenna templum in nemore inter Anienis confluentem, & Miluium pontem constituit Carolus de Neapol. *fol.* 136. Eius meminit Martial. nost. *lib* 4. *Ep.* 40. Alex. ab Alex. *lib.* 3. *cap.* 18.

Templum vbi?

PARRICIDIVM hisce ipsis Ididus deplorabant Romani, ob *Iulij Cæsaris* mortem, ita Sueton. *in Cæsar. cap.* 88. de morte ipsius agens: *Curiam in qua occisus est, obstrui placuit*, Idúsque Martias PARRICIDIVM *nominari, ac ne vnquam eo die Senatus ageretur.* Eadem Appian. *lib.* 2. Dio *lib.* 47. & Ouid. *lib.* 3. qui Vestam alloquentem sibi poëtice fingit:

Parricidij anamnesis, quare à Romanis recolebatur?

Præteriturus eram gladios *in* Principe *fixos;*
Cùm sic à castis Vesta locuta focis:
Nec dubita meminisse: meus fuit ille Sacerdos:
Sacrilegæ telis me petiere manus.

DIE XVII. agebantur festa LIBERALIA, quæ apud Græcos ΔΙΟΝΥΣΙΑ dicebantur. Isthæc LIBERO patri eius Sacerdotes sedentes iuxta foculum sine aris, munia persoluebant. Hisce Sacerdotibus adhærebant anus coronatæ, quæ transeuntes quoslibet ad liborum emptionem inuitabant, ideo pro emptore sacrificabant, vt notauit Varr. *lib.* 5. *de ling. Lat.* dicens: LIBERALIA *dicta, quòd per totum oppidum eo die sedent Sacerdotes* Liberi, *hederá coronatæ anus cum libis, & foculo pro emptore sacrificantes.* Turneb. *in Comment. Varronian.* explicans hunc locum asserit: *Sedere* hic feriati significat, & *foculum* intelligi paruum focum, quo vtebantur Veteres, cùm rem diuinam extra templa, in locis non sacris, aut in quibus Ara non erat, faciebant, ex Cicer. *pro Dom.* ibi: *foculo posito pro rostris, adhibitóque tibicine.* Guillelm. Stuck. *de sacrif. Gentil. fol.* 50. LIBERALIA, non à *Libero*, seu Baccho, sed à *Libo* dicta contendit, quia Bacchus *Liber* est vocitatus, quòd *Liba* primus exhibuit, ex Plutarcho *quæst.* 104. dicente: ἢ ὁ τὴν λοιβὴν παρέχων; vel quia *Liba*, & mella, *Mense Martio* illi offerri fuere solita ex Tibulo *lib.* 1. *eleg.* 7. Bacchum adloquente:

Liberalia sacra, quæ?
Quare Liberalia?
I. Ratio.
II. Ratio.

Sic venias hodierne: tibi nam thuris honores,
LIBA*que Mopsopio dulcia* MELLE *feram.*

Nanius autem à liberâ linguâ ista festa denominat, cum inquit: *Liberâ linguâ loquemur ludis* LIBERALIBVS. Huius institutionis causas prolixè, & fabulosè recensuit Ouidius *d. lib.* 3. quas si Lector agnoscere voluerit, apud illum lectitet.

III. Ratio.

Vetula quare Sacerdotibus immixtæ?

Cur ergo iſthæc *anus* Sacerdotibus permixtæ liba tranſeuntibus venditabant? inquires, audi Naſonem:

——Vinoſior ætas

Hæc erat, & grauida munera vitis amat.

Quare coronatæ?

Coronatæ iſtæ vetulæ hederâ erant, quia gratiſſima *Baccho* fuit arbor iſta, quarum ornamenta luculenter depingit Lucian. *in Bacch.* vbi eas facit *κισσῷ ἐστεφανωμένας*, hoc eſt, *hederâ redimitas*: Videſis Carol.Paſchal.*de Coron.lib.4.c.15.*

Toga Libera quæ?

Ipſo etiam die TOGA LIBERA egreſſis pueritiam adoleſcentulis conferebatur, hoc eſt, quòd pueri qui iam ad XVI. ætatis perueniſſent annum, LIBERALIA exſpectaſſe, vt depoſitâ prætextâ TOGAM LIBERAM adſumerent, quod notauit *Ouidius*, hoc diſthico:

Ergo vt Tyronum *celebrare frequentia poßit,*

Viſa dies danda non aliena TOGÆ.

Aldi Manutij error.

Proculdubio *Aldus Manutius*, alias doctiſſimus ſuo ſeculo vir, in ſuis *quæſt.Epiſt.* haud percepit verba *Naſonis*, cùm dixit, LIBERALIBVS ludis pueros aſſumere *togam* iſtam *liberam*, pro tempore feſti, quo finito, deponere conſueuiſſe: quod quanto errore laboret, ipſus ſe manifeſtat euentus, & probat Carol. de Neapol. *num* 253. Cauſas huius ſolemnitatis quatuor excogitauit *Ouidius*, apud ipſum videndas, & apud Roſinum, & alios. Item ipſe Roſin. *lib.5.cap.32.*

Argeas ſacra quæ?

ITEM ſacra ARGEA hoc die factitata, quæ in ARIS ARGEI perfici mos erat. Iſthæc ſacraria ARGEORVM in ſeptem & viginti partes Vrbis fuere diſpoſita, vt inquit Varro *de ling Lat lib.4.* Horum Sacerdotum numerum, & loca ſacrificandi inſtituit *Numa Pompilius*, vt inquit Liuius *lib.1 Hiſt.Rom.* Alex. ab Alex.

Sacerdotes Argei qui? & eorum munus.

lib.5.Genial.cap.12. aſſerit ARGEOS Sacerdotes dictos, eo quod ſimulacra hominum triginta Argiuorum ſeruabant, è quibus ſimulacris, quotannis totidem effigies ſcirpeas factitabant, quas Veſtales Virgines cum hiſce Sacerdotibus è ponte ſublicio in Tyberim deiiciebant. Quæ verba ex *Varrone*, & *Feſto Pompeio* deſumpſiſſe fatetur Tiraquell. *in Addit.lit.K.* Ouidius eorum meminit.

Itur ad ARGEOS *(qui ſint ſua pagina dicet)*

Hac ſicut memini, prateritáque die.

Quinquatria ſacra quæ?

DIE XIX. Martij incipiebant QVINQVATRIA Mineruæ ſacra, quòd eo die eius Templum eſt in Auentino conſecratum, ex *Varrone*, & *Feſto*, quibus conſonat Ouid. *lib.3.*

Vna dies media eſt, & fiunt ſacra Mineruæ

Nomina quæ à iunctis quinque diebus habet.

Quid quinquatrus, quibúſve diebus fiebat, & à quibus?

An rectum deduxerit etymon Ouidius? in dubio eſt. *Chariſius* & alij apud Carolum *num.*269. vno tantum die fieri QVINQVATRIA referunt, en verba: QVINQVATRVS *non enim dictæ ſunt* QVINQVE *dies* ATRI, *ſed quòd* QVINQVATRVS *antiqui dicerent, ſiue à* QVINQVANDO, *id eſt* luſtrando, *quod eo die Arma Ancilia luſtrari ſint ſolita* His obſtant *Varro*, & *Feſtus*, quibus fauet Suetonius *in Auguſto, cap.71.* dicens: *Nos, mi Tiberi,* QVINQVATRIIS *ſatis iucunde egimus, luſimus enim per omnes dies, forúmque aleatorium calfecimus.* Videndus ibidem Torrent. *fol.120 & in Not.ad Horat. lib.2.Epiſt.1.n.197.fol.753.* vbi ex Iuuenal. *ſatyr.10.* hos puerorum dies fuiſſe feſtos contendit. Horum ceremonias videſis apud *Ouidium*, qui laxato calamo plura recenſet.

Tubiluſtriũ quid?

VLTIMO die horum dierum, hoc eſt XXIII. Martij TVBILVSTRIVM erat, *quòd eo die (* inquit Varro *) in atrio* ſutorio *ſacrorum* TVBÆ *luſtrantur.* Ouid. *lib.3.*

Summa dies è quinque TVBA *luſtrare canora*

Admonet, & forti ſacrificare Deæ.

An ſacrificium, & quibus ritibus?

Vt iſthæc conficeretur luſtratio, albam agnam Mineruæ ſacrificabant. Feſtus: TVBILVSTRIA *dies appellantur, in quibus* AGNA *tuba luſtrantur, ab eis tubos appellant,*

pellant, quod genus lustrationis ex Arcadia Pallanteo translatum, ac venisse dicunt. De hoc ritu intelligit Guillelm. Stuck. locum Iuuenal.

—————Niueam *Regina ducimus* AGNAM
Par vellus dabitur pugnanti Gorgone Maura.

Cur hæc TVBARVM strues, & sonitum musicorum harmonia in sacrorum per- *Tubæ, vt*
agendorum adhiberetur officio, aliquis Antiquitatum inuestigator inquiret? En *quid in sa-*
VII. causas damus. I. ad ista sacra indicenda, hominésque conuocandos. II. vt *cris indu-*
sacrificiis adstantes silerent, & illis attentionem, & meditationem incuterent. *ctæ?*
III. vt sono, numero, & modo Deos lenirent, & placarent. IV. vt adstantium tristitiam depellerent, quia nefas erat in sacris contristari. V. quia aliqui diuino munere afflati ex sonitu, vt Corybantæ futura prædicerent. VI. quòd nec vlla lugubris, vel ominosa audiretur vox, quâ possent irrita fieri sacrificia. VII. quia ipsas victimas sonitu credebant lætari, & ad immolationem festinanter accedere. Vide Stuck. *fol.* 113. qui plura de TVBIS colligit.

DIE XXIV. Martij, consignatus fuit dies, quo *Rex sacrorum* comitiabat, hoc *Rex sacro-*
est, quòd eo die iret ad Comitium, diuinis rebus perfectis; hæc *Varro*, & *Festus* Iste *rum, quis?*
Rex sacrorum erat, qui ea omnia sacrificia peragebat, quæ *Reges* antea fuerant *eius officia.*
executi. Post Reges enim, Regiorum sacrorum causa institutus est, & ideo *Rex sacrorum* nominatur; non quia Princeps, aut primus erat omnium Sacerdotum, quia Pontifici Maximo subditus erat. Iste nec Magistratum gerere, nec orationem ad populum habere poterat: causam refert Plutarch. *quæst. Rom.* 63. sed melius Boxhorn. *in Not. fol.* 118. dicens: *Quòd prudenter metuerent* (Romani) *ne sic simul, & sacris, & Imperij negotijs se immisceret, ne specie religionis à cæteris in se fauorem populi auocaret, atque sic tandem Regiam potestatem Rex sacrorum occuparet.* De Rege, & Regina sacrorum passim inscripti lapides perleguntur.

DIE XXV. Martij HILARIA festa indicat Macrob. *lib.* 1. *cap.* 21. quorum haud *Hilaria fe-*
meminere *Ouidius*, nec *vetus Kalendarium*. Illius verba sunt: *Ritu eorum catabasi* *sta, quæ?*
finita, simulationéque luctus peracta, celebratur lætitia exordium ad VIII. *Kalendas Aprilis, quem diem* HILARIA *appellant, quo primùm tempore Sol diem longiorem nocte protendit.* Hæc festa in honorem Matris Deûm peragebantur, vt ex Herodian. *lib.* 1. *Hist. Rom. in Commodo*, liquet, scribente: Veris initio quotannis, stato solemníque die, pompam Matri Deûm Romani celebrant. In ea quæ apud quemque sunt diuitiarum præcipua, supellèxque Imperatoria, materiæ, aut artis spectandæ præferri ante Deam solent, passimque omnibus quouis modo ludendi licentia permissa, sic vt personas induant, quas cuique libitum; nullámque non Magistratuum quoque imaginem, prout cuiusque studium, repræsentent: sic vt non temerè à falsis veros dignoscas. Lamprid. *in vit. Alex. Seuer.* eorum meminit & Flau. Vopisc. *in Aurelian.* Videsis Turneb. *lib.* 24. *Aduers. cap.* 45. Rosin. *lib.* 4. *cap.* 7. Lil. Gyrald. *Synt.* 17. & in Fast. Guillelm. Stuck. *de Antiq. conuiu. lib.* 1. *cap.* 20. & *cap.* 33. qui ex Maximo D. Dionysij interprete de HILARIIS isthæc verba recenset: ἦσαν τινὲς ἡμέραι τοῖς εἰδωλολάτραις, ἃς ἱλαρίας ἐκάλουν· καὶ αἱ μὲν ἦσαν ἴδιαι καὶ ἱλάρειοι, ὡς ὅταν τις ἔγημεν, ἢ υἱὸν ἔσχεν· αἱ δὲ κοιναὶ καὶ δημόσιαι ἱλάρια ἐκαλοῦντο ὡς ὅταν βασιλεὺς ἀναγορευόμενος τὰς δημοσίας ἱλαρίας παρέχῃ, καὶ ὅτε πένθιμα ἐν ταύταις φορεῖν ἐξῆν ἀλλὰ καὶ θέαι καὶ θυσίαι καθ' ἑκάστην ἡμέραν διετελοῦντο δημόσια, καὶ οἱ πενθοῦντες ἐπαύοντο καὶ ἐθυμήρουν, καὶ ἐν εὐωχίαις ἀπαύστοις διῆγον τὰς ὁρισμένας ταύτας ἱλαρίας, hoc est: *Erant quidem dies idololatris, quas* HILARIAS *seu festiuitates vocabant. Horum alij erant priuati & festiui, vt cum quis vxorem duxerat, aut alicui filius natus erat. Communes autem, & publica festiuitates* HILARIA *dicebantur, vt cum quis Rex creatus erat, is publicas festiuitates populo exhibebat. In his nulli erat licitum luctus insignia gestare, luctus omnis cessabat, spectacula, ludi, sacrificia, epulæ per totos illos dies agitabantur.* & prosequitur: ἦ καὶ ἱλάρια ἑορτὴ ἰδικὴ Ῥωμαίων εἰς τιμὴν τῆς μητρὸς θεῶν αὐτῶν καὶ δαιμόνων, id est: *Erant autem* HILARIA *festum proprium Romanorum, in honorem Matris Deûm, imò verò dæmonum.* Causam verò huius festiuitatis dedicationis Matri Deorum, pete ex ipso *Herodiano* vbi suprà. *Ablutio*
simulachri
VLTIMO die Martij simulachrum ipsius Matris Deorum ad *Almonem* fluuium *Cybelis.*
perduce

perducebatur, quo ablutum, & sacris litatum, in pristinum locum reponebatur, de quo Ouid. *lib.* 4. *Fast.* Lucan. *lib.* 1. Sil. Ital. Papin. Martialis noster Ethnicus, & Prudentius noster Catholicus; *in Hymn. ad S. Romanum.*

Nudare plantas ante carpentum scio
Proceres togatos, matris Idea sacris.
Lapis nigellus euehendus essedo,
Muliebris oris clausus argento sedet,
Quem dum ad lauacrum praeundo ducitis,
Pedes remotis atterentes calceis
Almonis vsque peruenitis riuulum.

Origo huius festi.

Originem sumpsit iste ritus, ex eo quòd tempore quo ex Asia simulachrum *Cybelis* Romam fuit aduectum, in *Almone* riuulo, qui non procul ab vrbe, Tiberi miscetur, Sacerdos illud lauit, qui postmodum mos seruatus quotannis hoc die solemni pompa repetitur.

Luna sacra, Martij festa dissoluunt.

Hoc eodem die sacra Lunæ in *Auentino* peragebantur, de quibus *Ouidius* fastos huius claudit Mensis, hoc disticho.

Luna *regit menses, huius quoque tempora mensis*
Finit, Auentino *Luna colenda iugo.*

Nónne Ethnicorum vanitates derides? Nostræ nunc Religionis monumenta Catholicæ ausculta.

KALEND. MARTII.

DIES I.

A. Hispania celebris S. Angeli Custodis *in omnibus Prouincia Ecclesiis festiuitas perseuerat, licet ex aliquarum monumentis dies varietur Officij.*

B. Ilipula prope Iliberrim S. Iscii, *Discipuli* S. Iacobi, *qui post munus prædicationis per Hispanias, dum cum alijs ad Concilium Iliberritanum conscendit, ab Aloto Præside Nerone imperante tentus, flammis exustus, martyrium consummauit.*

C. Vrsaone in Betica SS. Donati, Leonis, Abundantii, Nicephori, *& aliorum IX. sociorum, qui per martyrij angustias, ad augustas cæli mansiones, auxiliante Domino peruenêre.*

D. Apud Caam vrbem in Vacceis S. Antoninæ *Virginis, & Martyris, quæ post diuersos perpessos cruciatus, persistens in fide, in Idolorum irrisione perseuerans, in vrna includitur, in lacum deijcitur, quousque gloriosum Deo tradidit spiritum.*

E. Car

E. *Carthagine Spartaria* S. DONATI *Martyris, cui Lactantius Firmianus dicauit librum de* IRA DEI, *qui sub Iuliano Apostata, Verano Iudice exequente, ad gloria laurum intrepidus Agonista cucurrit.*

F. *Cœlæ-Nouæ in Gallæcia* S. RVDESINDI *Monachi, Episcopi Iriensis, & Dumiensis, qui celebris operatione virtutum, celebrior claritate miraculorum, & celeberrimus euidentiâ sanctitatis obdormiuit in Domino.*

NOTÆ.

A. FESTVM S. ANGELI CVSTODIS.] Ab antiquissimis temporibus hæc in *Hispaniâ* colitur, & recolitur festiuitas tàm in Ecclesiis Cathedralibus, quàm in omnibus Regularibus institutis, licet apud omnes non vno, & eodem die. Nam *Toletana* Ecclesia, *Compostellana, Legionensis, Ouetensis, Salmanticensis, Cordubensis, Conchensis, Segobiensis, Seguntinensis, Pampilonensis, Zamorensis, Calagurritana, Asturicensis, Gadicensis, Vrcitana, Accitana, Mindoniensis,* & *Canariensis,* & *Granatensis,* & earum diœceses, necnon ordines *Militares,* & *Regulares* in hunc diem festum hocce concelebrant. Ecclesia *Hispalensis, Placentina, Giennensis, Abulensis, Malacitana, Carthaginensis,* & *Ordo B. Mariæ de Mercede* in diem 1. Octobris. Ecclesia *Valentina,* & *Cæsaraugustana* in Dominicam I. post Octauam Apostolorum Petri & Pauli. Tarraconensis *in Dominicam III. post Pascha.* Burgensis *in diem* 10. *Martij.* Oscensis *in Dominicam I. Maij.* Dertosensis *in diem* 1. *Augusti.* Segorbicensis *in Domin. II. Octobris.* Turiasonensis *in diem* 15. *Iulij.* Ilerdensis *in diem* 6. *Septembris.* Vrgelensis *in Dominic. III. Iulij.* Oxomensis *in diem* 13. *eiusdem.* Pacensis *in diem* 11. *Octobris.* Ex quo colliges, quod ante Decretum Pauli V. Pont. Max. *die* 27. *Septembris, Anno M DC. VIII.* editum, frequens apud omnes Hispaniæ Ecclesias *die* 1. *Martij* solemnitas noscebatur, vt in antiquis Hispaniæ liquet officiis, vt notat P. Martin. de Roa *de Antiq. SS. Martyr. Cordubens. lib.* 1. *cap.* 4. *fol.* 41. Ideo apud Molan. *in Addit. ad Vsuard.* & Philipp. Ferrar. *in Gen. Catal. SS.* hoc die festum consignant, sic: TOLETI, *& alibi in* HISPANIA *festum* ANGELI CVSTODIS. De eo plura scripsere *P. Drexelius, Ludouicus de la Cerda, Martinus de Roa, Antonius Quintana-Dueñas, Antonius Vasconcellos, Franciscus Albertinus, Angelinus Gazæus,* & alij è S.I. ac nouissime *D. Franciscus Blasco Lanuza,* qui omnes, munera, fauores, & miracula Sancti CVSTODIS integris Codicibus compaginant. P. Truxillo *in Thes. Concionat.* 2. *p. fol....* celebre consarcinat elogium. Officia Ecclesiarum *Hispaniæ* olim varia, sed iam cum aliis communia ex prædicto *Pauli V.* decreto. Ast quia in antiquis Breuiariis adsunt nonnulla, quæ adhuc desiderantur, propter illorum pietatem, & codices rari sunt, isthinc trium Hymnorum seriem ex *Sigenensi* peruetusto Breuiario Monialium S. Ioannis in Aragonia conscribam.

Festum Angeli Custodis non vno die ab Hispaniæ Ecclesiis celebratur.

Qui de S. Angelo Custode scripserint.

Officia apud Hispanos varia.

PRO S. ANGELO CVSTODE.

AD VESPERAS.

HYMNVS.

Pange lingua Gloriosi
Prælium certaminis
Principisque generosi
Gladium tutaminis,
Quo succumbunt vitiosi
Sectatores dæmonis.

Nobis datus est à Deo
Præsul sacer Angelus,
Vt prosternetur dirus leo,
Et saluetur populus:
Dimittuntur noxæ reo,
Ducis nostri precibus.
In supremâ cœli sphærâ,
Et polorum culmine,
Aperitur ei sera
Vt petat pro homine,
Et adsportet nobis plera
Bona, pro iuuamine.
Verbum caro nobis præstat
Angeli *custodiam,*
Vt si morbus nos infestat
Tollat pestilentiam,
Si quid vrbem hanc molestat,
Donet patientiam.
Tantum ergo adiutorem
Veneremur laudibus,
Frequentemus protectorem
Annuis carminibus,
Vt placemus Redemptorem
Pro nostris criminibus.
Genitori, Genitóque,
Laus, & iubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit, & benedictio,
Procedenti ab vtroque
Compar sit laudatio.

AD MATVTINVM.

HYMNVS.

SAcris solemnijs iuncta sint gaudia,
Hymnis Angelicis, *sonent præconia,*
Cantet Ecclesia inclyta gaudia,
Concordet omnis anima.
Noctis recolitur ducatus populi,
Ægyptus cæditur per manum Angeli,
Mare diuiditur, transeunt singuli
Tyro vndis immergitur.
Post Agni sanguinem, quo lumen tingitur,
Tollit esuriem manna quod traditur,
Columna ducitur, pellit formidinem,
Hoc per Custodem *agitur.*
Dedit fragilibus ducem fortissimum,
Dedit & tristibus micantem Angelum,
Dicens: Adspicite vestrum consortium,
Omnes in hoc confidite.
Sic sacrificium nostrum transmittite,
Per meum Nuntium, *& sibi credite,*
Mente conscendite cœlum empyreum,
Vbi corde quiescite.
Panis Angelicus *datur de superis,*
Et Miles *cœlitus sit comes hominis,*

Princeps *Cherubicus manet in infimis,*
Regens præsul authenticus.
Te trina Deitas vndique poscimus,
Sic nos tu visita sicut te colimus,
Per tuas semitas duc nos quò tendimus,
Ad lucem quam inhabitas.

AD LAVDES.

HYMNVS.

VErbum supernum prodiens,
A Patre semper exiens,
Qui de CVSTODE *subuenis*
Ad seruitutem hominis.
In morte adest Angelus,
Fit recedenti obuius,
Vt deferat ad brauium
Felicitatem hominum.
Quibus parantur gaudia,
In Beatorum curiâ,
Vbi exultant Angeli
Orationum baiuli.
Se nascens dedit socium,
Mittendo nobis Angelum,
Promentem dulce canticum
Gloria Regi omnium.
O salutaris veritas,
Et Angelorum *claritas,*
In quibus ardet charitas,
Et diligens benignitas.
Vni, Trinóque Domino
Sit sempiterna gloria,
Qui vitam sine termino
Nobis donet in patriâ.

ORATIO.

OMNIPOTENS *& misericors Deus, qui* Angelicam *custodiam huiusmodi hominum Regnis, Prouincijs, & Ciuitatibus* Hispaniæ *contulisti: concede propitius, vt nostri Regni, & Ciuitatum præsul; &* CVSTOS ANGELVS *tuus Sanctus, Nos, ipsas, totúmque Regnum ab instantibus periculis corporis, & animæ, & futuris aduersitatibus protegat, & defendat.* Per D. N.

Hinc, quanta ad ANGELVM CVSTODEM in Nostrorum cordibus fuerit deuotio, deprehendes, licet, quo seculo isthæc inceperit celebritas, non liqueat. Martyrologium Lusitanum *fol.* 17. & P. Vasconcellos *in vit. Reg. Emanuel. fol.* 267. conscribunt, in Regno *Portugalliæ* institutam tempore istius Regis, ad Annum M. D. XIII. In cæteris verò Regnis *Hispaniæ* vetustiorem credimus, quia hominum memoriam festum hocce transcendit. *Portugalliæ quando instituta?*

Huius celebritatis origini ansam præbuisse fatebimur innumera *Hispanis* à Deo collata beneficia *Sanctorum* ope *Angelorum*, præcipue CVSTODVM, à nascentis Ecclesiæ exordio, quæ licet omnia in vnum congerere prolixum, tamen aliquot suis seculis patrata, & scriptis mandata chronologica breuitate cumulabimus.

Subsidia S. Angeli Custodis Hispaniæ impartita.

SVBSIDIA AB ANGELO CVSTODE *Hispaniæ impartita à Nascentis Ecclesia origine per secula.*

CORNELIVS Centurio *Hispanus*, seculo I. ab *Angelo Custode* edoctus, viam, & rationem, qua baptismum reciperet, inuenit, vt notauit P. Ludouic. de la Cerd. *de Angel. Cust. cap.* 19. *fol.* 188. *num.* 3.

QVITERIA Virgo, & Martyr *Hispana*, seculo II. ab *Angelo Custode* liberata à *C. Attilij* Patris insidiis fuit, à quo ad Montem *Aduram* transuecta *Leuciani* Reguli insolentiam compescuit, cæcitatem abstersit & ad fidem conuertit. Anton. Nebris. *in eius vit. fol.* 146.

EVLALIA vtraque scilicet *Emeritensis*, & *Barcinonensis* Virgo, & Martyr, seculo III. quæ cum Christi amore æstuarent, nocte reseratis clanculum foribus, *Angelis Custodibus* comitatæ, in Præsidis conspectum Christianos excarnificantis se offerentes, illius insaniam increpantes, donec *Angelis* adiutoribus, cruciatus, & flagra vincentes, martyrij palmas percepere. P. Cerd. *cap.* 44. *num.* 17. *fol.* 448. Blasc. *lib* 1. §. 1. *fol.* 401.

PAPHNVTIVS Eremita & Martyr *Hispanus*, seculo IV. sæpesæpius Angelum Custodem reuisit, à quo in multis est fotus. Cerda *cap.* 10. *num.* 8.

LAVREANVS Episcopus *Hispalensis*, & Martyr, seculo V. contra Arianos in *Hispania* bellum exercens, ab ipsis, *Totila* iubente, ad mortem insecutus fuit, sed ab *Angelo Custode* in somnis admonitus periculum effugiens liberatus fuit. Cerd. *cap.* 11. *num.* 6. *fol.* 123.

ILDEPHONSVS Episcopus *Toletanus*, & Confessor, seculo VII. cùm pro suscipiendo habitu, domo, & patribus relictis, *Agaliense* cœnobium peteret, à Patre insecutus, vt actum impediret, & assecutus, *Angeli Custodis* ministerio Patris oculi caligati sic fuere, vt iuuenem nec viderent. Carranza *in eius vit. fol.* 12.

ISIDORVS Agricola *Madridensis* Hispanus, seculo IX. qui apud herum insimulatus, quod tardius ad arandum iret, audiendis sacris intentus, herus illud experire volens, in agrum perrexit multo mane, sed arantem Agricolam inueniens, accusatoribus obiurgauit: qui non esse illum, quem inspiciebat, *Isidorum* contendentes, re inspectâ, innotuit esse *Angelum Custodem*, qui Agricolæ sanctissimi vices supplens (*Isidoro* interim sacris incumbente) agrum bobus arabat. Cerd. *cap.* 11. *num.* 6. *fol.* 122. Blasc. *lib.* 1. *cap.* 5. *fol.* 41.

ALPHONSVS Rex *Hispaniæ* cognomento CASTVS, eodem seculo, cùm *Oueti*, S. Saluatori templum ædificasset, *Crucem* auream gemmis insignitam construi procurauit; sed cum ad animi propositum peritissimi deficerent artifices, de executione dubitabat: cum ecce duo Iuuenes eleganti forma conspicui adsunt, qui opus perficere ad Regis placitum compromittunt. Crucem mirifice construunt, & in camera relinquentes euanuerunt, quos *Custodes Angelos* Regis fuisse, & miraculum patefecit, & loquax fama prædixit. Cerd. *cap.* 14. *n.* 4. *fol.* 240.

THARASIA soror Alphonsi VI. qui *Toletum* occupauit, seculo XI. cum Rege *Abdala* matrimonium contrahere vt compelleretur, & Legione Toletum aduieheretur inuita, à Rege marito, illâ reluctante, & Deo virginitatem obtulisse, professâ, impetita est; sed *Angelus Custos*, Regis Barbari lasciuiam puniens, protinus illum ad mortem percussit. Iulian. Petr. *in Chron. Ann.* 1008. *num.* 525. Cerd. *cap.* 38. *num.* 8. *fol.* 368.

ALPHONSVS Henrici *Lusitaniæ* Rex I. seculo XII. ope *Angeli Custodis*

Custodis innumerabiles Agarenorum cateruas ad campum *Scalabitanum* deuicit, ideóque Milites sub instituto Cisterciensi constituit, vt ipse in Diplomate institutionis fatetur, apud Cerd. *cap.* 20. *num.* 6. *fol.*199. Blasc. *lib.*1.*cap.*20.*fol.*157.

ANTONINVS Miles *Hispanus*, eodem seculo, orationibus, non armis, fere semper tempore congressûs cum vacasset, à commilitonibus ignauiâ notatus, Deum pro innocentia interpellabat assiduè. Ast Dominus permisit suum *Angelum Custodem* sub *Antonini* specie ante alios fortiter præliari, hostes sternere, & in fugam vertere, adeo vt victoria ipsi fuerit tributa, cuius, & arma diuino miraculo conspersa sanguine cernerentur. Cerd. *d.cap.*20.*num.*3.*fol.*197.

IVLIANVS Episcopus *Conchensis* in Hispania, Confessor, seculo XIII. cùm ad baptismatis lauacrum duceretur, eius *Custos Angelus* in omnium conspectu mitratus apparuit, & puerum vocandum esse *Iulianum* asseruit. Hinc Angelorum harmonia audita est. Acta S. Iuliani supra *tom.*1.*die* 28.*Ianuarij*. Cerd. *cap.*43.*num.*12.*fol.*424.

VINCENTIVS Ferrerius ex Ordine Prædicatorum *Hispanus*, Confessor, adhuc in matris visceribus existens, ab *Angelo Custode* Patri promissus est, qualem, quantumque futurum erat prædixit. Cerd. *d.cap.*43.*num.*11.

ANTONIVS Vlysipponensis ex Ordine Minorum, Confessor, cùm apud *Paduam* in Italia demoraretur, sciens patrem in vitæ periculo constitutum ex falsi criminatione delicti, protinus ministerio sui *Angeli Custodis* Paduâ *Vlysipponem* translatus est, vbi miraculo patrem liberauit. Sedul. *in eius vit. c*... Blasc. *lib.*1.*cap.*35.*fol.*326.

ÆGIDIVS Scalabitanus in *Lusitania* ex Ordine Prædicatorum, Confessor, eodem seculo, cùm à dæmone illusus schedulam abominabilem conficeret, diabolóque traderet, sæpius ab *Angelo Custode* visibiliter iracundâ formâ impetitus, & lancea vulneratus, tandem ad vitæ perfectæ normam traductus est. Castill. *Hist.Prædic.*1.*p.lib.*2.*c.*72. Blasc.*cap.*23.§.1.*fol.*193.

TERESIA à IESV Abulensis Virgo, seculo XV. ab *Angelo Custode* cuspide aliquando extitit vulnerata, vt ipsa refert, & Blasc. *lib.*1. *cap.*14.*fol.*107. Præ cæteris de *Benedicto Goesio*, Cerda *cap.*44.*fol.*437. De Ludouico de la Puente, *cap.*30.*fol.*308. De Sanctia Carrillo, *c.*16. *fol.*164. De Duce Nazarensi, Blasco *cap.* 42.*fol.*364. De V. P. Aluaro de Cordoua, *cap.*45.*fol.*373. De Vrbe Cæsaraugustana, *fol.*150. 248. & 327. De Ioanne Carrera, *fol.*40. & 194. De Ioanne Cardener, *fol.*40. De F. Petro del Campo, *fol.*197. & de aliis scilicet Alphonso VIII. & X. *fol.*198. & 197. *passim*.

En subsidia Nostris, ab *Angelis Custodibus* impartita, ex quibus fortè antiqua deuotio est, sed cur Mense *Martio* peculiaris festiuitas apud Nostros insit? P. Anton. Quintana-Dueñas *de SS. Hispal. fol.* 356. responsum præbuit: *Quia in hoc Mense* (inquit) *fuit Angelorum creatio, sicut, & cæterorum spirituum cælestium Hierarchiarum, ideo* CVSTODES *hisce coluntur Kalendis*. De ANGELO CVSTODE videsis plura apud relatos. *Quare Mense Martio indicta solemnitas apud Hispanos sit?*

S. ISCIVS Episcopus, & Martyr cum sociis.] Variè nomen huius Sanctissimi Præsulis scriptum reperio, nam alij *Hesychium*, nonnulli *Hisicium*, & plurimi *Isicium* appellant. Ast vera lectio ISCIVS est, vt ex Chronico Flau. Dextri *Ann.*43. & 44. liquet. De eo scripsere Auctores qui de S. IACOBO Nostro verba fecere, & præcipue Vsuard. Beda, Ado, Maurolycus, Felicius, & cæteri cum Martyrologiis Romano, Castellano, Lusitano, & Hispano. Peculiariter Aldrete *in Antiq. Hispan. lib.*2 *cap.*13. Hist. Cæsaraugust. 2.*p.cap.*2. D. Maur. Castell. *Hist. Compostell. lib.*2.*c.*16. In hunc diem eius memoriam reiiciunt Ecclesia *Granatensis*, cuius ordinem seruauere Bermud. *Hist. Granat.*1.*p.c.*4. P. F. Petrus à S. Cæcilio *in mem. MS. SS. Granat.* §.2. & Philipp. Ferrar. *in Gener. Catal. SS.* h.d. sic: *Eliberi in Hispania* S. HESYCHII Episcopi *B. Nomina S. Iscio varia. Qui de eo scripserint? Quâ die?*

Epiſcopi & Martyris. Anton.Cianca *in vit.S.Secundi lib.1.cap.16.* P.Biuar.*ad Dextr. fol.91.*& Roderic.Caro *fol.20.lit.H.* Padilla,Mariena,& alij. Eius ACTA ex variis ſic in vnum colligere, pro more, conſtitui.

ACTA S. ISCII EPISCOPI, & Martyris, & ſociorum, ex Dextro, & alijs Scriptoribus.

De origine dubitatur.
A S.Iacobo in Hiſpaniam allatus Lectoris munere inſignitur.
Interfuit conſecrationi Altaris S. Mariæ de Columna, Cæſaraugustæ.
Ieroſolymã cum Magiſtro reuertitur cuius Corpus poſt paſſionem cum cæteris Hiſpanias defert.
Lupariam Flauienſem aggreditur vt ſepulchrum conferat Apoſtolo.
A Vennenio capitur, & ab Angelo ſoluitur.
Fontis diſruptio.
Luparia ſanctos illudit.
Luparia redditur illuſa, & ad fidem conuertitur.

ISCIVS *cuius vrbis fuerit oriundus ignoratur, licet non deſint, qui contendant, cum* Hiſpanum *extitiſſe, & Ieroſolymam aduentaſſe tempore Dominicæ paſſionis, vbi auditis Saluatoris miraculis, protinus Chriſto nomen dediſſe, &* IACOBO *Noſtro primitus adhæſiſſe. Aſt verum eſt, Apoſtolum inter Duodecim quos ſecum Diſcipulos more Apoſtolico in* Hiſpanias *aduexiſſe narratur,* ISCIVM Lectorem *agnoſcimus, qui Magiſtri inſequendo veſtigia totam fere prouinciam perluſtrauit, & apud* Cæſaraugustam *Altaris Mariani constructioni cum cæteris interfuit, & ſuo ordine functus, tandem* Ieroſolymam *cum Apoſtolo reuertens, eius martyrium inuiſit, & nocte ſequenti cum alijs, Angelo duce, Corpus Magiſtri ſubripiens, & in Ioppem properans, nauem conſcendens, datis vento velis ad Iriam-Flauiam Gallæciæ vrbem mirabiliter repedauit. Cognito ergo per* ISCIVM *& Socios portus littore, & quod eius domina* Luparia *erat, quæ viuente Apoſtolo ferox illos ex ſuæ ditionis terminis gentilitiâ rabie propulſauerat, quilibet hæſitauit, & quâ arte fœminam inflexibilem, & furibundam placarent, vt locum ſepulchro acciperent Apoſtolico, dubitabant. Sed Dei nutu, timore depoſito, illam adeunt vnanimes Diſcipuli, dicentes: Qualiter Chriſtus ad ipsũ Corpus Apoſtoli ſui miſerat, vt quem noluerat ſuſcipere viuum, exciperet vel defunctum, vt in fundo quem tenebat, facultas illis concederetur, oſſa tumulandi Apoſtolica. Quos illa rigidæ mentis veſaniâ acerbiſſimè execrans, & execrando refutans, tuſani furoris pondere repleta ad* L.Vennenium Ebutianum, *qui tunc* Tribunus *erat cohortis* Gallicæ *in* Gallæciæ *prouincia, quæ nunc* Francos *dicitur, ſanctos talia petituros properare ociùs iubet. Qui nihil cunctati perquirunt* Tribunum, *cui proponunt de fide ſancta ſermonem, orantes, vt ſibi locum Apoſtolici Corporis ſepulturæ concederet aptum. Aſt* Vennenius *gentilitatis errori deditus, auditis Venerabilium Virorum precibus, cognoſcens eos Chriſtianos eſſe, illos comprehendere iuſsit. Vix mandatum exequuti fuêre ſatellites, cùm Angelus Domini, eos de cuſtodia ſoluit, qui carnis fragilitate adducti fugam capeſſunt, & ad pontem fluminis* Tamaris, *dictum* Sigerium *prope* Compoſtellam *attingentes, inuenerunt fontem ampliſſimum arcuato opere, ſaxeo ambitu circumſeptum, penes quem publica via diſcurrebat, illuc ingreſſi, vt deliteſcerent, protinus mutato conſilio egreſſi ſunt, vt plenius Dei gloria in ſeruis ſuis manifeſtaretur ad Gentes. Nam cognito per* Tribunum, *quod ſub vmbra alarum protectionis Dei ſancti diffugerant, dimiſit milites, qui eos comprehenderent, & credentes iuſtos prædicto fonte abſconſos, intus ingreſſi ſunt; ſed ecce illud ædificium crypta huius, quod in tantâ perſtiterat ſæculorum ſoliditate, miro modo, ſubitò corruit. Igitur B.* ISCIVS *& Socij ad domum* Lupariæ *reuertentes, & illi quæ euenerant enuntiantes, iterum de tumulatione Venerabilis Apoſtoli præmonebant. At illa necdum verbis eorum credula, ſed adhuc impœnitens, conſpiciens eos flentes, dixit illis:* In monte hoc proximo, qui *Illicinus* dicitur, armenta noſtra paſcuntur, euntes ergo illuc, quotquot cupitis tollite, & quò vobis cordi fuerit, ducite; & in ipſis laborantes, operam impendite aptari domum, vt diciris, Apoſtoli veſtri. *Hac facultate obtentâ Viri Dei montem aſcendunt, vbi Draco illis accurrens immaniſſimus, illos deglutire ſatagebat, ſed ſigno* Crucis *facto, protinus bellua veluti fumus perijt à facie terræ. Exinde Diſcipuli cœptum proſequentes iter,*

iter, quæsita reperiunt animalia, quæ cùm essent indomita, sub manibus eorum tanquam oues ad occisionem parata, mutata sunt, sicque libere quò voluerunt illa deduxerunt, & ad Lupariam reuersi *sunt. Illa ergo visis tot miraculis, corde, & ore compuncta est, & cùm omnia hæc à Deo facta profiteretur, propriam domum ad sepulchri Corporis Apostolici structuram liberè donauit, ex quo* Liberum-Donum *situs ille cognominari cœpit. Sanctissimi demum Discipuli Corpus* IACOBI *honorificentissime tumulantes ad propria recesserunt, excepto* ISCIO *& sex Socijs, qui* Romam *petentes* B. Petro *Apostolorum Principi omnia hæc verbaliter retulerunt, insinuantes quanto amore* Hispanorum *gens fidem amplexaretur Catholicam, si operariorum sedulitas multiplex interesset.* Petrus *auditis* ISCII, *& Sociorum relationibus, ipsos in Episcopos ordinans iterum ad* Hispanias *dimittens, illorum charitati omnem Prouinciæ ambitum commisit in Christo. Quo munere* Iberiam *repedantes ad* Accitanam *Beticæ vrbem contingunt, tempore quo Idolis festum gentilitas peragebat. Ast cùm præ nimio itineris labore modicum quiescere constituissent, & causâ victus emendi aliquot Socios in vrbem dimitterent; euenit, vt visis peregrinis, paganorum multitudo eos ad vsque flumen* Farolium *persecuta est, in quo pons miræ magnitudinis, & fortitudinis extructus extiterat, per quem sancti Discipuli currentes, eos persequebatur infidelium caterua; quæ, Dei nutu, intra pontem ingressa, nullo euadente, cum ipso ponte protinus est mirabiliter comminuta. Successum videre cæteri ciues, quorum pars maxima terrore compressa Sanctos quæritat, quibus inuentis, ad domum alterius* Lupariæ *Senatricis, quæ* Iriensis *filia erat, deducit, & cognitâ conuersione Matris fidem amplectitur.* ISCIVS *tamen vt muneri satisfaceret, Vale dicto Socijs, ad fretum* Herculeum *pergens,* Carteiæ *prædicat, post* Alone, *&* Carcesæ *in mediterraneis fidem Christi disseminat, vbi sic suorum intentus profectioni subditorum euigilabat, vt nec clanculum in eorum cordibus lupum rapacem, zizaniam vllam superseminare permitteret. Per hæc tempora apud* Iliberim *Concilium à* Cæcilio, *& alijs Præsulibus congregatum agnouit, & eò se conferens inter Patrum* Hispaniæ *cætum adstans, synodalibus interfuit placitis; cum ecce* Alotus *Præses illius regionis, de congregatione præmonitus, omnes in vnum rigidè comprehendit, quos, quia Idolis thura litare noluit nec minimus, bonis spoliatos, flammis combussit.* Kal. *Martij Anno Domini* LVII.

Corpus Magistri honorifice conditur.

Iscius Romam petit, & à B. Petro ordinatus Episcopus Hispanias repedat.

Accitanæ vrbis territorium lustrās à Gentilibus impetitur.

Miraculo pons cum Ethnicis corruit.

Luparia Accitana conuertitur.

Apud Fretum Herculeū, Carteiam, Alonem, & Carcesam prædicat.

Iliberitanæ Synodo interfuit, vbi cum alijs martyrio coronatur.

Hæc sunt quæ de S. ISCIO coadunare ACTA potuimus, quorum probationem facile comprehendes, si *die XV. Maij* Notationes nostras obseruaueris. Quòd fuerit *Hispanus* origine indicat, sed fine duce, Coccus ille Cæsaraugustanus 2 *p. cap. 2. fol.* 369. Quòd fuerit *Lector S. Iacobi* insinuant Dext. *Ann.* 37. & Aul. Halmeus de *Aduent. S. Iacob. vers* 47. sic:

De munere Lectoratus.

> —— ——*Theodorus, Cæciliúsque*
> ISCIVS, *& Thesiphons, Calocerum iunge, minores*
> Lectorum *gradus primi sumpsère rogati.*

Quò loci nonnulla diximus *fol.* 11. Quòd *Magistrum insequeretur Ierosolymam vsque*, è quâ corpus acceperat, Ioppem deduxerat, & in Gallæciam adduxerat, concors *Hispanicarum* Ecclesiarum assensio est. Quòd apud *Iriam* eum *Luparia* congrederetur, & apud eam omnia in Actis relata euenère, patet ex relatione *Translationis* S. Iacobi *Monasterij Floriacensis* edita in Bibliotheca Hispaniæ *fol.* 9. *tom.* 1. *cap.* 1. Quòd apud *Accim* disruptio pontis successerit, liquet ex *Hymno S. Isidori* in *Breuiario Muzarabi*, vbi ad vnguem omnia profert, sic:

De reuersione in vrbem Ierosolymam, & congressu Lupariæ, & Accitani miraculi probatione.

> *Hi Euangelica lampade præditi*
> *Lustrant* Occiduæ *partis arentia:*
> *Quòd sic Catholicis ignibus ardeant,*
> *Vt cedant facibus furua nocentia.*

ACCIS continuo fit proxima Viris,
Bissenis stadijs, qua procul insident,
Mittunt asseclas esculenta quærere,
Queis fessa dapibus membra reficerent.
Illic Discipuli Idola Gentium
Vanis inspiciunt ritibus excoli,
Queis dùm in aggere fletibus immolant,
Terrentur protinus ausibus impijs.
Mox insana fremens turba satellitum
In his cùm fidei stigmata nosceret,
Ad pontem Flauij *vsque per ardua,*
In cursu celeri hos agit in fugam.
Sed pons praualido murice fortior
In partes subitò pronus resoluitur:
Iustos ex manibus hostium eruens,
Hostes flumineo gurgite subruens.
Hæc prima fidei est via plebium,
Inter quos mulier Sancta Luparia,
Sanctos aggrediens, cernit, & obsecrat,
Sanctorum monita pectore collocans.
Tunc Christi famula attendens obsequio,
Sanctorum statuit condere fabricam,
Quo Baptisterij vndæ patescerent,
Et culpas omnium gratia tergeret.
Illic Sancta *Dei* famula *tingitur,*
Et vitæ lauacro tincta renascitur,
Plebs hîc continuò peruolat ad fidem,
Et fit Catholico dogmate multiplex.
Post hæc Pontificum *chara sodalitas*
Partitur properans septem in vrbibus,
Vt diuisa locis dogmata funderent,
Et sparsis populos ignibus vrerent.
Exhinc iustitiæ fructibus inclyti
Viam multiplici fœnore terminant:
Consepti tumulis vrbibus in suis:
Sic sparso cineri vna corona est.

De Martyrio. Quod Anno LVII. cum Sociis Episcopis in Synodo congregatis, martyrio coronatus fuerit Noster ISCIVS constat ex traditione, & monumentis Ecclesiæ *Granatensis*, vbi ab *Aloto* Præside, vt inquit Dexter *Ann.* 57. bonis spoliatum igni tradidit comburendum.

An in Carcesa, ex Zianca? Hinc non est audiendus Anton. Zianca *in Hist. S. Secundi lib.* 1. *cap.* 16. qui conatur probare S. ISCIVM passum in oppido CARCESA, quod nunc CAZORLA dicitur,

dicitur, ex eo quod apud illius loci oppidanos, constans opinio sit, S. Martyrem ibidem tentum, lapidibúsque obrutum fuisse; in cuius rei euidentiam, adhuc iuxta Eremitorium S. Marco dicatum, digito demõstrare lapidum aggerem, que martyrium compleuisse contendunt. Quibus fauet antiquissimus mos, quòd vna ex Dominicis Maij ad aggerem illum Clerus, & Populus processionaliter accurris, & supra cumulum disposità Arâ, Sacrum solemniter conficit in honorem S. Iscii, cuius festum recolit. Præter quæ innumeri accolæ nomen ex nomine Martyris assumunt, & Iscii vocitantur. Quia respondetur non passum Carcesæ, sed translatum, vel potius honorificatum, tanquam ipsius vrbis Apostolum, aut Arâ, aut Templo; ex quo lucem accipient carmina Isidori.

Carmen Isidori elucidatur.

Consepti tumulis vrbibus in suis,
Sic sparsô cineri vna corona est.

Non quia quilibet septem Episcoporum huiusmodi in sede sua coronam acceperit, sed, quòd sparsus cinis, qui alibi per martyrium recondebatur, congregatus, in tumulorum septis apud vrbes suas, quas titulo acceperant Pontificali, sepultus est.

Respuitur opinio alterius scriptoris, qui non Martyrem, sed Confessorem S. Iscium contendit.

Nec Cæsaraugustanus ille scriptor statuum 2. *p. cap.* 4. *fol.* 381. *& cap.* 6. *fol.* 401. qui ineptè somniat, Iscium non apud *Iliberim* passum, sed apud *Carteiam*, aut *Carcesam* placidâ morte occubuisse. Ex eo quod duo fuere huius nominis *Iacobi* Discipuli; alius qui cum illo *Ierosolymis* in *Hispanias* transfretauit. Alius apud *Cæsaraugustam* conuersus. Ille antiquior ad Annum XXXVI. Iste recentior ad Annum XLI. A quo ista didicerit, nec ipse profert, neç Nos diuinare potuimus.

Sed finem imponat P. Biuar. *ad Dextr. Ann.* 57. *Com.* 1. *num.* 1. qui locum martyrij mirifice expendit, vbi verba de hoc faciens, itidem cum Iscio passos *Ilipula* iuxta *Iliberim, Turillum, Panuntium, Maronium, & Centulium* ipsius S. Episcopi Discipulos, probat.

Topographia Carteia.

Carteia vrbs fuit apud Plin. *lib.* 3. *cap.* 1. Strabon. *lib.* 3. T. Liu. *lib.* 28. *&* 43. Hircium *lib.* 1. *de Bell. Hispan.* Dion. *lib.* 43. Ptolom. *lib.* 2. *cap.* 4. *in Betica*, circa fretum Gaditanum. Ast cui oppido hodie respondeat, inter Neotericos disceptatur. Moral. *in Antiq. Hisp. fol.* 81. credidit esse *Algezira*. P. Mariana *lib.* 1. *cap.* 2. contendit *Tarifa*. P. Biuar. scribit Cartaya. Sed si verum amamus, discrimen ex Scriptoribus inter hasce vrbes constituendum est. Triplicem hujus nominis vrbem in Hispaniæ litorali parte cognosco. Alia iuxta *fretum Herculeum* de qua Pompon. Mela *lib.* 2. *cap.* 6. Sil. Ital. *lib.* 3. quæ hodie diruta, rudera demonstrat antiquitatis, & splendoris, & dicitur Torre de Carthagena, vt placet Roderico Caro *in Corograph. Hispal. cap.* 74. Altera prope *Carthaginem Spartariam* de qua T. Liu. *lib.* 21. quam *vrbem opulentam, & caput gentis eius* appellitat. Tertia de qua *Polybius*, & *Stephanus*, quam *Altheiam* nominant, quibus subscripsit Iulian. Petr. *in Aduers. n.* 240. In duobus primis prædicauit S. Iscius, vt ex *Dextro* probat eruditus Roder. Car. *d. cap.* 74. quem videas.

Tres huius Nominis vrbes in Hispania, quæ?

SS. Donatvs, Leo, & Socij Martyres.] Eorum nomina prorsus obliuioni traderentur, ni ea *Baronius* Ecclesiæ, *Dexter* Hispaniæ restituissent. Ille in Martyrol. Romano h. d. sic. *Item natalis SS. Martyrum* Leonis, Donati, Abvndantii, Nicephori, *& aliorum IX.* Iste *Chron. Ann.* 115. his verbis: Vrsaone *in Betica*, S. Leo *Martyr, & Socij eius.* Episcopus *Equilinus* omissa vrbe, & signato die Leonem exprimit, *lib.* 11. *cap. fin. num.* 82. sic: Kalendis Martij Leo *Martyr passus est.* Purpuratum sunt secuti omnia recentiora Martyrologia, scilicet Italum *Constantij Felicis*, Castellanum *Dionysij Vazquez*, Lusitanum *PP. Societ. Iesu*, & Hispanum *Ieronymi de la Higuera.* Nostrum V. C L. insectantur P. Biuarius *d. Ann.* 115. *fol.* 222. Roder. Car. *fol.* 64 *lit. X.* & in Corograph. *lib.* 3. *cap.* 55. D. Paul. de Espinosa *Hist. Hispal. lib.* 2 *cap.* 9. Quintana-Dueñ. *de SS. Hispal. fol.* 280. D. Martin. de Anaya *in Apologet. fol.* 24. Cuius acrem censuram in refutandis *P. Quintana-Dueñas* scriptis demiror; aduersus candidissimum Patrem, & *S. E. Hispalensis* purissimam persuasionem insurgens, contendit hos Sanctissimos Martyres, nec *Vrsaonenses* fuisse, nec *Kalendario Hispalensi* addicendos, imò respuendos; quia *Dexter*

C. Martyrologia. Historici. P. Quintana-Dueñas à M. de Anaya censura vindicatur.

tantum *Leonem & Socios* nominat, absque expressione DONATI, seu aliorum, cuius ergo qualitatem, & demonstrationem cùm reticeat, à quo *Antonius* illos Martyrologij Romani Kalendis Martij fuisse fuxit? Sed saluâ tanti Censoris pace, facilè eius argumentum euacuatur, vt Patris sententia saluetur, & Ecclesiæ Hispalensis auctoritas conseruetur, & augeatur. Ergo *Martine* vt tuum argutiæ inuentum consisteret, debebas alium Martyrem nomine LEONEM cum *Socijs* passum indigitare, vt sic confusio isthæc Martyrum sensum *Antonij*, & *Ecclesia Hispalensis* placitum eneruaret: hoc omisisti, ergo perperam ruminâris. Nullus est in Romano Martyrologio LEO cum *Socijs* Martyr, nisi iste, qui hoc die colitur, de quo verba facere *Dexter* potuisset: quia licèt TRES inueniantur LEONES, & illos Martyres, alium die XXX. Iunij, tantum *Caium* socium habuit Presbyterum ad Annum CC. V. vt notat Baron. *Annal. Eccles. tom. 2. Ann.* 205. *n.* 8. Alterum *die* 18. *Augusti* cum vnica *Iuliana* socia apud Myram Lyciæ. Tertium, qui plures Socios habuit, quo eum tua poterat assertio probari, cuius festiuitas *die XIII. Octobris* recolitur, neutiquam valuit agnoscere *Dexter*, quia Martyr iste, & Socij ex ordine *Minorum* fuere, & passi sunt apud *Septam* in Mauritania Anno M. CC. XXI. Attende qualis à *Dextro* ad istos distantia. Ergo ex eo quod *Flauius* Noster LEONEM & *Socios* nominauit, de istis, quos *Ecclesia Hispalensis* veneratur, intellexit, cum nulli alij fuerint LEONES cum Sociis martyrio coronati. Quo obice sublato, ad ACTA Sanctorum pergo.

ACTA SS. LEONIS, DONATI, ABVNDANTII, & NICEPHORI cum IX. Socijs Martyribus Vrsaonensibus ex L. Flauio Dextro, & Antonio Quintana-Dueñas.

Sanctorum origo.

LEO, DONATVS, ABVNDANTIVS, NICEPHORVS & *Nouem Socij ex* Vrsaone *nobilissima Betica vrbe in Vlteriori Hispania creduntur oriundi. Qui omnes ex nobili prosapia gentili, potius propria facinora, quam Maiorum stemmata procurabant. Sic ergo spretis humana gloria splendoribus, quorum felicitatem exaltuat ambitio gentilis, fidei constantiam, in qua vera felicitas inest, vnusquisque eorum strenuis actibus perquirebat. His vera ingenuitatis titulis cumulatis, non solum sibi honorem, verum etiam Prouincia, Patria, & Vrbi gloriam contulerunt. Tertiam concitauerat* Trajanus *persecutionis procellam contra Christi Assectas vbique, quâ innumeri gladio furoris coronati æternam in gloria Martyres remunerationem percepêre. Sed cùm ad Imperatoris auditum attingeret innocentium fidelium probitas, & furentium satellitum rapax calumnia,* Cæsareo *decreto à persecutione cessatur, ita tamen vt neutiquam Catholicus inquireretur, dummodo puniretur oblatus. Huius ergo sententia confusio, quâ negat inquirendos vt innocentes, & puniri iubet vt flagitiosos; quâ parcit, & sæuit; quâ dissimulat, & animaduertit; quâ semetipsum Imperator censurâ circumuenit, quia damnando non inquirit, & non inquirendo condemnat, Nostros Martyres fatigauit, qui spe coronationis per passionem allecti, passionis palæstram feruidis singultibus inhiabant. Tandem Dei nutu ad agonem peruenêre felices, non à Iudice vocati, nec testium depositione conuicti, aut satellitum inquisitione delati, sed stimulo diuini Spiritus rapti, & feruentissimo martyrij desiderio succensi, ipsi sese voluntarijs agonibus obtulêre, & pro fide quam profitebantur, publicis animas demonstrationibus exposuêre. Obstupuit Præses alacri oblatione Virorum, & tanta iuuentutis demiratus elegantiam, illorum vota sopire, sententias eneruare, & à propositis diuellere, impiâ verborum exornatione curauit. Omnia sed frustra: Nam SS. Viri in fidei confessione constantes, nihil nisi se esse Christianos strenuâ firmitate dicebant. Crescebat Iudicis ira, quoties Sanctorum imprudentiam (sic credebat) & vanam animi*

Trajani persecutio.

Imperatoris decretum de non quærendis Christianis.

Sese offerunt Iudici voluntarij Martyres.

fortitudinem

fortitudinem inspectabat & furore repletus, in eos ita est seuerè animaduersus, vt disruptâ membrorum compage hinc, & illinc, viscera terram aspergerent palpitantia, & eorum strenui spiritus martyrio gloriosi præmia ex voto receperunt æterna, Kal. Martij, *Anno Domini* C. X V. *Quorum memoriam festo semiduplici tanquam concinium recolit Diœcesis* Hispalensis, *& Ciuitas* Vrsanoensis *festo duplici, vt tutelarium.*

Martyrio coronantur.

Non est audiendus D.Paul. de Espinosa *d.lib.2. cap.9.* qui, nullo duce, contendit hosce Martyres fuisse martyrio coronatos in persecutione cruenta *Diocletiani*, & *Maximiani*, quia cùm nullus tempus agonis, præter *Dextrum* agnouerit, & iste Anno C. X V. passos consignet, à fortiori sententiam *Flauij* insectari debuerat, nec à proprio capite confusionem inducere.

Spinosa error detegitur.

VRSAO. De huius nobilissimæ Ciuitatis, quæ hodie OSVNA dicitur, antiquitate, & nominis etymo, diximus *die XII. Ianuarij*. Hîc duplex antiquitatis monumentum huius vrbis vetustatem indigitans assuemus. I. Epistola *Cn. Pompeij* Iunioris ad *Vrsaonenses* debitum soluat, sic: GN. POMPEIVS, ad VRSAON. *Si valetis bene est, Ego valeo. Et si prout nostra felicitas, ex sententia aduersarios adhuc propulsos habemus, tamen, si æquo loco sui potestatem facerent celerius, quam vestra opinio est, bellum confecissem. Sed exercitûm tyronum non audent in campum deducere, nostris adhuc fere præsidijs bellum ducunt, nam singulas ciuitates circumsident, inde ibi commeatus capiunt. Quare, & ciuitates nostrarum partium conseruabo, & bellum primo quoque tempore conficiam. Cohortes animo habeo ad vos mittere. Profectò nostro commeatu, priuati necessario ad dimicandum discedent.* Huius Epistolæ auctographum videsis apud Hircium *de Bell. Hisp. apud script. Rom. tom. 1. fol.*847. Roder.Car. *in Corograph. lib.3. cap.53.* Ambros. Moral. *lib.8. cap.43* In Glareani, & aliorum codice *fol.*260.

Topographia vrbis Vrsaonis.

Eius antiquitas.

II. Nummus est, in quo ab vna parte effigies hominis vittata cum nomine II. viri, qui illum extrui curauit, ex altera parte SPHINX, in hunc modum:

Vrsaonensis vrbis numisma.



Causam duplicem appingit *Rod. Caro* de huius *Sphingis* apud VRSAONENSES in nummis impressione. Altera adulationis obsequio, vt *Augusti Cæsaris*, qui in annulis *Sphingem* ponebat, imitarentur errorem. Altera, vt *Chiensis* Insulæ accolas, à quibus originem trahere *Vrsaonenses* crediderunt vestigiis sequerentur, apud quos *Sphinx* stemma erat.

Numismatis elucidatio.

S. ANTONINA Virgo & Martyr.] Græci in *Menologio*, & Latini in *Martyrologijs* tantæ Martyris recolunt memoriam. Illi hoc encomio: *Eodem die* S. ANTONINÆ: *hæc ex vrbe* CEA, *Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, propter Christi confessionem, & inanium Idolorum irrisionem, graues, & varios perpessa cruciatus, postremò, vase quodam inclusa, in paludem* CEÆ *deiecta, spiritum Domino commendauit.* Isti hoc elogio in Romano: *Eodem die* S. ANTONINÆ *Martyris, quæ in persecutione Diocletiani, cùm Gentilium Deos irrisisset, post varios cruciatus, in vase quodam inclusa, in paludem vrbis* CEÆ *demersa est.* Quos sequntur P. Vasq. *in Castellano*; PP. Societ. Ies. *in Lusitano*; & P. Higuera *in Hispano*; item Philipp. Ferrar. *in Topograph. SS. verb.* CEA, *fol.*35. De ea Flau. Dext. *in chron An.* 300. *num.* 16. breuiter: *Ad* CEAM *vrbem Hispaniæ in Vacceis* S. ANTONINA *Martyr.* vbi P. Biu. *Com.* 1. *fol.* 326. Roder. Car. *fol.* 101. Syluan. Razz. *tom.* 2. *sanctar. fol.* 1. *col.* 2. Locum agonis ignorarunt *Baronius* & *Ferrarius*, qui sonitu vocis allecti ad CEOS maris Ægæi Insulam, Atticæ, & Eubœæ adiacentem, Helenæque proximam, stadium Martyris retulere. Ast cùm in vrbe CEA, non in Insula, martyrium reportasse Virginem *Græci* profiteantur, & in Insula nulla fuerit, nec sit ciuitas hoc nomine consignita, credendum est, alibi agonem

D.

Martyrologia.

Historici.

Martyriũ non in Insula, sed in vrbe CEA *consummatum.*

agonem impleuisse. Quod patet, nam Plin. *lib. 4. cap. 12.* Insulam CEOS describens inquit, *Oppida habet reliqua*, Iulida, Carthæam, *intercedere* Coressus, *&* Pœessa. Strabo *lib. 10. Geograph.* eadem, sed clarius, sic: Κεως δὲ τετράπολις μὲν ὑπῆρξε λείπονται δ' δύω ἥ τε Ιυλὶς καὶ ἡ Καρθαία, εἰς ἃς συνεπολίσθησαν αἱ λοιπαὶ, ἡ μὲν Ποιήεσσα εἰς τὴν Καρθαίαν· ἡ δὲ Κορησσία εἰς τὴν Ἰυλίδα, hoc est: CEOS *vrbes habuit olim quatuor: nunc duæ restant*, Iulis, *&* Carthæa, *in quas reliquæ sunt translatæ: Pœessa in Carthæam, Caresus in Iulidem.* Marisot. *Hist. Orb. Marit. lib. 1. cap. 39.* tres tantum ponit: *Ab Eubœa mari auulsa est Hydrussa, quæ* CIA, CÆA, *&* CÆOS, *tres habuit ciuitates*, Caressum, *siue* Coressum, Iulin, *siue* Iulidam, *&* Carthæam, *siue* Carteiam. En in

CEA, vrbs in Hispania. Insula nulla vrbs CEA vocitata, ergo alibi fuit constituta. Apud Vacceos CEAM vrbem in Hispania agnoscit *Dexter*, ibidemque passam Martyrem profitetur, ergo explosis *Baronij*, & *Ferrarij* coniectationibus, cum vno *Dextro* intentum habemus. Confirmatur, nam *Syluanus Razzius* agnoscens purpurati lapsum, CEAM vrbem palestram nominat ANTONINÆ sed absque Prouinciæ consignatione, ne in aliorum laberetur errores. Quibus sic notatis ad ACTA venio.

ACTA S. ANTONINÆ MARTYRIS Caecensis ex. Flau. Dextr. & alijs.

Patria Martyris. ANTONINA *natione* Hispana, *ex vrbe* CEA *in* Vacceis *oriunda, fidem Christi ab incunabulis feruentissimo viscerum ardore professa, sic in lege Domini meditabatur, vt nihil extra ipsius præcepta, cordis spiritus adimpleret Gentilium Deos, dæmonia, & Ethnicorum Idola vana, & Sculptilia, quæ aures habentia non audirent, oculos, & non viderent, continuis ausibus proclamabat.* *Mores.* *Erat enim in operatione virtutum strenua, in fidei defensione mirabilis, in Idolorum irrisione celebris, & in Christiani nominis exaltatione singularis, ita vt bonorum operum famâ plurimi ad illam confugerent; inualidos sua protectione foueret, Gentiles mira reprehensione pulsaret, & Fideles blandâ persuasione pelliceret. Hanc vitæ regulam, inter frementium* *Carceratio.* *Gentilium rabiem,* ANTONINA *quietâ libertate cùm vitam transigeret, euênit, vt Imperatorum Diocletiani, & Maximiani contra Christi famulos bilis arderet, & dimisso in* Hispanias *Daciano, fidelium vt corpora depasceret, Idolorum restitutionem, & Sacra decretis validis commendauit. Ergo Dacianus, aut Erebo soluta Erynnis, seu Cæsarum furoris œstrmos Hispanias aduentans, protinus ita in Christi membra sæuire cœpit, quòd ciuitates aut horrorum plagis depopularentur, aut extinguerentur.* CEAM *demum aduênit, & cognitâ* ANTONINÆ *fide, illam in carcerem includi, pòst coram abduci præcepit, quam, vt Dijs litaret, & à Christo diuerteret, blandis vocis ambagibus admonebat; ast illa in fide firma, Deorum simulachra constanter irridens,* *Constantia.* IESVM CHRISTVM *verum Deum repetitis attestationibus est professa, à cuius fide separari nec Præsidis iussio, nec carceris horror, nec cruciatuum furor, nec mortis timor, nec denique omnia in vnum coadunata valerent.* *Martyriũ.* *Obstupuit Iudex, & cùm insignium fœminarum constantias in Prouincia passim stupidus experiretur, aut rubore suffusus, aut irâ contractus sanctissimam fœminam varijs cruciatibus fremebundus exercuit, quibus deuictis, in scaphismo inclusam, Solis ardoribus expositam tenuit, quousque conuictus, illam in stagnum fluminis* CEÆ, *sic occlusam præcipitari constituit. Quod vt factum, trophæi laurum Martyr gloriosa Angelicis stipata choris accepit,* Kalendis Martij, *Anno Domini* CCC.

Scaphismus quid? En ACTA, in quibus SCAPHISMI mentio est, sed quale fuerit tormenti genus sciscitaberis? Baron. *in Not. ad diem XXVIII. Iulij, lit F.* plura cumulauit, tàm antiquorum, quàm recentiorum exemplaria, & Anton. Gallon. *de Cruciatib. Martyr. cap 1. §. 8. fol. 12.* Qui ex *Plutarcho, Luciano, Apuleio, Zonara, Cælio Rhodiginio,* *An ab Scapha?* *Alexandro ab Alexandro,* & aliis, fatentur: SCAPHISMVM *fuisse genus tormenti, vbi damnatus sub duabus occlusus* scaphis, *ita vt caput, manus, & pedes foris excludantur; melle, & lacte delibutus, Solis opponitur radiis, vt muscarum & fucorum morsibus expositus*

expositus affligetur. Sic per plures dies inclusus, necessariò corporis fæces exonerare compellitur, quæ in vermium corruptione conuersæ, corpus damnati miserabilis erodunt. Ex hoc colligunt supracitati, hoc genus tormenti ab SCAPHIS vocitari SCAPHISMVS, licet *Baronius* ab SCAPHIO vase sterçorario deducat, cuius sententiam reiicit *Gallonius*, & duplicem rationem assignat. Huius opinionem amplectitur Adrian. Iunius Hornanus *in Not. ad Eunapium in Vit. Maxim. Philosoph. fol.* 615.

An ab Scaphio vase stercorario?

SED vt nostram etiam exponamus sententiam crederem SCAPHISMVM dictum, non à SCAPHA vt credunt *Gallonius, Iunius*, & cæteri, quia constat aliquando in corio bouis inclusos martyres fuisse: nec à SCAPHIO vt contendit *Baronius*, quia in huiusmodi vase nullus poterat homo includi, sed à SCAPHIDE de qua Cœl.Rodig. *Lect.Antiq. lib.*8. *cap.* 3. ista profert: SCAPHIDES *vasa sunt, in quibus melliceridas, id est faui collocantur.* Ast cum in hoc SCAPHISMI durissimo supplicio, vel diu retineatur, vel protinus dimittatur damnatus, semper melle delibutus includebatur, vt muscarum aculeis exponeretur, & in SCAPHIDE melliceridas existebant, cur non ab ea etymon deducemus?

An ab Scaphide vbi melliceridas collocantur?

VEL si mauis, ab effectu, etymon deducere poteris à verbo SCAPHIA quæ est genus instrumenti, quo vtebantur *Virgines Vestales* ad nouum ignem accendendum, vt Solis actiuitate & calore materia sicca flammesceret. Audi Plutarch. Quæst. Rom.95. *Quod si ignis negligentiâ earum extinctus esset, nequaquam eum accendere ab alio igne licebat, sed renouabant eum, flammamque eliciebant à Solis radijs puram, & synceram. Eam ad rem instrumentis vtuntur, quæ Σκαφία nominant. Sunt autem excauata in modum turbinis rectanguli: hac si aduerso Sole opponantur, fit vt radij solares, in circumferentiam vndique incidentes, ad centrum omnes concurrant, itaque & aërem tenuem reddant, & materiam (quæ leuissima, siccissimaque instrumentis opponitur) statim inflamment, quia videlicet radij solares, à corpore renitente, ita coguntur, & stipantur, vt naturam ignis accipiat.* De quo videndi *Festus* apud Guillelm.Canter.*Nouar. Lect. lib.*7. *cap.*6. Rosin. *Antiq. Rom. lib.* 3. *cap.* 19. & quæ diximus in *Fastis huius Mensis*, ex Lipsio, & aliis *die* 1. *Martij*.

An ab Scaphia instrumento, quo Virgines Vestales vtebantur?

CEA, vrbs fuit, & adhuc eo nomine extat in *Vacceis*, de qua *Molan.* & *Galesin.* ad Diem XXVII. Nouembr. sic: *In Gallæcia iuxta fluuium* CAEAM, *natalis SS. Facundi, & Primitiui.* Antiquior. *Flau. Dexter.* eius meminit *Ann.* 139. & 300. Sampirus Asturicens. Episcop. *in Chron. Er.*896. agens de Alphonso III. sic eius restaurationem describit: *Exinde* (Alphonsus) *venit Legionem, & populauit Sublantiam, quæ nunc à populis Sublanco dicitur, &* CEAM *Ciuitatem mirificam.* Caue ab impressis, quo loco scriptum: & ETIAM (pro CEAM) *Ciuitatem mirificam.* Quorum errorem vt percipias, sic Ambrosius Moral.*lib.*15.*c.*2. exscripsit Hispanè. *Tanbien poblò el Rey desta vez à* CEA, *que Sampiro llama Ciudad marauillosa*; hoc est. *Etiam populauit Rex hac vice* CEAM, *quam Sampirus vocat vrbem mirificam.* P.Ioann. Mariana *lib.*7. *cap.* 19. adstipulatur, sic: *Initio regni Sublancia, &* CEA *instauratæ, quæ vrbes à multo tempore vastatæ, atque incolis vacuæ iacuerant.* Iam vides antiquitatem, cætera suis locis dicemus.

Tipographia Vrbis CEAE *in Vacceis; non alia fuit in Gallæcia.*

Error prælì in Codice Sampirensi detegitur.

S. DONATVS Martyr.] Celebre est apud *Lactantium Firmianum* eius nomen in seculo, sed celebrior apud Ecclesiam eius triumphus in fastis. Audi *Vsuardum* h.d. elogium proponentem: *Eodem die* S.DONATI *Martyris, qui sub iudice Vrsatio, & Marcellino Tribuno* CARTHAGINE *passus est.* Eadem *Maurolycus*, licet perperam Philipp.Ferrar. *in Catalog. General. fol.*94. Abbatem Messanensem in Africa passum scripsisse mentiatur. Petr.de Natal. *lib.*3. *Catal. cap.* 165. Adonem itidem in Africa martyrio coronatum dixisse profitetur, sed vterque falsitatis vitio laborat, quia nec Maurolycus *Carthaginis Africanæ*, nec Ado *Donati* huiusmodi Martyris meminere. Nec *Galesinus* est audiendus, qui toto cœlo aberrans in *VVandalica* persecutione agonizatum ex Victore Vticense *lib.* 2. & 3. falsò contendit, quia de DONATO nec verbum apud illum inuenies. *Vsuardus* etenim, & *Maurolycus* veritatis tabulam arripientes CARTHAGINE passum scribunt, quibus adhæsit *VValdembert*, sic: E.

Martyrologia.

Circa locum agonis varia sententia.

Martis DONATVS *tenet, Albinusque Kalendas.*

Carthagine Noua passionem fuisse conuincitur.

Ast quâ in *Carthagine* occisum, sub silentio reliquêre *Vsuardus*, & sequaces, & ne deinceps ansam præberetur ad coniecturas, Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 360. facem immittens, locum martyrij sedulâ assignatione descripsit: CARTHAGINE Spartaria, *durante impijssimâ Iuliani persecutione* DONATVS *Martyr* HISPANVS *(ad quem scripsit* Lactantius *librum de Irâ Dei) sub iudice Verano patitur.* En apud *Carthaginem Nouam* Hispaniæ, palæstram. En Martyrem *Hispanum.* En *Lactantij Firmiani* DONATVM synchronos. Ex his tribus propositionibus liquet *Galesinium* mendaeij reum, qui primis ad *Africam* reiecit Martyrem, & post fœdè iterum errans in *VVandalica* procellâ occisum somniauit; cùm constet tempore *Iuliani* Apostatæ passum, quo etiam vixit LACTANTIVS. Et dato quod in *Africâ* pateretur, quis *Hispanum* origine negauit? De eo P. Biu. *ad Dextr. Ann.* 360. *Comment.* 1. *num.* 3. *fol.* 389. Roder. Caro. *fol.* 128. *lit.* I. Eius ACTA sic congessimus.

ACTA S. DONATI MARTYRIS Hispani, apud Carthaginem Spartariam, ex Dextro, & aliis.

Origo S. Donati.

Miles fit.

Ad fidem conuertitur.

Lactantij amicitiam quærit.

DONATVS ex Carthagine Spartariâ *splendidissimâ* Hispaniæ *vrbe ortus, à primis adolescentiæ liminibus, vt nobilium moris fuit militare cinxit Baltheum, & Legionibus adscriptus Romanis, per aliquot temporis tyronem induit; sed desiderio addiscendi, quæ ad animæ salutem intersunt, excusso cingulo, vitæ normam sub sapientis Magistri ferulâ quæritauit. Ast Euangelicæ doctrinæ dogmata cùm experiretur sanctissima, rationique congrua naturali, Christo nomen dedit, cuius legem profitens, ad maiora virtutum capessenda specimina, doctioribus sui seculi patribus, verbo, & literis vsus, quæ sectanda, quæ verò respuenda felici cupiditate cognouit. Hinc* Lactantium Firmianum, *Arnobij discipulum, in sui amicitiam traxit, à quo plura edoctus, etiam libellum de* IRA DEI *in charitatis, & magisterij signum accepit, in cuius exordio ista scripta prælegit:* Animaduerti sæpe DONATE plurimos id existimare, quod etiam nonnulli Philosophorum putauerunt, non irasci Deum: quoniam vel benefica sit natura diuina, nec cuiquam nocere, præstantissimæ, atque optimæ congruat potestati, vel certe nil curet omnino, vt neque ex beneficentia eius quidquam boni perueniat ad nos, neque ex maleficentia quidquam mali. Quorum error, quia maximus est, & ad euertendum vitæ humanæ statum spectat, coarguendus est à nobis, ne DONATE & ipse fallaris, impulsus auctoritate hominum, qui se putant esse sapientes. *Ex hinc de Sapientia diuina, & humana, de vtriusque veritate, & gradibus, de bonis, & malis in rebus humanis, & quomodo Deus irascatur in sequentibus differit. Cuius lectione* Donatus *in Dei timore constrictus, facile prout filius intra amoris ignem exæstuans, depulso timore vt reus, & timore inescatus vt homo, ad sapientiæ volumina, & charitatis acumina, amore, & timore præeunte peruenit. Omnia Magistri ipsius opera euoluens quotidie ad instructionem vitæ exempla, ad profectionem regulæ monita ex illis, vt apes artificiosa sugebat curiosus, donec Lactantio extremâ senectute apud* Galliam, *magistro Cæsaris Crispi, filij Constantini, sublato, intra sui ipsius parietes, mores componens, Catholicam, & mundam, nullis vanis occupationibus perturbatus, vitam transigebat. Elapsis aliquot annis* Iulianus Apostata *impijssimus imperij habenas accepit, & licet in limine dominationis, Christiani nomen retinuit, & Iuliano Artabio rescripserit:* EGO neque interfici *Galilæos*, neque cædi, præter ius, & æquum, neque molestiæ quidquam perpeti volo; sed tamen iis pios, & sanctos viros præferendos esse, vel maximè censeo: *postmodum Gentilium errores suscitans, ipse sese*

Donati mores, & sanctitudo.

Crispi Cæsaris Lactantius Magister efficitur.

Iulianus Apostata imperat.

Eius pro Christianis epistola.

in eorum vanitatibus volutauit. Iste ergo aut prauâ leuitate compulsus, aut perfidâ in Christi nomen offensione compactus, crudelissimam aduersus Christi Ecclesiam (qua iamiam toto Orbe diffusa, ad cœlum vsque fronte pertingebat) persecutionem indixit. Ad Hispanicæ *litora* Carthaginis *aduentauit edictum, & D*ONATVM *Catholicum agnoscentes satellites, illum tennere, & in conspectu* Verani *Iudicis deferentes, cum Deorum læsa maiestatis reum esse vocum confusione dixere. Præses à Martyre accusationis veritatem expostulat, qui Christi fidem libere prædicans, & Deorum perfidiam intrepide proferens ad coronam abscisso capite peruenit, Kalendis Martij, Anno Domini* CCC. LXI. *Imperante Iuliano.*

Excitat aduersus Ecclesiam persecutionem.

Donatus capitur, & martyrio coronatur.

QVOD fuerit S. DONATVS coëtaneus *Lactantio Firmiano*, ex eo constat, quòd Librum de IRA DEI inueniamus inscriptum DONATO, vt ex Codicis liquet exordio, in quo isthæc: L. COEL. LACTANTIVS FIRMIANVS AD DONATVM, DE IRA DEI. LIB. I. Et quod Noster sit ille DONATVS cui hunc librum dicauerit *Lactantius*, patet ex relatione *Flauij Dextri* superiùs delibatâ. Quòd Annus passionis DONATI congruat ætati *Lactantij* dignoscitur ex verbis Ieronymi *de Scriptor. Eccles. cap.*80. vbi Aubert. Myræus *tom.*1. *Biblioth. fol.*25. vbi *Lactantium* primò sub *Diocletiano*, post sub *Constantino*, demum *Crispi Cæsaris* magistrum vixisse perhibetur, quod ex Onufrio *in Chron. Eccles. ad ann.*330. peruenit. Post quæ anno CCC. LXI. DONATVS *Iuliano Imperante* martyrio coronatus est. Ex hinc explodenda venit sententia *Galesinij*, qui nullo duce, martyrium ad tempora *VVandalicæ* persecutionis reiecit, & licèt *Victorem Vticensem* patronum aduocet, haud quaquam apud illum talis Martyris memoria est, vt notarunt *Binarius*, & *Charo*.

Quo tempore vixit Lactantius.

Error Galesinij.

CARTHAGO SPARTARIA. De ea plura diximus in aliquot locis superius relatis: hic tantum numismatis formam, quia raram, delineabimus. In eius altera parte militum capita lauro aut cupresso redimita, in altera lignorum strues ardentium cum Trophæis hinc inde militaribus, in hunc modum.



Si coniecturis est dandus locus, crederem fuisse hosce numos à *P. Scipione* cusos, eo tempore, quo apud *Carthaginem Spartariam* pro Patre, & Patruo apud *Hispaniam* occisis, iusta persoluit, de quo videndus T. Liu. *Histor. Roman. lib.*48. his verbis: *Scipio* Carthaginem *ad vota soluenda Dijs, munusque gladiatorium, quod mortis causâ, Patris, & Patrui parauerat, edendum redijt.* Quod ex ordine literarum elicitur, quia in primo vertice isthæc. PVB. ET GN. SC. quid sibi volunt nisi nomina Patris, & Patrui, & infra PVB. filij extruentis trophæum ipsorum, ad ordinem Militarem, vt indicant verba sequentis reuersûs TROPHAEVM MILITARE, eo quod à militibus erectum, & ab ipsis, non è conductitiis lanistis, & ex huiusce generis hominibus (vt prosequitur Liuius) qui venalem sanguinem habent, gladiatorium fuerit spectaculum executum; quod numus MILITARE vocitat TROPHÆVM. At quia hæc iuxta *Carthaginem Spartariam* effecta sunt, ideo in calce arulæ CART. SP. supponitur. De hocce Trophæo agit Plin. *lib.*3. *cap.*2. agens de flumine *Tader*, quod *Carthaginensem* agrum irrigare, & refugere *Scipionis* rogum asseruit. Vbi ROGVS SCIPIONIS situs est, quo *Pub. Scip.* Trophæum Patri erexit, & Patruo. Quæ omnia in Numismate dantur intelligi.

Numisma Pub. Scipionis.

P. Scipio iuxta Carthaginem Nouam, votum soluit Dijs: & quare?

Trophæa Militaria in funeribus quæ?

S. RODESINVS Episcopus.] Insignis est, & celeberrima huius Sanctissimi Viri, Illustrissimi Præsulis, & miraculosissimi Diui memoria, apud omnes Ecclesiasticos Scriptores, tàm Nostros, quàm exteros, qui eius sanctitudinem à primis F.

adolescentiæ primordiis sublimioribus extollunt elogiis. Martyrol. Benedict. *ab Hugon. Menard*, nuper editum, hoc: *In Hispania* S. RODESINDI, *Episcopi, sanctitate, & miraculorum gloriâ conspicui.* Philipp. Ferrar. *in catal. gener. SS. h.d. fol.* 94. breuiter sic: *Compostella in Gallacia* S. RODESINDI *Episcopi.* Eadem Martyrologia Hispanum *P. Higuera*, & Lusitanum *PP. Societ. Ies.* De eius canonizatione hæc Cardin. Cæs. Baron. *Annal. Eccles. tom.* 10. *Ann.* 977. *num.* 8. verba recensuit. *Hoc eodem anno, die*

Martyrologia.

Eius canonizatio à Baronio descripta.

Prima Martij, *ex hac vita migrauit in cœlum* S. RODESINDVS *Compostellanus Episcopus, cuius res præclarè gesta, ab* Ordonio *Scripta extant, ex quo* Ambrosius Morales *pleraque de ipso, sed summatim perstricta in Chronicis habet.* Relatus *est autem* inter Sanctos, *publicaque venerationi omnium Christianorum expositus, ab Apostolica Sedis Legato* Hyacintho *S. R. E. Cardinali, Anno Redemptoris* M. C. L V I. *sub Alexandro* P P. I I I. *qua cuncta factus ipse Pontifex, nominatúsque* Cœlestinus I I I. *confirmauit, atque ea qua ad solemniores ritus defuissent, expleuit.* Quæ omnia cùm affirmatiuè proferat *Eminentissimus Purpuratus*, non possum non mirari, vt quid, cognitâ Canonizationis veritate, Nostrum Sanctissimum Præsulem in Sanctorum albo non adiecerit, vt de aliis fecit, quorum nomina ex MSS. tantum eruta, absque alio causæ examine, nisi quod illic repererit, apponere curauerit? Fortè quia de eo certam nō habebat sanctitatis experientiam? miraculorum probationem? aut Canonizationis titulū? Absit. Ipse de sanctitudine demiratur; de miraculis profitetur; & de Canonizatione perhibet testimonium. Ergo sine legis ratione, aut sine rationis lege cum Nostro *Hispano* Præsule processit *Baronij* calamus, cùm tantum & illustrissimum Virum, tantis infulis condecoratum, tantis virtutibus conspicuum, & Sanctum inter Sanctos à Sede Apostolica canonicè proclamatum, aut reiecit, aut deuitauit. O humanæ iactantiæ conditio, quæ nec ipsis cœlitibus parcere nosti! nam quantum est in te, illos ab ista accidentali gloria spoliare desideras, & exequeris! Sed quidquid fuerit, nec RVDESINDI nostri Sanctitati detrahitur, nec ipsius cultus apud omnes in nihilo exauctoratur. Præter relatos (vt ad elogia reuertatur oratio) de eo Luitprand. *in Chron. num.* 331. vbi Ramires. & Tamay. qui

Baronij incuria in non restituendo Rodesindo in Tabulis sacris.

Chronographi.

plura *fol.* 228. Ioann. Vass. *in Chron. Ann.* 941. Ambros. Moral. *lib.* 16. *Hist. Hisp. c.* 36. P. Bernard. Brit. *Monarch. Lusit. lib.* 7. *cap.* 25. *&* 26. Gundisalu. Illesc. *Hist. Pont. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 15. P. Mariet. *Hist. SS. Hisp. lib.* 5. *cap.* 64. *fol.* 135. P. Anton. Yep. *in chron. Benedict. tom.* 5. *Ann.* 935. *cap.* 1. *fol.* 6. D. Maur. Castell. *Histor. Compostell lib.* 2. *cap.* 12. *fol.* 162. D. Roder. de Acun. *Hist. Portugal.* 1. *p. cap.* 13. *fol.* 140. & Hist. *Braccar.* 1. *p. cap.* 116. *fol.* 453. *&* 457. P. Anton. Vasconcell. *in Description. Portugall. fol.* 522. *n.* 8. P. Ludouic. ab Angel. *in Viridar. Portugall. cap.* 53. *fol.* 141. *cap* 54. *fol.* 144. *& cap.* 56. *fol.* 147. Licentiat. Molin. *in Descript. Gallec. stant.* 10. *fol.* 8. Andr. Scoth. *in Biblioth. Hisp. tom.* 1. *cap.* 5. *fol.* 122. Eduard. Non. *in Descript. Portugall. cap.* 55. Gasp. Stazo *in Antiq. Portugall. cap.* 4. Georg. Cardos. *in Offic. SS. Portugall. cap.* 14. & in *Hymn. ad sextam*, hoc carmine:

Et RODESINDVS *simul ipse Pastor*
Sanguine Lusus.

Breuiaria.

In Antiquis Breuiariis Ecclesiarum *Mindoniensis*, & *Compostellana* etiam olim officium peragebatur solemne IX. Lectionum, seu sex Capparum. Nunc hoc Exastichum ausculta.

Felix tergeminâ quondam RODESINDE *tyarâ,*
Te placido Lethe, te memor amne vocat.
Addit vt excutiens tantarum pondera rerum,
Pasceris inter oues, qui modò Pastor eras.
Ter Præsul, Ter magnus eras, Ter maximus Astra
Deposito triplici frontis honore, petis.

Acta sæpius à me petita, denegata à fratribus Cellæ-Nouanis.

Sanctissimi Viri Acta conscripsit *Ordonius* Cellæ-Nouæ alumnus, qui fere S. Abbati synchronos fuit, & adseruantur in illo famigerato Cœnobio, quorum copiam, licet à me diu expetitam, etiam interpositis aliquorum Procerum, Episco-

porum

porum, & quod in hoc potius est Reuerendissimi *P. F. Alphonsi de San-Vitores* sæpius S. Martini Madridensis cænobij Abbatis, Regijque Ecclesiastæ, de antiquitatum Benedictini Ordinis, & aliarum eruditione benemeriti, nunc *Vrcensis* Ecclesiæ, seu de *Almeria*, electi Episcopi, precibus, haudquam illas potis sum adsequi. Plura inter blattas, & tineas, in horum Patrum cœnobiis, antiqua monimenta conlatitant; sed proh dolor! potius pastum vermibus exhibere concupiunt, quam eruditis, illa, pro bono Ecclesiæ, Nationis, & Reipublicæ laborantibus, vt publicam videant lucem, & honoretur Deus in sanctis suis, fraternâ charitate contradere. Illorum partem ex peruetusto *Breuiario Compostellano* vitellinis exarato membranis, partem ex codice antiquo, patrio idiomate circumscriptam, extraxi, quam Latinam fecimus, & sub vno contextus inuolucro subiicimus.

ACTA S. RODESINDI EPISCOPI Dumiensis, & Iriensis, Cellæ-Nouæ Abbatis ex vetustissimo Breuiario Compostellano, & Codice Legendarij.

IGITVR *Beatus* RODESINDVS *Mindoniensis Ecclesiæ Episcopus, clarissimo Regum schemate, patre videlicet* Gutterio *Comite, matre verò* Ildaura *nomine extitit progenitus. Cuius pater in partibus Gallaciæ ac Portugallis prouinciæ, cum coniuge iam dicta, legitimam matrimonij contraxit copulam. Qui cum iustam vitam ducerent, & omnibus, quæ felicitatem affectare videntur, abundarent, filiorum, quos praeueniente mortis articulo hæredes relinquerent, solummodo priuabantur lætitia.* Gutterius *Regalibus siquidem ortus natalibus, pulchritudine corporis, & sanitate, quæ mortales prima putant, præditus, castissimo coniugis decore lætatus, hæreditatem tristabatur, quia conseruabat alienis hæredibus relinquendam. Idcirco peragrabat cum coniuge Monasteria, oblationes, & incensum non cessans ponere super Sanctorum Altaria, lachrymis rigando Ecclesiarum limina. Factum est autem, cùm supradictus comes* Gutterius *cum Rege* Ranemiro, *Ordonij Regis filio, apud* Colimbriam, *vt fertur, esset in expeditione; & coniux eius* Ildaura *remaneret apud* Salam, *nequaquam cessans à proposita opinione. Erat autem* Sala, *Villa*-Regia, *ab Ecclesia, quæ supra montem* Cordubam *in honore* S. Saluatoris *fuerat consecrata, distans fere per duo Milliaria. A Villa ad Ecclesiam per supercilium montis viam sibi præcepit parari, quatenus, & diuina officia celebrantibus valeret auscultare, & à Deo propositam petitionem impetrare. Nam cùm quotidie per præcipitium montis, quasi recto itinere ad Ecclesiam* S. Saluatoris *accederet, nullius iumenti subleuata seruitio, neque militum, vel dominarum comitata consortio, quousque* Ildaura *ab Angelo præmonita fuit, se concepturam filium, qui apud Deum magni futurus esset meriti, & apud homines præcipuo sanctitatu nomine. Quo Comitissa promissionis læta solamine, protinus* Gutterium *coniugem è* Colimbria, Salam, *vt diuinis frueretur fauoribus, reuocauit. Qui veniens, & auditis de ore coniugis castissima vaticinijs, quæ in* S. Saluatoris *euenerant Ecclesia, Deo gratias agentes, & eleemosynas pauperibus erogantes,* Ildaura RODESINDVM *concepit, & pridie solemnitatum SS. Martyrum* Facundi, *&* Primitiui *peperit puerum, diu desideratum, & in bonum* Hispaniæ *omen progenitum. Is enim dies semper illis sacer, & festiuus, quandiu vixere, fuit. Eo quoque conuocatis clericis, & totius regionis cognatis, puerum ob voti solutionem* Ildauræ, *ad Ecclesiam* S. Saluatoris *deferunt, & Deo præmissis cæremonijs oblatum, gratias Creatori submisère perspicuas, ob tanti beneficij cumulata subsidia. Sed quia in vanum procederet hoc actionis embolium, nisi gratijs accederent eleemosynæ; à parentibus tot fuere inter pauperes charitatis donaria distributa, tot serui vtriusque sexus libertates donata, quòd meritò ab omnibus, Sancti, iustis extollerentur acclamationibus*

Breu. Comp.

Origo & prosapia.

Parentes à Deo prolem efflagitant.

Angelus matri prolem promittit.

Vaticinium completur.

Offertur Deo in Ecclesia.

Praecedentibus eleemosynis.

Mater Eccleſiam S. Michaeli conſtruxit.

Genitores. Igitur quia & Angelo huius lætitiæ nuntio gloria in filij natiuitate accidentalis accreſceret, etiam Ildaura in honorem S. Michaëlis Archangeli Eccleſiam in Salenſi villula magnificam extruere deſtinauit.

Ex legendar.

Miraculum in die Baptiſmi.

Cum ergo hæc conceptio, & natiuitas Rodesindi in prodigium prorſus abiret, ſic etiam diſponente Numine, baptiſmi euentus eiuſdem fuit miraculo ſuccedente mirabilis; Nam cum ex parentum voto, Rodesindum, eo loco, vbi ab Angelo Comitiſſa tertior facta eſt, ſe concepturam, regenerationis lauacrum recipere decerneretur, & in Eccleſia S. Saluatoris fons non exiſteret baptiſmalis, illum è Salenſi Parochia in curru boum ſuperimpoſitum, per montis cacumen perducere ſunt aggreſſi, ſed rupto in medio cliuoſi itineris axe, penitus humanis viribus, vlterius aſportari labrum haud potuit ſacrum. Sed quod impoſſibile homini, facile Domino fuit, quia profundis Ildauræ lachrymis Numinis miſeratio emollita, Angelorum miniſterio, ad Eccleſiam S. Saluatoris fons eſt omnium ſtupore protractus.

Baptizatur.

Tunc ſanctiſſima Comitiſſa pia deſideria completa ſunt, & Rodesindus Chriſti ſigno munitus, qualis eſſet futurus, omnia hæc in accolarum cordium ſecreto recondita prædicebant.

Infantia indoles.

Nec fuit infantuli natiuitas ad ſegnitiem tot miraculis operata, ſed ad eximium ſanctitatis excurſum, quia Dominus, qui in illo tot præteritis ſeculis vigilauerat, ſic in eo tanta virtutum agmina compilauit, tot eum ſacris chariſmatibus imbuit, quòd de cætero admirabile apud præterita, & futura ſecula reputaretur exemplar. Infans adhuc omnia in pectoris operatione ſactura caneſcere percupiebat, ita vt nihil niſi grauitatis pondere perurgere, nihil niſi prudentiæ tegmine perficere viſus eſſet. Virtutum ſemitas inſequi in votis erat, ideóque quidquid ad illarum apicem conſequendum, viam adhuc puerulus dirigere, à maioribus peraudiebat, aut intuebatur, hoc in cordis recondebat armario, donec illud eueniente temporis opportunitate, ad alicuius rei imitationem extraheret, Nec parum Rodesindo profuit Ildauræ matris exemplum, quæ cùm inter virtutum ſui ſeculi pediſſequas, primum, & ſupremum gradum obtineret eximia, facile ab ea eleemoſynarum largitionem ad pauperes, orationum inſtantiam ad Deum, ieiuniorum perſeuerantiam, & alia exercitia communia adoleſcens ſerutator eſuxit.

Matris exempla complectitur.

Hinc ætate maturâ, ſic illa exercuit edoctus, vt inter cæteros, tanquam fax accenſa, conſocios, ſingulariter emineret. Et non in ſola operationum actiuitate, quæ vnica iuſtitia eſt in homine puri, bonitatis explebat apicem, quinimo ab omni malo diuertebat ſpiritum ex quò iniquorum contubernia deuitans, otioſorum commenta reſpuens, & maliguantium deliria calcans, omnia illa, quæ animi puritatem, cordis pulchritudinem, ſpiritus candorem coinquinant, prorſus ab eius conſpectibus amandabat.

Virginitati obſtantia reijcit.

Fuit igitur Rodesindus ingenio præclaro præditus, & viuaci, ideo ad literas aptus, ita vt mediocri cultura politus, breui ad omnia eruditionis acumina peruolaret. Cuius cùm parentes, qui in prouincia ex potentioribus erant, & de adoleſcentulo maiora, ob Angeli vaticinium conceperant, indolem literis aptam perſcrutarentur induſtrij, protinus accitis ad artium ſtudia liberalium Magiſtris, qui puerum omni doctrinæ apice, & eruditionis imbuerent, puerulum tradiderunt eiſdem. Horum enim magiſterio, breui temporis interuallo ſanctiſſimus adoleſcens in omnium ſcientiarum literaturâ, ſcholaſticus euaſit eximius, ita vt alios haud ambigeret edocere.

Magiſtris traditur erudiendus.

Huius equidem vitæ puritas, doctrinæ claritas, & actionum humilitas, ſic Gallæciæ, & Portugalliæ terminos occupauit, vt licet ad annorum tantum XVIII. metam pertingeret, Dumienſis Eccleſiæ, clero, & populo proclamante, & auctorante fuerit etiam Numinis monitu renuntiatus Antiſtes. Præcoci ſtupuit electione Rodesindus, qui dignitatis munera fugiens, & acerbum oneris penſum, ſuis humeris formidabile

Dumienſis Epiſcopus eligitur.

midabile pertimescens, oblatam sedem reijcere procurauit; sed assidua electorum instantia, continua doctiorum sententia, & prolixa suorum perseuerantia suffragantibus, tandem diuinæ dispositioni paruit inuitus. Hinc Dumiensis *Ecclesia, quæ tantum Virum sibi elegerat in Pastorem, latabunda cœpit Præsulis experiri virtutes, quarum demonstratione cognouit* RODESINDVM *vas à Deo electum, vt omnibus subueniret adfuisse. Nequaquam mores mutauit status; nam eadem quæ secularis exercuerat pietatis opera, continuauit Antistes, carnem mortificans, duros pœnitentiæ actus instituens, corpus ieiuniis, vigiliis, orationibus, Scripturæ sacræ lectione, & contemplationis actiuitate frangens. Nihil in eo antiquius, quàm de ouium sibi commissarum subuentione tractare, ideóque illis in necessitatibus aut animæ, aut corporis subsidio erat, virtutes vniuscuiusque laudabat, vitia increpabat, errantem super humeros adducebat, bonis blandus, malis seuerus, cultûs diuini zelator, Ecclesiarum extructor, pauperibus bursa, famelicis cibus, deuiantibus iter, ac demum naufragantibus portus extitit salutaris.* *Mora non mutauit status.*

CVM *ergo* RODESINDVS *per aliquot annos* Dumiensem *gubernasset Ecclesiam, à* Sanctio *Rege (expulso* Sisenando *huius nominis III.) ad* Iriensem *promotus, & inauguratus, illam quâ erat prudentiâ præditus, rexit, auctorauit, & ampliauit. Cuius etenim* Sanctius *Rex cum vita candorem, & in rebus agendis solertiam intueretur,* Gallæciæ, & Portugalliæ *temporale munimen commendauit eidem; de quorum onerum munere, sic victor, & gloriosus euasit, vt explosis* Normannorum *gentibus*, Compostellam *expilare conantibus, &* Sarracenorum *copiis* Gallæciam *inuadentibus, & Sacerdotis, & Ducis munia, tanquam ad vnumquodque natus, prudenti soliditate coniungeret, ita vt nec in Præsulatu deficeret vigilantia, nec in Ducatu caderet diligentia. Mortuo denique* Sanctio *Rege, eo tempore quo S. Episcopus* Iriensis *Ecclesia, & totius Prouinciæ moderaretur habenas, euenit, quòd* Sisenandus, *ansam libertatis arripiens, ruptis catenis, & ergastulo, quo detinebatur, confracto, multo milite comitatus, in D. N. Iesu Christi Natiuitatis diluculo,* Compostellam *ingressus,* RODESINDVMque *in claustro cum cæteris Canonicis dormientem aggressus, illum stricto gladio ferociter minitauit. Cui S. Antistes.* Tu qui mihi gladio mortifero Sisenande minaris, mortifero gladio violenter morieris. *Quo dicto modestâ compositione prosiliens,* Compostellam *deseruit, cuius vaticinium postmodum dicitur executum.* *Iriensis Ecclesiæ Administrator nominatur.* *Gallæciæ, & Portugalliæ Gubernator.* *A Sisenando Episcopo Iriensi eijcitur.*

EXTRVXERAT *olim* RODESINDVS *in loco qui* Villar *dicebatur, proprij patrimonij villula, Cœnobium, cui* Cella-Noua *vocabulum*, S. Saluatori *dicatum, in quo* B. Franquillam, *è S. Stephani Silensi extractum, Abbatis titulo decoratum apposuit. Nunc* Sisenandi *pessimum considerans facinus, à seculi vanitatibus alienatus, portum in Religionis tabula quærens, ad* Cellam-Nouam *deuenit, vbi induto S. P. Benedicti cucullo, sub Abbatis* Franquillæ *magisterio, monachus, qui Episcopus fuerat; subditus, qui Gubernator extiterat; & nouissimus, qui primas in Regali tulerat consessu, militauit. Nec* Franquillæ, *nec* RODESINDO *nouum hoc magisterij specimen, siue hoc submissionis conamen: nam ille sub sua Nouem Præsules in* Silensi *Cœnobio ferula correxit; & iste plurimos habuit, quos imitaretur Episcopos, qui dimissis ob vitâ religiosa fruitionem Pontificatuum infulis, sese edocendos in silentio monasticos, Abbatibus tradidêre.* *Construxit Cœnobium Cella-Nouanum.* *B. Franquillam posuit Abbatem.*

SIC *vitam in seculo construxerat* RODESINDVS, *vt ad supremum perfectionis contigisse specimen videretur; sed cellula secessus maiora summæ virtutis illum perdocuit schemata, quibus continuò illustratus, meruit à Domino assiduis reuelationibus honestari. Inter has celebris illa* Franquillæ *Abbatis noscitur executa; nam cùm quadam die ambo cælestium Dei operum magnitudinem collaudarent,* RODESINDVS *ex ore Abbatis columba ingressus, & regressus intuitus,* Franquillæ *quod viderat propalauit, &* *Eius reuelatio de morte Abbatis.*

demum, citò moriturum Abbatem adiecit, eiúſque animam, in columba ſpeciem, ad patria nidulum volaturam, ſpiritu diuino prædixit. Igitur vaticinio completo, & Franquilla *ad ſuperos euolato, inter monachos de dando illi ſucceſſore tractatur; ſed cùm* RODESINDI *conſpicerent vitæ conſtantiam, & virtutum opulentiam, quæ tanquam Saül altior erat vniuerſo populo ab humero ad ſurſum, ex templo illum in ſuum elegerunt Abbatem, qui licet munera, propter onera reſpuiſſet, tamen Deo gratus, & proximo potius quàm ſibi proficere meditatus eſt. Clauum etenim Cænobij* RODESINDVS *arripiens, & Abbatiatus onera ſuſtinens, vt Pater filios, ſic B.Vir monachos de non eſſe ad eſſe perfectionis perduxit; nam exemplis debiles, exhortationibus deuios, manſuetudine dubios, & virgis prauos dirigebat, & corrigebat, donec omnes humilitatis, concordiæ, ſanctitudinis, & perſeuerantiæ ſplendoribus conſpectauit alumnos.*

Abbas conſtituitur in Cænobio.

B. Senorinam viſitat.

HVIVS *igitur tempore Prælaturæ, cùm ad Cænobium Sanctimonialium* S.Ioannis, *quod* Venarium *dicitur, & in partibus* Portugalliæ *memoratur conſtructum, certo tempore perueniſſet, vt* Senorinam *celebrem ſanctitate Abbatiſſam viſitando conſuleret, & ab ea aliquid conſulendo ediſceret, euênit, quòd cùm ambo loquerentur ad inuicem de rebus ſpiritualibus, duo tectorum ſarcinatores in peſſimam partem Sanctorum traduxere loquelam, ſed vix temeritatis concepêre iudicium, vt mox, Dei permiſſione, à dæmonibus obſeſſi, è tecto in periſtilium cecidêre Cænobij, & miſerum in modum, flagitioſas animas euomuere. Hoc infortunij fatale diſpendium Moniales intra Monaſtery cancellos lachrymabiliter intuentes, ad S. Abbatis pedes prouolutæ, ab eo vitam hominum miſerabilium, aſſiduis precibus expetebant.* RODESINDVS *enim Sanctimonialium charitatiuam intuitus petitionem, & hominum miſertus eladis, corpora in Eccleſiam duci præcepit, vbi oratione ad Dominum porrectâ, & cadauerum oculis oleo ſancto delinitis, & ore; in Dei Patris, & Filij, & Spiritus ſancti nomine, & numine, mortuos ad vitam, omnium ſtupore, reduxit.*

Miraculum in eius præſentia.

HOC *miraculo de cæterò ſeculares in ſui reuerentiam, & venerationem attraxit; & vt ipſos proprij Cænobij fratres ad idem conſtringeret, euenit, quòd redeunte* RODESINDO *ex quadam Epiſcoporum Congregatione, Monachi Abbatis cognouêre receſſum, & ideo* Miſſam *conuentualem detinere, donec accederet, curiali honeſtate conſtituunt, vt illi Abbas ſanctiſſimus aſſiſteret vt Prælatus. Sed hoc per reuelationem agnoſcens Antiſtes, maximo dolore perculſus, cùm hæc Eccleſiaſtica munia, nequaquam ſint humanis reſpectibus alteranda, à Domino fratribus veniam expoſcebat: qui ne ad horam, Miſſa deficeret, conſuetam, Angelorum de cælo dimiſſe agmina, quæ ad vſque Cænobium, per totius itineris ſpatium,* Miſſam *ab* Introitu, *ad* Ite Miſſa eſt, *harmonicis, & ſuauibus edixere concentibus. Obſtupuerê Monachi qui Cælitum modulos auribus percepêre, in poſterum cognoſcentes, quanto Deus lætetur honore, cum Eccleſiaſtica præſcripto tempore peraguntur Officia.*

Diuina officia ſuo tempore peragenda.

Angeli Miſſam concinunt, quam humanis reſpectibus diſtulerant Monachi.

NEC *minus fuit mirabilis* Aragontæ *Reginæ Ordoni II. Regis vxoris de ſaluatione cognitio: nam cùm hæc religioſa fæmina, quæ* RODESINDI *noſcebatur amyta, in Sanctimonialium Cænobio permaneret recluſa, & aliquando, aut propter ſanctitudinis opinionem, aut ob communis ſanguinis vinculum, nepotis lætaretur alloquiis, euênit, vt dum infirmitatis, ex qua occubuit, pondere premeretur, nepotis efferretur ſtudio, vt in illa agonis hora, auxiliatorem haberet Abbatem. Hinc illum ad ſe protinus euocauit, qui vt caſus celeritas expoſcebat, relicto* Cellæ-Nouæ *Cænobio, per territorium, quod* Sande *vocabulum, iter aggreſſus, cùm nox quidem iam ad vmbilicum promediata percurreret, Angelorum cætus inter aeris accumbentis affectata ſilentia modulantium exaudiens, ſtetit; & ſupra humum reuerenter proſtratus, aliquantulum requieuit. Pòſt, inenarrabili lætitia perfuſus exurgens, comitibus, vt ad propria redirent imperauit enixè. Fratres nouitatis*

Aragonta Reginæ obitus præuiſus à S. Viro.

efficaciâ

efficacia commoti, ab illo causam reuersionis percunctantur praepostera. Quibus RODESINDVS: Iam sanctissima Regina, ob cuius votum iter peragere conabamur, in cœlesti patria, Angelorum agminibus stipata quiescit. *Quod obseruatum est, nam eadem illa hora,* Aragonta *diem feliciter clausit extremum.*

POST, *cum iam etiam* RODESINDO *mortis adueniret instantia, vt prudens Dei famulus, in hacce vita finali periodo, se ad itineris pracisi expeditionem accingens, continuis pœnitentia exercitijs, assiduis charitatis operibus, duplicatis mortificationum officijs, sarcinam peruigil agonista compleuit. Demùm febri correptus, accitis Cœnobij fratribus, imminentis mortis horam praeuius omnibus patefecit, quibus imposterum monastica regula complementa totis viribus commendauit, & de futuro Abbate deligendo pertractans, fratrum assensu* Mamilanum, *quem ab infantia instruxerat, protinus elegit Abbatem. Quo facto, testamenti seriem, ob bonum Cœnobij munimen prouidus ordinauit, quod in huiusmodi tenorem, dicitur condidisse:*

Instantis mortis sua pranotio.

Mamilanũ reliquit Abbatem.

SALVATORI hominum, ac Redemptori, cuius sanguine pretioso se mundus congaudet redemptus, quem omnigena rerum sibi suum collaudat, cum Patre, & Spiritu sancto, Dominum, in Trinitate auctorem, Redemptoremque vnum, qui cœlorum Regna sustentando præsides, qui terram, terrarum que patentia insensibilia, & videntia, atque viuentia præsidendo sustentas; qui cœlestia, & terrena ineffabili tuo nutu communicas, & coniungis; qui fabricam totam mundi, & maris, cœlique ante omnia secula seculorum, spiritualia, & temporalia inæstimabili tuo arbitrio contines, regísque. Cuius cruore se vniuersum genus humanum incomparabiliter purificatum tripudiat, & lætatur præsenti, & futuro in æuo. Qui cuncta quæ patent, & inuisibilia existunt, extra, intraque circumdando penetras, & penetrando circumdas, & sic omnia simul diuinitus possides, & viuificas; sanctaque & inæstimabilis Trinitas, quæ sine initio, & per nunquam secula finienda regnas vbique. Qui hominibus nunc, & in æuo gratiam dare promittis: qui superbis resistis, & humilium preces exaudis: qui humana plasmata singulos per dies, singulis momentis, & horis nasci ad lucem, & iterum reuerti ad cinerem mandas: qui hominum te deprecantium, vt pius pater, exaudibilem præstas auditum, & maiora quàm rogaris, fide, totoque animo petentibus mirificè mirabiliterque, & vt pius auditor, præstando concedis, & donas. Suscipe quæso humillimam precem tui licet indigni famuli RODESINDI, prolis *Guttierris*, & *Ildaura*; & da in corde meo vota quæ suscipias, da in ore verba quæ compleas, & in manibus meis opera, quæ complenda adprobes, atque operata iustifices: da iniquitatibus meis veniam, da sceleribus meis indulgentiam, & ea quæ animæ meæ sunt impedimenta, & iustissimis operibus contraria, præsenti in vita, proposita tua me fideliter gratuito animo, assiduoque congressu, fac sequi vestigia, itavt in præsenti seculo Euangelicam vocem non surdus auditor audiendo à me impleta; quæ dicit: *Date qua vestra sunt temporalia, & percipite, qua cœlestia sunt bona, nullatenusque finienda*; dare mihi libeat, ex his quæ mihi à te donata sunt, & mercari pro terrenis cœlestia, vt ea quæ tibi seruientibus, & iustè nomen tuum inuocantibus donare decerno, tanquam pio Redemptori Nostro, tibi ipsi Domino data, & litata sunt, præstator æquissimus, clemens collator gratiam præsta. Quam dationem, vel litationem pauidi, pauoreque perterriti minime niteremur offerre, nisi tuis piissime Pater, roboraremur per Vnigenitum tuum, seculi præsentis diuitibus clamantem, & loquentem: *Quandiu aliquid his minimis meis, vel mihi adharentibus donaueritis, illis prastando, mihi ministratis.* Etenim ambiguum nulli quidem est, sed cunctis manet notissimum, & creditum, Mo-

Testamentum S. RODESINDI.

Parentes.

Fundatio Monasterij. nasterium esse fundatum, sub nomine SS. Trinitatis constructum, in venerationem SS. Apostolorum, & S. Martini, vel plurimorum aliorum Martyrum ædificatum, atque *S. Saluatoris* ab euntibus, & redeuntibus nominatum, *Cella-Nouaque* vsu locutionis humanæ vocitatum. Ibidemque Domino, & Redemptori hominum, castè & piè, & religiosè coadunata extat Congregatio, siuè Monachorum cœtus degentium, & per antiquorum Patrum normam viuentium, Euangelicáque itinera gradientium, Deoque fideli deuotione militantium, & in Domino Deo æternam salutem ponentium. Denique Domine adeò eliuus, ac pusillus seruus tuus RODESINDVS Episcopus, vnà simul pariter cum genitrice mea *Ildaura* construximus locum supra taxatum, ædificauimus Ecclesiam in honore piissimo, ac tutissimo *S. Saluatoris*, & omnium Apostolorum, & Martyrum, idem, & cum *Archangelo Michaële* Summo Dei nuntio, & instruximus Cœnobij domum, in qua omnia intrinsecus, & extrinsecus necessaria adsunt ad normam regularem apta, & composita, plantatio vinearum, & omnigena nemorum, arborum, consitorum: ad opus Sanctuarij cruces, cappæ, calices, & coronæ, candelabra argentea, & ænea, lucernæ, thuribula, & inferturia ex auro, argento, & omni lapide pretioso ornata; & vela templi, & altarium, indumenta Sacerdotum, & Leuitarum, cum balteis, & honorariis, auro texta, byssináque purpurâ, & linea: in admonitione conuersorum signa, & campanæ, exaratio librorum, in horis diurnis, & nocturnis, & expositio de Orthodoxis patribus, ad iuuentæ memoriam. Ad ministerium refectionis mensæ, mandibula, aquamanilia, & fascitergia, disci, & paropsides, phialæ, & inferturiæ argento sculptæ, & auro pellucidæ, lectisternia, ex omni polimito confecta. Iumenta quoque, & armenta, pecora, & altilia apum, cum gregibus suillorum, & victum, & tegumentum ad abundantiam. Hoc omne gestum, paratumque est totum per manus famuli Dei, Patris mei *Frauquillani* Abbatis. Post, per annorum spatia, Monasticam normam adeptus, & actualem vitam cum plurimis seruorum Christi pari glutino ascitus, præuidens dies vitæ meæ quotidie expleri, roburque corporis marcescere, & incertum extremum diem imminere, cœpi intra arcana cordis mei reminiscere, in quibus, ab ineunte ætate versaui, & magis vnde opprimi, quàm vnde leuari inuenio, & factus sum mihimetipsi grauis, & dum inter tot, tantosque fluctus, stupefactus elanguerem, stantibus cunctis fratribus, qui aderant cœperunt cum fletibus vnanimiter dicere: ***Domine Pater prauide, & considera, de tantorum agminibus, quos adquisisti, nutristi, & erudisti, cui nos derelinquere debeas, aut quem patrem, vel tutorem eidem Ecclesiæ restituas. Scis enim Domine, quia semper per spacia annorum, mutantur omnia rerum acta.*** His verbis, & fletibus commotus, & Euangelicâ eruditione instructus, necnon & Canonum decretis compulsus, hac eorum fletibus voce respondi: ***Confidite ô filioli, & domini, & spem vestram in Domino ponite, quia non vos relinquam orphanos. In primis commendo vos Creatori meo, Domino Iesu Christo, cui vos adquisiui, & in cuius amorem hunc locum construxi; & Regi, qui in vrbe Legionensi vnctus fuerit, ad seruandum, & tuendum, potius quam ad imperandum. Instituo etiam vobis patrem hunc, filiumque meum spiritualem***, Mamilanum, ***Abbatem, & post ipsum, qui vicem Christi agere videretur, sapientiâ eruditus, vita probatus, & omni collatione praelectus.*** Multi quoque Magnorum, & alij Pontifices Magni, qui tunc nobis cum aderant videntes hæc, & audientes optimè, & satis digne elegisse dixerunt; & cum eis pari consilio, ex legali præcepto, vt facerem de ipso loco testamenti apographum, sicuti Deo iuuante concessum est mihi, licentiam adimplere proposui. Ideoque seruus Redemptoris mei audiens vocem præcepti Euangelici tonantem,

Nomen Cœnobij.

Inferturia.

Fascitergia.

Paropsides.

Armenta.

Fratrum oratio.

S. Viri commendationes.

tem, & dicentem *Omnis qui honorificauerit me coram hominibus, honorificabo & ego eum coram Patre meo; & quicumque reliquerit omnia huius mundi propter me, & propter Euangelium, centuplum accipiet, & insuper vitam æternam possidebit.* Et in iudicio nobis dicturus est: *Quandiu fecistis fratribus meis, mihi fecistis.* Hæc audiens, & adimplere cupiens præcepta Domini mei, offero, dono, atque concedo vobis dominis, & fratribus meis in Christo, & tibi Patri spirituali *Mamilano* Abbati locum supra taxatum, cum omnibus villulis, & vicis suis, & omne quantum ibidem est concessum, tàm de fratribus nostris, quàm de successione parentum meorum, vel ex munificentia Regis, vel & quantum adhuc ganatum, & concessum, integrum, & interminatum illud habeant, & possideant serui Christi, qui mundum cum operibus suis reliquerint, & Crucem Christi humiliter in corde gestauerint, & sub regulari iugo colla subdiderint, de quibus Dominus dicit: *Beati pauperes spiritu:* & de quibus Paulus Apostolus dicit: *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes in Christo.* Neminem quidem quàm vos, ibidem alium donatarium, vel hæredem instituo, nec consanguineis, propinquis, vel extraneis aliquid relinquo. Hoc dico vobis, quòd quicunque inter vos, maior voluerit fieri, sit omnium seruus. Obsecro, & ore oro Domine tuæ pietatis clementiam, & Sanctorum suffragia, vt huius deuotionis meæ actum, sancto conspectu tuo facias gloriosum, & in loco superius taxato maneat stabilitum. Rogo iterum Domine, & te Creatorem vniuersitatis efflagito, vt si quis fuerit temerarius, tàm Regia potestate munitus, quàm populorum vniuersitate vallatus, siue propinquus, siue extraneus, vel quisquis infaustus, & ardore cupiditatis accensus, qui exurgere quiuerit, ad conuellendum, & de hoc testamento, quod Deo, & seruis eius concessum est, aliquid extorquere, vel infringere tentauerit, quisquis ille fuerit, in præsenti à Christo Domino, validâ, & terribili damnetur vltione, & vermium scatebrâ carnalium corrosus existat. Exutus tunica corporis, anima illius cum teterrimo vlulatu extorta, pœnam damnationis præsentiat; & insuper damna feculari patriæ multatus voce eidem Ecclesiæ quantum abstrahere conatus fuerit, in triplum, & pòst parti Regis, duo talenta auri absoluat; & hæc scriptura cunctis diebus robur firmitatis obtineat. Facta huius series testamenti, sub die, & tempore X V I. Kal. Februar. Era post Millena Decima V. sub diuina prouidentia. Ego RODESINDVS Episcopus, hoc testamentum à me factum, & post nomen Saluatoris mei, & eius cultorum, vltrò firmaui.

Abbati & fratribus suis Canobium eiusque iura relinquit.

Increpationes apponi solita.

Data Testamenti.

QVIBVS *Testamenti clausulis absolutis, à die* X V I I. Ianuarij *ad vsque* Kalendas Martij, *in cilicio, & cinere volutatus, & cælestium visitationum multiplici assiduitate consotus, febrium correptionem sustinuit, donec humiliter sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis purâ deuotione petitis, & acceptis, puram animam Domino tradidit iudicandam,* Kal. Martij, *Era* M.XV. *Anno Christi* D C C C C. L X X V I I. *Regnante in Legione Ranemiro Rege. Vix* RODESINDI *spiritum Angelicis stipatum choris Dominus in cælos adsportare constituit, cùm adhuc in hoc seculo sua vestigia saluationis, & gloriæ, aliis suis famulis demonstrare disposuit; nam eadem ipsa hora, qua è corpore sanctissima Præsulis anima exiuit, in Cænobio* S. Ioannis Venerienſi, *audita sunt Cælitum voces dicentium,* Te Deum laudamus, *quibus* B. Senorina *cognouit extatica, Beatissimum Abbatem è corporis ergastulo solutum, ad æternam repromissionem, instantibus virtutum meritis, properasse, prout & aliis Monialibus patefecit, quæ obseruato horæ tempore,* S. *Viri, & mortem, & gloriam, iusta animaduersione, nouêre.*

Moritur.

Eius gloria in extasi visa à S. Senorina.

MAMILANVS *igitur Abbas, & omnium fratrum cætus, cognitâ S. Præsulis dormitione, lachrymarum imbre perfusi, & tanti Præsulis absentia,* &

Sepultura donatur.

& defectione commoti, vel ad necessaria sepulchri munia spiritum erigebant; ast necessitatis pondere excitati, ad obsequias S. Antistitis peragendas acciti, pium funeris officium, prout defuncti Patris qualitas exposcebat, absolnere destinarunt. Hinc Sarcophagum in Oratorio primò S. Petro, *pòst* S. Ioanni *dicato, nutu Numinis erexere, quo beatum* Rodesindi *corpus conditum, per serè C C. Annorum excursum, miraculoram assiduitate illustratum, & plebium decoratum visitatione conlatuit, donec* Hispanias *collustrante* Hyacintho, S. R. E. *Cardinale, tanquam Sedis Apostolicæ Legato, qui S. Præsulis deuotione commotus, eius virtutum copiâ, & mirabilium multitudine suffragantibus, in aliud Oratorium, iuxta claustri situm, honorifico transtulit apparatu.*

Hyacinthus S. R. E. Cardinalis eius pignora eleuat.

Miracula.

S. Viri *intercessione quamplurima Deus est operatus miracula, quorum seriem perstringere, prolixum: nam codex integer in Cænobio illustrium operum asseruatur. Aliqua referemus, & nonnulla in Bulla Canonizationis inclusa patescent, quæ ad S. Abbatis pietatem sufficiunt regulariter instruendam, Quidam Procer, cuius nomen* Ferrandus Roderici, *qui aliqua Cænobij patrimonia, & possessiones violenter extraxerat, ad ipsum Monasterium multo milite expilandum accessit, & postquam omnia diripuisset pretiosa, confractis vinariæ cellæ liminibus, ad Cænobij lares, causa frigoris extirpandi, ignis ministerio secessit. Interim Monachi ad S. Episcopi sepulchrum vnanimes proноluti, eorum defensionem validis singultibus, & clamoribus, ab eius pietate constagitant. Tunc Procerem malignus arripuit spiritus, & eum in focum coniecit, sed à militibus extractum, & hominis furorem obsessi commilitones horribiliter intuentes, illum licet renuentem, ad thecam S. Præsulis perterriti perduxere; offerentes sese omnia erepta protinus restituturos Cænobio, si incolumen procerem, à dæmonis vexatione conspiciant. Diabolicum annuit promissioni conamen, & accepto per Abbatem de militibus restitutionis homagio, extemplò minister ille tartareus, Procerem absque offensione dimisit, qui restitutis omnibus Monasterio, cum socijs contritus repedauit ad propria.*

Procerem corrigit ob furta iniurium Cænobij.

Abbatem intrusum punit ob irreuerentiam factam in Cænobio.

Hvic *serè simile fuit alterius* Petri Gundisalui *Abbatis intrusi supplicium: Nam cùm* Geloÿra *Ferdinandi filia, & Aldephonsi Regum germana* Pelagium *Cænobij beatissimum Abbatem, continuis offensionibus exturbaret, donec illum è Monasterio deijceret, ita vt in eius locum* Petrum Gundisalui *à Religione profugum, & hominem iniquum apponeret; euênit quòd iste Cænobij Monachos ita vexaret, quòd è Monasterij claustro priuatos proiecerit, in quorum cellis* Geloyræ, *eiúsque vtriusque sexus familia hospitium interritus commodaret. Quod fratres non sine dolore videntes, ad sepulchrum S. Præsulis cucurrêre deuoti, & flexis genibus exorantes, vindictam irreuerentiæ in domo Dei factæ, summissâ cordis miseratione petebant: & vnus ex illis ætate grandæuus, & canitie venerandus, ter sarcophagum baculo percutiens, in omnium nomine, validum, & præsens præstolabatur auxilium. Vix senex orationi finem imposuit, cùm* Petrus *Abbas intrusus, qui eo die sæcularibus commercijs inuolutus, & prandijs opiparis recreatus, lecti requiem satigatus acceperat, crepuit medius, tanto æris resonantis strepitu, & angulorum Cænobij stridentium sidore, quòd* Geloyra, *cognitâ miserabilis intrusi pænâ, cum familia, claustra protinus festina desereret, & proprijs gressibus* Pelagium *quæritans, inuentum proprio Monasterio donarijs restituit pluribus cumulatum.*

Homo in carcere detentus liberatur.

In *Territorio cui* Deza *vocabulum, quidam homo diues, & potens alium homunculum sub carceris custodia detinebat, quem se se pecunijs redimeret, seruorum ministerio, sic cruciatibus fatigabat, quòd miser à Sancto* Rodesindo *summis precibus auxilium exposceret, eo quòd tanta pecuniæ pondera non haberet. Tunc illi apparuit S. Antistes, & vt à vinculis*

recederet

recederet imperauit, & illum è manu trahens, inter medios ergastuli custodes extraxit, & liberum dimisit.

Alius visu, auditu, & tactu priuatus sanatur.

IVXTA *cœnobij mœnia fuit quidam puerulus* Ioannes *nomine, qui tantâ ægritudinis epidemiâ laborabat, vt omnes membrorum actiones penitus perdidisset, ita quòd visûs, auditûs, & tactûs operatione remaneret contractus: at cùm illum ante Sepulchrum S. Antistitis comportarent, protinus liber, & illæsus euasit.*

Duo cæci visum recipiunt.

INFANS *quidam infirmitatis pondere oppressus, oculorum lucem amisit, quem post varia medicationum embolia, S. Præsuli obtulêre parentes, qui cùm coram sarcophago poneretur, extemplò visum recipit.* ALTERI *à natiuitate oculis orbato, eadem euenisse refertur, nam cognitis* S. RODESINDI *per parentes miraculis, puerum ad eius thecam retulere fideles, & illum iuxta Altare ponentes, itidem visum impollutum accepit.*

Sacerdos manum recipit.

IN *Regione, quam* Limiam *vocant, erat* Sacerdos, *qui manum sic truncam habebat, vt illa prorsus vti, quia digiti palmæ adhærebant immobiles, nullam ad operationem valeret. Sed cùm S. Præsulis mirabilium fama ad suos perueniret auditus,* Cellam-Nouam *adiuit, vbi à fratribus benignè acceptus, appositis in digito Sacerdotis, annulo S. Abbatis, & alijs sacris eius pignoribus, continuò manus sanitatem agnouit.*

Paralytico gressus restituitur.

HOMO *quidam nomine* Michaël, *ita crura incuruata, ab infantia, habebat, quòd pedes iuxta tibias hærerent, sed ad sepulchrum* S. RODESINDI *protractus, & iuxta sarcophagi aram supinus existens, sic dolorum pondere premebatur, vt clangoribus Ecclesiæ angulum validis, vlceratus oppleret: sed post multi sanguinis effusionem per articulos pedum quietus remanens, demùm sanitate recepta, coram fratribus, & omni populo tripudians, alacer repedauit ad propria, præstante D. N. Iesu-Christo, qui cum Patre, & Spiritu-sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.*

Parentum Regalis prosapia probatur.

Hæc sunt ACTA quæ potuimus meliori methodo compilare; nam, vt diximus antiqua ab *Ordonio* Monacho conscripta, nequaquam Monachi Cellanouenses copiam nobis suppeditare voluerunt. In illis aliqua veniunt notanda, quæ aliquando Scriptores Nostros extorsere, quorum ecphrasim per ordinem referentes, quid tenendum, quid verò respuendum, veritatis bolide subiiciemus. I. ergo quod sese offert exquirendum, in Parentum ingenuitate versatur, quam D. Maur. Castell. *Histor. Compostell. d. lib. 1. cap. 11.* fatetur, à Regum Ouetensium progenie dimanatam, & à Regalibus stirpibus productam affirmat. Hinc in Breuiariorum Lectionibus sæpe repetitur: *Nam cùm parentes eius* Gutterius *Hispaniarum Regi coniunctissimus, &* Ildaura *illustri & ipsa genere nata:* & in Regum priuilegiis Catholicorum sæpe sæpius huius cognationis propinquitatem intuimur. Rex D. Aldephonsus V. in quodam concesso Kalend. Februarij, Anno Domini M. XV. agens de Comite Hermenegildo, asserit Alphonsi Magni Regis Catholici è propinquioribus fuisse, his verbis: Hermenegildus Gutierrez, *qui & ipse Comes Regio generi de propinquis erat.* De horum Regali prosapia multa apud Scriptores Nostros circumferuntur; illud à Nobis nec tacendum erit, quo S. RODESINDI genus euidentiùs agnoscitur. Nam cùm nihil antiquius, apud Genealogicos, quàm quòd Reges primi Ouetenses in parmis Crucem perferrent, interpositis A. & Ω. litteris Græcis, vt videret licet in scutis à *Froyla* 1. excusis in *Cœnobio Samonensi*, ab *Alphonso* cognomento *Casto*, in Ecclesia *Ouetensi*, & à *Ranemiro* 1. in Basilica *Narancenti*; & hanc ipsam parmam progenitores S. RODESINDI deferrent, ergo signum est, hos ab illorum progenie processisse. Quod patet, nam idem S. Episcopus eandem ipsam parmam aduexit, hoc discrimine, quòd loco literarum Græcarum, in brachiis Crucis, hinc pendentem Circinum, illinc Speculum delineauit ad hunc modum.

Regum Ouetensium parma.

Ænigmatis

Parma S. Rodesindi.



Ænigmatis solutio est, quod in Circino compositionem vitæ, & mensuram actionum; in Speculo morum dispositio, & rerum gestarum exempla præ se ferret.

Quo pacto Episcopus Anno ætatis XVIII.

Duo circa Episcopatus primi apicem à nobis exquirenda sunt. I. *An in Anno ætatis duodevigesimo valuit contra Canones infulas induere?* II. *An* Dumiensem *sedem antiquam iuxta* Braccaram, *à B. Martino erectam; an* Dumiensem *aliam postmodum extructam iuxta* Mindonium, *quæ &* Britonica *dicta fuit, Præsul* RODESINDVS *arripuit?* In quorum disputationis examine, varia apud Nostros scrutantur schemata. Nulli dubium, circa PRIMVM quæsitum, *Ordonium* in duodeuigesimo anno Episcopum factum RODESINDVM, literis exarasse, cuius sententiam mutuantes Scriptores Monastici, illam sunt totis viribus defensati, vt videsis apud Anton. Yep. *d. tom. 5. chron. Ann. 935. cap. 1. fol.* 8. qui exempla nonnulla colligit, vt probet hanc electionem præposteram, sedis, vt creditur, Apostolicæ auctoritate firmatam, valuisse. *Ambrosius Moralius*, Ordonij Monachi ecphrasim in hac parte corruptam cogitans, ad hanc sedem S. Virum, annorum XXVIII. deuenisse contendit. Sed cùm antiquitati, dum aliæ non suppetunt rationes, deferendum est, & Nos *Ordonio* Monacho deferre compellimur. Maximè stante S. Viri virtutum indole, & illustrium parentum Regia prosapia, quæ, vt videmus passim, solet Pontificum animos ad hæc dispensanda mouere.

Opinio I quod fuerit Episcopus iuxta Braccaram.

Circa SECVNDVM maior difficultas inest. Ambros. Moral. *d. lib. 16. cap. 36.* infulam *Dumiensis* Sedis iuxta *Braccaram* induisse fatetur, cuius opinionem sequuntur *Anton. Yep. Bernard. Brit.* & cæteri Portugallensium rerum Scriptores. Sed saluâ eorum pace, nequaquam Sedis *Dumiensis* iuxta *Braccaram* Antistitem egisse RODESINDVM sequentia fundamenta suadent.

Refellitur, & probatur contraria opinio.

I. quia hæc Sedes fundata dignoscitur tempore B. Martini Suæuorum Apostoli *ad Ann.* 567. vel circiter, & tantum *ad Annum* 688. perseuerauit, quia in XV. Toletano Concilio *Vincentius* eius sedis Episcopus subscripsit, & in cæteris conciliis *Braccarenses* Episcopi, vt *Dumienses* acta synodica confirmabant, idcirco Vasseus dixit, sedem *Dumiensem* extinctam post mortem *Vincenty*, & *Braccarensibus* Antistitibus restitutam. Audi Vasseum: *Hoc Monasterium* (Dumiense) *adhuc tempore Gothorum, vnitum fuit Braccarensi Ecclesiæ.* Quod & probat ex *libro Canonum MS. Roderici* Archiepiscopi Toletani, quem ab *Enrrico* Portugalliæ Rege accepisse fatetur, subscribunt P. Ioann. Marian. *Hist. Hisp. lib. 5. cap. 9.* & Dom. Garf. Loaysa *in Not. ad Concil. Lucens. fol.* 85. Aubert. Miræus *in Not. Episcop. lib. 5 verb.* Dumium, *fol.* 315. vbi hæc verba: DVMIVM, *propè* Braccaram *in* Lusitania, *illustre Monasterium à* S. Martino Dumiensi *Abbate constructum, quod in Episcopatum postea translatum est, ac demum cum* Braccarensi *Ecclesia copulatum.* Si hæc ita; quo pacto RODESINDVS postquam per CCXLVII. annos, *Dumiensis* iuxta *Braccaram* Episcopatus desiit, illius infulas potuit induere?

II. Fundam.

II. Quia vt ipsi fatentur *Portugallenses* Historici, in vniuersali Hispaniæ excidio Monachi *Dumienses* iuxta *Braccaram*: post absconditum S. Martini fundatoris corpus, ne in Saracenorum manus deueniret, collectis aliquibus pignoribus, sacrisque vasis & aliis ad diuinum cultum pertinentibus, *Dumiense* deseruere cœnobium, & ad *Astures* properantes, iuxta *Mindonium* peruenientes, aliud cœnobium, quod & dixere *Dumiense*, condiderunt. Audi Roder. de Acuña *Hist. Braccar. 1. p. cap. 75. num. 5.*

num.5.fol.516. hæc ad literam dicentem: *Ex omnibus corporis ossibus* (S. Martini) *tantùm vnus radius desiderabatur, quem secum Religiosi detulere, cùm Sarracenorum crudelitatem intuentes, corpus condiderunt, & in* Asturicos *montes fugientes, non longè à* Mindoniensi *vrbe, aliud extruxerunt cœnobium, quod etiam* Dumiense *vocitarunt.* Hanc etiam opinionem secuti fuimus supr. *tom.1. die V. Februar. fol.50.* Si ergo hæc Sedes ante tempora Sarracenorum periuit, & tempore ruinæ Hispanicæ desertum à Monachis cœnobium cognoscimus, absque vlla per hæc tempora RODESINDI restitutionis memoria, nec postmodùm; quo pacto valuit Noster Abbas sanctissimus, *Dumiensis* iuxta *Braccaram* Sedis Episcopus renunciari? III. Nam si *Dumiensium* iuxta *Braccaram* catalogos Præsulum perscrutemur, haud quaquam illos à XV. Concilio Toletano excessisse probabitur, vt notarunt Padilla *in Chronograph. Episcop. Hispan. tom.2. fol.53.* & Nos infra hoc Tom.2. die XX. huius Mensis fol.. Ergo perperam inter hosce *Dumienses* Præsules suprascripti Historiographi RODESINDUM adnumerant. Quibus fundamentis allectus, proculdubio fateri compellor, sanctum hunc Virum minime *Dumiensem* Episcopum iuxta *Braccaram*, sed *Dumiensem* Præsulem iuxta *Mindonium* in *Asturicis* extitisse, quod luce veritatis innixi facili negotio probabimus, si *Mindoniensis* Sedis excursus, mutationes, & nominum varietates, antiquitatis comprehensione pensamus. *III. Fundam.*

HÆC igitur antiquissima Sedes, in nascentis Hispanicæ Ecclesiæ exordio apud *Britoniam* vetustissimam citerioris Hispaniæ vrbem, non procul à *Mindonio*, quæ adhuc extat, & *Bretoña* dicitur, fundata dignoscitur, à B. IACOBO Apostolo Nostratium vnico Tutelari, in qua Patrem *Zebedæum Aristobulum*, Primum reliquit Antistitem, vt Deo duce infrà probabimus, *hoc Tom. die XV. huius Mensis lit. K.* Cui successit *Lucius*, seu *Lucas*, de quo dicemus infra hoc *Tom.2. die II huius Mensis lit. A.* & in ea *Gorgonius, Firmus, Antonius*, & *Agapis* Virgo agonem compleuêre, vt scripsimus infra hoc eodem *Tom.2. die X. huius Mensis lit. A.* & ideo quotquot Episcopi titulo *Britoniensium* in Hispanicis subscripsère Conciliis, huius Ecclesiæ Præsules fuisse credendum est, nam quod diximus de *Viana* supra *Tom.1. die VI. Februar. fol.55.* ex authoritate *Vassæi*, penitus corruit, quia pòst, melioribus exemplaribus vsi, ab illa opinione recedere compellimur, prout recedimus. *Britoniensis Sedis antiquitas.*

POST Hispaniæ excidium, quo *Braccaro-Dumienses* ad *Astures* perrexerunt, ibidémque iuxta *Ripam Ei*, quæ hodie *Riua de Eo* dicitur, secundum *Dumiense* construxisse cœnobium, ex eo quod *Britonia* Sarracenorum experiretur insaniam, donec ciuibus spoliata, tantùm nominis seruauit titulum: hæc nobilis Episcoporum Sedes, Pastore, & grege orbata, *Ouetensi* Præsuli nuper auctorato Regis *Alphonsi* cognomento *Casti* beneficio, cohæsit, ea conditione, quod Catholicorum Regum restituta dominio, antiquam sedem reciperet. Sic intelligenda sunt verba Priuilegij eiusdem Regis, expediti *die V Id. Martij, Era 868.* quos refert D. Prudent. de Sandoual. *in Hist. Reg. Alphons. Cast fol.174.* hac serie conscripta: *Et ipsam Ouetensem Ecclesiam facimus, & confirmamus pro Sede* Britoniense, *quæ ab Ismaëlitis est destructa, & inhabitabilis facta.* Non quia Sedes *Britoniensis* trãsferretur *Ouetum*, nec *Oueti* sedes instauraretur in locum *Britoniensis* diœcesis, sed quia ius Episcopale, *Ouetensis* conseruaret Antistes, donec à fidelibus depopulata *Britonia* suam recuperaret diœcesim. Hinc lucem accipiet distributio Episcopatuum, quam refert D. Garsf. de Loaysf. *vbi supra*, qui credidit *Ouetum* fuisse *Britoniam*: quem sequitur *D. Roder. de Acunha*; ex eo moti, quia in illa Episcopatuum ab VVambane facta diuisione, in *Codice Ouetensi MS.* legitur: *Ouetum, vel* Britonia, *exempta à Gallacia Braccara.* Vbi esto quod hæc scriptura vera sit, cùm tempore VVambanis, nec *Ouetum* erat Sedes Episcopalis, nec in rerum natura, quia post Hispaniæ ruinam cognoscatur exstructa; sensus erit, vt amanuensi imperito respondeamus, OVETUM *siue* BRITONIA, hoc est, *quod Regis priuilegio* Ouetensis *Præsul iura* Britoniensis *Ecclesiæ, donec illa restauraretur, in commendam teneret.* Hoc etiam commendationis, siue depositi iure, fuit idem Rex Alphonsus Castus vsus in eodem diplomate cum Ecclesiis *Braccarensi*, & *Auriensi*, quas *Lucensi* Episcopo commendauit, ea conditione vt *pace Christianis reddita* (verba sunt Priuilegij) *præcepimus, vt vnaquæque Ecclesia suam recipiat veritatem*, id est, *suum ius ad diœcesim* Non est audiendus *Tempore Sarracenorum corruit.* *Eius administratio donec resurgeret cõmissa Ouetensi Præsuli.* *Error Loaysæ propalatur.*

Anton. Yepes opinio duplici laborat errore.

diendus P.F. Anton. Yep. *in chron. Bened. tom. 1. Ann. 565. fol. 242.* qui licet veritatis viam inuenit, ab ea deuians in præcipitium corruit allucinatus. Inquit enim, sedem *Britoniensem* antiquam in *Asturys* euanuisse, cuius partem *Ouetensi*, & partem *Mindoniensi* Sedibus attributam, hincque vnaquæuis *Britoniensis* noscitur appellata. In his verbis duos contraxit errores. I. quia *Ouetensis* Sedes non accepit aliquam partem ex *Britoniensi*, cùm totam diœcesim conflatam ex *Lucensi* sede conuincat series donationis *Alphonsi Casti*, quam refert Sandoual. *in Histor. Sylonis Regis fol.* 115. II. Error quia nullibi inueniri potest authoritas Scriptoris, ex qua probetur *Ouetum* nuncupari *Britoniam*, quia quod ex *Codice Ouetensi* diximus ex *Loaysa*, & *Acuña*, ibidem verum consignauimus sensum.

Britoniensis Ecclesia adhuc permanet.

Hinc elicies, quod Sedes *Britoniensis* ob Sarracenorum depopulationem, Pastoris solatio destituta, diu periacuit, donec in posterum restituta, ob *Britoniensis* Ecclesiæ, quæ licet ampla, & tribus fornicibus, vel nauibus, vt dicunt, cum claustris, adhuc inspectetur, incommoda, ad *Dumiense* cœnobium translata est, ideoque illam *Dumiensem* propter cœnobium, *Ribadeènsem*, ob loci contiguitatem, & affinitatem agnoscimus,

Translata ad Dumiense Cœnobium iuxta Mindonium.

vt videre est apud Yepes *vbi supr. d fol.* 241. Garibay in *Comp. Hist. lib. 9. cap. 25.* P. Marian. *Hist. Hisp. lib. 7. cap. 20.* Huius *Britoni-Dumiensis* Sedis meminit Luitprand. *num. 79. in Aduers.* his verbis: *Duplex Sedes* Dumiensis, *altera in* Asturiis, *quæ Britoniensis.* Etiam probatur ex subscriptione *Soary* in Concilio *Compostellano*, quod infra *die X. huius Mensis* ex MS. Codice recensuimus. Hanc translationem è *Dumio* ad Cœnobium S. Martini Mindoniense perfecit *S. Gonsaluus* illius Sedis Episcopus, *Anno Dom. DCCC. LXXXVIII.* vt refert Sandoual. *in Vit. Alphonsi III. fol.* 247.

Iterum ex Dumio ad Mindonium.

DEMVM ad *Mindoniensem* vrbem *Britonica-Dumiensis* Sedes translata fuit, & vt asserit *D. D. Antonius Calderon*, cuius incomparabiles virtutes, & ingenij dotes, vt perpetuo passim cultu demiror, ita hic, & vbique digno præconio commendatas volo, à quo multa ex his didici, *in Tom. 1. de S. Iacob. cap. 4 num. 42.* à B. Gundisaluo hanc translationem executam, & Sandoualium authorem refert, quod & firmauit M. Ægid. Gonzal. Dauil. *tom. 3. Theatri Eccles. fol.* 417. Sic hæc ita, promiscue Antistites huius Sedis per aliquot secula *Britonienses*, *Dumienses*,

Quare dicta Vallibriensis?

& *Mindonienses* vocati sunt, vt ex antiquis auctographis liquet; imo quod & plus est, etiam *Vallibrienses*, seu *Vallibrigenses* (vt notat Luitpr. *Aduers. 77.*) dicti fuere ob situm, quo *Mindonium* exstructum est, quod *Vallis Briensis* vocitatur, vt ex Scriptura Reginæ Vrracæ à Sandoual. *in Vit. Veremundi fol.* 162. scripta patescit.

S. Vir Episcopus Dumiensis siue Mindoniensis.

QVIBVS animaduersionibus in vnum collectis, agnosces, falsò asseruisse dicentes, S. RODESINDVM, duplici mitra fuisse redimitum, *Dumiensi* videlicet, & *Mindoniensi*, quasi fuissent *Dumium*, & *Mindonium* diuersæ Ecclesiæ Episcopales, & grauiori notantur errore, qui *Dumiensem* credidere iuxta *Braccaram*, nam vt ex superioribus liquet, eadem est *Dumiensis*, ac *Mindoniensis*; ex quo colliges quod B. Antistes vbique *Dumiensi attitulabatur nomine, quia* Mindoniensis, *&* Ordonius *à quo* Breuiarium Compostellanum *omisso* Dumiensi *titulo* Mindonien-

Non habuit duplicem sedem Dumiensem, & Mindoniensem, sed vnam his titulis comprehensam.

sem *Episcopum nuncupauit.* Ex quo fateri compellimur S. RODESINDVM tantùm infulam vnicam, & hanc *Dumiensem*, siue *Mindoniensem*, induisse, quia vtriusque sedis compellatione illius Ecclesiæ Præsules vtebantur, ad vsque nostrorum Parentum tempora, quibus solummodo *Mindonienses* in Pontificum bullis, & Regum diplomatibus nuncupantur.

An fuerit Episcopus Iriensis?

III. Difficultas versatur circa *Iriensem* infulam, quam etiam induisse RODESINDVM proclamant Scriptores Monastici, & omnes superiùs relati, & expresse fatetur *Historia Iriensis* peruetusta, idiomate Gallæco conscripta, & *MS. num. 44.* vbi agens de *Sanctio* Rege Gallæciæ, *&* *Sisenando* Episcopo *Iriensi*, prosequitur: *Esendo estas cousas notas à ô Rey Don* Sancho *fezoò amoèstar por muytas vezes, asi por ele, como por os Señores da Eygrege, que se emendase, e corrigese, e porque era de alto sangue, e soberueo, non se quixo emendar: y el Rey mandou ô prender, e enzerrar; e pouço en seu lugar à Don* ROSENDE *Bispo Outano, fillo do Conde Don* Gutierre Ferrando, *e de la Condesa Doña Aldara, que era de liñage Real.* Quæ verba latinitate donata sic leget exterus: *Hac cùm agnouisset Rex* Sanctius, *sæpe sæpius Episcopum* (Sise-

nandum

nandum) *monere insistit per se, & per aliquos Ecclesiæ ministros, vt à prauis facinoribus abstineret. Sed cùm ille ex illustri sanguine oriundus, & idcirco superbiâ infescatus existeret, correctionem penitus amandauit. Tunc Rex illum sub custodum ergastulo comprehensum detinuit, in cuius locum Dominum* RODESINDVM *filium Comitis* Gutterij Ferrandi, *& Comitissæ* Ildauræ, *ex Regali genere ortum*, Iriensem V. H. I. *posuit Antistitem.* Si ergo hanc obtinuit Sedem, vt quid *Ordonius* Monachus, qui eius Acta conscripsit, tanquam per transennam de huius Episcopatus infula agit? Et quare *Cælestinus III.* Pontifex Max. in Bulla Canonizationis, quam infra dabimus, de illa non meminit, quando eius res gestas ad amussim describit? Et denique, quod ponderatione dignum est, vt quid ipse S. Vir nequaquam se *Iriensem* Præsulem profitetur? Huic difficultati varij varia dixerunt. Ambros. Moral. *d. cap. 36.* credidit, hoc euenisse, eo quod ad istam Sedem RODESINDVS accessit, sola Regis, non Pontificis auctoritate, cuius in hisce nominationibus desideratur assensus, sine quo nulla est Regibus potestas priuandi Episcopos, aliósque substituendi. Huic rationi subscribit Anton. Yep. *d. Ann. 935. cap. 2. fol. 16.* & addit; *quod videns S. Vir, quanto, si contradiceret* Sisenando, *premeretur litigio, sibi consulens, maluit in Cænobio quietam ducere vitam, quam in seculo litigiosam, ideóque* Dumiensis, *& non* Iriensis *à Pontifice vocitatur, & ipse sese illius Sedis, non istius attitulatur Antistet.* *Negat Moralius, & Yepius.*

Facile etenim horum Scriptorum opinionibus adhærerem, si ex eorum solutione alia non exurgeret difficultas, videlicet: si RODESINDVM ex *Dumiensi* ad *Iriensem* translatum fuisse fatemur, necessariò asserendum erit, Ecclesiam *Dumiensem* per translationem vacasse. Si ergo vacauit, & alij Sedes isthæc concessa fuit, quo titulo potuit S. Vir, *Dumiensis* Episcopus vocitari, nec à se in subscriptionibus, nec à Pontifice in diplomatibus, cùm iam non fuerit? Si non vacauit, quo pacto duas Ecclesias vno potuit tempore possidere; & esto quod possedisset (quod est in Historia absurdum) vt quid non vtriusque meminit Pontifex, & ipse aliquando de *Iriensi* non recordatur Ecclesia? Hanc difficultatem agnouit D. Maur. Castell. *d. lib. 2. cap. 12.* & vt illam diffugeret, aduersus inconcussam traditionem, & *Ordonij* Monachi relationem, asseruit; RODESINDVM primò *Iriensem*, pòst *Dumiensem* egisse Prælatum, ideóque *Dumiensem* postmodùm Episcopum valuit Pontifex optimè nominare, & ipse in propriis actibus hoc titulo vti. Huius opinio difficultatem absolueret, nisi esset in contrarium communis sententia, quod primò *Dumiensis* Episcopus, pòst extiterit Iriensis. Sed vt huic controuersiæ finem ponamus, crederem RODESINDVM Episcopum *Dumiensem*, siue *Mindoniensem*, ob *Sisenandi Iriensis* iniqua facinora *à Sanctio* Rege carceri mancipati, in *Iriensis* Ecclesiæ administrationem tantummodo substitutum, retenta Sede *Dumiensi*, donec apud Apostolicum, seu eius in Hispania Legatum de *Sisenandi* depositione tractaretur. Ast è viuis sublato *Sanctio* Rege, & *Sisenando* è custodia carceris absoluto, euênit, quod in Actis de huius Episcopi temeritate, & ingressu in dormitorio *Compostellano* cum gladio euaginato recensetur, & concludit *Histor. Irienf. MS. num. 46.* his verbis: *y ô Santo Bispo* ROSENDO *maldixo a ô Bispo* Sisnando *e foyse para ô Mosteyn de Cella-Noua, onde vi viu en paz ata que se finou: yentonzes* Sesnando *Bispo ficou na sua seè de Santiago:* Quæ verba latinè sonant: *Et Episcopus* RODESINDVS *maledixit Episcopo* Sisenando, *& in Cænobium* Cellæ-Nouæ *secedens, ibidem vitam in pace transegit vsque in finem. Quo è* Compostella *discedente, tunc Episcopus* Sisenandus, *in sua Sede* Compostellana *remansit.* Si in *sua Sede*, ergo non RODESINDI? Si non RODESINDI; ergo perperam *Iriensis* creditur proprietarius Antistes? Si nec is; ergo tantummodò credemus illius fuisse Administratorem Ecclesiæ. *Alia exoritur difficultas.* *Mauri Castella opinio affirmatiua conuincitur.*

IV. Nam aliqui Scriptores longiorem ætatem RODESINDO tribuentes, dixere interfuisse consecrationi Ecclesiæ *Vallis-Dei*, & Abbatem egisse in Cœnobio *S. Petri Aguiano*, seu *de Tauora*, sed hoc est impossibile, quia consecratio illa Cœnobij *Vallis-Dei* fuit facta, Anno DCCCCXCIII. quo nondum erat natus Sanctus Vir; & RODESINDVS, qui interfuit illi consecrationi longe diuersus à Nostro fuit, qui successorem habuit Theodorindum, vt ex Tabulis *Mindoniensis* Ecclesiæ à M. Ægidio Gonzal. Dauil. *Tom. 3. Theatr. Eccles. fol. 417.* liquet. Nec *Non interfuit consecrationi Ecclesiæ Vallis-Dei.*

minus potuit Abbas S. Petri conſignari, quia ille RODESINDVS, cui *Amatus Viegas* obtulit Monaſterium *S. Petri de Tauora* erat in viuis anno M. X V. & vocitabatur RAVSENDVS, vt ex *Bern. Brito* probat D. Prudent. de Sandou. *in Vit. Ranimiri II. fol.* 272 *col.* 2. & patet, quia *Dumienſis* natus eſt Anno DCCCC. VII. & mortem obiuit anno DCCCC. LXXVII. ideóque nequaquam ad annum donationis potuit peruenire: Et denique quia ille *Tauora*, credebatur filius *Ranimiri* Regis Legionenſis, & iſte erat filius Comitis *Gutterij*.

Nec fuit Abbas S. Petri de Tauora.

Canonizatio probatur.

V. Circa S. RODESINDI Canonizationem ab *Hyacintho* Hiſpaniarum Legato factam, corporiſque eleuationem, agemus infra *Tom.* 5. *die* 1. *Septembris*, quo eius tranſlationis officium apud Benedictinos Monachos celebratur. Hic tantum *Canonizationis* approbationem ab ipſo Legato, ad ſummum iam Pontificatum euecto, quam patrio idiomate repoſuit *Tepius*, Latinam dabimus.

BVLLA CELESTINI III. PONT. MAX. ſuper Canonizatione S. Rodeſindi Epiſcopi Dumienſis, Confeſſoris.

CELESTINVS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabilibus Fratribus Martino Archiepiſcopo, & cæteris Suffraganeis eiuſdem; & chariſſimis filiis Præpoſitis Eccleſiarum per Braccarenſem Metropolim conſtitutis; ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cùm inter huius vitæ breuis mundaniales viciſſitudines, & inter denſas veprium pungentium ſpinas, aliquando diuinâ diſponente potentiâ, nonnunquam viſus ROSÆ calix purpureus enaſcatur, cuius fragrantiæ admirabilis odor, & ſuauitatis aculeus, vix in calculo natiuo ſubſiſtens, totius regionis circulos ambiit. Cuius candentis floris ſphæram diligenti conſideratione collectam, non quouis loco, ſed in ſupremo collocandam, & manibus honeſtiſſimis extollendam, vt non ſub modio, ſed ſupra candelabrum elucentem omnibus exponere conſueuit curioſitas: ſic Nos RODESINDVM exponere volentes, vt ſuæ claritatis lumina diffundat, & viam veritatis aperiens, omnes ignorantes vitam ſalutarem edoceat, Deo diſponente illum ſupra Eccleſiæ candelabrum erigere conſtituimus. Nam cum Nos in inferioribus conſtituti negotiis, Sedis Apoſtolicæ in Hiſpaniarum Regnis Legati titulo frueremur, per multorum veram relationem agnouimus, & per ea, quæ in Libro rerum geſtarum à B. RODESINDO, Epiſcopo Dumienſi, qui requieſcit in Domino, apud Cœnobium, cui CELLA-NOVA nomen, Nos legiſſe fatemur, deprehendimus, qualis illius vitæ excurſus, quales actionum laudabiles mores, quales doctrinæ riuuli fuiſſent, inter quæ miraculorum agmina, quæ ſedula examinatione tractauimus, per Dei miſericordiam, S. Viri intercedentibus meritis, in vita, & poſt mortem, diſcuſſimus fuiſſe patrata, nullo dubitationis obſtaculo, tunc intelleximus, & credidimus, illum inter Sanctorum nomina reponendum, prout inter eorum choros aſſiſtere, & omnigeno laudum præconio D. N. Ieſu Chriſti faciem contemplari concredimus. Quin etiam cùm in Noſtris inde confectis literis eleuationem ſacrorum pignorum, & officij ſolemnitatem atteſtantibus, nonnulla contineantur miracula, quibus dum vixit effloruit, & poſt mortem populos catervatim attraxit: eadem hîc inſerere placuit, vt omnibus ſit nota tanti Præſulis Sanctitudo.

Hic referuntur miracula ſuperius in Actis appoſita.

Igitur quia illa, quæ dum in minori gradu conſtituti perſoluimus, in perpetuum illibata permaneant, ex ſupra nominatorum conſilio, &

& eius precibus instantibus, matura, & prudenti deliberatione, nunc in montis, Deo operante, cacumine collocati, omnia per Nos tunc circa hoc facta, Apostolica auctoritate firmamus, & præsentis confirmationis firmitate munimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis huiusmodi infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, in indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Rom. apud S. Ioannem Lateranensem VII. Idus Octobris, Pontificatus Nostri Anno V.

Huius Datæ Annus Christi incidit in M. C. XCV. vt refert *Baronius*, qui cùm nihil tam notum, quàm *Hyacinthi*, post *Celestini III.* aduentum Legati titulo in Hispaniam, & ipse Baronius hoc fateatur *tom.* 10. *Ann.*977. *num.* 8. nequaquam de hoc verbum asseruit in rebus gestis ipsius Pontificis. Hîc alia multa possent controuerti, sed quia illa tractarunt *Anton. Tepius*, & *Maurus Castella*, ac nouissimè P.F.Philippus de la Gandara Augustinianus in *Histor.Gallec.lib.*13. & communia sint, illa lubenter omisimus. *Annus Canonizationis solemnis.*

CELLA-NOVA. Cœnobium in *Auriensi* diœcesi in *Gallacia* à S. RODESINDO conditum, ex *Ordine Benedictino*. P. Anton. de Yep. *d. Ann.*935. *c.*3. nominis etymon trahit, ex hoc, quia cum S. Vir antea construxisset *Cabeyrense Cænobium*, pòst *Loredense*, deinde *Sorgense*, & *Cella*, idem est ac *Cænobium*, & vltimò hoc construxit, ad illorum differentiam illi posuit nomen *Cella-Noua*, tanquam ex suis fabricis *Nouissima*. Dotationes, confirmationes, & alia diplomata ad huius Cœnobij antiquitatem spectantia, qui legere velit, adeat Appendicem P.Yep.*tom.*5. vbi ad satietatem. Constructum creditur Anno Dom. DCCC. XXXV. vt pulchrè probat *Tepesius*. *Topographia Cenobij. Etymon. Annus constructionis.*

SEXTO NON. MARTII.
DIES II.

A. Cæsareæ Cappadociæ, *Episcopi* Britoniensis *in Hispania* S. LVCII, *qui Cæsaream profectus, in Neroniana persecutione comprehensus cum Socijs ad triumphalem martyrio coronam accessit intrepidus.*

B. Augustobrigæ *in Hispania* SS. ABSALONII, HERACLII *&* LARGI, *qui sæuiente Diocletiani, & Maximiani Imperatorum procellâ, pro Christo occisi, Martyrésque effecti ad æterni palmam præmij famati pugiles deuenêre.*

C. Cæsaraugustæ *in Hispania depositio* S. PAVLI *Martyris, qui cum* Heraclio, *& alijs Socijs Martyribus in* Portu-Romano *agonem consummauit. Cuius sacra pignora Hispaniam delata, & in Cœnobium Fratrum SSS.Trinitatis Excalceatorum reposita, ibidem honorificè coluntur, & seruantur.*

NOTÆ.

A. Martyrologia.

SANCTVS LVCIVS Episcopus,& Martyr.] Martyrium Nostri Præsulis breuiter concinnat *Venerabilis Beda*, h. d. his verbis: *In Cæsarea Cappadocia* LVCÆ *Episcopi.* Cui addidit PRIMITIVVM *Rabanus.* ABSALONEM & LARGVM, *Maurolycus*, cui subscribunt Petr. Equil. *in Cat.SS. lib:*11.*cap.fin. n.*83. & Baron. *in Not.ad Martyrolog. Roman.* vbi *lit.D.* sic prosequitur: *Beda legit* LVCAM, *pro* LVCIO, *ponitque seorsim* SOCIOS, *nominibúsque eorum deprauatis, sed vt sic ponerentur vetusta dicta exemplaria monuerunt.* *Baronij lapsus.* In admirationem rapior, quàm fragili fundamine *Eminentissimum Purpuratum* protractum, & monitum fuisse, vt omisso *Venerabilis Bedæ*, vetustissimi Doctoris,Ecclesiæque luminis,iudicio, antiqua amplecteretur exemplaria M S. tanquam si *Beda*, aut recentior esset, aut antiquioribus non vteretur. Sed qualia sint hominum monita ex hoc *Barony* placito deprehendes. *Beda* textum negligit, & *MS. codicem* insequitur. Sed errorem ad oculum demonstremus.

Conuincitur. *Beda* qui vixit ad Annum DCC.XXXIV. specialiter, & expresè separat LVCIVM, ab ABSALONE, & sociis,quod & fecit *Rabanus* qui in seculo erat Anno
I. DCCC.L. Similiter *Maurolycus*, quibus adhærens *Galesinius*, sic formauit elogium: *In Portu Romano S S. M M. Pauli, Heracly, Secundila,& Ianuary. In Græcia S. Theodori Episcopi,& Martyris. Eodem die SS. Martyrum* Absaloni, Hergli, & Largi. *Cæsarea* S. LVCÆ *Episcopi.* Ex tribus his Scriptoribus colligitur LVCIVM seorsim ab *Absalonio* & sociis passum; ergo perperam *Baronius* omissis vetustioribus Martyrologiis, exemplaria M S. secutus est. Sed vt ad maiorem cognitionem deueniamus erroris, notandum est, ipsummet Cardinalem *in Annal. Ecclesiast. tom.*1. *Ann.*66. *fol.*639. LVCIVM martyrio coronatum ANNO LXVI. in Nero-
II. nis persecutione, fateri. Ast ABSALONIVS & socij sunt Martyres effecti, Anno CCC. vt notauit Dexter *in Chron. Ann.* 300. ergo perperam eum LVCIO ago-
III. nizasse credemus. Ille in *Cæsarea Cappadocia:* Isti in *Augustobriga Hispaniæ* En cognoscis *Bedam* melioribus exemplaribus vsum, & non talibus *Baronium.* Ratio enim temporis, & passionum palestræ penitus indicium euertunt Purpurati. Nec

Equilini inuolucrum soluitur. obstant verba *Equilini*, omnium nomina sub vno clausulæ inuolucro recitantis, sic: LVCIVS *Episcopus*, Absalon, & Largus *martyrio coronati sunt, VI. Non. Martij.* Quia ibidem,hoc die, tantùm passos refert,non quod *Cæsarea*, nec eo seculo iunctim, sed quòd LVCIVS *Britoniæ* apud *Hispanos* Episcopus *Cæsarea* Anno LXVI. ABSALON, & socij *Augustobriga*, Anno CCC. Omnes VI. Non. Martij.

Ferrarij confusio. NEC audiendus est Philippus Ferrar. *in Catal. SS. Ital. fol.* 127. qui *Heraclium* separans ab *Absalonio*, & *Largo*, inter *Paulum, Secundilam*, & socios illum connumerat *in Portu Romano*, cùm *Beda* Heraclium socium *Absalonÿ*, & *Largi* fuisse commemoret,& penitus *à Paulo* & sociis separet. Hinc notabis quanta apud istos recentiores *Martyrologos* dissonantia, & inconstantia sit,qui spretis vetustatis scaturiginibus,per lacunas continuò ambulant. His sic cognitis ad ACTA deuenio, licet nullus sit qui eorum ecphrasim coagulauerit.

ACTA S. LVCII EPISCOPI Britoniensis, & Martyris, & PRIMITIVI ex varijs.

S. Lucij aduentus in Hispanias. LVCIVS, *vt creditur, cum* Aristobulo *Patre Sanctorum* IACOBI, *Hispaniarum Apostoli, &* Ioannis, *cum* Iosepho, *& alijs fidelibus, vt* Hispanicæ *operam daret conuersioni, Nostras deuenit. In huius ergo pietatis penso decertans, de mandato* Aristobuli *sedem iam* Britoniensem *moderantis, vicinos populos sic instruxit in fide, sic in se omnium ora conuertit, vt sublato per martyrium* Aristobulo *Magistro, in eius locum suffectus,* *Fit Episcopus Britoniensis.*

Britonie:1

Britonienſis *Eccleſia infulâ indutus, ouium ſuarum in fide conſtantia viriliter contineret. Aſt cùm* Cæſaream *Cappadociæ grauium negotiorum causâ compulſus, proficiſceretur, illuc deueniens, Eccleſiam* Cæſarienſem *funeſtâ perſecutionis procellâ ſic impetitam inuenit, vt vix fidelium vnus inueniretur, qui à Neronis gladio eximeretur innocuus. Vrbem ingreditur Antiſtes, vbi Chriſti Aſſeclas præ timore fugitiuos, piâ charitate collegit, inſtruxit, confortauit, & ad martyrij coronam, deſpectis cruciatuum rigoribus, inclinauit. Efficacia Præſulis monita cognouere Pagani, & ad Præſidem coeuntes* L v c i i *exercitia demonſtrant, quorum delatione compulſus Iudex Epiſcopum,* Primitiuum, *& cæteros Chriſtianos in carceris trudi præcepit ergaſtulum. Quos quia à fide dimouere non valuit, per cruenta agonum ſupplicia Martyres effectos, ad vitam tranſmiſit æternam,* V I. Nonas Martij, *Anno* L X V I. *Imperante Nerone.*

Cæſaream proficiſcitur.

Chriſtianos fouet.

Comprehenditur, & martyrio coronatur.

Iſthæc A c t a, in quorum probatione D v o notanda veniunt, I. de *Ariſtobuli* aduentu in Hiſpanias, *Britonienſiſque* Epiſcopatus infulâ, de quibus infra dicemus die X V. huius Menſis. II. De ſucceſſione L v c i i Noſtri in Epiſcopatu *Britonienſi*, déque eius martyrio apud Cæſaream. Quo ad primum, probatur, nam *Ariſtobulus* martyrium conſummauit Anno Domini L X I I. vt notauit Iulian. Noſt. *in Chron. num.* 33. L v c i v s Noſter Anno L X V I. agonem impleuit: ergo L v c i v s *Ariſtobulo* ſucceſſit, quia inter vtriuſque coronas, vix quatuor annorum intercapedo interceſſit. Quo ad ſecundum, & quod iſte S. L v c i v s apud Cæſaream Martyr, fuerit Noſter Epiſcopus *Britonienſis*, ſingularis eſt locus Luitprandi *in Aduerſ.* apud Ram. *num.* 75. apud Tamay. *num.* 68. Sic ſcribentis: L v c i v s, *alias* L v c a s, *Epiſcopus* B r i t o n i e n s i s *in* Hiſpania, *petens Cæſaream Cappadociæ (neſcitur cauſa) cum* ſociis *paſſus eſt ſub perſecutione* Neronis, *colitúrque eius memoria, &* B r i t o n i æ *vt in propria Sede, & Cæſarea Cappadociæ.* Abhinc A c t a probabis, & quantum noſtris ignorationibus ſplendorem, & lucem attraxerint Dextri, Maximi, Luitprandi, & Iuliani opera.

Ariſtobulus Epiſcopus Britonienſis.

Lucius in ſede ſucceſſit Ariſtobulo.

Cæſarea Cappadociæ patitur.

B r i t o n i a, Vrbs antiqua Hiſpaniæ, *Gallaciæ* regionis parens. Olim etiam dicta creditur B r v t o n i a ex eo quod *Iunius Brutus*, qui de *Gallæcis* triumphauit illam de ſuo nomine *Brutoniam* compellauit. Alij B r i t i n i a m, alij B r i t o l i a m, nonnullique B r i t o n i v m dixere. *Ciuitas* fuit *Epiſcopalis*, adhúcque Sedem retinet, vocatúrque M o n d o ñ e d o, vt referunt Ambroſ. Moral. *Hiſt. Hiſp. lib.* 10. *cap.* 32. Padill. *tom.* 2. *Hiſt. Eccleſ. Hiſp.* in Chronograph. Epiſcop. *fol.* 25. *col.* 2. Non eſt audiendus *Loayſa*, qui eam O v i e d o dixit, nec *Reſendius* qui V i a n a *de Camiña* ſomniauit, quibus ſuo loco prolixiùs faciemus ſatis. Nunc videndus Humbert. Goltzius *in Theſaur. Antiquit. verb.* Brito, & Gruter. *fol.* 93. *num.* 5. *& alibi.*

Topographia Britoniæ.

Error Loayſæ.

SS. A b s a l o n i v s, & Socij Martyres.] Præcedenti notatione diſſeruimus, circa huiuſmodi SS. Martyrum locum palæſtræ, Annum agonis, & ſociorum conſortium. Ibidémque probauimus, hos SS. Agoniſtas, perperam adiunctos fuiſſe apud Cæſaream *SS. Lucio* Epiſcopo, & *Primitiuo* Anno L X V I. cùm reuera iſti ab illis longe diuerſi in loco martyrij, & anno ſupplicij reputentur. Quod vt clarius eluceat, poſt memoriam eorum factam à Beda, Molano, Equilino, & Galeſinio, qui diem, & martyrium aſſignant, omiſſa prouincia, & ſeculo, audiendus eſt Flau. Dexter Noſter *in Chron. Ann.* 300. vbi aliorum prætermiſſa complens, in hæc verba prorumpit: A v g v s t o b r i g æ in *Hiſpania eodem tempore, SS. Martyres pro Chriſto necati (hi ſunt necati illis iugati)* A b s a l o n i v s, H e r a c l i v s, *&* L a r g v s. Hinc vera Sanctorum nomina deprehendes, in quorum aſſignatione cruciantur *Galeſinius*, & *Baronius*. De eis poſt *Dextrum* ſcripſere P. Biuar. *d. Hiſtorici. Ann.* 300. *Com.* 2. *n.* 6. *fol.* 329. Roder. Caro *ibidem fol.* 102. *lit. H.* Carrillo *in Annal. Eccleſ. Ann.* 300. *fol.* 220. è quibus ſic aggredior A c t a deſcribere.

B.

Martyrologia.

ACTA SANCTORVM ABSALONII, HERACLII, & LARGI Martyrum Hiſpanorum, ex Dextro.

Origo SS.

ABSALONIVS, HERACLIVS, *&* LARGVS *ex* Hiſpania *creduntur oriundi, & apud* Auguſtobrigam *antiquiſſimam vrbem procreati, fidem Catholicam ſunt amplexi, in cuius regula vitam, & mores ſic compoſuere, vt totius territorij inter conciues praecipui in religionis obſeruantia haberentur cultores.*

Mores.

Vndique tunc temporis Diocletiani, *&* Maximiani *Imperatorum reſonabat immanitas, pracipuè in* Occidentalium *plagâ confinium, quâ* Decianus *Praſes, eiúſque Legati, & Iudices frementes, vt Chriſtianorum nomen delerent in Orbe, vrbes circuibant, & pagos, ita vt, vix inter montium ſpelaa vnus abſconderetur fidelis, quin protinus ad carcerem perductus, aut dæmonijs litare, aut per cruciatuum onera martyrio coronari, compelleretur.*

Deciani ſauitia.

Huius procella Auguſtobrigam *deuenêre rumores, & ſuppliciorum inaudita immanium ſucceſſère querela, quibus ciues perterriti ſauientium Iudicum iras ferali obſtinatione timebant. Sed cùm iam furor Ethnicus vrbis mania concingeret, & Chriſtianorum inquireret nomina ſatelles, fuſo timore,* ABSALONII, *&* Sociorum *nomina propalarunt.*

Comprehenduntur.

In carcerem pertracti pugiles, & de religione interrogati, cùm ſe Chriſti diſcipulos eſſe dixiſſent, Dijs litare compulſi ſunt. Renuit Martyrum fides tantum committere ſcelus, & in confeſſione Catholica religionis perſiſtentes innumerabilia tormentorum genera experti ſunt.

Cruciantur.

Sanctorum ergo Iudex intuens conſtantiam, credens illos prorſus reducere ad Deos haudquaquam poſſe, effera excandens bili, Mezentij *Tyranni furore indutus, Martyrum viua corpora, putidis cadaueribus alligari praecepit, vt hoc immaniſſimo cruciatu tabeſcentes, horridâ detentione animas deſperati euomerent. Ita omnium conſpectu factum, & Sancti Martyres cadaueribus alligati, tandiù iugati iacuerunt, quandiu puriſſimi ſpiritus è corporum Sanctorum carcere redimiti laureas in cælis commeruerunt aternas, VI. Non. Martij, Anno Domini CCC.*

Coronantur.

Mezentij ſupplicium quale?

In hiſce ACTIS illud ſolummodo venit obſeruandum, quòd Noſtri SS. Martyres paterentur horridum illud *Mezentij* ſupplicium, hactenus nulli Martyrum propinatum, vt Sanctorum indicant paſſiones, quas *Antonius Gallonius* primùm Italicè, poſt Latinè recenſuit. Aſt ſi *Baronio* credimus *in Not. ad Mart. Rom. die* 28. *Iulij lit. F.* quotquot diuerſis temporibus, diuerſorum Tyrannorum ſæua crudelitas excogitauit genera tormentorum, ea omnia Gentilium rabies in innocentes Chriſtianos conuertit. Hinc vt omnia complerentur, horribile *Mezentij* ſupplicium in noſtros exercuit Martyres Tyrannus. Formam ſi quæritas pœnæ? audi Virgil. *lib.* 8. *Æneid. verſ.* 490 loquente de *Mezentio:*

Forma huius ſupplicij ex Virgilio.

Mortua quinetiam iungebat corpora viuis:
Componens manibúſque manus, atque oribus ora,
Tormenti genus, & ſanie, tabóque fluentes
Complexu in miſero, longa ſic morte necabat.

Oppilius Macrinus nomen Pij reſpuit.

Videndi Valer. Max. *lib.* 9. *cap.* 2. *Externor.* §. 10. Alex. ab Alex. *lib.* 3. *Genial. cap.* 5. Alciat. *Embl.* 198. & alij innumeri. Iſtius Tyranni ſæuitiam eſt inſectatus *Oppilius Macrino*, qui ſic crudelitatem affectauit, vt delatis PII, & FELICIS per Senatum nominibus, hoc arripuerit, illud contemneret, de quo illud in foro Romano *Gracum exaſtychon* apparuiſſe perhibetur.

Hiſtrio iam ſenior turpis, grauis, aſper, iniquus,
Impius, *&* Felix *ſic ſimul eſſe cupit.*
Vt nolit PIVS *eſſe, velit tamen eſſe* BEATVS:

Quod

Quod natura negat, nec recipit ratio.
Nam Pius, *&* Felix *poterat dici, atque videri:*
Cum imperium infelix est, erit ille sibi.

Suscitauit Romæ supplicium Mezentij.

Ergo *Mezentij* tormentum *Macrinus* Romæ excitauit, vt in eius Vita scribit Capitolinus, eius ausculta clausulam: *Reddit* (inquit) *Macrinus etiam Mezentij supplicium, quod ille* Viuos Mortuis *alligabat, & ad mortem cogebat longâ tabe confectos.* Ioann. Cuspinian. *de Cæsarib. tom. 1. Ann. 71. fol. 60.* sic: *Interemptus est sæpe filius cum patre,* & viuus mortuo *alligatus, & longa tabe mori coactus, quales olim Mezentius exhibuit.* Qui ergo Imperatorum *Diocletiani*, & *Maximiani*, eiúsque Præsidum, & Iudicum in Christi Asseclas odia considerauerit, facilè credet hisce suppliciis vsos Iudices; maximè quia Capitolinus huiusmodi *Macrini* suppliciorum genera ipsi Diocletiano dicauerit.

Locus Dextri elucidatur, aduersus Carum, & Prinarium. *Iugare quid sit?*

Ita venit intelligendus locus Dextri: *Hi sunt necati illis iugati.* Quem adhuc deturpatum inuenio, & legendum: *Hi sunt necati alijs iugati*; hoc est aliis cadaucribus alligati. Verbum enim *Iugati*, à *iugo* procedens, idem quod alligare, & connectere, seu sub *iugo* ponere significat, Columell. *lib. 12. cap. 39.* Cicer. *Tuscul. ep. 2.* inquiens: *Hoc est commune virtutum, vt omnes in vnum inter se nexæ, &* iugatæ *sint.* Errorem contraxit *Rodericus*, qui huiusmodi parenthesis clausulam reiecit, tanquam superfluam, quia, vt vides, in illa inest totius passionis Martyrum relatio, & orationis vis.

Topographia vrbis Augustobriga. *Duplex oppidum apud Ptolemæũ.*

Avgvstobriga. Altera, & Altera Vrbs conspicitur in *Hispania* hoc vocabulo consignita, apud Ptolem. qui *lib. 2. Geograph. Tab. 2. Europ. cap. 5.* Vnam ponit inter Vergones, seu Vettones, sic: *Max. Orien. sunt Vergones, in quibus vrbes ha: Lancia Oppidana, Cattagobriga, Salmanticæ,* Avgvstobriga, *Ocellum, Capara.* Post vero, *c. 6.* Aliam collocat in Pelendonibus, sic: *Et sub Murbogis, Palendones sunt, in quibus ciuitates Visontium,* Avgvstobriga, *Sauia.* De Prima scripsit Ambros. Moral. *Hist. Hisp. tom. 2. lib. 8. cap. 60. fol. 206.* quam Villar *del Pedroso* nominat, & inter Guadalupæa montium cacumina conlocat. De Secunda idem Moralius loquitur *lib. 9. c. 28.* quam appellitat Aldea *del Muro*, inque eius planitie isthæc inuisitur Inscriptio.

Inscriptio Augustobrigensis.

IMP. CÆS. NERVA.
TRAIANVS AVG. GERM.
PONT. MAX. TRIB.
POT. P. P. COS. II. FECIT.
AB
AVGVSTOBRIGA.
M. P. X.

In qua vtriusque vrbis palæstra Nostri SS. Martyres fuerint martyrio coronati, nondum diuino; vtraque non errabit, si Patronos illos elegerit.

Aliquorum deceptio, circa socios Pauli M.

S. Pavlvs Martyr.] Hunc fuisse socium *S. Heraclij* contendit vt supra dixi- C.
mus *Baronius* h. d. passumque cum *Secundilla*, & *Ianuaria* in *Portu Romano.* Ast cùm ibidem cum *Dextro*, & *Beda* probauerimus, *Heraclium* nec in *Portu Romano*, nec cum Pavlo & sociis passum; consequens est, Pavlvm, cuius hoc die apud *Cæsaraugustam* celebritas, non socium *Heraclij*, sed *Secundillæ*, & *Ianuariæ* Martyrum fateri compellimur. Istius ergo sacra lipsana Româ in Hispanias aduentasse cognoscimus ex Auctograho cum pignoribus dimisso, cuius talis est tenor.

ACTA TRANSLATIONIS SS. PIGNORVM B. PAVLI Martyris, & aliorum Sanctorum Româ, Madritum; eorumque distributionis, & collocationis.

Ivlivs *Rospillosi Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ, Archiepiscopus Tarsensis, & SS. D. N. D. INNOCENTII, diuinâ prouidentiâ* PP. X. *dictæque Sedis*

Sedis in Hispaniarum Regnis, cum potestate Legati de Latere, Nuntius, Iuriumque Cameræ Apostolicæ Collector Generalis. Deuotos Christi fidelium cœtus, vbi maximè diuini cultus, & animarum salutis agitur obsequium, Sedes Apostolica prouida gratiarum dispensatrix, benigno semper studio prosequitur, fauoribusque & gratijs auget, & decorat opportunis, prout in Domino dignoscitur salubrius expedire. Publicatâ igitur aliàs in alma Vrbe Legationis nostræ ad hæc Hispaniarum Regna expeditione, stante quòd firmiora sunt ea, quibus Sedis præfatæ accedit auctoritas, debita cum instantia, fuimus requisiti, quatenus in transportatione nonnullarum infrascriptarum SS. Corporum Reliquiarum, & fragmentorum, ad hoc vt feruentiori deuotionis zelo, & maiori cum fiducia Christi fideles illa recolerent, inque suis necessitatibus ipsorum SS. patrocinia implorarent, nostræ auctoritatis partes plenariè interponere, hocque pium, sanctumque propositum, & intentum consouere, & protegere non dedignaremur; ac aliàs vt illa distribuerentur iuxta bina instrumenta desuper confecta, ad hoc nobis tradita, & per Nos admissa, quorum tenores de verbo ad verbum sequuntur, & sunt tales: F. IOANNES de Anuntiatione, in Romana Curia Procurator Generalis Fratrum Discalceatorum Ordinis SSS. Trinitatis Redemptionis Captiuorum Congregationis Hispaniarum, Eminentiss. & Reuerendiss. Principis Francisci Cardinalis Barberini S. D. N. Vrbani VIII. Nepotis Confessarius, necnon Minister Conuentus S. Caroli ad Quatuor Fontes in Vrbe. Vniuersis, & singulis præsentes literas inspecturis, fidem facimus, & attestamur, qualiter Nos hodie ad maiorem Omnipotentis Dei, ac Sanctorum suorum gloriam, reuerenter consignauimus Illustriss. ac Reuerendiss. D. Iulio Rospillosi apud Regem Nostrum Philippum eiusdem S. D. N. Vrbani VIII. in Regnis Hispaniæ Nuntio Apostolico, nonnulla Sanctorum, atque Sanctarum CORPORA, videlicet: *Corpus* S. Fortunati *Martyris XI. Octobris. Corpus* S. Felicis *XVI. Maij. Corpus* S. Candidi *III. Octobris. Corpus* S. Victoris *XV. Decembris. Corpus* S. Aurelij *XXVII. Iulij.* CORPVS S. PAVLI *II. Martij. Corpus* S. Innocentij *XVII. Iunij. Corpus* S. Prosperi *XXIX. Iulij. Corpus* S. Theoduli *II. Maij. Corpus* S. Marcellini *II. Iunij, Martyrum. Corpus* S. Candidæ V. & M. *XXIX. Augusti. Corpus* S. Eugeniæ V. & M. *XXV. Decembris.* Atque aliquas ossium partes ex corporibus SS. Martyrum, atque SS. Virginum, & Martyrum; ad effectum tradi dicta SS. CORPORA, & sanctas ossium Reliquias, admodum *R. P. N. F. Didaco de IESV*, dicti Ordinis Congregationis Hispaniæ Generali. Quorum sacræ Reliquiæ de mandato eiusdem S. D. N. Vrbani VIII. ex cœmeterio Calixti, viâ Appia, & ex cœmeterio Priscillæ, viâ Salaria extractæ, nobis traditæ fuerunt ab Eminentiss. & Reuerendiss. D. Ioanne Baptista Cardinale de Alteriis, olim Eminentissimi Vrbis Vicarij vices gerente, prout ex diuersis literis patentibus eiusdem manu signatis, & in Archiuio prædicti Nostri Conuentus diligenter recognitis, & reconditis clarè constat, atque vt de illorum identitate nunquam dubitari possit, prædicta SS. CORPORA in duodecim capsulis ligneis ad proportionem, & sanctas ossium Reliquias in altera capsula etiam lignea reposuimus, necnon vnamquamque capsulam albo funiculo ligauimus, & duobus in locis sigillo dicti nostri Ordinis sacri muniuimus, ac sigillauimus, eidémque admodum R. P. N. Generali in vim facultatis nobis datæ, licentiam collocandi, atque exponendi prænominata sacra corpora & sanctas ossium Reliquias in Ecclesiis dicti sacri nostri Ordinis, vt à piis fidelibus Christianis deuotè venerari possint, in Domino humiliter concedimus, & reuerenter impartimur. In quorum fidem præsentes dedimus manu nostrâ subscriptas, sigillique dicti nostri Ordinis impressione munitas. Dat. Romæ in nostro prænominato Conuentu S. Caroli,

Sanctorum Corpora in Hispaniam allata.

S.Caroli, die XX. Aprilis M. DC. XLIV. Fr. Ioannes de Annuntiatione P. G. Loc. † Sigilli.

In nomine Domini, Amen. Præsenti publico instrumento cunctis vbique pateat euidenter,& sit notum: Quod Anno à Natiuitate D.N. Iesu Christi M.DC.XLIV. Indictione XII. die verò XIV. Mensis Maij, Pontificatus S. D. N. D. Vrbani diuinâ prouidentiâ PP. VIII. Anno eius XXI. in mei Secretarij, testiumque infrascriptorum præsentiâ præsens, & personaliter constitutus perillustris, & admodum *R. P. F. Ioannes de Annuntiatione* Fratrum Discalceatorum Ordinis SSS. Trinitatis Redemptionis Captiuorum, & in Romana Curia Procurator Generalis,& Eminent. ac Reuer. D. Francisci Cardinalis Barberini Confessarius, necnon Minister Conuentus S. Caroli ad Quatuor Fontes de Vrbe, mihi Secretario optimè cognitus, qui sponte &c. & omni meliori modo &c. tradidit, & consignauit Perillustr. & Reuer. *Patri F. Didaco à Iesu* Generali Fratrum Discalceatorum dicti Ordinis, Congregationis Hispaniæ, quamuis absenti, & acceptante Illustriss. & Reuer. *D. Iulio Rospoliosó*, Nuntio Maiestatis Catholicæ, infrascripta Corpora videlicet, *S. Victoris, S. Marcellini, S. Fortunati, S. Felicis, S. Candidi*, S. Pauli, *S. Innocenty, S. Aurely, S. Theoduli, S. Prosperi Martyrum, S. Candida, & S. Eugenia Virginum, & Martyrum*, necnon partes ossium ex Corporibus Sanctorum &c. ad effectum illa, seu illas in quemcunque locum sibi placitum, & benè visum transmittendi, vel cuicumque sibi placitæ personæ donandi, aut in quacumque Ecclesia, loco pio, vel sacello piorum adorantibus exponendi, vel exponi faciendi; asserens ac medio eius iuramento, tacto pectore, more &c. iurauit ipsa Sacta Corpora, & Reliquias habuisse, & percepisse ab Eminent. & Reuer. D. Ioanne Baptista de Alteriis, &c. Quæ supradicta Sacra Corpora,& Reliquias idem Illustr. & Reuer. D. Iulius, maiori quâ potuit accepit veneratione, ad effectum, vt supra, consignandi supradicto R. P. F. Didaco à Iesu, ad effectum, vt supra, & vt de illorum, ac illarum identitate, nunquam dubitari possit: Ego Secretarius subito & incontinenti coram infrascriptis testibus reposui vnumquodque Sacrum Corpus in sua capsula lignea alba ad proportionem, ac albo funiculo alligaui, & duobus in locis sigillo dicti Ordinis Hispanicâ cerâ muniui, & sigillaui. Super quibus omnibus & singulis &c. Actum Romæ in d. Conuentu S. Caroli, præsentibus ibidem audientibus, & intelligentibus admodum Reu. Patrib. Fratr. Francisco à Matre Dei,& Paulo à S. Dionysio Sacerdotibus eiusdem Ordinis testibus ad præmissa vocatis specialiter, atque rogatis. Loc. †. Sigilli. Ego Ioannes Baptista Marus, Presbyt. Rom. I. V. D. processuum Consistorialium Secretarius specialiter à S. S. A. deputatus, de præmissis rogatus, præsens instrumentum subscripsi, & publicaui, ac meo solito signo muniui requisitus. Nos Consultores Cam. Almæ Vrbis, Vniuersis &c. notum facimus,& attestamur suprascriptum Perillustr. & admodum R. D. Ioannem Baptistam Marum fuisse, & esse talem, qualem se facit, eiúsque similibus Scripturis in iudicio; & extra, indubiam semper adhibitam fuisse, & de præsenti magis adhiberi fidem. In quorum, &c. Datum Romæ in foro Cap. die XXVIII. Martij Anno M DC. XLV. Fabritius Vallatus Secret. Ro. Po. Loc. †. Sigill. *Quibus quidem prainsertis instrumentis authenticis, non vitiatis, non cancellatis, sed omni prorsus vitio, & suspicione carentibus, insimul cum pradictis ligneis capsulis dictas Reliquias in se continentibus, ligatis, clausis, & sigillatis, nobis consignatis, & per Nos admissis: facta tandem à dicta Alma Vrbe ad hanc Curiam Catholica Maiestatis, optata, fauente virtutum Domino, transportatione, rursusque coram nobis, illasis, & intactis, sicut in primo facie apparebat,*

ipsis

ipſis capſulis reproductis, ad per Nos alias admiſſa commiſſionis huiuſmodi executionem procedere, & ſuſcepto onere, quantum cum Domino poſſumus ſatisfacere exoptantes, adhuc pro earumdem Reliquiarum maiori apud fideles fiducia, & traditionis auctoritate, præſentia inſtrumenta & capſas ſigillatas Diſcreto Viro ſupradicti Ordinis Miniſtro Generali in Conuentu eiuſdem Ordinis huius Oppidi Matriti, Capitulo pleno, prout de more, ad ſonitum campanæ conuocato, conſignatas per Nos fuiſſe, ac per eundem Miniſtrum Generalem, quâ decet reuerentiâ admiſſas, & receptas, omnibus, & ſingulis, præſentes viſuris, lecturis, pariterque legi audituris, per præſentes omni meliori modo teſtificamur. Quas porrò Reliquias, ſupplicationibus etiam nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, prædeceſſorum Noſtrorum in Hiſpaniarum Regnis Nuntiorum, pijs hac in parte veſtigiis inhærendo, ſanctitate loci extractionis earundem, & inſtrumentorum ſupradictorum approbatione, & legalitate attentis, per præſentes auctoritate Apoſtolicâ, nobis in hac parte conceſſâ, venerandas eſſe & ſeu ab omnibus venerari publicè debere decernimus, & declaramus. In quorum fidem &c. Dat. Matriti Tolet. Diœceſ. Anno Domini M. DC. XLVI. Tertio Idus Ianuarij Pontificatus prædicti S. D. N. PP. Anno II. Iulius Archiepiſcop. Tarſenſ. Nunt. Apoſtolic. Federicus Troilus Abbreuiator.

Et ſucceſſiue Anno, Die, & Menſe prædictis, præſente præmemorato Illuſtriſſ. & Reu. D. Archiepiſcopo Tarſenſi, Nuntio Apoſtolico, dicto Capitulo Fratrum Conuentus ſupradicti Ordinis Oppidi Matriti, adhuc pleno, & vt præfertur, ad hoc ſpecialiter conuocato, nemine diſcrepante, & omnibus aſſentientibus, in vim præinſertorum inſtrumentorum donationis, conſignationis, & reſpectiuè admiſſionis Perilluſtr. & Reu. P. F. Didacus à Ieſu *Miniſter Generalis ſæpius nominatus, ad diſtributionem Sanctorum Corporum procedendo:* Corpus *S. Proſperi M.* & Corpus *S. Candidæ V. & M.* Conuentui Oppidi Matriti. *Corpus* S. Fortunati M. *Conuentui Ciuitatis* Valliſoletanæ. *Corpus* S. Felicis M. *Conuentus de* Ronda. *Corpus* S. Candidi M. *Conuentui de* Antequera. *Corpus* S. Victoris M. *Conuentui* Pampilonenſi. *Corpus* S. PAVLI Martyris *Conuentui* CÆSARAVGVSTANO. *Corpus* S. Innocentij M. *Conuentui* Barchinonenſi. *Corpus* S. Aurelij M. *Conuentui* Viccenſi. *Corpus* S. Eugeniæ V. & M. *Conuentui* de Solana. *Corpus* S. Marcellini M. *Conuentui* de Socuellamos. *Corpus* S. Theoduli M. *Conuentui* de Alcazar. *in diuerſis horum Regnorum Hiſpaniæ partibus conſiſtentibus ſupradicti Ordinis reſpectiuè, donauit, & in perpetuum applicauit, ac inſuper ab eodem Illuſtriſſ. & Reu. D. D. dictæ Sedis Nuntio mandatum, ſeu prohibitionem, de non extrahendo, mutuando, tranſigendo, aut alienando dicta Sanctorum Corpora ſub pœnis, & cenſuris arbitrio ipſius Illuſtriſſ. & Reu. Dom. Sedis præfatæ Nuntij applicandis, & infligendis; cà etiam quâ decet reuerentia, ſibi concedi, & expediri humiliter ſupplicauit, petijt, ac pariter gratioſè obtinuit, & in fidem ipſe Perilluſtr. & Reu.* P. F. Didacus à Ieſu *Min. Gen. his, ſed ſuo nomine ſubſcripſit, & dicti ordinis ſigillo communiri mandauit, & à me infraſcripto Notario Apoſtolico vnum vel plura,* &c. *præſentibus Diſcretis Viris Reu. Patribus ordinis, & Congregationis Hiſpaniarum Diffinitoribus, qui vnà cum Perilluſtr. & Reu. P. Generali, ac eiuſdem ordinis Procuratore Generali, hic ſe ſuis nominibus, vt infra, ſubſcripſerunt, & ſubſignarunt. F. Didacus à IESV. M. G. F. Caliſtus de Transfiguratione Diffin. Gen. F. Gregorius à Circumciſione Proc. Gen. Loc. † ſigilli. Et quia Ego Mathias Charlis Notarius Apoſtolicus in Tribunali Illuſtriſſ. & Reuer. D. D. mei in Hiſpaniarum Regnis Nuntij Apoſtolici, Bullarum Apoſtolicarum Scriptor, præſens hoc tranſumptum ex inſtrumento originali ad hoc tradito, & parti reſtituto, alienâ manu de verbo ad verbum extractum, benè, & fideliter cum dicto originali concordaui, & collationaui. Ideo hîc vnà cum ſupradictis Patribus, mihi optime notis, me ſubſcripſi. & ſubſignaui rogatus, & requiſitus in hoc Oppido Matriti die XX.*

die XX. Mensis Martij Anno Domini M. DC. XLVI. Præsentibus Lamberto Tito Notario Apostolico, & Bartholomæo Gonzalez Testibus, in Tribunali prædicti Illustriss. & Reuer. Nuntij residentibus, ad hoc vocatis, rogatis, & requisitis. In testimonium veritatis. Mathias Charlis *Notarius Apostolicus. Locus † signi.*

IVLIVS *Rospillosi Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Tarsensis, & S. D. N. D. Innocentij diuinâ prouidentiâ PP. X dictæ Sedis in Hispaniarum Regnis, cum potestate Legati de latere Nuntius, iuriumque Cameræ Apostolicæ Collector Generalis. Inter multiplices muneris nostri curas, quibus assidue premimur, ad ea libentius cogitatum nostrum dirigimus, quæ ad animarum salutem procurandam, præsertim earum, quæ nostræ subsunt curæ, dignoscimus pertinere, atque ea sedulò exequimur, quæ circa id in Domino conspicimus salubriter expedire. Supplicationibus igitur dilecti Nobis in Christo Discreti Vir. Reu. Patr.* F. Didaci à Iesu *Ordinis Discalceatorum SSS. Trinitatis Redempt. Captiuor. Generalis, nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, exigente sanè sincera sua deuotionis merito, vt votis suis diuini cultus augmentum respicientibus, quantum cum Domino possumus, benignè annuamus, néue præfatæ Reliquiæ Sanctorum, & thesauri absconditi; pretioso & suaui cælesti rore imbuti Christi fidelibus in necessitatibus suis ipsorum Sanctorum, seu Sanctarum opem, & auxilium humiliter, & deuotè implorantibus, vberes, & copiosos desinant producere fructus, ac cupientes, vt prædicta Sanctarum Reliquia, & Corpora, ac alia pro tempore forsam, in quibusuis Ordinis supradicti Conuentibus, Ecclesiis, seu Locis distributa, seu distribuenda, integra omnino in suis capsis, vel reliquiarijs custodita religiosè asseruentur; ita vt illorum, vel illarum, néue minima partes, etiam ad minimum temporis interuallum, à Conuentibus, Ecclesiis, seu locis semel applicatis, distributis, & collocatis, nullatenus transferri, detrahi, vel mutuari possint. Hinc est, quòd Nos tenore præsentium, & ex officij nostri, & Apostolicæ potestatis, Nobis in hac parte concessa plenitudine, in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub excommunicationis maioris latæ sententia ipso facto incurrenda, necnon vtriusque vocis, & officiorum priuationis pœnâ, prædecessorum nostrorum in his etiam Regnis Nuntiorum vestigijs inhærendo, districtè præcipiendo mandamus, atque inhibemus omnibus, & singulis, nunc, seu perpetuis futuris temporibus, superioribus, & Religiosis dicti Ordinis, aliisue personis, cuiuscumque status, gradus, & conditionis existant, & quacumque præfulgeant dignitate, ne vllo vnquam tempore, quouis ad id quæsito colore, prætextu, causa, vel ingenio, etiam ad minimum temporis interuallum, etiam ex quacumque pia causa, & pro diuini cultus decore, & augmento supradicta Sanctorum, & Sanctarum* CORPORA *semel distributa, & applicata einsmodi Ordinis Conuentibus, ex capsis, reliquiarijs, ac locis ad cultum, & venerationem destinatis, deputatis, & electis, extra dictos Conuentus extrahi possint, seu per se, vel alium, seu alios quascumque personas extrahere, seu extrahi facere, audeant vel præsumant. Permittimus autem, quòd vrgente graui, & publica causa, seu necessitate, prædicta Sanctorum Corpora in vrnis seu capsis suis, per Religiosos Conuentuum in quibus collocata fuerint, extra illos in Processionibus solemniter deferri possint. Dummodo illis absolutis, eodem contextu publice ad prædictos Conuentus, à quibus extracta fuerant, reducantur. Et quod particulares Reliquiæ dictorum Sanctorum Corporum in aliquibus reliquiarijs destinatorum ad effectum eas deferendi ad infirmos pro illorum deuotione, & salute recuperanda possint similiter ad eos deferri, ad beneplacitum huiusmodi pro tempore Conuentus superioris; dummodò tamen integræ & indiminutæ in suis reliquiarijs omninò restituantur. Dat. Matriti Toletanæ Diœcesf. Anno Domini M.DC.XLVI. Tertio Idus Ianuarij Pôtificatus prædicti S.D.N.PP. Anno II. Iulius Episcopus Tarsensis Nuntius Apostolicus. Federicus Troilus Abbreuiator. Concordat cum suo originali, ad hoc mihi tradito, & parti restituto Mathias Charlis Notarius Apostolicus. Locus † signi.*

Hæc ſunt Acta Inſtrumentalia per Illuſtriſſimum ac Reuerendiiſſimum D. Epiſcopum Tarſenſem in Hiſpaniarum Regnis Nuntium Apoſtolicum, in receptione, traditione, & diſtributione Sacrorum Corporum confecta, quibus huiuſmodi Sonctorum lypſana Româ in Hiſpania tranſlata fuiſſe fateberis.

QVINTO NON. MARTII.

DIES III.

A. *Apud* Calagurrim *Hiſpaniæ* SS. EMETHERII, *&* CELEDONII *Martyrum, qui Beatorum Marcelli, & Nonnæ filij cùm eſſent, & Traianicæ Legionis milites, apud Legionem vrbem, cuius erant ciues, & municipes, pro fide, & Chriſti nomine comprehenſi, & cruciatibus afflicti, poſt Calagurrim Fibulariam adlati, tandem cœleſtes milites ſunt laureolâ victoriæ martyrio ſublimati.*

B. *Cæſareæ Paleſtinæ* S. MARINI *Militis Hiſpani, qui cùm ibidem in præſidio à Romanis detineretur, pro fide captus, martyrij coronam capitis abſciſſione ſuſcepit.*

C. *Eboræ in Carpetanis Hiſpaniæ* SS. FELICIS, LVCIOLI, FORTVNATI, HERODIS, ANTIGONII, IANVARII, TERTVLÆ, GABIANI, QVIRIVLI, FELICIS, FLORIANI, DONATI, CLEONICI, EVTROPII, BASILISCI, *&* QVINCTI, *qui in perſecutione Maximiani, ſub Aſclepiade Præſide, tormenta, & ipſam crucem paſſi, Martyres Chriſti migrarunt in cœlum.*

NOTÆ.

A. SANCTI EMETHERIVS, & CELEDONIVS Martyres.] Inter Duodecim SS. *Marcelli* & *Nonnæ* coniugum filios, iſti Sanctiſſimi Tyrones elucent, *velut inter ignes Luna minores.* Eorum elogium laxato calamo ſcripſit Beda h. d. dicens: *Natale SS. Martyrum* EMETHERII, *&* CELEDONII, *qui primum apud* Legionem *Galatiæ* (Gallætiæ *repone*) *Ciuitatem milites, exurgente perſecutionis procella, pro confeſſione nominis Chriſti, plurimis afflicti tormentis,* Calacurrim *vſque perducti, atque ibi martyrio coronati ſunt. Cumque capita Lictores inciderent miraculum populis magnum apparuit. Nam vnius annulus, orariumque alterius, nube ſuſceptum, & in cælos euectum eſt. Viderunt hæc omnes, qui aderant, & vſquequo acies oculorum intendere potuit fulgorem auri, canderémque lintei, attonito ſequebantur intuitu.* Eadem Vſuardus, & Ado. qui Prouinciam & vrbem veracius ponunt. Sequuntur Notkerus, Petr. de Natal,

Martyrologia.

in

in Cat. SS. lib. 3. c. 172. qui fœdè prolapsus in *Lugduno* Galliæ militaſſe ſomniauit. VVandelbert. *Error Equilini.*

His & EMETHERIVS, CELEDONIVS, *atque Marinus.*
Maurolycus, Conſtantius Felicius, Alex. de Peregrin. Bellinus, Ferrarius, & Martyr. Roman. Caſtellanum *P. Vazq.* Luſitanum *PP. Soc. Ieſ.* & Hiſpanum MS. *P. Higuera.* Conueniunt omnia Hiſpaniæ Breuiaria tam MS. quàm edita. Eorum Acta carmine ſcripſit Prudentius Noſter in *Periſteph. hymn. 1.* in hunc modum.

HYMNVS IN HONOREM
SS. Martyrum EMETHERII, & CELEDONII *Calagurritanorum.*

Scripta ſunt cœlo duorum
Martyrum vocabula,
Aureiſque Chriſtus illic
Annotauit literis.
Sanguinis notis eadem
Scripta terris tradidit,
Pollet hoc felix per orbem
Terra Ibera *ſtemmate.*
Hic locus dignus tenendis
Oſſibus viſus Deo,
Qui Beatorum pudicus
Eſſet hoſpes corporum.
Hic colentes hauſit vndas
Cæde tinctus duplici,
Illitas cruore ſancto
Nunc arenas, incolæ.
Confrequentant obſeruantes
Voce, votis, munere.
Exteri necnon, & orbis
Huc colonus aduenit.
Fama nam terras in omnes
Præcucurrit proditrix,
Hic patronos eſſe mundi
Quos precantes ambiant.
Nemo puras hic rogando
Fruſtra congeſſit preces,
Lætus hinc terſis reuertit
Supplicator fletibus.
Omne quod iuſtum popoſcit
Impetratum ſentiens:
Tanta pro noſtris periclis
Cura ſuffragantium eſt.
Non ſinant inane, vt vllus
Voce murmur fuderit
Audiunt, ſtatimque ad aurem
Regis æterni ferunt.
Inde larga fonte ab ipſo
Dona terris influunt,
Supplicum cauſas petitis
Quæ medelis irrigant.
Nil ſuis bonus negauit
Chriſtus vnquam teſtibus:
Teſtibus, quos nec catena
Dira nec mors terruit.
Vnicum Deum fateri
Sanguinis diſpendio,
Sanguinis ſed tale damnum
Lux rependit longior.
Hoc genus mortis decorum eſt,
Hoc probis dignum Viris,
Membra morbis exedenda
Texta venis languidis.
Hoſtico donare ferro,
Morte, & hoſtem vincere,
Pulchra res ictum ſub enſe
Perſecutoris pati;
Nobilis per vulnus amplum
Porta iuſtis panditur,
Lota mens in fonte rubro
Sede cordis exilit.

Nec rudem crudi laboris
Ante viam duxerant
Milites, quæ ad perenne
Cingulum Christus vocat.
Sueta virtus bello, & armis
Militat sacrarijs,
Cæsaris vexilla linquunt,
Eligunt signum Crucis;
Proque ventosis draconum
Quod gerebant pallijs,
Præferunt insigne lignum
Quod draconem subdidit.
Vile censent expeditis
Ferre dextris spicula,
Machinis murum feri. e,
Castra fossis cingere.
Impias manus cruentis
Inquinare stragibus,
Forte tunc atrox secundos
Israëlis posteros.
Ductor aulæ mundialis
Ire ad Aram iusserat,
Idolis litare nigris,
Esse Christi refugas.
Liberam succincta ferro
Pestis vrgebat fidem.
Illa virgas, & secures,
Et bisulcas vngulas.
Vltro fortis expetebat,
Christi amore interrita,
Carcer illigata duris
Colla baccis impedit.
Barbaras forum per omne
Tortor exercet manus,
Veritas crimen putatur,
Vox fidelis plectitur.
Tunc & ense cæsa virtus
Triste percussit solum,
Et rogis ingesta mæstis
Ore flammas sorbuit.
Dulce tunc iustis cremari,
Dulce ferrum perpeti;
Hic Duorum chara Fratrum
Conualescunt pectora,
Fida, quos per omne tempus
Iunxerat sodalitas,
Stant parati ferre quidquid
Sors tulisset vltima.
Seu foret præbenda ceruix
Ad bipennem publicam,
Verberum post vim crepantum,
Post catastas igneas.
Siue Pardis offerendum
Pectus, aut Leonibus,
Nos ne Christo procreati
Mammonæ dicabimur?
Et Dei formam gerentes
Seruiemus sæculo?
Absit, vt cœlestis ignis
Se tenebris misceat.
Sit satis, quod capta primò
Vita sub chirographo,
Debitum persoluit omne
Functa rebus Cæsaris.
Tempus est Deo rependi
Quidquid est proprium Dei,
Ite signorum magistri,
Et vos Tribuni absistite.
Aureos auferte torques,
Sauciorum præmia;
Clara nos hinc Angelorum
Iam vocant stipendia.
Christus illic candidatis
Præsidet cohortibus,
Et throno regnans ab alto
Damnat infames Deos.
Vosque, qui ridenda vobis
Monstra, Diuos fingitis,
Hæc loquentes obruuntur
Mille pœnis Martyres.
Nexibus manus vtrasque
Flexus inuoluit rigor,

Et chalybs attrita colla
Grauibus ambit ciclis.
O vetustatis silentis
Obsoleta obliuio,
Inuidentur ista nobis,
Fama & ipsa extinguitur.
Chartulas blasphemus olim
Nam satelles abstulit,
Ne tenacibus libellis
Erudita secula.
Ordinem, tempus, modúmque
Passionis proditum
Dulcibus linguis per aures
Posterorum spargerent.
Hoc tamen solùm vetusta
Subtrahunt silentia,
Iugibus longum catenis
An capillum pauerint.
Quo Viros dolore tortor,
Quáve pœna ornauerit:
Illa laus occulta non est,
Nec senescit tempore:
Missa quòd sursum per auras
Euolarunt munera,
Quæ viam patere cœli
Præmicando ostenderent.
Illius fidem figurans,
Nube fertur annulus;
Hic dat sui pignus oris,
Vt ferunt, orarium.
Quæ superno rapta flatu
Lucis intrant intimum,
Per poli liquentis axem,
Fulgor auri absconditur.
Ac diu visum sequacem
Textilis candor fugit:
Subuehuntur vsque in astra,
Nec videntur amplius.
Vidit hoc conuentus adstans,
Ipse vidit carnifex,
Et manum repressit hærens,
Ac stupore oppalluit.
Sed tamen peregit ictum,
Ne periret gloria:
Iam ne credis bruta quondam
Vasconum gentilitas,
Quàm sacrum crudelis error,
Immolauit sanguinem?
Credis in Deum relatos
Hostiarum spiritus?
Cerne quàm palam feroces
Hic domantur dæmones;
Qui lupino capta ritu
Deuorant præcordia.
Strangulant mentes & ipsas,
Séque miscent sensibus;
Tunc suo iam plenus hoste
Sistitur furens homo.
Spumeas efflans saliuas,
Cruda torquens lumina,
Expiandus quæstione
Non suorum criminum.
Audias, nec tortor adstat,
Eiulatus flebiles,
Scinditur per flagra corpus,
Nec flagellum cernitur.
Crescit, & suspensus ipse
Vinculis latentibus,
His modis spurcum latronem
Martyrum virtus quatit.
Hæc coërcet, torquet, vrit,
Hæc catenas incutit,
Prædo vexatus relictis
Se medullis exuit.
Linquit illæsam rapinam,
Faucibus siccis fugit,
Vngue ab imo, vsq; ad capillum,
Salua reddit omnia,
Confitens ardere se se,
Nam gehennæ est incola
Quid loquar purgata longis
Alba morbis corpora?

Algidus cùm decolores
Horror artus concutit,
Hic timor vultum relinquit,
Hic color verus redit.
Hoc bonum Saluator ipſe,
Quo fruamur praſtitit,
Martyrum cùm membra noſtro
Conſecrauit oppido.

Soſpitant qua nunc colonos,
Quos Iberus *alluit:*
State nunc hymniſta matres
Pro receptis paruulis.
Coniugum ſalute lata
Vox maritarum ſtrepet;
Sit dies hac feſta nobis,
Sit ſacratum gaudium.

Hoc etiam hymno olim fuit *Eccleſia Gothica* vſa, vt ex *Breuiario* patet *Iſidoriano*; in cuius rythmi ecphraſi, licèt Martyrum, nec vrbis nomina recenſeantur, aſt nullus de veritate ACTORVM dubitauit, quin vero in *Hymno SS. Martyrum Caſar* dixit.

Noſtra praſtabit Calagurris *ambos.*
Quos veneramur.

S. Gregorius Turonenſ. *lib.*1. *de Glor. Martyr. cap.*93. quidquid dubij ineſt in *Prudentio*, breui compendio patefecit, his verbis: CALAGVRRIS *autem vrbs* Hiſpaniæ, EMETHERIVM, *&* CHELIDONIVM *Martyres geſtat, ſape ab eorum virtute miracula cernendo, diuerſarum agritudinum medicamina capit. Hi etenim Martyres à perſecutore comprehenſi, & ad ſupplicium rapti, dùm diuerſis pœnis afficerentur, ob diuini nominis confeſſionem, exceptâ vltima damnationis ſententiâ, deducuntur ad decollandum. Cùmque eorum capita Lictor incideret, miraculum populis magnum apparuit. Nam vnius annulus, orariumque alterius, nube ſuſceptum eſt, & in cælis euectum. Viderunt hac omnes qui aderant, & vſquequo acies oculorum intendere potuit, fulgorem auri, candorémque lintei ſuſpectu ſequebantur attoniti.* Præbet huius rei teſtimonium Aurelius Clemens *in Libro Coronarum* his verſibus, dicens: *Illa laus*, &c. Quod antea dixerat *S. Iſidorus* Noſter *in Benedict. Officij SS. Emet. & Celidon. in Breuiar. Goth.* his verbis. *Omnipotens Deus, ad quem Beatiſſimi* EMETHERIVS, *&* CELIDONIVS *Martyres, ob confeſſionis, fideique ſignaculum, Orarium, atque Annulum cælis ſubuehenda miſerunt, conſeruet vos vtroque munere gratiarum. Amen. Vt per eos, & fidei, & confeſſionis virtute pollentes, aterni caleſtis patria habeamini ciues, quorum hodie geminum feſtum celebratis ouantes. Amen. Quo ſicut alumna plebs de eorum gemina ſuſceptione corporum gratulatur, ſic tota Eccleſia, eorum ſe tueri, ac defendi patrocinijs gratuletur. Amen.* Ex his colligitur demonſtratiuè, & practicè ACTA à *Prudentio* Noſtro carmine concinnata, Noſtrorum SS. Martyrum EMETHERII eſſe, & CELIDONII. His ſuffragantur Scriptorum tàm exterorum, quam Noſtrorum Hiſtoriæ, quas referunt Ado Treuenienſ. *in Chron. Ann.*300. Baron. *Annal. Eccleſ. tom.*2. *Ann.*298. *num.*9. Haræus, Surius, Lipooleus, & alij ex exteris. Ex Noſtris S. Eulog. *in Memor. lib.*1 *cap.*4. Marin. Sicul. *de Reb. Hiſpan. lib.*5. Hiſt. General. Hiſp. 1. *p. cap.*141. Ægid. Zamorenſ. *Antiq. Hiſp. cap.*8. Vaſſ. *in Chron. Ann.*306. Ambroſ. Moral. *tom.*1. *Hiſt. Hiſp. lib.*10. *cap.*21. P. Ioann. Mariet. *Hiſt. SS. Hiſp. lib.*2. *cap.*24. P. Truxill. *in Theſaur. Concionat. tom.*2. *fol.*671. Padilla *Hiſt. Eccleſ Hiſpan. tom.*1. *Cent.*4. *cap.*21. P. F. Athanaſ. de Lobera *Hiſt. Legion. c.*15. *fol.*275. P. F. Anton. Vincent. Domenec *Hiſt. SS. Cathalon. lib.*1. *fol.*18. P. F. Saluat. Pons *Hiſt. SS. Emeth. & Celidon.* P. Biuar. *in Not. ad Dextr. in Chron. Ann.* 298. *Com.*1. *num.*1. *fol.* 314. Eorum ACTA ſcripsêre patriò idiomate Vega, Lucius, Millan, Sanctorus, Cayraſco, Villegas, Ribadeneyra, & Ioannes Maldonado, Antonius Nebriſenſis, & cæteri florum SS. Scriptores. Illa è tribus MS. Codicibus Toletano Montis Sion, Segobienſi, & Aſturicenſi exſcribemus.

Calagurris locus paſſionis Sanctorum.

Hiſtorici.

ACTA

ACTA SS. EMETHERII, ET CELIDONII Martyrum Calagurritanorum, è tribus vetustissimis MSS. Codicibus.

QVINTO NON. MARTII.

Passio Beatorum Martyrum Emetherij, *&* Celidonij, *qui passi sunt* Calagurræ.

Etsi priscarum antiquitas passionum, quibus sunt Beatissimi Martyres Emetherivs, *&* Celidonivs *consecrati, gestorum fidei velamen obliterata obliuionis obduxit, tamen quia viuax insigne meritorum, ipso suo silentio proclamandum, nec debet latere nec potest, in Auctorum vicem, laus celebrata succedat. Quæ etsi mens vestra cælestis gratia sui dignitate non implet, contra inuidam tamen illorum temporum taciturnitatem annuum munus votis solemnibus expleat. Quod quia de comprobata innumeris exemplis eorum dignatione præsumptum est; vt officia obsequentis inciperent, quod laudantis merita æquare non possent, famulatus iste non in verbis existimandus est, sed in votis. Maior est enim quodammodo impossibilitatis effectus, quia cessat in amore iudicium, & verecundia sua prodiga semper est ac profusa dilectio, quæ posse non cogitat, dùm velle compensat. Pro plenitudine, conatus habeatur, & sit, ausum fuisse, perfectio, dùm asserentis infirmitas latet sub materia dignitatum: & quod non potest laudans adsequi, non sibi veretur adscribi, ac sic sermonem securus aggreditur, qui ipsius honoris magnitudine, quam prædicaturus est, excusatur, nec sic omnis Historiæ series inuidam abolebit obliuionem, sed per ætatis ordinem reuiuiscentis famæ viuax portio pullulabit, vt facile possit intelligi exinde quod proditur, quàm sit magnificum quod celatur. Exequendus est igitur ordo rumoris, & laudis admiranda narratio, vt quod inhibitus sermo non explet, in veritate fabula subministret. Legionarios fuisse Milites* Emetherivm, *&* Celidonivm * *fama est, atque ibidem secularibus primùm stipendijs militasse, vbi nunc signat* Oppidum *appellatio antiqua* Castrorum*: & cùm adhuc* Gallæcia *cum* Tarraconensi *prouincia, sociata* Hispaniæ Citeriori *habeatur, feralis clangor classici * gentilis intonuit, qui obseruantiam nominis Christiani rabidâ persequutione vexaret. Ecce hîc nos fama destituit, & pressa insignium factorum gloria conticescit. Sed ipsa sui decepta probatur obliuio, dùm credentium pectoribus fides inserit, quod audientium auribus taciturnitas abnegauit. Seu igitur anteacta vita operibus proditi, quia Principi omnium Deo etiam in castris secularibus militarunt; siue repentino Sancti Spiritus ardore succensi, positis mundi armis, ad hoc prælium cucurrerunt; in vtroque felices, in vtroque gloriosi, qui aut Dominum à principio sunt sequuti; aut à Domino, quòd insperata præmia mererentur, sunt electi *. Sed vnde hunc fuisse passionis locum, cùm ab hoc* Legionensis * *Ciuitas multis distet spatijs, suspicamur. Attractos ne huc credamus, an sponte venisse? Coniecturam sensus in vtrumque mittamus, vt vbique precum sublime, & insigne cernamus. Pone hinc procellam persequutionis in fide naufragia tumescentia ad desiderium florentis palmæ prolati sunt, rumoribus excitati. Inter primas vtique dignitates Regnorum cælestium sunt ponendi, qui ad passionem venerunt non quæsiti: Excellentis voti est, inter tormenta prosilire, vbi non est criminis latuisse. Sic credo, alter * ad alterum affatus est:* Diu est frater Charissime, quòd in his vanis stipendiis militamus, vbi missio * tantum ociosa, & breuissimo caduci temporis interuallo conclusa est. Sequamur veri Regis insignia victricia: ecce imminet bellum fidei, in quo inest nobis occasio augere ordinem militandi. Veteranos

Parla.

An attracti, an producti, ignoratur.

* *Fratres SS Facundi & Primitiui*, addit MS. Asturicense.

* *Erroris* in MS. Asturic. *Milites.*

* *Vocati.* in MS. Segob.

* *Vnde fuerunt oriundi Milites.* In MS. Astur.

* *Emetherius ad Celidoniũ fratrem suum.* In MS. Ast. Segob.

* *Opera.* In MS. Astur.

 mundi

* _Telis._ In MS. Aſt.

* _Signiferi nominis._ In MS. M.S.

* _Scuto_, in omnibus MS.

* _Librata._ In MS M.S.

* _Emetherio._ In MS. Aſtur.

mundi tyrocinium cœleſte ſuſcipiat. Reiectis mortalibus curis, * ſumamus arma diuina, quæ in conflictibus pateſcant: nec infirmis mucronibus infracta diſſiliant. Fortiùs continuo ſentiemus nos eſſe munitos, cùm ſigniferæ Crucis * elata vexilla in hoſtem, qui à nobis vincendus eſt, inferentur. Firmet pectus intrepidum contexa fidei opere lorica virtutum. Operiat vulnerum loca ſpei ſicut * oppoſito impenetrabili protectione fiducia. Attollant conum galeæ adhærentis inuicem charitatis erecta faſtigia. Feriat vbique hoſtem miſſibus ſuis vibrata * confeſſio. Hæc ſunt munimina ſempiterna: hæc verè dilápſa de cœlo, pravo interpretata errore gentilitatis ancylia.

Concors vtriuſque oblatio.

HÆC _quidem dicente vno_, * _quod tandiu adhortaretur_; _ſeſe alius_ (_credo_) _increpauit_, _hac referens_: Me ne dubites frater ſummis rebus adhibere conſortem. Sic tibi anteacta ſocietate ſum cognitus, vt ad cœleſtem gloriam videar perſuadendus? Quinimo diſruptis fabulis, probemus hoc factis: & latentem fidei hoſtem vbicumque fuerit inquiramus. Ardet animus iter aggredi. Lente enim quodammodo crudelitatis eſt exhiberi. _Sed quia eos hactenus ſponte húc aduenisſe tractauimus, nunc æſtimemus attractos. Vnde in caſtris ſecularibus militantes, idonei viſi ſunt eſſe martyrio, niſi prioris vitæ proderentur exemplo. Et quidem vltimam ſententiæ ſortem ibidem potuerant excipere comprehenſi, niſi propter conſtantiam confeſſionis, longioribus ſuppliciis putaſſent eos poſſe ſuperari. Apparent eorum virtutum præclara merita_, * _quibus tandiu differuntur extrema; Quoties, credo, per tantos circuitus ciuitatum ſæuientis circa eos perſecutionis ſunt reuerſa tormenta: iterata vulnerum via: & in augmentum doloris, ſæpius dilata ſententia, vt repararet inſaniam carnificum obductio cicatricum? Quoties grauius inſtitit torquere parcendo ſanitas indulta ſupplicio, vt in cruciatibus excreſceret, quod in cruciatione ceſſaret? Quanta tormentorum genera excogitauit artifex, & ingenioſa crudelitas, vt in corpore toties lacerato locum pœna nouitas inueniret? Quoties ergo flammis vngula, quoties vngulis flammæ ſucceſſère, vt & illæ cunctas cruorum vias clauderent, & iſtæ prauſtas notas vulnerum reſecarent? Vno modo cuncta poſſumus inuenire: quod nonnihil à ſæuiente mali patitur, qui tandiù confitens reſeruatur. Quin etiam illud hoc loco ponendum eſt, quod temporis illius nemo Martyr alius inuenitur. Quantum tunc credimus ad iram perſecutoris adiectum, quod hi tantum, Deum, cunctis negantibus, confitentur? Quanti in eos furoris ſtimuli gentilitatis incumbunt, in quibus putant pertinaciam, quòd reſiſtunt. Non per multos crudelitas ſpargitur, nec intentio plurimorum pœnis ſatiata laſſatur. Duo ſuſtinent quidquid populis præparatum eſt. Nemo poteſt maiori vi quæſtionis inſiſtere, quàm qui vinci ſe à paucis exiſtimat non debere. Quas fuiſſe credimus inter hæc, & tanta ſupplicia conſtantiſſimorum Martyrum voces? Quæ cæleſtium ſigna virtutum, cùm tractos per carceres, tàm prolixo tempore, non cuſtodia ſqualor afficeret, non macies deponeret, non pallor ſœdaret, non dolor ſenſus affligeret; ſed interrita facies, & decora caſſam rabidi furoris inſaniam inter exquiſita membrorum tormenta irrideret? Quoties inter vrgentes minas, & fiduciam confitentium vox cæleſtis adhortationis audita eſt? Quoties videntibus Lictoribus, facies ignis teſtificans vim lucis diuinæ exclaruit? Intelligi poteſt ſine dubio, quanta ibi mirabilia, illâ tempeſtate, ſint facta, quorum prodi in poſterum geſta Gentilis expauit inuidia. Reor quippe ſecretè ad ſocios ſuos iudicem temporis illius ſic locutum_: Audite ſatellites mei: Vidimus ipſi ineffabili miracula, & quamuis credere nolumus, horruimus. Excepimus auribus noſtris conſtantium linguarum contumelioſa conuicia. Aſpeximus fortiores tortos fuiſſe tortoribus. Et quamuis edictis Principum noſtrorum in eorum tormenta ferremur, cum publico tamen crudelitatis rubore ceſſauimus. Lucremur ſaltem irriſionem temporis pòſt futuri. Nulla hoc ætas legat, volumina nulla conſeruent,

* _Initia._ In MS. M.S.

Cruciatuū repetitio.

Quæ miracula adfuere.

Tyranni ſententia.

uent, ne Christiana fides talium vnquam armetur exemplo, nec Dei sui gloriam tam clarâ virtute magnificent. Habeant aliquid persequutio nostra lucrum, si hæc acta consumat incendium. *Quid tibi nunc prodest malitia tua vecors, & stulta Gentilitas? Noluisti nos scire quod credimus? Manet incorrupta fides sensuum, & si memoria est sepulta chartarum. Deum, qui nosse cœpit, sic semper cuncta potuisse. Illud sanè quod post datam sententiam capitalem visus vulgi plaudentis excepit, subtrahere fraus inimica non voluit. Ferunt namque, euntes ad consummanda victoriæ locum, præuia futuri muneris ad cælum signa misisse; ab vno* Orarium, *ab alio* Annulum *obsequenti atheri datum fuisse. Victoriaque munera non iuxta specierum stigmata vilitatem, præcelsa Domini sedes statu portante suscepit. Qui arrhabonis gemini præmissa fercula libenter amplexus est, vnum quod esset fidei signum, aliud fauoris indicium. Quæ in conspectu omnium circumstantium volubili aeris motu suscepta, tandiu cunctis mirantibus in sublime subleuata sunt, donec penitus humanis visibus non apparerent. Saluete Christi milites, saluete par nobile: & hæc honoris debiti festa solemnia lætitia chori cœlestis inuisitet. Hanc ergo diem Getulos insulsis ritibus seruientes, celebrare nunquam votis annuis aliquid impediret. Si aut consortio hominum non esset destituta solitudo, aut quod solitudine peius est, circumfusa barbaries. Hoc est quod sanus auferre non potuit inimicus, quod sacrorum titulos corporum, & adorandi sanguinis vestigia, hic vbi se vicisse arbitratus est, consecrauit. Et quidem hæc omnia luculentis aliorum sermonibus adoranda, sacrosancti Dei testes eloquentissimorum hominum operibus inspirassent, nisi quamlibet oblationem parui muneris reseruassent obsequiis Sacerdotes. Auxiliante Deo Patre, cum Iesu Christo, Filio suo, qui viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti, in secula seculorum. Amen.*

Miraculum in Agone.

Coronantur.

IN hisce ACTIS licet nulla de passionis ANNO mentio sit, tamen ex Nostrorum Scriptorum & *Baronij* supputatione suppletur, qui omnes eorum agonem ad Annum Christi CCXCVIII. reiiciunt, vel quod plus est ad CCC. VI. vt contendit *Vasseus.* Videndus Biuar. *ad Dext. d. Ann.* 298. *fol.* 314. *Quo Anno passi?*

QVATENVS in Actis MS. Legendarij Asturicensis ponitur, Nostros Martyres fuisse fratres *SS. Facundi, & Primitiui*, in eo stat, quod anceps quæstio insurgit inter Scriptores Nostros; vtrum *Facundus*, *& Primitiuus* fuerint ne *SS. Marcelli* Centurionis, & *Nonnæ* Ciuium Legionensium, filij? Historia Generalis Hispaniæ, quæ Alphonso Astrologo tribuitur, 1. *p. cap.* 141. Lucas Tudens. *in Proœmio Hist.* Garibay. *in Comp. lib* 7. *cap.* 45. Vass. *in Chron. Ann.* 306. Marin. Sicul. *lib.* 5. *de Reb. Hisp.* & Athanas. de Lober. *Hist. Legionens. cap.* 28. & fere omnia Breuiaria, & Legendaria per vetusta Castellæ vtriusque, fatentur hosce Martyres fuisse filios *S. Marcelli.* Contrarium nituntur probare Ambros. Moral. *Hist. Hisp. lib.* 10. *c.* 23. P. Marieta *Hist. SS. lib.* 2. *c.* 1. Padilla *Hist. Ecclef. tom.* 1. *Cent.* 2. *cap.* 9. Sed *R. P. Martinus de Roa*, horum errorem propalans, apertis rationibus docet *SS. Acisclum, & Victoriam*, quos filios *S. Marcelli* in locum *SS. Facundi, & Primitiui* reposuere *Morales, Marieta, & Padilla*, non *Legionenses* Ciues, sed *Cordubenses* extitisse, nec *Marcelli* Centurionis filios, & probatur ex hymno apud ipsum *fol.* 49. Vbi *Cordubam* alloquens versificatur de *Acisclo, & Victoria* concludit:

An fratres SS. Facundi, & Primitiui?

I. Sententia.

II. Sententia.

Beata nimis Patria,
Et pace, & armis inclyta,
Quæ tot tuorum CIVIVM
Es purpurata sanguine.

Sed quia de hoc prolixius acturi sumus *die XXVII. Nouembris*, in illud tempus Lectores missos facimus. Sufficit hic isthæc scientilla, vt *MS. Asturicensis* lectio conseruetur.

CIRCA sepulchri, seu Depositionis sacrorum pignorum Nostrorum Martyrum EMETHERII, & CELIDONII locum, item perpetua, licet pia contentio est. *Quo loci Corpora iacent?*

P. F.

P. F. Antonius Vincent. Domenec. *Hiſt. SS. Cathalon. lib. 1. fol. 18.* & P. F. Saluat. Pons *in integro libello de Vit. & Tranſlat. SS. Emeth. & Celedon.* contendunt eſſe in Oppido *Cardona*. In Monaſterio *Legerenſi* apud *Vaſcones* P. Yepes *tom. 4. Chron. Bened.* In Eccleſia *Calagurritana* concors omnium Scriptorum Hiſpaniæ placitum eſt. Aſt de hoc laxatis velis dicemus *die XIX. Octobris*, quâ iſthæc Tranſlatio à *Cardonenſibus* colitur.

Triplex opinio.

Capita verò Noſtrorum Martyrum, inquiunt *Truxillo, Lobera, Garibayus,* & cæteri Scriptores Noſtri, *miraculoſe inuenta ſunt longo pòſt temporis interuallo, in quadam Abbatia in Montanis. Certum enim eſſe putatur, quod miraculoſe illuc peruenerant per mare: & aliqua etiam monumenta teſtantur, quod oppidum illud vocatur Portus Beati & glorioſi* Emetherii. Hactenus *Truxillo*. Hodie *Portus* iſte mutatis literis dicitur Santander, propter Parcellos marinos, ſiue recentes, ſiue conditos, celebris.

Capita in oppido Santander.

Notandvm etiam eſt, quòd in aliquibus Scriptoribus præcipuè Legendariis peruetuſtis aſſeritur, hoſce Martyres paſſos, & ſepultos, circa flumen Arenatvm, non procul à *Calagurri*, ita MS. *Aſturicenſe*, & Segobienſe: *Poſt agonem conſummatum in Ciuitate* Calagurria, *circa torrentem qui dicitur* Arenatvm, *vbi capitalem ſententiam ſubierunt fuiſſe eorum Corpora ſepulta.* Quod flumen hodie vocitari Arnedo ſuſpicatur P. Lobera *d. c. 15.* è cuius nomine duo oppida Arnedo, & Arnedillo etymon traxiſſe profitetur; aliud *Caſtella Comeſtabuli*, aliud *Epiſcopo Calagurritano* parens: de quorum Valle amœna agit Garibay. *in Comp. lib. 9. cap. 9.*

An apud Arnedo *oppidum, ſepulcrum SS?*

Calagvrris, quæ & Calagvrivm. Duæ in Hiſpania fuere huius nominis vrbes. Altera Calagvrris, Ivlia Nasica, quæ hodie in Regno Aragoniæ Loharre creditur. Altera Calagvrris Fibvlaria, quæ & Noſtra, in Caſtellæ Regno, Ciuitas Epiſcopalis peruetuſta, in Taraconenſi, apud citeriorem *Iberi* ripam, in planitie ad flumen pendula, formâ quaſi circulari; frequenti clero, & Eccleſiâ Cathedrali perauguſtâ, nobilis. Media inter *Pampilonem* Nauarræ Regiam, & *Numantiam*, à quâ XII. M. P. in Boream diſtat; Mediaque inter *Tudelam*, & *Locronium*, hinc inde VIII. M. P. A *Cæſarauguſtâ* XXII. à *Burgis* Metropoli in ortum fere XXX. M. P. recedens; hodie dicitur Calahorra. De ea Plin. *lib. 3. cap. 3.* Ptolom. *lib. 2. Europ. Tab. 2.* licet illam Calagarona nominet. Eius fidem meminere Romani Scriptores, T. Liu. *lib. 30.* Cæſ. *de Bell. Ciuil.* Valer. Maxim. *lib. 7. cap. 6.* Iuuenal. *Satyr. 15.* Sueton. Tranq. *in Aug. Cæſ. cap. 49.* Paulin. *ad Auſon. epiſt.* & Auſon. *de Rhetor. Burdigal.* Ex Noſtris *Ambroſ. Moral.* qui celebrem profert Inſcriptionem, quam alibi dabimus. Franc. Tarraſ. *de Regib. Hiſp. in Caligula*, vbi fœde dilapſus, Galagvrrim nomen à Caligvla vſurpaſſe hallucinatur; cuius errorem, iuſtè ſuccenturiatur Ludouic. Non. *in ſua Hiſp. cap. 81.* Videſis Ieronym. Zurit. *in Comment. ad Antonini Itinerar. fol. 537.* vbi de vtriuſque vrbis diſcrimine erudite, & Nos infra agemus.

Calagurris duplex populus.

In qua paſſio diſceptatur.

B. S. Marinvs Miles, & Martyr.] Celebris eſt huius S. Martyris memoria apud Euſebium *Hiſt. Eccleſ. lib. 7. cap. 14.* Nicephor. *lib. 6. cap. 13. & 14.* Ruffin. *cap. 12.* A quibus Vſuardus, Beda, Ado, Notkerus, Maurolycus, Bellinus, Peregrinis, Felicius, Galeſinius, & cæteri Martyrologiorum Scriptores, & Petr. de Natal. *in Cat. lib. 3. c. 191.* Martyrolog. Roman. Caſtellanum *P. Vaſq.* Luſitanum *PP. ſociet. Ieſ.* & Hiſpanum *P. Higuera.* Irrepſit mendum in Codicibus editis *Chronici Flauij Dextri* à Calderon, Biuario, & Caro notatis, nam loco *Cæſarea Mauritania*, reponendum eſt: *Cæſarea Palæſtina*; vt conueniant Acta Topographiæ. Illa breuiter ſcripſere Auctores relati, à quibus *Cornelius Craſſis*, & aliqui florum Sanctorum Collectores præcipuè Hiſpani. Quòd iſtius prouinciæ fuerit oriundus docet Dext. *in Chron. Ann. Domini 268.* his verbis: S. Marinvs *Hiſpanus natione patitur Cæſarea Palæſtina.* De quo videndi P. Biuar. *in d. Ann. num. 6. Com. 2. fol. 295.* Roder. Car. *fol. 92. lit. I.* à cuius citatione quoad diem agonis cauendum eſt, quia in diem *XI. Martij*, pro *III.* paſſionem poſuit. Acta Noſtri Martyris ex *Euſebij* relatione, & *Dextri* ampliatione collecta fideliter exſcribemus, vt ab vno originem, ab alio agonem ſumentes, integram hiſtoriam demus.

Martyrologia.

Chronologi.

ACTA

ACTA S. MARINI MILITIS Hispani, & Martyris Cæsariensis, ex Eusebio, & Flau. Dextro.

M A R I N V S *genere* Hispanus, *prosapiâ illustris apud Cæsaream Palestina, in exercitu Romano, vbi magnum decus, & honorem erat consecutus, diuitijs locuples, sed fidei thesauro ditior, militia onera, & honores accepit. Is igitur, cum munus, quod* κλῆμα *appellatur vocaret, secundum militia gradus, illud expetens, tanquam à iure debitum, nullo contradicente suscepit. Quo honore munitus, ministerij munera exequens, abs inuido copiam commilitone prouocatus, pro tribunali comparens,* M A R I N V M *in crimen vocant, illum esse Christianum, Imperatoribúsque non immolare, altâ voce testatus est.* Ex quibus causis (*inquit*) veterum legum institutis, illi non licet, illum dignitatis gradum apud Romanos adipisci: sed istud quidquid est muneris, mihi iure impertiri debet. *Vnde Iudex commotus* (Achiuus *hic erat genere*) *primò sciscitatus est, cuius nam sententia, & religionis esset* M A R I N V S? *Quem vt animaduertit, constanter se Christianum esse confitentem: trium horarum spacium, ei ad deliberandum concessit. Hunc è iudicio egressum* Theotegnus, *qui illic erat Episcopus ad se colloquendi causâ inuitat, & prehensâ manu, rectà deducit in Ecclesiam. Quem cùm interius ad ipsum Sanctuarium collocauisset, lauâ paululum in alteram partem dimotâ, gladium quo cingebatur ostendit, simulque diuinorum Euangeliorum librum adferens, ex aduerso proponit; præcipitque, vt ex illis duobus, quod magis esset vt ex animi sententiâ, diligeret. Vbi verò absque cunctatione porrectâ manu dexterâ sacrum librum accepit:* Theotegnus *sic illum affatur*: Tene, & adhæresce Deo, sic enim ab eo roboratus, quod in optatis est, pro certo assequêre. Abi in pace. *Illum statim inde redeuntem, præco pro tribunali aduocat: iam enim tempus illi præstitutum ad deliberandum, erat completum. Sistit se pro tribunali, qui cum maiorem iam, quàm antea, fidei ardorem, ac studium declarasset, iudici respondens:* Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus, *illicò martyrij coronam capitis abscissione suscepit,* V. Non. Martij, *Anno Domini* CC. LX. VIII. *Cuius corpus* Astÿrius *Senator suscipiens honorificè sepeliuit.*

Origo.
Miles.
A commilitone accusatur.
Apud Iudicem fidem fatetur.
Ab Episcopo consilium explorat.
In fide roboratur.
Patitur.

Quid apud Romanos munus KAHMA in militia fuerit, varie interpretatur. Nam Spartian. *in Vit. Adrian.* Vitem κλῆμα esse contendit; ex quo *Vitem* pro *Centurionatu* accipit, quòd *Centurionibus* creandis *Vitis* deferri soleat: Ideo *Macrobius* apud Robert. Constant. *tom. 2. verb.* κλῆμα, dixit *Vitis Centurialis*, quâ Centurio militem plectebat, & quam Plutarch. *in Galba*, κλῆμα ἑκατοντάρχου vocat, vt notarunt Gothofred. *ad leg. 13. §. Irreuerens. 4. ff. de Re Milit.* & Meursius *in Arbor. sacr. 2. p. cap. 3. fol.* 113. Rationem assignat God. Steuuech. *ad lib. 2. Veget. cap. 7. fol. 77.* dicens: *Centurionalem* (ex quod ad munus hoc attigisse visus est) VITEM *pro insigni accipere, vt milites pro leuioribus culpis, illâ puniret.* Huius gestamen signi depinxit Lucan. *lib. 6.*

KAHMA inter Rom. quid?
Vitis Centurialis, quid?
Latia Vitis, quid?

Scæua Viro nomen, castrorum in plebe merebat,
Ante feras Rhodani gentes, ubi sanguine multo
Promotus, Latiam *longo gerit ordine* VITEM.

Quo verborum ambitu, *Centurionem* intellexit, vt & Sil. Ital. *lib. 6. Punicor.*

—*Latiæ* VITIS *præsignis honore.*

Et *lib. 11.* de Ennio Centurione:

—*Latiaque superbum*
VITIS *adornabat dextrâ decus.*

Eti bidem de Centenio:

—*Vitis honore Perfunctus* Latiæ.

Martialis

Martialis ex vetere Codice *lib.* 10. *Epigramm.* 26.

Vare Paratonias Latia *modo* VITE *per vrbes*
Nobilis, & Centum dux memorande viris.

Videsis Plin. *lib.* 14 *cap.* 1. Apulei. *lib.* 9. *de Asino.* Tacit. *lib.* 1. *Hist.* Dion. *lib.* 55. Liu. *lib.* 56. Lipsium *lib.* 4. *&* 5. *Milit Rom.* Laz. *lib.* 4. *cap.* 10. Hinc apud Festum: *sub vitem præliari*, id est sub ferula centurionis, Dausqueio *ad Sil. fol.* 251. Et *Vitem petere* apud Iuuenal. *Satyr.* 8. *vers.* 193. vbi *vet. scholiast. Ioann. Britannic.* & cæteri Expositores, idem ac, *Centurionatum exposcere.* Alij verbum ΚΛΗΜΑ interpretantur *Palmes*, sed cùm Palmes, & Vitis eadem sint, non est cur disputationibus immoremur.

Vitem petere, quid?

E quâ Prouincia Hispaniæ traxit originem, discepiatur.

CVIVS ergo fuerit Hispaniæ MARINVS accola vrbis, aut è qua originem traxerit, me latet; quia *Dexter* qui illum *Hispanum* consignat, vrbem, & prouinciam omisit. Ast si coniectari liceat, crederem fuisse ex *Gallæcia* oriundum, apud quam MARINORVM plura nomina comperimus. Adsit MARINA Virgo & Martyr Gallæca die XVIII. Iulij, in Romano Martyrologio, & Dextro *in Chron. Ann.* 134. Adsit *Marinus* Columbi filius ex Matre Gallæcus Romanus Pontifex apud Luitprand. *in Chron Ann.* 881. eruditè à Gentili Nostro D. Thom. Tamayo *in Not ad Ann.* 846. *fol* 190. vindicatus. Idem Luitprand. *ad Ann.* 896. de MARINO & Romano Gallæcis meminit, quem sequitur Iulian. *in Chron. num* 458. Adsit denique familia nobilis Marinorum, quos patrium idioma MARIÑOS vocitat, de quibus Molina *in Antiquit. Gallacian. Stant.* 102. vbi in suo antiquo rhytmo asserit.

Aqui los MARIÑOS *tomaron Riueras*
Cuyo solar en Gallicia se halla.

Hoc est, quod genus nobile *Marinorum* in Gallæcia inuenitur, quod familia *Riuera* suscepit. His exemplis quid mirum si eum *Gallæcum* coniectamur, quando D. Thom. Tamayo MARINVM Nostrum, Martyrem Cæsariensem inter *Marinos* reposuit *Gallæcos*, vbi sup. *fol.* 191. Hæc pro coniectatione dicta sufficiant: *Gallæcis* addenda relinquimus. De *Marino* agit Rod. de Acuña *Hist. Vlysipp.* 1. *p. cap.* 7. *num.* 8. qui MARINI Ædilis Vlissiponensis Inscriptionem refert.

CÆSAREA Palæstinæ. Ciuitas olim Archiepiscopalis Palæstinæ celeberrima, maritima, portus, & emporium. Primò *Turris Stratonis* dicta, seu *Pyrgos*, Ptolemæo, Egesyppo, & Iosephò. Post in honorem Augusti CÆSAREA, inter Ptolemaidem, & Ioppen sita. Ab illa XL. ab hac XX. ab Ierosolymis L. M. P. distans, Illam Benjamini Tudelensi æuo SISERIAM dictam. Hodie vt Theueto placet. BALBEC, Pineto ALOR, Ferrario CHASAR.

C. SS. FELIX, LVCIOLVS, & Socij Martyres.] Hactenus *Hispanos* agnouit nemo, etsi *Martyres* cognouêre Beda, Galesinius, Menologium Græcum, & Romanum Martyrologium, cui adhærent *Castellanum* P. Dion. Vazq. *Lusitanum* PP. Soc. Ies. & *Hispanum* P. Higura. Quo auspice Galesinius *Romæ* passos commentet, nec ipse profert, nec vetustiora Martyrologia conscribunt. Ex quo nec *Baronius*, nec *Philippus Ferrarius* illos inter Martyres *Romæ* passos consignant, quia huius Auchris figmenta passim respuunt. Ideo in *Rom. Martyr.* hæc tantummodo recensentur: *Eodem die passio* SS. FELICIS, LVCIOLI, FORTVNATI, MARTIÆ, *& sociorum.* Quos si *Romæ* passos dignosceret *Baronius*, proculdubio in Vrbe Martyres consignasset. Hinc venit explodenda *Galesinij* sententia: & Flau. Dextri *in Chron. Ann.* 300 amplexanda dicentis: *In hac acerbissimâ* (Diocletiani) *persecutione* EBVRÆ *in Carpetanis*, SS *Christi Martyres* FELIX, LVCIOLVS, FORTVNATVS, *&* EVSEBIVS, *qui Præside Hispaniæ* Asclepiade *crucifixi sunt.* Et licet isthinc *Dexter* aliquorum nomina reticeat Martyrum, omnia apud Græcos, & Latinos ore pleno descripta comperies. De eis P. Biuar. ad Dextr. *in Chron. Ann.* 300. *Com.* 2. *num.* 4. *fol.* 328. Roder. Caro. *fol.* 101. *lit E.* P. Anton Quintana-Dueñ. *de SS. Tolet.* sæcul. 3. §. 1. fol. 440. Eorum ACTA sic breui compendio describemus.

Galesinij glossema reijcitur.

ACTA SS. FELICIS, FORTVNATI, LVCIOLI, & Sociorum Martyrum Eborensium in Carpetaniâ.

FELIX *Ciuis* Eborensis *in* Carpetania *Hispania, tempore persecutionis Diocletianicæ fidem Catholicam profitebatur strenuus; cuius regulam sic amplexabatur,ex corde; vt licet Præsidum horribilia auscultaret cruciamina in Christi membra passim, & vbique feroci immanitate patrata, haudquaquam nec suppliciorum exhorruit tentamina, nec Iudicum, constans in fide, irritamenta pertimuit. In legis ergo cognitione perdoctus, sciebat vtique, mortem animæ, non corporis timendam, cùm ista ad vitam consequendam, potiùs iter demonstraret, æternam, si Deo adhærens spiritus, capiti Martyrum obtemperans, vestigia Christi sequeretur intrepidus. Quod vt fortius exequeretur, nonnullos in gloria partem sibi socios igne charitatis asciuit, inter quos* LVCIOLVM, FORTVNATVM, HERODEM, ANTIGONIVM, IANVARIVM, EVSEBIVM, MARTIAM, TERTVLAM, GABIANVM, QVIRIVLVM, FELICEM, FLORIANVM, DONATVM, CLEONICVM, EVTROPIVM, BASILISCVM, ET QVINCTVM, *omnes conciues,& fideles omnes,quibus Imperatorum Diocletiani, & Maximiani funestam in Christi ascetas persecutionem edixit; quot, & quanta eorum Præsides cruciamenta in eos exercuerint in Orbe toto, præcipue Hispanico, propalauit; hincque singulos ad coronam validis adhortationibus inuitauit. Omnes pro fide se dimicaturos spondent, & aduentante Eboram Asclepiade Præside, cùm iste Dijs libamina (ex more) in vrbe offerenda decerneret, die sacrificiorum designato, omnes ciues, præconum voce præeunte, ad templum conuocari, thura Idolis offerre curauit. Ad locum litationis deuenti* FELIX, & Socij, *ab horrida sacrificuli ceremoniâ, fidei seruatis regulis, abstinentes, se se Christi asseclas constanti deliberatione dixerunt. Scanduit Iudicis furibunda tenacitas, & illâ, quâ erat præditus elatione superbia,* FELICEM, & Socios *in quandam ergastuli cryptam conijci catenatos edixit. Paret satellitum cruenta propensio, & alligatos in carcerem martyres, ducens, ibidem mandata Præsidis circumspectat. Postmodum Asclepiades, discussis Sanctorum origine, ministerio, moribus, & religione, vt agnouit illos sub Imperatorum Aquilis militasse, quibus spretis,* CRVCIS *vexillum, in Deorum contemptum, insecutos; à cuius adoratione illos abducere nulla blanda poterat persuasio, præcipit, vt omnes per varias suppliciorum strages, torqueantur, donec aut à proposito separentur, aut in cruciatibus animas, in pœnam temeritatis euomant. Vix dictum, vt factum: sed licet impia tortorum rabies innumera in Martyres exercuerit tormentorum genera; nec à Christo separare, nec dum morti tradere potuerunt agonistas. Tunc præses commotus illos crucibus affigi iubens, ibidem martyrio coronati sunt.* V. Non. Martij. *Anno Domini* CCC.

Patria.

Christianos colligit.

Imperatorũ edicta, & strages proponit.

Comprehenduntur.

Coronantur.

En ACTA quæ sedulitas potuit elicere. De aliis FELICI, FORTVNATO, & sociis diximus *die XVII. Ianuarij tom:* 1. ex Iuliano *in Chron. num.* 25. quos ab istis diuersos consignauimus;& die,& tempore, & loco,circa quorum discrepantiam,consule *Notas* ad diem illum editas,& quæcunque contraria sedabis.

Hic non est audiendus *P. Antonius Quintana-Dueñas*,qui in *Hist.SS.Hisp.fol.* 231. contendit S. MARTIAM cum Nostris Martyribus passam, & fuisse Martyrem *Romanam*, & Sororem Imperatoris Traiani. Quia MARTIA isthæc, vt ex *Dextro* colligitur, non *Roma* martyrij coronam accepit, sed *Ebora* in Carpetanis, cum FELICE, LVCIOLO, & sociis,vt indicant Beda, Martyrologium Romanum, & Græcorum Menologium. Si ergo Eboræ MARTIA consummauit agonem, quo pacto Sororem Trajani consignabimus? Deceptus equidem fuit *P. Antonius* ex glossemate inter opera Iuliani efficto: Hîc inueniuntur hæc verba; *Aduers.* 78.

P. Quintana-Dueñas error.

clarissima: MARTIA Matidia *Soror Imp. Traiani* Virgo *sanctissima passa est in persecutione* Antonini Pij *Romæ cum alijs socijs III. Marty. Fuit Hispana, nec præter vnam hanc habuit aliam sororem Traianus.* Quæ verba merum commentum sapiunt. Nam Martyres socij S. MARTIÆ *Eboræ* passi sunt. Item tempore *Diocletiani*, & *Maximiani*, vt ex *Dextro* probauimus, & patet ex Beda, & Menologio, ibi: *Hi cùm Maximiano Imperatore militarent, delati quòd essent Christiani, sub Asclepiade Præside, post multa tormenta, & crucem ipsam, Martyres effecti, migrarunt in cælum.* ex Rom. Martyrol. sic: *Qui in persecutione* Maximiani, *sub Asclepiade Præside crucis supplicio feliciter triumpharunt.* Ergo non tempore *Antonini Pij*, vt perperam in glossemate. Item quia MARTIA de qua die III. Martij in Menologio, & Martyrologiis, nulla notatur *Virginitatis* prærogatiua, ergo à fide Martyrologiorum deuiat glossema. Quapropter, & quòd MARTIA nulla fuit soror Traiani, nec Christiana, nec Virgo tempore discessus, vt mathematicè probauit D. Martinus de Anaya *in Apolog. fol.* 3. veniunt respuenda quæcunque aliàs doctissimus pater de *Martia Matiada* scriptitauit.

Nulla ex sororibus Traiani Christiana nec Martyr contra Iuliani glossema.

EBORA, IN CARPETANIS. Ciuitas fuit *Hispaniæ Citerioris*, in discrimen alterius vrbis in *Lusitanis Hispaniæ vlterioris*, quam hodie nominant EBORA Portugalliæ. Hæc de qua hodie nobis sermo, diuersa habuit nomina, si Scriptoribus est danda fides. Alij *Talabricam*, nonnulli *Alabricam*, plurimi *Iacobricam*, pauci *Lisbonam*, & Neoterici, Antiquioresque EBORAM, seu ELBORAM dixere. Quis in rei tam dubiæ vestigiis, secura poscet? EBORÆ titulo illam agnoscit *Flau. Dext.* hîc, & alibi P. Ioann. Marian. *lib.* 4. *cap.* 13. & 14. à Ptolemæo *Liboram*, à T. Liuio lib. 40. *Eburam*, à Gothis *Elboram* dictam crede, hodiéque TALAVERA, vocitatam. Isthæc, si *Medinæ* narrationi *lib.* 1. *Antiq vrb. Hispan. cap.* 124. adhæremus, à *Brigo* antiquissimo Rege Hispaniæ condita fuit: Si *Rasi Arabi* à Græcis, vt *P. Mariana* suspicatur. Romanam fuisse Coloniam arbitrantur aliqui MSS. præcipue conscriptus ab hinc CXX. annis à *L. Ioanne Sanctio Placentino*, Plebano Ecclesiæ nouæ *S. Iacobi* in eadem vrbe, qui pluribus rem probat, & contendit, quòd stemmati à primis conditoribus, quod TVRRIS erat, addidere Romani victores TAVRVM in Coloniæ signum, in hunc modum.

Topographia.

Nomina.

Conditor.

Insignia.



Petri Mantuani placitum.

Petrus Mantuan. *in Animaduersion. ad Histor. P. Ioannis Marianæ fol.* 150. & *seqq.* contendit probare EBVREAM Carpetaniæ non esse TALAVERA. Cui fecit satis D. Thom. Tamayo *in Vindic. Marian. à fol.* 185. vsque *ad* 198. vbi validissimis argumentis sententiam *P. Mariannæ* tutatur.

QVARTO

QVARTO NON. MARTII.

DIES IV.

A. Cherronensi *in Hispania Citeriori non procul à* Valentia *Sancti* Basilius *Carthaginis Spartariæ*, Eugenius *Valentiæ*, Pius *Hispalis*, Agathodorus *Tarraconæ*, Elpidius *Toleti*, Ætherius *Barcinonæ*, Capito *Luci Augusti*, Ephrem *Asturicæ*, Nestor *Palentiæ*, *&* Archadius *Iuliobrigæ Episcopi*, *& Discipuli B. Iacobi, qui cùm ibidem ad Concilium celebrandum conuenissent, incipiente impij Neronis crudelitate, per ignis voracis efficaciam, ad candoris inexaustum lumen martyrio peruenêre.*

B. In Cœnobio cognomento CHELAS *propè Vlyssiponam Depositio sacrorum pignorum* B. HADRIANI, *& Sociorum Martyrum apud Nicomediam passorum, qui cùm pro fide Catholica suscepta sub Diocletiano Imperatore comprehenderentur, tandem cruribus fractis, aliósque perpessi cruciatus ad coronam inuictissimi Martyres properarunt.*

NOTÆ.

SANCTI Episcopi apud Cherronensem peninsulam Hispaniæ passi. Eorum nomina & sedes hactenus delituerunt integrè, donec *L. Flauij Dextri* Chronicon pro bono Ecclesiæ Hispaniæ apparuit, tanquam inter *ignes Luna minores*. Menolog. Græcorum hoc die (non vt somniarunt Galesinius, & P. Biuar. die VII. Martij) apud *Card. Sirlet.* ex Canisio *lect. Antiquar. tom. 2. fol.* 740. hæc verba concepit: *Eodem die Sanctorum Martyrum, & Pontificum apud Chersonesum, Basilij, Eugenij, Agathodori, Elpidij, Ætherij, Capitonis, & Ephrem.* Et licet hic deficiant *Pius*, *Nestor*, & *Archadius* qui cum aliis martyrium perceperunt, attamen ipsum *Menologium* duorum posteriorum meminit, quamuis separatim, & *Trimythuntiorum* Episcopos nominet, sic: *Eodem die martyrio functi* Nestor, *&* Archadius *Episcopi Trimythuntiorum in pace quieuerunt.* Quia *Martyrologium Romanum*, agnoscens mendum irrepsisse in Codice *Sirleti*, alio correctiore vtens, sine distinctione omnium nomina, & martyrium coniunxit, sic: *Apud Chersonesum passio Sanctorum Episcoporum Basilij, Eugenij, Agathodori, Elpidij, Ætherij, Capitonis, Ephrem, Nestoris, & Archadij.* Et error *Menologij* apud *Sirletum* deprehenditur; nam illa *Trimythuntiorum* Prouincia adhuc inter Geographos incognita est. Item ad *Pij Hispalensis* recordationem, & anamnesim, è tenebris ortum *Hesperia* repedauit lux lucida Lucij, qui *Ann.* 60. in hæc verba prorumpit. *Eodem tempore, cum conuenissent in* Cherronensi *vrbe prope Valentiam*

A. Martyrologia.

Trimythuntiorum prouincia à Geographis ignota.

Pij Hiſpalenſis Præſulis memoria. *Galeſinij error.*

tiam in Hiſpania *Concilij cauſa, Sancti Pontifices, diſcipuli quoque Iacobi Apoſtoli*, Baſilius *Carthaginis Spartariæ diſcipulus eius primus*, Eugenius *Valentinus*, Pius *Hiſpalenſis*, Agathodorus *Tarraconenſis*, Elpidius *Toletanus*, Ætherius *Barcinonenſis*, Capito *Lucenſis*, Ephrem *Aſturigenſis*, Neſtor *Palentinus*, Archadius *Iuliobrigenſis*, *ſub eodem Iudice bonis ſpoliati necati ſunt.* Galeſinij elogium neſcio quo vſus *menologio* ad diem V II. ſic: *In Græcia* (hoc eſt apud Græcos, non quia paſſio, ſed quia cultus) *Sanctorum Epiſcoporum Martyrum Baſilei*, *Ephraim* (pro Ephrem) *Charitonis* (pro Capitonis) *Eugenij*, *& cæterorum, qui in Cherſone cruciati, ſanguine denique perfuſo, illuſtre fidei Chriſtianæ teſtimonium dederunt.* Martyrolog. P. Higuer. MS. ſic: *En Peñiſcola de Eſpaña los SS. Martyres que padecieron en la perſecuçion de Neron Baſileo, Eugenio, Pio, Agathon, Elpidio, Eterio, Capiton, Efren, Neſtor, y Arcadio Obiſpos, los quales padecieron muchos martirios por la Confeſion de la fee Catholica.* Latine ſic: *Apud Cherſoneſum Hiſpaniæ Sancti Martyres qui in perſecutione Neronis paſſi ſunt Baſileus, Eugenius, Pius, Agathon, Elpidius, Ætherius, Capito, Ephrem, Neſtor, & Archadius Epiſcopi, qui plures perpeſſi ſunt cruciatus propter fidei Catholicæ confeſſionem.* Philipp. Ferrar. in Topograph. SS. verb. *Cherſoneſus* fol. 36. ſic: *IV. Marty Baſilius, Eugenius, Agathodorus, Elpidius, Etherius, Capito, Ephrem, Neſtor, & Arcadius Epiſcopi Martyres. Incertum eſt ex Martyrologio in qua Cheroneſo. Conſulendum eſt Menologium.*

Scriptores. De eis, aut particulariter, aut cumulatim P. Biu. *in not. ad Dextr. d. An.* 60. *num.* 2. *fol.* 118. *& ſeq.* Roder. Car. *lit P. fol.* 27. *col.* 2. P. Quintanad. *Hiſt. SS. Hiſpal. fol.* 53. *in not. num.* 2. D. Paul. de Eſpinoſ. *Hiſt. Hiſp. lib.* 2. *cap.* 3. *fol.* 38. Ægid. Gonçal. Dauil. *in Theatr. Eccleſ. Aſturic. lib.* 1. *c.* 4. D. Petr. Aingo de Ezpelet. *in fundat. Eccleſ. Aſturic.* §. 3. *num.* 19. D. Maur. Caſtell. *Hiſt. S. Iacobi lib.* 1. *c.* 22. *fol.* 81. Morill. *Hiſt. Cæſarauguſt. lib.* 1. *c.* 8. & Auctor Hiſt. Cæſaraug. *tom.* 2. *c.* 4. *fol.* 381. Gaſp. Eſcolan. *Hiſt. Valent. lib.* 2. *c.* 1. *num.* 13. *fol.* 221. *tom.* 1. P. Diagus *ead. Hiſt. tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 7. *fol.* 143. *col.* 4. P. Ojea *in Aduent. S. Iacob. c.* 8. Barnab. Moren. *Hiſt. Emerit. lib.* 2. *c.* 1. *fol.* 65. Illuſtriſſ. Epiſcop. Turiaſon. *in Primat. Tolet.* 1. *p. c.* 6. *fol.* 30. D. Franciſc. Caſcal. *Hiſt. Murtiæ. diſcurſ.* 20. *c.* 3. *fol.* 424. D. Roder. de Acuña *Hiſt. Portuenſ.* 1. *p. c.* 2. *fol.* 37. *&* 38. & in *Hiſt. Bracc.* 1. *p. c.* 19. *fol. num.* 5. *fol.* 98. D. Franciſc. de Sandoual *in Hiſt. S. Antonini Hiſpan.* §. 7. *fol.* 64. & Ioan. Paul. Martyr Riço *Hiſt. Conchenſ. c.* 5. *fol.* 24. & alij, quos enumerare longum eſſet. Quorum memoria ſic tumultuatim cingulo breuitatis obſtricta, operæ precium erit, indiuidualiter & ſeparatim de vnoquoque, quid antiquitatis fama perduxerit, explanare. Quod, vt ſine alicuius Eccleſiæ fiat præiudicio, eorum memorias referemus, & eo ordine, quo *Flau. Dexter* eſt vſus, procedemus.

Duo Baſilij. *Probatur diſcrimen.*

BASILIVS Carthaginis Spartariæ. Hic primus apud *Dextrum* nominatur: ſed quia inter noſtros Scriptores aliqua amphibologiæ veſtigia comperio, circa hunc ſanctiſſimum Noſtri Patroni diſcipulum, ſciendum eſt duos huius nominis ſynchronos *Iacobi* fuiſſe, alium *Carthaginis Spartariæ* Epiſcopum, cuius martyrium cum cæteris hoc die Eccleſia colit; alium Epiſcopum *Portuenſem*, & *Braccarenſem*, cuius trophæum die *XXIII. Maij*, apud *Ambratiam* Vettoniæ cum ipſius ſanctiſſimo ciue, & Epiſcopo *Epitatio*, etiam Catholica concelebrat Eccleſia. Diuerſitatis ratio ſumitur ex variis locorum, annorum, menſium, & dierum cruciatuum, aſſignationibus. Iſte apud *Cherſoneſum* in *Ilercaonibus* prope *Valentiam*, Anno Chriſti L X. Menſe Martij, Die I V. cum cæteris ſanctiſſimis ſociis Epiſcopis in Concilio congregatis. Ille apud *Ambratiam* in *Vettonibus*, Anno L V I I. Menſe Maij, Die XXIII. cum *S. Epitatio* Epiſcopo, & ciue *Ambracienſi*. De primo ſatis ex Martyrologiis, & Menologio probatum eſt. De ſecundo ſuo die elogia repetam, & ad huius diuerſitatis probationem M. R. dicto die XXIII. Maij auctoritas ſufficiet, ſic: *In Hiſpania Sanctorum Martyrum Epitatij Epiſcopi, & Baſilei.* Et vt cognoſcatur, qui fuerint hi *Baſileus*, & *Epitatius*, verba S. Athanaſij Cæſarauguſtani *in fragm. apud P. Biu.* in Dextro in principio, ſic: *Epiſtolas Apoſtolico plenas ſpiritu ſcripſit* (S. Petrus Ratenſis I. Epiſcopus Braccarenſis, diſcipulus S. Iacobi) *ad Eccleſias, in quibus Epiſcopos inſtituit, vt Irienſem, Amphilochenſem, Eminienſem, Portuenſem vbi Sanctum* Baſileum *condiſcipulum poſuit* (*qui illi per martyrium ſublato ſucceſſit in Sede Braccarenſi*) Epitatium *in Trudenſi.* En duorum Sanctorum *Baſilei*, &

Epitatij

Epitaty Episcoporum memoria, quódque apud *Ambratiam* martyrio coronati sint, concors opinio est, vt ex *Sandoual. Acuña, Biuar.* & aliis ego compaginaui in *Vita S.Epaty* lingua Hispanica, efflagitante Illustriss. ac Reuerendiss. *D. ac D. mei D. Didaci de Arce Reynoso Episcopi Placentini Generalis Inquisitoris Hispaniæ, Sanctissimi Martyris successoris, tàm in Tudensi, quàm in Ambraciensi Episcopatu*, deuotionis affectu. Causam antecedenti animaduersioni dederunt confusio nominis, & sedium electio; quia cum *Carthaginis* Scriptores, & *Portugallenses*, *Braccarensésque* Chronologi *Basilium* discipulum *Iacobi* inuenissent, acta vnius cum alterius actis confundunt: ex quo conuenit illorum varietates recensere, vt agnoscatur, & liquidò constet non vnum, sed duos fuisse *Basilios*, vt prædiximus, licet *Braccarensis* communiter *Basileus* vocitetur. His sic intellectu perceptis ad *Basilium Carthaginensem* veniamus. Cuius acta vt peruetustæ recordantur laciniæ historicæ, sequentibus clausulis retexuimus.

Basilius *fuit (vt creditur) natione* Græcus, *qui in dispersione fidelium ex* Hierosolyma *morte* Stephani, *vt* Lucas *scribit, cum alys Christianis profugit* Hispanias *adyt, & apud* Municipium Florentinum Illiberitanum *demoratus, ipsius Ciuis admissus est. Post veniente* Iacobo *Zebedæi filio ad prædicationis munus Euangelicæ doctrinæ Nostras seminandum*, Illiberim *accedente*, Basilius *Sancto Apostolo à consortiys effectus est. Qui in opus missionis fidei taliter se prabuit, vt ipsius interpellantibus meritis ad* Carthaginis Spartariæ *sedem adscitus, Episcopali meruit honore fulgeri. In huius ergo muneris functione ouei pascuis spiritualibus saturabat, cùm fama peruagauit turbulenta de nece Sanctissimi apud* Hierosolymas *Magistri, sed cùm sæpe sæpiùs facta respondeant opinioni, paucis interiectis diebus ad Portum* Carthaginis *attulit scapha, in qua corpus* S.Iacobi *à discipulis noctu extractum* Iriam *vsque* Flauiam *ferebatur. Quo cognito* Basilius *illicò* Gallæciam *petit, vbi inuentis sacratissimis pignoribus cum cæteris Discipulis, Altare more sacro, quo tunc Apostolicus disponebat ordo, super sacra lipsana erigunt, & consecrant. Quo pij affectus vltimo officio finito, vnusquisque in suam reuertitur sedem, exceptis septem qui* Romam *properant, & à B.Petro aliquarum vrbium Pastoribus carentium, Episcopatuum infulis decorantur.* Basilius *autem* Carthaginem *remeauit: vbi denuo in infidelium prædicatione, in fidelium corroboratione, & in bonorum operum coaceruatione vitam transigebat. Sed instante Populorum, & Ecclesiæ necessitate aliquorum canonum, prout illa tempora expetebant, visum fuit, quòd Concilium indiceretur, & cùm iam ab anno* LVII. *per* Hispanias *fera Ethnicorum rabies in persecutionis formulam contra Christi cultores grassaretur, omnium concors Præsulum* Hispaniæ *obtinuit opinio, vt apud* Cherronesum *in* Ilercaonibus *non procul à* Valentia, *quod ab hominum, & Populorum nostra erat regionis commercio alienum videbatur, secederent, ibique Spiritus Sancti gratia coadiuuante, quidquid in bonum Ecclesiæ* Hispanicæ *augmentum fore dignosceretur, perpetuis canonibus decretarent. Quod etsi consultum, non perfectum. Nam coadunatu apud* Cherronesum *Sanctissimis Episcopis in huius dies elogio recensitis, eorum congregatio ad aures Aloti seuerissimi Iudicis peruenit, qui protinus eorum corpora, & bona confiscatione ferali comprehendens, illa igni, & mucroni tradidit aut comburenda, aut lanianda, ista sub hasta vendita crumenæ aut suæ, aut fisci dedidit custodienda. Inter quos* S.Basilius *Episcopus* Carthaginis Spartariæ *huius sæculi martyrio vltimam conspexit lucem, vt in illo sine fine, æternum trophæo diem respicere mereretur.* IV. Non. Martij *Anno* LX. *Imperante Nerone, Summum Pontificatum obtinente S. Petro Consulibus Nerone III. & Valerio Messala I.*

Origo.

Act.Apost. c.8.

Discipulus Iacobi.

Episcopus factus.

Interest funeri S.Apostoli.

Ad Concilium peruenit.

Ab Aloto tenetur.

Coronatur.

In conscribendis *S. Basily Carthaginis Spartariæ* Episcopi actis, exordium præbuit Noster L. Elau. Dext. qui *ann.* 37. postquam numerauit discipulos, quos secum adduxit Hierosolyma *S. Iacobus*, prosequitur hisce verbis: *Et alios S. Iacobus creauit Episcopos: alterum* Basilium, *qui primus fuit Carthaginis Spartariæ Præsul.*

Fuit vnus ex profugis.

&c. omnes hi ex profugis ſunt. Sed vnde profugi? ab vrbe Hieroſolyma, tempore quo S. Stephanus lapidatus eſt. Nam eo die facta eſt perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Hieroſolymis, & omnes fideles præter Apoſtolos diſperſi ſunt. vt ex Luc. Act.8. comperies. Quo loco, licet diſperſos fuiſſe profugos per Iudeam, & Samariam tantùm referat Apoſtolus; attamen de prima diſperſione loqui videtur, id eſt, de primo itinere, cum poſtea c.11. dicat: Et illi quidem, qui diſperſi ſunt à tribulatione, quæ facta fuerat ſub Stephano perambulauerunt vſque Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam. Ex quo cùm iſti ad Phœnicem, Cyprum, & Antiochiam peruenêre, etiam alij Europam, Hiſpaniamque attigiſſe credendum eſt.

Poſt Stephani necem.

Quod ex Dextro cognoſcitur ann.35. ſic: Occiſo lapidibus Stephano Prothomartyre magna perſecutio Hieroſolymis & in confinibus exoritur. Pluſquam XV. mille viri, qui prædicantibus Apoſtolis in Chriſto crediderant, fugantur; alij in Aſiam, nonnulli ad Europam veniunt. Ex his pluſquam quingenti naue Cypri educti Portum Carthaginenſem Hiſpaniæ pertingunt. Qualiter hæc verba cum verbis Apoſtoli concordentur, videndus P. Biu. in not. ad Dextr. d. ann.35. n.3. & 4 fol. 44. & 45. & Roder. Car. d. ann. fol.9. col.2. lit.X. Ex dictis agnoſces, quod illa Dextri verba ann.37. Omnes hi ex profugis ſunt. intelligenda ſunt de illis profugis qui in diſperſione Hieroſolymitana peruenerunt ad noſtram regionem. Quod & comprobatur, quia ipſe Dexter d. ann.35. num.6. per anticipationem dixit: Ex his (profugis) pòſt à Beato Iacobo eliguntur vrbium Pontifices, & Paſtores.

Morabatur apud Iliberim.

Quòd fuerit Ciuis Municipij Illiberitani Florentini, Iulian. Archipreſbyt. Tolet. pignus ſoluat, in Chronic. n.22. ſic: Baſilius Ciuis Municipij Florentini, ibi Illiberitani Epiſcopus Carthaginis Spartariæ. D. Roderic. de Acuña d. Hiſt. Portuenſ.1. p. c.2. Dexter. Ann.37. de Epiſcopatu huiuſmodi à Iacobo accepto, ſic: Et alios S. Iacobus creauit Epiſcopos, alterum Baſilium, qui primus fuit Carthaginis Spartariæ Epiſcopus. Quòd cognito aduentu corporis ſanctiſſimi Magiſtri Gallæciam petiiſſet, Altaréque conſecraſſet Dext. Ann.42. Altare ſuper ſacrum corpus erigunt, & more ſacro, Baſilius, Athanaſius, Chriſogonus, Agathodorus, Elpidius (qui nuntio accepto de corpore ſui parentis in Hiſpanias allato, mox Iriam accurrunt) ſacrant, & Apoſtolo dicant. Iulian. in Chron. n.25. Epiſcopi Baſilius, Pius, Gregorius, & alij Altare (S. Iacobo) conſecrauerunt, & in illo loco tandem ſacratiſſimum theſaurum depoſuerunt. Sampir. Aſturicenſ. in Chron.Era.917. fol.607. In altari quoque, quod eſt ſuper corpus B. Iacobi Apoſtoli, quod conſecratum fuerat à ſeptem diſcipulis eius, quorum nomina ſunt hæc Calocerus, Baſilius, Pius &c. Vide Biu. Ann.42. num.2. fol.89. Roder. Car. fol.20. lit. G. & fol.16. ead. lit. G. Garib. lib.9. c.4. Padill. Centur. 1. Hiſt. Eccleſ. Hiſp. c.19. & omnes quos ſupra retulimus. Caſcal. Hiſt. Carthagin. diſcurſ.20. c.3. licet ponat S. Epanetum ſucceſſorem Baſilij ad Annum LVII. cum re vera conſtet nonniſi ad Annum LX. ponendum eſſe, qui iſto, & non illo martyrium impleuit S. Baſilius.

EVGENIVS Valentinus. Fuit iſte Sanctus Epiſcopus ſocius indiuiduus S. Baſilij, qui cum eo in diſperſione Hieroſolimitana Hiſpanias adiit, ſed qua in vrbe, vel loco demoratus vitam egiſſet, ignoratur. Quod de certo liquet, eſt, diuerſum fuiſſe à S. Eugenio I. huius nominis Archiepiſcopo Toletano, cùm iſte nondum per hoc tempus Hiſpaniæ oras attigerat; iſte non D. Iacobi diſcipulus, ſed S. Dionyſij ſynchronos; ille diſcipulus, & ſocius Noſtri S. Patroni; ille ad annum L. cum S. Petro, & Apollinari Rauennatum Epiſcopo Noſtras peruenit, nec ad Toletanæ Eccleſiæ faſtigium euectus conſpicitur, niſi poſt annum LX. quo per martyrium ſublatus Elpidius memoratur; iſte ab Anno XXXVII. Valentinæ Eccleſiæ infulas induit, ille M. Marcellus Eugenius, nuncupatus, iſte Eugenius tantùm, ille apud Pariſios patitur, iſte apud Cherroneſum Hiſpaniæ occiditur. Quibus ſic intellectis ad acta veniamus.

Alius à M. Marcello Toletano. Diſcrimen.

Origo.

EVGENIVS natione Græcus ex nominis origine, & nobili proſapia natus ex ipſius etymo dignoſcitur: Inter alios qui aut Petri Apoſtoli prædicatione, aut Stephani miraculoſa perſuaſione ad Chriſti fidem conuerſi ſunt, fortaſsè & Eugenius Euangelicam etiam amplexatus doctrinam, cæleſtis patriæ viam ingreſſus, ad vitam ſedulus Apoſtolorum auditor properabat æternam.

æternam. Sed eueniente Prothomartyris *agone inter dispersionis insperata fidelium turbulentiam, & inter repentina persecutionis Iudaica turbationem, vnus ex turbis Christi cultorum* Hierosolymam *relinquens in* Cyprum *aduentat, & in Naui cum aliis* Hispanias *transfretat profugus, vbi Christianam edocens doctrinam Populos, & Gentiles, vitam prædicator feruidus transigebat. At impleto tempore, quò* S. Iacobus *frater Ioannis in opus à Domino destinatum & albo lapillo* Hispaniæ *sortitum, vt nostra regionis terminos Euangelici seminis grana catholica diffunderet, properaret, Nostras aduenit,* Eugenium *Episcopum* Valentiæ *in* Ilercaonibus *consecrauit, & illi Pastoralis baculi potestatem est impertitus. Tum* Eugenius *oues inuisit, dogmatis catholicis imbuit, & accedens ad* Cherronesum *iuxta suæ sedis locum ad Concilij destinati symbolum cum cæteris Præsulibus, ibidem cum ipsis ab* Aloto *Neronis Iudice comprehensus, & bonis spoliatus ad æternam martyrio palmam victor* Eugenius, *nobilis Athleta peruenit* IV. Non. Martij, *Anno* LX.

Ierosolymam deserit. — *Iacobo in Hispania adhæsit.* — *Episcopus eligitur.* — *Coronatur.*

Cætera supplenda sunt ex actis *S. Basilij*, cùm omnia sint communia ipsi, & aliis, de quibus, hoc die agendum est. Quod ergo hîc conuenit adnotare, tantum erit de Nominis Origine, & etymo. Diximus *Eugenium* fuisse *Græcum* ex nominis origine, patet ex Passeratio *in Thesaur. Ling. Latin.* verb. *Eugenia.* & D. Sebast. Couarruu. *in Thes. Ling. Castellan.* verb. *Eugenius*, sic: *Eugenius nombre Griego* Εὐγένειος. Latinè, sic: *Eugenius nomen Græcum ab* Εὐγένειος. Item appinximus ex nominis etymo fuisse nobilem, liquet. Nam Εὐγένεια apud Græcos, eadem, quod *nobilitas*, vt ex Columel. *lib.* 3. *de Re Rust. c.* 2. probat idem Passerat. *d. loco.* & Conarruu. *vbi suprà*, sic: Εὐγένειος. id est *nobilis, & generosus.* Quòd in *Hispania* adhæsisset *Iacobo*, liquet ex Dextro Ann. 37. sic: *Et aliis S. Iacobus creauit Episcopos*, & Eugenius *Valentiæ, hic ex profugis.* Diximus *S. Eugenium* fuisse ad fidem conuersum, aut *Petri* prædicatione, aut *Stephani* persuasione; quia ante istius lapidationem, multos vterque conuerterat, vt patet ex Act. Apostol. *c.* 2. ex sermone Petri, sic: *Qui ergo receperunt sermonem eius baptizati sunt, & appositæ sunt animæ in die illa* (Pentecostes) *circiter tria millia.* & c. 4. *vers.* 4. sic: *Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt, & factus est numerus virorum quinque millia.* De Stephano. *Act. c.* 6. vers. 8. *Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine faciebat signa, & prodigia magna in populo.* Quòd aduenerit *Cyprum* ex vrbe Hierosolyma, indéque in *Hispaniam* credibile est, nam L. Flau. Dext *Ann.* 35. referens hanc dispersionem, dixit: *Ex his plusquam quingenti naue Cypri educti portum Carthaginensem Hispaniæ pertingunt. Diuisi per Hispanias mortem Christi, resurrectionémque denuntiant.* Cætera quæ ad eius agonem attinent apud *Cherronesum* Concilij causa, bene probatum in huius Anamnesis exordio. Ad alium veniamus. De isto indiuidualiter agunt P. Francisc. Diago *in Annal. Valent. lib.* 4. *c.* 7. Gaspar Escolan. *Hist. Valent.* 1. *tom. Decad.* 1. *lib.* 2. *c.* 1. *n.* 13. *fol.* 220. & seq. Tumultuariè P. Biu. Rod. Car. *ad Dextr.* & supra relati.

Nominis etymon. — *Christo nomen dedit per prædicationem Petri.* — *Hispanias adijt.*

PIVS Hispalensis. Eius nom n licet in *Menologio*, & *Martyrologiis* non inueniatur, vt in principio appinximus, restitutum fuisse meminimus ex Nostri *Flauij Dextri* chronico. Fuit vnus ex discipulis *S. Iacobi*, quos duodecim numero secum more Apostolico in *Hispanias* duxit, non ex profugis vt duo SS. Episcopi præcedentes. De eo adest memoria apud Dextr. *Ann.* 37. 38 & 60. Pelag. Ouetens. *in Chron.* aut vt alij Sampyr. Asturic. *Era* 617. Hng. Episc. Portiuns. *in Epist. ad Maurit.* Caledon Episc. Braccar. *in vita S. Petri Ratens.* Iulian. in *Chron. n.* 13. Marian. *lib.* 4. *c.* 2. Ambros. de Moral. *lib.* 9. *c.* 7. Padill. *cent.* 1. *c.* 8. *in* D. Greg. Lop. Madera *in Discurs. Mont. Sancti Granat. c.* 35. D. Paul. de Espinos. *Hist. Hispal. lib.* 2. *c.* 4. P. Quintanad. *Hist. SS. Hispal. fol.* 53. Roder. Car. *in Antiquit Hispal. lib.* 2. *c.* 11. *fol.* 70. cuius festum, & officium excepit Ecclesia, & Diœcesis hoc die, vt ipse testatur *Caro.* Eius acta sic:

Reiicetur à Menologio. — *Restituitur à Dextro, & aliis.*

PIVS *ex* Græco (*vt suspicatur*) *origine natus,* Hierosolymam *veniens, Apostolorum sermones audiens, ad Christi fidem conuersus, & baptizatus,* S. Iacobo *Zebadei filio comes, & discipulus effectus est. Omnes quas sanctissimus*

Origo.

ctissimus

Episcopatus.

Interfuit consecrationi Ecclesiæ de Pilari.

Eius functiones.

Coronatur.

ctissimus Magister vrbes lustrauit & illustrauit, Pius *quoque peragrauit. Cum eo quoque in* Hispanias *venit, & anno XXXVII.* Hispalensis *Ecclesiæ Pontificatum à Sancto* Iacobo *recepit; in cuius regimine tam prudenter se gessit, in cuius officio tam audacter se præbuit, vt vrbem, Prouinciámque ad Christum, verámque pietatem perduxerit, & verbo, exemplo, miraculisque confirmauerit. Pòst Sanctum Magistrum comitatur* Cæsaraugustam, *vbi primam* B. Mariæ *nomini Augusto Ecclesiam* Iacobus *erexit. Inde* Braccaram *vsque cum ipso processit, ibidémque consecrationi alterius ædiculæ Diuæ Matri Virgini dicatæ interfuit. Reuersúsque in propria, ad morem sui Magistri* Hispali *eidem Sanctissimæ Virgini oratorium sacrat. Quibus & aliis virtutum cumulis in vrbe persistens, cùm nuntiaretur, corpus sacratissimi Magistri in* Iriam Flauiam *perueniſſe, protinus, illò se contulit, & sacrato super corpus altare, & vltimis solutis officiis* Hispalim *rediit, vt suo muneri satisfaceret. Denique cùm ad* Coronesum (*vt Concilio indicto interesset*) *proficisceretur, & in vnum coadunati Episcopi essent*, Alotus *Neronis impius Iudex repente in ipsos irruit, qui igni traditis sanctissimis Prælatis, eorum bona spoliat, & furatur. Inter istos* S. Pius *æternum vitæ præmium martyrij impressione comparauit.* IV. Non. Martij. *Ann.* LX. *& XVI. S. Petri Pontificatus, & IV. Neronis.*

Tria genera Discipulorum habuit Apostolus.

Pius venit cum Iacobo.

Diximus *S. Pium* fuiſſe discipulum *S. Iacobi* non ex profugis, qui in *Hispaniam* morte *Stephani* confugerant, sed ex illis, quos secum Hierosolymis adduxerat. Quod vt radicitus intelligatur, sciendum est. *S. Iacobum* tribus vsum fuiſſe discriminibus discipulorum, aliud, quos secum ex Iudæa aduexit; aliud, quos in Hispania ex dispersione collegit; aliud, quos in Prouincia prædicatione comparauit. Quorum omnium probationem suo loco appingemus. His discipulorum differentiis contenti, vt facilius quæ dicta, & quæ dicenda erunt, cognoscantur. Ergo *Basilius*, & *Eugenius* supra nominati fuerunt ex secunda classe discipulorum. *Pius* autem, de quo hîc sermo, ex prima. Quod vt demonstretur, *Dextri* verba pignus soluant, sic: Ann. 37. *Multos etiam discipulos, præcipuos autem numero duodecim more Apostolico in Hispaniam secum Iacobus portat, scilicet Episcopo Basilium* Pium, *Athanasium*, &c. & infra, sic: *Ex his Basilius successit Petro Braccarensi, Athanasius fuit primus Episcopus Cæsaraugustanus*, Pius Hispalensis. Et cum hoc currunt *R. Caro. P. Bin. D. Paul. de espinosa, & Pat. Quintana-dueñas* & alij citati in locis supra relatis. Quòd *Pius* præsens fuerit dedicationi Ecclesiæ S. Mariæ de Columna apud Cæsaraugustam constat ex Iuliano Archipresbyt. Tolet. *in Chron. n.*7. vbi ex quadam Historia, quam de Latino in Hispanum transtulit, quâ de aduentu *S. Iacobi* loquebatur apud *Cæsaraugustam*, asserit quòd ibidem veniens Apostolus cum aliquot ex suis discipulis (multis, vt Oratoribus Petro missis) cùm

Maria Virgo apparet Iacobo.

Quo anno Pius electus Antistes?

Interfuit consecrationi Ecclesiæ Braccarensis.

in nocte orationi vacasset apparuit illi B. Virgo super columnam, & iussit vt ibidem erigeret in honorem suum Ecclesiam; quod fecit, & perfecit *Iacobus*. Ergo si *Pius* vnus erat ex discipulis, qui comitabantur *Iacobum*, & non fuit ex Oratoribus ad Petrum, à fortiori in dedicatione huiusmodi Ecclesiæ interfuit. Dicet aliquis: potuit in sui residentia Episcopatus existere. Cui respondeo, nullatenus hoc euenire valuiſſe, cùm tunc nondum esset Episcopus; nam *Pius* ad Præsulatus apicem ascendit anno XXXVII. & hoc factum fuiſſe refert Iulianus Anno XXXVI. De assistentia consecrationi Ædiculæ *Braccarensi*, testis est Caledon. *in Vit. S. Petri Ratens.* sic: *Braccaram venit* (Iacobus) *vbi sacrat eidem Dominæ cum* Pio Hispalensi, *& aliis ex primis eius discipulis aliam ædiculam in quadam crypta prope balnea, iuxta templum ab Ægyptiis Isidi quondam dicatum.* Eadem referunt *D. Paul. de Espinos.* & *P. Quintanad.* locis relatis. Quòd fuiſſet vnus ex discipulis, qui interfuit sepulturæ Magistri, Iul. in Chron. n.13. *Episcopi Basilius*, Pius, *Gregorius, & alij altare consecrauerunt, & in illo loco tandem sacratissimum thesaurum, deposuerunt.* Samyp. Asturic. Era 917. fol.60. *In Altari quoque, quod est super corpus* Iacobi, *Apostoli, quod consecratum fuerat à septem discipulis eius, quorum nomina sunt hæc Calocerus, Basilius*, Pius. Cætera suprà probata relinquimus.

Agatho

AGATHODORVS Tarraconensis. Iste etiam fuit ex discipulis secundæ Classis, id est ex illis qui *Hierosolymis* profugerunt in *Hispanias*; Fuit à *S.Iacobo* ibidem inuentus, quem secum portans *Tarracone* primùm Episcopum nominauit, postea in consectatione Altaris suo Magistro erecti *Agathodorus* interfuit, & demum apud *Cherronesum* cum cæteris condiscipulis ad martyrij coronam peruenit. De eo Dext. *Ann.* 37. 42. *&* 60. vid. P. Biuar. & Roder. Car. P. Diag. *Hist. Valent. lib.* 4. Gaspar. Escol. *ead. Hist. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 13. *fol.* 221. Ex quibus eius acta sic compaginare memoria exigua permittit. *Eius memoria.*

AGATHODORVS *Græcus genere fuit, eius enim nominis compositio Prouinciæ originem manifestat. Apud* Hierosolymas *vitam agebat, aut tempore quo Spiritus sancti gratia in igneis linguis super Apostolos die Pentecostes apparuit, quo omnes ferè nationes viderunt, & audierunt eos suis linguis loquentes magnalia Dei, in eoque Petri sermonem audiens, aut alibi Apostolorum veritatem agnoscens conuersus, & baptizatus est. At cùm* Stephanus *ex eo quòd multa signa fecerat in populo, & quia vicisset plures de Synagoga) statutis falsis testibus comprehensus fuisset, & in medio Concilij Iudæorum impetu facto, extra vrbem eiectus, & lapidibus obrutus æternam martyrio vitam comparasset: euênit quòd facta est eo die persecutio in Ecclesia, & Agathodorus cum alijs condiscipulis vrbem relinquens,* Cyprum *petens,* Hispanias *adiens, & Verbum æternum Christum Deum verum crucifixum, resurrecturúmque prædicans, temporalia sibi licet amittens munia, demum profugus munera comparauit cœlestia. Nam non post multum temporis curriculum* B. Iacobus *Zebedæi filius Hispanias visitat, Tarraconem appellit,* Agathodorum *reperit, Christianum agnoscit, discipulum admittit, Episcopum sacrat, & illius Ciuitatis, & Regionis Apostolum ordinat. Hinc* Agathodorus *sui Pastoralis officij functioni intentus ouium consolationi, Lupi rapacis machinationibus inuigilabat. Ecclesiam nomini excelso numini Augusto* B. Mariæ *ad instar sui Magistri, qui apud* Cæsaraugustam, *&* Braccaram *eidem Dominæ nostræ templum erexerat,* Tarraconæ *ædificat, dicat, & consecrat. Sed occiso apud Hierosolimas* Iacobo, *eius sanctissimum corpus ad* Gallæciam *delatum est, quod vt agnouit* Agathodorus, *illuc transmigrat, cum alijs Altare super corpus, sacrat, ad Diœcesim remeat, vbi sanctis operibus incumbit, denique apud* Cherronesum *cum alijs Episcopis ad Concilium adscitis martyrio coronatur* Anno LX. IV. *Nonas Martij.* *Origo.* *Ierosolymã deserit.* *Iacobi Discipulus efficitur.* *Episcopus ordinatur. Consecrat B. Virgini Aram.* *Coronatur.*

Omnes sunt pænè de his sanctissimis Episcopis comprobationes communes, ideóque licèt repetatur clausula *Dextri*, sustinendum est, nam *vnicuique dant sua præmia Diui*, & quasi sacrilegij incurrerem crimen, si alteri sua suffragia subducerem. Quatenus ergo ad probationem profugij ex vrbe Hierosolyma *Agathodori* Dexter ad Ann. 37. sic: *Et alios Iacobus creauit Episcopos* & Agathodorus *Tarraconensis. Omnes hi ex* profugis *sunt.* Quòd per Hispanias prædicaret Christi mortem, & resurrectionem Dext. Ann. 35. sic: *Ex his* (profugis) *plusquam quingenti naue Cypro educti portum Carthaginensem Hispaniæ pertingunt, diuisi per Hispanias* mortem Christi, resurrectionémque *denuntiant. Ex his primi pòst à B. Iacobo eliguntur vrbium Pontifices, & Pastores.* Quod *Tarracone* sacraret templum B. Mariæ Virginis ad instar Magistri, Dext. Ann. 38. sic: *Prima totius orbis ædes erecta B. Virgini, Cæsaraugustana fuit. Pòst Præsules* Tarraconensis, *& alij sacrat ædes, vel Oratoria Virgini dedicant.* Quòd interfuerit consecrationi Altaris *S. Iacobi*, idem Dext. Ann. 42. sic: *Altare super corpus erigunt, & More sacro* Agathodorus *(qui nuntio accepto de corpore sui parentis in Hispanias allata mox Iriam accurrit) sacrat, & Apostolo dedicat.* Quòd ad martyrij processum attinet suprà in exordio probatum est. De eo Roder. Car. & P. Biuar. *ad Dextr.* locis relatis, & cæteri Scriptores. *Aduentus, & Episcopatus probatio.*

ELPIDIVS Toletanus. Eius integrum nomen (si Luitprando *Aduers.* 263. credimus) fuit *Marcus Elpidius Iulianus*. Eius memoria est in Martyrologio Placentino, sic: *Cherronensi in Hispania* S. Elpidij *Primi Toletani Episcopi, & Martyris.* vt refert Ezpeleta *in vita S. Ephem Episcop. Asturicens.* §. 5. *num.* 44. Fuit ex profugis Hierosolymitanis

roſolymitanis,licèt D.Thom.Tamayo dè Varg.*in Diptych.Tolet.num.* 1.contendat aduentaſſe cum *S.Iacobo*:nam expreſsè contrarium probat Flau. Dext. An.37. ſic: *Et alios S. Iacobus creauit Epiſcopos*,&c. Elpidius Toletanus, &c. *omnes hi ex profugis ſunt*.Luitprand.*adu*.194. ſic: *Magna pars eorum,qui diſperſi in perſecutione S.Stephani ad varias partes traiecerunt, & ad Hiſpaniam plurimi venerunt, erant ex Monachis Montis Carmeli, prædicationibus Christi, & Apostolorum ad fidem conuerſi, ex quibus* Elpidius, *& ſocij, Pontifices à S.Iacobo creati, & pòſt Martyres facti.* Ex quo reducendus eſt locus Tamay *d.n.*1.taliter, quod loco: *Y de los que le acompañaron à España.* ponendum eſt, *Y de los que le acompañaron* en *España*. Cum hæc ſit vera, & proportionata lectio, vt *Dextri* menti conueniat. Cætera inferiùs referam. De hoc ſanctiſſimo Prælato,& I.Toletanæ Eccleſiæ Præſule, D.Thom.Tam.*in Vindit ijs Dextri.Nouit.*11.& in *Veritat, Dextr. Nouit.*13. Illuſtriſſ. Epiſcop. Turiaſon. *In Primat. Eccleſ.Tolet.*1.*p. cap.*6. Roder. C.*in not ad Dextr.fol.* 16. *lit.I.* & P.Biu. in ſimilib. *not. fol.*72. & infrà referendi. ex quorum codicibus hæc de actis compaginanda cenſui.

Scriptores.

Origo.

Marcus ELPIDIVS *Iulianus, ſi nominis etymo ſtandum eſt, ex* Græco *originem traxit. Hic Hieroſolymam vſque perrexit, fortè, quia de Apostolorum Christi miraculis rumor it, & magnum ſermonibus occupat orbem. Ibidem* S. Petri *omnium Principis eloquij laxantis fontes hauſit, & adstrictas in nodum cordis voces de Christi Domini paſſione, reſurrectione, & miraculis recollegit. Quo veritatem fidei agnoſcens, ad pedes Apostolorum prouolutus ſponte ſua commiſſa fatetur, & ſe Christicolam profitetur; ſicque extunc in illorum cætum adſcitus, eorum & mores, & doctrinam bibebat. Cùm ergo qui præputia ponunt, circumciſa phalanx, & diſperſa propago,* Stephani *illius primi Martyris (qui ſibi lauream vitæ, martyrij prodigus induit) veritati, ſapientiæ, & ſpiritui reſiſtere non poſſent, horriſono lapidum nimbo, & crepitante procella in eum irruentes, extemplò illum vita ſpoliant, ipſéque primus martyrio ſub pedibus videt nubes, & ſydera calcat. Hoc crudelitatis principio vulgi chimera triformis in omnes Christi inuehitur cultores, taliter quòd perſecutionis horrida rabies in breui omnes credentes proprijs exulat oris.* Elpidius *item patrios compulſus excedere muros*, Cyprum *petit ibidémque ſoluens ratem dat carbaſa ventis*, Hiſpaniáſque *contingit, vbi è naui deſcendens omnem penè regionem perluſtrauit*, Toletum *adijt, illícque demoratus, vt* S Iacobi *aduentum agnouit, mox magno veſtigat Apoſtolum feruore, quo inuento, & in ipſius ſodalitium cooptatus à* S. Iacobo *Eccleſiæ* Toletanæ *ad culmen Archiſacerdotis titulo euectus eſt. Huius oneris ſuauitate permotus, & illius honoris grauitate percinctus, vt verus Paſtor optimæ gregis, cunctis vera pabula præbens, etiam in alios deuotionis terminos vigilabat. Nam poſt Sanctum Magiſtrum*, Toleti *Sanctiſſimæ & Intemeratæ Parenti Sacellum conſecrat, quod tertium in* Hiſpania *illi dicatum fuiſſe conſtans fama eſt. Pòſt* Iriam Flauiam *in* Gallæcia *pergit, vt conſecrationi Altaris, ſub cuius arula corpus ſancti Apoſtoli ex* vrbe Hieroſolima *allatum, reponendum fore condiſcipulorum concors aſſenſus fuerat, intereſſet. Vltimo Vale dicto*, Toletum *repetit, ibidémque Paſtoralis officij curam inſequens, erat omnibus omnia. At cognito per* Hiſpanias, *quod S.Paulus Apoſtolus, illa tuba plena Deo, inexauſti vas ſine labe boni, in vinculis eſſet, ex omnium Præſulum voto* Elpidius *cum* Athanaſio Cæſarauguſtano, *&* Baſilæo Braccarenſi, *vt Sanctiſſimum Doctorem Gentium viſitaret, electus eſt. Pòſt in patrios reuerſus penates ad Concilium, quod apud* Cherroneſum *prope* Valentiam *indictum fuerat; progreditur, vbi cum ſocijs ab impio Iudice, martyrio, purpureâ inſignitus coronâ, glorioſum fidei confeſſione de ſe reddidit ſpecimen.* IV. Nonas *Februar. Anno LX. Claudio Imperante Nerone. Eius corpus primò in* Marſiam *Italiæ, pòſt* Metim *delatum Anno 969. fuit. & adhuc temporibus ſucceſſiuis in Hiſpania apud Cherroneſum cultum.* Iul. adu. 74. fol.21.

Fit Chriſtianus.

Stephani corona.

Diſpergitur.

Toletum aduenat.

Iacobi coheret.

Toleti infulas induit.

Coronatur.

Nomen

Nomen integrum *S. Elpidij* Episcopi *Toletani* refert Luitprand. *Adu.* 263. sic: *S. Marcus Elpidius Iulianus, S. Iacobi discipulus, Primus Episcopus Toletanus fuit.* Quòd à S. Petro fuerit ad fidem conuersus, auctor est Diaconus Ticinens. *adu.* 118. sic: S. Elpidius, *quem S. Iacobus præfecit Toletanis primum Pontificem, Carmelita Monachus fuit, & in prima Petri concione conuersus ad fidem cum socijs multis venit in Hispaniam.*

Conuertitur à Petro.

Quòd fuit ex profugis, & venit in Hispanias, fuitque discipulus *S. Iacobi.* à quo & Episcopus *Toletanus* consecratus est, iàm diximus, & probauimus in Antiloquio. Quòd Anno XXXVIII. vt voluit *Dexter* licèt Noster *Tamayz* ad annum XXXIX. extendat, condidisset sacellum Virgini Deiparæ, sic ex Dextro Ann. 38. *Prima totius Orbis ædes erecta est B. Virgini Cæsaraugustana fuit. Pòst Præsules* Toletanus, *& alij sacras ædes, vel oratoria Virgini dedicant.* de Elpidio specialiter Iul. *adu.* 274. *fol.* 61.

Consecrat Ædem Toleti B. Mariæ.

Quod interfuisset depositioni corporis *S. Iacobi*, Dext. Ann. 42. sic: *Altare super sacram corpus erigunt, & more sacro* Elpidius (*qui nuntio accepto de corpore sui parentis in Hispanias allato, mox Iriam accurrit*) *sacrat & Apostolo dicat.* Quòd fuisset, cum aliis electus, vt Romæ visitaret *S. Paulo* in vinculis constituto, Orator ex Hispaniæ Ecclesiis, Iulian. Archipresbyt. Tolet. adu. 6. sic: *In memorijs S. Iusta reperi, quòd Ecclesia Hispana elegerunt Athanasium Cæsaraugustanum*, Elpidium Toletanum, *Basileum Braccarensem, qui cum alijs etiam ex Iudaismo, & Gentilismo* Paulum *vinctam Romæ visitarent; ipsique munera, & refectiones deferentes consolarentur: Quòd ipse Paulus cap. 10. Epist. ad Hebræos docet, dum dicit:* Et vinculis meis compassi estis. *Idque fuit sub mensem septembrem anno Domini Quinquagesimonono.*

Visitat Paulū Romæ in vinculis coniectum Hispanorum Legatus.

Quod passus sit *S. Elpidius* apud *Cherronesum* cum cæteris Prælatis iam in prologomeno probatum est. Quòd eius sanctum corpus primò *Marsiam Italiæ*, post *Metim* translatum fuisset, auctor est Subdiaconus Toletanus in aduers. 193. sic: *Sunt qui dicunt Chersonesso Hispaniæ delatum corpus Sancti* Elpidij *primi Toletani Episcopi (dicti Confessoru more Gothorum, ille vero Martyr fuit) Marsiam Italiæ: inde verò* Theodorico *Metensium Episcopo eo tempore Metim delatum, cum alijs corporibus sanctis Anno DCCCCLXIX.*

Eius corpus transfertur Chersoneso Marsiam Italiæ, hinc Metim Galliæ.

Sed vt huic vltimæ *Luitprandi* assertioni calamum extendamus, & consonantia Historiæ, cum Diaconi Ticinensis Aduersariis deprehendatur quis iste *Theodoricus* Episcopus *Metensis* fuerit, quóque tempore vixerit, & an aliquo possent vestigio comprobari hæc Luitprandi verba antiquitatis experiamur. Cui hæc apud Andream Suassay. in *Martyrolog. Gallic. die XIII. Decembris tom. 2. fol.* 997. ad propositum inuenit iterata conspectio. Asserit enim S. Luciæ V. M. Syracusanæ apud Corfinium Italiæ sepultum corpus: *Vbi digno* (inquit) *cultu seruatum est, vsque ad tempora Othonis I. Imperatoris. Hic in Italiam cum fortissimo exercitu profectus, post coronam Imperialem Romæ acceptam, eximendæ à Tyrannorum dira vexatione præclara huic regioni, triennium impendit. Erat tum ei indiuiduus* Theodoricus *Metensium XLVI. Episcopus, ipsiusmet Cæsaris consobrinus, nobilitatis gloria, & sapientia gratia, ac speciali religionis studio, in aula præcellentissimus: qui cum sponsæ Ecclesiæ scilicet Metensi decorem semper, & vbique procuraret, bene vsus auctoritate, & beneuolentia Imperatoris, certatim exquisita vndique* Sanctorum corpora *ex diuersis* Italiæ *locis collegit, fauenteque Othone suam transmisit ad sedem, vt beata ipsa pignora digniori cultu exciperentur; ornataque, & ditata tantis monilibus Ecclesia Metensis ampliori circumquaque in Gallia decore splendesceret.*

Omnium probatio.

Quod & Chron. Magn. Belgic. *Ann.* 971. Vvithichind. Ditmar. & alij in Ottone I. dixere. Sed vt hæc cum anni assignatione *Luitprandi* clausulæ coniungamus, Ioann. Cuspinian. *de Cæsarib. in Ottone I. fol.* 239. & omnes Scribentes initium imperij appingunt ad Annum DCCCCXXXVIII. & finem ad annum DCCCCLXXIV. cùm imperasset XXXVI. annos. Ex quo conueniunt *Luitprandi*, & Scriptorum tam Gallorum, quàm Germanorum verba. Sed ne tantis nostra se se extendat ambagibus oratio, Sigeberti Gemblacensis *in Chron. Ann.* 969. adaptata sententia, meum, & *Luitprandi* pignus soluat, sic: *Theodericus Metensium Episcopus Imperatori sanguine, dilectione, ac familiaritate cæteris deuinctior, dum in* Itàlica *expeditione per triennium sub eo militaret, multa corpora, & pignora Sanctorum de diuersis* Italiæ *locis, quocumque modo potuit collegit. Primum à* Marsia sanctum Elpidium *Confessorem & cum alijs Sanctorum pignoribus Præsul* Theodericus *in Galliam* hoc anno *transtulit, & in Ec-*

Gemblacensis cum Luitprando sententia æqualis.

clesia Sancti Vincentij Martyris à se in Insula vrbis constructa locauit. Quid clarius? Quid certius? Iam & Luitprandi sententia ex his auspicijs manifesta fides; iam omnia clara.

Eius memoria. ETHERIVS Barcinonensis. Huius sanctissimi Prælati memoria etiam apud ipsius Principatus, & Regionis scriptores temporum excidio, & calamitatum exordio obliterata requieuit, donec vultu ridens fortuna sereno *Hispaniis* attulit *Dextri* chronicon, quo occulta patefecit Ecclesiæ. Illic nomen, conuersio, profugium, sedes, & martyrium inspicitur. Ex illo breue (sic acta desunt) deuotio præparauit elogium.

Origo. Etherius *ex nominis coagmentatione originem* Græcam *trahit. Eum* Hierosolimam *aduentasse crediderim, tempore, quo* Petrus *orationem habuit ad Populum die Pentecostes de Christi Domini mirabilibus. In eius ergo fide (audito Apostolo) cogitans, quod impedito auditu auscultauit, apertis oculis profitetur. Factus Christi assecla, Hierosolymis discessit, impellente persecutione, cuius exordium in morte* Stephani *vires accepit, & post in Christi Domini gregem obdurata Sabathariorum cæcitas continuauit. Ergo,* Etherius *cum aliis* Cyprum *deueniens, clammque ad* Hispaoias *torquens, ipsius regionis appulit oris. Ibidem Christum prædicans ad* Barcinonis *vrbem accedit, vbi in pietatis & bonorum operum exercitiis vitam transigens,* S. Iacobi *Zebedæi filij cognouit aduentum. Cui protinus adhæsit, & à quo primus* Barcinonensium *Episcopus est creatus. In huius credibile est ministerio omnia Pastoris munia, Doctoris officia, Patris onera, & Episcopi munera expleuisse. At sic disponente Domino, cum* Cherronesum *conuenisset, vt cum aliis Episcopis de celebrando Concilio satagentibus interesses, ab* Alot *Neronis Iudice comprehensus, bonis omnibus, cum vita denudatus, clamydem Martyrij indutus cælum adscendit. IV.* Non. *Marty. Ann. Domini* LX.

In Hispaniam deuenit. Consecratur Episcopus. Coronatur.

Hæc sunt quæ potuimus acta compaginare, fortasse tempora maiora detegent. De nominis etymo apud Passeratium, Stephanum, & alios inuenies. De conuersione *Etherij* Dext. Ann. 35. sic: *Occiso lapidibus Stephano Prothomartyre: magna persecutio Hierosolymis, & in confinia oritur: plusquam quindecim mille viri (qui prædicantibus Apostolis in Christum crediderant) fugantur.* De aduentu in Hispaoias, & prædicatione Christi Domini, idem Dext. eod. ann. sic: *Ex his plusquam quingenti naue Cypro educti portum Carthaginensem Hispaniæ pertingunt: diuisi per His panias mortem* Christi *resurrectionemque denuntiant. Ex his primi post à B. Iacobo eliguntur vrbium Pontifices, & Pastores.* De electione ad Ecclesiam *Barcinonensem*, idem Dexter, ann. 37. *Et alios S. Iacobus creauit Episcopos &c.* Etherius Barcinonensis &c. *Omnes hi ex profugis sunt.* De Martyrio apud *Cherronesum* plura diximus in principio. De eo in communi omnes quotquot in antiloquio connumerauimus, & P. Biu. *fol. 72. in Not. ad Dextr.*

Barcinonensis Pontifex.

Error Galesiny. CAPITO Lucensis. Errauit in pronunciatione nominis Galesinius qui pro *Capitone* scripsit *Carithone*, nescio à quo desumpsit, cum *Menologium*, Martyrologium, & cæteri scriptores hoc vtantur termino *Capito*, non *Caritho*, forte præli scabies infecit codicis puritatem. Iste sanctus Præsul etiam fuit ex profugis, qui *Hierosolymis* recesserunt morte *Stephani*, cum aliis venit in *Hispaniam*, Christum annuntiat, eius passionem, & resurrectionem refert, non sic vt hæc mysteria prædicando referret, sed inter loquendum, nam ante IACOBI Apostoli in Hispanias aduentum, nullus sine Ecclesiæ auctoritate potuit Euangelij verbum diffundere, & ideo dicimus Hispaniam primam in Occidente ad esse Prouinciam, quæ fidem accepit, quia IACOBVM Magistrum habuit, qui primus sortitione diuina, & auctoritate, Nostras aduentans, Christum populis prædicauit. Sicque intelligenda sunt verba de Profugis à Nobis superius relata, & inferius referenda: apud *Lucum Augustum* demoratur, à *Iacobo Hispaniæ Apostolo* Pastor eligitur ibidem, & apud *Cherronesum* cum aliis patitur. Eius acta hæc sunt breuiter, & breuiter extensa hæc erunt: prout æui veteris custos famosa vetustas, nostros permulcet obtutus, nostrásque permurmurat aures.

Apud Lucum vixit.

Capito

Capito *fortaſsè fuit ex* Iudæis,*qui apud* Hieroſolymam *fama miracu-
lorum Saluatoris, aut opinione prodigiorum* Petri *& cæterorum Apoſtolorum
diuertebatur. Qui cognita vita eius innocentia, vel inſpecta eorum occu-
pationis veritate, ad ipſius, ſiue eorum, prædicationis efficaciam ſuſcitans,
in gremium Domini ingredi meruit. Hoc gregem Dominicum ſtemmate in-
ſectabatur, vſque dum* Stephanus *Primus Martyr inter lapidum procello-
ſam multitudinem animam ſanctiſsimam exhalauit, quo rabida* Iſacidum
*crudelitas pullulauit, & auulſa furoris viſcera eructat contra Chriſti Aſ-
cetas. Qui protinus horribiles effugientes iras* Cyprum *tranſcendunt. Inter
profugos vnus fuit* Capito, *qui curans Iberis aduertere proram in nauem
conſcendit, demumque optata potitur arena. Hic ſcapham relinquens, re-
gionem perluſtrans, Chriſtum prædicans,* Lucum *vſque* Auguſtum *perue-
nit. Ibidem orationi aſsiduus, operatione frequens, & bonis operibus inſu-
dans tempus terebat. Sed adueniente Sanctiſsimo Tonitrui filio &* Hiſpa-
niæ Patrono, *in eius properat occurſum. Ille ſuaui* Capitonem *recipit
eloquio, & tandem* Luci Auguſti *ſedem conſtituit, & in eius conſecrat Pa-
ſtorem. Quo obligationis inuolucro* Capito *nobilitatus ouium ſuarum ſedu-
lus ſpeculator exiſtens, admonitionibus, & exemplis Lucifugi cætus, varia
ac ſine corpore monſtra deterrebat. Poſt ergo crebras tanti oneris curas ad*
Cherroneſum *proficiſcitur, vt Concilio ibidem à Patribus indigitato, aſsi-
ſteret. Quo ab* Aloto *Iudice cum aliis Præſulibus tentus pro fide vitam
amittens, vitam inuenit, & Martyr effectus in agone conſtantiſsimè de-
certauit.* IV. Non. *Martij Anno Domini* LX.

Origo. — *Ieroſolymam reliquit.* — *In Hiſpaniam venit.* — *Epiſcopus creatur.* — *Coronatur*

Ad comprobationem huius relationis, ſæpiùs repetita verba *Dextri* proponere
non abhorrui, cùm vniuſcuiuſque Sanctiſſimi Præſulis, id expoſtulent acta, &
iniquum erit aliquem ſuo ſuffragio fraudare. Igitur quatenus ad conuerſionem,
fugam, & aduentum in *Hiſpaniam* de Chriſtóque prædicationem Dext. Ann.35.
*Occiſo lapidibus Stephano Prothomartyre magna perſecutio Hieroſolymis, & in confiniis
exoritur, pluſquam quindecim mille viri (qui prædicantibus Apoſtolis in Chriſtum cre-
diderant) fugantur. Ex his plus quingenti naue Cypro educti portum Carthaginenſem
Hiſpaniæ pertingunt, diuiſi per Hiſpanias mortem Chriſti, Reſurrectionémque denun-
tiant. Ex his primi à B. Iacobo eliguntur vrbium Pontifices, & Paſtores.* De electione
ad Sedem *Lucenſem* idem Dext. Ann.37. ſic: *Et alios Iacobus creauit Epiſcopos* &c.
Capito Lucenſis &c. *Omnes hi ex profugis ſunt.* De Martyrio apud *Cherroneſum*
iam diximus in præludio. De eo omnes tumultuariè quotquot ſupra citatos
comperies, & præcipuè P. Biu. *in Not. ad Dextr. Ann.37.fol.72.*

Probantur Acta.

Ephrem Aſturicenſis. A verâ nominis ſtructurâ deuiauit *Galeſinius*, qui in
ſuo Martyrologio hunc vocitauit ſanctiſſimum Epiſcopum *Ephraim*, cum ei pro-
prium *Ephrem* fuerit nomen, vt ex Menologio, Martyrologiis, & cæteris Scri-
bentibus, qui eius compaginaruntactionum ſcintillas, liquet. Noſter amicus
D. D. Petrus Aingo de Ezpelesa in aureo libello de origine fundationis Eccleſiæ
Aſturicenſis, & vita Sancti Ephrem omnimodam iſtius Præſulis vitæ anamneſim
delineauit: eius, & *Dextri* veſtigia ſequar, licet ab eo aliquantocyùs diuertam,
& in aliquo eius contexturam diſſuam. Ergo ex *Dextro* ſic vitæ periodum Com-
pendifaciam.

Galeſinij error.

Ephrem *Græcam (vt creditur) traxit proſapiam, vel* Ephrætia
vrbe Epiri, vel à Ciuitate Ephrem *in montanis extra Iudæam, quo ſeceſsit*
Ieſus *cum diſcipulis ſuis, cum iam non palàm ambularet inter Hebræos. Fe-
lici fortuna, aut ibidem Chriſti Domini ſermonibus veritatem accepit, aut
Hieroſolymam pergens ab eius Apoſtolis fidem eſt aſſecutus. Id compertum
eſt, quod tempore, quo apud* Iebus *Heliæ vrbem immanis illa perſecutionis
in Chriſti cultores graſſaretur belua, poſt Stephani ſanctiſsimi Prothomar-
tyris agonem, in ſancta* Ephrem *demorabatur ciuitate. Nam eueniente
crudelitatis rigore, ipſe vt illa pericula vitet, terga fuga nudat, cum aliis*
Cyprum *aduentat, ibidémque trabem* Cypriam *conſcendens Nauita ca-
pit findere pontum, ac totum ſpumare reductis conuulſum remis, roſtriſque*

Origo. — *In Hiſpanias migrat.*

ſtridentibus æquor, vſquedum in Hiſpanas deuenit arenas. Illinc ſolutis in littore votis, mediterraneas perluſtrant vrbes, Chriſtum occiſum, rediuiuúmque prædicant. Cùm Ephrem Aſturicam appetens, apud ipſius vrbis accolas ſedem figens, in illorum tabulam deſcriptus eſt. Hic nobilibus exemplum, communibus auxilium, diuitibus ſpeculum, pauperibus præſidium, & omnibus amabilis factus in omnium cordibus reſidebat. Sed cùm per Hiſpaniæ terminos rupto fragore horriſono Polo, & tonitru cælum, terramque ciebat Iacobus ille Chriſti Apoſtolus, noſtri Patronus, & Zebedæi filius, qui ad Magiſtri præceptum, ad noſtras oras vitæ viam demonſtraturus adueniret, Iberiæque omnes luſtraret municipes. Continuò Ephrem ſanctum quæritauit Apoſtolum, quo inuento & progeniem refert, & inſtitutum explicat, aduentuſque ſui ſortem in noſtram regionem enuntiat. Quod vt agnouit Iacobus inter ſua militiæ ſacræ commilitones Ephrem adſcribere non dubitauit; poſtque ſuis interpellantibus meritis ad Eccleſiæ Aſturicenſis faſtigium Primus Epiſcopus à Magiſtro ſanctiſſimo euectus eſt. In hoc ergo honoris pondere, aut in iſto oneris ſplendore taliter ſe geſſit, vt credendum ſit, omnia Paſtoralis Officij viriliter perſtrigiſſe munia, ſactitaſſe opera, & perſeciſſe munera, vt de commiſſo grege debitam Deo Patrifamilias fidelis ſeruus redderet rationem. Sícque Ephrem fuiſſe non dubitem cogitatione mundum, operatione præcipuum, in ſilentio diſcretum, in verbo vtilem, ſingulis compaſſione proximum, præ cunctis contemplatione ſuſpenſum, bene agentibus per humilitatem ſocium, contra delinquentium vitia per zelum iuſtitiæ miniſtrum. Poſt S. Magiſtri corpus in Gallæciam delatum, & ab aliquibus Præſulibus, & Condiſcipulis ſepultum, & ſuper illud, Altare ſacratum, inuiſit, debitiſque completis officiis in Diœceſim remeauit. In his & aliis bonis operibus inſudando æterni præmij ſanctiſſimum inuenit coronæ Paſtorem. Quia cùm ob bonum Eccleſiæ ſtatum Hiſpanicæ, Concilium Præſulum noſtræ indictum regionis apud Cherroneſum fuiſſet: Et Ephrem omnia quæ in communem Eccleſiaſtici officij profectum eſſe cognouerat, protinus exequi ſatagebat, ad Concilium permeauit, vbi à Iudice Aloto Neronis Quæſtore comprehenſus cum cæteris Præſulibus variis affectus cruciatibus, & bonis omnibus denudatus per ignis edacis æſtuam violentiam ad æterni luminis claritatem Martyr inclytus conuolauit. IV. Non. Martij Anno Domini LX. Imperante Nerone.

Aſturicam venit.

Iacobo adhæret.

Epiſcopus creatur.

Concilio interfuit.

Coronatur.

Hæc ex Dextro deprehendere ſedula valuit curioſitas, alia, quæ à noſtro Expeleta inſeruntur, aut coniectantur, aut improbata ſupprimuntur. Qualia ſint breuiter ſuccingam. Prima. n. 21. fortè quia non conſpexit Græcorum Menologium, Galeſini Martyrologium ſubſequitur, præſtóque legit veſtigia greſſu: & ad diem VII. Martij agones Sanctorum indigitat; cùm vtriuſque error ſit, & Menologium hoc die IV. Non. Martij illos circumſcribat. vt ſuperiùs in Prolegomeno huius diei notatum reliquerim. Secundò quia n. 27. & 28. contendit S. Ephrem cum aliis condiſcipulis interfuiſſe in conſecratione Altaris ſuperpoſiti corpori ſanctiſſimo Iacobi, quod nec ex Dextro, Sampyro, aut Iuliano conſtat, vt ex verbis ab ipſo relatis, liquet. Iulianus autem tantum, quòd viſitauerit S. Ephrem Apoſtoli ſepulchrum inſinuat, non quòd illius funeri, & altaris conſecrationi præſens fuiſſet: illius iſta ſunt verba: Inuiſunt eius Apoſtoli ſepulchrum, aliqui Epiſcopi, qui ab eo relicti fuerant in Hiſpania, vt S. Petrus Epiſcopus Braccarenſis, Athanaſius Cæſarauguſtanus, Toletanus, Tarraconenſis, Barcinonenſis, & Aſturicenſis. Hic (vt videtur) ſepulchrum inuiſiſſe tantùm perhibetur, non corpus. Ergo non interfuit conſecrationi. Tertia, nam in §. 4. n. 31. aſſerit Græcorum Menologium clarè proferre S. Ephrem eſſe Diuum ex Eccleſia Græca, cum dicat (vt ille credit) In Græcia Sanctorum Epiſcoporum &c. Quod non dixiſſet, ſi Menologij contexturam videret; quam hîc repetam, vt à deceptionis laqueo ſoluatur. Martij Menſis die IV. Eodem die Sanctorum Martyrum, & Pontificum apud Cherſonem, Baſilij, Eugenij, Agathoderij, Elpidij, Etherij, Capitonis, & Ephrem. &c. En verba Menologij, quibus agnoſcet amicus Expeleta, quantis eſt deceptus erroribus Galeſini

Error Expeleta.

Non interfuit funeri Apoſtolico.

Non fuit Diuus Eccleſiæ Græcæ.

lesini, cuius si non transmutationibus præueniatur, facilè quælibet etiam scrupulosa, imo studiosa conspectio decipietur. Quod si cognosceret eruditissimus *Expeleta*, non rot operis, & olei pensum in probatione quòd fuerit Sanctus Latinæ Ecclesiæ perderet. Vltima, quia *n.* 59. ex verbis *Luitprandi* in *S. Elpidio Toletano* relatis, de translatione ipsius corporis *Marsiam Italiæ*, & postea *Metim Galliæ*, inducitur ad credendum (ex eo quod *cum alijs corporibus sanctis* inuenit fuisse translatum) etiam corpus *S. Ephrem*, *Marsiam*, aut *Metim* allatum fuisse: *quia* (inquit) *si Elpidius, & omnes illi Sancti Cherroneso martyrio coronati sunt, insimul sepulti eo tempore, & ab vno Indice, qui vnius collegit sacra pignora, & aliorū recollegisse credendum est, cum eadem pietatis ratio, & eidem officium in omnibus militaret.* Sed salua amici pace, verba *Luitprandi* ad diuersa Sanctorum lipsana referuntur, & ibidem non de sanctis apud *Cherronesum* sepultis, sed de aliis à *Theodorico* Merensium Episcopo reliquiis Sanctorum ex *Italia* in suam Ecclesiam transmissis, agitur. Et sic verba *Cum alijs corporibus sanctis*, non ad nostros *Cherronesi*, sed ad alios *Italiæ* referenda sunt. Quod vt facilius deprehendatur attendenda sunt *Suassay*, & *Sigeberti* superiùs præscripta verba. Ille sic: *Certatim exquisita vndique sanctorum corpora ex diuersis* Italiæ *locis collegit*. Et qualia fuerint hæc, Sigebert. sic: *Multa* corpora, *&* pignora Sanctorum *de diuersis* Italiæ *locis quocumque modo potuit collegit. Primùm, Marsiæ S. Elpidium* (postea alios enumerat sanctos, quibus finitis prosequitur) *cum* aliis sanctorum pignoribus *Præsul Theodoricus in* Galliam *hoc anno transtulit*. Ergò amici lapsus agnoscere non æmulationis odium, sed affectus gratitudo significatur. Ad vlteriora procedamus: ipse *Aingus* noster de antiquissima apud Asturicam *S. Ephrem* veneratione testatur, item Ægid. Goncal. Dauil. in *Theatr. Eccles. Asturic.* D. D. Andr. de Torres de *vnico Patronat. S. Iacobi. num.* 33. & plures, quos refert Aingo *num.* 31. & Nos suprà in antiloquio.

Persuasio friuola Expeleta.

Conuincitur verbis scriptorum.

Veneratio antiquitus apud Astures.

NESTOR Palentinus. ARCADIVS Iuliobrigensis.] Hos duos sanctissimos Præsules Græcorum Menologium *Sirleti* apud *Canisium* à supra memoratis Martyribus separauit, sic: *Eodem die martyrio functi* Nestor, *&* Arcadius *Episcopi*, Trimythuntiorum, *in pace quieuerunt*. Sed quæ hæc sit *Trimythuntiorum* regio, nondum diuino, cùm nec apud *Ptolomeum*, *Plinium*, & *Pomponium*; nec apud *Passerattum*, *Ortelium*, & alios, qui Prouinciarum, Regionum, & vrbium Geographias scripserunt, nulliter eius memoria nominis inueniatur. Sed si mea me non ludit imago, crederem, mendum irrepsisse in versione istius Menologij lectionis, & loco *Trimythuntiorum*, reponendum esse *Triccij-Rauconum*. Quæ verba ad *Hispaniæ* vrbem non procul à *Iuliobriga* referri possunt: aut reponendum *Thermidugorum* Hispaniæ Populi in citeriori, quorum situs, inter suæ corographiæ terminos *Palentiam* vrbem includebat, vt concors nostrorum opinio est. At *Nestor* Palentinus fuit Episcopus, *Thermidugorúmque* Præsul, ergo non mirum, si Græci nostrarum vrbium, populorumque ignari, pro *Thermidugorum* Episcopi, *Trimytuntiorum* Episcopi apposuerit. Quod idem de *Triccij-Rauconum* dicendum est, licet magis *Thermidugorum* lectio Menologij clausulæ cohæreat. Nec inconueniens est, quod *Thermidugorum*, aut *Trimythuntiorum* vtrosque vocitet Episcopos, quia qui ignorauit eorum sedes, quid nouum, vt vniuscuiusque non agnosceret præsulatum. Quin potiùs alteri coniectarioni datur locus, hæc nunc animo sententia surgit? Menologium, sic hanc appingit periodum: *Eodem die martyrio functi Nestor, & Arcadius Episcopi Trimythuntiorum in pace quieuerunt*. Hoc sine virgula, nec punctatione. Ego sic scriberem: *Eodem die martyrio functi Nestor, & Arcadius Episcopi: Thermidugorum* (in populis) *in pace quieuerunt*: hoc est apud Populos *Thermodigos* sepulti sunt. Verba ergo, *In pace quieuit*, & similia non ad Martyres vnquam referuntur, sed ad Confessores, vt superiùs *die XIV. Februarij diximus*. Et si aliquando in Martyrum memoriis inuenitur, de loco sepulchri intelligendum est, vt in propè infinitis Martyrum thecis passim deprehenditur. Cuius rei exempla, potius fastidium, quàm subsidium, generarent. Ex quo in Menologio sensus erit: *Eodem die Martyrio coronati sunt Episcopi Nestor, & Arcadius: quorum corpora in populis Thermodigorum in pace quiescunt*, id est *sepulta sunt*.

Nulla est memoria Prouinciæ Trimythuntiorum.

An legendum Triccij-Rauconum?

An Thermidugorū?

Corrigitur ecphrasis Menologij.

Sensus Menology.

sunt. Et iste est verus istius lectionis intellectus, aliàs martyrio trucidati, & in pace quiescere contrariæ sunt. Quatenus ad tempus cruciatuum, licet postea, & nunc illorum spiritus in æterna pace, quiescant, de quo hic non est sermo. Si alicui hæc displiceant, alia cogitet, cùm ad minus iam illi eleuandi ingenium ansam præbuimus. His sic dictis veniamus ad acta, quæ eorum in vnum coaceruauimus, quos eadem passio fecit esse germanos, & vna theca ipsorum corpora inclusit; etiam vna, eadémque actionum capiat contextura periodum.

Origo.

Nestor, & Arcaoivs *ex nominum compositione Græci fuerunt, & ad Apostolorum sermones ad fidei veritatem peruenère. Tempore martyrij* S. Stephani *Hierosolymis cum alijs Christi asseclis demorabantur, sed exurgente Iudaica persecutionis procella, vrbem deserentes, cum nonnullis ipsius fidei contubernalibus* Cyprum *conueniunt, & conducta in ipsius portu carina in* Hispaniæ *litora transfretant. Ibidem Christi Domini veritatis articulos hospitibus referunt.* Nestor *Turmodigos inuisit, & apud* Palentiam *remanet.* Arcadius *Cantabriam, Vasconiam, & Rucconiam perlustrat, &* Iuliobrigæ *sistit. Vterque, vt verus Dei cultor in operibus, & officijs Deo gratis vitam transegit ignotus: Donec veniente ad Hispanias* Iacobo Zebedæi *filio, iste in Palentinam, ille in* Iuliobrigensem *Ecclesias suffecti à sanctissimo Magistro sunt. In quarum Pastoralibus curis pascua Catholica seminantes, & munerum oneribus attendentes à Domino ad exilium vita ærumnosa euocati sunt. Nam procedentes* Cherronesum *vsque, ad Concilij destinati ab aliquibus Hispaniæ Præsulibus, perfectionem. Pestifera Dæmonis inuidia, quæ* Aloti *Iudicis* Hispaniæ *viscerum intestina premebat, in sanctissimos Patres mixtum spumis vomit ore cruorem. Quo* Nestor, & Arcadius *cum cæteris consocijs æternum martyrio sunt adepti trophæum* IV. Non. Martij *Anno Domini* LX. *Imperante Nerone.*

Hispaniam adeunt. — Nestor Pallentiam, Archadius Iuliobrigam incolunt. — Episcopi ordinantur. — Coronantur.

Horum comprobatio eadem, quæ aliorum Præsulum est: ideóque paucis absoluetur. Quod fuissent ex profugis morte Stephani, Dext. An. 35. sic: *Occiso lapidibus Stephano Prothomartyre, magna persecutio Hierosolymis, & in confinijs exoritur: plusquam quindecim mille viri (qui prædicantibus Apostolis in Christum crediderant) fugantur. Ex his plusquam quingenti nanc Cypro educti portum Carthaginensem Hispaniæ pertingunt, diuisi per Hispanias mortem Christi, Resurrectionémque denuntiant. Ex his primi pòst à B. Iacobo eliguntur vrbium Pontifices, & Pastores.* Quod veniente Iacobo in Hispanias, eos consecrauerit Episcopos Nestorem Palentinum, & Arcadium Iuliobrigensem. Idem Dext. ann. 37. sic: *Et alios S. Iacobus creauit Episcopos* &c. Nestor Palentinus, Arcadius Iuliobrigensis, *omnes hi ex profugis sunt.* Quod cum cæteris Præsulibus martyrium consummassent apud Cherronesum Valentiæ, in præludiis satis comprobarum est. De eis scripsère omnes in prolegomeno huius diei præscripti, & indiuidualiter Pat. Biu. *Ann.* 37. *num* 2. *fol.* 72. D. Francisc. de Sandou. *Hist. S. Autonini Hispani in antiloq. Hist. num.* 1. & *Hist.* §. 7. *fol.* 64. & alibi Ezpelet. in *Hist. S. Ephren.* §. 5. *num.* 59. Ægid. Goncalez de Auila *Theatr. Hist. Eccles. Palentin. lib.* 1. *cap.* 3. *& sequentibus.* Quibus absoluitur horum sanctorum pensum.

Ex profugis fuere. — Sedes Præsulatuum quæ? — Scriptores.

B. Depositio S. Haoriani Martyris.] Ingens circa huiusmodi pignorum Sacrorum Translationem nobis se offert cum *Baronio* contentio. Iste siquidem eruditissimus Purpuratus *in Not. ad hunc diem, lit. F.* agens de Nostro Martyre hæc genuina retulit verba: *Romæ etiam clarissimus est habitus, cuius peruetusta memoria extat apud arcum* Seueri, *de qua mentio habetur in Ordine Romano: ibi sacrum corpus eius,* Nicomediâ *translatum, reconditum est.* Ad cuius probationem è vetustioribus MSS. Martyrologiis, VI. Id. Septembr. isthæc verba desumpsit: *Eorum Corpora* (Hadriani & sociorum) *à Christianis* Byzantium *delata, reuerenti honore sepulta fuerunt: inde postea* S. Haoriani *corpus* Romam *hac die translatum fuit, in qua ipsius festiuitas potissimùm celebratur* In cuius diei *Not. lit. B.* suam sententiam pluribus confirmat. Quod & alij obseruarunt, & Ecclesiam, sacra conduntur lipsana, à multis seculis in titulum Cardinalatus Diaconialis fuisse erectam, confirmant. Sed licet ista ita se habeant, P. Anton. Vasconcell. *in*

Baronij verba.

Descript.

Descript.Portugall.fol. 548.*num.*4.ista recenset: *In Cœnobio,vulgo* CHELLAS, *Felicis Africani Scyllitanâ oriundi, & Gerunda extincti corpus per summam pietatem colitur. Cuius obseruanda exuuiæ (simul &* ADRIANI Sociorúmque, *qui sub* Maximiano *Imperatore pro Christi pietate propaganda* Nicomediæ *egregiam operam fortiter posuerunt) cœlestis Numinis beneficio ad arenarias Cœnobio vicinas appulerunt.* Cuius sententiæ suffragatur D.Roder.de Acuña *Hist.Vlysippon.*2.*p.c.*39.*fol.*150. vbi antiquitates illius Cœnobij describens, isthæc latinitate donata verba profatur: *Longius abs monasterij erectione sacra sunt* exuuiæ *translata Vlysipponam SS.Felicis*, ADRIANI, Nataliæ *& sociorum, quas pietas in eodem deposuit Cœnobio, aut Ecclesia, si adhuc tunc parochialis secularium erat clericorum.* Et paulò inferiùs *num.*3. prosequitur: *Ex lapidis Inscriptione, qua adhuc in Cœnobio visitur, in qua est nomen S.Felicis die XIII. Decembris, Era D C C. I V. quæ est Annus Christi D C. L X V I. creditur, sacra pignora ibidem fuisse translata tempore Regis Recesuinthi, Catholici Gothorum Principis, Summum Pontificatum obtinente Vitaliano. Quis ea transtulerit, à quo loco, quáve causâ, licet antiqua edicerent monumenta, quæ per longum fuere seruata tempus; ast tamen antiquorum incuria, aut vetustatis ruinâ, periere. Quatenus ad corpora* SS. ADRIANI, *&* Nataliæ *vxoris, & Sociorum, credimus adue cta à Comite* Seruando, *Toparcha Montium Boahalensium, Legato ad Leonem III. S. P. ab* Alphonso *Legionis, Oueti, & Asturiæ Rege, cognomento* Magno, *cui illa à Pontifice Maximo obtenta, & in mare transfacta, ad* Vlyssipponẽsem *portum deuenit, Ecclesiamque* Chellensem *illo pretioso ditauit Thesauro. Nec est cur dubitetur,* Alphonsium Magnum *reliquias accepisse à Papâ, mediante* Comitis Legati *ministerio, quia Anno DCC. I.* (lege DCCC. XC.) *idem Rex construxit Monasterium* Tuñonense *in honorem* SS. ADRIANI, *&* Nataliæ, *vt notauit Moral.* tom.3. Hist. Hispan. lib.15. cap.21. *ageas de Cœnobio Esloncensi.* Demum *num.*4. vltimam manum imponens, concludit: *Ista omnium Sanctorum Reliquia, quas repositas in* Chellensi *Cœnobio diximus, per multa secula quieuerunt in duobus capsis lapideis, in modum Altaris, quæ vnaquaque suis Sanctis Martyribus erat dicata. In quarum vnâ Corpora* SS. ADRIANI, NATALIÆ, *& Sociorum; in altera* SS. FELICIS, *& Sociorum, inclusa iacuerunt, donec postmodùm in Aris Ecclesiæ collateralibus translata, S. Felicis ad dextram*, S. ADRIANI *ad sinistram, Inscriptionibus in qualibet incisis, hodie visuntur. Periodus epigraphes Nostrorum Sanctorum est huiusmodi:*

Portugallensium scriptorum opinio.

Quo tempore allata pignora.

Inscriptio Sarcophagi.

FIDELISSIMO, ATQVE INVICTISSIMO CHRISTI
DOM. MART.
ADRIANO, ET NATALIÆ
VXORI EIVS, ALIISQVE XXIII. SOCIIS,
QVI SVB MAXIM. VARIO TORMENT. GENERE
OCCVBVERE. QVORVM CORPORA, ANTE
ALFONS. I. PORTVG. REG. HIC REQVIESCVNT.
H. ALTARE. D. E.

Nec solùm in his testibus fides Translationis huiusmodi circumscribitur, adsit Eduardus Nunius in *Descript.Portugall.c.*76.*fol.*115. vbi hæc recitat: *In Cœnobio de* CHELLAS *prope* Vlyssipponam *iacet corpus S.Felicis, vnà cum exuuijs* S. ADRIANI, *& Sociorum, qui* Nicomediæ *sunt martyrio coronati. Item &* S.Nataliæ *pignora, quæ omnia Deo disponente, ibidem in cymbula adlata sunt.* Eadem Ludouic.de Sousa *in Hist.Predicat.Lusitan.lib.*5.*c.*24. Ludouic.ab Angel.*in Viridar.Portugall.c.*29.*fol.*88. & Patres Societ. Iesu qui *Martyrologium Lusitanum* effecère *die I. Augusti.* Inter quos omnes conuenit de existentia sacrorum pignorum, de innumeris miraculis iuxta eorum sarcophagum patratis, & de more quo vtuntur fœminæ Vlyssipponenses, quæ passim NATALIÆ, & Viri ADRIANI vocitantur.

QVID ergo in re tam dubiâ agemus? Quam insequetur viam ingenium tot confusis itineribus implicatum? Pro Romanæ Ecclesiæ auctoritate, & traditione sto, illinque adseruari lipsana Nostrorum sacrata Martyrum, Ordo Romanus, Arcus Seueri, Cardinalatus Diaconia, & alia vrbis antiqua monimenta suadent. Crederem etiam apud *Vlyssipponenses* aliquot insignia horum Sanctorum fragmenta, Pontificum indulgentia, adseruari concessa, quia non est credendum, tot seculis,

Romæ corpora extare credimus. Vlyssippone vero aliquas Reliquias.

ſeculis,illius vrbis accolas deceptos eſſe,nec Deum illorum precibus reſpõſurum interuentione Sanctorum Martyrum, ſuccedentibus miraculis, ſi eorum ibidem repoſita pignora,etſi minima, non iacêrent. Nec iſte enim error in ſubſtantia eſt, vt ex *Theodoreto lib.8.ad Græcos*, notauit P.Franc.Soar. 3. *tom.in 3.p.D.Thom.diſp.*55. *ſect.* 2. vbi agens de multiplici Reliquiarum apud diuerſos vnius Sancti veneratione,proſequitur: *Quòd ſi interdum videtur intercedere aliquis error,non tàm eſt in ſubſtantia rei adoratæ, quàm in aliquâ conditione, vt verbi gratiâ:* Corpus *eiuſdem* Sancti *interdum in diuerſis locis eſſe exiſtimatur, & in eis ſolemniter honoratur, id tamen accidere potuit, vel quia in vtroque loco eſt aliqua pars corporis, & à parte, totum nominatum eſt.* Videſis eruditiſſimum amicum Noſtrum *P. Ioannem Ferrandum* è S.I. Presbyterum Lugdunenſem, cuius opera, vel ſi diſquiſitionem Reliquiariam ſpectes, vel ſi ACTA abſoluta de S. HECTORE FERRANDO Noſtro, eiuſque opera Notis illuſtrata ad amuſſim intuearis, aliáſque lucubrationes perpendens, vbique ingenium ad hocce ſacrarum literarum ſtudium, natum fateberis. Hic ergo doctiſſimus Pater plura tibi ſuppeditabit de hoc argumenta *Diſquiſit. Relig. lib.*1.*c.*3.*art.*1.*in fin.& c.*4.*art.*2.*per tot.*vbi plura de hoc pio errore cognoſces.

P. Ioannes Ferrandus è S.I. laudatur.

Flandri Corpus S. Hadriani poſſidere contendunt.

NEC ſolùm *Hiſpanis* meis iſthic error pius obumbrauit, *Flandros* itidem occepit, apud quos, primùm *Raulicuriam* Hannoniæ, poſt *Gerardi-Montem* tranſlatum Corpus inuenio. Audi Iacob.Meyer.*lib.*4. *Annal.Flandr.Ann.*1110. dicentem *Corpus* D. ADRIANI *Martyris, ardente templo* Raulicuriæ *in Hannonia, incendio ab* Eubaldo *ſacerdote ſubtractum, deportatumqae* Gerardi-Montem *in cœnobium, Monachiſque venditum.Hunc Martyrem* Nicomediæ *paſſum inuenio,imperante* Maximiano, *Corpuſque eius primùm* Bizantium, *de hinc* Romam, *inde graſſantibus* Romæ *barbaris in* Galliam *deportatum*. Fuſiùs Ioann.Molan. *in Indicul.SS. Belg.* his verbis: S. ADRIANI *Martyris* Nicomedienſis *Reliquiæ*, Româ *tranſlata ſunt ad montem* S. Audardi *Exinde* Raulicuriam *in Hannonia, nouiſſimè Anno* M.C.X. Gerardi-Montem, *Flandriæ ciuitatem, diœceſis Mechlinenſis,in qua eſt Abbatia ordinis S. Benedicti, valde celebris, propter præſentiam, & beneficia tanti Martyris. Multis autem ſignis, & miraculis Seuelardus Abbas tunc experiebatur veras eſſe eius Reliquias. Ad eius memoriam frequens eſt populorum concurſus: imò ob illuſtria Martyris beneficia, multi vrbem non aliter nominant,quàm ad* S. ADRIANVM *in Flandria. Allatio* ADRIANI *celebratur per totam Ciuitatem die* XXVII. *May, eleuatio verò per Decanatum* IV. *Martij, niſi per Synodum Mechlinenſem aliquid ſit immutatum.* Prolixiùs rem diſſerit *in Natal. SS. Belgij, die* 8. *Septembr.* à quo VVichmans *in Apothec. ſpirit. Pharmacop.c.*18. Sander. *in Hagiolog. Flandr. ead. die.* Aubert. Myr. *in Faſt. Belgic. fol.*521. Amicus Noſter Andr.Sauſſay. *in Martyrol. Gallic. tom.*1. *die* 27. *Maij fol.*309. & *die* 8. *Septemb.fol.*601. vbi ad vnguem iſta leguntur: *Ipſo die apud* Gerardi-Montanos *in Flandria, veneratio ſacrarum exuuiarum* S. ADRIANI *Martyris*, Nicomediæ *hodie pro Chriſto dum certaret viuâ fide, eximio agone coronati. Quæ è Græciâ Romam, Româ in Gallias delata, primùm* Raulicuriæ *in Hannonia quieuerunt: deinde ad Oppidum* Gerardi-Montem *appellatum allata, Abbatiam excitârunt, nomine, & miraculis ipſius Chriſti Athletæ conſpicuam, è quâ ob crebras fidelium peregrinationes, nomen ipſius Beati* ADRIANI *in Ciuitatem redundauit.* Ecce vides apud plures recondita lipſana; & ibidem miracula, peregrinationes, & veſtigia depoſitionis eorum: fortè ex hoc deceptas tot vrbes credes? Abſit. Quid ergo? *Quod adeo frequens eſt* (inquit Gregor. Nazianz. Iamb.18.) *horum lucta, certaminúmque veneratio; vt exiguus puluis, aut* Reliquiæ *veterum oſſium totius ad honorem ſufficiant, & nonnullorum ſaltem appellationem* Reliquiarum *omninò expertem ſcio locis certis inditam eſſe pro toto Martyre, quæ tamen eandem vim obtinuerit. Inde accidit* (proſequitur Baron. *tom.*1. *Ann.* 55. *num.*14.) *vt cùm vnius eiuſdem* Martyris, *diuerſis in locis* Reliquiæ *condita haberentur, & æquè, ac ſi integrum corpus vbique horum locorum conditum eſſet, eadem miracula ſint operata, vnius eiuſdémque Martyris corpus diuerſis in locis haberi dicatur: tolerabilis error eſt, cui non hominum impoſtura,ſed exuberans diuina largitas præbuit occaſionem; dùm quod ob virtutis præſtantiam, diuerſis in locis, ſit vnius, eiuſdémque* Martyris *erecta Memoria, vel excitatum ſepulchrum* (*quod eſſe conſueuit ſacrum altare*) *quiſque apud ſe corpus illius haberi eſt opinatus.*

Quo pacto intelligenda eſt pietatis perſuaſio, quâ credimus poſſidere totum Martyris corpus?

opinatus. Quod pius si error, & tolerabilis est, nec maior euidentia inest in vnâ, quàm in alia sententia, vt quid non credemus Corpus S. ADRIANI diuersis particulis esse conditum Romæ, Vlyssippone,& Flandriæ? Quod persuasionis placitum sic vniuersos Christianæ Religionis alumnos tenuit, & tenet, vt vix sacræ inuenientur exuuiæ integræ, in alicuius Martyris, & sancti Sarcophago, vt dixit Theodoretus *d. lib.8.* affirmans: *Nullibi ferè reperiri integrum alicuius sancti Corpus propter fidelium deuotionem.* Ex quo cùm apud *Vlyssipponenses* ab antiquissimis temporibus adsit in Cœnobio de CHELAS Altare S. Martyri ADRIANO dicatum, in quo Sarcophagum eius sacra pignora continens, cum inscriptione eorum existentiam proclamante; pius, & tolerabilis error erit credere, ibidem esse aliquot S. Martyris lipsana, maximè interuenientibus per Dei misericordiam, Martyris inuocatione, miraculis. Quòd si hæc ita; sufficiet nobis fragmentum, vt totum corpus habere, & possidere fateamur, vt satis fuit *B. Gaudentio*, qui cum partem reliquiarum *SS. XL. Martyrum* in sua Brixiensi Ecclesia possideret, prosequitur: *Portionem* Reliquiarum *sumpsimus, & nihil nos minus possidere confidimus, dum totos* Quadraginta *in suis famulis honorantes amplectimur. Itaque pars ipsa quam meruimus, plenitudo est.* Congruit B. Ambrosius *serm.14. de SS. Naz. & Cels.* inquiens: *Hæc est enim Sanctorum Martyrum gloria, quorum etsi per vniuersum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo.* Paulinus Nolanus Antistes, & sanctus Symbolum carmine suum offerat, *in Hymn. 9. S. Felic.*

Nullibi totum Corpus reperitur.

Sufficit pars, vt totum habere credamus.

Quamuis Sancti omnes toto simul Orbe per vnum
Sint vbicumque Deum: Quo præsentantur vbique,
Corporis vt sua membra Deo: sed debita Sanctis
Sunt loca corporibus: Neque tantum quâ iacet orâ
Totum corpus, ibi positorum gratia viuit:
Sed quacumque pij est pars corporis, & manus extat,
Contestante Deo meriti documenta beati.
Magna, & in exiguo Sanctorum puluere virtus
Clamat Apostolici vim corporis indice Verbo.

Quam piam persuasionem fidelium *R.P. Ferrandus* vocitat *Synecdochen*, quia cùm solùm partem pignorum possideant sacrorum, totum corpus Martyris habere contendunt. Quâ ergo piâ fide freti *Vlyssipponenses* Nostri, & festum SS. Martyribus peragunt, & eius subuentione muniti ad eius sarçophagum votis onusti, & donis pleni turmatim accedunt, quod suo idiomate præscripsit Martyrolog. Lusitan. die I. August. his verbis: *Em ô Mosteyro* de CHELAS, *junto de* Lisboa *à trasladaçaõ de S. Felix, natural da Cidade Scelitana em Africa. è martyrizado em Girona. Cujas santas* Reliquias, *juntamente con* ALGVNAS *de* S. ADRIAON, *e seus Companheiros, que padeceraõ en Nicomedia, na persiguiçaõ de Maximiano; e de* S. NATALIA *molher do mesmo* S. ADRIAON, *foram por diuina dispositaõ trazidas por mar à Lisboa, em hũa barca, que aportou junto do Mosteyro do* CHELAS, *segundo he tradicaõ antiga do mesmo Conuento.* Quæ verba Latinè sonant: *In Cœnobio de* CHELAS *prope Vlyssipponam, Translatio S. Felicis, ex Scilitana vrbe Africa oriundi, apud Gerundam martyrizati. Cuius sacra* Reliquiæ, *vnà cum* ALIQVOT *lipsanis* S. ADRIANI, *& Sociorum eius, apud Nicomediam passorum in persecutione Maximiani, & pignora* S. NATLIÆ *eiusdem* S. ADRIANI *vxoris, diuinâ disponente clementiâ, Vlyssipponam aduecta, & iuxta Cœnobium de* CHELAS *soluentia, ibidem, vt est antiqua Cœnobij traditio, requiescunt.* Eorum ACTA ex *R.P. Petro de Ribadeneyra*, Latina facta à *R.P. Iacobo Canisio*, dabimus.

Martyrology Portugallensis verba.

ACTA SS. ADRIANI, ET NATALIÆ Vxoris, & Sociorum, ex R. P. Petro de Ribadeneyra Hispano.

INTER *alias vrbes Martyrum sanguine illustratas, fuit* Nicomedia, *princeps* Bithyniæ *ciuitas. Nam cùm priùs hic habitasset Diocletianus atrocissimus Christiani nominis hostis, & postea Maximianus Galienus, monstrum crudelitatis; vterque illic suam satiauere rabiem in eos, qui Christianam fidem profitebantur. Itaque incredibili diligentiâ vestigabant, delegebant, comprehendebant, cruciabant, & enecabant omnes Vero Deo addictos, haud aliter, ac si fuissent eorum, totiúsque imperij hostes. Fremebant in eosdem eorum Imperatorum ministri, satellites Imperatoriæ impietatis. Martyres equidem cruciabantur, sed Dominus eis vires impertiebatur, quibus & tormenta vincerent, & ipsam quoque mortem superarent. Porro nonnulli Paganorum, vt Martyrum patientiam, mansuetudinem, mediísque in cruciatibus, quamuis crudelissimis, lætitiam summam notarunt, rem prorsus inusitatam mirati, sunt ad Christum conuersi: iámque Christianum nomen professi carnificum ferro iugulum volentes, lubentésque præbuêre. Fuit inter hos* S. ADRIANVS *Octo & viginti annorum iuuenis, primæ nobilitatis, & Minister Imperatoris Maximiani, qui Christianorum constantiam, & fortitudinem in cruciatibus perferendis, & in ipsa quoque morte subeunda, lætitiam, arbitratus, ratúsque hanc non posse esse humanam, sed omninò cælestem, diuinámque; adeò amore diuino succensus est, vt publicè Christianum se sit professus, & in aliorum Martyrum album, suum nomen voluerit referri, quo scilicet vnà cum ijsdem cruciatibus occumberet. Intellexit fortè Maximianus hæc, ideò grauiter indignatus, eum comprehendi, atque in carcerem trudi iussit, in quo Tres & Viginti alij Christiani detinebantur.*

Prosapia, & ætas.

HANC *rem quidam de famulis* ADRIANI *Nataliæ eius vxori, quæ clarè in Christum credebat, nuntiauit. Quo illa nuntio exhilarata ad carcerem properauit, & mariti pedibus aduoluta, nexúsque, & compedes, quibus erat vinctus, osculata, his eum verbis affatur:* Beatus es, mi Domine ADRIANE, qui reperisti diuitias non à parentibus relictas. Nunc verò securus ad Christum pergis, in quo tuos thesauros omnes reposuisti, quos inuenies necessitatis tempore, cùm iam nemo liberari poterit à suppliciis gehennæ, nec adiuuare aliquem, nec pater filium, nec filius matrem, nec opes frustra coaceruatæ, possessorem, nec seruus Dominum, nec amicus amicum, sed sola opera bona, quæ patrarit. Tibi verò, mi Domine, comes indiuiduus adhæreat Christus, cuius promissionibus fruêre. Caue ne te seducat ab hac viâ caducorum fluxorúmque bonorum memoria, nullus tuorum parentum gemitus, non illa florens tua iuuentus, nec illa tua vernans corporis venustas, nullæ amicorum blanditiæ, nullæ inimicorum minæ, nullæ quamuis atroces tyranni pœnæ; sed horum Sanctorum Martyrum comitum tuorum constantiam, & patientiam contemplare, horum mores, vitámque imitare, vt moriens cum ijsdem, præmio immortalitatis potiaris. *Mox sancta Matrona, Martyrum pedibus aduoluta, incredibili pietate catenas eorum deosculata, rogauit eos, vt animos addere suo marito dignarentur, vt victoria, quam ex hostibus ipse retulisset, deberi eorum meritis agnosceretur; neque tantummodo suas animas, sed & animam* ADRIANI *lucrarentur, & ob hanc apud Deum maius præmium mererentur.*

Fortitudo Nataliæ.

SECVNDVM *hæc fortissima Herois Martyribus, suóque Vale dixit marito, qui promisit se eam moniturum tempus, quo subiiciendus esset tormentis, vt ijs adesse præsens ipsa posset.* ADRIANVS *huic promissioni facturus*

facturus satis, post aliquot dies, vt intellexit in se capitalem sententiam ferendam cum consilio Martyrum, & desmophilacis licentiâ pecuniis extorta, de carcere prodyt, suæ coniugi nuntiaturum, appetere iam sui martyrij horam. Antequam suæ domui appropinquasset, præcucurrit quidam Natalia nuntiaturum, vinculis exolutum venire ADRIANVM. *Illa cùm suspicaretur, eò venire, quòd Christum negasset, mortémque exhorruisset, incredibili dolore perculsa, simul ac maritum venientem audiuit, opere, quod et sub manibus erat, omissa, fores adeum protinus accurrit, iisque intra diligenter abseratis, ait:* O sine Deo mortalium omnium miserrime! Quis te coegit aggredi opus, quod perficere nequires? Quis te separauit à Sanctis illis? Quis te seduxit, vt recederes à conuentu pacis, & quietis? Dic mihi quæ te res in fugam compulit, necdum inito certamine? Quid ita abiecisti arma, necdum hoste conspecto? Quomodò vulneratus es, nullâ adhuc missa sagitta? Quid faciam infelicissima quæ coniuncta sum ex impiis impio? Non mihi concessum est vnius horæ spatio, vt dicerer vxor Martyris, potiusquam transgressoris. Breuis fuit exultatio mea, sed per secula durabit opprobrium meum. Ad horam læta sum inter mulieres, at nunc cum ignominia versabor inter illas. *Stabat interea præ foribus* ADRIANVS, *& incredibili gaudio perfundebatur, mirúmque in modum suæ coniugis verbis corroborabatur. At illa simul intellexit maritum suum, non caussa mortis ergo, sed vt ad hanc se compararet, adesse, venisséque vocatum ipsam, quo nempe secundum promissa suo martyrio spectatrix adesse vellet, tunc viro fores reclusit, & humiliter hilarata plantis eius aduoluta suis eas manibus amanter est amplexa, ac denique vterque ad carcerem rediêre. Inter eundum veritus* ADRIANVS *ne fortè Imperatoris Ministri post obitum suum sua bona in publicum ærarium referrent, adeóque* Natalia *fortunis omnibus exueretur, desolatáque relinqueretur, percontatus eam, quid de illis bonis fecisset? illa animo planè generoso, constantiáque prorsus inuicta:* Noli (*inquit*) noli Domine mi meminisse eorum, quæ sunt huius mundi corruptioni obnoxia. Ad ea sola videnda festines, quæ non deficiunt, quæ sunt reposita tibi, & Sanctis illis, cum quibus ambulas in via Domini.

Profectus Hadriani ad coniugem.

A Coniuge ædibus excluditur.

Natalia mariti consilio hilarata.

Vt ad carcerem ventum, Natalia *SS. Martyrum pedibus protinus accessit, piéque eorum vinculis oscula fixit: atque vt vidit eos miserè catenarum pondere constrictos; affectas, fluidásque eorum carnes, purulentas grauiter olere, vermibúsque scatere, teuerrimas suis à famulis imperauit afferri sindones, quibus Sanctorum plagas abstersit, miróque pietatis affecta obligauit. Hebdomadem solidam ea pietas tenuit, secundùm quam Martyres* Tres *&* Viginti *carcere educti sunt vna catena constricti. Porrò eos sequebatur* ADRIANVS, *manibus post terga reuinctis, qui primus omnium cruciandus fuit Imperatori oblatus, quòd tanquam iuuenis robustus parere futuris, & acrioribus tormentis iudicaretur. Cúmque ex aliorum Martyrum conspecta subtrahendum, & Iudici offerendum, ipsi viderent, illum his verbis affati sunt:* Ecce ADRIANE dignus effectus es, vt tollas Crucem tuam, & sequaris Christum: vide ergo ne frangaris in timore. Non te perterreant ea quæ videntur tormenta, sed contemplare animo ea quæ expectas. *Natalia quoque maritum propiùs aggressa:* Vide, *inquit*, mi Domine, vt in solo Deo defigas mentem tuam, nec cor tuum ad vllam rem expauescat, aut trepidet, vbi videris tormenta tibi intentari. Labor exiguus est, sed tibi laus sempiterna manebit. Breuis est afflictatio, sed quies est perpetua. Ad breue tempus feres dolores, at paulo post, cum Angelis exultabis. Quod si terreno Regi militans propter exigua stipendia vapulabas, multo iam constantiori animo ferre debebis, quidquid tibi pœnarum illatum erit propter regna cælorum. *Post Tyranno* ADRIANVS *oblatus*

Eius obsequia erga Martyres.

Adrianus dirè cæſus.

oblatus eſt, quem vt conſtantem in fide IESV-CHRISTI ſenſit, nec eum verborum blanditus quidquam de propoſito remiſiſſe vidit, primùm flagellis cædi, deinde crudeliter quatuor à Lictoribus contundi prædurìs, nodosíſque fuſtibus imperauit. Natalia interea iuit annuntiatum Martyribus aliis, quomodo ADRIANVS iam ſuum martyrium cœpiſſet, eoſdem rogans; vt maritum ſuis apud Deum precibus commendarent. Quod ipſum ſolicitè in omnibus aliis eius cruciatibus obſeruauit, quo ſic Martyrum orationibus fulciretur. Poſt hæc Tyrannus à quatuor aliis robuſtiſſimis ventrem illius vi iuſſit, adeóque crudeliter findi, vt intima eius inteſtina viderentur. Ita cæſum denuo in tetrum compingi carcerem præcepit.

Coniux Martyris vlcera tergebat. — *Inſigne facinus Nataliæ.* — *Coronatur Martyr.*

PROSEQVEBATVR Martyrem fortiſſima viraginum Natalia, manúque ſua interea eum demulcens, aiebat: Beatus es, lumen meum, qui pateris eius cauſſâ, qui pro te paſſus eſt. Vt primùm carcerem ſubijt Martyr, reliqui Martyres inualidos, laceróſque artus ſuos ægrè protrudentes obuiam ei venêre congratulatum, ſalutatúmque in oſculo pacis, & vt in reliqua pugna porrò quoque conſtanter duraret, hortatum. Quibus ille reſpondit: Vos gaudete, veſtra enim corona, & labor veſter eſt. Natalia interim ſui coniugis vulnera abſtergebat, ſanguinem colligebat, quo tanquam pretioſiſſimo vnguento ſe perungebat. Huius exemplo motæ nonnullæ aliæ matronæ ad SS. Martyres in carcere detentos inuisêre, eis, & obſequia, & officia impartiri properarunt. Quod vt à Tyranno reſcitum, vetuit vllam fœminarum prorſus carceres intrare. Sed enim nihil hoc territa mandato fuit Natalia heroidum fortiſſima, quin virilem veſtitum, animumque induta, ſuos ſibi capillos reſecuit, & carcerem ſubiit, maritum conſolatura, reliquíſque Martyribus eodem detentis famulatura. Magna fuit huius exempli vis, quod imitatæ matronarum reliquæ, & ipſæ crinibus abſciſſis, ſimilia Martyribus obſequia præſtitêre. Quod vt Iudex intellexit, incredibiliter exarſit, móxque ADRIANI, reliquorúmque Martyrum poplites, ac manus ſuper incude contundi iuſſit. Natalia Lictores rogauit, vt inciperent à marito, ne forte turbaretur, ſi tam diro ſupplicio priùs alios affectos intueretur. Quod Sancta fœmina rogauit, impetrauit, & viri ſui pedes inuicta matrona tenuit, vt contunderentur, & abſcinderentur. Neque hoc contenta rogauit eum, vt manus extenderet, eaſque ſibi pro Chriſto amputari fineret. Quamobrem Martyr vtraſque palmas tetendit, tenſaſque ipſa tenuit, & Lictor amputauit: in quo cruciatu ſpiritum exhalauit, ſuoque eum reddidit Creatori, IV. Non. Martij, Anno Domini CCC. XI. Imp. Maximiano Galieno. Quo etiam die ſimilis eſt exercita crudelitas in reliquos XXIII. Martyres S. ADRIANI ſodales, qui cùm dixiſſent: Domine IESV accipe ſpiritum noſtrum, animas emiſere, atque ad cælites euolauere.

Natalia corona.

IMPERAVERAT Tyrannus Corpora Martyrum in fornacem conijci, flammiſque exuri. Sed ſubito fuit exorta fœda cum crebris ignibus, tonitruis, ac fulminibus tempeſtas, quâ paganorum nonnulli extincti, quidam ſunt in fugam dati. Hæc fuit Nataliæ, reliquiſque matronis opportunitas Martyrum corpora à flammis prorsùs intacta colligendi. Fuit ingens harum fœminarum integritas, & pietas; quæ Martyrum ſanguinem collegêre, veſtéſque eorum magno à Lictoribus pretio redemêre. Poſtea Chriſtianorum pietas S. ADRIANI, reliquorúmque Martyrum corpora ſeruauit, & per mare Conſtantinopolim adduxit. Natalia autem manum Sancti coniugis ſublegit, eamque prout pretioſiſſimum theſaurum cuſtodiuit, quin & pretioſis linteis inuolutam, fragrantibúſque odoribus delibutam ad ſuum ceruical depoſuit, neque quis, quantúſque theſaurus lateret quiſquam reſciuit. Porrò cùm diues eſſet, nobilis, & formoſa, & tantummodo per tredecim menſes maritata, cœpit eã deperire Tribunus quidam militaris, Imperatorem id ſubnixè obteſtatus, vt ſibi Natalia in vxorem concederetur. Annuit Imperator, nutuſque Cæſareus fœmina ſanctiſſima

ſignificatus

significatus est. Sed sancta Matrona tridui inducias consecuta, quasi qua se nuptijs praeparatura, continuas ad Deum preces effudit, obnixè per S. ADRIANI *merita precata, ne se vim pati, primique mariti thorum pollui sineret. Sic orans obdormiuit, sibique per somnum audire visa est à* Martyribus,*quibus ipsa deseruierat,voces,quibus admonita est,vt è vestigio nauim scanderet, fugerétque* Constantinopolin, *vbi eorum corpora asseruabuntur: velle namque Deum sic eam praesenti periculo eximere, atque ad se suúmque maritum euocare. Mox sancta Matrona, domo relictâ, bonísque suis abdicata, sui coniugis manum secum assumpsit, nauímque ingressa, diuinis fauonijs adiuta, caelestíque visu corroborata, magno denique perfuncta periculo, incolumis est* Constantinopolin *appulsa. Hic templum in quo* SS.Martyres *humati ingressa, coram Reliquijs eorum suas preces effudit, & Sancti mariti manum, quam secum detulerat super eius corpore deposuit. Post hoc in aedes quasdam se recepit, refectura corpus à maris iactatione debilitatum. Inde cunctorum Christianorum precibus sese commendauit. Haud multo post per visum vidit* S. ADRIANVM *his ad se verbis vtentem:* Benè huc aduenisti in pace, ancilla Christi, & filia Martyrum, veni ad nos in requiem tuam, veni & percipe ea, quae tibi debentur. *Ad haec euigilauit* Natalia, *& cùm quae viderat,audieratque,Christianis enarrasset, rursùs obdormiuit, suúmque Deo spiritum reddidit. Kal. Decembris, Anno Domini CCC.XI.*

HIC *fuit finis huius sanctissimae Matronae, cuius etiam res gestas hic adscribere placuit,quòd pars magna fuerit in martyrio* S.ADRIANI. *Equidem quid potissimum admirer nescio, an fortitudinem, & constantiam mariti, an potius ardentem fidem, inflammatúmve desiderium vxoris, quo videre gestijt eius martyrium; an admiranda planè verba, quibus virum, virago corroborauit, ad agonem fortiter pro Christo faciendum? O quantum arsit in huius Heroidis pectore amor Dei, quando simul intellexerit, maritum carceri mancipatum, protinus ad eum confortandum properauit? Quando suae domus fores obserauit, rata perfidam martyrij lauream fugisse? Quando pedes eius in incude tundendos tenuit? eúmque contusum sic orauit, vt manum quoque extenderet, quò pluribus cruciatibus Christum sibi demereretur? Quando vinculis eius oscula libauit, comam sibimet abscidit, virúmque induit, quo commodiùs, expeditiúsque Martyribus inseruiret. Demum in* S. Nataliae *memoriam, domus vbi* Constantinopoli *decessit in Templum conuersa, & Monasterium Virginum adiunctum fuit, vbi multae nubiles, & nobiles foeminae sese Deo dedicarunt. Postmodum omnium sacra pignora, primùm* Romam, Bizanzio *translata, pòst aliquot fragmenta insignia* Vlyssipponem *aduecta, apud* Chellense *Coenobium honorificè quiescunt.*

Causa martyrij Adriani coniux.

Pignora, quo aduecta.

Hactenus ACTA apud *Ribadeneyram* Nostrum, quorum ecphrasin illustrandam omittimus, quia, vt vides, omni difficultate caret. Ob nuperam S. Martyris mei deuotionem, aliqua eius insignia facinora in publicum proferam, forte aliis ansam pietatis praebebimus.

ADSIT prima, & specialis S. ADRIANI praerogatiua, quòd inter QVINQVE Sanctos includitur Tutelares aduersus pestilentem epidemiam, vt notauit August. VVicmans *de Sanct. Tutel. contr. pest. cap.* 18. vbi aliquot miracula refert. Item tuetur Principes Christianos aduersùs rebelles; vt scripsit Baron. *Annal. Eccles. tom.* 11. *Ann.* 1022. *n.* 5. Hic pro coronide duo Epigrammata assuemus, primum ex hymnis *Caroli Morelli*, quo eius Epitaphium includitur:

S. Adrianus inter Sanctos Tutelares aduersus pestem computatur.

Etiam est Regum Tutelaris aduersùs Rebelles.

Iudex in Christi testes ADRIANVS *iniquus*
Hic, factus Christi testis & ipse, iacet.
Hoc Athletarum Christi constantia magna,
Quam mirabatur, perficit vna bonum.

Moenia

Mœnia multa virum ſæuum vidère miniſtrum,
Audiuère pium mœnia multa virum.
Viſcera viſceribus fluxere, pedéſque, manúſque,
Vincere præciſus, mirus & ipſe, valet.

Secundum ex ſacris carminibus Diuis fœminis à *Iul. Cæſ. Scaligero* conſtructis vbi *Natalium* mariti manum alloquentem, & Tribuni amaſij reprimentem, inducit.

Sancta manus, quæ felicis ſolatia mortis,
Et vitæ exemplum, ſpémque datura manes:
Hic mecum, mox hîc mecum: Qua vindice nobis
Hoſtes terribiles Treis ſuperare datur.
Cede mare Auctori: ſponſò violente Tribune
Cede nouo: Domino cede maligne tuo.

Vnum hîc adnotare libuit, quanto ſint errore decepti, qui CRVRIFRAGIVM, quo Martyres cruciabantur, in Crucis patibulo miniſtrari dixerunt. Nam vt ex *Crurifragium ſupplicium quid?* ACTIS huiuſmodi liquet, tormentum hocce, ſic à Gentilibus parabatur: *Incus collocubutur primùm, vnà cum vecte, & malleo ferreo, tunc damnati iubebantur ſuper incudem tibias imponere, quas ferus carnifex, vecte, vel malleo validis ictibus confringebat.* Illud verò ſupplicium, quod cruci affixis, in crurium ſuffractione peragebatur, apud Iudæos tantum in vſu fuit, quia ſic citiùs ex hac vita migrarent damnati, quos iuxta legis mandatum *Deuteron. cap.* 21. extra diem ſupplicij in ligno detinêre, nefas. Aſt Gentiles (in hoc Hebræis aduerſantes) damnatos, & in crucem actos, in patibulo pendere ſinebant, donec putreſcerent, vti ex Valer. Max. *lib.6. cap.*2. Externor. 3. videbis.

Chellenſis Cœnobij antiquitas. COENOBIVM CHELLENSE, ſeu de CHELLAS prope Vlyſſipponam, plurimum antiquitatis præ ſe fert. Tempore Romanæ felicitatis, Templum Veſtæ ſacrum, in quo, ad inſtar Romani, Virgines Veſtales, ſacrúmque, & æternum ignem ineſſe, Luſitanorum traditio eſt. De quo audi Gabriel. Pennot. *Hiſt. Canon.* *Cuius inſtituti?* *Regul.* 2. *p.c.* 32. §. 6. Portugallenſium hiſtorias referentem: *Præter quas Canonicas duo adhuc* Canoniſſarum *Monaſteria vetuſtiſſima ſuperſunt, quorum prima fundatio vix inueniri poteſt; quorum alterum, quod media leuca* Vlyſſipponâ *diſtat*, CHELLAS *vocatur, redditibus, & Canoniſſarum numero abundans. Virginum* Veſtalium *eum locum primitùs extitiſſe, quorundam eſt ſententia, ex quibuſdam literis ſuper adicula aditum calatis, hauſta; in quo inter* Veſtales *olim* Achillem *ſe abſcondiſſe, ne ad bellum* *An Virginum Veſtalium Templum?* *Troianum iret, ibique ab* Vlyſſe *inuentum: ac ob eam cauſam nomen* CHELLAS *ab* ACHILLE *eidem loco inditum.* Literæ inciſæ in marmore, quas hic *Pennotus* refert, ſic ſe babent, provt illas deſcripſit D. Roder. de Acuña *Hiſt. Vlyſſippon.* 2. *p. cap.* 38. *num.* 2. idiomate patrio: *Eſte Conuento hè de* Conegas Regrantes *de S. Agoſtinho por eſcrituras antiquiſſimas; & foi* Caſa das Veſtaës *antes da vinda de Chriſto noſſo Senhor, como ſe vè pelos veſtigios de pedras que eſtaõua craſta velha; & pelo cipo de Iulia Flaminia, y Aru das Veſtaes, con ò buraco da vrna do igne perpetuo. Aſi que ſe acha reedificada eſta Capella quatro veces: Huã em tempo das Veſtaes, outra na primitiua Igreja de Eſpanha, e duas depoès.* quæ verba Latinè ſonant: *Cœnobium hoc ex antiquiſſimis monumentis, Canoniſſarum Regularium S. Auguſtini ordini puret. Ante Chriſti D.N. aduentum, Templum extitit* Veſtalium, *vt lapidum, quorum in Clauſtro veteri fragmenta viſuntur, veſtigia cippus Iulia Flaminia, Veſtalium Ara, & forumen vrna ignis perpetui manifeſtant. Hinc fuiſſe quater hanc extructam inuenitur Capellam. Primùm Veſtalium auo, deinde in primitiua Hiſpania Eccleſia, & Tertio, Quartoque demum.* Ex quibus liquet Cœnobium illud olim Templum Veſtalium fuiſſe Virginum.

An Virgines Veſtales extra vrbem? SED huic ſententiæ aduerſatur communis Scriptorum Romanorum aſſenſus, quo patet, Virgines haſce, nullibi permiſſas extra Capitolium, vt notauit L. Lipſ.

Lipſ. *de Veſta, & Veſtal. cap.* 13. vbi etiam ſi aliquando alibi inuenirentur harum Virginum veſtigia, vt Agrippinæ,& Valentianis, has *fortaſſe* (inquit) *ſacerdotulas Mineruæ, aut Veſtæ, ſed non ijs legibus, aut ceremonijs, quibus Romæ* fuiſſe credendum eſt. Hinc iſthæc Portugallenſium traditio corruit, & neutiquam Vlyſſipponæ *Virginum* extitiſſe *Veſtalium* phanum fatendum eſt. Sed nihilominùs, quod extra Capitolium, vrbemque Romanam, extiterint *Veſtales*, fatetur idem Lipſius *c.* 15. & D.Roder.de Acuña *Hiſt.Vlyſsippon.* 1. *part.cap.* 10. *num.* 3. & Nos in *Hiſtor.Ilipenſ.* 1.*part.cap.*6. vbi ex epigraphe Romani lapidis, quem adhuc videmus in vrbe *Ilipa*, Patria mea, hodie *Zalamea de la ſerena*, probauimus fuiſſe *Veſtales* extra Vrbem. Aſt quia Inſcriptio ſingularis eſt, illam, provt ego deſcripſi, & exſcripſi publicam Exteris faciam. *Inſcriptio Municipij Ilipenſis hodie Zalamea de la Serena, Patria mea.*

P. POMPONIVS.
P. F. PR. PR. SVLPICI-
ANVS. AN. XVII.
H. S. E. S. T. T. L.
SVLPICIÆ. VV. LIB.
CALIRHOE. MATER.
AN. L. H. S. E. S. T. T. L.

Quis autem ſi Notis ſepulchralibus, in hiſce *Virginum Veſtalium*, Inſcriptionibus apponi ſolitis, adhæreat, SVLPICIAM VV. hoc eſt *Virginem Veſtalem*, negabit? Duæ illæ litteræ VV. coniunctim ſiue ſeparatim inciſæ in Romanarum fœminarum ſepulchris, quid ſibi volunt, niſi *Virgo Veſtalis*? Exempla deſideras: videſis Panuinum *in Deſcript. Romæ fol.* 120. Lipſium *cap. fin.* qui Cloëliæ Claudianæ Virginis Veſtalis Inſcriptionem exſcribunt, & his literis, conſcribunt: CLOELIÆ. CLAVDIANÆ. VV. MAX. Dicet aliquis SVLPICIAM meam fuiſſe *Libertinam*, ideóque ad *Virginis Veſtalis* munus haud potuiſſe aſcendere, quia ex inſtitutione *Veſtalium*, nulla niſi ingenua, & nobilis admittebatur, vt ex A. Gellio *lib.* 1. *Noct. Attic. cap.* 12. liquet. Quia vt benè notauit Lipſius *cap.*6. etiam *Libertinis* dabatur ingreſſus: cauſam auſculta. *Quoniam haud promptè ij qui planè nobiles erant filias ſuas ad* Veſtale *ſacerdotium darent; lege ſtatutum eſt, etiam è* Libertinis *natas poſſe capi.* Iam ſolutionem contradicentibus argutiis agnouiſti, ergo & mecum fateri fuiſſe extra Vrbem Romam Virgines Veſtales teneberis. *An omnes Virgines Veſtales ingenuæ?*

TERTIO NON. MARTII. DIES V.

A. *Apud Coloniam Metellinenſem in Luſitania* SS. EVSEBIVS, *&* PALATINVS *cum* FIRMANO *&* RVSTICO *& ſeptem Socijs, qui cum pro Chriſti amore, ob fidei confeſsionem ſe ſe Iudici offerrent, in carceris ergaſtulo diu tenti, tandem Hadriani Imperatoris ſæuitia torti, per varios agonum cruciatus ad æterna Martyres præmia deuenerunt ſtrenui.*

B. RAVENNÆ *in Italia.* TRANSLATIO *Reliquiarum SS. Abderiti,* CALOCERI (*Diſcipuli* S. IACOBI,

Hispaniarum Apostoli) & Probi, Ciuitatis illius Episcoporum, qui primò apud Hispanias prædicantes, mox Italiam adeuntes, ibidem, & Præsulatus onere, & sanctitatis honore pollentes, debitum sunt cultum venerationis adepti.

NOTÆ.

A. *Martyrologia.* SANCTI EVSEBIVS, & Socij Martyres.] Tantorum Martyrum agonis memoria frequens est apud Martyrologiorum Scriptores, licet non æquale placitum inter ipsos. Hæc ergo est antiquitatis consuetudo, vt vix vestigia sequentibus relinquat veritatis. Illā elicere ex vetustioribus compellimur Auctoribus, ita vt veram Actionum compaginemus anamnesim. Aliqui, vt *Beda, Vsuardus, Ado, Galesinius, Constantius Felicius, Bellinus, & Martyrologium Romanum* asserunt (prout in editis apparet) EVSEBIVM eundem esse cum PALATINO, sic quòd ista vox non hominis nomen, sed dignitatis officium, prout *Curialis*, siue *Aulicus*, significet; quasi in *Palatio* emeritum; quibus adhæret P. Biuar. in Not. ad Dextr. Ann. 134. num. 4. fol. 232. hisce verbis: *Porro* S. EVSEBIVM, Palatinum *dici existimo, quòd aliquando homo* Hispanus *Imperatoris* Hispani AVLICVS *fuit*. Alij, diuersos fuisse EVSEBIVM, & PALATINVM affirmant, inter quos *Fl. Dexter, B. Notkerus, Rabanus, Petrus de Natalib.* in Catal. SS. lib. 11. cap. fin. num. 84. *Alexand. de Peregrin. Abbas Maurolicus, & Martyrologium Romanum peruetustum à Rosvveydo editum*, apud quos distinctio inest inter vtrumque nomen, aut virgulâ, aut disiunctiua ET; vt apud Equilin. d. n. 84. hac periodo EVSEBIVS: PALATINVS, *& alij IX. Martyres, III. Non. Martij, palmam perceperunt*. Aut disiunctiua, vt B. Notker. hac clausula: *Item ipso die* EVSEBII, & PALATINI, *& aliorum Martyrum*. Rabanus, omisso EVSEBIO elogium cum PALATINO initiauit, addens FIRMANVM, & RVSTICVM, sic: *Eodem die* SS. PALATINI, FIRMANI, RVSTICI, *& aliorum Martyrum*. Hinc liquet huiusmodi diuersitatem inter Scriptores ortam fuisse, non quia inter ipsos contentio sit, sed quia cùm exscriptores, & amanuenses virgulam inter vnumquemque Martyrem omisissent, & recentiores amborum nomina sine disiunctiua notassent, duos, vnum fuisse Martyrem crediderunt, & cùm sit ambitiosa ingenij facilitas; maximè si nouitatis adhæreat apicibus, facile EVSEBIVM venditauit *Palatinum*, hoc est *Aulicum*, aut *Curialem*. Isti ergo sententiæ adhæsimus in *Vit. S. Epitac. c. 2. n. 13.* & nobis visis, D. Ioann. Solano Archipresbyt. Metellinens. in Libello de *SS. Metellinens. c. 2. §. 5. num. 46. pag. 38.* edito, Anno 1650. Qui perperam, & absque ratione Historica contendit probare Nostros Martyres martyrio coronatos in persecutione Neronis, contra expressam *Fl. Dextri* sententiam, cui in hoc est multum deferendum potius, quàm *Iuliano* cuius in hoc vestigia insequitur. Sed vt huius recentissimi Scriptoris rationes, & coniectationes Lector ad amussim agnoscat, breuiter omnes in Synopsim propalare curabo. PRIMA est, nam ex eo quod Fl. Dext. *in Chron. Ann. 60.* dixerat *Multi in Hispania primâ persecutione Neronis (quæ hic ab anno LVII. cæpit) Hispali, Ilsturgi, in Lusitania & bonis suis omnibus priuati, atrociter patiuntur*, suspicatur inter hosce LVSITANOS Martyres, etiam martyrio coronatos METELLINENSES fuisse. SECVNDA, quia Iulian. *in Chron. n. 101.* asserit: *Memoriam celebrem esse in Hispania, hoc tempore SS MM.* EVSEBII, PALATINI, *& aliorum, &c. persecutione Neronis pro Christi fide passorum.* TERTIAM in huius corroborationem adducit, addens, quia ex eo quod *Iulianus* dixerat *Memoriam celebrem esse*, supponendum est, loquutum *Iulianum* de tempore illo anno præteritum, vt de *SS. Eugenio, Quiteria*, & aliis. Hincque non tempore Hadriani, vt inquit *Dexter* passos, sed æuo Neronis ex *Iuliano* hisce rationibus

[Margin notes: *Causa dissidij.* — *An Eusebius diuersus sit à Palatino.* — *An passi in persecutione Neronis.* — *I. Ratio Solani.* — *II. Ratio Solani.* — *III. Ratio Solani.*]

tionibus suspicatur. Ast tanti viri pace, prorsus toto cælo aberrauit; cuius rationibus resolutis, veram agnoscet passionis ecphrasim. Non ergo obstat I. Ratio: nam ex illa generalitate *Dextri* non elicitur martyrium Nostrorum Athletarum tempore fuisse Neronis, cùm dicat postmodum *Dexter*, ipsos *Metellini* passos Hadriano imperante, cùm ex iure, exceptio firmet regulam in contrarium. Verba *Dextri* excipientia ad *Ann.* 134. hæc sunt: METELLINI *in Lusitania Sancti Martyres* EVSEBIVS: PALATINVS, *& alij IX. pro Christi fide constanter passi*. cui consonat *Galesinius* licet vrbe immutata, his verbis: *Antiochiæ item* S. EVSEBII *Palatini & aliorum sociorum Nouem, quorum pro fide congressio, & dimicatio in illa ipsa persecutione Traianiana sicut præclara extitit, ita victores eos Dominus ornauit egregiâ cælestis præmij dignitate*. Quorum sententias contuens P. Hieronymus Roman. de la Higuera *in Martyrol. Hispan. MS.* patrio idiomate conscripto, h. d. sic consarcinauit eorum elogium: *En* MEDELLIN, *Colonia antigua de Lusitania* S. EVSEBIO, *que con S. Palatino y otros nueue Compañeros se ofrecio al martyrio en tiempo de Trajano, y auiendo estado en la carcel mucho tiempo, fueron coronados en el de Adriano*. Quod latinè sonat: *Metellini, quæ est antiqua Lusitaniæ Colonia*, S. EVSEBIVS, *qui cum* S. PALATINO *& alijs IX. socijs, se se martyrio obtulit tempore Trajani, & cum in custodia per multum temporis detinerentur, Hadriani sunt coronati decreto*. En generalis illius Regulæ exceptio; ergo *prima ratio* non subsistit. Nec itidem SECVNDA, quia *Iuliani* Martyres minimè cum Nostris nisi in nomine EVSEBII, & PALATINI, conueniunt, ideo à Nostris diuersi conspiciuntur. Martyres Iuliani apud OCTOGESSAM; Nostri apud METELLINVM passi. Illi tempore Neronis; Nostri seculo Hadriani. Illi die XXX. Maij cum Syco; Nostri die V. Martij cum IX. socijs: Ergo perperam *Solanus* Nostros cum Octogessanis confundit. Sed quia de hoc die XXX. Maij omnia vela distendimus, illuc Lectorem mitto. TERTIA ratio corruit, quia si tempore Hadriani Nostri Martyres agonis palæstram compleuerunt, quid mirum, si Anno 252. *Iulianus* celebrem per Hispanias fuisse memoriam SS. EVSEBII & PALATINI, esto quod de Nostris agat, dixerit? His sic prælibatis ad Acta pergo.

Respondetur I. Rationi. *Respondetur II.* *Respondetur III.*

ACTA SS. EVSEBII, PALATINI, FIRMANI, RVSTICI & aliorum septem Martyrum, ex varijs Scriptoribus.

IN *peruetusta* Metelli *Lusitaniæ antiqua Colonia, aut* IACOBI *Hispaniarum Apostoli, aut* EPITATII *Ambracianæ Sedis Episcopi, prædicatione, inter alios ad fidem Christi* XI. *ipsius vrbis illustrissimi Ciues*, PALATINVS, EVSEBIVS, FIRMANVS, RVSTICVS, & septem Socij, *quorum nomina in Albo vitæ conscripta, conseruat æterna illa seculis prouidentia, conuersi sunt. Ij siquidem charitatis æstu feruentes, & amoris redundantiâ flagrantes, exorta Trajani Imperatoris persecutionis procella, aut pro fide comprehensi, aut cognito de non quærendis Christianis ipsius decreto, se se spontè Iudici offerentes, in carcerem trusi, ibidémque varijs fætoris, & famis affecti ærumnis, diem, quo erant, pro Christi Domini confessione ad martyrij meritum peruenturi, numerabant. Tot, tantaque affectuum Dominus Sanctorum suorum desideria prospiciens, assiduásque ipsorum lachrymas, solatij linteo despumans, illis trophæi munusculum illicò præparauit. Nam è viuis sublato Trajano, Hadrianúmque totus susceperit Orbis imperatorem, protinus in Christi ascetas sæuientem inspexit, & quibus officiosa Trajani pietas, cruciatuum pondera remiserat; iam repetitis agonibus, cruenta Hadriani crudelitas Martyrum corpora fatigabat. Inter huius truculentiæ rigores* PALATINVS, EVSEBIVS, FIRMANVS, RVSTICVS, & septem Socij METELLINI *carceribus mancipati, inuenti, & post tot angusti ergastuli angustias, intrepidi fidei Confessores reperti, à Iudice damnati, æternam martyrio repromissionem læti Martyres suuenerunt.*

Origo. *Tempore Trajani cōprehensi.* *Tempore Adriani, passio.*

rant. III. Non. Martij, *Anno Domini noſtri Ieſu Chriſti* C. XXXIV.
Cui ſit honor & gloria in ſecula, Amen.

Sic Noſtrorum Martyrum ACTA formauimus, auctoritate *P. Higuera*, & ne in- *Error Galeſinij & Ferrarij.* ter *Dextrum* Noſtrum, & Italum *Galeſinium* diſcrepantia detur. Huius autem ſententia prorſus reſpuenda eſt,dicentis, noſtros Martyres *Antiochia* paſſos; ſicut & Philippi Ferrarij in *Topograph. SS. fol.* vbi *Cæſarea Paleſtinæ* eorum congreſſum aſſignat,quia vterque ſine duce contendit.

DIXIMVS *Dextrum* eorum agonem tempore *Hadriani* conſignaſſe, & *Galeſinium* ſeculo *Traiani*: & optime vtriuſque ſaluatur opinio; Nam ſæuiente Tra- *Componitur inter Dextrum, & Galeſinium diſcrepantia.* iano fortè tenti, aut eius indulgentia, Plinij ſecundi ſuaſionibus, oblati, carceris cuſtodiam experientes, poſtmodum ſæuiente *Hadriano* martyrio coronantur. Quæ omnia euenire potuerunt; cùm vt ſupra diximus Plinij ſecundi literis emollitus Traianus, omnibus Iudicibus Imperij de non quærendis Chriſtianis, niſi ipſi ſe offerrent, edictum publicauit. Cuius tempore Noſtri Martyres, aut ante edictum comprehenſi, aut poſt decretum oblati, ad tempora *Hadriani* peruenêre, quibus, aduerſus Chriſtianos fera exorta perſecutio, innumeros cælo- *Cultus in Diœceſi Placentina.* rum ciues effecit. Metellini eius feſtum Duplex I. Claſ. in Diœceſi Dupl. Min. colitur.

METELLINVM, Vrbs fuit magnifica in Luſitania. Quæ & *Caſtrum Metelli* dicta,ob *Q. Cæcilij Metelli* extructionem.De ea Ptolom. *Tab. 2. Europ. lib. 2. c.* 3. Plin. *Topographia Metellini.* *lib. 4. c.* 22. qui inter *Colonias* collocat Luſitaniæ. Errorem contraxêre Carol. Cluſ. & Ianus Gruter. qui hanc vrbem *Caſtrum Vicelianum* dixere, vt notauit Ambroſ. Moral. *Hiſtor. Hiſp. lib.* 8. *c.* 18. *& lib.* 9. *c.* 22. *&* 23. Barnab. Moren. *Hiſt. Emerit. lib.* 5. *c.* 3. D. Ioann. Solan. *Hiſt. Metellin. c.* 1. *§.* 3. *n.* 21. vbi plures adducit In- *Caſtrum Vicelianũ perperam hæc Colonia dicitur.* ſcriptionum Romanarum epigraphes, inter domorum, & ædificiorum ipſius vrbis parietes, incluſas. Iſte nobilis Scriptor, & celebris inter homopolas meos Eccleſiaſtes, à pluribus annis mihi amicitia deuinctus, propter ipſius eruditionem, mecum Hiſtoriam iſtam communicauit, dum illa prælo ſubiicere satagebat Anno 1650. ex quo demiror, quo elationis ambitu dixit pluries, me ex illius ſchedis nonnulla deſumpſiſſe, & operi meo de *S. Epitacio* adieciſſe cùm illud Anno 1647. in publicum proderet. Abſint hæc commenta à Viro docto, profeſſione Clerico, ſcientia Theologo, officio Parocho, & actu Concionatore. Huius modeſtiæ meæ ſtylus eſt, vt parcam ingenio florenti, cuius viridantis eloquij fulcimentum hiſce ambitioſæ eruditionis raptatur illæcebris. Ad *Metellinum* redeo. De iſta celebri Colonia numiſma hocce ſubiicimus hactenus à nemine exaratum,quod apud me inter alia ſeruantur Hiſpaniæ vrbium.

Numiſma Metellini cuſum.



Cætera quæ ad hanc Vrbem ſpectant ſuis locis interſerere curabimus, vt omnibus partibus dentur ſymbola huius anamneſis.

B. TRANSLATIO SS. Abderiti, CALOCERI, & Probi.] Hiſpanias perluſtraſ- *Huius feſti Scriptores.* ſe omnes iſtos Sanctiſſimos Confeſſores, ex ea liquet ecphraſi, qua vtimur *die XI. Februarij.* XXVII. *Septembris*, & X. *Nouembris*. De hac feſtiuitate agunt Sur. *Tom.* 1. Rubeus *Hiſtor. Rauennat. lib.* 2. Philipp. Ferrar. *in Catal. SS. Ital. fol.* 89. *die* 11. *Febr.* Ex quibus huiuſmodi relationis Acta deprompſimus.

ACTA

ACTA TRANSLATIONIS SS. ABDERITI CALOCERI, & PROBI, ex Variis.

Agarenorum irruptio in Italiam.

CVM *Agareni vniuersa Adriatici maris litora depradarentur, Diuique* Apollinaris *Templi ornamenta omnia, qua summa, & maxima erant, suffurati essent; & plerique praterea Sanctissima hac Cadauera extrahere tentassent*, Petrus Bononiensis *Rauennatum Archiepiscopus, huius nominis IV. ne quid accideret mali timens, sanctissimo consilio, optimum fore indicauit, in vrbem, illa, comportari. Caterum cùm incertum esset, vbi reconderentur, & Pridie Kalendas February, ad B.* Apollinaris *primò, mox ad D.* Iacobi *suppliciter esset precatus, vt sibi, quo essent loco, sanctissima cadauera commonstraret; ab eo defodi cæptum, tametsi suspenso, atque incerto animo, quò coniectura eos maximè deduxit. Reliqui omnes Sacerdotes summâ veneratione fodientes Archiepiscopi inceptum prosequuntur. Nec multum terra confossa est, cum Sacerdos ligone latericium lapidem percutiens, arca latentis aditum sub Ara patefecit. Quapropter sublatâ mensâ ex marmore, qua Aram constabat, detectóque ob id sepulchro, vas ligneum carie, ob vetustatem, corrosum, inuentum est; in quo loculi seiuncti visebantur. In altero bina erant cadauera, in altero vnum, nullo scripto, quod nomina significaret. Veniunt tamen in coniecturam, gemina Cadauera illa esse* ABDERITI *&* CALOCERI, *tertium* PROBI. *Nonnihil itaque Reliquiarum, ob Diuorum memoriam, ibi relicto, Cadaueribus in Antistitis sede positis, continuò cùm magno imbre fœdum esset cælum, inclaruit, & serenum factum est. Moyse praterea quidam ex Monachis Classentibus D. Apollinaris, cùm febri multos iam dies laboraret, tacta sede, restitutus est sanitati. Itaque delata primùm, summâ omnium veneratione, nec sine lacrymis, sancta cadauera, ad S. Apollinaris, mox ad S. Seueri (cuius pridie dies festus erat) Basilicas, tandem hymnis, & lachrymis, ingentique gaudio, in Vrsianam Ædem transferuntur; vbi miraculis compluribus Deus eorum Sanctitatis esse testis voluit. III. Nonas Martias,* Petrus *Archiepiscopus eis Aram dicauit, Anno DCCCC. XL.*

Petrus Rauennatum Episcopus sacra pignora SS. quaritat.

Inuenit.

Transfert.

Miracula.

Istius licet sacrorum Corporum INVENTIONIS, & TRANSLATIONIS apud Scriptores non consignetur Annus; proculdubio hunc à Nobis assignatum, fuisse fatebitur quælibet scrupulosa conspectio; quia *Petrus* qui huius nominis IV. Rauennatum vocitatur Antistes, illius munia cæpit exercere Anno DCCCCXV. cuius memoria ad annum vsque DCCCCLXVII. protenditur, vt ex Carol. Sigon. *Hist. Regn. Ital. lib.6. Ann.915. in fin.* liquet: quo loco *Petrum* Archiepiscopum Rauennatem appingit. Et quod de isto intelligenda sint verba relationis Actorum, patet, nam advsque hunc Annum, *Quatuor* tantum *Petros* Rauennate Episcopos agnoscimus. I. Chrysologus; Anno CCCC. XXXII. II. qui interfuit Cōcilio Symmachi PP. Anno DI. III. qui moritur Anno DCCCC. VII. vt ex Tabulis Ecclesiæ Rauennatis elicitur. In horum ergo Præsulum æuo nulla Agarenorum inuasio dignoscitur, vsque ad Annum DCCCC. XL. quo sedem IV. *Petrus* obtinebat, vt probat Sigon. *lib.6. Ann.*940. Ergo in hunc Annum reiicienda erit huiusmodi INVENTIO, & TRANSLATIO. Audi Sigonium: *Hugo Italia Rex, insidiatoribus quot licuit vindicatis, aduersus Sarracenos, qui omnia Italia litora infestabantur, arma conuertit.* En Anno DCCCC. XL. Sarracenorum apud Italiam irruptio. En eodem seculo, & tempore, *Petrum IV.* Rauennatem Episcopum. En in Actis demonstratio temporis per Sarracenos in Italiam infestationem: ergo concurrentibus hisce inuincibilibus rationibus, proculdubio, relatâ Anni serie Corpora Sanctorum & inuenta, & translata fuere. Quod notabis, quia de hoc apud *Rubeum* altum silentium.

Probatur, Petrum IV. Præsulem transtulisse SS. pignora.

Prima Agarenorū irruptio in Italiā, quo tempore?

a RAVENNAS Celebris in Italia Ciuitas de qua plura diximus *Tom. 1. Die XI. February*

*Februarij fol.*98. vbi antiquitatem, & opulentiam diximus, alibi maiora dicemus. Hic tantùm Inſcriptionem eius Ciuium memoriam facientem aſſuemus, quam refert Ian. Grut. *fol.*8.*n.*9.

Inſcriptio apud Lugdunum in Vico Mercatorio, ex Paradino.

MINERVÆ.
L. ÆMILIVS.
SI. LEOTINVS.
CLASSIS.
RAVENNATIVM.
DICAVIT.

PRIDIE NON. MARTII.

DIES VI.

A. *Dertoſâ in Ilercaonibus Citerioris Hiſpaniæ S. Martianus Epiſcopus, qui in perſecutione Traiani, variè tortus, demum Martyris lauro inuictum ſpiritum ad cælos emiſit.*

B. *Apud vrbem Burgenſem in Hiſpania tranſlatio corporis S Iulianæ Virginis, & Martyris Nicomediæ, quod ab antiquis temporibus è Campania ad oppidum S.Iulianæ, & decurtato nomine* Santillana, *Burgenſis Diœceſis adſportatum ibidem requieſcit.*

C. *Barcinonis S.Oldegarius ipſius vrbis Epiſcopus, cuius memoria apud Deum in benedictione, & apud noſtros in veneratione eſt, qui miraculis, & doctrinis coruſcans in Domino requieuit.*

D. *In Italia S.Claudianus B. Maxentiæ filius, & SS.Vigilij Epiſcopi Tridentini, & Magorini frater, qui omnes ex* Cauria *vrbe Vettonum in Hiſpania orti, eorum virtutibus, & mirabilibus interpellantibus, & honore debito coluntur, & officio proprio celebrantur.*

NOTÆ.

A. *An Dertonæ in Liguria, an Dertoſæ in Hiſpania?*

SANCTVS Martianus.] *S.Martianum* Epiſcopum & Martyrem fuiſſe Dertonæ in Liguria Italiæ fatentur omnes Martyrologiorum ſcriptores, Molanus, Maurolycus, Equilinus, Ferrarius, & Baronius in Romano. Ex Hiſtoriographis Mombritius, Claudius de Rota, Philipp.Bergomenſ.Surius,& alij innumeri, quorum clauſulas longum erit recenſere. Ab omnibus deuiat Codex *Iuliani* Archipresbyteri Toletani impreſſus *in Chron. num.*64. in quo hæc continentur verba: *Eodem anno* Dertoſæ

in

In Ilercaonibus Sanctus Martianus *Episcopus ibi, & Martyr.* Quæ vehementer animum mouent, non ad credendum, Sanctum *Martianum* Dertosæ in *Hispania* passum, quod contra veritatem, & lucis splendorem, nebulam confusionis spargere velle videretur; sed ad coniectandum (deposita amanuensis alicuius in MS. Iuliani interlineatione) quod non sine mysterio Iulianus *S. Martiani* memoriam fecit. Ex quo reuolutis aliquot Ecclesiarum *Hispaniæ* peruetustis Missalibus, & Breuiariis, inuenio *S. Martiani* anamnesim in quamplurimis eorum Officiis. *Kalend. Placent.* die XXX. Martij, sic: *SS. Secundi, &* Martiani *Martyrum.* Eadem verba in Missali. *Breuiar. Abulense*, die XXXI. Martij eadem, cum hac Oratione: *Adesto Domine plebi tuæ, & per intercessionem Sanctorum Martyrum tuorum Secundi, &* Martiani, *quorum solemnia celebramus, fac nos tecum, sine fine gaudere.* Et lectio desumpta est ex Equilino *lib.* 3. *cap.* 189. eadem in *Salmanticensi, Palentino*, & aliis. Ex quo *Iuliani* textum corrigerem, vt minime dissonantiam pareret, sic: *Eodem die Dertonæ in Liguribus S. Martianus Episcopus, ibi* (supra *in Hispania* dixerat) *& Martyr* colitur: supplendo. Sic que dubia omnia quiescent. Quasi diceret. *In Hispania colitur memoria Martyris, & Episcopi* Martiani, *qui apud Dertonam Liguriæ passus est.* Et hæc est vera *Iuliani* lectio, & quælibet alia contra omnem Ecclesiasticæ Historiæ structuram esset: quod nulliter admittendum erit.

Iuliani ex scriptoris error.

Memoria S. Martiani in Breuiariis Hispaniæ.

Corrigitur Codex Iuliani.

TRANSLATIO S. Iulianæ.] De istius festiuitatis indictione in Ecclesia *Burgensi*, licèt iam ad diem *XXVIII. Iulij* translatæ, apud nostros memoriæ prodidit antiquitas. Philipp. Ferrar. *in Catalog. General.* SS. h. d. sic: *Santillana in Asturibus translatio Sanctæ* Iulianæ *Virginis, & Martyris.* P. Mariet. *in Topograph. SS. Hisp. verb.* Burgos. *fol.* 11. *col.* 3. sic: *In Montanis apud Santillanam corpus Sanctæ* Iulianæ *Virginis, & Martyris* Nicomediæ, *reconditur, cuius festum colitur, die XXVIII. Iunij. De eius Sanctæ* Iulianæ *vocabulo, oppidum nomen accepit, quo contracto*, Santillana *vocitatur.* De ea agunt Sandou. *Hist. Alphonsi Cathol. fol.* 93. Villeg. *in flor. SS. in eius vita*, Moral. & Padill. *Hist. Eccles. Cent* 4. *c.* 18. Mariet. *Hist. SS. Hisp. lib.* 4. *c.* 41. *&* 42. Maldonad. *in vit. SS. fol.* 149. & nouiss. Roder. Mend. *in Popalat. Hispan. tit. de Vrbib. Castellæ. c.* 137. *fol.* 57. Et Philipp. Ferrar. *in Catal. SS. Ital. die XVI. Febr. fol.* 105. ex quibus, quidquid ad translationem Sacrorum pignorum spectat mutuauimus. B

Scriptores.

Nomen dedit Oppido Santillana.

ACTA TRANSLATIONIS S. IVLIANÆ, M. ex Variis.

Iuliana *Nobilis Africani filia Eulosio Nicomediæ Præfecto desponsata fuit. Cumque vellet sponsus domum eam ducere, secuturam virum negauit, qui Christum non fateretur. Ex quo verberibus cæsa, tormentis exercita, & suppliciis grauissimis exposita vitam, & confessionem Christi retinuit, donec capitis sententiam subiit, & iugulata est. Mulier autem quædam nomine* Sophia *forte fortuna tunc transiens Nicomedia, in Campaniam illas secum sacras accepit reliquias. Post vero transactis aliquot annis ex* Campania *in* Hispaniam *ad oppidum cui nomen* Lobania *dicebatur, eadem* S. Iulianæ *pignora translata sunt, & locus capit* Lobaniæ *vocabulum deperdere, in qua eius vicem* Sancta Iuliana *vocitari, donec primum obliteratum, & secundum decurtatum hodie* Santillana *inscribitur. Quo anno, quove tempore hæc euenerint, prorsus aut labilitas circumscripsit. At* D. Alphonso *de Carthagena Burgensis Ecclesiæ clauum tenente, & locum quo sacra seruabantur lipsana inspectante, Pastoralis muneris zelo impellente ipsa in honoratiorem tumulum maioris* Capellæ *traducere properauit. Quod factum est* Pridie Non. Martij, *quem diem translationis festum in futura sæcula pronuntiatum.*

Corpus transfertur Nicomedia in Campaniam, post hinc in Hispaniam.

Santillana olim Lobania.

Alphonsus Cartagena Ep. Burgẽsis pignora in honoratiorem locũ transtulit.

De huius sacri corporis existentia, & translatione, quóque in orbe locorum adseruentur exuuiæ? Varij varia dixere. Metaphrastes apud Sur. *die* 16. *Februarij* in eius vita in vrbe *Roma* requiescere dixit. Molanus apud Ferrarium in

Quæstio de loco, quo seruentur pignora.

Bruxellensi ciuitate, alij *Neapoli*, vt ex dictis à Ferrar. in *Catalog. SS. Ital. h. d. fol.* 105. in Not. deprehendere licet: Sed quidquid sit nostram tuetur sententiam ibidem, & in *Catal. General. SS hodie.* Nec huic veritati obstant Epistolæ D. Greg. *lib.* 7. *Ep.* 84. & 85. relatæ à Mosandro *in Not. ad Surium:* quia licet Sanctissimus Pontifex in ipsis epistolis loquatur de translatione *S. Iuliana*, non distinguit an *Nicomedensis*, an altera fuerit, cum simpliciter loquatur. Fuerunt enim *septem* huius nominis Martyres, *Vidua Bononia* VII. Februarij. *Paphlagonia* cum Alexandra XX. Martij. *Augusta* cum Hilaria XII. Augusti. *Ptolomaidis* cum Paulo XVII. eiusdem. *Myra* cum Leone XVIII. *Tarsis* cum Cyrena I. Nouembris. Et hæc nostra, de qua hodie translatio est. Quo nostræ possessionem, & traditionem *Iuliana* habemus inconcusse apud *Santillanam* in diœcesi *Burgensi* Hispaniæ. Nec itidem obstat *Auberti Miræi* ecphrasis *in Fast. Belgic. die* 16. *Februar. fol.* 95. quâ contendit partem Reliquiarum S. Martyris *Bruxella* ad D. Virginis, in *Sabulo*, vt vocant, magno cum honore adseruari; quia vt paret, illius exuuias, ex illis de quibus *B. Gregorius* agit, fuisse *Bruxellas* translatas, quas vt superiùs dictum, nondum *Nicomediensis* esse didicimus. Eius Acta ad *diem XXVIII. Iunij*, *Tom.* 3. exscribemus; Oppidique topothesiam consignabimus.

Mosandri argumentũ diluitur.

Septem huius nominis Sanctæ.

Miræi opinio enacuatur.

C B. OLDEGARIVS Episcopus, & Confessor.] Eius memoria apud *Barcinonenses*, totiusque Principatus accolas Sanctitudo mirabilis est, qui licet Beatissimus Episcopus nondum inter Sanctorum nomina in Ecclesiasticis Tabulis inueniatur descriptus, contentionum occurrentium intercapedine, tamen à multis seculis, eius expetita canonizatio dignoscitur. Cuius beatissima pignora per fere Quingentos annos honore debito eleuata, lycnorum strue suffulta, miraculorum frequentiâ in pretio habita, circumiacentium oppidorum multiplici assistentiâ frequentata, & totius Ecclesiæ Barcinonensis, & populi cultu celebri venerata, conspicimus. Titulo *Sancti* perpetuò illum nominant Scriptores tàm antiqui, quàm recentiores, præcipuè Gotholani P. Anton. Vincent. Domenec *in Hist. SS. illius Region. lib.* 2. *fol.* 75. *col.* 3. Ieronym. de Zurit. *Annal. Aragon. tom.* 1. *Ann.* 1116. Ludouic. Ponf. Icart. *Hist. Tarracon. c.* 6. & 26. Michael. Carbonel. *Hist. Hispan. fol.* 51. *col.* 2. Petr. Anton. Beuter, *Hist. Valent. lib.* 2. *c.* 17. *fol.* 86. Francisc. Martorel. *Histor. Dertusens. lib.* 2. *c.* 13. Ieronym. Paul. *in Catalog. Episcop. Barcinon. n.* 26. licèt pro *Oldegario*, corruptè *Megarius* legatur. Tarrapha *de Regib. Hispan. in* Alphonso VIII. *Ann.* 1136. qui hæc verba subnectit: OLDEGARIVS *Tarraconensis Archiepiscopus, Barcinonensisque Administrator siue Episcopus, per hoc idem tempus fide, doctrinâ, & miraculis plurimum valuit, obiitque Barcinone, in Cathedrali Ecclesia sepultus, Anno ab Incarnatione Christi M. C. XXXVI. die IV. Martij, cuius anniuersarium, quolibet anno, dictâ die celebratur.* Autor Indic. *Rerum Aragon. lib.* 1. *Ann.* 1115. istbæc subiungit: OLDEGARIVS *ex Barcinonensi Episcopi, ad primam Tarraconensis Ecclesia dignitatem adsciscitur: Vir pietate, & Sanctimonia in Diuorum numero venerandus.* Et *Ann* 1137. prosequitur: OLDEGARIVS *Tarraconensis Archiepiscopus, cuius, & illo & posteris seculis sancta religionis, & pietatis memoria fuit, è vitâ excedit. Huius sanctissimi Viri commemoratio in Diuorum numero consecratur.* P. F. Francisc. Diago, *Hist. Comitum Barcinonens. lib.* 2. *c.* 49. & *plurib. seqq.* qui S. Viri ACTA prolixius descripsit. Nos ex *Domenec* illa exscribemus.

Scriptores de Sanctitate Oldegarij.

ACTA B. OLDEGARII BARCINONENSIS *Episcopi, Tarraconensis Metropolita, ex Ant. Vinc. Domenec.*

Origo, & Patria.

OLDEGARIVS *natione* Gotholanus, *ex* Barcinone, *præclarissima vrbe & totius Principatus Curia, ortundus, & nobilissimâ prosapiâ procreatus; patrem habuit* Oldegarium, *&* Guillam *matrem. Ille in Palatio Comitum deseruiens, stipendia Palatinus reportabat sublimia. Qui filio ad ætatem accedente condignam, litterarum studiis mancipauit, è quorum pensu,*

pensu, futuris temporibus, mirabiles in Theologiæ, & Prædicationis apicibus fructus adolescens exsuxit. Postmodùm factus maior, primâ initiatus tonsurâ, Canonicus in Cathedrali Ecclesia effectus, à Parentibus est Deo, & B. Eulaliæ *Virgini, & Martyri, totis visceribus, oblatus. Ecclesiæ itaque fideliis inseruiuit Canonicus, donec ad Præpositi dignitatem, quæ* Pauorde *dicitur, sublimatus, sui ministerij onera feliciter reportauit. Erat igitur castitate præditus, vitâ exemplari conspicuus, prudentiâ imbutus, eloquentiâ clarus, sibi parcus, & in pauperes largus. Omnes in sui amicitiam reducebat, vanitates, & humanas pompas contempsit, paucis contentus, omnibus charus, & sibi rigidus, vitam transegit Angelicam. Pòst cùm mundi pericula experiretur, agnoscens naufragij turbinem imminentis, à quo, nisi Dei misericordiâ suffragante, liberari mundialis haud poterat conturbata conditio, in Religionis tabulâ portum promereri desiderans, Canonicorum Regularium S. Augustini eligens institutum, eius habitum sui, & omnium acclamatione perinduit. Episcopatus etenim Barcinonensis infulâ per hæc tempora erat insignitus* Bertrandus, *ex Canonico Regulari S. Ruffi, qui Monasterium S. Adriani prope* Barcinonem *extruxit, & dicauit, in illo* OLDEGARIVM *Priorem nominauit, qui Prælati titulo fungens, nouis Regularibus Canonicis illinc translatis, vita exemplo, & sermonis eloquio, viuendi normam præbuit sublimiorem.*

Fit Canonicus Barcinonens.

Fit Præpositus, seu Preuorde.

Canonicus Regularis fit.

Fit Prior S. Ruffi.

Cum enim ibidem aliquot annos in huiusmodi officij munere transegisset, S. Ruffi Abbatiatu vacante Monasterij, quod in Magalonensi, non procul à Montepessulana ciuitate, structum erat ditione, Abbas sufficitur, qui ad suum Monasterium protinus vt oneri incumberet pergens, ibidem sanctissimam vitam egit, donec Raymundo Berengario huius nominis III. præclarissimo Principe, deuictis (auxiliantibus Pisanis, & Liguribus) Maioricensis, & Belearium Insularum Sarracenis, victore Barcinonem ingresso, à Dulcia *Comitissa Prouinciæ,* Raymundi *coniuge, Barcinonem pro mariti visitatione, aduentante, & Monasterium S. Ruffi lustrante, est ad vrbem protractus, & honorifice tractatus. Tempòre siquidem Belearium expeditionis; Barcinonensis Episcopus, qui Legatum Sedis Apostolicæ, Paschalis II. Pont. Max. iussu, comitabatur in bello, è viuis sublatus est, ita vt sedes Barcinonensis vacaret; ideo conuenit inter Cleri, & Populi Primarios, Comitibus suadentibus, vt emortuo Præsuli successor daretur.* Ast *cùm de persona benemerita dubitaretur, quia tot illustrium numerus propositarum, omnium euertebat suffragia, demum, Dei nutu, omnia in vnum* OLDEGARIVM *Abbatem S. Ruffi conuenère. Huius electio sic Comitibus grata, Clericis accepta, & Populis extitit admirabilis, vt summa fuerit omnium in eius gratulatione contentio, ita vt ipsa vrbs suis conuulsa sedibus, ad illum fuerit amplectendum visa procedere. Omnium igitur alacri quiescente tumultu, & electionis diplomate, vt moris erat, confecto, Suffragantium consessus discessit, vt moderno Præsuli electionis enuntiaret euentum, vt factum est. Nocte verò adueniente, Dei seruus, qui intrepidè dignitatem respuebat, in oratione positus, onus, & honorem à se depellendum enixè Deum precabatur, qui surgens, euocatis Clericis, quos secum aduexerat, ad primam vigiliam, ex vrbe diffugiens, in Galliam est festinâ celeritate translatus. Mane facto, Clerici, & Proceres, Populúsque vniuersus, in domum Episcopalem, vt nouo Præsuli gratularentur, accessere, sed illo non inuento, omnium lætitia in planctum conuersa est: Nam Comites perturbatione, Clerus tristitiâ, & Populus mærore affecti, haud aliquod solatij perfugium inueniebant. Comes successum suis tribuebat peccaminibus, Clerus euentum suis erroribus applicabat, Populús fugam S. Viri, aliquod vrbi ominari fatum, interpretabatur, & omnes denique, mæsti, & confusi, nec quæ facerent agnoscebant, nec quæ cogitabant perficere conabantur, dolentes se vnquam talem, ac tantum Præsulem inuenturos.*

Pòst Abbas.

In Cathedram Barcinonensem sufficitur Amistes.

Fugit dignitatem, & ab vrbe discedit.

ERGO

Comes Romam adire constituit pro decreto acceptationis Oldegarij.

ERGO *Comes, Deo vt creditur inspirante, medium validum excogitauit, vt* OLDEGARIVS *Episcopalem infulam indueret: Nam Romam personaliter conscendere, SS. Apostolorum limina visitare, Romanique Pontificis pedes deosculari constituit, à quo Cruciatam ad expeditionem Belearium, & literas Apostolicas, pro acceptatione Prælaturæ* OLDEGARIO *directas, obtinere proposuit. Classe etenim instructâ, Clericis, Magnatibus, & militibus stipatus, è portu soluens, primò Genuam, pòst Pisam deueniens, à quibus magnificentissimè hospitatus, auxilia aduersus Sarracenos adeptus, Romam progredi statuit: sed à Pisanis propter Imperatoris tyrannidem Henrici, qui in captione Comitis vigilabat, detentus, Oratores ad Pontificem literis petitionum suarum summam continentibus, dirigere coactus est. Ergo Episcopis Nisseno, & Antinopolitano, Baremonensique Archidiacono, cum duobus Proceribus ad legationem electis, & in petendis instructis, illos protinùs dimisit, qui Romam contendentes Paschalis Papæ pedes deosculati, literas Comitis tradidêre. Istis postmodùm visis, & Cardinalium in Consistorio perlectis, Pontifex de Fratrum consilio, Bosonum Cardinalem, Legati nomine, in Gotholaniam direxit, vt Belearium expeditionem disponeret, & Apostolicis literis, ad acceptandum pastorale sibi munus impositum, compelleret* OLDEGARIVM. *Cardinalis Legatus cum Oratoribus Comitis Româ profectus, Pisam aduenit, vbi à Comite, & Rep. benignè susceptus, & honorifice hospitatus, omnia sua Legationis officia Comiti patefecit, Bullámque tradidit, quâ Pontifex Comitem, vxores, liberos, & sua, sub protectione Sedis Apostolicæ recipiebat. His sic peractis: & Pisanis Vale dicto, Comes, Legatus, & sui ad Prouinciam deuenêre, vbi* OLDEGARIVM *in Monasterio S. Ruffi, de huiusmodi stratagematis artificio immemorem inuenêre. Cardinalis etenim B. Abbatem coram se adducere præcipiens, illum de literis Apostolicis, acceptationem Ecclesiæ* Barcinonensis, *continentibus, fecit certiorem; cui & obedientiæ præceptum indixit. Tunc B.* OLDEGARIVS, *lachrymarum imbre suffusus, vt literas Pontificias inuisit, & quòd iussioni Antistitis summi resistere, potius pertinaciæ, quàm religioni tribueretur, Dei placito, & eius Vicarij imperio, humiliter manum dedit, & in Ecclesia* Magalonensi *consecratus, Comitum, Cleri, & Populi desideria plenis calamis adimpleuit.*

Pontifex literas acceptationis Oldegario dimisit.

Episcopatū acceptat.

EPISCOPALI *equidem munere sarcinatus, sic vitam texuit, vt potius cælorum, quàm huius seculi ciuem conspexisses. Prædicationi assiduè vacabat; in cuius onere, & eloquentia primas tulit. Clerum, & Populum verbo, & exemplo mundi illecebras diffugiendas, æternæ vitæ sedes conquirendas, monebat. Tunc temporis Cardinalis Legatus, ex Pontificis præcepto fidelium animos, aduersus Sarracenos, pro Tarraconensis inclytæ vrbis expeditione peracuebat. Cuius expugnatio à* Raymundo Berengario *perfecta dignoscitur, licet Scribentium opinationes, quoad tempora recuperationis, variæ sint.* OLDEGARIO *igitur Comes* Tarraconem *tradidit possidendam, cuius decreto B. Episcopus Caietam adiuit, vt à summo Pontifice Gelasio II. illic suorum inimicorum insidias effugiente, distracto; gratiam Archiepiscopalis muneris consequeretur. Omnia adeptus, non dignitatis gloriâ ventosus, nam istha c à Sanctis Viris reijcitur, sed Dei Ecclesiæ exaltatione protractus, & Metropoliticæ vrbis restitutione honoris, Agarenis prostratis, inductus, Barcinonem repedauit, pòstque* Tarraconem *deuenit, cuius mœnia reficere, Ecclesiam erigere, gentes euocare, & omnia necessaria ad Ciuium defensionem disponere, procurauit, ita vt à Comite adiutus, intra octo annorum spatium, vrbem militibus, & agricolis popularet. Ast cùm Sarracenorum continuæ incursiones vrbem profligare, homines occidere, campos diripere, & omnia dissipare ferociùs aggrederentur, nec Comitis industria, illorum conamina prohibere, nec* B. Præsulis *potentia vehementis militis strages deuitare valerent, postquam per decennium vrbem inclytam possedisset, remedio illius conseruandæ destitutus, illam* Roberto de Aguillon, *militi strenuo, & Equiti nobilissimo, qui se totum Deo, eiúsque seruitio mancipauerat,*

Donat Comes Oldegario Tarraconam vrbem.

Hanc arcibus & mœnijs cingit.

Illā Roberto de Aguillon tradidit cōditionibus interuenientibus.

rat,

rat, tradidit, hisce conditionibus: Quòd militari industriâ, Ecclesiam, eiúsque bona defensaret. Quòd illius dominium, & iura personarúmque Ecclesiasticarum, eorúmque familiarum possessiones, ab eius Roberti, successorúmque suorum dominio liberæ, & sub Ecclesiæ iudicio immunes remanerent. Quòd secularium bona decimas Deo, & Ecclesiis persoluerent. *Quibus stipulatis in eum Principis titulum Tarraconensis, omniáque eius iura, ditiones, campos, & terminos, quà terra, quà mari vrbis fuisse antiquitus consignauit, transtulit, eiúsque successoribus, possessionémque tradidit. Qua Robertus innixus, protinus illius mœnia reparauit, ciues corroborauit, campos distribuit, hostes propulsauit, ita vt de catero terminos tueretur. Cuius successio ad Guillielmum de Aguillon eius filium tantum peruenit, quia cùm iste sacrilegâ manu sanctissimum* Hugonem de Ceruellon *Archiepiscopum Tarraconensem occideret, ab Alexandro III. Pont. Maximo excommunicatus, & vrbis Principatu priuatus, postmodum miserabiliter occubuit.*

Vrbem perdidit filius ob sacrilegium.

VBIQVE *B. Episcopus à Summis Ecclesiæ Patribus erat maximo prosequutus honore, & ideo Innocentius II. Pont. Max. cum à* Rogerio *Calabriæ Rege, siue Duce, dimexatus, propter excommunicationis sententiam, quam aduersus* Petrum Leonem *Antipapam, nomine* Anacletum, *fulminauerat, in Galliam aduenisset, & apud Clarum-Montem Synodum indixisset,* OLDEGARIVM *Concilio aduenientem, humaniter tractauit, pluribúsque illum affecit honoribus; & demum* B. Vir *cum cæteris Patribus* Anacletum *damnauit, & schismaticum declarauit. Eisdem illum est fauoribus prosequutus Calixtus II. Rom. Pont. qui, cùm alibi B. Virum Oratorem elegisset Comes* Raymundus *pro impetratione Cruciata in expeditione* Ilerdensi, *&* Dertosana, *Romámque direxisset, Episcopum benignè suscepit, & Comitis desiderium eius interuentione compleuit, vt ex literis hortatorijs ad hoc expeditis huiusmodi plenius visitur contineri.*

Claromontano Concilio interfuit, & Anacletum Antipapã damnauit.

CALIXTVS Episcopus, Seruus Seruorum Dei. Omnibus Episcopis, Regibus, Comitibus, Principibus, cæterisque Dei fidelibus, salutem, & Apostolicam benedictionem. Pastoralis officij nobis à Deo commissi solicitudo exposcit, vt omni vigilantiâ, & circumspectione gregem Dominicum pascamus: Hispaniarum siquidem Ecclesia quantis calamitatibus, quantísque filiorum Dei mortibus per Paganorum oppressionem assiduè conteritur, neminem vestrûm latere credimus. Ea propter dilectionem vestram, tanquam Deo, cuius legatione fungimur, exhortante per Nos, admonemus, & tanquam charissimos, precibus, quibus possumus, quatenus ad fratrum defensionem, & Ecclesiarum liberationem nullatenus desistatis. Omnibus enim in hac expeditione constanter militantibus, eandem peccatorum remissionem, quam Orientalis Ecclesiæ defensoribus, fecimus, auctoritate Apostolicâ, & concessâ nobis diuinitus potestate, benignè concedimus. Illos autem qui signum Crucis suis vestibus hac de causa imposuerunt, si ab hoc Paschate, vsque ad aliud, votum suum persoluere non satagerint, à gremio deinceps S. Ecclesiæ, donec satisfaciant, summouemus. Verùm quoniam exercitum vestrum, per Nos, vt desideraremus, visitare nequimus, charissimum fratrem Nostrum OLDEGARIVM, Tarraconensem Archiepiscopum, ad idem ex Latere nostro delegare curauimus, nostràs ei vices, in hoc specialiter committentes, vt ipsius consilio, & dispositione corrigenda corrigantur, & confirmanda cooperante Domino confirmentur. Si quæ verò dubia in exercitu eodem emerserint, ipsius experientiâ terminentur. Ipsum itaque dilectioni vestræ attentius commendamus: rogantes vt illam in vobis inueniat charitatem, quæ nos ad eum vobis committendum compellit. Omnipotens Dominus Beatorum suorum Apostolorum meritis, suâ Nos miseratione custodiat, & ad gloriosam de inimicis

Litera hortatoria Calixti II. P. M. pro expeditione Ilerdensi, quas Romæ adeptus est Oldegarius.

inimicis Christianorum victoriam; & felicem consummationem peruenire concedat. Dat. Lateran. IV. Non. Aprilis.

Fit Legatus Apostolicus in Catalonia.

Ex cuius diplomatis epigraphe liquet, quanto erat apud Calixtum prosequutus honore, siquidem Legati à latere Sedis Apostolicæ munere, tantis promeruit officijs decorari. Sed licet fides apud Papam ad Virum Beatum esset insignis, efficacius apud omnes, & singulos ad summa beneuolentiæ, & amoris culmina pertingebat. Bellorum etenim infatigabilis strages, Deo cooperante, per aliquot temporis interualla quieuit; Nam Reges Agareni urbium Ilerdæ, Dertosæ, Cæsaraugustæ, *&* Gallicæ-Flauiæ *fasces* Raymundo *Comiti submisere. Istius equidem pacis occasio, B. Præsulem inuitauit, vt Comitem ad indicendas* Barcinone *Curias induceret, quibus Resp. status reformaretur, & secularium aduersus Ecclesiastica iura, emendarentur excessus. Annuit Comes propositioni Præsulis, & Curijs consignatis, ad eas venere vocati*, Raymundus *Ausonensis, &* Bernardus *Gerundensis* Episcopi, *Abbates, Comites, Nobiles, & urbium Principatus Commissarij, quibus omnibus præfuit* OLDEGARIVS, *vbi post varia contentionum argumenta, die* X. Martij, *Anno Domini* M. C. XXVI. *conclusum*: Quòd nemo in posterum Ecclesias intra triginta passuum ambitum violare præsumat: Quòd Ecclesiasticarum personarum corpora, vel bona nequaquam diuexet: Quòd comes, eiúsque filius de consensu Baronum, Archiepiscopo, & Episcopis Principatus, omnes Ecclesias cum iuribus earum, cœmeteriis, & possessionibus liberè, & sine lite restituat. Item forma adsignata est, quà Ecclesiæ sine earum fraude, & absque contribuentium periculo decimas capiant. *Demum alia multa sunt statuta, quæ ad Republicæ statum spectabant, & huius non sunt paginæ necessaria. Hinc liquet, quanto zelo Ecclesiasticam immunitatem conseruare satagebat Antistes, qui etiam fidei acerrimus defensor extitit, & propagator. Pacis, & concordiæ Christianæ sic fuit amicus, vt iurgia inter ciues, siue optimates, siue plebeculos, nec duella, in quibus corporis, & animæ insunt pericula, pateretur. Inter Christianos Principes differentias, quæ continuo bellorum incommoda parturiunt, sedare, eásque in concordiam reducere procurauit; vt euenit inter Aldephonsi Imperatoris, & Ranimiri Aragoniæ, & Garsiæ Nauarræ Regum dissensiones, quas licèt in totum, proprijs occupationibus præpeditus, non extinxerit, attamen ad tempus mirabiliter dilatauit.*

Curias indixit Comes Barcinonēsis hortante Oldegario.

Leges decreta pro libertate Ecclesiastica.

Principum discordias componere aggreditur.

POSTQVAM *ex Claro-Montana rediit synodo, in plurimarum, Dei seruus, Ecclesiarum reparatione direxit animum; ideò aliquas consecrauit, alias Sarracenorum labe pollutas lustrauit, nonnullásque solo æquatas erexit. Pro defensione Ecclesiasticorum redditaum, humanam despiciebat potentiam; vnde cùm Bernardus Vice-Comes Cardonensis tres Ecclesias ad Cathedralem Barcinonensem pertinentes, cum suis incolis occupasset, illum perhumaniter interpellauit, vt ipsas capitulo restitueret. Vicecomes restitutionem abhorrens, tandiu excommunicatus ab Episcopo iacuit, donec Ecclesias Barcinonensi Antistiti ad vnguem restituit. In pauperes summam charitatem exercuit, & ideò in Nosocomio iuxta Palatium degentibus, suppetias continua liberalitate ferebat, ad quos in tantum creuit eius amoris efficacia, vt de sui Capituli consensu decreuerit, quòd lectuli clericorum morientium, cum eorum pertinentijs lineis, & laneis, sericis exceptis, illius Hospitalis pauperibus applicarentur.*

Ecclesias reparat, lustrat, erigit, & aliquas à Potentioribus extrahit.

Nosocomiū dicat lectulos Clericorum morientium.

POPVLATA *itaque* Tarracone, *cuius Principem fecit Robertum de Aguillon, Ierosolymam pro visitandis nostræ Redemptionis sacratis locis, peregrinus adiuit, vbi à Patriarcha Ierosolymitano, Clero, & Populo benigne, susceptus, per aliquod tempus ibidem consistit, donec eius concionibus sæpesæpius auditis, & celebratis, discedendi licentiam reportauit; quod etiam cum Antiocheno Patriarcha, & Tripolitano accidit Episcopo, à quibus humanissimis prosequutus officijs propter eius eloquentiam, tandem in propriam*

Ierosolymā proficiscitur.

priam sedem repedauit, vbi à suis ouibus læta, & alacri cordium acclamatione susceptus est.

Ergo B. Præsul toleratis propter Christiana Religionis, & fidei defensionem continuis, & innumeris laboribus, infirmitatem contraxit, cuius prolixam animaduertens anguiliam, patienter sustulit. Et licet per eius efficaciam corporis vires deficerent, attamen spiritus fortitudinem non amisit. Demum eius vitæ terminum appropinquari cognoscens, Mense Nouembri diœcesanam synodum indixit, quâ præsentibus districtûs Clericis, suam vocationem à Domino integra animi fortitudine propalauit, ab illis orationes lachrymosas expostulans. Finita synodo, eius Clerici sanctum Præsulem ferè singultibus præpeditis, in Palatium traxere, & in lectulo composuere, à quo acceptâ benedictione, vnusquisque in propriam dolore perculsus repedauit Ecclesiam. Hoc etenim morbi assiduo languore, & tabe quassatus Dei famulus vitam transigebat molestam, sed cùm de manu Dei omnia prouenire cognouerat, gratias passim Domino referebat. Sic denique huiusmodi pressus ægritudine vixit, donec Anno sequenti in Prima Hebdomada Quadragesima synodus alia indiceretur ex more; ad quam omnes Barcinonensis diœcesis Clerici conuenère, qui lachrymis & orationibus sui Præsulis vitam, & salutem à Domino flagitarunt. OLDEGARIVS *verò qui suam iam adesse horam prænoscebat, sacramentis vallatus sacrosanctis, omnibus suam beneuolè benedictionem impartitus, Sole occidente, spiritum suo reddidit Creatori, Pridie* Nonas Martij, *Anno Domini* M.CXXXVI. *Regnante in Catalonia Raymundo Berengario, huius nominis IV. vltimo Barcinonensium Comite.*

Synodum contrahit ægrotus.

Infirmitate grauatur.

Moritur.

PLVRIMA *post eius discessum Deus* S. OLDEGARII *Præsulis interuentione, est operatus miracula, ex quibus, quotquot in codicibus, & alys authenticis, & publicis scripturis desumere potui, fideliter referam. Quædam mulier elinguis iuxta* S. Viri *feretrum, die sua depositionis, adstabat, & lachrymis loquelam à S. Præsule toto corde poscebat. Eius oratio tanta fuit efficacia, quòd linguâ solutâ, liberè dicere cœperit:* S. OLDEGARIVS ME ADIVVET. *& sic ad sanitatem restituta, ipsa, & circumstantes grates Domino, & Præsuli reddidère.*

Miracula.

Mulier elinguis loquitur.

CVM *quidam naucleri, & aly milites* Barcinonenses *maritimas Hispaniæ oras Paganis subiectas infestassent, euênit, vt arreptâ celebri prædâ læti ad Gotholaniam properassent. Ast Pyratæ Sarraceni, qui Almeria, Diany, & Valentia portus tenebant, auditâ Barcinonensium victoriâ, datis vento velis, illos insequebantur desperati. Nostri maris fluctibus fatigati Anconem arripuère, vt aquam in nauigio perducerent; sed somno capti, pyratis tempus ad illos persequendos datum est.* Sed B. OLDEGARIVS *cuius tutela nauigium erat, Nauiculario dormienti apparens, dixit:* surge, & propera, ne à perfidis obruaris. *Ille somnium credens Viri Dei cautionem, iterum sibi soporem conciliauit. Ast S. Præsul incuriam illius secundò increpans, eiusque, & sociorum periculum demonstrans, illos compulit nauigare, eo tempore, quo à Pyratarum nauigys circumdati, vix locum perfugio cognoscerent. Ergo à* S. Patrono *moniti, qui puppim tenebat, inter media hostium nauigia, discesserunt incolumes, & Barcinonem reuertentes, quæ euenerant propalarunt, & ad S. Pontificis tumulum donaria persoluerunt, & vota.*

Nauigantes à Pyratis obsessos liberat.

Tres Christiani, ex territorio qui dicitur Panades, *inter quos vnus Sacerdos, qui à* S. OLDEGARIO *fuerat ordinatus, à Pagânis tenti, & Valentiam transportati, miseram captiuitatem agebant; nam in ergastulo inclusi famis, & sitis rigoribus deperissent, ni Sacerdos socys, vt ad Deum preces S. Pontificis interuentione diffunderent, vt à captiuitate illa funestâ eos liberaret, edixisset. Ad orationem omnes piâ festinatione concurrunt, in cuius cùm persisterent efficacia,* OLDEGARIVS *accessit, & captiuorum catenas disrumpens, illo præcedente, extra vrbis mœnia perduxit eosdem, illis viam, per quam securi diffugerent, manifestans, quo facto, captiuis admirantibus,*

Captiuos ab ergastulo extrahit, & ruptis catenis, illos in patriam dirigit.

tibus, euannit. Illi iter demonſtratum arripiunt, & in maris litore, inuento nauigio, alacres Barcinonem appulerunt, vbi miraculum conteſtantes, vincula iuxta S. Præſulis ſarcophagum ſuſpendêre.

Fæmina à morbo caduco ſanatur.

Fæmina quæ ex eodem territorio oriunda erat, cùm morbi caduci laboraret anguſtijs, & à Phyſicis, quorum miniſterio vſa, prolixâ intercapedine, haud vllum ſanitatis remedium noſceretur, auditis S. OLDEGARII mirabilibus, eius fauorem fide cordis ſyncera interpellata; quadam nocte, infirmitatis pondere preſſa in lectulo quieuit. Mane facto alacris ab ægritudine libera, Barcinonem deuênit, ſepulchrum S. Viri humiliter venerata gratias Deo reddidit, & B. Pontifici, ſupra cuius tumulum ſericum pannum appoſuit.

Cæcus manica rocheti refricatus viſum recepit.

Cæcus pauper, ſenectute confectus iuxta capellam S. OLDEGARII eleemoſynam expetebat, qui continuis orationibus à Domino, S. Præſulis meritis viſum humiliter flagitabat. Cùm ergo quadam die Sabbathi in oratione conſueta perſiſteret, ſenem pontificalibus indutum vidit, qui eius oculos rocheti manicâ refricabat, quo facto euanuit. Tunc pauper apertis oculis, voce eleuatâ, ſe à S. OLDEGARIO ſanitati reſtitutum, proclamauit.

Cæcus alter etiam ſanatur.

Non ſecùs alius cæcus angulum occupauerat templi, & ſuam Deo, & S. Pontifici neceſſitatem manifeſtauerat, à quâ liberari non meruerat; qui audiens ſocij fauorem adeptum, de ſua querebatur fortunâ. Quod vnus ex Clericis audiens, ei dixit. Ecquid iram concipis? In Deo confide, & tua peccata per confeſſionem expia. Protinus cæcus conſilium capiens, ſacramentali deleuit maculas medicinâ, & nocte adueniente, meritis S. Præſulis, illi vis eſt reddita luminis.

Mulier ab ſpaſmo & morte liberatur.

Altera mulier ex ſupra memorato territorio de Panades, intenſiſſimum doloris ſpaſmum, intra viſcerum inteſtina patiebatur aſſiduè, & cùm quadam die, dolore correpta, quaſi mortua iacuiſſet, & loquelam amitteret, qui circum adſtabant, miſericordiâ ducti, eius ſalutem à Domino, interuentione S. OLDEGARII vnanimi concordiâ flagitabant. Mulier per diem, & noctem huiuſmodi animi deliquio iacuit, vt mortua, ſed adueniente luce, oculos aperiens, & circumſtantes alloquens, ſana ſe, & incolumis erexit. Tunc qui aderant, ſpaſmi cauſam, & ſalutis originem poſtularunt. Illa ſe in locum amœnum deductam dixit, illícque vidiſſe Beatum OLDEGARIVM ad pedes formoſiſſimi Viri prouolutum, eius vitæ reſtitutionem validis precationibus expoſcentem. Quod vt conceſſum, iſtius lucis auram iterum conſequi meruiſſe confeſſa eſt. Quo, actis Deo gratijs, mulier Barcinonem adiuit, Sancti tumulum viſitauit, & illi vota, & grates intensâ humilitate perſoluit.

Hactenus ACTA; in quorum comprobatione aliqua, quæ ad Hiſtoriam pertinent, monumenta producere neceſſum erit, vt ex ſequentibus patebit. PRIMVM, quia in ecphraſi Actorum diximus *Patrem S. Præſulis in Comitum Barcinonenſium palatio ſtipendia reportaſſe*, ſciendum eſt, P. Franciſcum Diago in *Hiſt. Comit. Barcinon. lib. 2. c. 50. fol. 113.* contendere, illum *Secretarij* titulo functum. Quod vt probet, homagium ab Oldegario Patre Noſtri Confeſſoris, circa Annum M. LIII. Comiti Raymundo Berengario I. præſtitum de obſeruando ſecreto, ex Regio Archiuo Barcinonenſi extractum, refert, huiuſmodi: IVRO

Homagium Oldegarij Patris Noſtri ſancti.

ego Ollegarius, *filius qui fui Guidenelu fæmina, vobis Domino meo Raymundo Comiti, filio qui fuiſti Sanctia Comitiſſa, & Domina Almods Comitiſſa filia quæ fuiſti Amelia Comitiſſa; quod de iſta hora in antea fidelis ero vobis, ſine vllo enganno, & malo ingenio, & deceptione de veſtra vita, & de omnibus membris quæ tenetis in veſtris corporibus, & de illo honore quem hodie habetis, & in antea adquiſieritis Deo volente, & non dicam illas parabolas, quas vos dixeritis ad me, & mandaueritis mihi, vt celem eas, nulli homini, vel fæmina, me ſciente, ſi vos non abſolueritis me libenti animo, Per Dominum* &c. *& hæc ſancta Euangelia* &c. Ex cuius homagij finali clauſula deducit *Diagus* ineſſe vim officij *Secretarij*, ex quo in cæteris homagiorum formulis, quas plurimas ſe vidiſſe fatetur, nullam clauſulam ſecreti commendatam inueniri.

SECVN

SECUNDUM, circa *oblationem à Parentibus factam Deo, & B. Virgini, & Martyri* Eulaliæ de B. OLDEGARIO adest oblationis huiusmodi diploma dicentis: *In Christi nomine Ego* Oldegarius, *& coniux mea* Guilia *donatores sumus Domino Deo, & Canonicæ S. Crucis, Sanctæque Eulaliæ, & donamus petiam vnam terræ cum vinea sita in Comitatu Ausonensi in termino Castri Meurefani, & de Villalonga, in loco vocato Sanctus Exmengaudus. Terminatur autem prædicta terra cum vinea, ab Oriente in strata: à parte vero Meridiei, & Occidui, in allodio Gustardi Mironis, & Berengary Bonifily: à parte vero Circea in allodio Argemundi. Quantum ista prædictæ afrontationes includunt, atque terminant, sic donamus Domino Deo, & prædictæ Canonicæ solidè atque deliberatè. Quod est Actum IX. Kalend. Iuny, Anno XVI. Regni Regis Philippi.* Istud diploma ad huius rei probationem adtulit *Diagus*, in quo licet de S. OLDEGARIO altum silentium, nihil refert, quia cùm tunc temporis nullus in Ecclesia Barcinonensi admitteretur Canonicus, absque hac præuia Parentum donationis epigraphe, credendum est, istam Parentes Nostri Præsulis effecisse in ingressu ad Canonicatum S. OLDEGARII. Videsis Diag. *lib. 2. cap. 64.* *Diploma oblationis de S. Oldegario.*

TERTIUM, quatenus dicitur in ACTIS Paschalem Pont. Maxim. recepisse Comitem Raymundum Berengarium III. vxorem, filios, & sua, sub sua, & sedis Apostolicæ protectione, en Bullæ tenor à Bossono Cardinali Legato aduectæ:

Bulla quâ Pontifex recepit Comitem Barcinonensem sub Sedis Apostolicæ protectione.

PASCHALIS *Episcopus Seruus seruorum Dei, Dilecto filio* Raymundo *Barchinonensium Marchioni Bisoldunensium, & Prouinciæ Comiti, salutem, & Apostolicam benedictionem. Deuotioni tuæ, charissime fili, congratulamur, quod inter curas bellicas, Beati potissimum Petri optas munimine confoueri. Huius deuotionis petitionem libenter admittimus, quia te in Dei Ecclesiæ seruitio efficaciter laborare cognoscimus. Non parumum enim tuæ nobilitati meritum labor ille conciliauit, quo per anni longitudinem in Belearibus Insulis contra hostes Christiani populi desudasti: cui tuo, tuorúmque consortium glorioso pracinctus Omnipotens Deus gloriosam de hostibus suis victoriam conferre dignatus est. Super hoc ad expugnandos Mauros, ac Moabitas in Hispaniæ partibus, & Tortosam, eorum præsidium, obsidendam, animi nobilis industriam paras. Ea propter dulcedinis tuæ petitionibus, ampliori benignitate, accommodamus assensum. Personam siquidem tuam, & vxoris tuæ, ac filiorum vestrorum, & honorem vestrum, quæ aut in præsenti Nonâ Indictione tenetis, aut in futurum, præstante Deo, habebitis, per decretum præsentis paginæ, sub triginta morabutinorum censu annuo, in B. Petri, & eius Sedis Apostolicæ tutelam suscipimus: Præcipientes, & stabiliter statuentes, ne cuiquam omnino personæ liceat læsionem vobis, vel honori vestro, aut iniuriam irrogare. Si quis autem, quod absit, aut vobis, aut honori vestro læsionem, vel iniuriam inferre tentauerit, Apostolicæ Sedis patrocinium, vobis efficaciter præbeatur; quo, & vobis debita protectio adesse debeat, & infestatoribus vestris dignum iudicium, & vltio debita exerceatur. Dat. apud Trans-tyberim per manum Ioannis S.R.E. Diaconi Cardinalis, ac Bibliothecarij, X. Kal. Iuny, Indictione Nonâ, Incarnationis Dominicæ M. C. XVI. Pontificatus autem D. Paschalis II. Anno XVII. Ego Paschalis Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.*

Ex huius diplomatis epigraphe, duo deducuntur. I. Quod post Belearicam expugnationem, Actum fuit de electione S. OLDEGARII ad Ecclesiam Barcinonensem. II. Quod Raymundus illam expeditionem finiuit, Anno M. C. XV. quia sequenti, Pisis morabatur, vt notauit Diag. *d. lib. 2. cap. 95. fol. 161. col. 4.*

QUARTUM, circa compulsionem ab eo Pontifice factam OLDEGARIO, vt Episcopatum acceptaret, de quo Bullam à Paschali expeditam, & Bosono Cardinali Legato traditam, à nemine, quod sciam, editam, & à me ex Codice MS. peruetusto, in quo Leges Cathaloniæ antiquæ continentur, exscriptam, dabimus:

Bulla, quâ compellitur S. Oldegarius ad acceptationem Episc. Barcin.

Paschalis *Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei, dilecto fratri* Oldegario, *Abbati S. Ruffi, electo Barchinonenſi, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum Paſtoralis officij cura expoſtulet, & vigor æquitatis, ordóque exigat rationis, vt ea quæ à nobis petuntur, ſi iuſta, & honeſta ſunt, ad debitum perducantur effectum. Ea propter, noueris, quatenus ex literis chariſſimi filij Noſtri Raymundi Comitis Barchinonenſium, corámque Eccleſia, & Populi propoſitionibus, accepimus, te, qui ſcientiæ donum tibi à Patre familias, quaſi talentum negotiaturo commiſſum, nequaquam in terra cum ſeruo inutili fodiens, in ſolicitudinem Paſtoralem aſſumptus, ſic ſecundum Apoſtolum opus implens Rectoris, tuum honorificare miniſterium, & præeſſe in ſolicitudine Abbatiali ſtuduiſti, vt ſicut credimus, vere poſſis dicere cum Propheta:* Super ſpeculam Domini ego ſum ſtans iugiter per diem, & ſuper cuſtodiam meam, ego ſum ſtans totis noctibus, *ita te fidelem exhibens ſuper pauca, vt merearis conſtitui ſuper multa: quod dilecti filij Canonici Barchinonenſis Eccleſiæ prouidè attendentes, cùm bonæ memoriæ eorum Epiſcopo, ab hac luce ſubtracto, de ſubſtitutione Pontificis tractatum diutinum habuiſſent, tandem, operante illo, qui facit vtraque vnum, Cleri, & Populi deſiderijs concurrentibus, in ſuum Epiſcopum, & Paſtorem vnanimi elegere conſenſu. Quo per te cognito, in tuam diffugiens Abbatiam, omnium expectationes fefelliſti, ita vt Spiritui ſancto reſiſtere videaris, & manum ad aratrum ponere recuſes. Quare nobis humiliter ſupplicare fecerunt, & inſtanter, quatenus te, per cuius circumſpectionem ſolicitam, & ſolicitudinem circumſpectam, multa credunt Eccleſiæ ſuæ commoda prouentura, vt ad huiuſmodi oneris munus, Apoſtolica cohortatione, ſuſcipiendum compellere dignaremur. Nos igitur, qui ipſos in electione, & poſtulatione iam dicta nunc vnanimes eſſe cognouimus, & concordes, eandem ipſorum inclinati precibus, admittendam, téque à regimine Ruffenſis Monaſterij abſoluentes, ipſorum electionem duximus approbandam. Ideóque fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, atque præcipimus, quatenus vocationem recipias de te factam, ne diuinæ diſpoſitioni reſiſtere videaris, ad præfatam Eccleſiam Barchinonenſem accedas, eidem ita ſolicitè curam ſtudens impendere Paſtoralem, vt eiuſdem ſtatus, iuxta ipſius expectationem, & noſtram per tuæ ſolicitudinis prouidentiam temporaliter, & ſpiritualiter augeatur, vt tu ſicut de gradu in gradum, ita de virtute in virtutem proficere videaris. Quòd ſi, quod abſit, huic noſtræ præceptionis paginæ obedientiam impartiri renueris, Venerabili fratri Noſtro Boſono S. R. E. Presbytero Cardinali, quem in Hiſpaniæ partibus Legatum dirigimus Apoſtolicum, per Apoſtolica ſcripta præcipientes mandamus, quatenus te, vt Barchinonenſis Eccleſiæ præfatæ, ad quam te electum dignoſcimus gubernacula ſumas, monitione præmiſſa, appellatione remota, nullíſve literis, veritati, & rationi præiudicantibus, à ſede Apoſtolica impetratis, per cenſuram Eccleſiaſticam, donec pareas, cogere non deſiſtat; iuxta formam, quam eidem ſub mandato noſtro dedimus interclusam. Capitulo, Clero, & Populo Barchinonenſi mandantes, quatenus tibi, ſicut Epiſcopo ſuo humiliter intendant, obedientiámque & reuerentiam tibi exhibeant tàm debitam, quàm deuotam. Dat. apud Trans-tyberim, per manum Ioannis S. R. E. Diaconi Cardinalis, ac Bibliothecarij, X. Kal. Iunij, Indictione Nonâ, Incarnationis Dominicæ M. C. XVI. Pontificatus autem Domini Paſchalis II. Anno XVII. Ego Paſchalis Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.*

Hinc deprehendes, quàm plauſibilis per omnium ora vagata, & celeberrima ſanctitatis, & eloquentiæ Oldegarii percrebuit opinio, ſi quidem Pontifex, tot, tantiſque verborum affectibus fuit eius opera proſequutus. Nec minus notanda eſt Comitis, Cleri, & Populi inſtantia, quâ Pontificem compellebant, vt S. Abbatem ad munus Epiſcopale ſubeundum, coërceret, interpoſitis tot virtutum compendiis, & vitæ actæ ſingularibus relationibus recenſitis.

Qvintvm quatenus ad donationem factam à Raymundo de vrbe Tarraconenſi

Diploma donationis Vrbis Tarracone à Raymundo facta S. Oldegario.

conensi B. OLDEGARIO Episcopo Barcinonensi, Donationis exordium referunt Mich. Carbonel. *Hist. Hispan. fol.* 51 *col.* 4. Petr. Anton. Beut. *Hist. Valent. lib.* 2. *cap.* 17. *fol.* 85. cuius isthic tenor: RAYMVNDVS *Dei gratia, Barcinonensis, & Hispaniarum Marchio, Bisuldunensis, & Prouinciæ Comes, dilecto Venerabili Barcinonensium Episcopo* OLDEGARIO, *tuisque successoribus in perpetuum*, &c. *Iuxta diuinam clementiam, quæ secundum beneplacitum suum me honorare, & exaltare dignata est, ad honorem ipsius, & Ecclesiæ sanctæ, & Apostolorum Principis Petri, dono, & per hanc Scripturam donationis trado Ecclesiæ Sedis Tarraconensis, quæ in honorem B. Teclæ Virginis olim fundata fuit, & tibi* OLDEGARIO *Episcopo, tuisque successoribus Pontificibus, qui eandem Ecclesiam sub obedientia Sedis Apostolicæ rexerint*, ipsam Ciuitatem Tarraconæ, *quæ diu per multos annos, sub districtione, & heremo, absque cultore, & incolatu transijt*, &c. Circa verum vrbis Tarraconensis populatorem, anceps inter Catalanos, & Castellanos disceptatio est. Illi Beatum fuisse OLDEGARIVM, horum ACTORVM auctorem contendit, cui suffragantur P. Anton. Beut. *d. cap.* 17. & P. Diago *d. lib.* 2 *cap.* 101. Pons Icart. *Hist. Tarrac. d. cap.* 26. Isti non à B. OLDEGARIO Barcinonensi Episcopo, sed à *B. Bernardo* Archiepiscopo I. Toletano Hispaniæ Primate, & Sedis Apostolicæ Legato, reædificatam vrbem, & Ecclesiam Tarraconensem affirmant, de quo infra hoc *Tomo, Die III. Aprilis* fusiùs agemus; interim videsis Auctorem Indic. Arag. *Ann.* 1077. Illustr. D. Didacum, Castejore Episcop. Turiason. *tom.* 2. *Primat. Toles. cap.* 2. §. 3. *fol.* 615. Nec isthæc Nostratum opinio latuit *P. Antonium Vincentium Domenec* in ecphrasi Actorum nostri Præsulis, qui huius pondere oppressus, dixit, quòd si à *Bernardo* fuit populata, breui iterum in Maurorum imperium deuenit, ita vt fuerit locus opinioni Gotholanorum, qui etiam *Bertrando* Ausonensi Episcopo ipsam vrbem datam, cum Archipræsulis titulo fatentur. Quidquid sit, infra prolixiori calamo rixantium Scriptorum placita referemus.

Quæstio de reparatione Tarracone.

SEXTVM, in hoc stat, quòd *Antonius Domenec* dixerat Raymundum Comitem, pro expeditione Ilerdensis, & Dertosanæ vrbium, B. OLDEGARIVM delegasse ad Calixtum II. vt Cruciatam concedere dignaretur, à quo impetrauit eandem. Cui opinioni contradicit P. Diago *d. lib.* 2. *c.* 103. *fol.* 173. asserens, B. Præsulem non pro huiusmodi Cruciatæ impetratione, sed vt Generali Lateranensi Concilio, à Calixto II. indicto, interesset, profectum Romam fatetur. Ast cuius auctoritate isthæc *Diagus* protulerit, nondum diuino; fides stet apud illum.

SEPTIMVM ad charitatis donarium, quo pauperes Nosocomiæ Barcinonensis ditauerit, spectat. Diximus, quòd de consensu ipsius Ecclesiæ Capituli, lectulos clericorum Hospitali cessisse, cuius donationis seriem adscribere non ambigimus, quâ S. Viri charitas demonstretur. Talis eius est tenor: *Notitia fidelium pateat, quod Ego* OLDEGARIVS *Dei gratia Tarraconensis Archiepiscopus, & Barchinonensis Episcopus cum omni Conuentu eiusdem Sedis, dono Deo, & Hospitali pauperum, quod est iuxta sedem, omnes lectos cum pannis clericorum mortuorum, quicumque sint, exceptis sericis pannis, qui ibi fuerint: tali modo, vt deinceps, nec ego, nec aliqua persona hoc vllo modo requirere audeat. Si quis hoc nostra munificentia donum disrumpere tentauerit, tanquam necator pauperum excommunicetur. Actum est hoc VI. Kalend. Aprilis, Anno XXV. Regis Ludouici.* Huius donationis annus, respondet anno M. C. XXXIII. vt notauit *Diago*, qui scripturam transcripsit, *d. lib.* 2. *cap.* 120. *fol.* 193.

Donatio S. Oldegarij facta pauperibus.

A pluribus annis S. OLDEGARII Canonizationis fuit meritum à S. Sede Apostolica per Reges Aragoniæ efficaciter expetitum, vt indicant Petri III. Epistolæ ad Martinum IV. Pont. Max. directæ, quarum primæ talis est tenor.

Epistola I. Regis Petri pro canonizatione Oldegarij.

SANCTISSIMO *Patri, ac Domino præ cæteris Reuerendo* Martino *diuinâ prouidentiâ S. R. E. Summo Pontifici*, Petrus *per eandem Rex Aragonum recommendationem, & reuerentiam debitam, & deuotam. Si de gratiarum exhibitione, ac beneficiorum largitione Nobis, & Genti nostræ collata, vestram sanctam non certificaremus Paternitatem, timemus quòd Dominus* IESVS Christus (*à quo cuncta bona procedunt*) *Nos tanquam beneficiorum suorum immemores, de sua sancta, ac pia memoria repelleret vt*

ingratos. Quare Sanctitatem Vestram volumus non latere, quòd fuit Vir quidam nomine OLDEGARIVS *de terra nostra iurisdictioni subiecta indigena, qui quondam* Barcinonæ *ciuitati præfuit Episcopus, &* Tarraconensi *Ecclesia Metropolitanus, qui sic inter sibi subiectos deuotè vixit, & eos rexit, & docuit in vtroque, quod, firmiter credimus Dominum* IESVM Christum, *secundùm quod per euidentia signa apparet, de super Sanctos suos suis dignis meritis misericorditer collocasse. Nam ad eius inuocationem, & deuotam populi proclamationem, variis, & diuersis infirmitatibus ægrotantes totaliter liberantur, secundum quòd apparet per varia miraculorum genera, testibus à publicis Notariis, iuxta iuris ordinem roborata. Supplicamus igitur Vestræ Sanctitati humiliter, & deuotè, quatenus de solita vestra benigna clementia, dignemini dictum* B. OLDEGARIVM *in terris in Sanctorum numero collocare, cùm nostra sit firma fides, vt prædiximus,* D. IESVM Christum *eum in cælesti solio inter Sanctorum agmina ordinasse, Ad hac autem, & alia proponenda ex parte nostra ad pedes Vestræ Sanctitatis mittimus dilectum nostrum* Bernardum de Olorda *Decretorum Doctorem, qui pro Nobis multa ad hoc negotium facientia Vestræ Sanctitati verbo tenus explicabit. Datum* Barcinone *Kalendis Martij, Anno Domini* M. CC. LXXX.

Miracula testibus cõprobata secundum iuris ordinẽ.

Hæc cura Petro Regi Aragonum III. in votis erat assidua, vt B. OLDEGARII canonizationem frequentibus supplicationibus impetraret, quod vt felicius assequeretur, iterum S. Papæ Martino secundam direxit Epistolam, quâ de Vita, & miraculis instructum esse processum certiorem facit, & vt ad canonizationem deueniat humili interuentione perinstat. Talis est enim Epistolæ formula:

Epistola II. Regis Petri pro eadem canonizatione obtinenda.

SANCTISSIMO *Patri, ac Domino præ cæteris Reuerendo* Martino, *diuinâ prouidentiâ S. R. E. Summo Pontifici*, Petrus *per eandem Rex Aragonum, recommendationem & reuerentiam debitam ac deuotam.* INTER *eas, quas pro Republica gerimus curas, cordi Nobis extitit, diuinarum rerum semper ampliare debitâ deuotione culturam, in his præcipuè, quæ gloriam Dei, decus Regni, ac Nobis accumulant gaudia subditorum. Sanè Reuerendi Patris felicis recordationis* BEATI OLDEGARII *materia copiosior diem laudis, & gratiarum actionis accrescit in cælis, & in terris Mater Ecclesia suis pastum, & augmentum, vberibus alumnum gratissimum, & deuotissimum sponsum de sinu suo ad Patrem omnium verum Deum assumptione gloriosâ translatum, eò felicius, quò iucundius gloriatur. Nempe Vir iste Venerabilis* Tarraconensi, & Barchinonensi *Ecclesiis vno præsidens tempore, mandato Apostolico, tanquam obedientiæ filius, ipsas ab antiquo inter Barbaras nationes positas gubernando mirificè, discretione perutili, lucis arma circumferens deuotius, & miro virtutum coruscans fulgore, fide præuia, iustitia comite, perseuerantia subsequente, Christi militans in acie (eius ducatu potius, & gratia fretus, se totum diuinis dedicans obsequiis) vsque ad sui dissolutionem corporis illustrauit, eas in statu prospero relinquendo: cuius meritis Sanctitatis mirabilis in altis Dominus, & in terris, mirabilium operator Sanctum suum dignatus est immensis signorum mirificare prodigiis, & virtutes eius ostendere præclariùs vniuersis. Quot siquidem imagines humanarum personarum pedum, ac manuum, cæterarúmque humani corporis partium, expressis similitudinibus de cera coram venerando eius sepulchro per fideles apponantur quotidie, & quantum possit eius priuilegiata Sanctitas apud Deum super his, qui tàm in terra, quàm in mari, grauibus, & diuersis infirmitatibus, & periculis, aliisque necessitatibus detinentur; quantáque & qualia per eum sint facta miracula, si per singula explicare tenemur, vtique vincimur, cùm copiosam narrationis affluentiam excedat, & superet rerum laudabilium altitudo, quod rerum euidentia protestatur. Exultamus insuper vberiùs de tanti* Patroni *meritis, & latantis Romana congratulamur*

Oldegarius Episcopus Barcinonẽsis, & Archiepiscopus Tarraconensis cõiunctim.

Miraculorum frequẽtiam extollis ex multitudine donariorum in sepulchro pendentium.

lamar Ecclesia, loca nobis subtecta, tanto praeminere Patrono, *cuius pio interueniente suffragio, succedant in temporalibus prospera, & aduentant in caelestibus gaudia repromissa. Tantis itaque fidei documentis edocti, tantisque virtutum exemplis affecti (de vita, & miraculis inquisitione praemissa) Beatitudinem Vestram duximus deprecandam, quatenus ad* SANCTI *huius sacram canonizationem, diu innumerosa multitudine Cleri, & Populi affectatam (si placuerit) tàm feruenter quàm efficaciter Apostolica procedere dignetur auctoritas, cum Sanctorum catalogo, adscribendi, vt eundem verum fidei zelatorem fideles colant communiter, & venerentur in terris, quem Dominus virtutibus plenum, gratia praditum, miraculis clarum, spectabilem, & imitabilem praebuit vniuersis. Dat. Xatiua* XVII. *Kal. Ianuary Ann. Dom.* M. CC. LXXXI. *Patronus Regni vocatur.* *Veneratio fidelium proponitur.*

Hisce praeuiis *Petri* supplicationibus ad *Martinum*, proculdubio S. OLDEGARII canonizatio breui à Barcinonensibus spectabatur, quod fuit in causa, vt fideles illius vrbis passim in eorum vltimis voluntatibus Capellas extruere, Anniuersaria constituere, & Officia Ecclesiastica designare, in tempus canonizationis specialiter decreuissent, de quo aliquot exemplaria adducit Diago *lib.* 2. *c.* 138. *fol.* 116. Ast cùm temporum reuolutio omnia quieta conturbet, euênit, vt inter *Martinum* Pontificem, & *Petrum* Regem ingens bellorum inuolucrum pro Siciliae regno, ab ipso Pontifice *Carolo* destinato, comminisceretur; ita vt Petrus copioso, & valido milite Siciliam adiens Anno M. CC. LXXXII. ab ipsis Siculis euocatus, tanquam verus regni successor, ob *Constantiam* coniugem *Manfredi* Regis vtriusque Siciliae filiam, & *Carolo* pulso, ipse Rex feliciter acclamatur. Quae omnia Martinus aegrè ferens, Petrum excommunicationis mucrone, & Regnorum abdicatione damnauit. Hinc à negotio canonizationis cessatum, vt inquit Diagus *vbi proximè*, qui prosequitur ad longum super hoc, & silentium Ecclesiae Barcinonensis, & Vrbis Magistratuum recenset, vsque ad Annum M. DC. I. quo Clemens VIII. in Sanctorum tabulam retulit B. Raymundum à Pennaforti, cuius fauore suffulti, silentij vincula soluentes, ad continuationem canonizationis accincti, denuò ad hoc pium opus, interpositis precibus, perficiendum, visceerali propensione percurrunt. *Ratio de nô imperrata canonizatione Oldegary.*

BARCINO. Eius etymologiam variis opinionibus deductam diximus *Tom.* 1. *huius Martyrology* ad diem VI. *fol.* 94. & XXIX. Ianuarij *fol.* 352. & XII. Februarij *fol.* 108. vbi Tres sententias de nominis etymo obseruauimus, nunc ad Quartam pergo, quam veriorem credunt Scriptores, scilicet quod *Amilcar* Dux Carthaginensis cognomento *Barcino* vrbem istam condidit, & ex suo nomine BARCINONEM appellauit, ideo ab Ausonio *Epist.* 21. dicitur PVNICA, & *Epist.* 25. seruans epithetum, *Te populent* POENI. Istam sententiam tuentur Gerundens. *vbi supr*, Tarrafa *de Reg. Hisp. Ann. Ante Aduent. Christ.* 134. Ieron. Paul. Flor. de Ocamp. *lib.* 4. *c.* 12. Non. *in Hispan. c* 88. Licet P. F. Franc. Diag. *in Hist. Com. Barcin. lib.* 1. *c.* 2. *fol.* 4. constanter affirmet BARCINONEM ab Hercule, non ab Amilcare conditam, & nominatam, apud quem Lector rationes eliciet. *Opinio IV. de nomine Barcinonis.*

S. Claudianus.] Is fuit filius *Sancta Maxentia*, & frater sanctorum *Vigilij Episcopi, Tridentini, Magorianique*, quorum prosapiam ex Antiquis Hispaniae incolis descendere constans opinio est, vt infra docebimus. De eo Philipp. Ferrar. *in Catal. General. SS. hoc die* sequentia consarcinat verba: *Tridenti Sancti* Claudiani *Confessoris*. Et in *Not. fol.* 102. sic: *Ex Tabulis Ecclesia Tridentina. De eo in vita S. Vigily Episcopi, & Martyris, cuius erat frater* Et in *Catal. SS. Ital. hoc die fol.* 135. ex eisdem Tabulis, & vitis SS. Fratris *Vigilij*, & Matris *Maxentia* gesta compaginat, licèt queratur de diù postulatis actis, & nunquam remissis. Asserit enim eius diem festum agi apud *Tridentum* die praescripta. Ex quo haec licèt breuiora appingere acta permisit temporum incuria, & bellorum iniuria. D.

ACTA S. CLAVDIANI CONFESSORIS, ex PHILIPPO FERRARIO de SS. Ital.

Origo ex vrbe Cauria in Hiſpania.
Vigilio fratri adhæret.
Corpus fratris ſepelit.
Moritur Confeſſor.

Claudianus *natione* Hiſpanus, *en antiqua* Vettonum *vrbe Cauria originem traxit: qui cum matre* Maxentia, *Vigilio, & Magoriano fratribus* Tridentum *Italiæ vrbem, ex Romana venit, cùm in Chriſtiana Religione, & bonis literis ex Sanctiſsima matris vberibus extiterit educatus. At* Vigilio *fratre ad Epiſcopatum aſſumpto Tridentinum, ipſe cum* Magoriano *in illius haud mediocri Eccleſiæ adminiſtratione adiumento fuit, maxime in Gentilium conuerſione. Is Sanctum Epiſcopum ad* Randenam *vallem ſecutus, martyrio eius affuit, quò poſt Idolum Saturni deiectum, à Barbaris, lapidibus obrutus eſt, & corpus eius vnà cum fratre* Magoriano *ſepeliendum* Tridenti *curauit. Cùm autem poſt* S. Vigilij *necem, aliquandiù* Tridenti *pietatis operibus occupatus vixiſſet: demque ex vita mortali ad cæleſtem euocatus*, Pridie Non. Martij *obdormiuit in Domino. Ad Annum* CCCCX. *vel circiter.*

Quo iure Hiſpanus probatur.
Maxentia Mater SS. Vigilij Ep. & Mart. Claudiani, & Magoriani, Confeſſ.

Hic duo probanda ſunt. I. Quòd *S. Claudianus* fuerit ex *Hiſpana* apud *Cauriam* Vettonum vrbem, origine ortus. Cui debitum ſoluat L. Flau. Dexter *in Chron. Ann.* 419. ſic: *S. Maxentia* Hiſpana Caurienſ. *Tridenti floret.* Et ibidem P. Biu. *in Not. n.2. fol.*433. ſic: *Eius verò filij Epiſcopi, ac Martyris* S. Vigilij, *feſta dies celebratur XXVI. Iunij.* Et quòd *S. Maxentia* fuiſſet *Vigilij* mater, Galeſin. die XXX. April. ſic: *In finibus Tridentinorum* S. Maxentiæ *Vidua. Hæc S.* Vigilij Epiſcopi mater *ſingulari pietate ita præluxit, & religione, vt miraculis compluribus, eius Sanctitatis laudem Deus teſtatam voluerit.* Cui adhærent Philipp. Ferrar. *in Catalog. Gener. SS. fol.* 172. ſic: *Tridenti* S. Maxentiæ matris *S. Vigilij Epiſcopi.* Et in *Topograph. SS. verb.* Tridentum. *fol.* 128. *col.* 2. ſic: *XXX. April.* Maxentia *S. Vigilij Epiſcopi* Mater. Ergo & *S. Claudianum* qui fuit frater *S. Vigilij*, & filius *S. Maxentia* ex Dextro, à fortiori Hiſpanum ex Matre credendum eſt. In cuius rei veritate non eſt ambigendum, quia ipſe Philip. Ferrar. *in Catal. SS. Ital. h. d.* agens de *S. Claudiano*, de eius genealogia ſcribens ait, fol. 135. *Claudianus Romanus S. Vigilij Epiſcopi Tridentini frater, ac S. Maxentia filius Tridentum vnà cum matre, & fratribus venit. Nec obſtabit*, quod eum *Romanum* appellarit, quia cùm ex vrbe *Roma*, ad Tridentinam appulerit, ex eo *Romanum* dixit, non quia verè *Romanus* eſſet, ſed quia *Romanam* ciuitatem aliquando Mater habuit. II. Anni computatio dormitionis, & quamuis nullus ex ſcriptoribus, noſtri Confeſſoris annum indigitet crediderim ad annum CCCCX. attigiſſe, nam *S. Vigilij* fratris martyrio cùm adfuerit, & hoc ad annum CCCCVI. eueniſſe fateatur Baron. *tom.* 5. *Annal. Eccleſ. Ann.* 400. & in Martyrolog. *die XXVI. Iunij. lit. B.* & *S. Claudianus* poſt fratris mortem vixerit aliquot annos, quid mirum, ſi quatuor eius vitæ adiicimus, cùm de certo nihil affirmare poſſimus.

Vocãtur iſti Tres Sancti, Romani, quia patrem ex vrbe Roma oriundum habuêre.
Annus tranſitûs defenditur.

Vrbis ſitus.
Corographia.

TRIDENTVM. Hodie Italis, & Hiſpanis TRENTO. Germanicis TRIENDT. Olim *Ciuitas Epiſcopalis* in Cenomanorum (qui ſunt Venetiæ populi) finibus, in Rhætiæ confinio, intra Alpes Rhæticas: nunc Ciuitas Germaniæ, in Italiæ confinibus, ad Atheſim ad Septentriones irrigantem, muris ex viuo lapide cincta, montibus niuoſis, ſcopuliſque ſepta, modica fruens planitie, vrbs opulenta, mercimonio fulgens, cuius templa pulchra ſunt, & exornata, Concilio Generali ſuperiori ſæculo, ibi habito, clara. In Comitatu Tyrolenſi Regi noſtro Philippo IV. parens cenſetur, inter Veronam, & Æenipontem. De ea Cl. Ptolom. *lib.* 3. *Tab.* 6. *Europ. c.* 1. ſic: *Cenomanorum, qui ſub Venetia ciuitates ſunt Verona, Mantua*, Tridentum, *Butrium.* Plin. *lib.* 3. *c.* 19. ſic: *Cænomanos iuxta Maſsiliam habitaſſe in Volcis, Ferſini, &* Tridentini, *& Berbenſes Rhetica oppida.* Quo loco Iacobus Dalemcampi. *lit. B.* ſic: *Cenomanorum in Gallia togata oppida ſunt, Bergamum, Mantua*, Tridentum, *vt Inſubrum, Nouaria.* Eius nominis in ciue meminit *Iani Gruteri* inſcriptio Mineruij Riperiæ in agro Brixiano *pag.* 432. *num.* 3.

*num.*3. quam infra dabimus. Nominis etymon variæ ab Scriptoribus deducitur, Primam hic opinionem scribemus. Dicunt enim sic dictam à tribus Torrentibus, qui è montibus huc in Athesim defluunt, ex quibus vnus vrbi per Aquileiensem portam illabens, angusto alueo in Athesim se condit. Alter *Fersina* dictus *Etymol.* vrbis mœnia circumluit. Tertius haud procul ab vrbe *Saletus*, rapidissime per vineas, & conualles præcipitat, innoxius tamen, quoniam aggeribus, & saxis accolarum industria, vtrinque aggestis coërcetur, & tandem etiam in Athesim influit. Sic Ioann. Pyrrhus *de Gest. Duc. Trident.* Leand. Albert. *Descript. Ital. Region.* 17. *fol.* 727. Cætera quæ ad ipsam attinent suis locis assuemus.

NONIS MARTII.

DIES VII.

A. Compluti *in Carpetania celebris est festiuitas* Translationis *sacrorum pignorum* SS. Iusti, & Pastoris *illius vrbis, & Ciuium, & Martyrum, ex valle Nocita iuxta Oscam, in Ecclesiam Complutensem, vbi honorifico celebrantur cultu.*

NOTÆ.

TRANSLATIO SS. Iusti, & Pastoris. Hæc festiuitas tantùm respicit A. illam ex Osca ad propriam Compluti in Carpetanis sedem, translationem, non alias, quarum memoria, licet apud nostros tumultuaria relatione perseueret, tamen quibus diebus factas ignorauit posteritas. Ex quo licèt aliquantocyus nostra extendatur anamnesis, ipsorum sacrarum exuuiarum translationes breui periodo perstringemus. Ergo post SS. Martyrum passionem, eorumque sacrorum cadauerum sepulturam, publicè exposita venerationi iacebant ad annum Domini CCCXL. donec obliterato loco vbi iacebant, temporum, & Imperarorum Arianorum persecutione, per aliquot annorum circulos latuerunt, vsque ad annum CCCCXXIV. quo *Prima* *S. Asturius Serranus* Episcopus Toletanus reuelante Domino inuênit, vt autor est *Translatio.* D. Ildephons. *de Vir. Illustr. c.* 2. Dextr. *in Chron. Ann.* 424. sic: *Asturius Toletanus* corpora Sanctorum Iusti, & Pastoris Martyrum *intra mœnia* Complutensis *vrbis priùs translata, Basilicâ cohonestat.* Iulian. *in Chron. num.* 201. sic: *Flauius Asturius Annullenus Serranus floret opinione sanctitatis. Hic inuentis* corporibus Sanctorum Martyrum Puerorum Complutensium, *composuit hymnos, & Missam in eorundem gloriam.* Et quia fortè aliquis inuidiæ scrupulosâ nauseâ, de horum Martyrum puerorum intelligentia dubitabit, adeat S. Ildephonsum *de script. Eccles. cap.* 2. & ibi Ausbert. Myræum *in schol. fol.* 94. *Bibliot.* & ipsum Iulian. *in Chron num.* 404. vbi nomina ipsorum *SS. Iusti, & Pastoris* reperiet. De hac inuentione prima apud omnes nostræ Prouinciæ scriptores, qui volet multa reperiet. P. Mariet. *Hist. SS. Hisp. lib.* 2. *cap.* 16. *Constituitur* *fol.* 35. Padill. *Hist. Eccles. Hisp. cent.* 5. *cap.* 3. *fol.* 335. Moral. *Hist. Hisp. lib.* 10. *cap.* 9. & *Episcopatus* in libell. *de translat. SS. Complut. cap.* 2. *fol.* 9. *col.* 2. Inuentis ergo, & honorifica techa *Complutensis.* ab *Asturio* collocatis exuuiis, ad mortem vsque Primus Complutensium Episcopus appellatus *Serranus* ibidem secessit; quo tempore *S. Paulinus Episcopus Nolanus.*

licet

SS. Paulinus & Tarasia vxor visitāt Corpora SS. Iusti & Pastoris.

licet pro tunc hac dignitate careret, & *Tharaſia* eius vxor ſanctiſſima *Hiſpana* fœmina, cum filio *Celſo* noſtrorum Sanctorum Martyrum reliquias veneraturi conuenerant, in cuius deuotionis compendio, vt ſanctiſſimis pueris aliquam affectus, & amoris oblationem relinquerent, filium puerum ibi morte præuentum iuxta Martyrum ſepulturam, ſepultum depoſuerunt, vt ipſe S. Paulin. *Carm.* 15. *De obitu Celſi Pueri*, Panegyricus lachrymatur, *fol.* 533. ſic:

Celsum filium ibidem mortuum iuxta SS. techas sepeliunt.

Exoptata diu ſoboles, nec præſtita nobis
Gaudere indignis poſteritate pia:
Credimus æternis illum tibi Celſe, *viretis*
Lætitiæ, & vitæ ludere participem,
Quem Complutenſi *mandauimus vrbe, propinquis*
Coniunctum tumuli fœdere Martyribus;
Vt de vicino Sanctorum *ſanguine ducat,*
Quò noſtras illo purget in igne animas.

Secunda translatio à S. Vrbico.

Apud Complutum, vſque ad miſerabile Hiſpaniæ excidium ſteterunt *Iuſti*, & *Paſtoris* ſacra lipſana cum veneratione debita, omnibus patefacta; ſed interueniente Sarracenorum procella, Chriſtiani Ciues eorum reliquias in ſecreto eorum Eccleſiæ ſpelæo retruderunt, donec quidam nomine *Vrbicus*, ortu Burdegalenſis, qui inter cæteros, qui tunc pro viſitandis ſanctorum Puerorum Eccleſiæ liminibus Noſtras aduenerat, cum matre *Aiteria* illuſtriſſima, & piiſſima fœmina, à Mauris tunc Hiſpaniam occupantibus, eiuſque regiones vaſtantibus, comprehenſus in captiuitatem reducitur, & ad *Gallaciam* delatus taliter Domini amorem conciliauit, vt breui liber eſt iuſſus abire. Qui agnoſcens libertatis autorem Deum, interceſſionibus SS. *Iuſti*, & *Paſtoris*, illico in mentem venit eorum ſacra buſta perquirere, & inuenta in *Galliam* adſportare. Quo *Complutum* adiit, & reuelatione præcedente (vt *Luitprandus* inquit) corpora ex ſpelunca extraxit, *Burdegalam* peragrat, ibidem aliquandiu demoratus ad Hiſpanias reuertitur, & in *valle Nocita*, non procul ab vrbe *Oſca* pedem figens, à *S. Ledfardo* B. Benedicti cucullum excepit, & conſtructo in valle Eremitorio ibidem SS. Martyrum pignora illo, quo potuit, apparatu recondidit; ſed ſenio confectus (nam ad centeſimum vſque annum peruenit ætatis) obdormiuit in Domino XV. Decembris, quo die eius feſtiuitas apud *Oſcam* colitur. De hac ſecunda tranſlatione agunt *Morales*, & *Marieta*, Luitprand. *in Chron. num.* 225. & 232. Iul. in Chron. *num.* 387. Did. de Ainſa Yriart. *lib.* 2. *cap.* 25. & 33. Lanũ. *Hiſt. Aragon. lib.* 1. *cap.* 37. Villeg. *in flor. SS. in Catal. Episcop. Oſcens. fol.* 33. Garay *in vit. S. Vrbici* Suaſſay. *in Martyrol. Gall tom.* 2. *in Suplem. die V I. Auguſt. fol.* 1155. & die XIV. *Decemb. fol.* 1202. & Nos lato calamo in notis ad vitam *S. Vrbici* dicemus.

Tertia trāslatio Capitis S. Iusti è valle Nocita, Narbonam.

Mortuo ſanctiſſimo reliquiarum Quæſtore, aſſerunt noſtri Scriptores, quòd caput *S. Iuſti* cum aliquot minutiſſimis fragmentis ad Eccleſiam *Narbonenſem* tranſlatum fuerit, regnante in Aragonia *Ramiro*, qui fuit Monachus in cœnobio *S. Ponty Tomeriarum*, ex eo quod Cathedralis Narbonenſis *SS. Iuſti, & Paſtoris* titulo dicata conſpicitur. At Gallici Scriptores aliam eligunt viam, contendentes ipſum *S. Vrbicum* prædictæ Metropolitanæ Baſilicæ, tempore quo apud Burdigalam commoraſſe perhibetur, prædictum *S. Iuſti*, caput, & cætera minuſcula dono dediſſe, ſic amicus Noſter Andreas Suaſſay. *in Martyrolog. Gallic. tom.* 2. in Supplem. die VI. Auguſt. fol. 1155. *Quorum deinde corpora* à S. Vrbico *Monacho feliciter à Maurorum Hiſpaniam occupantium vindicata rabie, primùm in* Galliam *aducta, deinde in* Hiſpaniam *relata, & apud* Oſcam *condita ſunt*, parte *tamen in* Gallia *in vicem hoſpitalitatis relicta*. Sed, meo videri, ſuo ſe iugulat gladio *Suaſſay*, nam ſecundam quam de veteri ad nouam Cathedralem anno M.CCC.XXXV. tranſlationem factam fuiſſe refert, intelligendum eſt de Eremitorio *Vallis Nocita* ad *Narbonenſem* Eccleſiam, indulgentia *Ramiri* Monachi Regis Aragoniæ, qui ex anno MCXXXIV. ad MCXXXVII. regnauit, ex quo potuit euenire, vt

Coniectatio Sauss. diluitur.

iam

iam sacra pignora translata ad veterem Ecclesiam, in ea asseruata iacerent, donec, de illa ad nouam Cathedralem dicto anno MCCCXXXV. solemnis fieret translatio. De hac agunt Moral. Mariet. Ainsa, Lanuza, & Garay in locis supra relatis.

IV. Translatio ex Valle Nocita, Oscã.

Ex valle Nocita ad Ecclesiam S. Petri Oscensis vrbis translata fuerunt sacratissima Martyrum corpora anno M. CCCCXCIX. vt asserit Ainsa *Hist. Oscens. lib 2. cap. 17.* qui ex *Ambrosio de Morales* relationem translationis exscribens, causam fuisse ait: Nam cupientes *D. Alphonsus Carrillo*, & *D. F. Franciscus Ximenez* Archiepiscopi Toletani (qui Complutensem Ecclesiam SS. Martyribus dicatam, ille à primis exordiis condiderat, redditibus ditarat, & ministris decorauerat, hic ibidem Vniuersitatem erexerat) vt ipsa Sanctorum Puerorum lipsana *Complutum* aducherentur, quæsitis aliquot ad intenti consequentiam coloribus, quos Scriptorum caterua recenset, cùm in vanum laborat, qui sine Dei voluntate ædificat, nec intentum consequi meruerunt, nec patrata affectuosæ deuotionis furta effectum sortiri permisit Numinis dispositio, quin potius, illi qui subreptas tulerunt reliquias, nebula proprij erroris confusi, obscuritate temporis minitati in vrbem *Oscam* descendunt, & in Ecclesia S. Petri depositis sacris theculis (quibus sacra includebantur ossa) in fugam coniecti, *Oscensibus* venerabilem thesaurum reliquerunt. Ibidem vsque ad Annum M. D. LXVII. custoditum fuit, donec vltima, instante Ecclesia Complutensi procurante Philippo II. Hispaniarum Rege Catholico, & ordinante SS. Pio fœlicis recordationis Papa V. effectuata est, & ex Osca, ad Complutum aliqnot Sanctorum Ciuium, & Martyrum exuuiæ translatæ sunt. Cuius hunc diem fastum festi exornandum accepimus. Et vt melius agnoscatur, acta omnia processus translationis transcribam ex *Ambrosio de Morales*, atque *Ainsa*, quia eorum Codices rari sunt, sic:

ACTA PROCESSVS TRANSLATIONIS sacrarum Reliquiarum SS. Iusti, & Pastoris Martyrum Complutensium, ex Ciuitate Osca, Complutum.

In nomine Dei, Amen. *Nouerint vniuersi, quod anno à Natiuitate Domini* M. D. LXVII. *die verò, quæ computabatur* XII. *Mensis* Octobris, *apud Ciuitatem* Oscæ *intus palatium Episcopale prædictæ Ciuitatis, me Notario, & testibus infrascriptis præsentibus, comparuit, & fuit personaliter constitutus, coram admodum Illustri, & Reuerendo Domino* D. Petro Agostin *Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopo* Oscensi, *&* Iaccensi, *Reuerendus* Alphonsus de Soto *Presbyter Diœcesis* Ouetensis, *& Procurator Illustris, & admodum Reuerendorum Dominorum Abbatis, Canonicorum, & Capituli Ecclesiæ Collegiatæ Villæ* Complutensis, *Toletanæ Diœcesis, de qua quidem potestate promptam fecit fidem in sui prima figura, huiusmodi sub tenore. Hic Hispanico sermone instrumentum procuratorium commune. Quo quidem instrumento publico potestatis modo præmisso, per dictum D. Alphonsum de Soto fide facta, supplicauit dicto Domino Episcopo, inseri, & vt apponi mandaret in processu præuia de causa conficiendo, & dictus D. Episcopus illud inseri iussit, quod fuit per dictum Alphonsum de Soto acceptatum, qui quidem Alphonsus de Soto Procurator prædictus, iuxta tenorem prædicti desuper inserti instrumenti potestatis, dicto Reuerendissimo D. Episcopo, cum illis quibus decuit honore, & reuerentia, quasdam præsentauit literas Apostolicas sub Annulo Piscatoris per* S. D. N. Pium PP. V. *concessas, pargameno exaratas, clausas, & sigillatas, non vitiatas, nec cancellatas, neque in aliqua earum parte suspectas, sed omni prorsus vitio, & suspicione carentes, quarum tenor de verbo ad verbum sequitur.*

Alphonsus de Soto Comissarius ostendit autographum commissionis.

PIVS

PIVS PP. V.

Breue Pontificis pro tradendis Reliquijs.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus, quod SS. Iustus, & Pastor fratres ex Oppido Complutensi Toletanensis Diœcesis oriundi fuerunt, in eodemque Oppido, de anno humanæ salutis septingentesimo sexto, alter nouem, alter septem annorum mandante Deciano, tunc eas regiones gubernante, sub Diocletiano Imperatore sæuissimo Christianorum persecutore martyrium subierunt eo in loco, vbi nunc insignis collegiata Ecclesia, sub inuocatione ipsorum SS. Martyrum sita est, in qua eorum corpora multos per annos sepulta extiterunt. Qua de causa eiusmodi oppidi habitatores, Canonicique, & Beneficiati dictæ Ecclesiæ SS. Martyres huiusmodi in magna deuotione meritò habent. Quoniam autem postea ipsa SS. corpora Martyrum ad Ciuitatem Oscensem in regno Aragonum consistentem, transportata, & in Parochiali Ecclesia S. Petri eiusdem ciuitatis sepulta fuerunt, vbi etiam sunt de præsenti. Propterea idem Philippus Rex nobis humiliter supplicari curauit, vt dimidiam, seu aliã partem corporum dictorum SS. Martyrum, ad effectum illam transmittendi ad eandem Collegiatam Ecclesiã ipsius Oppidi Complutensis, & ibi eam debito cum honore reponendi, capi mandare, aliásque in præmissis opportunè prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur honestis tanti Regis votis beneuolo affectu annuere volentes, huiusmodi precibus inclinati, fraternitati tuæ in virtute sanctæ Obedientiæ, ac sub nostræ indignationis, aliisque arbitrio nostro declarandis pœnis, harum serie committimus, & mandamus vt visis præsentibus, dimidiam, seu aliam partem corporum dictorum SS. Martyrum, tibi bene visam capias, ac bene, & aptè accommodes, nec non ad eandem Collegiatam Ecclesiam ipsius Oppidi Complutensis cum debita reuerentia, & honore, cum digno comitatu associante, transmittas, vel partem Corporum huiusmodi, illi, vel illis tradas, & consignes, qui has nostras literas tibi præsentauerit: vt honorificè, ac decenter, vt præfertur, transportentur, & in dicta Collegiata Ecclesia Complutensi in loco congruo, & honorato reponantur. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac te in præmissis quouis modo impedire audentes, per pœnas etiam pecuniarias, ac demum per sententias, & censuras Ecclesiasticas, aliáque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis: Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis priuilegiis, & indultis, quomodolibet concessis, & confirmatis, quibus omnibus, eorum tenores, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, & cæteris quibuscumque contrariis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die XII. Aprilis. M. D. LXVII. Pontificatus Nostri anno secundo. Cæsar Glorierius. Epigramma, siue suprascriptio prædictarum præinsertarum literarum Apostolicarum talis est: Venerabili Fratri Episcopo Oscensi.

Commissarius virtute Breuis petit Reliquias.

Quibus quidem literis Apostolicis Commissorijs modo in præmisso per dictum D. Alphonsum de Soto *procuratorem prædictum, ante dictum D. Episcopum præsentatis: idem Procurator dicto D. Episcopo supplicauit, quatenus easdem aperiri mandaret, & onus earum acceptaret. Qui quidem D. Episcopus prædictas literas per Notarium infrascriptum aperiri iussit, & vt obedientiæ filius onus commissionis earundem acceptauit, & paratum se obtulit, contenta in eisdem facere, & adimplere. Ex quibus omnibus, & singulis antedictis dictus* D. Alphonsus de Soto *procurator prædictus, tam ad sui officij*

officij exonerationem, quàm in testimonium prædictorum requisiuit per me infrascriptum publicum Notarium, vnum, duo, aut plura, publicum, seu publica, instrumentum, & instrumenta fieri, confici, atque tradi. Quæ fuerunt acta supradictis die, Mense, & Anno, & loco præfixis, in principio Kalendatis; præsentibus ibidem &c. *Et nihilominus post hæc dictus* D. Alphonsus de Soto, *Procurator prædictus, ad informandum animum dicti D. Episcopi, & ad verificandum contenta in dictis, & desuper insertis literis Apostolicis fecit fidem de duabus Epistolis missiuis, clausis, & sigillatis directis dicto D. Episcopo, quarum vna est Maiestatis D. Philippi Hispaniarum Regis, altera verò D. nostri Principis. Hic epistola; in ipsis tantum de breui expeditione translationis reliquiarum SS. Martyrum per Episcopum Oscensem agitur. Quibus quidem epistolis, quomodo præmittitur per dictum* D. Alphonsum de Soto *Procuratorem prædictum fide factis, idem procurator supplicauit in processu huius causæ inseri, & apponi, &c. & dictus D. Episcopus mandauit, de cuius mandato fuerunt per Notarium infra scriptum, in processu prædicto inserta, & apposita. Ex quibus omnibus & singulis ante dictis, dictus* D. Alphonsus de Soto, *Procurator prædictus requisiuit per me dictum Notarium vnum, duo, aut plura &c. præsentibus testibus ad præmissa vocatis.*

Epistolas Regis, & Principis exhibet.

Insuper die quæ computabatur XIII. *Mensis* Ianuarij, *anni à Natiuitate Domini* M. D. LXVIII. *apud prædictum Palatium Episcopale.* Oscense *coram prædicto admodum Illustrissimo, & Reuerendissimo in Christo Patre, & Domino* D. Petro Agostin *diuina miseratione Episcopo* Oscensi, & Iaccensi, *Commissario, & executore Apostolico præfato, comparuit, & fuit personaliter constitutus dictus Reuerendus* Alphonsus de Soto *Procurator prædictus, qui dicto Reuerendissimo D. Episcopo supplicauit, cum onus præinserta commissionis acceptasset, vt ad executionem prædictarum literarum Apostolicarum, iuxta traditam, & directam per easdem sibi formam procederet; ipseque D. Episcopus, vt obedientiæ filius volens, & intendens mandatum Apostolicum sibi in hac parte directum, reuerenter exequi, vt tenetur, ad executionem prædictarum literarum Apostolicarum procedere paratum se obtulit. Super quibus omnibus, & singulis præmissis dictus* D. Alphonsus de Soto, *Procurator prædictus, ad sui Officij exonerationem, & iuris cuius interest, aut interesse poterit conseruationem, requisiuit per me Vincentium Salinas Notarium publicum infra scriptum vnum, duo, aut plura* &c. *Et præmissis ita gestis die videlicet quæ computabatur* XV. *Mensis* Ianuarij *anni prædicti, præfatus D. Episcopus intendens in prædicta commissione Apostolica sibi desuper facta ad vlteriora procedere, magno cum comitatu ad Ecclesiam S. Petri Veteris prædictæ Ciuitatis* Oscæ *accessit, quam visitare volens, primò obsequium pro animabus fidelium decantauit, deinde decantatione prædicti obsequij facta, Sanctissimum Sacramentum, & consequenter fontem Baptismalem eiusdem Ecclesiæ visitauit, & quæ facienda erant iussit, super quibus omnibus præmissis idem R. D. Episcopus Commissarius Apostolicus præfatus requisiuit per me dictum, & subscriptum Notarium fieri, & confici instrumentum, & instrumenta. Et post continuò prælibatus D. Episcopus Commissarius, & executor Apostolicus volens, & intendens dicta SS. corpora* Iusti, & Pastoris *visitare, accessit personaliter ad capellam eorundem Sanctorum, vbi dicta Corpora existunt custodita, & cùm ibi fuit petitum à nonnullis ibidem existentibus, vbi erant eorum Sanctorum corpora? Cui quidem D. Episcopo, & executori, Reuerendi* Ioannes Torres *Canonicus, & Operarius Sedis Iacca, ac Prouisor Ciuitatis, & Diœcesis Oscensis,* Hieronymus Ferrandez *Cantor Ecclesiæ Cathedralis Oscensis,* Iacobus Ximeno *Archidiaconus de la Camura in eadem Sede Oscensi,* Iacobus Ferrer *Canonicus dictæ Sedis,* Petrus Vitalis *sacræ Theologiæ Doctor, ac Cathedraticus Studij Generalis Oscensis.* D. Hieronymus Gabarre *Archidia*

Iterum Reliquias petit.

Episcopus ad mandata procedit.

De Corporibus inquirit.

chidiaconus de Gorga in Sede Ciuitatis Iaccensis, & sacra Theologia Doctor, Ioannes Sanchez de Broto Theologia Professor, ac Prior Ecclesia Collegiata D. Petri Veteris pradicta Ciuitatis Osca, Hieronymus Monter in artibus Magister, & multùm Magnifici Augustinus Costa, Iustitia, & Iudex Ordinarius, Ioannes Ferdinandus Cerdan, Ioannes Traginer, & Ludouicus Sancta Fee Prior, & Iurati dicta Ciuitatis. Ioannes de Arnedo, & Michael Fenes Operarij pradicta Ecclesia, Alphonsus Cortes, Michael Iacobus Gilberte, Martinus de Araus, Gaspar Domec, Ioannes de Azlor dominus temporalis oppidi de Pancano, Martinus Ioannes de Felices, Antonius de Assen, & plurimi alij Ciues, vicini, atque habitatores pradicta Ciuitatis Oscæ, qui dictum D. Episcopum comitati sunt, & dicta visitationi astiterunt; responsum fecerunt, quòd erant posita, & recondita in quadam arca, prope dicta Capella tectum constructa, quam quidem arcam pradicto D. Episcopo & executori ostenderunt, qua duabus clauibus erat clausa, quarum vna erat in posse dicti Prioris Iuratorum nomine, & voce dicta Ciuitatis; ultera verò existebat in posse dictorum Operariorum, nomine, & voce dicta Ecclesia, & Parochia. Et sic ab omnibus dictis desuper nominatis, supradictis responsis, pradictus D. Executor percontatus est eosdem: An dicta corpora in dicta Arca existentia, vt pradicatur, essent corpora Sanctorum Iusti, & Pastoris, qui fuerunt oriundi, & naturales Villa Complutensis, & susceperunt martyrij coronam in eadem Villa? Qui omnes vnanimes, & catera turba hominum, & Populi, extra dictam Capellam existentes ad dictam visitam, supremis vocibus dixerunt, quòd illa erant corpora pradictorum Sanctorum Iusti, & Pastoris, naturalium dicta Villa, & qui martyrij palmam in eadem adepti fuerant, & pro talibus erant tenta, nominata, & reputata in prasenti Ciuitate communiter à senioribus, & antiquioribus, qui quidem maiores, & antiquiores, à suis maioribus audierunt supradicta dicere, & affirmare, & hoc à tanto tempore, quod memoria hominum in contrarium non existit. Ex quibus omnibus, & singulis antedictis, tàm dictus D. Episcopus executor ad sui officij exonerationem, quàm R. D. Doctor Petrus Serrano Canonicus Ecclesia Collegiata SS. Iusti, & Pastoris Complutensis Procurator, vt dixit, Illustr. & admodum Reuerend. DD. Abbatis, Canonicorum, & Capituli eiusdem Ecclesia, ibidem prasentialiter assistens, in testimonium supradictorum requisierunt per me Notarium publicum, vnum, duo, aut plura &c. Et incontinenti pralibatus D. Episcopus & executor Apostolicus pradictus, supradicta intelligens, & apertè sciens, in dicta Arca recondita esse corpora dictorum SS. Iusti, & Pastoris, petijt à dictis DD. Priore Iuratorum, & Operariis pradictis dicta Ecclesia pradictas claues dicta arca, ad finem faciendi eandem aperire, & sic aperta, ab eadem extrahere dicta SS. corpora, ad effectum eadem visitandi, exequendo contenta, & sibi commissa in prainsertis Commissoriis literis Apostolicis. Qui quidem Prior Iuratorum, & Operarij, vt obedientia filij dicto D. Episcopo pradictas claues tradiderunt, & liberarunt. Ipséque D. Episcopus statim dictas claues traditas, & liberauit Ioanni Sanz de Broto Priori pradicto, vt cum eisdem ad dictam arcam ascenderet, ad descendendum vnum post aliud, dicta gloriosa corpora, quas quidem claues dictus Prior in eius posse recepit, & ibidem exequendo mandatum dicti Domini Episcopi, & executoris Apostolici pradicti, iussit poni quandam scalam, ante dictam arcam in dicta Ecclesia ante existentem, solummodo ad descendendum dicta Sancta corpora necessitate occurrente in dicta ciuitate aqua, & pestis epidemia, & sic supradicta scala posita per eandem ascendit magno deuotionis feruore, & cùm accessit ad dictam arcam, aperuit eandem cum dictis duabus clauibus, & ea sic aperta statim ab eadem extraxit corpus gloriosi Martyris S. Pastoris, plurimis pannis inuolutum, & posito per eundem, cum reuerentia, qua decuit, in humeris suis, descendit idem

Existentia probat.

Aperitur arca S. Pastoris.

idem corpus, & cum fuit prope pedem dictæ ſcalæ, dictus D. Epiſcopus magna cum reuerentia illud in brachiis ſuis recepit, & poſuit ſuper altare dictæ Capellæ: & incontinenti dictus Prior reuerſus fuit per dictam ſcalam, ad ſupradictam arcam, & cum ibidem acceßit, extraxit ab eadem ſanctum corpus S. Iuſti, *quod etiam plurimis (vt vidimus ego Notarius, & teſtes infra ſcripti) erat inuolutum pannis, & poſitum in humeris fuit, vſque ad pedem ſcalæ deſcendit illud, & ibi prædictus D. Epiſcopus, cum eiſdemmet honore, & reuerentia in brachiis ſuis recepit, & poſuit illud ſupra dictum altare. Et ſic vt præmittitur prædictis Sanctis corporibus in prædicto altari poſitis, prælibatus D. Epiſcopus, & executor quandam thecam ferream benedixit, in prædicto altari exiſtentem, quam prædictus D. Epiſcopus attulerat, ad deferendum reliquias prædictorum ſanctorum corporum, per eum accipiendas exequendo contenta in prædictis literis Apoſtolicis. Et in continenti cùm prædictam thecam benedixit veſtibus ſacerdotalibus ſe induit, & ſtatim in altare ſupradictæ Capellæ rem diuinam ſupradictorum Sanctorum celebrare incepit, exiſtentibus in dicto altari, vt dictum eſt, prædictis ſanctis corporibus, qua finita, & ſupradictis deſuper nominatis perſonaliter in eadem exiſtentibus, & etiam extra dictam Capellam dicta turba hominum, & Populi, eandem audiente, coram prædicto altari iußit poni quandam menſam aptè adornatam, in qua dictus D. Epiſcopus, & executor poſuit corpus glorioſi Sancti* Paſtoris, *diſſuit, atque diſſoluit pannos in quibus erat inuolutum, & cùm perfecit, omnibus ſupradictis ibidem exiſtentibus manifeſtauit corpus ſanctum ſupra dictum alta voce omni Populo ibidem aßiſtenti, & ſignanter ſupradictis deſuper nominatis Priori, & Iuratis, ac Operariis ſupradictæ Eccleſiæ dixit, & expoſuit talia, & ſimilia verba in effectu continentia, vel quaſi:* Domini ſæpe numero ad veſtram notitiam deduxi literas Apoſtolicas S. D. N. Papæ ad ſupplicationem Maieſtatis D. N. Philippi Hiſpaniarum Regis obtentas, & mihi pro parte Illuſtris & admodum RR. DD. Abbatis, Canonicorum, & Capituli Eccleſiæ Collegiatæ Villæ Complutenſis, præſentatas, per quas ſua Sanctitas iubet, quatenus prædictorum SS. Martyrum corpora viſitem, & vt eorum glorioſa nomina in partibus Regni Caſtellæ, & præſertim in dicta villa Complutenſi, vnde ſunt oriundi, & naturales, & coronam Martyrij adepti, magis ad laudem, & gloriam D. N. Ieſu Chriſti collaudentur, & ob fidelium Chriſtianorum prædictæ Villæ, & Regni deuotionem, prædicta ſua Sanctitas, vt vniuerſalis Paſtor vult, quod à quolibet illorum accipiam partem mihi beneuiſam, & liberem eam, & dem Procuratori ſpeciale poſſe habenti à dictis DD. Abbate, Canonicis, & Capitulo, dictam partem recipiendi. Idemque D. N. Rex per epiſtolas, quas ad me miſit, & ſcripſit ſuper hac re, & à ſimili D. N. Princeps aſſerunt, quod adimplendo prædicta Ciuitas iuſſa prædictam ſuam Sanctitatem virtute dictarum Bullarum Apoſtolicarum, vt decet, à prædicta Ciuitate quilibet eorum, recipiet in magnam ſatisfactionem. Ego ad huiuſmodi Eccleſiam ſolummodò venio, vt exequantur, & adimpleantur contenta in prædictis literis Apoſtolicis. Iam hîc in huiuſmodi menſa omnes apertè videtis corpus prædicti S. Paſtoris detectum, & integrum, abſque defectione, & ſeparatione aliqua: & etiam à ſua Sanctitate virtute dictarum literarum Apoſtolicarum, committitur, & eſt mihi ſufficiens poſſe ſumendi prædictas partes reliquiarum prædictorum Sanctorum Corporum. Ob id coram vobis omnibus præſentibus, & aſſiſtentibus, vt executor Apoſtolicus præfatus volo contenta, & narrata in prædictis literis Apoſtolicis, vt obedientiæ filius, exequi, & adimplere, & ſic ita exequendo à prædicto Sancto Corpore S. Paſtoris accipio CRVS integrum ſiniſtrum, vna cum PEDE vnitum

Aperitur arca S. Iuſti.

Epiſcopi verba ad Oſcenſes.

Crus cum pede S. Paſtoris extrahit.

dicto cruri à genu incipientem. Et cum magna reuerentia posuit dictam reliquiam sanctam in dicta thecula benedicta. Et post continuò dictus D. Episcopus, & executor Apostolicus prædictus à prædicto altari accepit prædictum corpus S. Iusti, & posuit illud supra prædictam mensam, dissuitque, ac dissoluit, & illo dissuto, & dissoluto, supradictis ibidem existentibus manifestauit, & ab eodem accepit duas VERTEBRAS dorsi cum vna

Duas Vertebras dorsi cum vna Costa de Corpore S. Iusti.

COSTA: & sic dictis reliquiis acceptis, publicè, & palam posuit prædictas partes, & sanctas reliquias in prædicta thecula. Et factis præmissis prædicti Prior, Iurati, & Operarij, præsentibus infrascriptis, requisierunt me Notarium publicum infrascriptum, instrumentum conficerem, quatenus supradicta per dictum D. Episcopum, facta, iussa, & prouisa fecit, veluti Commissarius, & executor Apostolicus à S.D.N.PP. Pio V. virtute praiasertarum literarum Apostolicarum, specialiter nominatus, & putatus, & ad supplicationem præfata Maiestatis D. N. Philippi Regis, obtentarum. Et dictus D. Episcopus dixit, & confessus fuit, quod omnia supradicta fecit virtute literarum Apostolicarum, ad preces dicta sua Maiestatis concessarum, & non aliàs: de quibus quidem omnibus prædictis instrumentum publicum confeci.

Consequenter, factis supradictis, prælibatus D. Episcopus & executor ex parte sua Sanctitatis, Maiestatum Philippi, & Caroli Regis, & Principis DD.NN. ac suamet, omni Populo retulit gratias, quia rectè, vt Catholici Christiani, & fideles suæ Maiestatis, ac subditi dicti D. Episcopi, se habuerunt in executione prædictarum literarum Apostolicarum, & perceptione dictarum reliquiarum, nullo per eosdem posito obstaculo. Et dicti DD. Iustitia, Prior, & Iurati, ac Operarij incontinenti responsum fecerunt dicto D. Episcopo, quòd omnia per suam Dominationem facta, & executa laudabant, & approbabant, pro sanctè, & optimè factis, & quòd placebat eisdem, dicta reliquia liberentur dicto D. Canonico Serrano, nomine Procuratorio supradicto, cum, & quoties decreuerit iter facere ad dictam Complutensem Villam, & quod interim depositentur in sede Oscensi, & deferantur cum processione ad dictam Sedem, & in posse multùm RR. DD. Locumtenentis Decani Canonicorum, & Capituli depositentur: cui quidem D. Episcopo placuit, & fuit opinionis eorundem. Et insuper prædictus D. Episcopus & executor, dicta Corpora sancta cum eisdemmet pannis inuoluit, & consuit dictos pannos, prout in prædicta Arca, dicta corpora reperta fuerunt, & liberauit prædicta sancta corpora in posse dictorum Operariorum, Prioris, & Clericorum dicta Ecclesiæ, qui prædicta sancta Corpora, à dicto D. Episcopo receperunt, & confessi fuerunt habuisse, & recepisse. Et statim prædictus D. Episcopus & executor, processionaliter cum Cruce, Canonicis, Clericis, & Capitulo Sedis prædictæ, & populo in prædicta visita assistente fecit deferri prædictas sanctas reliquias ad dictam Sedem, & cùm accesserunt ad eandem, iussit poni prædictam theculam reliquiarum in altari maiori, & in alia theca maiori, per dictum D. Episcopum illic benedicta, transmutauit prædictas sanctas reliquias, quoniam prædicta thecula ferrea erat parua. Et sic dicta theca cum dictis reliquiis in eadem positis per dictum D. Episcopum clausa, & cum sigillo prædictæ Ciuitatis sigillata, clauem eiusdem tradidit dictis D. Priori Iuratorum, quam dictus D. Prior accepit. Qui incontinenti R. D. Ludouico Serra Locumtenenti Decani prædictæ Sedis, dictam thecam cum claue eiusdem tradidit, & in custodiam misit dicto nomine, quam in eius posse recepit, & confessus fuit habuisse, & recepisse. Qui incontinenti dictus D. Locumtenens prædictam reliquiarum thecam in pluteo sacrarij dictæ Sedis, vbi reliquiæ, & iocalia dictæ Sedis existunt, custodita, reposuit: quam quidem thecam promisit, & se obligauit cum reliquiis in eadem existentibus, dictis DD. Episcopo, & Priori Iuratorum restituere, semper, & quoties eis libuerit, sub obligatione eius personæ, bonorum, & redditaum mobilium, & immobilium, &c.

Reliquiæ extractæ deferuntur ad Cathedralem Oscensem.

Rursus

Rursus autem, die qua computabatur XIX. Mensis Ianuarij anni supradicti, in prædicta Ciuitate Oscæ, apud Palatium Episcopale Oscense, prælibatus D. Episcopus, & executor Apostolicus prædictus cupiens, & intendens contenta & sibi commissa in præinsertis literis Apostolicis adimplere, nihil de contentis in eisdem omittendo, & cum sit maximè circa sui Pastoralis officij negotium, præpeditus, & sic personaliter non possit prædictas reliquias associare ad dictam Ecclesiam Complutensem, & easdem (vt in dictis literis Apostolicis continetur) in loco congruo, & honorato reponi facere; propterea ad plenum confidens de legalitate, & industria, animique probitate R. D. Ioannis de Torres Operarij, & Canonici Sedis Iaccæ, eiúsque Prouisoris in toto eius Episcopatu, subdelegauit eundem, in Commissarium huiusmodi causæ, attribuendo eidem omnem illam facultatem, & potestatem, quam ipse virtute dictarum literarum Apostolicarum habet, & eidem conceditur, quoniam, in, & super præmissis, cum suis incidentibus, & dependentibus vices, & voces commisit, præsente dicto D. Ioanne de Torres, qui cum gratiarum actione prædictam subdelegationem acceptauit, & testimonium eius requisiuit.

Episcopus delegat Prouisori Commissionem Apostolicam.

Cæterum die S. Ildephonsi computata XXIII. prædictorum Mensis, & Anni, prælibatus R. D. Episcopus, Iudex & Commissarius Apostolicus prædictus comitantibus sibi RR. DD. Ioanne Torres Prouisore Oscensi, ac eius Subdelegato Hieronymo Ferrandez Succentore, Ludouico Serra Canonico, & Locumtenente Decani, Martino Sanz de Epin, Iacobo Forner Canonicis dictæ sedis Oscensis, & Petro Serrano Canonico, & Procuratore præfato, necnon multum Magnificis Ioanne Ferrando Cerdan Priori Iuratorum, Ioanne de Arnedo, & Michaële Fenes Operarijs prædictæ Ecclesiæ, & Parochiæ S. Petri, & pluribus alijs Ciuibus præfatæ ciuitatis, fuit personaliter constitutus in Sacrario prædictæ Sedis Oscensis, & executioni prædicti Breuis operam dando, prædicto D. Ludouico Serra Canonico, & Locumtenenti Decani præfato, prædictis omnibus præsentibus, petijt prædictam thecam prædictarum reliquiarum, in eius posse, veluti Canonico, & locum tenenti Decani dictæ Sedis, ad illam custodiendam data. Et illicò idem D. Ludouicus Serra omnia quæ promiserat adimplendo, dedit, & liberauit prædictam thecam ipsi R. D. Commissario Apostolico, prout ego Notarius, & testes oculariter vidimus, clausum, sigillatam, prout existebat tempore, quo in eius posse fuit liberata, quam ipse D. Episcopus à dicto D. Canonico Serra recepisse confessus fuit. Et præmissis sic factis Dictus D. Ioannes Ferrando Cerdan Prior Iuratorum dictæ Ciuitatis similiter restituit, & liberauit eandem D. Episcopo, & Commissario clauem, in eius posse positam prædictæ thecæ, & ea mediante amoto prædicto sigillo, aperuit eandem thecam, & facta per suam Dominationem coram prædictis omnibus, visura prædictarum reliquiarum, fuerunt reperta in ea existere, prout antea fuerunt posita absque aliqua diminutione, de quo adest testimonium.

Aperitur theca Reliquiarum.

Consequenter dicto eodem die facta prædicta visura prædictarum reliquiarum sanctarum, & eis decentissimè intus prædictam thecam per eundem D. Episcopum inuolutis, eandem thecam prædicta claue mediante, eiúsque sigillo cera rubra impresso in clausura prædictæ thecæ, ac cum sigillo administratoris generalis Regni, in dicta Ciuitate existentis, per eundem Administratorem etiam cera rubra in prædicta clausura impresso, sigillatam clausit, quam quidem clauem prælibato D. Ioanni de Torres Prouisori, & Subdelegato Apostolico donauit, & liberauit, vt executioni prædicti Breuis Apostolici finem dederit, ipsámque clauem recepisse idem Delegatus confessus fuit. Quibus ita peractis prædictam thecam modo prædicto clausam, & sigillatam idem R. D. Episcopus, intus quandam aliam thecam decenter ornatam, ad tutiorem custodiam prædictarum sacrarum reliquiarum posuit, duabus clausuris mediantibus, ac sub duabus clauibus clausam, quarum vnam dedit, & liberauit Magnifico

Clauditur theca duplici claue & traduntur Comissarijs.

Michaëli de Felices ciui prædictæ ciuitatis, ad comitandum prædictum D. Subdelegatum, vsque ad prædictam Villam Complutensem, per eosdem D. Iustitiam, Priorem, Iuratos, & Concilium præfatæ ciuitatis, electo, & deputato: alteram verò dedit, & liberauit Magnifico D. Ioanni de Arnedo ciui prædictæ ciuitatis, ac operario prædictæ Ecclesiæ; & Parochiæ S. Petri veteris, nomine, & voce ipsius Parochiæ, etiam per eandem Parochiam, ad prædictum comitatum faciendi, electo; quatenus illas sub fideli custodia habeant, vsquequo compleuerint in dictam villam Complutensem, & cùm ibidem conuenti fuerint illas respectiuè tradant, & liberent prædicto D. Subdelegato, ad finem, & effectum prædictas sanctas reliquias, dictis DD. Abbati, Canonicis, & Capitulo dictæ Ecclesiæ Complutensis, modis, & formis in prædicto præinserto Breui Apostolico contentis, tradendi. Quas quidem claues, ad prædictos fines complendos prædicti DD. Michaël Felizes, & Ioannes de Arnedo nominibus prædictis respectiuè à dicto D. Episcopo recepisse confessi fuerunt.

Et in continenti prædictis die, Mense, & anno, dictas thecas, vnam intus alteram modo præmisso existentes, & superiorem prædictis duabus clauibus clausam, ac prædictis sigillis ipsius Episcopi, & Administratoris Generalis, cera rubea eius singulis clausuris impressis, in posse dicti D. Ludouici Serra veluti Canonici, & Locumtenentis Decani dictæ Sedis in depositum posuit, quousque D. Subdelegatus cum dictis reliquijs sanctis ad dictā villam Complutensem iter rapuerit, quod in eius posse, recepisse à D. Episcopo commissario confessus fuit, & dicto nomine prædictas thecas, modo prædicto existentes, cum prædictis sanctis reliquijs dicto D. Episcopo restituere promisit, & se obligauit cum omnibus clausulis, &c. Demum, die qua computabatur XXIV. dictorum mensis, & anni, in dicta Sede Oscensi existentibus congregatis Vicarijs, & Clericis Ecclesiarum Parochialium S. Petri veteris, S. Laurentij, & S. Martini eiusdem ciuitatis ac Priore, & Fratribus S. Dominici, Priori, & Fratribus S. Augustini, ac B. Mariæ de Monte Carmelo Priore, & Fratribus; & Guardiano, & fratribus Monasterij S. Francisci Ordinis Minorum dictæ Ciuitatis processionaliter singulis Crucem erectam deferentibus, præfatus R. D. Episcopus, & Commissarius ad prædictam Sedem magno cum comitatu accessit, in qua, hora quasi nona ante meridiem Diuinum officium prædictis thecis, & reliquijs Sanctis, iam per dictum D. Ludouicum Serra sibi restitutis supra altari maiori dictæ Sedis positis, celebrari iussit, dictoque diuino officio peracto dictas thecas, cum reliquijs prædictis, à dicto altari ademptas, processionaliter cum Cruce, Canonicis, Capitulo, & Clericis dictæ Sedis, & cum prædictis crucibus, & personis, dictorum Vicariorum Clericorum, & fratrum, & cum prædicto Populo, dictas sanctas reliquias, vsque ad portam vulgariter dictam del Angel tota, vel maior pars hominum dictæ Ciuitatis eisdem associantibus, magno deuotionis feruore duci, atque portari præcepit; & ibidem easdem Sanctas reliquias in prædictis thecis modo præmisso positis, idem R. D. Episcopus tanquam Commissarius, dicto D. Ioanni de Torres subdelegato dedit, tradidit, atque liberauit præsentibus dicto D. Petro Serrano Canonico, & Alphonso de Soto Procuratore, & omnibus in dicta processione interessentibus, ac præsentibus dictis Magnificis Michaële de Felizes, & Ioanne de Arnedo, & alijs ad comitandum dictum D. Subdelegatum deputatis, & hoc ad finem, & effectum prædictas sanctas reliquias, iuxta tenorem præinserti Breuis Apostolici, Illustr. & admodum RR. DD. Abbati, Canonicis, & Capitulo dictæ Ecclesiæ SS. Iusti, & Pastoris Complutensis dandi, & liberandi, ac illas in loco decenti, & honorato reponi, & custodiri faciendi. Quas quidem thecas cum supradictis reliquijs, intus easdem existentibus, dictus D. Subexecutor, à prædicto Domino Episcopo recepisse confessus est, qui cum prædicto eius comitatu, coram omnibus rapuit iter, prædictas Sanctas reliquias cum magno honore, magnisque luminarijs ducendo, prout ego prædictus Notarius, & testes infrascripti

Processio pro Reliquijs Sanctorum tradendis.

Traditio Reliquiarū Commissarijs Complutensibus.

frascripti

ſraſcripti ocularıter vidimus. Super quibus omnibus, & ſingulis præmiſſis, tàm dictus Dominus Epiſcopus, ad ſui officij exonerationem, quàm dictus D.Canonicus Serrano *ad perpetuam rei memoriam prædictorum requiſierunt per me Notarium publicum infraſcriptum, vnum, duo, vel plura, publicum, ſeu publica, inſtrumentum, & inſtrumenta fieri, confici, atque tradi. Præſentibus ibidem magnificis* Alphonſo Cortes, & Michaële Ioanne Sancta Pau *ciuibus prædictæ Ciuitatis, ad præmiſſa vocatis, & adhibitis. P.A. Epiſcopus Oſcenſ. & Iudex prædictus.*

Et quia ego Vincentius Salinas Notarius publicus de numero Notariorum Ciuitatis Oſcenſis, Regni Aragonum, ſacris Apoſtolica, & Imperiali authoritatibus vbique deſcriptus, matriculatúſque in Archiuo Romanæ Curiæ, præinſertarum literarum Apoſtolicarum præſentationi, receptioni, requiſitioni, proceſsúſque fulminationi, ac ſubdelegationi, omnibúſque aliis, & ſingulis præmiſſis, dum ſic, vt præmittitur per prælibatum Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D. Epiſcopum, ac Executorem Apoſtolicum, & coram ſua Dominatione dicerentur, agerentur, & fierent, vnà cum prænominatis teſtibus præſens, & perſonaliter interfui, ideò hæc inſtrumenta manu alterius, aliis præpeditus negotiis in hanc publicam formam redegi, ſignóque, & nomine meis ſolitis, vnà cum R. D. P. Epiſcopi & Executoris ſigilli impreſſione ſignaui in fidem, & teſtimonium præmiſſorum.

Roboratio & ſubſcriptio Notary hæc Acta ſcribentis.

Sic *ita extractis lipſanis vt in proceſſu refertur die* XXIV. *Ianuarij, quo Eccleſia Toletana celebrem* Deſcenſionis Deiparæ *feſtum colit, primò* Cæſarauguſtam, *poſt* Bilbilim, Hortam *vbi miraculum de ſonitu in theca ſanctorum pignorum auditur, & alia duo de duobus paralyticis in ſanitatem integram reſtitutis, deinde Arcobricam, Metynam Zelini, Secontiam vbi aliud miraculum de alia à natiuitate paralytica, poſt* Fitam, *deinde* Guadalfajaram, *vbi inſigne miraculum de illuſtriſſima Domina per annum & amplius ab inceſſu pedum orbata, poſt* Mecum, *& tandem die* VII. *Menſis Martij* Complutum *peruenère.*

Complutum pergunt.

Miracula in itinere.

Aliud miraculum.

Ergo ad Sanctorum receptionem pignorum Complutum, eiúſque Senatus, Eccleſia, & Collegia, non vacuis, vt aiunt, manibus ſpectabant, quin potius omnia quæ artis induſtria, ingenij auiditas, & ſplendoris plauſus excogitauir anteuertebantur, quorum manipulos Hiſpano Ambroſius de Morales in ecphraſi huius tranſlationis ſermone eruditiſſimè collegit, ex quo ad noſtræ anamneſis elucidationem aliquot ſeligere grana propoſui, ne tantæ eruditionis magnitudo, tantæ artis præſtantia, tantæque deuotionis eminentia depereat, cum codex ille iam aut nullus, aut rarus ſit. Extra igitur Martyrum vrbis portam, qua Sanctorum lipſana ingreſſura Senatus decreuerat, buſtum (quo eadem apponenda eſſent) magnificum à CC.Paſſ. extructum conſpexit curioſitas. Hoc quadrangulati forma, XVI. pedum planitie viſebatur, ſexque eleuatio numerabat, intus in eremirorij vicem ex XII. pedibus quadrata, quatuorque columnis XV. eleuatis alabaſtrino colore fictis Capella erigebatur decora, cuius ſummitas in pyramidem erecta, tegulis Bauaricis depictis deſuper ornabatur. In faciei planicie deſcriptus Pſalmi verſus legebatur ſic:

LÆTAMINI IN DOMINO ET EXVLTATE IVSTI
ET PASTORIS ADVENTV.

Intra quatuor ipſius latera nobilis coloribus variegatis perpulchras delineauit penicillus choreas, & alia feſtiuitatis, & alacritatum genera, quorum lemma ſic.

HÆC DIES QVAM FECIT DOMINVS
EXVLTEMVS, ET LÆTEMVR IN EA.

Item ipſa vrbis porta triumphaliter depicta cernebatur, & in planitie vtriuſque turris in altera Prudentij teſtimonium martyrij Sanctorum, & in altera D. Ildephonſi de eorum inuentione relatio. In altera turris parte erat depicta chartula, in qua Agnus Dei ex quo quinque ſanguinis riuuli proſilientes cruentum lacum peragebant, ibidémque SS. Pueri Iuſtus, & Paſtor veſtes tingere conabantur, & in ſtylobata carmen.

Quam bene diuinos Agni testantur amores;
Cum stolas fuso sanguinis amne lauant.

Perspectiuè in correspondenti turris linea fluuius Henareis inspiciebatur, qui lætabundus ex vrna sanguinem martyrum effundens, quasi eius vndas ipso tingere videbatur, hoc disticho,

Hoc decus æternum, tincta hoc decurrite lympha
Hic mihi namque cruor gloria maior erit.

Sub istorum corpore festonum, visebatur totius huius gloriosæ translationis dedicatio in turris frontispicio literis Romanis descripta, sic:

DEO OPT. MAX.
QVI CVM OLIM COMPLVTVM SANCTORVM
MARTYRVM IVSTI ET PASTORIS SANGVINE
CONSECRASSET. NVNC POST DCCCL. DEMVM
ANNOS. IPSORVM CORPORA. QVÆ OCCVPATA
A SARRACENIS HISP. OSCAM FVERANT DELATA.
BENIGNVS EIDEM ANNO MDLXVIII. MENSIS
MARTII. DIE VII. RESTITVIT. VSVS IN HOC
PIENTISSIMA PHILIPPI II. REG. HISP. CATHOL.
SOLICITVDINE. PII V. PONT. MAX. SANCT. PROV.
OSCENSIVM RELIGIOSA BENIGNITATE
S. P. Q. COMPLVT.
COELESTIS BENEFICII MEMORIAM
SEMPITERNAM CONSERVATVRVS
D.

In fressu arcus semicirculariter erant duo carmina extenta magnis literis exarata, quibus Complutum sanctissimos ciues, filios, & Martyres recipere satagebat, sic:

INTRATE HVC VESTRAM SANCTI FELICITER VRBEM
QVÆ VESTRO REDITV SOSPITA SEMPER ERIT.

Ad aliud arcus oualum, quod variis erat floribus decoratum, in eius meditullio scripsit Complutum rotundum SS. Martyribus priuilegium, quo vniuersa Ciuitas ipsis & Patronatum deuouent, & intercessionem expostulant his carminibus.

IVSTI, ET PASTORIS TELLVS SACRATA CRVORE,
COMPLVTVM, HOS CELEBRI SEMPER HONORE COLIT.

Intra vrbem primum locum obtinuit (vt in omnibus) Collegium Societatis IESV, in quo erat altare honorificentissime exccultum, & in vtroque altaris latere in carthulis varia carminum Hispano, & Latino sermone genera, ex quibus hæc duo exscribere curaui.

DE LÆTITIA COMPLVTENSIVM in Aduentu Sanctorum Martyrum.

QVæ tibi Complutum *solito maturior æstas*
Accelerat, varijs conserta coloribus, vlmos
Frondibus, & frutices sertis florentibus ornans?
Quis nouus Henareis spectatur sedibus hospes?
Haud dubium, quin natorum sint sacra tuorum
Ossa, peregrinis tandem aduentantia terris.
O Mater, verè Mater! iam flentis, & orba

Deponis

Deponis simulachrum, & vestem exuta lugubrem,
Lætitiæ indueris pulchra ornamenta: choreas
Duc hilaris: pandunt interni gaudia amoris
Externi plausus populi, nec iam datur vlla
In te conspicere antiqui vestigia fletus.
Vt solet inuentis gestire Leæna catellis
Quos sibi, dum prædam sequitur, Lupus arripit, alta
E fouea, victum intendens seruare futurum:
Illa auidè occultos saltus, iuga celsa pererrat,
Et tandem ereptos antiqua in sede reponit:
Congaudens fœtum agnoscit, complexibus hæret,
Alliciens caudâ, villosáque tergora lambens.
Gaudeat inuentis Mater prius indiga Natis,
Exultet, non iam Pueros, sed læta Patronos
Suscipiens, noto in gremio nota vbêra monstret,
Et notos faciat gentis, vrbísque labores.
Vt gratis Dominus precibus placatus, egenos
Diuitijs ornet cœlestibus. Ergo beata
Perge Beatorum egregios celebrare triumphos.
Pignoribus rursum exulta felicibus: æquum est
Quantum optata prius fuerant, gaudere repertis.

Plurima alia erant carmina fœcundissima, & facundissima, quæ quia ad huius diei intentum longe absunt, omisimus, tantum sequens apponam Epigramma.

AD POPVLVM COMPLVTENSEM de Reditu Sanctorum IVSTI, & PASTORIS.

PRo paruis Mater pueris, cape læta Patronos,
Pro paruis tribuit, maxima dona Deus:
Pastor *oues*, Iustus *iustos regat: ambo gubernent,*
Iustus *vterque pios*, Pastor *vterque gregem.*

Deinde spectabatur S. Francisci domus in cuius Ecclesiæ porticu varia Historiarum peristromata videbantur, & supra Ecclesiæ portam D. Alphonsi Carrillo Archiepiscopi Toletani, illius Monasterij fundatoris, & SS. Martyrum à visceribus deuotissimi effigies, cum erudita inscriptione agnoscebatur. At in altari, quod è regione Ecclesiæ erat, S. Didaci flexis genibus, alacri aspectu, extensisque brachiis SS. Martyres spectantis imago collocata erat: & in chartula maximis characteribus hæc verba, ab ipso B. Didaco explanata, legebantur.

AD VACVVM VESTRVM SEPVLCHRVM IVSTE ET PASTOR SVETVS ORARE. PRÆSENTISSIMVM PATROCINIVM EXPERTVS INTELLIGO. QVÆ VESTRA PRÆSIDIA PLENO NVNC TVMVLO COMPLVTENSIBVS SINT FVTVRA.

Hic Hieroglyficorum, emblematum, & carminum diuitem Hispano-Latinam segetem euoluebat parietum structura. His sequebatur Collegium Trilingue S. Hieronymo dicatum, in cuius apparatu, magnificentia, & ingeniosis carminibus omnium linguarum Pentecostes inuisebatur; nec mihi si fuissent centum linguæ, dicere possem, quot hæc dies pepererit eruditionum fœtus. Ergo super Ecclesiæ portam effigies Sanctissimi Patroni cum aliquot collegis suo habitu depictis cernebatur, quasi offerens Martyribus ingressuris illius domus alumnos hoc disticho.

Quæ mihi chara fuit semper domus alta Trilinguis,
Vos posthac veros optat habere Patres.
Hos aluit, nomenque meum protexit vbique:
Hos ego nunc vestro mitto sub auxilio.

Sub huius machinæ delineamento erat maxima, & facundissima dedicationis tabella, qua totius apparatus ecphrasis continebatur, sic:

DIVIS IVSTO, ET PASTORI,
FRATRIBVS SANCTISSIMIS.
QVORVM CORPORA TYRANNORVM
SÆVITIA OB FIDEM CHRISTI SERVATORIS
NOSTRI CRVDELITER OBTRVNCATA, POTENTISSIM. PHILIPPI II. HISP. ET OCCIDENTIS,
SINE LIMITE REGIS VOTIS. ANNVENTE PIO V.
PONT. MAX. ET OSCENSIVM LIBERALITAT.
COMPLVTVM DENVO RESTITVTA,
LÆTA EXCIPIT ACADEMIA.
COLLEGÆ TRILINGVES PROPAGANDÆ
RELIGIONIS AMORE INCENSI.
IN LINGVARVM COGNITIONEM
CONSTANTER INCVMBENTES
VT SVA STVDIA
TANTORVM MARTYRVM PATROCINIO
PROVEHANTVR
D. D.

Alia huic similis erat epigraphe in planicie parietis domus, quæ respicit cœnobium S. Francisci, & in toto viæ curriculo, vtroque latere variis contextus peripetasmatibus paries versicoloribus, in quibus pendentes diuersarum idiomatum tabulas conspexit exquisita curiositas, ex quibus aliquot carmina ad huius festiuitatis terminos respicientia conscribam, sic.

DE ADVENTV SS. MARTYRVM IVSTI, & PASTORIS.

Henareis Pastor *sedet en sanctissimus agris:*
Qualia nunc ouibus pabula nosse dabit?
Tum frater Iustus *quærentes iusta iuuabit:*
Quid neget huic Iusto, *Iustus, & Omnipotens?*

In lætitiam, quâ Complutensium ciuium corda Sanctorum Martyrum Conciuium suorum translationem perfusa venerantur, scripsit non mediocris facundiæ calamus hoc satis lepidum Epigramma, sic.

IN

IN COMPLVTENSIVM ALACRITATEM
pro Aduentu Sanctorum Martyrum.

Gens Io læta canit, longos deserta per annos,
Nunc dextro auspicio, Gens Io læta canit.
Gens Io læta canit, cernens venisse supremi
Munera magna Poli, Gens Io læta canit.
Gens Io læta canit, rediuiuis aucta Patronis,
Martyribúsque sacris, Gens Io læta canit.

De eadem re alia carmina coaceruauit Ambrosij de Morales studiosa solicitudo, quorum meminisse recuso, ne longior hæc reddatur anamnesis, tantum hoc Sapphicum interponam, vt etiam carminibus varietur.

DE LÆTISSIMO SS. MARTYRVM
Complutens. reditu: Sapphicum.

Sentit aduentum mare, terra, cœlum;
Astra perpulchris radijs coruscant,
Et nouo tandem rutilant per orbem
Lumina totum.
Vos canunt cuncti modulis Beatos:
Vos canunt dulci calamo Patronos,
Vos canunt verè duo semper Orbis
Lumina nostri.
Roma quæ lætos cecinit triumphos,
Quæ duces palmam tulit, & ferentes,
Non potest cultu superare summo
Gaudia nostra.
Pastor, & Iustus *meritis vterque*
Maximus, vires minuunt loquendi:
Tanta nam linguæ nequit apparatus
Gesta referre.
Gestit en gaudens pede, voce, vultu,
Quisquis intrantes Pueros salutat,
Et sibi tandem rediisse credit
Aurea sæcla.
Lætus en totam Pueri sacrati
Vester aduentus decorauit vrbem:
Gaudium summum, decus, & materna
Præstitit arci.

Post istius Collegij symbola, Academiæ intuebantur ponderosa, & fulgurantia apparatus, splendoris, & aulæorum machinamenta, in quibus effigies, arcus, pyramides, & encarpi seu festones historiis sacris, & prophanis ad intentum spe-
ctantes

ctantes conspiciebantur, nulla carminum nisi Hispanica prodiit notula, nec vllam inspexit in tot tantisque ornatus aggeribus Apollo Musam, ex quo Academiæ tantum dedicationem transcribemus, sic:

SANCTIS
MARTYRIBVS IVSTO, ET PASTORI.
QVORVM CORPORA IN DIRA HISPANIÆ VASTITATE OSCAM DELATA NVNC PETENT. PHILIPPO II. REGE CATHOLICO. ANNVENTE PIO V. PONT. MAX. OSCENSIBVS PIENTISSIME LARGIENTIBVS IN PATRIAM. TVMVL. QVE IPSVM RESTITVVNTVR.

His sic dispositis solemni pompa recepta fuere sacra Martyrum pignora, & in propriam sedem aduecta, ibidem variis Ordinarij cæremoniis tradita à Subdelegato Oscensi, Abbati Canonicis, & Capitulo Ecclesiæ Complutensis, honorificè collocata in sublimiori loco requiescunt. Cuius diei terminus fastus indicatus Compluti annuali commemoratione celebratur. Huius translationis festiuitas apud Philipp.Ferrar.in Catal.General.SS.h.d. adnumeratur, sic: *Compluti in Hispania Translatio Sanctorum Martyrum Iusti, & Pastoris.* P. Marian. Hist. Hisp. lib. 4. cap. 12. sic: *Corpora Sanctorum*(Iusti, & Pastoris)*ex vario errore ob Maurorum infestationem, anno tandem humanæ salutis M.D.LXVIII. Philippo II. Hispaniæ Rege agente; Oscâ, complutum delata, atque in eodem loco, vbi sanguinem profuderant collocata.* P.Thom.Truxill.in Thes.concionat.tom.2. fol.1474. sic: *Vnde ex mandato Philippi II. Regis Catholici,* multæ eorum *Sanctorum*(Iusti, & Pastoris)*reliquiæ & per Breue etiam Py V. felicis recordationis, fuerunt translata Complutum, vbi gloriosi Martyres passi fuerant, anno videlicet Domini M. D. LXVIII. non sine magna veneratione, & reuerentia.* Et sic intelligenda sunt verba Scriptorum, licet de corporibus loquantur, cùm nemo dubitet non tota corpora, sed partem concessam fuisse Complutensibus, quod est notandum, vt sedetur scrupulus Franc. Didaci de Ainsa *Hist. Oscens. lib.2.c.21. in fine.* qui contra P. Marianam in loco relato, quia dixit *corpora translata* acriter inuehens, tanquam ad latronem cum fustibus, & armis vociferans occurrit. Post quem alium libellum edidit Doctor Ioannes Franciscus Andreas Aragonum Chronographus de hisce sanctis Pueris, vt existentiam eorum corporum apud Oscenses defendat.

Situs vrbis. COMPLVTVM. Ciuitas Antiqua in Carpetania in Citeriori Hispania, Henaris placidissimo flumine cincta, fere inter Secontiam, & Toletum condita, Madridio proxima, de qua Claudius Ptolem. *in Geograph. lib.2. Tab.2. Europ.c.6.* Plin. *Hist.lib.3.c.3.* Hodie ALCALA *de Henares*, in qua Academia celebris. Hic notandum est, aliam fuisse antiquam vrbem in Gallæcia Hispaniæ nomine COMPLVTICA ex eodem Ptolemæo, sed à Carpetanorum diuersam, quam hodie COMPLVDO vocitant. *A quo condita.* Illam construxere Romani Milites Trajani Nostri permissione ad Annum Domini C.IV. quam COMPLVTVM dixere ab *Aquarum congregatione.* vt notauit Ambros.Moral. *in hac Translat.SS.c.8.fol.32.* Qui optime inuehit aduersus Scriptores dicentes COMPLVTVM à Romanis Trajano imperante conditam, quia ex columnis terminalibus ibidem repertis elicitur Trajano antiquiorem fuisse vrbem, siquidem ipse Imperator quando Columnas illas erigere decreuit iam exstructam ab antiquo tempore vrbem inuenit. En Columnæ vnius epigraphe.

Columna terminalis.

IMP. NERVA. CÆSAR AVG.
TRAIANVS. GER. PONT. MAX.
TRIB. POTEST. IIII. COS. II.
RESTITVIT. A COMPL. XIIII.

Hinc liquet, vt conditam vrbem tempore Trajani, & cognominatam COMPLVTVM

TVM fuiſſe; ex quo venit reſpuenda opinio illorum æuo Trajani exſtructam dicentium.

Vnum hîc ex Iuliani Petri Aduerſariis *num.*524. *fol.* 122. addere decreuimus, ſcilicet: *Quòd in ſingulis præcipuis Conuentibus Hiſpaniæ fuêre omnium Coloniarum, & Municipiorum; & Primariarum Vrbium ſinguli Viri, qui in eo Conuentu collecti formam Senatus Romani præ ſe ferebant;* & inter alias vrbes quas enumerat, COMPLVTVM nominat, in qua hocce Concilium fuiſſe contendit, *quod ſtatuas in forò ſui Conuentus, & qui futuri eſſent Flamines, qui Sacerdotes Romæ Deorum, decernebat;* quæ munia *nec communiter conferebantur, niſi Viris in ſuis Rebuſpublicis omnibus honoribus ſplendidiſſimè perfunctis.* Ex quibus verbis liquet quantis hæc ciuitas perfruebatur honoribus. De ea ſcripſêre Alph. Sap. *in General. Hiſt.* 4. *p. cap.* 3. Marin. Sicul. *de Reb. lib.* 2. Stephan. Garib. *lib.* 7. *c.* 14. & 54. *lib.* 8. *c.* 40. *lib.* 11. *c.* 17. *lib.* 12. *c.* 4. *lib.* 14. *c.* 23. *lib.* 16. *c.* 10. Moral. *lib.* 10. *c.* 51. & *in Antiqu. fol.* 53. Padilla *Hiſt. Eccleſ. Hiſp. Cent.* 5. *c.* 3. Medina de *Magnit. Hiſp. lib.* 2. *c.* 78. & alij plurimi quos refert Roder. Mend. de *Populat. Hiſp.* in Caſtella, *c.* 22. *fol.* 29. De eius Epiſcopatus Sedis erectione agemus die ſequenti, vbi eius Præſulum attexemus Catalogum.

Apud Complutum Senatus, instar Romani.

OCTAVO IDVS MARTII.

DIES VIII.

A. *S. Aſturius Serranus natus Villaſicæ in Carpetaniâ, Adoleſcens floret Toleti, eligitur Epiſcopus Toletanus, inuenit Corpora* SS. Iuſti, *&* Paſtoris *MM. Complutenſium, quibus officium ſcribit, templum fundat, Eccleſiam erigit vt Sedem, ibidem commoratur, donec bonis operibus plenus, diem clauſit extremum.*

B. *Celebris eſt Toleti memoria S. Iuliani eius Sedis Metropoliticæ Præſulis, qui ſcripſit Chronicon Regum VViſigothorum à Rege Athanarico, ad Eruigium, tandem ſanctitatis merito in pace quieuit.*

C. *Apud Hyrachenſe cœnobium in Regno Nauarræ, memoria celebris S. Veremundi ipſius Monaſterij Abbatis, & Conditoris, qui ea polluit charitate in pauperes & largitate, vt omnia in eorum vſus diffunderet; miraculis clarus obdormiuit in Domino.*

D. *Granatæ in Bætica depoſitio B. Ioannis Dei, Hoſpitalitatis Patriarchæ, qui tantam in pauperum curandis vlceribus exercuit charitatem, vt non ſolùm ipſius operas in his bonis operibus expenderet, ſed etiam Ordinis hoſpitalitatis alumnos inſtitueret, tandem clarus Miraculis, glorioſo fine, Chriſto Patri pauperum ſpiritum commendauit.*

NOTÆ.

A

Kalendaria. — *Scriptores.*

SANCTVS Aſturius Serranus. Eccleſia Ouetenſis, quæ ſanctiſſimum huius inclyti Confeſſoris retinet corpus, hoc die multis ab hinc annis eius veneratur feſtiuitatem, ex quo in eius tabulis annualibus, ſic: *VIII. Martij S. Iuliani, &* S. Serrani. Philipp. Ferrar. *in Catal. General. SS. fol.* 103. ſic: *Oueti in Hiſpania commemoratio* S. Serrani *Epiſcopi.* Licet in notula dicat: Cuius vrbis Epiſcopus fuerit non apparet. quid mirum? Noſtros, vt exter, nec nouit penates. Ipſius memoria apud noſtros vbique refulget. Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 370. & *Ann.* 380. & *Ann.* 396. 407. 423. & 414. S. Ildephonſ. *de Scriptor. Eccleſ. c.* 2. ſic: Aſturius *poſt Audentium in Toletana vrbe Sedis Metropolis, Prouinciæ Carthaginis, Pontifex ſucceſſor ebaluit, vir egregius, adſignans opera virtutum, plus exemplo viuendi, quam calamo ſcribentis.* Iulian. *in Chron. n.* 194. 201. 204. & 206. Luitprand. *in Chron. n.* 198. Franc. Piſ. *Hiſt. Tolet. lib.* 2. *c.* 14. Ambroſ. de Moral. *Hiſt. Hiſp. lib.* 11. *c.* 4. Vaſſ. *in Chron. ann.* 388. Padill. *Hiſt. Eccleſ. Hiſp. tom.* 1. *cent.* 5. *c.* 2. D. Thom. Tamay. *in Dypthic. Tolet. n.* 16. *fol.* 119. *col.* 2. P. Hieron. de la Higuer. *in eiſd. Dypth. n.* 15. P. Biu. & R. Caro *ad Dext. in locis citatis*, Illuſtriſſ. Epiſcopus Turiaſonenſ. *in Primat. Eccleſ. Tolet. tom.* 1. *p.* 1. *c.* 8. *fol.* 89. P. Marian. *Hiſt. Hiſp. lib.* 4. *c.* 21. Moral. *in libell. de tranſlat. SS. Iuſt. & Paſtor. fol.* 10. Didac. de Ainſa Yriart. *Hiſt. Oſcenſ. lib.* 2. *c.* 25. Loayſ. & P. Andr. Schot. *in Tabul. Epiſcop. Toletan.* Ægid. Gonçal. Dauil. *in Theatr. Ouetenſ. lib.* 2. *c.* 15. Ex quibus omnibus hoc ſeligo florarium.

ACTA S. FL. ASTVRII ANNVLLINI SERRANI Epiſcopi Toletani Confeſſoris, ex Variis.

Origo & Patria. — *Fit Lector.* — *Epiſcopus Toletanus.* — *Complutenſes Martyres inuenit.* — *Sedem Complutenſem erigit.* — *Eorum vitã ſcripſit.*

Flauius Aſturius Annullinus, Serranus, *nobiliſſimo genere apud* Villamſiccam *ab vrbe* Toletana *ſex milliaribus diſſitam, natus, poſt primos infantiæ flores* Toletum *ſtudiorum cauſa peruenit, & in Eccleſia vrbis ipſius conturbernali ſymbolo ſic adſcriptus, virtutis, & ingenij apices demonſtrauit, cuius pietatis, & doctrinæ ſpecimen* Audentius *Toletanus Pontifex circumſpiciens, adnuente Eccleſiæ Metropoliticæ cleri cœtu,* Aſturium *ad Lectoratus culmen ipſius efflagitantibus meritis euexit. Hinc nouo ornatus Serranus munere, nouos virtutum, & bonorum operum aggeres cumulabat, donec* Audentio *è viuis ſublato, à Clero, & Populo in Epiſcopum* Toletanum *auguratus, omnium animos lætitia compleuit. Hic & Sacerdotio beatus, & miraculo dignus, quia quibus iungeretur in cælo, eorum terreno reperire membra meruit in ſepulchro. Nam cùm Sedis ſuæ ſacerdotio fungeretur, diuina dicitur reuelatione commonitus,* Complutenſi *ſepultos municipio, quod ab vrbe eius fermè ſexageſimo milliario ſitum eſt,* Iuſtum, *&* Paſtorem *Dei Martyres perſcrutatus. Qui concitator adcurrens, quos, & tellus aggeris, & obliuio temporis preſſerat, in lucem, & gloriam terrenæ cognitionis prouehendos inuenit. Quibus repertis, poſt conſtructam in loco martyrij illuſtrem Eccleſiam, & ex viuis cordis lapidibus deuotione ſepulchrum, redire in Sedem Apoſtolicam vrbis Regiæ renuens, ſeruitute ſimul, & aſſiduitate Sanctorum innixus, ibidem Cathedralem Eccleſiam erigens, Primus ipſius voluit Pontifex vocitari. In huius ergo nouo Præſulatus honore vitam Sanctiſſimam agebat, taliter in Sanctorum Martyrum quæritandis imbibitus honoribus, vt extra hoc, nihil quod animum compleret inuenire profeſſus ſit. Et ideo in deſcribendis vita, & martyrio, & in componendis Miſſa, Hymnis & Antiphonis, temporis vitæ reliquum occupabat. Denique ad vitæ decurſum properans, à vita deſciuit,*

ſolatio

solatio plenus, quia corpus corporibus Martyrum associans, animam quoque eorum animas in aeternum comitaturam credere propalabat. Eius transitus ad Annum CCCCXXIV. *numeratur. In hoc vltimo vitae tempore nullus Sedem Toletanam ascendit, quousque* Sanctus Serranus *viuere desijt. Post, interueniente Hispaniarum ruina, eius corpus* Ouetum *delatum in Sancto sacello honorifice requiescit, & cultu debito* VIII. *Idus Martij honoratur.*

Compluti moritur.

Vt huius vitae epphrasim comprobemus, sciendum est, nomen sic à nostro Iuliano exponi, in *Chron. n.*201. Flauius (inquit) Asturius, Annullinus Serranus *floret opinione Sanctitatis. Hic inuentis corporibus Sanctorum Martyrum Puerorum Complutensium, composuit hymnos, & Missam in eorum gloriam.* De origine natali apud *Villasiccam.* Dextr. *in Chron. Ann.*370. sic: Asturius *natus in Carpetania* Villasiccae, *adolescentulus floret in* Ecclesia Toletana, *laude pietatis, & ingenij.* De Lectoratus prouectu, per *Audentium.* Idem Dext. *Ann.*380. sic: Asturius *cognomento* Serranus *fit Lector ab* Audentio *Toletano.* De successione post *Audentium* in Episcopatu, S. Ildephons. *d. c.* 2. sic: *Asturius post Audentium, in Toletana vrbe, Sedis Metropolis Prouinciae Carthaginis Pontifex successor obuenit.* Eadem Dext. *Ann.* 396. & Iulian. *n.* 194. sic: *S. Pontifici Audentio Toletano succedit* Asturius *cognomento* Serranus, *Imperatoris Petronij, familiaris, qui reperit corpora SS. Iusti, & Pastoris Martyrum Complutensium.* Item Luitprand. Moral. Mariana, Pisa, Padilla, & caeteri in Antiloquio relati. Qui etiam de inuentione Sacrorum pignorum *SS. Iusti*, & *Pastoris* vniuersali, & indiuiduo calamo scribunt, & Hugo Menardus in *Not. ad Reg. Concord. tom.* 2. *fol.* 748. De quo item in reditu ex vrbe Osca aliquot eorum exuuiarum vetus inscriptio, sic:

Nominis integri probatio.

Villasicca, Patria Sancti.

Succedit in Sede Audentio Toletano.

ASTVRIVS ARCHIEP. TOLET.
SANCTORVM CORPORVM
FELICISS. INVENTOR

De secessu *S. Serrani* apud *Complutum*, & de erectione *Ecclesiae Complutensis* in quo fuit Primus Episcopus, S. Ildephons. *d. c.* 2. sic: *Inde in Toleto fuit Sacerdos IX. & in* Compluto *agnoscitur Primus.* Iulian. in *Chron. d. n.* 194. sic: *Postea verò fuit Episcopus* Complutensis. Et *n.* 204. sic: *Nam* Asturius *post reintegrationem Episcopi iam intermissi*, Complutensis Primus, *nunquam deseruit corpora, à se diuinitus inuenta.* Omnia Dexter complectitur in Chron. *Ann.* 423. sic: *Asturius Toletanus corpora SS. Iusti, & Pastoris Martyrum intra moenia Complutensis vrbis prius translata, Basilicâ cohonestat, quorum memoria egesta terra penitus interciderat: & relicta Sede Toletana, scripsit manens Complutî, vitam, resque gestas, hymnum, & Officium SS. Martyrum interque Scriptores Pontifices numero IX. est, & Complutensis Primus.* Vt ex S. Ildephonso scribunt P. Biu. *ibid. n.* 7. *fol.* 444. Pisa, Tamayo, Moral. & alij. De translatione S. Corporis in excidio Hispaniae ad Ouetum, quo hodie in Camera sancta requiescunt. Luitprand. in Chronic. *Era.* 755. *n.* 198. sic: *Hoc anno Iulianus cognomento Vrbanus cum Principe Pelagio, aliisque ducibus Palatinis, Toleto in Asturias asportant arcam Sanctarum Reliquiarum, & corpora SS.* Iuliani, *& Compluto* Asturij, *cognomento* Serrani, *Sanctissimorum olim Episcoporum Toletanorum, metuentes ne captiuitate, per Sarracenos illa irreuerenter, & impiè tractarentur.* Eadem Iul. *in Chron. n.* 369. De quo adhuc hodie constat ex syngrapho à Capitulo Ouetensi peregrinis dati consueto, sic:

Compluti secedit.

Vocatur Episcopus Complutensis.

Eius Corpus Ouetum transfertur.

> *Vniuersis, & singulis Christi fidelibus, has praesentes literas inspecturis, notum facimus quòd Dominus sua mirabili potentia, &c. ad istam Sanctam Ecclesiam S.* Saluatoris, *Ciuitatis, quae dicitur* Ouetensis (attulit) *Complura etiam corpora*, &c. *Et corpora SS. Iuliani, &* Serrani *Pontificum.* In *quorum fidem, & testimonium Nos Decanus, & Capitulum Almae Ecclesiae* Ouetensis, *has literas exinde fieri fecimus.*

De Anno transitus Anno CCCCXXIV. Flau. Dext. *in Chron. eod. ann. n.* 7. sic: *Sancto* Asturio *cognomento* Serrano, *in bona senectute decedenti, in Ecclesia SS. Iusti, & Pastoris* Compluti *aedificata, sepultura datur.* cum quo transeunt P. Biu. *Annus mortis.*

fol. 444. *num.* 7. Roder. Caro. *fol.* 150. *col.* 2. *lit.* B. Tamayo, & Illuſtriſſ. Turiaſon. *vbi ſuprà.*

COMPLVTVM. De hoc Oppido aliqua congeſſimus die præcedenti, vbi CATALOGVM Præſulum illius ſedis à S. ASTVRIO erectæ, ob inuentionem pignorum SS. IVSTI, & PASTORIS Martyrum Complutenſium, hac die deſcribere promiſimus. Quem (vt Lectori faciamus ſatis) chronographicè damus.

CATALOGVS EPISCOPORVM
Complutenſium ex Varijs Rerum Hiſpanicarum Scriptoribus, & Concilijs excerptus.

I. S. ASTVRIVS Anaulinus Serranus, huius nominis I. Epiſcopus Complutenſis I. qui cùm Metropoliticam regeret Toletanam Eccleſiam, diuinitus admonitus Corpora SS. IVSTI & PASTORIS Martyrum apud Complutum inueniens, ibidem Epiſcopalem Cathedram erexit, quam dum viueret regens, ad gloriæ manſionem properauit æternæ, Anno Dom. CCCC. XXIV. 424.

II. AMPELLIVS huius nominis I. Epiſcopus Complutenſis II. qui interfuit cum aliis Patribus Concilio Cæſarauguſtano, præcipue in honorem B. MARIÆ Virginis, & Templi Cæſarauguſtani de COLVMNA collecto, vt inquit Iulian. *Aduerſ. num.* 474. *fol.* 110. Eius memoria ad Annum Dom. CCCC. LIV. 454.

III. BONITVS huius nominis I. Epiſcopus Complutenſis III. qui tempore Leouigildi Regis Gothorum cum aliis Epiſcopis exulauit ob fidem Catholicam, & apud Cæſarauguſtam quieuit, ad Annum Dom. D. LXXXI. vt inquit Maxim. *in Chron. Ann.* 581. 581.

IV. NOVELLVS huius nominis I. Epiſcopus Complutenſ. IV. cuius encomium multis explicat B. Ioannes Abbas Biclarenſis. Eius memoria ad Annum Dom. D. XC. 590.

V. PRÆSIDIVS huius nominis I. Epiſcopus Complutenſis V. interfuit Concilio Toletano apud Gundemarum, Anno Domini DC. X. 610.

VI. HILARIVS huius nominis I. Epiſcopus Complutenſis VI. interfuit Conciliis IV. V. VI. & VII. Toletanis. Eius memoria ad Annum Dom. DC. XLVI. 646.

VII. DAVILA huius nominis I. Epiſcopus Complutenſis VII. interfuit Toletanis Conciliis VIII. IX. & X. Eius memoria ad Annum Dom. DC. LVI. 656.

VIII. ACISCLVS huius nominis I. Epiſcopus Complutenſis VIII. interfuit XI. Concilio Toletano, Anno Dom. DC. LXXV. 675.

IX. GILDEMIRVS huius nominis I. Epiſcopus Complutenſis IX. pro quo interfuit *Agnibonius* Presbyter XII. Concilio Toletano Anno Dom. DC. LXXXI. 681.

X. AGRITIVS huius nominis I. Epiſcopus Complutenſis X. interfuit Conciliis XIII. & XIV. Toletanis. Eius memoria ad Annum Dom. DC. LXXXIV. 684.

XI. SPASSANDVS huius nominis I. Epiſcopus Complutenſis XI. interfuit Conciliis XV. & XVI. Toletanis, cuius tempore excidium ſuperuênit, Aggarenis victoribus, Hiſpaniæ. Eius memoria ad Ann. Dom. DCC. XX. 720.

Hiſpaniâ à Sarracenis captâ, eiúſque vrbibus deuaſtatis, vix erat Eccleſiis locus, nec Epiſcopis ſedes, adeoque illa à Paſtoribus viduata, & Præſules ab ouibus ſeparati, nec iſti Cathedram, nec illa Antiſtites agnoſcebant. Hinc Epiſcoporum calculus intermiſſus, ex quo eorum nomina decidère. Aliqua poſt Hiſpanicam ruinam inuenimus, illa damus.

XII. MATANVS

XII. Matanus huius nominis I. Episcopus Complutensis XII. interfuit Synodo Toletanæ, quâ Elipandus ipsius Sedis Episcopus à praua opinione Felicis Vrgelitani de Christi adoptione resipiscens, Summi Pontificis, & Ecclesiæ Romanæ determinationem amplectitur, Anno Dom. DCC.XCVI. 796.

XIII. Venerius huius nominis I. Episcopus Complutensis XIII. interfuit Synodo Toletanæ, quâ S. Eulogius Presbyter Cordubensis, post Martyr, Toletanæ Sedis eligitur Antistes, Anno Domini DCCC.LVIII. 858.

XIV. Geruntius huius nominis I. Episcopus Complutensis XIV. interfuit Concilio apud Toletum à Vincentio eius Episcopo, coacto, vbi de rebus grauissimis actum, Anno Domini M. VI. 1006.

XV. Paschasius huius nominis I. Episcopus Complutensis XV. interfuit Concilio Toletano sub Saluiato eius vrbis Episcopo, cui in Sede Metropolitica successit Anno Domini M. LV. Moritur Anno Domini M. LXXIX. 1079.

XVI. Petrus huius nominis I. Episcopus Complutensis XVI. Qui mortuo Paschasio Toletano, ad illam adscendit Sedem Metropoliticam, moritur ærumnis confectus; quo Episcoporum Complutensium series finitur, nam capta vrbe Toleto per Aldefonsum VI. Bernardus I. Archiepiscopus Toletanus Complutum è faucibus Sarracenorum :r e ns, Ecclesiæ Oppidum accessit Toletanæ. Moritur Petrus Anno Domini M. LXXXI. 1081.

Post hæc Arabes iterum Complutum inuasêre, & vrbem in eorum dominium subiecêre, donec ab Alfonso VII. Imperatore fuit Oppidum iterum restitutum, & Raymundo Archiepiscopo Toletano donatum, vt inquit Iulian. *Aduers. num.* 95. *fol.* 25.

S. Iulianus. Item fuit Archiepiscopus Toletanus, cuius memoria vrbis, & orbis terminos occupauit, cuius doctrina nostros, & exteros erudiuit, & cuius sanctitas, Conciliis, doctrinis, & ritibus Ecclesias Hispaniæ vniuersas illustrauit. De eo Vsuard. VI. die Martij, sic: *Ciuitate Toleto depositio* Iuliani *Episcopi, qui apud eiusdem loci accolas famosissimus habetur.* Maurolyc. eod. die, sic: *Toleti depositio* S. Iuliani *Episcopi multa fama apud Incolas.* M. R. sic: *Toleti in Hispania depositio* B. Iuliani *Episcopi, & Confessoris sanctitate, & doctrina celeberrimi.* Philipp Ferrar. in Topograph. SS. verb. Toletum fol. 125. col. 2. sic: *VIII. Martij.* Iulianus *Episcopus, S. Quirici successor. Anno Domini DCXL.* Idem in Catalog. General. SS. hoc die, sic: *Oueti depositio,* S. Iuliani *Episcopi.* * Eiusdem etiam meminêre peruetusta aliquot Hispaniæ Breuiaria, Toletanum Mixti-Arabicum, & aliud de Ann. 1505. sex capparum, cum titulo: *VIII. Martij.* Iuliani *Archiepiscopi Confessoris, & Doctoris VI. Cappar.* Nouum de Anno 1638. sic: *VIII. Martij* Iuliani *Archiepiscopi Toletani, & Confessoris. Duplex maius.* Zamorense, sic: in Kalend. & Sanctoral. *Pridie Non. Martij.* Iuliani *Archiepiscopi Toletani. IX Lectionum* Carthaginense, in Kalend. sic: *VI. Martij* Iuliani *Archiepiscopi Toletani Confessoris, & Doctoris. Semiduplex, sine lectione.* Ouetense eadem ad *VIII. Martij.* Ipsius adest memoria inter Scriptores Ecclesiasticos, licet aliqui horum compilatores, nostrum cum *Iuliano Pomerio* confundant, de quo inferius agemus, Felix. Tolet. *in continuatione, seu Appendice* ipsius *Iuliani* ad librum de Scriptor. Eccles. S. Ildephonsi. Trithem. Spanhemiens. *de Scriptor. Eccles. fol.* 233. Francofurt. 1601. Robert. Bellarm. *sæcul.* 6. *de eod. tract. fol.* 175. Colon. Agrippin. 1631. Ausbert. Myr. *in schol. ad Felicem Tolet. fol.* 101. Ex nostris Chron. Luitprand. *in Chron. num.* 115. 136. 143. 148. 149. & 150. 361. & 366. Iulian. Archipresb. Toletan. *in Chron. num.* 154. 355. 359. 360. 361. Isidor. Pacens. *in Chron. Era* 728. & 729. Roder. Archiep. Tolet. *Hist. lib.* 3. *cap.* 13. Valer. Histor. *lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 5. Moral. *lib.* 13. *cap.* 38. Samps. Abbas. *in Apologet. contra Hostigess. Malacitan.* Mariet. *Hist. Sanct. Hispan lib.* 5. *cap.* 55. P. Fruxill. *in Thes. Concionat. tom.* 2. *hoc die fol.* 678. Pisa. *Hist. Tolet lib.* 2. *cap.* 24. Vasseo *in Chron. Ann.* 685. Luc. Tudens. *Era* 828. Marian. *lib.* 6. *cap.* 18. Padill. *Hist. Eccles. Hisp. tom.* 2 *cent.* 7. *à cap.* 56. *vsque ad cap.* 66.

Marginalia (left): *Martyrologia.* — *Breuiaria.* — *Scriptores.* — *Chronologi.* — *Mart. Hisp. Martij.*

Marginalia (right): B. — * Martyrol. Bened. h. d. sic: *Toleti in Hispania depositio* S. Iuliani *Episcopi & Confessoris, sanctitate, & doctrina celeberrimi.* Vbi Hug. Menard. *lib. 1. obseruat. fol.* 206.

cap.66. Blas. Ortiz *in Descript. Templ. Tolet. cap.* 15. Magist. Sententiar. *in 4. distinct.* 44. P. Andr. Schot. *in Bibliot. Hispan. tom. 2. cap. 1. fol.* 181. & 184. Tarraph. *de Reg. Hispan. in Egica Ann.* 693. D. Thom. Tamayo de Varg. *in desension. Descens. V. M. fol.* 23. & in *Veritat. Dextri. in Dypthic. Præsul. Toletan. num.* 43. *fol.* 124. *col.* 2. Illustriss. Episcopus Turiason. *de Primatu Eccles. Tolet. tom. 1. p. 2. c. 1. §. 9. & §. 21. in fin. fol.* 512. Ex quibus resceissis apocryphis vitæ consarcino simile elogium.

ACTA S. IVLIANI EPISCOPI *Toletani ex varijs Scriptoribus, & MS.*

Patria.

IVLIANVS *Vrbis Regiæ* Toletanæ *Ciuis extitit proprius, atque in eiusdem vrbis* Patriarchali Ecclesia *sacrosancti Baptismatis fluentis est lotus, illicque ab ipsis rudimentis infantiæ nutritus. Denique dum ad puerilis formæ deuenisset ætatem, sanctæ memoriæ Collegæ sui* Gudilanis *Leuitæ, ita sociali vinculo est innexus, & indiuiduæ charitatis vnione coniunctus, vt, & ambos inuiolabilis affectio vnum esse ostenderet, & vnitas in ambobus præfixa non duas animas, sed vnam his inesse monstraret. Tanta itaque erat inter eos adepta vnanimitatis communio, vt secundum Actuum Apostolorum historiam, in duobus corporibus, vnum cor tantùm putaretur, & animæ vna. Sistebant quippe in consilio prouidi, in diffinitione vni, in laudabili operatione concordes, quippe, diuino afflante Spiritu, theoricæ, id est, contemplatiuæ quietis delectati sunt perfrui bono, & monasticæ institutionis constringi repagulo.* Sed *quia aliter in superni Numinis fuit iudicio, eorum est nihilominus frustrata deuotio. Quamquam tamen minimè peregissent desiderati itineris cursum, non tamen desierunt à pia deuotionis studio. Et dum sibi mallent tantùm prodesse profugi, cœperunt postmodùm proximorum saluti votis gliscentibus incumbere. Erant enim in subditis docendis operosæ virtutis, in profectu eorum desiderabiles, in seruitute Dei seruentes, in desiderio decoris Domus Dei strenui, in seniorum obcdientia præsti, atque si fieri posset, vt omnium emolumentum obtinerent virtutum, animis feruentioribus studebant. Interea* Iuliani *meritis deposcentibus doctrina* Archidiaconatum *Toletanæ arripuit Ecclesiæ, quã* S. Ildephonsi, *& antea* Eugenij *disciplinam meruit ebibere, donec* Ildephonso *è viuis sublato, illud sepulchro carmen superius in vita eiusdem descriptum pio affectionis grauauit vocabulo.*

Ad puerulo amicitia cũ Gudilane.

Vtriusque concordia.

Desiderium Monasticæ vitæ.

Virtutes.

Archidiaconus fit Toletanus.

Sed diuinorum iudiciorum dispensatione, sanctæ recordationis Gudila *Diaconus, funesta mortis euentu* V I. *Idus Septembris, Anno* V I I I. *VVambanis Principis, sub digna confessione Dei, clausit supremum curriculum. Cuius corpusculum in Monasterio* S. Felicis, *quod est* Cabensi *in Villa dedicatum dilectissimi Socij sui exhibitione, honorificè requiescit humatum, cui fecit* S. Iulianus *hoc sepulchrale carmen.*

Moritur S. Gudila.

Carmen sepulchrale hoc composuit.

Gloria Toleti iacet hac sub mole sepultus
Gudila, pars animi, dimidiúmque mei.
Qui senis à tenera mores ætate tenebat,
Cui, nisi simplicitas, nil iuuenile fuit.
Spiritus in sacro residebat pectore Christi,
Exprimit hunc totum, moribus, ore, manu.
Pauperibus cibus est, viduis solamen, vt ægris
Grata salus, miseris omnibus vnus erat.
Mercaris meritis multis, bone Gudila *cœlum;*
Nos desiderium lancinat vsque tui.

Mœrentésque

Mœrentésque vocamus eum, quem sustulit æther;
Prosequimúrque pijs funera lachrymulis.
Non violas, tenerásque rosas, non lilia cana
Spargimus ad tumulum, sed bona vota, tuum.
Nos ergo è superâ prospecta candidus arce;
Téque Amor, & moueat, Gudila, *cura mei.*
Mœnibus à Patrijs morbos auerte, famémque
Hostiléſque minas, dogmata falsa, dolos.
Toleti ne temne preces, comitísque rogatus,
Qui tibi dat Carmen sat Iulianus amans:
Ossáque Felicis tua sacrâ condit in Æde,
Cuius mens superis est sociata choris.

Post Gudilæ itaque decessum, cùm Eruigius *(VVambano è regno sublato) à Palatinis Rex eligeretur, eius coronationem, & inunctionem perfecit* Iulianus, *vt Archidiaconus Toletanus, propter* Quirici *Sanctissimi Præsulis Toletani absentiam. Qui vt creditur post VVambam abiecto Pontificatu propter tyrannicam Eruigij machinationem, Monasterium ingressus, ibi eum Rege depulso vitam laudabiliter egit. Quem etiam postea sequitur* VVamba *post* VII. *annos, ad cuius tumulum* S. Iulianus *hoc adiecit Carmen.* *Inungit, & coronat Eruigium Regem.*

Vuamba priùs, qui Petrus eras, Missæque minister, *Hoc scripsit Carmen sepulchrale Vuambæ.*
Rex Gothicæ gentis relligione micas.
Sponte tua non affectas Regale cacumen,
Sed subis Imperij grande coactus onus.
Spes tua, conatúsque tuus, virtute Potentis
Fretus, inauditas res operatus ades.
Nulla perinde tali res gratior vsque quiete est:
Cœnobium gaudens, post sacra sceptra, petis.
Septem ibi perpetuos Monachus bene præteris annos,
Oblatâ inde polos morte Beatus adis.
Felix Vuamba tuâ censêris sorte fuisse:
Tam benè qui calcat sceptra, per astra volet.
Septem sceptra tuæ gentis moderaris in annos,
Quæ finis haud morbi mole, sed ipse libens.

Igitur Iulianus *in sui Archipresbyterij munere suauem bonorum operum odorem spirans,* Sancti Quirici *gloriosam in Domino mortem agnoscens, vt in sui amoris raptus memoriam, & in Sancti Præsulis imbibitus doctrinam, hoc illi carmine lusit, imò planxit sepulchrali; quo eius natiuitas, status, dignitas, doctrina, laus, & mortis forma retexitur.*

A Domino, qui nomen habes pie, voce Quirice *Posuit hoc Carmen sepulchrale S. Quirico.*
Et Monachus, Præsul Barchinonensis, aue.
Agaltensis eras quondam sanctissimus Abbas,
Barchino te multùm Præsule gaudet ouans.
Te Toletano pietas præfecit ouili;
Diuisas sedes Præsul amánsque vides.

Nil vno melius fuit, aut te ſanctius vno:
Et dementato Rege dolens moreris.
Te ſocium lætis Leocadia *ſuſcipit vlnis,*
Corpus humo, mentem læta ſub alta locans.
Gaude ſorte tua, Præſul venerande Quirice
Sic Dominus terris es, Dominúſque polo.

Epiſcopus Toletanus inauguratur.

Ad ſuperos ergo eleuato Quirico, *idem egregius* Iulianus *Regiæ vrbis eſt nactus primatum, tantò laudis titulo prædicandus quantò diuerſarum virtutum ope ſuffultus, & in Eccleſia* B. Mariæ *Toletanæ Maioris (factus iam Presbyter) præſentibus omnibus ſuæ XIX. Metropolis Epiſcopis, Palatinis, & Rege Eruigio, honorificè conſecratur, qui poſtmodùm, mirificè ſuis compoſuit temporibus Eccleſiam Dei. Quinimò ex quo tempore clareſcere cæperit, lubet iam teſtamine piæ relationis pandere.*

Poſt deceſſoris ſui obitum, diuinæ memoriæ Ildephonſi, *à decimoſeptimo fermè anno* Receſuindi *Principis, nec non, & per omne* VVambanis *imperij tempus, vſque ad tertium regni glorioſiſſimi* Egicanis *Regis annum, in Leuitici, Presbyterij, ac Pontificatus honore conſiſtens, celebre nomen obtinuit. Indixit, & perfecit quatuor Concilia apud Toletum* XII. XIII. XIV. & XV. *Fuit vir timore Domini plenus, prudentia ſummus, conſilio cautus, diſcretionis bono præcipuus, eleemoſynis nimium deditus, in ſuffectu oppreſſorum deuotus, in releuatione miſerorum promptiſſimus, in interueniendo diſcretus, in negocijs dirimendis ſtrenuus, in prouidendis ſtudijs æquus, in ſententia parcus, in vindicatione iuſtitiæ ſingularis, in diſceptatione laudabilis, in oratione iugis, in diuinarum laudum exſolutione mirabilis. Quòd ſi forſan in diuinis officijs, quidquam, vt ſolet, difficultatis occurreret, ad corrigendum facillimus, pro ſacris luminibus vehementer admonitus, in defenſione omnium Eccleſiarum eximius, in regendis ſubditis peruigil, in comprimendis ſuperbis erectus, in ſuſtentatione humilium apparatus, debita autoritate munificus, amplectenda humilitatis bono opimus, ac generaliter vniuerſa morum probitate conſpicuus: ita pietate affluens, vt non eſſet cui in anguſtijs conſtituto non ſubuenire vellet. Sic denique ſe Deo charum maluit exhibere in omnibus, & præſtabilem hominibus cunctis oſtendere, vt, & illi vſquequaque placeret, & iſtis propter Deum (ſi fieri poteſt) deuota ſatisfaceret mente. Præſulatus autem honorem, & ſacerdotij dignitatem annis X. obtinuit, Menſe* vno, *diebus* ſeptem, *quique etiam ineuitabilis mortis præuentus occaſu, Anno tertio* Egicanis *Principis* Pridie Non. Martij *Era* DCCXXVIII. *Chriſti* DCXC. *anno, diem vitæ clauſit extremum, ac ſic in Baſilica glorioſiſſima* Leocadiæ *Virginis ſorte ſepulchrali eſt tumulatus. Cui* Felix eius *ſucceſſor hoc in lapide tumuli epicedium incidi curauit.*

IV. Concilia Toleti congregat.

Mores S. Iuliani.

Tempus Præſulatus.

Moritur.

Epitaphiũ.

Aſſequeris Sanctum in Cathedra Iuliane *Quiricum*
Optimus in vita, clarus in eloquio.
Vita decens, & larga manus, & cura fidelis,
Et catus Zelus, iudiciique iubar,
Fecit, vt Hiſpanæ Genti ſat amabilis eſſes,
Ordinibus cunctis, plebibus, atque viris.
Deſeris, heu ſolium! Sed te Deus intulit aſtris;
Et tua ſat tanto vita beanda loco.
Inter Apoſtolicos reſides, Iuliane, maniplos,
Robur Apoſtolicum conficis, atque decus.

Leuita Alme tui Pastor memorare, tuisque
Diuinam precibus demereatur opem.
En tua membra damus tumulo : Leucadia *ciuis*
Corporis est custos : hîc sua cuna fuit.

Obijt in pace Sanctißimus Pontifex Toleti Iulianus, *pridie Non. Mart. Sedit in Patriarchali Solio Annos X. Menses II. Dies IX. decesßitque gloriosi Regis Egicanis Anno V. Era DCCXXVIII.* Felix *Leuita, qui successit in eadem Sede.*

Tria Dubia soluuntur.

En Lector *S. Iuliani* vitæ ecphrasim, in qua de *Tribus*, quæ communiter circumferuntur, sedulus percontaris. I. *quia non dixi* Pomerius. II. *vt quid reticui* Maurus, *aut* Iudæus. III. *&* vltimo, *quo titulo cucullum* S. Benedicti *exuit.* De primo, tria tempora attendenda sunt, & in ipsis tres Scriptorum Ordines. Primum tempus erit, quo Hispania nondum à procella Arabum fuerat oppressa, & postea, per aliquot illius splendoris annos. Secundum, post Hispaniæ excidium, quo iam lux veritatis, Arabum commixtione, defecerat. Tertium, nostrum, quo fulgor antiquorum Patrum rediuiuus exultat. In primo *Felix*, qui vitam, & acta *S. Iuliani* recenset testis oculatus, nihil de *Pomerio*, nec *Luitprandus*, aut *Iulianus Petri*, qui gurgites puri Historiarum fontis ebullientes simpliciter ebiberunt, in suis Chronicis Nostrum Iulianum cognomine Pomerium edixerunt. Successit Secundum tempus post turbatum gurgitis Chroniei riuulum, & huius temporis Scriptores audito *Iuliani Pomerij* nomine (qui & futuri sæculi Prognosticum scripserat) illicò nostrum *Iulianum* Sanctissimum Episcopum Toletanum, cum illo *Gallico*, & *Presbytero*, aut diacono confundunt; non attendentes quòd ille *Pomerius* erat in viuis anno Domini CCCCL. Noster pertingit ad annum DCXC. inter quos CCXL. annorum terminus intercessit. Ideóque mediæ illius ætatis Scriptores tam nostri, quàm exteri, aut nubilo analogici nominis, aut confusione librorum ab vtroque *Iuliano* editorum, obcæcati, in hunc vnus post alium *Insequitur*, *trepidique pedem pede feruidus vrget.* Hos in Labyrintho Minotaurico inclusos, Thesei stamen nostri æui ex ignorantiæ ergastulo soluit errantes, vt ex Baron. *in Not. ad Martyrol. hoc die*, Vasse. *in Chron. Ann.* 685. Bellarm. *secul.6. fol.*175. D. Thom. Tam. & aliis supra relatis liquet, quo, dubio nec amplius dabitur locus. Eadem ad *Secundum* quæsitum dicenda sunt, nam qui nostrum *S. Iulianum* fecere *Pomerium*, à fortiori & *Maurum*, aut *Iudæum* facere debuerunt; cum constet, quòd illum ex hac, vel illa origine natum asseuerant illius *Pomerij* Scriptores. Cui dubio affatim respondet D. Thom. Tamay. *in Verit. Dextri. in Dypthic. d. fol.*125. Ad Tertium. *Arnald. VVion*, & post eum *Menardus* hoc commentum finxêre, cùm nullus sit Scriptor in his temporum interstitiis, qui Monachali cucullo indutum conspexerit, aut scripserit *Iulianum*, quin potius P. Anton. de Yepes *in Chron. Benedictino. tom.*2. *Cent.*3. *Ann.* 684. *c.*1. *fol.*340. *col.*1. asserit, nulliter *S. Iulianum* monasticam regulam subiisse. Ex quo omnibus satisfactionis modulos adimplere curauimus, omnibusque iudico satisfactum iri.

I. An idem, ac Pomerius.

II. An Maurus, aut Iudæus?

III. An Monachus?

Fuit Discipulus SS. Eugenij, & Ildephonsi.

De aliquibus in huius vitæ *Iuliani* ecphrasi, discutiendum est. Et primò inuestigandum est, *an fuerit SS. Eugenij, & Ildephonsi discipulus*, cùm hoc nec dicat *Felix* eius actionum præco. De Eugenij discipulatu agit D. Thom. Tam. *supra fol.*124 *col.*2. De S. Ildephonsi, Luiprand. *in Chron. num.* 115. sic : *Iulianus eius discipulus* (loquitur de obitu S. Ildephonsi) *& Archidiaconus, hæc illi carmina sepulchralia condidit, & poni fecit.* Secundò de consecratione, & inunctione Eruigij Regis? De quo Luitprand. *in Chron. num.* 134. hisce verbis : *Sequenti die feria II. XV. Mensis Octobris votis omnium Palatinorum Eruigius (qui dato poculo, dicitur Regem dementasse) Rex eligitur. Differtur coronatio, & inunctio in sequentem Dominicam diem; quam (vt aliqui volunt) Archipresbyter, vel Archidiaconus* Iulianus (*nam ægrotauerat Quiricus Archiepiscopus Toletanus*) *fecit.* Tertiò, de electione & consecratione Luitprand. num. 136. sic : *Hoc anno Kal. Ianuarij VIII. in æde S. Mariæ Toletana Ma-*

ioris

iorū S. Iulianus *iam factus Presbiter præsentibus omnibus sua nouendecim Metropolis Episcopis, Palatinis, & Flauio Eruigio Rege, consecratur.* De Conciliis indictis, & perfectis, notum est, vt ex illis patet.

Operā S. Iuliani confusa cum operibus Pomerij. De Operibus ab ipso editis, cùm inter nostrum, & alium Pomerium confusio illa (quam diximus,) nata sit, ideo in ipsis adest librorum inuolucrum. At *Felicis* ipsius successoris vestigia sectabimus, qui eius oculatim opera cognouit, Cuius verba in formam Catalogi demptis superfluis compingemus.

CATALOGVS OPERVM A S. IVLIANO Archiepiscopo Toletano editorum, à Felice eius Successore conscriptus.

I. Librum Prognosticorum futuri sæculi, ad Idalium Episcopum directum, tribus libris discretum, composuit. In primo agit de Origine mortis humanæ. In Secundo, de animabus defunctorum, quomodo se habeant ante suorum corporum resurrectionem. In tertio, de suprema corporum resurrectione. qui extat in Bibliothec. SS. Patr. *tom.* 9. *edit.* 1.

II. Item scripsit librum Responsoriorum, ad ipsum Episcopum directum, in defensionem Canonum, & Legum, quibus prohibentur Christiana mancipia Dominis infidelibus deseruire.

III. Item Apologeticum Fidei, quod Benedicto Romanæ vrbis Papæ directum est. Deque est mentio apud Roder. Archiep. Tolet. *lib.* 3. *cap.* 14. sic. S. Iulianus *veridicis testimoniis in hoc Concilio* (XV. Toletano) *ad exactionem Principis, per oracula eorum Romam transmiserat, verum esse affirmauit, & Apologeticum fecit, & Romam misit per suos Legatos.*

IV. Item aliud Apologeticum de tribus Capitulis, de quibus Romanæ vrbis Præsul, frustra visus est dubitasse; hunc fuisse *Sergium Papam* scribit Iulianus Petri *in Chron. n.* 361. sic: S. Iulianus *mittit* Apologeticum *cum expositionibus ad Papam* Sergium, *& Carmina ad Imperatorem Heraclium Iustinianum in laudem ipsius; respondent illi eleganti epistola.* Et quia hæc carmina, fœtus ingenij nostri *Iuliani* fuisse perhibetur, ea, & quæ Pontifici misit cum Apologetico, transcribam.

P. S. SERGIO, IVLIANVS TOLET.

AD Te mitto libens codicem, sanctissime Sergi,
Qui regis innumeras, & moderaris oues.
Inclyta persuasit nos laudum fama tuarum,
Quod bonus, & Clemens sis, pietatis amans.
Pectore, voce refers, viuendique ordine Christum,
Cuius, & in terris fungeris officio.
Viue diù nobis, & mundo, candide Sergi,
Cui Iulianus *ouans, oscula dat pedibus.*
Accipe clementi, Sergi *sanctissime, vultu*
Scripta mea, excubias corrige, Papa, *meas.*
Perlege quodcumque est, quod epistola nostra docebit,
Atque animo exiles curre labente notas.
Est censura Dei tua, quidquid dixeris ipse,
Hoc Deus in cælo duxerit esse ratum.
A Domino Christo summa est concessa potestas,

Claudere,

Claudere, qui cœlos, & reserare vales.
Ergo Pater Sergi, *paruo benedicito fratri,*
Vt fluat in nostrum gratia larga caput.
Regis Egicani, *Populi memorare fidelis,*
Pontificum benedic plebibus inde tuis.
Rore tuo vernabit ager Hispanus *abundè*
Catholicámque colet tempus in omne fidem.
Quam fera tempestas Phlegetontis turbine nulla.
Auferet ex linguis, pectoribúsque piis.
Hei mihi quàm timeo ne nos malus implicet error,
Demur & infandis Gentibus opprobrio.
Africa plena viris bellacibus arma minatur,
Inque dies victrix gens Agarena furit.
Ne meus iste metus sit verus, vindice Christo,
Ora pro populis, optime Papa, tuis.
Vt Deus auertat nostra à ceruice Securim
Détque piis veniam, te lachrymante, reis.

Legit S. Pontifex Apologeticum, approbauit, & aliis legendum dedit, & actis gratiis, de labore & pietate, remisit cum reliquiis, & sua benedictione Nuntios. Carmina ad Imperatorem sequuntur sic:

IVSTINIANO IMP. IVLIANVS TOLET.

Latiùs Imperij maiestas præterit orbem,
Si pietas adsit, peruolat astra super.
Cæsaris ensis enim debet defendere Sedem
Immotam Petri, cui Deus ipse præest.
A quo suscepit vires titulíque cacumen,
Nonne illi, O Cæsar, ferre decebit opem?
Romani decus Imperij iuga Regibus infert:
Illud agit populos, Gentibus illud adest.
Iustiniane *tua frangatur robore dextra*
Barbarus omnis iners, perfidus omnis homo.
Cæsare te, celebres portet noua Roma triumphos
Nomen & inuideat nobile Roma vetus.
Cæsare te referat virides Ecclesia lauros,
Portet ab hæretica conditione decus.
Et Monothelitæ subdant colla impia, Papæ
Pastor sancte tibi, clauigeróque Petro.
Vincat, & æternâ Sedes sacra pace fruatur,
Cæsare te teneat Iustiniane *Solum.*
Viue diù Cæsar, quæ dat Benedictus, adora
Iussa libens, felix sic quoque Cæsar eris.

Summa quæ in hiſce Apologeticis libris continebatur, deprehenditur ex Conciliis XIV. & XV. in illo *Can.4.* in iſto totus Apologeticus libellus ſummariè ſubiicitur, ex §. *Poſt huius igitur piæ Confeſſionis.* vſque ad finem. Quod & in Not. illuſtrauit Illuſtriſſ. D. Garſ. de Loayſa *à fol.681. vſque ad 685.*

V. Item libellum concinnauit de remediis blaſphemiæ cum Epiſtola ad Adrianum Abbatem, de quo non eſt memoria apud Scriptores neothericos.

VI. Item Librum de Sextæ ætatis comprobatione, qui habet in capite Orationem, & Epiſtolam ad Dominum Eruigium Regem. Is tribus libris diſcernitur, quorùm materias deſcribit Felix.

VII. Item librum carminum diuerſorum, in quo Hymni, Epitaphia, atque de diuerſis cauſis epigrammata numeroſa. Hunc ſe vidiſſe, & aliqua extraxiſſe fatetur P. Hieronymus Roman dela Higuera S. I. vt *ex notulis ad Luitprandum* apparet.

VIII. Item librum plurimarum Epiſtolarum: adhuc in abſcondito.

IX. Item librum Sermonum, in quo eſt opuſculum modicum de vindicatione domus Dei, & eorum qui ad eam confugiunt: nondum typis datum.

X. Item librum de Contrariis, quem Græcè Ἀντιχείμενον voluit titulo adnotari, qui duobus diuiſus libris, primus diſertiones continet veteris Teſtamenti, ſecundus nòui. Hunc Ioannes Braſſicanus ex codice M S. Budenſi, anno 1530. Baſileæ, & Henricus Sachſius ex M S. Fuldenſi 1532. Coloniæ Agrippinæ ediderunt anonymum, hoc titulo Ἀντιχείμενον, hoc eſt: *Contrapoſitorum, ſiue contrariorum in ſpeciem locorum vtriuſque teſtamenti libros duos.* Hunc fœtum ſuo Parenti *S. Iuliano* Epiſcopo Toletano, *Andreas Schotus* reſtituit, & *tomo 15. Bibliotheca* Patrum editionis Colonienſis 1622. publicauit.

XI. Item librum hiſtoriæ de eo quod VVambæ Principis tempore in Galliis extitit geſtum. Hunc Andreas Quercetanus *tom.1. Scriptor. Hiſtor. Franciæ* ex veteri Codice M S. Moiſſiacenſi anno 1638. Lutetiæ publicauit.

XII. Item librum Sententiarum ex decade Pſalmorum B. Auguſtini, breuiter ſummatimque collectum.

XIII. Item excerpta de libris S. Auguſtini contra Iulianum hæreticum collecta: nondum excuſa.

XIV. Item libellum de diuinis iudiciis, ex ſacris voluminibus collectum, cuius in principio eſt Epiſtola ad Dominum Eruigium. qui adhuc nec lucem vidit.

XV. Item librum Reſponſionum contra eos, qui confugientes ad Eccleſiam perſequuntur, vſque nunc in obſcuro eſt.

XVI. Item librum Miſſarum de toto circulo anni, in quatuor partes diuiſum, in quibus aliquas vetuſtatis incuria vitiatas, ac ſemiplenas, emendauit,atque compleuit, aliquas verò ex toto compoſuit.

XVII. Item librum Orationum de feſtiuitatibus, quas Toletana Eccleſia per totum circulum anni eſt ſolita celebrare.

XVIII. Item Hiſtoriam, ſeu continuationem Hiſtoriæ Regum VViſigothorum,ab Athanarico ad Eruigium,vt conſtat ex Iulian.Petr.*in Chron.n.359.* Luitprand. *in Chron. n.151.*

XIX. Item ſcripſit tres libros, aduerſus Iudæos, vt refert P. Bellarmin. *de Scriptorib. Eccleſiaſticis. ſæcul.6. fol.175.* quos extare in Biblioth. SS. Patr. *tom.4. edit. 2. fatetur.*

Quidquid ergo extra ſupra relata volumina noſtro Sanctiſſimo Pontifici attributa conſpexerit, ſubreptitia, & commentitia eſſe dignoſcat Lector, & ſic librum de *Sancta Virginitate*; de *Reſurrectione*; De *Vitiis, & virtutibus*; de *natura animæ*; de *Contemptu mundi*; De *Naſcentis fide Eccleſiæ*, quos retulit Ioann. Trithem. noſtro Sanctiſſimo Doctori, ipſique

que tribuit, non suos, sed *Pomerij*, aut alterius fuisse credendum est.

TOLETVM. De Imperiali vrbe plura à Nobis dicta sunt, tam in primo quàm in hoc Tomo 2. Aliò prolixiùs eius Antiquitates assuemus, interim hæc carpe carmina Henrrici Coqui in sua *Hispania Heroic. vers.* 184. agens de vrbibus.

Multas Marte graues Hispania continet Vrbes:
TOLETVM *caput & Sedes Primaria Regum,*
Nobilitata nimis Gothorum sanguine quondam,
Quamuis cum Brauo, aut Burgi de nomine certet.

Sed hoc, commentum: Dissident Burgis, & Toletum in Curiis non alibi ideo hæc sic intelligere quibis.

S. Veremundus.] Memoria eius, licet in benedictione sit, & spiritus eius in gloria sanctorum, nomen adeò in veneratione cordium est, vt de illo nostra Hispaniæ festum concelebret Ecclesia hoc die, apud Martyrol. Benedict. sic: *in Regno Nauarra* B. Veremundi *Abbatis*, & ibidem Hugo Menard. *lib. 2. obseruat. fol.* 504. Arnaid. Oihenart. in *Not. Vtriusque Vascon. lib. 2. cap. 3 fol. 97.* sic; *Beati* Veremundi *sui alumni, atque Abbatis* (loquitur de Monasterio Hyrachensi) *cuius pietas regnantibus Sanctio Ramiresio, eiusque filio Petro in Nauarra, enituit, sanctitate magnopere illustratum est.* P. F Anton de Yep. *in Chron. Benedict. tom. 3. cent. 4. Ann.* 815. *cap. 1. fol.* 369. Ex quibus, & ex aliis Breuiariis, & codicibus MS. eius vitæ cumulum compaginabo. C.

ACTA S. VEREMVNDI ABBATIS ex Breuiarijs antiquis, & Codicibus MSS.

Veremundus *ex nobilibus fuit parentibus in Regno* Nauarræ *oriundus, apud* Hyrachense *tunc temporis oppidum commorantibus, alij ex* Arellano *(vbi & domus, & in ipsa cubiculum natiuitatis ipsius, deuotionis affectus commonstrat) alij ex* Villatorta *vicis, tribus milliaribus à cœnobio, &* Stella *vrbe dissitis, originem trahere disceptantes. Hic post prima vitæ teneræ folia, cum iam de germinandis adolescentiæ nouis floribus festinata curasset, à* Munio *Veremundi patruo* Hyrachensis *cœnobij Abbate, S. Benedicti cucullum recepit. Ex tunc magna virtutis, probitatisque signa dedit, & tanquam vas à Spiritu sancto electus in omnibus, & singulis mortificationis operibus se exercens, ad supremum illum perfectionis apicem properabat. Obseruator regulæ, parcus cibi, & strenuus in loricatis cilicijs miles monachus apparebat. Orationem & lectionem (celeres pennæ quibus ad sanctorum consortium facilè deuenitur) continuis vigilijs addebat. Tot iam virtutis, sanctitatis, & exempli speciminibus enitebat, vt (è viuis sublato* Munio *cœnobij Abbate, & eius Patre, & Patruo) illicò ad S.* Mariæ Hyrachensis *Monasterij prælaturam omnium suffragijs euectus fuerit. Militia spiritualis ad instar sæcularis monetur: in hac nullus ad culmen perfecti peruenit Ducis, ni militis regulas, maiorum leges, & artis decreta sectator sedulus adimpleuerit; in illa quis ad inaccessibile Prælaturæ culmen monachus oscitanter adscendit? quis prouidus Abbas debuit, virtutum tyrocinio deficiente ad amussim in monachismo vocitari? In* Veremundo *quidquid adolescentia indigitauit, quidquid spes promisit, hæc omnia virtus perfecit, postquam in Abbatiatus munere consedit. Hic quantum in subditos exemplum, quantus in verbo, & opere amor, quantus in diuino cultu zelus, quanta in proximorum salute charitas fuerit, nemo est, qui ignoret. Stupenda per ipsum (aiunt quædam* B. Veremundi *MS. scheda) operatus est Dominus, ex quibus vnum tantùm, & propter rei magnitudinem, & testium multitudinem referendum censui: Contigit illis temporibus, vt ingens fames totum Nauarræ Regnum depopularetur, quâ miserabili plaga coacti multi ad Sanctum Virum eleemosynam petituri, confluebant. Ingrauescente verò in dies fame, multitudo*

Origo.

Traditur educandus Munnioni Abbati Hyrachensi. Cucullum induit. Virtutes.

Præficitur Abbas.

Mores.

Miraculū notâ dignum.

ad circiter tria millia hominum conuênit; verùm cùm domi non eſſet, vnde tanta multitudo reficeretur (non enim redierant famuli, qui extra Prouinciam cibos empturi iuſſu Abbatis abierant) ingens clamor, & vlulatus oritur: nam fame confectis, vix erant vires quòquam eundi; quare periclitandum erat, niſi à Patre eis ſubueniretur: Ad quod miſerandum ſpectaculum vehementer dolens, acceſſit ad altare peracturus ſacra: & ecce dum ad illum locum deuentum eſſet, in quo Sacerdos orat pro populo, & lachrymabiliter auxilium à Domino poſtularet, Columba alba de cœlo deſcendens, ſuper ſingulorum capita, quaſi illos tangens volitabat, atque mox cunctis videntibus ad cœlum aſcendit: tantumque virium poſt hoc vnuſquiſque ſenſit in ſe, tantamque ſaturitatem, ac ſi ſplendidiſſimis, & varijs cibis eſſet refectus. Hoc miraculum inſigne, quòd ſine materia perfectum fuit, longè alijs illuſtrius eſt. Nam Moyſes, & ſi populum ſaturauit, interuênit Manna Exod.cap.6. *ſi Helias viduam, attulit ipſa puſillum farina, & paululum olei.* 3. Reg.17. *Si Eliſæus centum viros, adfuerunt viginti panes* 2.Reg.4. *Si Chriſtus multitudinem in deſerto, quinque panes, & duos piſces obtulit Andrea commiſeratio* Ioann. cap.6. *Non enim in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei. Omnes igitur cum* Veremundo *gratias agentes*

Hoc miraculo fit clarius Cœnobium.

Deo, læti remearunt ad propria. Hoc, & alia miracula, quæ in depellendis dæmonibus, illuminandis cæcis, & variis ſanitatum generibus impetrandis conſiſtebant, taliter Veremundi *ſanctitatis famam auxerunt, vt & ipſius nomen, & cœnobij domus non tantùm in Regno* Nauarræ, *ſed vbique præfulgeret. Et licèt communi circumferatur brocardico, Vbi eſt abundantia, eſt obſeruantia, verſa vice tenendum eſt, Vbi eſt obſeruantia, eſt abundantia, vt Chriſti Domini verbis adhæreamus: Quærite* (inquit) *primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis* Luc.cap.2. *Hac ſuffultus doctrina ſanctiſſimus Abbas, & ſibi, & monachis omnium amorem conciliauit, quia cùm in omnibus ſedulus Dei miniſter, obſeruantiſſimus legis, &*

Hinc eriguntur Eccleſiæ,

regulæ moderator extitiſſet, Regum Nauarræ *& aliorum Procerum animos dulciter arripuit, ex quo quamplurimas Eccleſias, Monaſteria, terras, pagos, & his ſimilia donationis titulo adquiſiuit cœnobium, & à* Sanctio Ramireſio *illud honorabile priuilegium, cuius contextura pro defenſione, & liberatione bonorum ipſius cœnobij, adhuc in Archiuo eiuſdem perſeuerat. Denique poſt diuerſorum conſtructionem cœnobiorum, poſt conditam in terminis ſui*

Moritur.

Monaſterij vrbem Stellam, *plenus dierum, & meritorum, moderata Abbatia per XLVI. annorum curricula, ad Dominum remeauit,* VIII. *die* Martij. *Era* M.C.XXXVII. *Anno Chriſti.* M.XCIX. *Cuius corpus intra maioris Altaris ambitum ſepultum, ibidem quieuit, donec euenientibus mirabilium numeris innumeris, & Populorum concurrentibus deuotione cater-*

Sepelitur.

uis, ab illo, ad ſublime ſolium tranſlatum (tibi à corporis relicta ad confluentium peregrinorum leuamen) honorificè colitur, & ſeruatur.

Huius ecphraſis comprobatio inuenietur apud *Menardum*, Oihenartum, & Yepes, ex quibus deſumpta eſt, quia adhuc, aliam vitæ non accepimus relationem, tantum, vt noſtra exornetur anamneſis, Priuilegij *Sanctij Ramireſij* aliquot referre clauſulas, viſum fuit, huiuſmodi, ex Yepio *fol.*32.*Script.*28.

PRIVILEGIVM SANCTII RAMIRESII huius nominis VI. Regis Aragonum, & Nauarræ, conceſſum S. Veremundo Abbati Hyrachenſi.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen. Ego Sanctius Ramiriz Aragonenſium, & Pampilonenſium, Dei diſponente clementia, Rex; pro remiſſione omnium peccatorum meorum, vt omnipotens Deus, intereceſſione Beatiſſimæ Dei genitricis MARIÆ, *& omnium Sanctorum ſuorum, mei, & cunctorum ſit miſertus meorum parentum, facio hanc ingenuitatem Monaſterio eiuſdem*

eiusdem sanctissimæ supra nominatæ Virgini de Hyrax, & vobis Domino venerabili eiusdem loci Abbati Veremundo, *cæterisque cunctis vestris successoribus, fratribusque ibi manentibus, & mansuris*, &c. *Facta charta* Era M. C X X V.

Hyrachense, seu Hiraxense Cœnobium.] Virgini Matri dicatum Ordinis adhuc Benedictini, tribus milliaribus abest ab vrbe Stella in Vasconia inferiori, seu Nauarra, *Pamplonâ* X X I. milliaribus, totidémque *Lucronio* Ruconium vrbe, illa ad Occidentem, ista ad Orientem visitur. Ad Meridiem mons erigitur *Calurra*, qui cœnobij circulum ab Affrici flatibus in Regione illa, malignis, arcet. *Topographia Cœnoby.* Alexander Papa III. hoc Monasterium, *Montemlatum*, vocitauit, vt referunt *Yepes*, & *Oihenart*. propter gratum montium, fluminum vallium, & arborum conspectum. Tempore Gothorum fuisse extructum contendit P. *Yepes* verbis duarum scripturarum innitens, altera est *Sanctij* Regis Nauarræ, cognomento *Maioris* Anno M. X X X I I I. sic: *Sanctius diuina ordinante clementia Rex, cùm regni sui gubernacula de more disponeret, & Ecclesiarum Dei iura, generali incursione deuastata, in pristinum statum redintegrare vellet*, inter alia *statuit dare Ecclesiæ Dei in honore B. Dei Genitricis Virginis Mariæ dedicatæ, Castellum vnum S. Stephani nomine signatum, vt in eodem prædicto monasterio de Irax Dei omnipotentis seruitium fieret*. Altera *Garsiæ* Regis Nauarræ, & Najeræ Anno M. X L V. sic: *Quia quondam bisauus meus Sanctius Rex expulsa gente Sarracenorum a montanis, peruenit vsque ad prædictum Castrum. Sed & Rex consultus à diuino consilio* venit in Ecclesiam S. Mariæ de Irax, *abiens cœpit castrum*. *Quando conditum.* Qui à *Garsia* isto primam originem huius monasterij repetunt, & falluntur, & refelluntur à *P. Yepes* D. Prudent. de Sandoual. *in Catal. Episcoporum Pampilonensium* prolatis tabulis piæ cuiusdam donationis ipsi cœnobio factæ, iam Anno Domini D C C C C X X V I I I. constructum designat. Qui alia scrutari velit, adeat *P. Yepes*, in quo quidquid voluerit, inueniet.

B. Ioannes Dei.] Hic magnus Eleemosynarius, & hospitalitatis Patriarcha, pluralis in singulorum pauperum subsidio, singularis in plurimorum egenorum succursu, & pœnitentium omnium specimen, adhuc in Martyrologiorum tabulis reticetur, quia licèt ipsius sanctitas Orbis terminos occupauerit, eius nomen nondum à Romano descriptum Pontifice in Sanctorum Albo conspexit Historia; sed Dei prouidentiâ, & Vrbani Papæ V I I I. beneficio, & Beatus inauguratus, & huius tituli vocabulo vocitatus, de ipso Missam, & officium ab ipsius alumnis recitandum permisit, vt ex Breui Apostolico sub annulo Piscatoris X X I. Septembris, Anno M. D C. X X X. liquet. D. Eius vitam scripsit Hispano sermone Episcopus *D. F. Antonius de Gouea*. Villegas *in Virallustrib.* Duarte Nuñez *in descript. Regn. Portugall. cap.* 57. Georg. Cardos. *in officio SS. Lusitan. cap.* 21. de quo in carmine Hymni ad Nonam sic: *Scriptores.*

Ecce Ioannes medicatur agris.

Primus qui eius Acta literis olim mandauit, inspicitur *M. Franciscus de Castro* Presbyter Granatensis Nosocomij à B. Ioanne erecti Rector, cuius ecphrasim latinitate donatam dabimus.

ACTA B. IOANNIS A DEO Patriarchæ Hospitalitatis, & Eleemosynarij, ex M. Francisco de Castro.

Anno *Domini* M. D. X X X V I I I. *Regnante in Hispania* Carolo *huius nominis* I. *Romano-Germanorum Imperatore* V. *vrbem Granatam Archiepiscopalibus infulis moderante* D. Gaspare Daualos, *Viro scientiâ, & sanctitate conspicuo, qui suo æuo homines sanctitudine, pietate, & religione illustres adipisci, Deo disponente, promeruit: homo quidam pauper, & humilis, & hominum oculis abiectus, Dei verò conspectibus honorificus, inter recentiores nouæ vrbis accolas, nouus affulsit homopolis. Is enim è Portugallia originem trahens, apud nouum Oppidum* Montemayor, *diœcesis Eborensis*, *Patria.*

Adhuc puer Oropesam petit.

Villicum agit.

Miles efficitur.

A periculo Virginis MARIÆ *interuentu liberatur.*

Anno M.CCCC.XCV. *è parentibus popularibus, nec diuitijs affluentibus, nec paupertate compressis, ortus,* IOANNES *nomine; prima apud parentes vitæ duxit curricula, postmodùm in* Oropesam *oppidum Castellæ, vix octo annorum ætatis terminum adimplens, à quodam sacerdote distractus est. Ibidem per aliquot temporis lapsum commoratus, cuidam* Francisco Mayoral *Carceris custodi inseruiens, pueritiæ tempora, villici officio fungens, transegit, donec ad iuuentutis apicem accedens, & vigesimum secundum ætatis annum enumerans, in obsequium, & famulatum* Ioannis Ferruzij *de* Nauas, *nobilis ciuis* Oropesani *translatus, ex eo quòd ille, D. Ferdinandi Aluarez de Toledo* Oropesæ Comitis *decreto, in subsidium castri de* Fuente Rabia *in Cantabria, à Gallis obsessi, instructâ acie, Ducis nomine mittebatur, cuius signa* IOANNES, *militem induens, insectari, aut expeditionis iustæ furore, aut latioris vitæ desiderio compulsus aggreditur. Cùm ergo quadam die, dùm in stationibus Tyro noster cum alijs commilitonibus hyemaret, commeatibus deficientibus,* IOANNES *necessitate depressus, ætati fidens, & robore, se se ex longè separatis domunculis, siue cortibus obsonia conducere venditauit; quod vt facilius consequeretur, equam Gallicam, quam in quadam irruptione deprehenderat, conscendens, ad promissa complenda discessit. Vix itaque duarum leucarum spacium itineris exegerat adolescens, quando equa naturali instinctu agitata, propria cognoscens, effrenis montis cacumina inuadens, nullâ viâ apparente, præceps inter rupes militem exturbauit, qui in terram collisus, per ferè duarum horarum terminum elinguis iacens, sanguinem ore, & naribus effundens, semimortuus miserabiliter, nemine iuuante, humo extẽsus adhæsit. Ast Dei miseratione, sensuum operatione receptâ, sese, licèt ictu præcipitationis contusus, erigens, & nouum captiuitatis periculum considerans, extensis ad cælum manibus, &* MARIÆ *Virginis Matris (quã feruentissime diligebat) subsidio deprecato, in hac verba prorupit:* Mater „ Dei in auxilium meum respice, à tuo sanctissimo Filio huiusce periculi „ euasionem mihi impetra; ne ergo permittas, vt in manus inimicorum „ deueniam: scis enim quanto deuotionis affectu, me totum tuæ pietati „ sacraui: & ego scio, quanto promptitudinis affectu, te cultoribus tuis, „ necessitate conflictis, mirabilia subministrare soles subsidia: ergo non „ me derelinquas, ne obruar. *His dictis, protinus iuxta se puerulam pulcherrimam sago indutam pastoritio conspexit, quæ poculum aquæ militi propinans, bono esse animo admonuit. Quo subsidio roboratus, ab ea, quæ esset humiliter „ exquirebat. Illa dixit:* Ego sum, cuius auxilium explorasti. Tuorum pe„ ricula gressuum inspecta, in qua via haud securus incedis, ni orationis „ munimine protegaris. *Quo dicto ab oculis militis euanuit. Deindò stupuit adolescens, & apertis mentis oculis* MARIÆ *Virginis cognouit auxilium, & summisso cordis silẽtio, illi debitas, vt potuit, grates persoluit. Sic ergo ad mansionem remeans militum, & omnia quæ acciderant referens, ab illis ad lectum perductus, ibidem per aliquos dies iacens, tandem sanus & strenuus euasit.*

Iterum illum à patibulo liberat B. V. M.

Militiam deserit & Oropesam reuertitur.

NONDVM *pluribus diebus elapsis, quis Miles à relato periculo liber, è strato surrexerat, quando in maius incidit infortunium. Nam cùm Dux agminis, illi in custodiam, prædam à Gallis militibus subtractam, tradidisset, potius latronum malitiâ, quàm sui negligentiâ præda subrepta est. Quod vt agnouit Dux furore commotus* IOANNEM *carceri mancipatum, protinus nullo Officialium commilitonum fauore valente, ex arbore suspendio necari iussit. Ad antiquum* Virginis Matris *obsequium confugit adolescens, à qua roboratus, fide verâ remedium expectauit. Nec frustra: quia adueniente in castra, dum miles ad supplicium duceretur, vno ex Optimatum exercitus Principe, re cognitâ, Ducisque temeritate damnatâ,* IOANNEM *dummodò è castris discederet, liberum dimisit. Tunc ille balteo exutus, ad* Oropesam *repedare constituens, viam arripiens, ad locum, vbi Crux in triuio erat, deuenit famelicus (per biduum enim nec frustum panis comederat) & sitibundus. Ad* Crucis *gradus subsistens, orationi vacans, spiritu deficiens, maxi-*

mum

mum est passus animi deliquium, sed resumptis viribus, iuxta se tres panes, & vini amphoram inuenit, à quibus abstinere decreuit, præteriti euentus „*occasione permonitus, donec audire meruit:* Comede, & bibe, tibi enim cibus, & potus paratus est. *Hac voce alacer corpori necessaria ministrans, iter arripuit,* Oropesam *deuenit, & in domum sui antiqui Maioralis peruenit, à quo benignè receptus, in opus pastoralis officij reductus, fidelis seruus repertus est. Per quadriennium iterum, moras in Maioralis seruitio traxit, quousque præfatus* Oropesæ *Comes, congregatis militum copijs* Vngariam *vsque permeare, vt* Carolo V. *Imperatori aduersus* Solymannum *Turcarum Principem,* Viennam *inuadentem, suppetias ferret, constituit; cuius agmini* IOANNES *adhærens militare iterum induit sagum, quo Germaniam inuisit, expeditioni adstitit, quâ finitâ cum ipso Comite, ad Portum Brigantinum soluit, & Apostolico* IACOBI *sarcophago venerato, Oropesam repedauit, è qua in patriam profectus Montem-Maiorem inuisit.* *Pane & Vino caelitus emisso recreatur.* *Iterum Militem agit.*

VIX *ergo patriam homopolus agnoscebat, imò prorsus patria* Ioannem *accolam ignorabat, quia eùm ab ea puerulus diuertisset, nec ista illum, nec iste illam cognoscere potuêre. Penitùs parentum memoriam obliuio obliterauerat, quando nec ipse quos parentes habuisset edicere, nec quâ vicinia demoratos consignare valeret. Hac confusione desperatus, tandem in venerabilem incidit senem,* Alphonsum Eduardum *nomine, à quo de parentibus sciscitatus est, qui ex verborum militis relatione licet confusâ, & ex oris physiognomia, suum esse nepotem manifestâ obsignatione percepit, quem domum deducens, & totius eius peregrinationis rationem expostulans, alacri animo iuuenem intuebatur. Ille postquam de omnibus auunculo fecit satis, de suis ipsum parentibus interrogauit, cui auunculus* „*dixit:* Mater tua, mox vt domo recessisti, discessionis tuæ, vt credi„mus, dolore correpta, spiritum exhalauit. Andreas pater tuus, cùm „primùm sese coniuge, & filio destitutum inuisit, venditis facultati„bus, Vlyssipponam proficiscitur, vbi Deo inseruire cupiens, Sera„phici Ordinis habitum induens, ibidem Sancto fine quieuit. *Ast* si „apud me moram trahere meditaris, hic mecum vitam ages, vbi de „mea substantia, quidquid opus habueris, accipies. IOANNES *verò auditâ Parentum morte, intimo dolore confectus, & lachrymarum imbre perfusus, auunculo de oblatis beneficijs grates rependens, sese iam parentibus orbatum agnoscens, patriam relinquere, alienas Sedes inquirere, quibus Deo obsequium, à quo in intimo cordis sese vocatum intuebatur, rependere constituit. Quo dicto, & auunculo amplexato, non sine vtriusque mærore, patriam deseruit.* *Patriam, & Patres videre constituit.* *Ab Auunculo benignè accipitur.*

ERGO *auunculo Vale dicto, & vrbe patriâ derelictâ orphanus noster in Baticam properauit, & apud oppidum, cui nomen* Ayamonte, *sistens, in Xenodochio per aliquot dies diuersatus, pauperum peregrinorum angustias dignoscens, pro illorum subuentione quærenda spiritum erigebat. Post equidem Hispalense territorium solicitans, famulatui pro educendis ouibus nobilis, & diuitis fœminæ, quæ* Eleonora de Zuñiga *dicebatur, adhærens, pastorem egit: in cuius occupationis exercitio, tanquam à vita sua exordio, comparato, maximè delectabatur. Nullam in eius animo Deus præstabat quietem, cùm maiora eius spiritus spectaret, & ideo post aliquot temporum interualla, gregem deserere, in Africam migrare constituens, accepto Dominæ beneplacito,* Calpem *adiuit, vbi nobilem Lusitanum Procerem, qui à Portugallia Rege exilio damnatus, & in* Septam *dimissus cum coniuge, & quatuor filiabus virginibus honestissimis, & pulcherrimis, in illam Africa vrbem, discedere properabat, inuênit; cuius famulitio addictus, feliciter in* Septam *soluens, perofficiosè obsequium hero præstabat. Ast ille necessitate compressus, nec sibi, nec familiæ necessaria ministrare (in tantam ipsum necessitudinem relegatio protraxerat) nec qua-* *Patriam deserit.* *Africam transfretare decreuit.*

Nobilis Luſitani famulatui ſe adigit.

rere valebat, ideò depoſito timore, & verecundia, IOANNEM *famulum* „*ſic eſt præcordialiter alloquutus:* Miſerum IOANNES domus meæ, con„iugis, & filiarum nobilium, febribus corruptarum, & fame per„euntium non ignoras ſtatum, cui occurrere nec prompta liberalita„te poſſum, nec meæ nobilitatis conditio ſinit, vt victum oſtiatim „quæram: Aſt cùm ſæpè ſit ingenioſa paupertas, ſum arbitratus (niſi „tibi medium ſit meditatum, prolixum) vt depoſito militari balteo, „in opus publicum operarij officio fungens, denariâ mercede, om„nium noſtrûm indigentiæ ſuccuras neceſſitatibus. *Annuit famulus, qui iam charitatis fomitem in viſcerum præcordiis ſæpe ſæpius alebat; & Proceris domini lachrymis occurrens, ſeſe omnia arbitrata promptâ obedientiâ, fideli operatione, & infatigabili labore, completurum, promiſit. Ergo* IOANNES *inſignis pietate roboratus inter operarios publicorum ædificiorum aſcitus, quotidianam mercedem, noctu, ad pedes Proceris proiiciebat, quâ totius familiæ agmen famelicum ſuſtentabat. Hoc igitur piæ exercitationis genere famulus vitam lætus tranſegit, donec mœnium fabrica Proregis mandato ceſſauit. Contriſtatis etenim propter ineuitabilem famis imminentis oppreſſionem proceribus, ad famuli pietatem accurrentibus, herus, & eius, & ſuorum miſeriam, denuo obortis lachrymis patefecit. Cui* IOANNES *viſcerum anxietate compreſſus, dixit:* Ecquid ergò à Dei pietate diffidis? *Fortè* ipſe vilium vermium, minimorúmve animalium obliuiſcitur? Abſit. Omnes liberâ manu paſcit. Cur ergo nobis, quibus omnia cœleſtia condidit, & terreſtria, deficiet? Non enim in iſta diaria mercede Dei ſubſidium præcluſum iudices, alia prorſus aperiet benignitas Saluatoris, & dum noſtris precibus viam exquirimus, hæc duo recinia, à me obſeruata, venalia exponam, de quorum pretio, donec alia ſuppeditat Dominus obſonia, tui, & tuorum indigentiæ ſubuenietur. *Quibus dictis, palliis onuſtus in forum venit, quibus venditis, pretium eorum Domino retulit.*

Pallium vendidit vt familiæ heri ſuccurrat.

ALIQVOT *diebus elapſis, publica fuere continuata ædificia, &* IOANNES *ad pietatis, & laboris opera reuerſus, neceſſitatis procerum onera ſubiens, mercedem illi conſtitutam, eis ſingulis noctibus referebat. Huius in viro paupere charitatis magnitudinem humani generis hoſtis conſiderans; quæ futura eſſet* IOANNIS *poſteritas cogitabat, ſed ingenij ratione dilapsâ, penitus firmam in homine conſtantiam agnoſcebat. Aſt vt felicius illius propoſitum exhauriret, talia in eum machinationis arma conuertere diſpoſuit, vt vel à propoſitis charitatis ſubſidijs famulum diuerteret, vel à fide deuium, in obſcœnam impietatis ſentinam proiiceret. Erat itaque vir quidam, patriâ* Eborenſis, *Operarius in fabrica illa, noſtri comes, interquos, aut propter vnius prouinciæ accolatum, aut propter vnius exercitij contubernium, maxima interfuerat neceſſitudo.* Eborenſis, *tùm miſeria, tum rigoris officialium causâ deſperatus, ignorante amico, ab vrbe diffugiens, Tetuanum adiuit, vbi Chriſti fide abnegatâ, Pſeudoprophetæ obſceni ſectam, dæmone inſtigante, complexus, vltimam, licet fœdam ſuæ damnationis viam aperuit. Conſodalis præceps propoſitum, & infidam executionem, vt* IOANNES *agnouit, dolore commotus, ſic illius lapſum ex toto cordis ægrè tulit affectu, vt continuis ſuffuſus lachrymis, & aſſiduis impeditus ſingultibus, nihil, niſi vltimum vitæ terminum expectabat. Tantam in* IOANNE *mœroris frequentiam ſpeculatus ſerpens antiquus, hinc anſam arripere conſtituit, vt ſui artificij diù meditati machinamenta compleret, & ideo in corde pij famuli, tale ſeminare ſcrupuloſæ conſcientiæ ſchiſma curauit, tribuens illi deperditæ ouis errorem, vt ni Deus, qui illum ad maiora certamina inſtruebat, &* B. V. MARIA, *quæ ipſum auxilijs roborabat, ſpiritum reformarent, prorſus laqueis inimici, ſi non depreſſus, attamen dubius, obſcurâ tentaminum calumniâ ſubſequente, iaceret. Nec deſunt, qui dicant, diabolum formam ſtrenui iuuenis accepiſſe, epiſtolámque*

Domini prælocutio, Familiam Domini proprio labore alit.

Charitatis opera Diabolus auerſatur.

Scrupulos in corde IOANNIS *ſeminat.*

ſodalis

sodalis apostata perduxisse, quâ ad eadem peragenda, propositis vitæ laxioris illecebris, inuitabat. Sed diuino illustratus spiritu noster famulus, omnia hæc Sathanæ irritamenta perpendens, ad Seraphici Francisci pauperis Monasterium, agitatis passibus peruolans, oratione humiliter porrectâ, Confessariam doctam inuenit, cui sua omnia crimina, & vita euentus, ad illam vsque horam, verâ confessione recensuit. Confessarius verò, qui animæ periculum in pœnitentis imbecillitate cognouit, licet charitatem, qua famelicis proceribus subueniebat, inspexerat inauditam, Deóque gratam; tamen trutinato pœnitentis periculo, securius duxit, proceres à mercede desistere, & famulum à charitate diuertere, quàm illum in animæ discrimine conseruare; ideòque vt Septã diffugeret, & à proxima causa tentationis discederet, imperauit. Admonitioni doctissimi Confessarij parens, protinus domum reuertens, heris, quid euenerat, patefecit, à quibus licentiam efflagitauit: & quamais suspiriorum inter omnes clangor increpuit, propter fidelis serui discessum, attamen cognito eius vitæ spiritualis discrimine, & licentiam, & benedictionem famulo concessêre, qui in profectione se eorum necessitatis recordaturum promisit.

Confessionis subsidio liberatur, & Septam deserit.

CVMPRIMVM *enim heri domo discessit, ad portum veniens, cum alijs in cymbula ingrediens, datis vento velis, ad* Calpem *curauit proram dirigere Nauclerus, sed vix ad medium freti pertigerat ratis, quando valida tempestas orta omnes in profundum demergere minabatur. Procella siquidem ita furor exarsit, vt iam solatio destituti Nautæ, vltimum naufragij terminum deplorabant. Omnia in corde notabat* IOANNES, *& credens Deum, suis criminibus interpellantibus, illud supplicium immittere omnibus decreuisse, velut verus pœnitent, non vt Ionas exspectatâ sorte, surgens, clara voce dicere cœpit:* Me me socij in mare proiicite, si salui soluere vultis. Ego enim iram Dei excitaui, quia sum peccaminum plenus, vt certus sim, quòd me propter hæc tot mala sustinetis. *Barbara equidem nautica facis caterua, vocum instantiâ hominis credula, protinus insurgens, & illum brachijs arripiens, ipsum in mare demergere properabat; sed ille inducias, quousque Orationem Dominicam recitaret, expostulant, antea mare serenum apparuit, & tempestas aufugit, quàm deprecationem, ad vltimum perduxisset. Hinc pacatâ turbâ satellitum, salua in portum est ingressa carina.* Calpem *lustrans* IOANNES, *protinus ad Ecclesiam confugit, & flexis coram* Crucifixi *imagine genibus, gratias illi soluens, ex intimo cordis dicere cœpit:* Benedictus es, Domine, Pater misericordiarum, qui me peccatorem pessimum, à tot periculis terræ, & maris liberare, & in securitatis portum reducere dignatus es, vbi tuâ protegente gratiâ, totis meis viribus satagam tuo seruitio mancipari; cuius viam demonstra mihi, vt illam totâ cordis contritione perlustrans, quietis æternæ mansionem cum electis tuis ingredi merear. *His dictis, se ad generalem confessionem parauit, quâ factâ, vitam quietam in manuum suarum operatione transegit, donec aliquot pecunijs lucratis, nonnullos libros, imagines papyraceas, & alphabeticas tabellas comparans, illas exposuit in foro venales, hac intentione, vt proximis prodesset: nam inter libros pios, etiam aliquos emebat profanos, non vt diuenderet, sed vt retineret, ne eorum lectione corrumperetur iuuentus, ideóque si aliquando illos expetebat curiositas, emptorem validis, & religiosis verborum compendijs, vt ab emptione desisteret, impellebat, & alios ipsi pios demonstrans, vt illos acciperet, etiam minuto, aut nullo pretio, suadebat. Sic plurimos reduxit, pueros instruxit, & omnibus profuit. Aliquando per oppida, & vicos vicinos librorum sarcinâ onustus, cursitabat, vbi infantulos congregans Christianæ fidei rudimenta docebat, & quos profecisse cognouerat, imagine papyraceâ donatos dimittebat. Quod quotannis sæpius faciebat, donec* Granatam *lustrare compulsus, vbi perfectionis strenuam Dominus illi funditus præparauit,* Calpem *deseruit.*

A procella in freto liberatur oratione Dominica.

Oratio ad Christum Dominum in Cruce pendentem.

Ad librarij afficium animum accommodat.

Huius exercitij pia cautela.

ISTVM *in* Granatam *aduentum, vt aliqui referunt, mirabilis disposuit*

Granatam pergens Puerum IESVM *humeris portat, à quo mirabilia didicit.*

euentus; nam cùm quadam die libris onuſtus iter perageret, in via puerulum forma venuſtum, veſte detracta, & nudis pedibus inuênit, quem, charitate compulſus, ſuper humeros ponens, iter inceptum eſt proſequutus, ſed onere pueruli ſatigatus, iuxta fontem, ſarcinam diuinam, bibendi cauſa, depoſuit. Tunc vt ſibi, & puerulo aquam in concha perſerret, fontem aggreſſus, à tergo vocem audiuit, IOANNES, *tua* CRVX, Granata erit. *Qui oculos conuertens, puerum in manu malum-granatum habentem, per medium diſciſſum, & in meditullio* Crucem, *carneis oculis eſt intuitus, cuius hyerogliphico cognouit, Deum ad vrbem* Granatam *illum traducere velle. Quo oſtento roboratus* Granatam *adiuit, & iuxta portam* Eliberitanam, *domum conducens, ibidem libros venales expoſuit, vt antiquum morem, pio lucro, ſeruaret.*

M. Ioannes Dauila Bætica Apoſtolus.

POST *hæc, cùm ille verus, & Apoſtolicus Bæticæ Eccleſiaſtes* M. Ioannes Dauila *Presbyter, cuius memoria in benedictione eſt, in Eccleſia S. Sebaſtiani, præclariſſimi Martyris, & aduerſus peſtilentis contagij epidemiam ſtrenuiſſimi tutelaris, in eius die natali, concionem inſtituiſſet, ad cuius eloquium vndique, vtriuſque ſexus populorum caterua confluerct, eius audiendi amore inflammatus* IOANNES *ad Eccleſiam præoccupato tempore veniens, fulminatrices Venerabilis Magiſtri voces exaudiens, finito ſermone, flammante Spiritus-Sancti charitate ſuccenſus, extra Eccleſiam egreſſus, veſtes diſrumpens, faciem verberans, cælos intuens, ſe peccatorum peſſimum humili confeſſione proclamans, ſua crimina pandens, populis mirantibus, & admirantibus, inſaniæ ſigna monſtrauit.*

Eius ſermone ſuccẽſus B. Vir in ſanctam inſaniam incidit.

Vix plebecula, puerorúmque caterua in homine illo tot furoris irritamenta conſpexit, cùm arreptis luto, ſegmentis, lapidibus, & aliis immundis, poſt ſtrenuum virtutis Tyronem, omnia in illum coniicient cucurrit.

A plebe, vt inſanus, inſequitur.

Dei ſeruus, ſubucula, & pannis tantum minoribus coopertus, propriam domum deuênit, & manibus, & dentibus profanos lacerans libros, pios, & Sanctorum imagines, petentibus gratis conferens, reliqua diſtribuens, nudus nudum Chriſtum inſequi ſtatuens, ad Bibarrambla forum, diuino adhuc illo furore cogente, proceſſit, vbi inter ſtercora, lutum, & ſpurcitiam volutatus, peccata omnia, quorum recordabatur publicè recenſebat.

Multa patitur à pueris.

Hic iam fœdè maculata ſubucula immunditijs, & ore, brachijs, & capite contuſis lapidum imbre, puerorum, & aliorum vagantium, in Eccleſiam confugit, vbi proſtratus, oratione factâ, humi aliquandiu iacuit. Pòſt, prolatis aliquot compoſitis verbis, quæ ab honeſtis Clericis trutinata fuêre, in quiete ſubſiſtens, lachrymas, & ſuſpiria humiliter emittebat. Tunc clerici, non inſanum, ſed cordatum hominem iudicantes, illum ſecum deduxerunt, & in domum Magiſtri Dauila *perduxerunt, cui omnia quæ acciderant poſt concionem retulerunt, in homine nihil dementiæ, multum ſpiritus ſuperioris deprehendiſſe, teſtantes.*

A Clericis in domum M. Dauila perducitur.

Venerabilis Magiſter, *lumine cæleſti munitus,* IOANNEM *è dextrâ colligens, dimiſſis circunſtantibus, intra interioris cellulæ angulos, immittens, quis eſſet, à quo furor, quâ ve cauſâ, ſciſcitatur. Amens diuinus flexis genibus, humili corde, & compoſitâ oratione, omnes animi ſui ſenſus, veterémque totius vitæ telam ab exordio, nulla actione, aut viſione retecta, inclyto virtute Viro deprompſit, recenſuit, & pateſecit. Duplicem in vno homine, hominem intuebatur beatiſſimus Magiſter, & inter vtriuſque formam, diſcrimina demiratus, totis venerabatur præcordiis tàm exterioris, quàm interioris hominis ſtruem: illius, quia diuino ſpiritu completum; iſtius, quia etſi ictibus, & vulneribus contuſum, patientiæ experimenta præ ſe ferentem.*

Illius ſpiritum ſpeculatur ſedulò M. Dauila.

Demum Venerabilis Preſbyter *pœnitentem amplexatus, illi in inceptis perſeuerantiam commendauit, offerens ſe, & ſua pro eius profectione virtutis. Pœnitens ad genuâ* Venerabilis *prouolutus, ab eo vt inter eius ſodales, & diſcipulos ſcribere dignaretur, ſummiſſis precibus rogitauit; omnia conceſſit* Magiſter, *&* IOANNES *obedientiam præceptis eius promittens, ſeſſione finita, iterum per vrbem proſiliens,*

Illum in Diſcipulũ ſcribit M. Dauila.

silens, opprobria, dedecora, & ignominias, quibus inhiabat, perpessus est. Nec his contentus, maiora pati desiderans, sic se omnibus fabulam præbuit, vt tanquam insanus in gyrgatum perductus, & ministris traditus, in procato ligatis manibus, & pedibus, conditus, funibus duplicatis flagellatus, per aliquot temporum interualla pertacuit. Cuius molestia conscius Venerabilis Magister, *discipulum ad eum dimisit, qui suo nomine illi solamina præberet, & ad maiora pro Christo perpeti ludibria eius animum erigeret. Istâ visitatione alacer amens Sanctus, debitas* Magistro *suo retulit grates, & se eius orationibus commendans, perseuerantiam in passione promisit, ex quo discipulus recessit, cuius artificij inuolucro, inter vtrumque fuit in posterum frequens commercium, ita vt sese diuinitus intelligerent.*

Ad Gyrgatum, vt insanus, ducitur, vbi flagellatur assiduè.

ITAQVE *completo tempore, quo* IOANNES, *vt pauperum infirmorum necessitatibus subueniret, ab illa vitæ molestia recedere decreuerat, apparuit ministris pacificus, humilis, & quietus, ita vt à vinculis absolutus, inter domesticos numerari meruerit. Sic liber omnia quæ in Regali Gyrgato, etsi vilissima, & immunda committebantur eidem, integra charitate faciebat; infirmos ad patientiam monebat, & omnibus alacri fidelitate seruiebat, ita vt omnibus amabilis, sibi rigidus appareret. Cum etenim, quâdam die iuxta ostium hospitij, cogitabundus circa vitæ suæ compendia, sederet, vidit è regione magnam hominum turbam, validámque equitatuum cateruam, ad vrbem accedentem, quæ in lectica* Elisabethæ *Imperatricis*, Caroli V. *Imperatoris coniugis, corpus, vt in Regali humaretur capella, silentiosis singultibus comportabat. Cuius spectaculi stimulus, sic suorum punxit viscerum præcordia, vt feruore charitatis raptus, ad Hospitalis præfectum accesserit, & blando verborum murmure dixerit:* Frater, D.N.Iesus-Christus tibi charitatem, & eleemosynam, quam mihi, licèt indigno fecisti, persoluat. Iam ergo Dei misericordiâ ego sanus sum, vt possim labore manuum mearum victum quærere, ideóque tuam licentiam, & benedictionem expecto, mihíque eam concedere digneris, si placet, expostulo. *Rector, licet primò restiterit propter* IOANNIS *debilitatem, ast eius voluntate cognitâ, est ei licentiam impartitus: post quam B. Vir, Vale dicto omnibus domus famulis, ex Gyrgato discessit penè nudus, sine galero, sine calceis, ita vt vix esset, quo carnem operiret segmentum. Istâ equidem pittaciorum polymitâ onustus ad celebre Hispaniæ in* Extrematura *Sanctuarium B. Virgini* Guadalupeæ *dicatum sine intermissione se contulit peregrinus, vbi post sacram exomologesim, grates* Diuæ Tutelari *propter impartita rependit auxilia, maiora sibi in futurum experienda persuadens, ex eo quòd ad nouæ vitæ tyrocinia, in Dei, Virginis, & proximorum obsequium expletura promiserat.* Granatam *repetens, in Bætia suum inuenit* Venerabilem Magistrum, *ibidem prædicationis munus insumentem, cui omnia cordis secreta patefecit. Venerabilis Magister* Ioannes Dauila, *B. peregrino multa prædixit, in* Granatam *reuersionem persuasit, & quod prouidum Confessarium susciperet, commendauit, eius opem in grauioribus promittens. Sic consolatus* IOANNES *Granatam deuênit, & ante eius ingressum, in montem, vt de more habebat, perrexit, lignorum fasciculum collegit, quem ad humeros ponens, ad vrbem accessit, sed pudore perfusus, fasciculum deposuit, & pauperi viduæ dedit. Altero die antecedentis inediam increpans in semetipso, manè surgens, alium manipulum è monte ad vrbem traxit, sed simili verecundiâ correptus, vlterius gressum porrigere non valebat; tunc corpori suo dicebat:* Ecquid aselle præsumis? Vt quid vrbem ingredi reformidas? Sarcinam deferre erubescis? Ego huiusmodi gloriæ vanulæ fomitem conteram, & manipulum velis, nolis, portabis vsque ad publicum forum, vt ab omnibus agnoscaris, & deridearis. *Sic ad forum peruenit, vbi à pueris, & otiosa iuuentute cognitus, & illusus non pauca ludibria pertulit. In hoc exercitio aliquod tempus transegit, die ligna vendens, & noctu pauperibus succurrens, dum iam charitatis maturatus impulsu, illis ex proposito remedium per-*

Sanus post tempus apparet.

Petit licentiâ exeundi à Gyrgato.

Sanctuarium Guadalupanum visitat.

A M Dauila solatur, qui ei nonnulla euentura prædixit.

Granatam adiens vana gloria stimulo exagitatus regreditur.

Vanam gloriam strenuo spiritu sopiuit.

quirere

In pauperũ ſubuentionem omnia quæ colligit, dedicat.

Domum cõducit quâ pauperes recipit. Forma petendi eleemoſynam.

quirere deſtinauit; quod vt facilius exequeretur, ab aliquibus pijs vtriuſque ſexus perſonis, quibus intentum prædixerat, creditum accepit, vt domum iuxta forum piſcatorium conduceret, in qua pauperes, quos noctu, diuque ab omni humana ope deſtitutos collegerat, cõgregabatque, ſuper ſtoreas, & ſtragula accommodãs, poſt peccatorum confeſſionem, illis medicamenta, & alia neceſſaria, quæ oſtiatim petebat, ſuppeditabat. Ad hoc exequendum iſthic erat ſtylus: Per vrbis vias, & plateas diſcurſitabat ferens ſuper humeros ſportam, & ad collum duas ollas fune pendentes, quas brachijs circundabat, & valida, licet lamentabili voce clangebat: Date Fratelli vobiſmetipſis eleemoſynam. *Cuius clamor primò omnium perturbabat auditus, maximè ſi noctis vmbrâ tonabat, ideo aut nouitate clamoris, aut deſiderio cognoſcendi clamantem facile ſportam panis fragmentis, & fictiles, iure, carne, & alijs ſulsibus replebat; quibus in domum pauperum reuerſus, illos humili propenſione ſatiabat, & demum, vt pro benefactoribus ſuis Deo preces effunderent illos efficaci admonitione rogabat.*

Exercitia B. Viri in domo pauperum.

Hinc ſcutellas, & ollas abſtergebat, totius domus angulos verrebat, aquam è fonte proprijs humeris aſportabat, & viſitatis pauperibus, inter eos humi cubabat, donec adueniente luce, onus ſibi gratis impoſitum, charitate compellente alacer repetebat. Tanti facinoris fama breui per totius vrbis compita conuolauit, ita vt pauperum numerus creſceret continuò, ſic vt iam domus tantos capere non valeret.

Aliud præ pauperum frequentia diuerſorium inquirit, vbi pro infirmis lectulos erigit.

Quod videns IOANNES *læto animo aliud grandius diuerſorium conduxit, quò pauperes Dei tranſtulit, & alia quæ ad eorum vſum congregata erãt ſeruabat. In hoc hoſpitio, Domini miſeratione, lectulos inuenit, quos infirmioribus diſtribuit, ſocios recepit, quos in pauperum ſeruitio deſtinauit, Medicos adduxit, quibus pro ægrotantium cura, mercedem perſoluit, Chirurgos, Pharmacopolas, & cæteros miniſtros, ad huiuſmodi miniſterij aptos eſt conſequutus, quibus pauperum morbi ſcientia operante curarentur. Videbant igitur vniuerſi hoſpitium pauperum ſummo ordine diſpoſitum, eleemoſynas fidelium ſine fraude in egentium curationes diſtributas,*

Ab omnibus profuſis eleemoſynis ſubuenitur.

IOANNEM *cœleſti feruore, ſalutem vniuſcuiuſque infirmi, animæ, & corporis efficaciter perquirentem; hinc proceres, diuites, clerici, ſeculares, & regulares veritate operationis compuncti, plenis manibus Viro Dei obſonia ſanctâ æmulatione miniſtrabant. Quibus non ſolum iſthæc charitatis ſubuentio reperiebatur, ſed etiam in mercatoribus, & negotiatoribus, apud quos Serui Dei ſchedula in tanto erat pretio, vt abſque vlla tergiuerſationis diffidentia ſolueretur.*

Innumeras diuerſorum ſtatuum pauperibus eleemoſynas porrigebat.

Nec *tanta charitatis fœcunditas intra Hoſpitij cancellos potuit occludi, ad maiora iam erat protenſa ſubſidia; nam præter Hoſpitalis pauperum ſuſtentationem, ſtipendia militibus, obſonia litigantibus, mercedes agricolis, dotes virginibus, auxilia vxoratis, munera viduis, & lapſis conſ[illegible]n, ſecretâ munificentiâ præſtabat. Mulieres vitijs carnalibus volutatas quærebat, à peccatis eruere, voce, increpatione, & promiſſionibus procurabat, quas ſi ad melioris vitæ ſtatum reducebat, earum ſactus amaſius caſtiſſimus, illis domum parabat, & omnia ad victus neceſſaria quotidie deferebat, ne occaſione ſuſcepti, iterum ad vomitum redirent; etiam illis, ne otio in peiora dilaberentur, diuerſa miniſteria fœminis communia commendabat, & ad veſtitum illius operis ſtipendia ſoluebat.*

Mulieres deperditas à peccati vinculo ſolutas & conuerſas alebat.

Nec defuit in his calumnia, diaboli perſuaſione contracta: ſed quid prodeſt diabolicæ fraudis malitia, vbi virtutis manifeſtat apices cœleſtis operationis integritas? Ergo Vir beatus, non ſolum à murmuratione liber euaſit, ſed illi ipſi, per quos Sathanas æmulationis inuidæ pondera concitauerat, veritatis examinata onere oppreſſi ad Beati IOANNIS *pedes prouoluti, ab eo veniam humiles expoſcebant.*

Ex hoc in varias inuidentium calumnias incidit.

Et licet iſta calumniantium impoſtura aliquid in nonnullorum animis, circa eleemoſynarum frequentiam detraxerit, aſt cognitâ inuidentiæ origine, omnes illi pœnitentiâ ducti, duplicata munerum ſubſidia pauperibus obtulère. Nec ipſe Dei ſeruus, etiam cognoſcens perſecutionis procellam, ab incepto ſubuentionis ſtudio quotidie mulieribus propinando, vel per momentum reſiſtiit.

INTER

D.N.IESV-CHRISTI Passionem feruentissimè colebat. Quid in Sextis Ferijs ageret.

INTER præcipuas Sancti Viri virtutes, D. N. Iesu-Christi sacratissimam Passionem, cuius meditatione omnia vitæ experimenta eliciebat, feruentissimè colebat, & vt in illius honorem aliquid religiosum efficeret, singulis Sextis Ferijs in lupanar contendebat, è quo aliquando nonnullas meretrices, ab inhonesto vitiorum more detrahebat, & in domum ad hoc designatam deferebat, quibus obsonia suppeditabat, donec illas in matrimonium, aut in monasterium pœnitentiæ collocaret, quæsitu ex illustrium fœminarum eleemosynis, dotibus, quas facile assequebatur, cognito meretricum periculo. Sed in hoc artificij Christiani stratagemate, quæ opprobria non sustulit, ex procaci aliarum meretricum insolentia? Quæ conuitia non pertulit ex superbis lenonum vaniloquijs? quorum fastidia paruì pendebat, dummodò prædam è faucibus dæmonis eriperet. Aliquando euênit, quod

Conuitia à Meretricibus patitur.

Quatuor ex his mulierculis perfrictæ frontis IOANNEM fictâ conuersione fallere decreuêre, & ideo eum accersita simulatâ voce dixere: Nos ex Toleto ortæ sumus, ab hoc inhonesto exercitio recedemus, si in Regiam vrbem nos perducere disponis, ob componenda aliquot conscientiæ nostræ iurgia. Annuit Dei seruus, & quæsito equitatu, cum socio, illas Toletum vsque pedester aduehere destinauit. iter ingressus, & Almagrum perueniens, ibidem vna, & Toleti duæ ex eius oculis disparuere, quarta verò Dei nutu, contrita cum Viro beato gratulabunda Granatam repedauit, quæ nuptui tradita admirabilem vitam egit. Tantus erat in eo charitatis apex, vt à multis potiùs prodigalitatis vitium, quàm virtutis officium perficere crederetur, non intelligentibus Serui Dei profundam spem, & inextinguibilem confidentiam, quam in Domini misericordia reponebat, sed hoc postmodum per pendentibus, confusi, Deum in B. Viri magnificentiâ laudabant.

Ab eis decipitur.

PERVENERAT Granatam D. Petrus Enrriquez de Ribera Tariffæ Comes; cuius aduentum cùm seruus Dei cognouisset, eius domum sub noctis crepusculo contendit, vt ab eo aliquid subuentionis acciperet. In diuersorium ingressus, Comitem cum alijs proceribus folijs lusorijs colludentes inuênit, à quo eleemosynam, suo more, flagitauit, qui viginti quinque aureos de stipulatione detraxit, IOANNIque obtulit. Ille acceptâ pecuniâ, gratijs peractis in suum latus discessit Hospitium. Comes verò vt Viri beati charitatem experiretur, illi in viam festinus occurrit, dicens: Frater IOANNES, ego nobilis sum Eques, qui in hac curia grauissimis detentus litibus, totam meam substantiam expendens, fame, & necessitatibus obruor; ad vilia, & inhonesta descendam, si charitas tua mihi auxilio esse desinat. Seruus Dei inspectâ hominis elegantiâ, & verborum eloquentiâ, bursam cum totidem aureis nummis dedit Comiti. Qui domum admiratione confusus, reuersus, omnia quæ acciderant proceribus enarrauit. qui omnes demirati S. Viri charitatem laudabant, maximè perpendentes, quanto feruore solâ in Dei prouidentia confisus, tot nummos vni obtulerit, quando tot pauperum millia sub sua cura penderent. Sequenti die Comes in pauperum Hospitium deuênit, & visis eorum lectulis, & domus diuersorijs, munditiam eorum, & consonantiam officinarum respiciens, verè cum Iacob dicere valuit: Vere Dei est locus iste. Postmodum IOANNEM alloquutus, illi per iocum dixit: Audiui frater, quòd nocte præteritâ latro pauperum eleemosynas inuasit. Cui Vir beatus, non ita esse, respondit. Tunc Comes bursam cum aureis nummis illi restituit, additis centum, & quinquaginta; œconomo suo præcipiens, vt totis singulis diebus, quibus apud Granatam detineretur, Centum Quinquaginta panes, Quatuor arietes, & octo gallinas pro pauperum subsidio, IOANNI remitteret.

Comes Tariffæ experitur IOANNIS charitatem.

QVÆRERE subsidia pauperibus commune erat in Dei seruo solicitudo; sed vitam pro eorum salute, & vita, euidenter exponere, efficacior est charitatis probatio, iuxta Dominicam rationem. Hanc ad viuum obseruauit

Ex flammis illæſus proſilijt.

nauit IOANNES, *nam cùm ignis validus Regalem Gyrgatum depaſceret, ad ſedandum flammarum furorem, exploſo metu, deuênit, & cognitâ pauperum neceſſitate, quos in diuerſoriis ab omnibus derelictos, & fumo pereuntes inuênit, diligentiâ potius diuinâ, quam humanâ, omnes vtriuſque ſexus ſuis humeris, lectulos, & ſupellectilem, in tuto, circumſtantium admiratione, locauit. Illis in tutamine relictis, vbi fortius ignis furor ſerpebat contuens, adſcendit, & viam flammis intrepidus intercipiebat, donec illum flamma prorumpens vtrobique medium tenuit, tanta fumi caligine, vt apud omnes combuſtus prædicaretur, ſic vt per vrbem eius mortis fama peruolaret. Sed poſtmodùm inopinatè liber è flammis proſiliens, ſingulorum circumſtantium animos in maiorem admirationem hominis charitas, quâ Dei fauore illuſtratus fulgebat, arripuit.*

Eius patientia exemplo demonſtratur.

PATIENTIAM *& modeſtiam, quâ Chriſti Tyrones perficiuntur, ſic colebat, vt nuſquam malum pro malo retribueret, quin potius labores profundo ſilentio, & animi quiete tolerabat, nam opprobria beneficiis, & iniurias gratitudinibus compenſabat, vt verus Chriſti pediſſequus noſceretur, in cuius Cruce gloriabatur. Quod experta eſt ad viuum ipſa vrbs, nam cùm aliquando, per viam, qua dicitur* de los Gomeles *multo mane deſcenderet, vt pauperibus obſonia quæritaret, fiſcella cuiuſdam Equitis pallium offendens, illud ab eius humeris deiecit. Procer iratus dixit:* Improbe, & inurbane, nonne quomodo incedas, proſpicies? *Cui patienter Vir beatus:* Frater ignoranti veniam præbe. *Eques qui voces ſuæ vanitati minus audiuit honeſtas, furibundus alapam ſeruo Dei feſtinanter incuſſit. Ille alteram maxillam præbens, dixit:* Fœdè frater erraui, aliam incute. *Tunc procer, quia iterum* fratris *vocem audiuit, ſeruis, vt occiderent hominem inurbanum præcepit: ſed accedens vir nobilis cui* Ioannes de la Torre *vocabulum, viſa proceris, & eius familia aduerſus pauperem altercatione; alta voce dixit:* Ecquid eſt hoc frater IOANNES? *Vix Eques nomen Viri audiuit beati, cùm eius pedibus prouolutus, veniam humiliter precabatur, demirans illum eſſe toto orbe celeberrimum* IOANNEM, *qui procerem amplexatus, in forum lætus contendit, & procer Quinquaginta aureos in pauperum ſubuentionem ad Hoſpitium emiſit. Nec iſthæc patientiæ virtus hoc ſolo circumducebatur exemplo; alterâ die, cùm in veterem S. Inquiſitionis domum ingrederetur, vt pauperibus eleemoſynam eliceret, & ad lacum, qui in domo erat, accederet, ab inquieto puerulo in ſtagnum proiectus eſt, qui ex illo proſiliens pueruli factum approbauit, eique gratias egit, ex quo in poſterum maiorem meruit venerationem. Quadam mulier, quam de lupanari redemerat, & matrimonio iunxerat, importunè à Viro Dei munuſcula depoſcebat, quæ quotidie rigida fœmina liberaliter porrigebat. At cùm quadam die ad Hoſpitium acceſſiſſet, & mercedem, vt moris erat, efflagitaſſet, Seruus Dei, qui munuſculo, & veſte deſtitutus, ſtragulo coopertus humi iacebat, nam totam veſtem paulò antea pauperi donauerat, fœmina dixit, ſe die ſequenti duplicatam eleemoſynam largiturum; ſed effera mulier aduerſus eum contumelias, & opprobria fulminans, validioribus domum replebat clangoribus. Cui tacitâ humilitate reſpondens, dixit:* Aut ſerò, aut citius tibi veniam conceſſurus ſum; vade in pace, ego enim ſtatim parco. *Hinc eius manſuetudo omnibus innotuit, cuius tàm feruidus obſeruator extiterat, vt ſemper ſua inſignia facinora tegeret, defectus verò & errores propalaret, fantaſticam gloriæ popularis vanitatem, quæ vitæ ſpiritualis eſt tinea, diffugiens.*

Alapam à Procere incuſſam patienter tulit.

In lacum à puerulo deijcitur.

Dehoneſtatur à Muliercula.

Varia pro infirmantiũ differentiis diuerſoria extruxit.

QVOTIDIE *pauperum diuerſis ægritudinibus laborantium creſcebat numerus, quos ſecundùm infirmitatum differentias, diuerſoriis diſparibus collocabat: nam febribus correptos ſeparatim à morbo venereo infectis reponebat; vlceribus fœdatos à pedum debilitate truncatis ſeparabat; incurabili epidemiâ deſperatos, à vulnerum ictu afflictis ſegregabat; omni humanâ ope deſtitutos puerulos, ab achoribus ſorditatis, ſeu expoſitis remouebat;*

uebat; & mentecaptos, & simplices, ab omnibus alijs febricitantibus seiungebat. Sed quia peregrinis, & aliis pauperibus non erat locus in diuersorijs, & hyeme frigoris magnitudine peribant, culinam fabricare fecit, à diuersorijs separatam, sic dispositam, quod biscentum caperet peregrinos, qui nec alij alijs impedirent ignis calorem, nec vnus in alio illideret. Hoc etiàm ad aures aliquorum nobilium, & piorum peruenit virorum, inter eos conuenit, vt IOANNI pergrandiorem emerent domum, quà faciliùs, & latiùs curarentur infirmi, ideò in via, quæ dicitur de los Gomeles, domus, quæ Monialium Monasterium fuerat; comparata est, quà dispositis diuersorijs, & officinis, & alijs communibus locis ad Hospitium pertinentibus, illuc suos pauperes transtulit, quò in posterum tantus pudibundorum concursus fuit egenorum, ex omnibus sexus, status, & ætatis gremijs, vt eorum negotijs distractus, vix otium, aut tempus illi ad alia necessaria exequenda superesset. Nam omnium necessitates audiebat, omnibus solamina præbebat, his pecunias; illis crediti schedulas porrigebat, quibus contentos omnes dimittebat. Ast cùm Ciues Granatenses, Dynastásque Bætica continuis flagitationibus fatigatos crederet, Vallisoletum oppidum, in quo Curia erat Regalis adiuit, Regémque est auxilio Comitis Tendilla alloquutus, à quo, & ab Infantibus Regis sororibus; & ab aliis Reginæ pedissequis virginibus, cæterisque illustribus fœminis, opulentas eleemosynas accepit. Verumenimverò, cùm S. Viri fama vndique vagaretur, tot pauperum cateruas, & necessitatum frequentias inuenit in Curia, quòd obsonijs pene omnibus inter illos distributis, Granatam ferè vacuus reuersus sit. Vrbem ingressus, ab omnibus ciuibus, qui illum ex corde diligebant, & à suis pauperibus; qui illum exspectabant, benignè receptus, iterùm incepto operi manum apposuit, & persolutis aliquot debitis, aliquantulum respirauit. Sed cùm necessitates vndique serperent, facilè se oppignoratum inuenit, donec à Suessæ Duce, eiúsque Excellentissimâ coniuge; quorum pietas; inter Bætica Dynastas, in S. Viri subuentionem prima, & maxima noscebatur, pro debitorum solutione auxilia, adhuc non petita, recepit.

Pro Peregrinis fabricauit culinā hyemis tēport.

Grandiorē domū emit; quà pauperes colligerentur.

Villisoletū adijt, & Regem alloquitur.

Munera Regum inter pauperes Curiales distribuit. Dux Suessanus IOANNIS debita soluit.

NEC tantâ assidui laboris frequentiâ, quæ in procurandis eleemosynis, & in pauperum curatione consistebat, ingens pœnitentia, & carnis maceratio deerat, ita vt etiam robusto corpori graue reputaretur onus, quanto magis debili, & exhausto, mortificationum anfractibus, quinpotius, nec illis contentus, carnem affligebat assiduè; ita vt spiritui subijceret, viliora edulia mandebat, & in diebus præceptis ieiunium remoto pane complebat; totis Sextis Feriis in pane; & aquâ ieiunabat; quibus disciplinam sumebat; humi cubabat; continuò nudis pedibus, cilicio intrinsecus tectus, capite, & barba rasis, sine galero, sine subucula; & appensa ad humeros fiscellâ, itinera pedester agebat. Licet igitur in se tàm rigidus notaretur censor, tamen sic pauperum leuissimas miserias condolebat, vt illis inspectis, animi commotione consternaretur. Nocte quadam euènit, quòd cùm ad Hospitium, fiscellâ cibarijs plena, & paupere ad humeros pergeret onustus, præ pluuia tempestate, & horrentis noctis caligine complicatus, oneri succubuit, ita vt pauper contereretur; sed illius dolore anxius, proprium corpus feriens, dicebat: Siccine aselle stupide, iners, & piger onus respuis? Nonne hodie comedisti? Ergo, vt quid pauperes comesturos non respicis? Húncque, quem ad humeros portabas, tuâ negligentiâ moribundum non intueris? Quibus dictis consurgens, fiscellam, & pauperem iterum adsumens, ad Nosocomium peruênit. Sunt qui dicant, Raphaëlem Archangelum adiutorem habuisse, vt pauper humeris locaretur. Nec non aliquando ipsum Christum formam pauperis accipientem, in humeris repositum, in Hospitium retulit, quem in pedum lotione cognouit, à quo gratias ob pauperum curam, accepit.

Varia charitatis Officia.

Exempla.

Christum in lotione pedum agnouit.

COGNOMEN, & habitus IOANNI nec sine mysterio fuit impositus, nàm cum quadam die ad mensam D. Sebastiani Ramirez de Fuenleal,

Cognomen, & habitum ab Epiſcopo accepit Tudenſi.

Tudenſis Epiſcopi, & Regalis Granatenſis Cancellariæ Præſidis, pranderet inuitatus, ignorato cognomine ſerui Dei per Epiſcopum, illi, vt in poſterum IOANNES DE DEO *vocitaretur imperauit. Et cùm veſtem illius etiam Præſul ſordidam, & irreligioſam, qua in vno paruo, & decurſato ſagulo hiſpido verſabatur, intueretur, etiam in nomine* Sanctiſſimæ Trinitatis, *illi religioſam veſtem impoſuit. Quâ indutus, & Epiſcopali benedictione acceptâ, in Noſocomium alacer reuerſus, ſuis pauperibus habitum demonſtrauit, qui in cudone, & ſacco ab humeris, vſque ad pedes, & femoralibus craſſis verſabatur, quem cum cognomine per totum vitæ ſuæ terminum retinuit. Licet ergo Dominus ſuum famulum præcipuè per Marthæ actiuam operationem perduxiſſet, in qua maioris temporis partem terebat, non ex hoc Mariæ vitam contemplatiuam dimiſit, nam quidquid noctis, & diei ab hiſce occupationibus ſupererat, in oratione, & contemplatione mirum in modum occupabat, ita vt pluries totam noctem gemens, & plorans, & à Domino veniam peccatorum, & auxilia pro ſubueniendis præſentibus neceſſitatibus expetens, tranſigebat; benè conſcius, orationem eſſe anchoram, & firmamentum totius vitæ ſpiritualis, ſine qua tota profectionis religioſæ fabrica corruit. Ideo itaque nequaquam opus aliquod incipiebat, ſine orationis præambulo, quo ſic dæmones debellabat, vt ſemper victor, illis horribilis extiterit, & inuiſus, quod ex ſequentibus patet exemplis. Cùm enim quadam nocte in oratione poſitus pernoctaret, à diabolo fuit impetitus, in cuius lucta totam ferè noctem deſudauit, donec à conſocio, iuxta cellulam B. Viri accumbente, ſtrepitu luctationis audito, ac intus intrante, ferus hoſtis diffugit,* Ioannem *relinquens illiſum, quem fratres iamiam ſodalis vocibus accerſiti, in lectulum perduxere. Poſtmodùm, aliquot diebus tranſactis, dum orationi vacaret ab alio dæmone formam pulcherrimæ mulieris habente, & in cellam ingreſſo, perturbatus, illum ſigno crucis fugauit. Aliquando alium in porci formam apparentem, à quo ſeruus Dei per tempus vexatus fuit, propulſauit. Sæpè per ſcalas Noſocomij proiectus eſt. Alterâ nocte pauperem eleemoſynam petentem inuenit, ſed nullam illi Dei famulus conceſſit. Cauſam fictus pauper efflagitans; quia in Chriſti nomine ipſam non petebat, audiuit; cui diabolus talem ictum concuſſit, vt illum in terram proijceret, quo facto obmurmurans euanuit.*

Contemplationi deditus noctes tranſigebat.

Oratione dæmones fugabat.

Cur pauperi nunquam eleemoſynã dedit?

Prophetiæ dono illuſtratur.

MVLTOTIES *dono prophetiæ illuſtratus cordium ſecreta patefecit; nam cùm infirmum per octo dies moribundum vidiſſent fratres, & anguſtiam ſeruo Dei ægrotantis retuliſſent, ad eum acceſſit, & dixit.* Cur iniquè veritatem non fateris? Nonne vides Sathanam hic ſtantem, vt animam tuam rapiat? *Tunc eius illi peccamina propalauit, eùmque duarum vxorum viuentium virum eſſe patefecit, ſodomitićoque pollutum crimine aſſeruit. Tunc ægrotus ſua peccata manifeſta cognoſcens, Confeſſarium admiſit, & ſacramentis vallatus animam reddidit. Alia erat in Noſocomio fœmina infirmitate prævalidâ oppreſſa, quæ continuis vocibus, vt per forum* Bibarramblæum *raptaretur, proclamabat. Eius ſtrepitum vt audiuit* IOANNES *ad lectulum properauit, & dixit ægrotæ:* Tolle dæmonem de corde tuo, & ſtatim ab hoc propoſito reſipiſces. Scio enim te per decẽnium in concubinatu iacere. *Tunc mulier dolore correpta, peccatum per tot annos occluſum confeſſa, pœnitens occubuit. Aliquando in ſtrato cùm Vir Dei iaceret ægrotans, fratrem vocauit, & dixit:* Vade ad diuerſorium, quod ſupra nos eſt, & inuenies puerum moribundum, illi candelam in manu pone. *Frater præceptum demirans, vel quia adhuc Vir beatus exiſtentiam pueri penitus ignorabat, vel quia cognoſceret ex infimo loco ſtatum infirmi, ad diuerſorium accurrens, puerum animam inuenit exhalantem, & candelam in manu ægroti apponens, illicò puerulus expirauit. Eius deuotis ſæpiùs ſui tranſitûs horam, inter dies Veneris, & Sabbathi futuram prædixit. Alijs Hoſpitalitatis inſtitutum, protinùs vt ipſe è vita diſcederet, multum in modum ampliandum per Orbis vtriuſque Chriſtiani climata*

Exempla.

Aliud.

Aliud.

Hoſpitalitatis inſtituti incrementa prædixit.

mata prælibauit. Quæ omnia ad vnguem completa cognoscimus.

Ex *intenso, quo Deum prosequebatur amore, crescebat, & alebatur in* IOANNE *desiderium, quod in omnibus creaturis honoraretur Altissimus; & vt id felicius consequeretur, suorum finis operum præcipuus erat, quòd gloria Domino, & honor tribueretur æterno; itaut pari passu ambularet curatio corporis, cum animæ salute: ideò nunquam alicui ministrauit temporalia cui non iunctim remedia præberet spiritus, quod potiùs operibus quam verbis peragebat, mundi despectum prædicans, Christi Crucem amplectendam suadens, vt ex suprà dictis apparet, quibus omnia patienter tolerabat opprobria, vt aliquod in Dei honorem, & proximorum salutem, lucrum eliceret; de quo plura potuerant exempla numerari, sed sequenti contenti finem vitæ actibus apponemus. Ad vrbem* Granatam *deuenerat quædam mulier specie lepida, pulchritudine micans, formâ, & corpore venusta; quæ in litis prosequutionem Regia tribunalia frequentabat. Ista ergo prout decora, ita paupertie laborabat, & ideo in summo posita Viri Dei animum arripiebat. Illam ex alea, quâ versabatur, eripere satagens, fœminam lynceis oculis quæritauit, & in domo cuiusdam Causidici inuentam, secretò illam est alloquutus, è qua omnia eius vitæ cognouit acta, & causam assistentiæ in Curia. Tunc* IOANNES *eius periculum patefecit, ipsiúsque litem solicitare, eíque necessaria præbere promisit, si in domo ab eo assignanda, debitâ recollectione persistere vellet. Annuit mulier, & seruus Dei illam in domum honestarum mulierum perduxit, penetrale designauit, necessaria omnia suppeditabat, & litem sollicitè gerebat. Quoties opus erat, vt illi de litis statu rationem redderet, eam visitabat, quam continuò flexis genibus, lachrimisque obortis interpellabat, ne foris procederet, suo honori prospiceret, néve Deum offenderet, si quidem eam alebat, & eius litem agebat; quibus dictis discedebat. Ast cùm quadam nocte Dei famulus in istius fœminæ cubile fortassis ingrederetur, illam affectatione curiosâ comptam inuênit, cuius apparatum extra morem demiratus, in illam reprehensionis iacula conuertens, sic eius libertatem exprobrauit, vt eam in lachrymas resolutam desereret. Tunc amasius, qui à tergo lectuli absconditus, ab inhonesta fœmina protractus, & admissus, cùm primùm efficacia serui Dei monita peraudiuit, pœnitentiâ ductus, prosiliens, fœminam ad castitatem induxit, & ne in posterum Deo benemerenti sic turpiter referret gratias, & IOANNI eius nomine necessaria præbenti, veritatémque suadenti tantâ ingratitudine responderet, admonuit; quo dicto; & relictâ muliere, promittens se Deum non offensurum in reliquum, in propriam domum se recepit. Qui promissum adimplens, vitam mutauit in melius, quam finiuit magnâ opinione virtutis, & exempli. Hinc Dei bonitatem, & munificentiam cognosces, quæ haud permisit, quòd Viri beati labor, absque fructu præteriret: nam licèt mulier nesciret profectionem amplecti, iuuenem introduxit, qui charitatis fructus colligeret, vt impleretur Prophetæ vox dicentis* : sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non reuertètur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud.

Gloriam Dei, & proximorũ salutem præ oculis habebat.

Admirabile charitatis exemplum.

Isai. c. 55.

LABORVM *denique frequentia ob* B. IOANNIS *charitatem subcreuit multiplicem; quod ansam ægritudinibus præbuit, quibus iam penè obrutus, licèt grauissimos simularet dolores, ne pauperes affligeret, amplius progredi non valebat. His accessit, quòd cum Syngilis fluuius aquis validis redundaret, inque eius torrente ligna, & stipites portaret cum aliquibus fratribus, & Nosocomij seruis robustis ad flumen accedere, ligna colligere, & in Hospitium deferre, in pauperum subuentionem decreuit. Cùm ergo fratres & serui stipites colligerent, euênit, quod adolescens quidam propter ligni apprehensionem, in fluminis alueum ingressus, à torrente raptus vitæ periculo laboraret, cuius necessitate compunctus Dei seruus in medias vndas prorumpens, vt pauperem liberaret, sic madefactus euasit, sic frigore confractus prosiliit, vt in lectulum caderet extenuatus, ita vt amplius se erigere non valeret, nisi*

In Flumen ingreditur ob periculũ adolescentis.

obedientiâ, aut neceſſitate cogente, vt euenit hiſce ſucceſſibus. Quidam indiſcreto zelo viri, non perpendentes profundum ſerui Dei modum D. Petro Guerrero *Archiepiſcopo Granatenſi dixere, quòd in Noſocomio* IOANNIS DE DEO, *homines morum diuerſitate diſpares, & ad laborem prompti, fœminaque procaces, quæ famulum Dei contumeliis dehoneſtabant, congregarentur, quorum turbam diſtrahendam conſuluêre.*

Obedientia vis in Viro Dei.

Archipræſul tanquam bonus Paſtor, IOANNIS *ægritudinem ignorans, eum interpellauit, vt ad eius conſpectum accederet. Vir Dei, vt ſui audiuit præceptum Antiſtitis, è ſtrato ſurgens, ad eius domum feſtinus aduênit, cuius manum deoſculans, acceptâ benedictione, monita Præſulis expectabat, qui in hac verba prorupit:* Frater IOANNES DE DEO, ab aliquibus accepi, quatenus in Noſocomio veſtro praui exempli homines, & fœminæ congregentur, qui noxij, & incorrigibiles vos affligunt, & diuexant; ideo opus eſt, vt eos à veſtra ſocietate ablegetis, Hoſpitiúmque à ſimilibus perſonis vacuum relinquatis, vt veri pauperes ſub quietis pace perſiſtentes, vos, & illi in ſilentij ſolatio viuatis. *Omnia Vir Beatus attentis auribus auſcultauit, & illâ quâ erat præditus humilitate, ſubmiſſis oculis reſpondit:* Pater mi, & Paſtor bone, de me crederem omnia hæc fore dicta, cùm ſim nequam, incorrigibilis, & peccator, ex quo dignus vt domo Dei expellar.

Pauperum defenſio coram Præſule.

Pauperes verò qui in Noſocomio ſunt, omnes optimi, virtutibus inſigniti, & modeſti conſpiciuntur, in quorum minimo haud vitij proteruitas locum inuenit. Si ergo Deus malos ſuffert, & bonos, & ſuper omnes Solem oriri facit quotidie, vt quid expellemus eorũ domo quos Dominus alit, & ſeruat? *In admirationem hac reſponſione raptus Antiſtes, vt vidit charitatis ardorem flammantis in homine circa pauperes, illum amplexatus dimiſit, dicens: Perge in pace frater à Domino benedictus, & fac in Noſocomio ſicut in propria domo, ego enim ad hoc tibi facultatem concedo. Poſt hac obedientia obligatione ſolutâ, neceſſitatis apicem proferâmus.*

In vltima vitæ periodo exiſtens è lectulo ſurgit, vt deſperatum liberet.

Erat in vrbe textor pauper, prolixâ familiâ ſeptus, & eueniente magnâ annonæ penuriâ, illam alere non valebat. Quare de Dei prouidentiâ diffiſus, & antiqui hoſtis fallaciâ deceptus, laqueum ſibi præparauit puſillus, cuius intentionis vt ſine teſte exequeretur errorem, extra vrbem multo mane proſilsens fune paratus, in quendam ſecretum locum, arboribus conſitum aduentauit. Dei reuelatione, hominis miſeriam IOANNES *agnouit, & licèt in vltima vitæ clauſula noſceretur, protinus ſagum arripiens, & baculum aſſumens in hominis indagationem, quaſi remoto morbo, cucurrit. Quod vt inſpicerent, qui Viri Dei infirmitati aſſiſtebant, illum detinere curabant, ſed victis eorum difficultatibus, in locum, vbi textor miſerabilis erat, peruênit, eius errorem demonſtrauit, funem abſtulit, ſubſidia obtulit, & ſecum in propriam domum referens, præteriti periculi memoriam commendauit, futuræ vitæ emendationem admonuit, & tandem quietum Deo gratias referentem in domo propria reliquit; & ad lectulum reuerſus aſſiſtentium importunitate coactus, euentum, ſine hominis expreſſione, narrauit.*

Mortis ſuæ horam agnouit.

INGRAVESCENTE *igitur morbo, quia febris lenta operatione corpus affligere inceperat, B. Vir ſuæ terminum vitæ citiùs affuturum agnoſcens, vt omnibus de creditis pro pauperum ſuſtentatione, integra ſatisfactio daretur, vt potuit vrbem luſtrauit, & oſtiatim in libro creditores omnes ſcribere præcepit, & quæ vnicuique deberet diſpoſuit, è cuius libro tranſumptum exſcriptum accepit, quem in ſinu cuſtodiens, iterum in lectulo quieuit.*

Ab Hoſpitio ad domum illuſtriſſimæ fœminæ curationis ergo, perducitur.

Hinc cœpit obſonia pauperibus, ſchedulis quærere, quæ ac ſi præſens eſſet, integra ab Optimatibus, & Ciuibus mittebantur Hoſpitio. S. Viri infirmitatem, vt agnouit D. Anna Oſſorio *vxor* Garſiæ de Piſa *XXIV. Viri Granatenſis, fœmina virtutibus clara, & Dei ſeruo deuotiſſima, protinus in Noſocomium acceſſit, quæ morbi periculum agnoſcens, & lectuli, ſeruitij, & curæ nudum præſidium intuens, ipſo, & pauperibus renuentibus,*

renuentibus, & clamantibus, in suam propriam domum perduxit; quem in lectulo mundo positum, in omnibus obedientiam, vt ipse cateris pradicabat, prastaturum admonuit: hinc subuculam induit lineam, & eius curationi insignioribus medicis euocatis, Illustris mulier salutem Viro Dei totis viribus conquirebat. A pluribus itaque Dynastis, & Proceribus visitatus, quotidie crescebat infirmitatis malignitas, quâ lentè corporis compago corruebat, quo, per iam memoratum Archiepiscopum, cognito, solamen ipsius prasentiâ IOANNI *prabere constituens, illuc se contulit, & in cubile ingressus monitis suauibus Beati Viri pectus accendit; demùmque dixit*: Frater mi si aliquo angoris inuolucro afficeris, mihi reuela, ego remedia præbebo secura. *Cui Seruus fidelis*: Pater mi, & bone Pastor, triplici curâ obruor. Prima sit mei incuria erga Deum; à quo plurima recepi. Secunda meorum pauperum derelictio, quorum tibi subsidia committo. Tertia horum debitorum pro Christo factorum solutio. *Quo dicto è sinu librum promens; Prasuli obtulit. Qui illum accipiens dixit*: Frater mi, quatenus ad negligentiam, quam in Dei seruitio te habuisse profiteris, si confidentiam in eius miseratione reponis, ista meritis suæ sacratissimæ Passionis, delicta delebit, & si in aliquo defecisti supplebit. Pauperes autem, tanquam proprios filios recipio, ad quorum auxilia teneor. Debita contracta propter Christum, non tua, mea enim sunt, ideò ea ad vnguem persoluam. Ergo tuus animus conquiescat, & à mœrore desistat, & in Deum oculos conuerte, à quo veniam exposce, vt gloriâ eius sempiternâ fruaris. *Sic Vir beatus solamine Prasulis alacer, deosculatis eius manibus, & benedictione susceptâ, & Vale dicto, in magna gratitudinis quiete remansit. Pòst, conuocato* Antonio Martini, *quem post se successorem elegit, pauperes illi, viduas, & orphanos commendauit, & qua in posterum facienda essent, prudenti testificatione decreuit. Demùm cùm iam vita terminum adesse praenosceret, susceptis Sacramentis, è lectulo surgens; humi genua flectens, Crucifixi imaginem amplexatus, sit modicum silentiosus stetit, postea voce clarâ clamauit*: IESV, IESV in manus tuas commendo Spiritum meum, *quo dicto animam Creatori reddidit, Sabbatho, mediâ horâ post matutinum*, VIII. *Idus* Martij, *Anno Domini* M. D. L. *Cùm atatis sua* L V. *compleuisset, & insumptis in pauperum seruitio* XII. CORPVS *sanctissimi Viri genu flexum, & Crucifixo affixum per sex horas continuas remansit, & adhuc remaneret, ni circumstantium simplicitas postulasset, vt extenderetur; quòd in syndone posset inuolui; quod factum est.*

Visitatur à Dynastis & Proceribus.

Ab Archiepiscopo.

Qui eius debita soluere promisit.

Antonium Martini successorem in Hospitiò elegit Vir Dei.

Moritur.

Genuflexus, & Cruci affixus exspirauit.

ERGO *cognito per vrbem* S. IOANNIS DE DEO *transitu, Omnis ferè populus in Pisarum domum dilapsus Virum Dei videre cupiebat, in cuius lectica rosaries, imagines, & alia huiusmodi quilibet attingere desudabat. Nullo vocato, omnium Religiosorum catus & Clericorum capitulum protinus aduenit, & inter omnes funere disposito, celeberrimum inter huius Nationis illustria notatum credimus, cuius ecphrasis apud Scriptores Hispanos luculento sermone describitur. Magna Dominus S. Viri interuentu miracula operatus est, ob qua, & vita acta puritatem in Beatorum numero meruit adscribi, praslante* D. N. IESV-*Christo, qui cum Patre, & Spiritu-Sancto viuit & regnat in secula.*

Concursus Populi ad S. Viri lecticam. Sepelitur.

Hæc sunt ACTA à M. Francisco de Castro conscripta. Alia etiam prolixiùs recensuit *D.F. Antonius de Gouea* Episcopus Cyrinensis. Aliam Latinam contexuit *Arnaldus de Raise* Duacensis, vt ipse testatur. *in Auctuar. SS Belg. die I. Martij fol.* 31. agens de quodam Anonymo Carthusiano, qui etiam flexis genibus, vt Noster IOANNES, spiritum inter flammantis gloriæ globum reddidit. Deo eo etiam scripsère P. F. Hieronymus Roman. Augustinianus *in Rep. Christian. cap.* 34. Thom. Bozius *de sign. Eccles. lib.* 12. *c.* 21. Didac. de Yep. *in Discurs. Var. Lect. c.* 36. Carol. de Tap. *de Religios. Reb. c.* 32. P. F. Lucas de Montoya *in Chron. Minim.* & P. F. Fran-

ciſc. Lanouius *in eodem Chron. Anno* 1518. *n.6. fol.* 181. M.Ægid.Gonzal. Dauil.*in Theatr.Madridenſ.* & Ieronym.de Quintan.*Hiſt.Marianſ.lib.*3.*cap.*114.§.3.*fol.*446. P.F. Dominic.de Grauin.*in Voce,Turtur.*2. *p.cap.*4. *fol.*39.Hyppolit.Matrac.*in Fundat Marian.cap.*35.*fol.*286.Amicus Noſter D.Franciſcus Vermudez de Pedraza *Hiſt.Granat.*4.*p.c.*74.*fol.*131.

CVM ergo vbilibet S. IOANNES illuſtraretur miraculis de eius Canonizatione ſolemni inter ipſius aſſeclas eſt diuerſis temporibus actitatum; ideóque proceſſus informatorius Apoſtolicæ Sedis auctoritate compactus ex Hiſpaniâ Romam perductus, viſus, & examinatus fuit, cuius probationibus innixus Vrbanus VIII. Pont.Max.ſequens in forma Breuis diploma expedire decreuit.

VRBANVS VIII. *Ad perpetuam rei memoriam. In Sede Principis Apoſtolorum, nullis licèt noſtris ſuffragantibus meritis, diuinâ prouidentiâ conſtituti, ad ea per quæ Seruorum Chriſti veneratio in terris promoueatur, & laudetur Dominus in Sanctis ſuis, Paſtoralis muneris noſtri partes, propenſis ſtudijs impendimus, prout pia Chriſti fidelium, & præſertim Catholicorum Regum, & Principum vota expoſcunt, Noſque conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Sanè nomine dilectorum filiorum* Maioris, *& aliorum* Confratrum *Congregationis* IOANNIS DEI, *ſub Regula S. Auguſtini Nobis nuper expoſitum fuit, quòd tranſmiſſis de mandato noſtro ad Venerabiles Fratres noſtros S. R. E. Cardinales ſacris Ritibus præpoſitos, proceſſibus Apoſtolicâ auctoritate fabricatis, & in ſacro Rota Auditorio examinatis, ſuper ſanctitate, & virtutibus, & miraculis ſerui Dei* IOANNIS DE DEO, *fratrum, vulgò,* Fate ben Fratelli, *nuncupatorum Fundatoris, ijſque in Congregatione eorundem Cardinalium per plures ſeſſiones acerrimè diſcuſſis, citato etiam, & audito priùs ſuper ijſdem (vt moris eſt) dilecto filio Promotore fidei, cognito primùm de validitate proceſſuum, deinde de virtutibus heroicis, ac demum de miraculis in vita, & poſt mortem ab Omnipotenti Deo interceſſione dicti ſui ſerui patratis, referente dilecto filio noſtro* Petro Maria *S.Georgij Diacono Cardinale, ijdem Cardinales vnanimi conſenſu pronuntiarunt tutò poſſe, quandocunque Nobis placuerit ad ſolemnem Canonizationem dicti* IOANNIS DE DEO *deueniri, & interim* BEATVM *nuncupari, ac Miſſam, & Officium de eo; vt infra, recitari, & celebrari. Quare prò parte non ſolum* Maioris, *&* Confratrum *prædictorum, verumetiam chariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum* Ferdinandi *Romanorum Regis, in Imperatorem electi, ac* Philippi *Hiſpaniarum Regis Catholici, & chariſſima in Chriſto filia noſtra* Iſabellæ *Hiſpaniarum Reginæ Catholicæ, aliorúmque Chriſtianorum Principum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt interim donec ad ſolemnem Canonizationem dicti* IOANNIS DE DEO *deueniatur, idem ſeruus Dei* IOANNES DE DEO Beatus *nuncupari, atque Officium, & Miſſa de eo, vt infra, celebrari poſſit. Nos pijs* Ferdinandi *Regis, in Imperatorem electi, ac* Philippi *Regis, &* Iſabellæ *Reginæ Catholicæ, aliorúmque Principum, necnon* Maioris, *& aliorum* Confratrum *prædictorum, votum in præmiſſis, quantùm cum Domino poſſumus, benignè annuere volentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, de eorundem Cardinalium conſilio, vt ipſe Seruus Dei* IOANNES DE DEO *impoſterum* BEATVS *nuncupari, ac de eodem ab omnibus dictæ* Congregationis *Regularibus, vbique exiſtentibus, quotannis in die eius obitus Officium recitari, & Miſſa celebrari* de communi Confeſſoris non Pontificis, *ritu Duplici maiori per annum iuxta Rubricas Breuiarij Romani, & Miſſalis; & quòd Miſſam etiam per alios Regulares, & Seculares Sacerdotes, ad eorum Eccleſias confluentes; in Ciuitate verò* Granatenſi, *nempe in Eccleſia vbi eius ſacrum Corpus requieſcit, & in terra nuncupata* Monte mor il nouo, *vbi natus eſt, in omnibus Eccleſiis tàm Regularium, quàm Secularium Officium, & Miſſa ritu Duplici minore recitari, & celebrari poſſit, & valeat. Ac pro præſenti Anno duntaxat* Maior, *& alij* Confratres *dictæ Congregationis* BEATIFICATIONEM *cum Miſ-*

ſis,

sis, in die eis bene visa hic Romæ in Ecclesia S. Ioannis Calybitæ, necnon alij Sacerdotes tàm Regulares quàm Seculares ad dictam Ecclesiam eo die confluentes cum eadem Missa iuxta Rubricas se conformare liberè valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium facultatem concedimus, & impartimur. Non obstantibus, &c. *Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, Die* XXI. *Septembris*, M. DC. XXX. *Pontificatus Nostri Anno* VIII. M.A. Maraldus.

DIXIMVS S. Virum Hospitalitatis Institui incrementa prædixisse, & optimè; nam talia sunt vt vix in sensum hominis cadant. Quæ vt capias, breui ea referre non grauabor ecphrasi. Religio ergo huius Hospitalitatis in Hispania duas amplectitur Prouincias, alteram Bæticam, alteram Castellanam. In hac sunt XV. Xenodochia, & in eis D.VI. lectuli, quibus curantur 6340. ægroti ex variis malè affecti infirmitatibus. In Bæticæ Prouincia XXIII. numerantur Xenodochia, quæ M.C.LXXX. lectulos complectuntur, quibus curantur 1221. ægroti, diuersis infirmitatibus laborantes. *Incrementa Instituti in Hispania.*

APVD Indos hæc Religio TRES numerat Prouincias, quarum I. Peruana, quæ XVII. continet Xenodochia, & in eis adsunt DCCCC. lectuli, in quibus curantur 11030. ægroti. II. Mexicana, quæ XV. habet Xenodochia, & in eis 6490. curantur infirmi, nam alunt CCCC. LXXXX. lectulos. III. vocatur Terrafirma, quæ IX. amplectitur Xenodochia, & in eis sunt CCC. lectuli, quibus curantur 4060. ægroti, & hoc deficientibus Hispanicis classibus, nam his accedentibus, innumeri sunt ægroti. *Apud Indos.*

APVD Sardiniam, Italiam, Poloniam, Belgiam, Galliam, & Germaniam VIII. Prouinciæ numerantur, quæ illustria continent Xenodochia, quibus plurimi curantur infirmi. Quorum numerus ad nostras non peruenit manus, cum apud exteros sint Xenodochia. *Apud alios Europæos.*

MVLTI Summi Pontifices hoc sunt fauoribus prosequuti feliciter institutum, tanquam Ecclesiæ necessarium, & proximorum saluti conueniens, vt ex priuilegiis à Pio V. Gregorio XIII. Sixto V. Vrbano VII. Gregorio XIV. Innocentio I. Clemente VIII. Paulo V. Gregorio XV. & Vrbano VIII. colligitur, quorum diplomata typis edita gratias eorum liquidò manifestant. Pius V. Ann. M.D.LXX. institutum confirmauit apud Italos: pòst, Paulus V. Ann. M.DC.XI. illam confirmationem ampliauit ad Hispanos: demùm Vrbanus VIII. huius instituti alumnos participes fecit Priuilegij, quod dicitur *Mare Magnum*. *Pontificum priuilegia.*

ADHVC apud Hispanos & Indos hæc alit Religio DC. & amplius, fratres, quorum LXXX. sacris ordinibus initiati, ægrotis sacramenta ministrant. Curantúrque quotannis in Hispania, India, & Italia tantum, CXM. CCC.L. ægroti, & hoc in lectulis; nam extra lectulos, innumeri sunt, quibus fratres inseruiunt, chirurgico ministerio vtentes, inter quos multi inueniuntur hac arte peritissimi. Omnium charitatem si spectes, inenarrabilem contueberis: nam cùm omnes penè maximè iuuenes strenui sint, & variis poterant exercitiis, aut communitatibus applicari, omnia despicientes, Deo in proximis inseruientes, horum vlcera curant, apostemata exprimunt absque nausea, membra procindunt, theriomata purgant, squalidos, horridósque pauperes mundant, lue venereâ imbutos defæcant & medentur, epidemicâ contagione pollutos fouent, & quibusuis vulneribus etiam fœdissimis, medicas adhibent manus, & artem. Quid vltra? partim diuisi, alij eleemosynas pro sustentandis pauperibus quæritant, alij Xenodochiis ob pauperum ægrotantium curationem consistunt; nihil apud eos vacuum, nihil otiosum, vbicumque charitate subnixi, Deo gloriam, proximis salutem, sibimetipsis merita, inter tot Hospitalitatis officia, nullâ ambitionis intercedente curâ, nulla quæstus interueniente mercede, lætis aspectibus subministrant. O vtinam in futurum, æqualis sit huius tigoris instantia! *Fratrum numerus. Ægrotorum. Fratrum exercitia.*

MONS-MAIOR Oppidum in Portugalliæ ditione, quod NOVVM appellant, & in Eborensi circulo continetur, cuius mœnia, & castrum validissimum, Canna fluuius, & circuit, & lambit. Eius compaginem extruxit Sanctius I. Portugalliæ Rex Anno M.CC.I. cui insignia obtulit priuilegia maximè Eborensia, *Situs. Constructio.*

N 4 eiusque

eiuſque libertates. In eo Regni conceſſum habuit Alphonſus V. Rex Portugalliæ, *Scriptores.* Anno M. CCCC. XCVI. qui illud in titulum Marchionatus erigens, Ioanni filio Ducis Bragantiæ condecorauit. De eo ſcripsêre Acuñ. *Hiſt. Braccar. cap.* 19. & 62. Eduard. Nonn. *in Deſcrypt. Portugall. fol.* 47. & 61. Garibay *in comp. Hiſt. lib.* 34. *cap.* 16. Mariz *Dialog.* 2. *cap.* 9. Brandao *lib.* 12. *cap.* 28. Silu. *in Popul. Hiſp. cap.* 66. *fol.* 169.

SEPTIMO IDVS MARTII.

DIES IX.

A. *Barcinone in Citeriori Hiſpania, colitur memoria* S. PACIANI, *ipſius Vrbis Epiſcopi; qui poſt pudicitiæ candorem, eruditionis magiſterium, morum grauitatem, & virtutum ſpecimen, quibus catholicum pauit gregem; varia opuſcula orthodoxam doctrinam ſpirantia miro ordine compilauit, demum ſenio confectus ad æternæ beatitudinis requiem Confeſſor inclytus properauit.*

NOTÆ.

A. *Martyrologia.* SANCTVS PACIANVS. Eius inſignis eſt memoria apud omnes Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptores, & Martyrologos. Beda *ſeq.d* ſic: *Apud Barcinonam* Paciani *Epiſcopi, tam vita, quàm ſermone clari, qui optima ſenectute mortuus eſt, Theodoſij Principis tempore.* Vſuard. ſic: *Ciuitate Barcinona* S. Paciani *Epiſcopi, qui tempore Theodoſij Principis, optima ſenectute finem vitæ ſortitus eſt.* Eadem Ado, Notker. licet pro Barcinona, ſcribat Barcillona. Maurolyc. & Alexand. Peregrin. Petr. Equil. in *Catal. SS. lib* 3. *cap.* 187. ſic: Pacianus *Epiſcopus apud Barcinonam eiuſdem Pontifex Eccleſiæ claruit: vir caſtitate inſignis; vita, & ſermone clarus; varia compilauit opuſcula: ex quibus eſt certus liber contra Nouatianos; tempore autem Theodoſij I. vltima ſenectute feſſus, finem vitæ ſortitus eſt. VII. Idus Mart.* Petr. Galeſ. ſic: *Barcinone* S. Paciani *Epiſcopi, acerrimi Catholicæ fidei contra Nouatianos, defenſoris, virtutúmque Chriſtianarum ſplendore viri illuſtriſſ.* Prim. Cabilonenſ. in Topograph. SS. verbo: *Barcinon.* ſic: *Hic* Pacianus *Epiſcopus Theodoſio imperante migrat.* Phil. Ferrar. in Topograph. ſacr. verb. *Barcino,* ſic: *IX. Martij* Pacianus *Epiſcopus ſub Theodoſio ſeniore.* M.R. ſic tàm in veteri Iulij III. Gregorij XIII. quam in nouo Vrbani VIII. *Barcinone in Hiſpania* S. Paciani *Epiſcopi, tàm vita, quàm ſermone conſpicui, qui tempore Theodoſij Principis in vltima ſenectute finem vitæ ſortitus eſt.* Eadem, ſermone Luſitano ipſius Regni Martyrologium, & idiomate Caſtellano *P. Dionyſ. Vaſq* & in ſuo Hiſpanico *P. Higuera.*

Breuiaria. De eo nonnulla quæ vidi Breuiaria: *Salmanticenſ.* IX. Lectionum *Palentinum*, & *Placentinum*, & *Eborenſe*, licet in hoc XVII. Martij. *Ordinis B. Mariæ de Mercede* hoc die Duplex, ſine lectione. *Compoſtellanum* die X. Martij. Nouem lection. & Barcinonenſe; Duplex maius, ex decreto Synodali. De ſcriptoribus Eccleſiaſtici S. Hieronymus *de Vir. illuſtr. cap.* 106. ſic: Pacianus *in Pyrenei iugis* Barcilonæ *Epiſcopus, caſtitate, & eloquentia, & tam vita, quàm ſermone clarus, ſcripſit varia opuſcula,*

de,

de quibus est contra Nouatianos liber: sub Theodosio Principe, iam vltima Senectute mortuus est. Honor. Augustodum. *de Script. Eccles. c.* 107. Robert. Bellarm. *de Script. Ecclesi. saecul.* 3. *ann.* 360. *fol.* 86. Andr. Scot. *in Bibliot. Hisp. tom.* 1. *c.* 5. *fol.* 120. Historiographi. Anton. Vincent. Domen. *Hist. SS. Catalon. lib.* 1. *fol.* 25. Hieron. Puiad. *Hist. Catal. lib.* 5. *c.* 9. *& c.* 17. *fol.* 238. Ambros. de Moral. *lib.* 10. *Hist. Hisp. c.* 22. Damian de Goez *in Vir. Illustr. Hispan. fol.* 15. Garibay. *lib.* 7. *c.* 7. Marian. *Hist. Hisp. lib.* 4. *c.* 17. M. Anton. Sabellic. *Ænead.* 7. *lib.* 9. F. Stephan. de Salacar *in discurs. Symbol. fidei disc.* 16. *c.* 2. *fol.* 185. Philipp. Bergom. *in Supplem. Chron. lib.* 9. *Ann.* 400. P. F. Francis. Diag. *Hist. Comit. Barcinon. lib.* 1. *c.* 12. *fol.* 31. *col.* 3. Padill. *Hist. Eccles. Hisp. tom.* 1. *cent.* 4. *c.* 65. *fol.* 286. P. Mariet. *lib* 5. *SS. Hispan. c.* 4. *fol.* 114. Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 369. vbi P. Biu. *n.* 5. *fol.* 393. & Roder. C. *fol.* 135. *lit.* P. Ioann. Vass. *in Chron. Ann.* 350. & Tarraf. *de Reg. Hisp. in Theodos. Ann.* 395. *& in Alarico Ann.* 411. Hieron. Paul. *in sua Barcinon. fol.* 3. Gordon. *in Chronolog. Ann.* 338. Ex quibus hæc pauca excerpere potuit Acta curiosa deuotio.

Scriptor Eccl.

Historiographi.

ACTA S. PACIANI EPISCOPI Barcinonensis, ex Variis Breuiar. & Legend.

PACIANVS *ex nobili* Hispanorum *genere natus apud* Barcinonam *in Tarraconensi Prouincia, ab exordio iuuentutis, in literarum stadium adscitus, & ad eruditionis studium à Parentibus Catholicis oblatus, vtriusque culmen perspicacissima ingenij subtilitate, breui tempore adeptus est. His primaeuis doctrinæ fundamentis, sæculari indutus chlamyde ad matrimonij vincula peruenit, quo coniugij tempore ex legitima vxore* L. Flauium Dextrum *V. C. Præfectum Prætorij Orientis, Illustrem Hispaniæ Cronographum, & S. Hieronymi, & Pauli Orosij amicitia coniunctum, filium excepit. Quem item in omnibus literarum doctrinis erudiri curauit. Sed è viuis sublata charissima coniuge, ad Ecclesiastici functionem muneris, vbi ille indefessus rapiebat Spiritus, animum applicuit. & taliter se in diuinis exercuit offitiis, vt vacante* Barcinonensis *Ecclesiæ Præsulatu, ad tanti oneris apicem, & tanti muneris verticem omnium votis conciuium suffragantibus, & eius meritis in omnibus exposcentibus euectus est. Illicò, vt ad tanti Officij ponderis, etiam Angelicis humeris formidabilis, grauitatem occurreret, (nam vt ipse ad* Symphronianum *asserit, in ingressu, Marcionitarum, Apollinariorum; Cathaphrigarum, Nouatianorum, & aliorum hæreticorum abominabilis totam vrbem depascebatur lues) omnia catholici dogmatis arma admouit, & valida opusculorum manu, nefarias illas hæreticorum sectas explodere procurauit. Scripsit enim contra* Nouatianos, *epistolas tres, quibus illorum blasphemam proteruiam validissimis oppugnat rationibus, & doctrinis, item* Parenæsim, *ad pænitentiam, & libellum de Baptismo; Epistolam quoque ad* Symphronianum *de intelligentia, & dignitate huius nominis* Catholicus, *quod verè Romanæ, Orthodoxæque Ecclesiæ sectatoribus, tunc temporis largiebatur, num sub* Christiani *vocabulo, licèt impropriè, etiam hæretici comprehendebantur:* Nec Donastitis *indulsit, contra quos* Apologiã *scripsisse opinio est. In reliquo Pastor egregius, & seruus fidelis appuruit; nam nullius vnquam faciem, pro veritate loquentem, pressit; misericordiæ operibus iuxta virtutem substantiæ institit; & tamen insistere supra virtutem concupiuit; infirmis compatiebatur, beneualentibus congaudebat, aliena damna, propria reputabat, de alienis gaudijs, tanquam de proprijs lætabatur; in corrigendis autem vitiis seuerus, in fouendis virtutibus auditorum demulcens, in ira iudicium sine ira tenens, in tranquillitate autem seueritatis suæ censuram non deserebat, quibus virtutum gradibus ad perfectæ Sanctitatis extremum peruenit, ex quo Magnus est vocitatus Confessor: quibus sanctimoniæ gressibus ad defessæ ætatis terminum excurrit, ideòque (etiam ab hære-*

Origo.

Matrimonio copulatur.

L. Flauium Dextrum filium suscepit.

Fit Episcopus.

Scribit contra hæreticos.

Virtutes.

ticis)

ticis) venerandus appellatus est Senior, quo annorum, & operum plenus, tandem ad aternam felicitatem depositis corporis, & muneris ponderibus solutus spiritus properauit. IX. *die* Martij *Anno Domini circiter* CCC. XCIII. *Imperante Theodosio Seniore.*

Mors.

Duo in huius vitæ ecphrasi discutienda sunt. I. Quod *S. Pacianus* fuerit Pater L. Flauij Dextri. II. de Anno quo ad Superos euolauerit. Quoad primum S. Hieron. de Script. Ecclesf.c.132. sic: *Dexter* Paciani *de quo supra dixi filius, clarus apud sæculum, & Christi fidei deditus, & in* Apolog. ad Ruffin. sic: *Ante decennium, cum* Dexter amicus *meus, qui* Præfecturam *administrauit* Prætorij, *me rogasset, vt authorum nostræ religionis ei indicem texerem.* Quem locum explicantes Raph. Volatter. *lib.*15. *Antropolog lit. D.* ait: *Dexter.* Paciani Præsulis filius, *V C Patria* Barcinonensis, *Præfectus Pratorij Theodosij Principis, cui Hieronymus, qui hac testatur, librum de viris illustribus dicauit.* Eadem Conradus Gesner. *in Catal. Iest. verit.* Anton. Posseuin. *in Apparat. sacr. lit.* D. Ioann. Rioche *in Compendio Tempor. lib* 2. *c.*14. Cæs. Baron. *ad Ann.*388. *& ad ann.*392. & alij apud P. Biu. *in elogijs Author in Comment. ad Flau. Dextr.* & Roderic. Caro. Ausbert. Myræus *in Scholijs. ad Bibliothec. Script Ecclesf. in Hieron. c.*132. sic: *F. Lucius Dexter* S. Paciani *Barcinonensis Episcopi (supra c.*106. *memorati)* filius, *fuit Præfectus Pratorio, vt ex Sophronio interprete Græco cognosci datur.* Sed cùm de Dextro hîc contigit loquendi opportunitas, & de Origine, Patre, & Patria, disceptauimus, nunc de dignitate *Præfecti Prætorio* breuiter elogia appingamus. Hoc officium ab Augusto originem trahere (vulgatum est) ex Mæcenatis consilio, illúmque ex Equestri ordine, licet Iacob. Guter. *de Offic. dom. August lib.*2. *c.*1. Anteriorem originem excogitet, cum Dio Cas. *lib.*52. Suet. *in Vit. Aug.c.*37. primam recenseat opinionem. Dicti sunt *Præfecti Prætorio*, quia præficiebantur, in sedilibus, seu tabernaculis, quos militia *Prætorios* vocitauit. Hinc *Præfectus Prætorio*, quasi *Præfectus Prætorum* dicitur. Huius tanta dignitas fuit in R. P. vt post Imperatorem, in ipsis erat suprema potestas, vt ex Aurel. Vict. *in Vespas.* colligitur. Et licèt in origine adhuc limitata fuerit ad militiæ terminos, postmodùm ad politicas Reipublicæ causas ascendit. Hinc in Imperatorum legibus, & constitutionibus Præfecti prætorio in l.1. C. T. de Pasc. *excellens autoritas* & in *l.*27. *Cod. Theod.* de Numerar. & Actuar. *excelsa Sedes.* Et in *l.*52 *eiusd. Cod* de Curs. pub. *sublimis magnitudo.* Et in *l.*10. eiusd. Cod. de diuers. Offic. *illustris præstantia, miranda sublimitas, & illustris magnificentia* In *l.*15. eiusd. Cod. de acusationib. *Celsitudo.* In *l.*9. eiusd. Cod. de indulg. Crimin. *excellens eminentia.in l.*15. eiusd. Cod. de Potion. vlt. dat. *Spes magnificentia Principalis.* In *l.*1. eiusd. Cod. Ne sine iuss. Princip. *in summa administratione posita potestas.* In *l.*8. eiusd. Cod. de Defensor. Ciuit. *magna Sedes.* In *l.*8. eiusd. Cod. de Postul. *forum magnitudinis.* In *l.*10. Cod. de Aduocat. diuers. Iudic. *Sedes culminis* In *l.*7. Cod. Theod. de honorar. Præfect. *apex sublimus Præfectura.* In *l.*8. Cod. eod. tit. *fastigium summum* In *l.*1. Cod. de off. Vicar. *quòd rerum illi summa commissa esset.* In *l.*1. Cod. Theod. de Episc. iud. *& summam iudiciorum teneret.* Ipsis, Imperatoris pugio, vt insigne maximæ potestatis tradebatur, vt testatur Plin. Secund. *in Panegyric. Traian* per quam multa alia priuilegia referunt Petr. Diaz de Ribas *in Antiquitat. Cordub. in explicat. cuiusdam inscriptionis Corduba inuenta fol.*10. & Iacob. Guter. *d c.*1.

Paciauus Pater L. Dextri.

Præfectus Pratorij quid?

Imperatorum pugio insigne Præfectis.

Orientis Præfectus Prætorio fuit noster L. Dexter *Paciani* filius. Hoc muneris officium fuisse referunt à Constantino in diuisione Romani Imperij constitutum, quod numero Pronínciarum, & authoritate primnm obtinebat locum, vt inquit Ian Guther. de *Offic. Dom Aug. lib.*2. *c* 6. *fol.*281 Sub illius ditione Quinque erant Diœceses, scilicet Oriens, Ægyptus, Asiana, Pontica, & Thracia. Huius diœcesis terminos explicat Sozimus *Hist. Ecclesf lib.*2. Hinc colliges quantus PACIANVS, quantus etiam DEXTER filius, cùm ille Præsulatum Patriæ, iste Præfecturam Orientis suscepere merentes. Dixi suprà, quòd locus in quo *Præfectus*, seu Dux exercitus in castris ius dicebat, vocabatur *Prætorium*, ad discrimen loci, seu tabernaculi, in quo ius dicebat *Prætor*, nam istius tribunal *Puteal* dicebatur, de quo meminit Arist. *lib.*4. *Polit. cap.*16. Horat. *lib.*1. *serm. epist.*16. sic:

Quod munus Præfecti Orientis.

Pretorium quid?

Forum,

—forum, Putealque Libonis *Quid Puteal?*
Mandabo siccis, adimam cantare seueris.
Et alibi, sic:

—Ante secundam
Roscius orabat, sibi adesses ad Puteal *cras.*
Et Ouid. *lib.* 2. *de remed.* sic:

Qui Puteal, *Ianumque timet, celeresque Kalendas.*

Constantius Land. *in Miscellan. Numismat. pag.* 28. referens *Libonis Scribony* numisma quo visitur *Puteal* hoc titulo: PVTEAL LIBONIS SCRIBONII intelligit, hoc fuisse tribunal, quo *Scribonius Prætor* iuxta arcum *Fabianum* ius dicebat: cum quo transit noster antiquus, & Antiquarius Ambrof. de Moral. *in Antiq. Hispan. fol.* 115. describens simile tribunalis signum, hac forma, & epigraphe *Cordubæ* inuentum. *Puteal Prætoris Tribunal.*



Cordubæ monumentum.

Et licèt hoc ita se habeat Petr. Diaz de Ribas *in libell. de Antiquit. Cordub. diuers.* 3. *fol.* 29. (vt non deficiat contradictionis stimulus) sine lege, sine autoritate, sine ratione *Ambrosij de Morales* opinionem subuertens, literaliter putei custodiam lapideam, quod etiam Latinè *Puteal* dicitur intellexit. Sed vt tanti eruditissimi viri veritatem tueamur, in eius subsidium Æneas Vicus Parmensis *in Augustar. imaginib. tabul.* 13. *fol.* 31. testis appareat. Hic loquens de Scribonia Augusti III. vxore, asserit hanc fuisse L. Libonis Scribonij COS. sororem, qui cùm esset *Prætor* vrbis hoc *Tribunal*, seu *Puteal* posuisse iuxta arcum *Fabianum*, de quo hoc numisma recenset, ex altera parte Boni euentus effigies, & ex altera *Puteal* sic: *Ambrosius Morales defenditur.*



Numisma ex Ænea Vico.

Et concludit; *Hæc verò sedes Prætoria erat, quæ* Puteal *nuncupabatur, & erat in regione VIII. vrbis, iuxta arcum Fabianum, & celebrit Mercatorum locus.* Et *Puteal,* sedes Prætoris, dictum est Libonis Scribonij, à Lib. Scribonio, qui prope arcum Fabianum tribunal, & subsellia collocauit, vt ex Pub. Vict. *de Region. vrb. Rom: reg.* 8. liquet. Ex quibus Ambrosij nostri opinio, tanquam eruditioni consona sequenda est. *Interpretatio.*

De II. Quæsito, quod ad annum transitus attinet, videndus est Pujades. *d. lib.* 5. *cap.* 17. qui computum validissimis, & irrefragabilibus numeris circumducit, & ad annum in ecphrasi assignatum *S. Paciani* vitæ terminum consignat, expunctis *Tarrapha*, & aliorum deliriis, & somniis, vt apud ipsum videre est. *Annus Transitus S. Paciani.*

SEXTO

SEXTO IDVS MARTII.

DIES X.

A. Britoniæ in Aſturibus Hiſpaniæ SS. Gorgonius, Firmus, Antonius, *&* Agapis *Virgo, qui ex Nicæa Bythiniæ, illò delati, in perſecutione Decij Imp. pro Chriſti gloria Martyres coronantur.*

NOTÆ.

A. SANCTI GORGONIVS, & Socij.] Eorum licet non adſit hoc die memoria in Romano Martyrologio, apud ipſius inſtituti Scriptores non deficit, de *Agape* Virgine, & Martyre, hoc die mentio eſt

Martyrologia. apud Martyrologia HRabani, & Notkeri, de *Gorgonio*, & *Firmo* apud Equil. *lib.* 11. *Catal. SS. cap. fin. num.* 87. ſic: Gorgonius, *&* Firmus *Martyres eodem die palmam perceperunt.* Egerat numero antecedenti de XLII. Martyribus in Perſide paſſis, VI. Idus Martij, & ideò dixit: *eodem die.* Nec eſt, quod anxiet, quia in textu *Equilini*, impreſſionis anni 1545. dicat *Gregorius* pro *Gor-*

Error in prælo apud Equilinum. *gonius*, nam hoc corrigitur ex indice, in quo lit. G. in verbo *Gorgonius*, ſuppletur, ſic: *Gorgonius M. XI. vltimo* 87. & quamuis in hoc codice, hæc probatio non ſufficeret, in alio anni 1521. in fol. *Gorgonium*, ſine mendo reperies. Omnes cōnlūnxit Galeſinus. h. d. ſic: *Nicea in Bythinia Beatorum Martyrum* Gorgonij, Firmi, Antonij, *&* Agapæ *Virgmis*. Et in Notis, ſic: *Ex Martyrologijs vetuſtis, manu exaratis.* In quodam meo Martyrologio Alexandri de Peregrinis Ann. 1553. poſt anamneſim XLII. Martyrum, in Margine ſic: *Ipſo die Sanctorum* Martyrum Gorgonij, Firmi, Antonij, *&* Agapis *Virginis ex Martyrologijs Manuſcriptis.* Philipp. Ferrar. *in General. Catal. SS.* tantùm de *Antonio*, & *Agape* agit, ſic: *Nicæa in Bythinia Sanctorum Mar-*

Ferrarij error. *tyrum* Antonij, *&* Agapæ *Virginis*, & in notis, ſic: *Ex Galeſino, qui à Græcis accepit. Paſſi ſunt cum* Gorgonio, *&* Firmo *de quibus in Martyrologio Romano die ſequenti.* In primo errorem contraxit *Ferrarius*, cùm nec *Galeſinus* de Græcis loquitur, nec *Græci* in Menologiis, nec alibi ipſorum Martyrum meminêre. In ſecundo attentiùs proceſſit, quia de *Gorgonio*, & *Firmo* mentio apud Vſuardum eſt, XI. Martij, ſic: *Ipſo die Gorgonij, & Firmi* M.R. *Item Sannctorum Gorgonij, & Firmi.* Eadem *Maurolyc.* Patres Societ. Ieſ. *in Martyrol. Luſitano* & P. Dionyſ. Vaſquez. *in Caſtellano* & P. Hieron. Rom. de la Higuer. *in Martyrol. Hiſpan.* die XI. huius Menſis ſic: *En Nigelia ciudad de la Andalucia, ſegun vnos o en Nancia llamada Noega de las Aſturias los Santos Martyres* Gorgonio, Firmo, Antonio, y Agapis *Virgen, que traidos ſus cuerpos de Nicea de Bitinia repoſan en paz.* Latinè. *Nægla in Bætica, vt aliquorum eſt opinio, Noëga Vſeca in Aſturibus corpora ex Nicæa Bythinia delata S. Martyrum* Gordonij, Firmi, Antonij, *&* Agapis *Virginis, in pace quieſcunt.* Ex quibus (non enim alios vidi) ſic eius vitæ, & mortis ecphraſis poteſt concinnari.

ACTA SS. GORGONII, FIRMI, *&* Sociorum Martyrum ex Varijs.

Patria. GORDONIVS, Firmus, Antonius, *&* Agapis *nobiles Nicenæ vrbis Bythiniæ Ciues, cum Chriſti Domini fidem amplecterentur, nulliter* (etiam corporum

porum *indumentis relictis) eius iugum excusserunt suaue; Quin potius* Decij *immanissimi Imperatoris, cuius industria in subuersione* Philipporum *Patris, & Filij Cæsarum; aut Christi asseclarum, aut de Christianis benemerentium, mancipabatur, edicta de Christicolis, aut Dijs immolandi, aut mortis acerbitatem capiendi, temnentes. & Idolis spuere, & Deum credere ausi sunt. Quo in vinculis coniecti, tormentis laniati, rigoribus expositi, mortibus traditi, coronis affecti, & triumphis exhibiti: illa patienter, hosque lætabiliter perceperunt VI. Idus* Martij *Anno Domini* CCLIII. *Quorum corpora postmodùm ad* Hispanias *delata apud* Britoniam *in Asturibus quieuerunt.* *Martyriū.* *Translatio.*

Errauit *P. Higuera* scribens apud *Noeglam Baticæ*, vel *Noegam in Asturibus* Martyrum sacra lipsana fuisse translata, nam vt ex Luitprando *aduers.75* colligitur, non alibi, quàm in *Britoniam* Asturum transferuntur sic: *In Asturibus, Hispaniæ vrbe* Britonia, *Sanctorum Martyrum* Gorgonij, Firmi, Antonij, *&* Agapis, *natorum in Nicæa Bithyniæ (casu ad Hispaniam delatorum, in persecutione crudelissimi Decij: qui X. Martij per varios, & terribiles cruciatus palmam martyrij tandem consecuti sunt.* Sic est scribendum, & legendum, mediante parenthesi, vt *Luitprandi* textus sustineatur, quia, vt in impressis *D. D. Laurentij Ramiresij*, omnimodo Martyrologiorum Scriptoribus relatis contrariatur: aliud enim est quod nati, & passi *Nicææ*, in Hispanias deferantur, aliud quòd nati *Nicææ* apud *Britoniam* casu aduentati ibidem martyrio coronentur: primum consonat cum *Martyrologiorum* verbis, & *Luitprandi* clausulis, si parenthesis adiiciatur: secundùm, nec *Martyrologijs* accedit, quin potiùs *Luitprandi* textus suspectus habebitur, nec communi traditioni conducit. Hanc meam opinionem, etiam ex ipsa *Luitprandi* contextura periodi depromitur, sic: *Natorum in Nicææ Bithyniæ in persecutione crudelissimi Decij.* Hic nec sensus adest. Sensum enim verbis, vt subsanetur oratio, quæramus. *Natorum Nicææ in persecutione* meo videri non solùm de Natali acciperem naturali, sed etiam de mystico, & sacro, quo sancti ex huius vitæ mortalis ergastulo, in æternam lucis perpetuæ ciuitatem morte corporis intercedente nascuntur, cùm hæc (vt tritum est) dies natalis in Ecclesia vocitetur, de quo plura, & eruditissima P. Mart. de Roa *de die Natal. sacr. & Proph. cap.* 18. Paulin. eleganter *in Natal. III. S. Felicis carmin.* 18. in principio, sic: *Error P. Higueræ.* *Error in impressione Ramir.* *Restituitur locus Luitprandi.*

> *Venit festa dies cœlo, celeberrima terris*
> Natalem *Felicis agens, qua corpore terris*
> *Occidit, & Christo superis est natus in Astris.*

Et in Natal. 8. Carm. 23.

> Natali *sine fine die, quia natus in ista est*
> *Perpetuis* Felix *sæclis, qua corporis æuum*
> *Functus, ad æternam migrauit in æthera vitam.*

Ergo *Natorum in Nicææ in persecutione Decij*: verba, ne claudicent in sensu, de morte Sanctorum Martyrum naturali, intelligenda sunt; vt sit sensus *Natorum*, id est: *Coronatorum Nicææ Bithyniæ*, & subsequente parenthesi *casu ad Hispaniam delatorum* omnis clausulæ compositio contegitur, sic: *In Asturibus, Hispaniæ vrbe Britonia* (festiuitas) *Sanctorum Martyrum G. F. A. & Ag. coronatorum in Nicææ Bithyniæ (casu ad Hispaniam delatorum) in persecutione crudelissimi Decij, qui X. Martij per varios, & terribiles cruciatus, palmam martyrij tandem consecuti sunt.* En Luitprandi textus suo restitutus nitori, & omnium Scriptorum sensui conueniens.

De Martyrij die, non est cur animus suspendatur, cùm passim hæc in Martyrologiis varietas agnoscatur. *De Anno*, difficilior prouincia est. Nam cùm *Decius* annum vnum tantum imperitasset, & hic ab anno CC. LIII. incepisset, mense Ianuario, & illico in odium *Philipporum* crudelissimam excitaret aduersùs Christi asseclas persecutionem, vt supra ex *Baronio* probauimus, & anno CC. LIV. Mense Aprili *Dies agonis.* *Annus.*

vitam finisset, an primo, an hoc secundo martyrij coronas percepissent, in dubio est. Coniectarem, hoc euenisse anno CC.LIII. nam eo tempore apud Alexandriam, Ægyptum, & Palæstinam hæc fera persecutionis rabies excrescebat, & continuabatur, & sic apud Nicæam Bithyniæ omnia depascere credendum est; vt ex Baron. *tom.* 2. *Annal. Eccles. Ann.* 253. *num.* 124. perspicuum est.

Topographia Bithyniæ. NICÆA Bithyniæ. Ciuitas quondam clarissima, apud lacum Ascanium in planicie figura quadrata, à Prusa vrbe inclyta in Cæciam ad XXV. M. P. recedente, paulo remotior in Eurum à Nicomedia vrbe, olim præstantissima, & primaria. De ea Ptolom. lib. 5. Geograph. Tabul. 1. Asiæ cap. 1. sic: *Clita, Latania,* Nicæa, *Cæsarea, quæ & Smyrdiane, Prussa penes Olympum montem* & lib. 8. tab. 1. sic: Nicæa *maximam diem habet horarum XV. cum octaua parte, & distat ab* Alexandria *versus Occasum hor.* ½. Plin. lib. 5. Hist. Nat. cap. fin. sic: *Nunc reliqua in ora à Cio intus in* Bithynia *Prusa, ab Annibale condita, inde* Nicæam *XXV. M. P. interueniente Ascanio lacu.* Qui & Olbiam dictam fuisse prius fatetur. Strab. lib. 12. Geograph. ipsius, & antiquitatem, & nobilitatem refert, his verbis: *Tum* Nicæa, *primaria* Bithyniæ *vrbs, ad Ascaniam paludem, qua vrbs ambitur campo magno, & admodum fœcundo, sed per æstatem non admodum salubri. Hanc Antigonus primùm condidit, Philippi filius, & Antigoniam nominauit, deinde Lysimachus, qui eam ab vxore Nicæam appellauit, ea Antipatri fuit filia. Vrbs ipsa quadrata est, ambitu stadiorum XVI. Habet etiam gymnasium in campo, quatuor portis apertum, & ad angulos rectos, ita vici sunt constituti, vt qui in medio lapide gymnasij consistit, is portas quatuor omnes videat.* Vbert. Goltz. in Thes. antiquit. M. Aurelij vnum *Nicææ* Græcum numisma his literis exaratum sic: NIKAIEΩN. Hodiè dicitur ISNICH, & obscurior reddita in Turcarum imperio. Magni illius I. Concilij, sub Constantino Magno celebrati, memorabilis fuit.

Britonia Sedes Episcopalis in Hispania. BRITONIA, Asturum.] Isthæc Vrbs diuersa dignoscitur ab illa, de qua egimus die VI. Februarij, *Tom.* 1. *Martyrol. Hisp. fol.* 55. Nam illa ex *Vasseo* in Gallæcis, ista ex *Luitprando* in Asturibus. De ista scripsimus die II. huius Mensis supra fol. 43. Quam sedem Episcopalem diximus, eiúsque Antistites, & BRITONIENSES, & Dumienses dicti sunt ad vsque Eram. M. LXIX. tempore Ferdinandi cognomento Magni Legionis, Gallæciæ, & Castellæ Regis, hoc est Anno Domini. M. XXXI. vt constat ex Concilio Compostellano eodem Anno habito, cuius copiam, propria manu, ex Codice Conciliorum MS. D. D. Garcias de Loaysa exscripsit, & inter alia Conciliorum Hispaniæ Volumina à se ex MSS. transcripta, & Notis illustrata, è Monasterio Patrum Prædicatorum Placentino extraximus, & in Bibliotheca Illustriss. D. ac D. mei D. Didaci de Arce Reynoso reposuimus, cum aliis Chronicis, & Historiis MSS. vitulina pelle exaratis, in quibus antiquitatis illustria monumenta quotidie recondita experimur. Et quia hocce Concilium à nullo ex Hispanicis Scriptoribus cognitum autumamus, ne temporum obliuione deperea, hoc in loco subiicere censuimus.

Concilium Compostellanum ex MS. Codice.

CONCILIVM COMPOSTELLANVM Contractum die XVIIII. Kal. Februar. Era M. LXVIIII. ex Codice Concilior. Lucensi MS. Biblioth. Reg. S. Laur.

IN NOMINE D. N. IESV-CHRISTI. Hoc est decretale Concilium apud Compostellam vrbem, intra Basilicam Sancti, ac Beatissimi IACOBI Apostoli à Tribus Episcopis editum cum Presbyteris, & Clericis, atque Abbatibus, qui inferius subscripti sunt.

I. CAP. Vt per illas Sedes Episcopales iuxta Sanctos Canones Canonici erigi studeant, ita vt ab ipsis Episcopis electi sint cum consensu cæterorum Clericorum, quibus cura diœcesum delegare procurent, & ex illis Monasteria Monachorum adimplere. Omni autem tempore omnes orent intra Ecclesiam, simul celebrent. Vnum refectorium

ctorium, vnum dormitorium, & dum in propinquo fuerint, quamuis Canonici, cum Episcopis abeant. Vt vbique vnum de his tribus nunquam desit Monachis; & in his omnibus silentium obseruent, nec non & ad mensam lectiones Sanctas semper audiant. Vestimentum Episcoporum, atque Clericorum vsque ad talos induatur. Cilicium omnes Canonici apud se habeant, & Kapellos nigros, vt cum opportunitas fuerit (ne sit eis necessitas inquirendi) videlicet omnibus diebus Decembris Mensis Lætaniarum, & IV. & VI. feriis, & quando pœnitentiam tentauerint, induant. Sacrificium ipsi Episcopi, & omnes Presbyteri omni die offerant Domino, præter langorem, & debilitatem corporis, & qui non potuerit pro se offerre per dictam fragi litatem, omnibus diebus audiat. Psalmos qui potuerit plus recitare, recitet, qui non plus Quinquaginta omni die persoluat, cum omnibus Horis I. III. VI. Vespertinis, & Completoriis, mediâ nocte Nocturnis, & Matutinis. Super rebus ipsius Ecclesiæ Canoniæ nullus Laicus diligentiam habeat. Disciplinam, & nutritionem Clericorum faciant, & super omnes Ordines Archipresbyteri, & Primicleri. Sub munere Episcoporum, duo vel tres dispensatores existant. Ita æquum est, vt omnibus intra Galeriam stantibus, pacis osculum sibi inuicem tribuere. Et in omnibus Communionibus Maioribus, Natiuitatis Domini, Paschæ, & Pentecostes, quisquis, de quo habuerit, munera offerat.

II. Cap. Adiungimus, vt per omnes diœceses, tales eligantur Abbates, quod ministerium SS. Trinitatis ratione fideliter faciant, & in diuinis Scripturis, & sacris Canonibus sint eruditi. Ij autem Abbates proprias Ecclesias Canonicas faciant, scholam, & disciplinam componant, vt tales deferant ad Episcopos Clericos ordinandos. Subdiaconus Anno XIV. habeat, Diaconus XXV. Presbyter XXX. Ipsique totum Psalterium, Canticorum, & Hymnorum partem, baptisterium, insufflationem, commendationem, & ipsas horas, & officium cantare de Martyribus, vnius Confessoris, vnius Virginis, de Defunctis, vnius Defuncti, & omnia responsoria perfectè sciant. Nec vllus præsumat simoniacus esse, quia sibi ipsam ordinationem nec ab Episcopis, nec Presbyteris, nec Decanis, nec ab omnibus ministris Ecclesiæ, emere, nec vendere, nec ipsa sacra ministeria, nec oleum, nec alius ordo Ecclesiasticus poterit. Quod qui fecerit simoniacum se esse cognoscat, non verissimum Christianum. Nec vllus Minister Ecclesiæ vestes seculares portet; & omnis Canonicus detonso desuper capite, circulo coronæ incedat, nec comas supra dorsum dimittat, & abscissas habeat barbas.

III. Cap. Intromittimus, vt in omni Ecclesia infra LXXII. dexteros nullus laicus, vel mulier, nec refugans sortem habeant, nec aliquis ex eis recipiat, sed stent coopertæ à teculis, & constructæ. Cruces, Capsæ, & Calices ex argento fiant; & Libros habeant de toto anni circulo. Mulieres extraneæ nullum communium, neque consortium cum Episcopis, neque cum Monachis habeant, neque ad habitandum permittimus. Per necessitatem matrem, amytam, vel sororem, morem, & habitum Religiosorum habentes non vetamus. Omnibus diebus Dominicis salispersionem faciant, omnes Hymnos cantent. Sed pro refugientibus, qui ordinem Ecclesiastieum dimiserunt, & vxoribus se sociauerunt, si dimittant eas, in confessionem admittantur. Si quis talis fuerit, aut propter infirmitatem, aut propter debilitatem, impossibile videatur, sub ipsis Presbyteris, de ipsis Ecclesiis, Intret; & omnia peccata manifestet, &

& pœnitentiam accipiat, extra eos habitet, extra eos dormiat, vt nunquam de eius custodia secedant. Ex omnibus Christianis de minimis vsque ad maximos, omnes Symbolum, & Orationem Dominicam memoriter teneant. Nullus Christianus duas vxores habeat, nec vxorem fratris sui accipiat, quod qui præsumpserit, & tale scelus commiserit, ab Ecclesia, & à Communione priuetur.

IV. Cap. De Sanctimonialibus adtestamur, vt ordinem Regularem penitus obseruent, charitatem inuicem teneant, proprias pecunias dimittant, ad seculum non reuertantur, in negotiis secularibus alios eligant, qui iudicia, & intentiones cunctas Monasterij adseruent, & discutiant. Illi verò, qui Regulari Ordini in Monasteriis inseruire proposuerunt, & post ad seculum regressi sunt sicut canis ad vomitum suum; tandiu ab Ecclesiis, & Christianis separentur, quousque priori statu à Monasteriis recipiantur; quod qui eos patrocinari, aut detinere voluerit, & eos non secum ad proprium locum reduxerit, excommunicetur.

V. Cap. Informamus, vt potestates, & iudices in plebe oppressionem non faciant, & iudicium cum misericordia teneant, & obtemperent. Munera, & offertiones ante discussum iudicium non accipiant, post discussum autem, de vera iustitia, & auctoritate legis partem accipiant, & partem dimittant. Item interdicimus vt nullus Christianus auguria, & incantationes faciat, nec Lunæ pro femina, nec animalia immunda, nec mulierculas ad telaralia suspendere, quæ omnia cuncta idololatria est, quam S. Mater Ecclesia anathematizat: sed cuncta omnia in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti debent Christiani facere.

VI. Cap. Edictum adiicimus, vt ij consanguinei qui sunt coniugati, à coniugio separentur, & pœnitentiam expleant, aut ab Ecclesia ex consortio Christianorum expellantur. Ita etiam disposuimus de Presbyteris, & Diaconibus coniugatis.

Data, & confirmata hæc lex die XIX. Kalend. Februar. Era M. LXIX. Anno XXI. Regnante Serenissimo Principe Fredenando.

Diuino auxilio Fulturnus Comes.

...... Compostellanæ Apostolicæ Sedis Episcopus Conf.

Auxilio Christi protectus, Suarius Britoniensis, & Dumiensis Sedis Episcopus confirmat.

In Dei nomine electus Vimarasius * Metrapolitanus Lucensis Ecclesiæ Episcopus confirmat.

* aliàs *VVidmasius*, vel *VVitmandus*.

Hactenus Acta Concilij Compostellani, in cuius subscriptionibus *Suarium* Episcopum Britoniensem, & *Dumiensem* agnosces, qui inter Antistites *Mindonienses*, qui primò Britonienses, & *Dumienses* vocabantur, inuenitur, vt patet ex *Catalogo Episcopor.* Ægidij Gonzal. *Tom. 3. Theatr. Eccles. fol.* 420. De huius Episcopatus antiquitate plura dicemus in die eius Dedicationis: & aliqua diximus supra *die I. huius Mensis lit. F.*

QVINTO

QVINTO IDVS MARTII.
DIES XI.

A. S. Constantinus *Confessor Carthagine Spartaria V. C. bonorum operum cumulum coaceruauit, quo coronam vitæ promeruit.*

B. *Eodem die, ibidem natalis SS. Martyrum* Heraclij, *&* Zozimi, *qui sub Valeriano Imp constantissime perseuerantes in fide, pro fide ad cælestem vitæ palmam peruenerunt.*

C. *Item* SS. Alexandrus *frater Ruffi Episcopi Dertosani, & ambo filij Simonis Cyrenei patitur cum Candido, & alijs Socijs.*

D. Eulogius *Sanctissimus Presbyter Cordubensis, electus Episcopus Toletanus, vir omnium virtutum genere insignis, eloquentiæ plausu singularis, qui ad Martyrium Martyres exhortando, & horridam mortis feritatem demulcendo, Martyr Martyribus associauit.*

E. *Legione, in Monasterio S. Claudij, floret memoria martyrij* SS. Vincentij *Abbatis, &* Ramiri *Monachi eius Socij, qui cum Catholicam fidem noluissent deserere, & Arriani erroribus adhærere, ab eorum sectatoribus comprehensi, coronam fidei adepti sunt.*

F. *Babuci in Italia Natalis* S. Petri *Confessoris Hispani, qui relicto militiæ stadio, ad æterna contemplationis studium auocatus, taliter se in ipso præbuit acerrimus, & strenuus pholidoticus miles, vt deuictis Dæmonum insectationibus, gloria victoriæ in cælum coronatus ingreditur.*

G. *Hispali in Bætica Hispaniæ, Dedicatio ipsius Vrbis Metropolitica Ecclesiæ, cuius festiuitas solemni annuatur officio, & cultu debito reiteratur.*

NOTÆ.

SANCTVS CONSTANTINVS.] Illius memoria apud Molan. *in addit. ad Vsuard.* hoc die, sic: *In Carthagine Sancti* Constantini *clarissimi viri.* cum quo conueniunt M. R. Lusitaniæ, & Castellanum à *P. Vasquez* exscriptum. Philipp. Ferrar. in *Topograph. SS.* verb. *Carthago* fol. 33. *col.* 2. Pet. Gales. sic: *Carthagine Sancti* Constantini *Confessoris, cælestium, diuina-* A. *Martyrologia.*

rúmque actionum gloria clariſſimi. Martyr. M S. P. Higuer. ſic : *El miſmo dia en Cartagena de España San* Conſtantino *de admirable vida.* Latinè : *Eodem die Carthagine Hiſpania Sanctus* Conſtantinus *vita admirabilis.* Hoc à Luitprando Ticinenſi deſumpſit, qui aduerſ. 5. Sic de Conſtantino loquitur : *Carthagine Spartharia Sanctus* Conſtantinus *Confeſſor V. C. multarum virtutum gloria clarus ; migrat Confeſſor ſub Valeriano XI. die Martij.* Ex quibus licet breuibus hoc inſcribi poteſt elogium.

ACTA S. CONSTANTINI CONFESSORIS apud Carthaginem Spartariam, ex Varijs.

Conſtantinus *Hiſpanus genere ex* Carthaginis Spartariæ *Olim antiquiſſima & nobiliſſima oriundus vrbe, inter Ethnica gentilitatis tribulos,* *Origo, & pietas.* *ſpecioſis Catholicæ fidei floribus enitebat. His clarior honeſtiſſimis ſtirpibus (licet clariſſimus vt humana fert conditio) Chriſti iugum ſuaue humeris ſuperimpoſuit, vitaque viam ſectans, in omnium bonorum operum opibus coacervandis vitæ calamitoſæ terminum dirigebat. Sed cum Pater cæleſtis familias de quinque talentis traditis ab ipſo rationem expoſcere decreuiſſet, illum ad æternæ gloriæ tribunal conuocauit, datis rationibus, illud à* *Moritur.* *Domino exaudire meruit.* Quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. *Quo in Domino requieuit* XI. *die* Martij. *Anno* CCLVII *Imperante Valeriano.*

Annus mortis. Hic de conſignanda huius anni comprobatione agendum eſt, cùm cætera ecphraſis liqueant. Ad cuius intelligentiam rei, ſciendum eſt *Valerianum* inauguratum Imperatorem fuiſſe hoc anno occiſis Gallo, & Voluſiano Impp. apud Iteramnam Italiæ vrbem. Hic licet anno II. Galli, & Voluſiani, primò acclamatus Imperator fuerat ab Alpino exercitu, ab inſtituto, & acclamatione reſiliuit, donec occaſio huiuſmodi imperialis lauri coronam ſecurior expleuit. In *Valeriani Imperium.* eius Imperij exordio, tantum de Chriſtiani nominis familiaritate extitit benemeritus, vt domus eius tanquam Dei Eccleſia, ſemper Chriſtianis receptaculum, & aſylum viſa fuerit, dequo apud Euſeb. *lib. 7. Hiſt. Eccleſ. c. 9.* Ruffin. etiam *c. 9.* Ioann. Naucler. *in Chron. tom. 2. Generat. 9. fol. mihi* 488. qui ex Dionyſio Alexandrino Epiſtola ad Hermammonem aſſerit : *Valerianus dictus quoque Decius* *Eius in Chriſtianos familiaritas.* *adeo humanus, & benignus in Chriſtianos fuit, vt tota domus eius, Eccleſia Dei vocaretur.* clarius idem Dionyſ. ſic : *Nam quandiu manſueto animo & benigno erga ſanctos Dei homines affectus erat, nemo Imperatorum, qui eum anteierat tantam beneuolentiam, & comitatem erga illos declarauit : imò verò, ne illi quidem, qui Chriſtiani erant, eóque nomine palam appellati : ita hos ſunt amplexati, vt ille : Qui quidem* initio Imperij ſui, *quàm familiariſſimè, & amiciſſimè, atque in oculis omnium, eoſdem excepit, & tota domus eius pijs hominibus complacebatur, eratque planè Dei Eccleſia.* Sed ſi hæc in exordio imperij pax data fuerit Eccleſiis, crederem hoc tempore eueniſſe tranſitum *Sancti Conſtantini*, cùm Confeſſor, non Martyr finierit : nam pòſt, perſecutionis procellâ ſolutâ, nullus in antris Chriſtianus adhuc euaſit. Et ideo anno in ecphraſi relato, hoc eſt CCLVII. qui primus fuit ipſius Valeriani *Sanctum Conſtantinum* æterna Ciuis cœleſtis munera fuiſſe conſecutum ex relatis clariori calculo dignoſcitur.

B Heraclius & Zozimus.) Valeriani Imperatoris, de quo in anamneſi præcedenti, benignitas, quâ Chriſtiani nominis aſcetas proſequebatur, in odium conuerſa, & commutata, propter *Magi Ægyptij* ſuaſionis crapulam, Chriſti aſſeclas perſequi horribiliter permiſit. In hac ergo ſeueræ incurſionis tempeſtate *Heraclius*, & *Zozimus* apud *Carthaginem* comprehenſi ſunt, & martyrio coronati. Cuius paſſionis memoriam repetit ſic hoc die Beda : *In Alexandria* Eraclij, Zo- *Martyrologia.* ſimi, *Alexandri.* Molan. in *addit. ad Vſuard* verius, ſic : *In Carthagine Sanctorum Martyrum* Heraclij, Sozymi, *& Candidi, Pipertonis, & aliorum X X.* Petr. Equil. in *Catal.*

in *Catal. Sanct. lib. 3. c. 191.* sic: *Hiradus* (pro Heraclius) Zozymus, *Alexander, Candidus, Piperion, & alij eorum X X consocij Martyres, apud Carthaginem pro Christi nominis confessione passi victoria triumphum à Domino consequuti sunt V. Idus Martij.* Peregrin. in suo Martyr. sic corruptis nominibus: *In Carthagine Sanctorum Martyrum* Eradij (*pro Heraclij*) *&* Osimi (*pro Zozimi*) *Alexandri, Candidi, Piperionis, & aliorum X X.* Petr. Gales. sic: *Carthagine Beatissimorum Martyrum* Heraclij, Zozymi, *Candidi, Piperionis, & aliorum X X. qui Valeriano, & Gallieno Impp. fidei hostibus, pro Christo in cruciatum dati, egregiè coronati sunt.* Noster L. Flau. Dext. *in Chron. Ann. 268.* apud Hispaniæ *Carthaginem* passos refert, & in Imperatorum persecutione conuenit, sic: *Carthagine in Hispania sub Gallieno, & Valeriano Impp.* Heraclius, *&* Zozimus *insignes fuunt pro Christo Martyres.* Et licet aliquis de *Dextri* dubitet incuria in non exprimendis Alexandri, Candidi, Piperionis, & aliorum X X. Martyrum nominibus, conqueratúrque; facilem apud P. Biuar. *d. ann. 268. n. 3. fol. 198.* inueniet exitum. Scilicet, tantum *Heraclium, & Zozymum* Carthagine Hispaniæ; cæteros verò apud *Alexandriam:* quod probatur ex peruetustiss. M S. quæ inuisit *Baronius,* ex quibus eorum diuisim compaginauit elogium, sic: Carthagine *Sanctorum Martyrum* Heraclij, *&* Socimi. Et postea diuersa clausula, sic: Alexandriæ *passio Sanctorum Candidi, Piperionis, & aliorum X X.* Et in *not. lit. A.* sic: Petr. in Catal. *Hiradum* pro *Heraclio* legit, additque tres alios Martyres, sed seorsum esse ponendos docent antiqua M S. En dubij resolutionem, & *Dextri* veritatem. Nostros agnoscunt Roder. Car. *in Not. ad Dextr. d. anno lit. I.* Franc. Cascal. *Hist. Cartag. & Murt. discurs. fin. c. 7. in fine,* in Catal. *SS. M M. Carthaginensium Hispania,* sic: *Anno de 268. padecieron aqui por Christo los insignes Martyre San* Heraclio, *y San* Zosimo, Latinè *Anno C C. L X V I I I hic passi sunt pro Christo insignes Martyres* SS. Heraclius, *&* Zozimus. *Martyrol. M S. P. Hig.* sic: *En Cartagena de España los Santos Martyres* Heracleo, *y* Zozymo, Latinè: *Carthagine Hispania Sancti Martyres* Heraclius, *&* Zozimus. Quibus sic dispositis ad Acta componenda veniamus.

Cur Dexter omisit Socios Heraclij & Zozimi?

Baronij distinctio.

Historiographi.

ACTA SS. HERACLII, ET ZOZIMI Martyrum, ex Dextro & aliis.

Heraclius, *&* Zozymus *Carthaginis Spartaria, Pænorum emporij Carthaginensium Ducum asyli, Scipionum tumuli, & Hispania trophæi, vrbis celeberrima concines Christi milites, Ecclesia filij, & vnitatis fidei, fuere germani. Isti illustres commilitones Christianam sequentes Euangelica lucis doctrinam, vt filij lucis fierent, data in exordio Imperij* Valeriani *Ecclesia pace, non sub modio, sed supra candelabrum eorum continuata virtutum copia ipsis Ethnicis inspectabantur. Sed mutato cordis* Valeriani *consilio, prastigiis, & improbis Magi Ægyptij suasionibus, contra ipsos, quos primùm amicissimos fatebatur, sanctissimos prædicabat, & religiosissimos cognoscebat, sæuitia bilis exardescit. Quas non exitiales importat Reipublica noxas pestifera consultatio? nulla pernicies maior, aut capitalior Principibus, intentionato consilio. Fuit enim Valerianus in moralibus virtutibus clarus, in Republica censura inclytus, & in moderamine Romana maiestatis conspicuus. Omnia hæc obliterauit diluta Magi fabula, perniciosum prastigium. Ergo Catholicis infensus, Catholicos persequitur; edicta publicantur, Hispaniam pertingunt, Carthagine promulgantur, alios vindicta sine offensione latabundos exposuit; alios iniustitia sine suffragio comminuit. Igitur* Heraclius, *&* Zozimus *tenentur, cruciatibus subijciuntur, Christum, & ore & corde fatentur, & tandem illustrissimi Martyres ad illam indeficientis luminis sphæram properantes aduenuint,* V. *Idus* Martij. *Anno Domini* CCLXVIII. *Imperantibus Valeriano, & Galieno.*

Origo.

Valeriani Imp. persecutio.

Martyriū.

Diximus in antecedenti anamnesi ex *Dionysio Alexandrino*, quanta fuerit in Christianos *Valeriani* Imperatoris affectio, nunc de eius virtutibus moralibus, & de

improbi consilij comprehensione, vt in Christianos sæuiret, breuiter perstringemus. Quis fuerit *Valerianus*, & qui eius mores, ex Senatusconsulti epigraphe apud Trebell. Pollion. *de Rom. Impp. in Valeriano*, excerpemus; *Duobus* (inquit Trebell.) *Decijs Coss. vt Kal. Nouemb. die, cum ob Imperatorias literas inade Castorum Senatus haberetur, ireturque per sententias singulorum, cui deberet* Censura *deferri (nam id Decij posuerant in Senatus amplissimi potestate; vbi primum Prætor edixit:* Quid vobis videtur P.C. de Censore deligendo? *atque eum, qui erat Princeps, cum Senatus sententiam rogasset, absente Valeriano (nam ille in procinctu suo cum Decio, tum agebat, omnes vna voce dixerunt, interrupto more dicendæ sententiæ:* Valeriani vita Censura est; ille de omnibus iudicet, qui est omnibus melior. Ille de Senatu iudicet, qui nullum habet crimen. Ille de vita nostra sententiam ferat, cui nihil potest obiici. Valerianus à prima pueritia Censor fuit, prudens Senator, modestus Senator, grauis Senator: Amicus bonorum, inimicus tyrannorum; hostis criminum, hostis vitiorum. Hunc Censorem omnes accipimus; hunc imitari omnes volumus. Primus genere, nobilis sanguine, emendatus vita, doctrina clarus, moribus singularis, exemplum antiquitatis. *Quæ cùm essent sæpius dicta, addiderunt* OMNES, *atque ita discessum est.* Ioann. Nauclér. *in Chron. d. generat. 9.* sic: *Valerianus tanta probitatis fuit, vt priusquàm Imperator crearetur, Censoria dignitate, quæ nisi Sanctis quibusque viris assignabatur, insignitus fuerit. Multa alia de eius probitate inueniuntur, vt mirandum sit, quòd confestim in suo imperio, prolapsus sit.* (En secunda pars de Magi deceptione) *nam & si ab initio Imperij Christicolis fuerit plurimùm benignus, paulò tamen pòst per quemdam (vt fertur) Magum Ægyptiorum doctorem ita deprauatus, ita deiectus est, vt primò è palatio suo expulsis, qui Christiani nominis assertores erant., deinde per vniuersum orbem, Octauam persecutionem grauissimam à Nerone contra Christi Ecclesiam excitarit.* Dionys. Alexandr. *in d. epist.* qui ocularis testis fuit, peramplius, & elegantius, sic: *Verum doctor quidam, & princeps Magorum Ægypti, illum* (Valerianum) *tandem perdito consilio, deprauauit, & non impulsit solum, vt homines culpa vacuos, ac Sanctos Dei, vt potè sceleratorum, ac execrabilium incantamentorum aduersarios, & oppugnatores (satis namque virium, ac potentiæ præsentia, aspectu, spiritu, & voce solùm, ad detestabilium dæmonum insidias dissipandas, & habent, & semper habuerunt) acerbè persequeretur, necique traderet; verùm etiam, vt impuras cæremonias obiret, profanas exerceret præstigias, execranda mysteria exequeretur, mactaret pueros misellos, prolem infelicium parentum exsacrificaret, tenera infantium dissecaret viscera, Dei denique creaturas discinderet, discerperétque, vehementer cohortatus est; perinde, ac si eo pacto omnes res prosperè, & feliciter succederent.* Væ illis qui ex corde ipsorum prophetant, communem tamen omnium non respiciunt vtilitatem! *Nam neque communem, ac generalem Dei prouidentiam intellexit, neque iudicium illius, qui est ante omnia, per omnia, & in omnibus omnino perspexit. Quapropter se communis, & Catholicæ illius Ecclesiæ hostem præbuit, se à Dei abalienauit misericordia, & quasi penitus relegauit, se à sua ipsius salute quàm longissimè remouit, atque in hoc verè suo respondit nomini.* At Dominus multa ipsius in se, in filiis, in imperio, & in honore peccamina non reliquit; quas pœnas perpessus sit, exquirat ab Historiographis Romanis, & Catholicis. Nam de hoc ad propositum dicta sufficiant.

Valeriani Impalogiū.

Christianis benignus in principio fuit.

Ab Ægyptio Mago illuditur.

C Alexander. Fuit frater *Ruffi Derthosæ Episcopi*, in hunc diem eius retulit cultus P. Biuar. ad *Dextr. in Chron. Ann. 112. n. 10 fol. 219.* Qui suæ opinionis oblitus, quam ad annum 268. *n. 7. fol. 296.* loquens de *Heraclio*, & *Zosimo* expressit, approbans Martyrologij Romani distinctionem, & tenens *Zosimum, Heracliumque* diuersos fuisse à Candido, Pepirione, & aliis, quos Alexandriæ passos profitetur. sic: *Id quod Baronius docet in antiquis MS. codicibus reperiri, & Nos omnimodis verum existimamus, vt pote Dextri testimonio corroboratum, qui Carthagine solos Heraclium, & Zosimum occisos scribit, non quidem Africana, sed Hispana, Spartaria nuncupata.* Nunc in Comment. *ad d. ann. 112. n. 10.* Omnia in puluerem reducit. Sed vt clarius procedatur, & eruditissimi viri contrarietatis apicem pertingamus; *Dextri* priùs verba transcribere decreui, sic: *Carthagine Spartaria* S. Alexander *frater Ruffi I. Derthosanorum Episcopi in Hispania Tarraconensi, filius Simonis Cyrinensis,*

Binarij cōtrarietas.

Cyrinensis, qui post Christum eius crucem baiulauit, patitur cum Candido, & Zosimo, & sociis martyrium. Inuenit hic P. Biuar. *Candidum, Zosimum*, & alios Ann. CXII martyrio coronatos: repererat apud *Galesinum* ipsos cum aliis apud *Carthaginem* Valeriani temporibus occisos; annorum computum deturbauit, & vt illos *Dextri* textui assueret, in hæc verba prorumpit: *In eo verò* Galesinus *audiendus non est, quod passos dicat sub Valeriano, & Galieno Impp. cum apud Neminem reperiatur, sed de suo addiderit.* Cùm postea dixisset *ad ann. 268. n. 7.* loquens de ipso Zosimo: *addit Galesinus passos fuisse Val. & Gal. Impp. quod Dexter hoc notauit.* Et ad Baronij opinionem ab ipso Biuar. ex M S. approbatam *d. n. 10. Ann. 112.* asserit. *Certe non tanti faciendus esset Codex M S. quem pro se Baronius affert, vt solus ipse credatur correctus, cæteri verò auctores quantumuis venerandæ antiquitatis, corrupti.* Quam viam elegerit Apodicticus commentator ignoro. Meo videri omnibus cupiens soluere fidem, nemini satisfecit. Crediderim *Alexandrum* nostrum, vt *Dextri* Chronicon sustineatur, passum *Traiani* tempore Anno CXII. cum *Candido, Pepirione*, & *Sociis*, & illud *Zozimi* nomen additum fuisse ab aliquo amanuensi, glossemáque esse imperiti alicuius Macci. Ratio in promptu; nam legens *Bedæ* Martyrologium, inuenit cum *Alexandro* Zozymum; & credens in *Dextri* Chronico deficere ipsius nomen, interlineauit illud, vt nostræ confusioni emphasim addidisset. Ergo apud *Bedam* hoc die *Alexander* est, item apud Equilin. *lib. 3. c. 191.* cum *Candido*, & Sociis. Ex quo hæc assignanda est diuersitas; Quod *Zozimus* vt diximus cum *Heraclio* coronatus est sub *Valeriano* Imp. quo Dextri, Galesini, & Baronij currit opinio: *Alexander, Candidus, & Socij* Sub *Traiano*, quo Galesini computum corruit, *Dextri* veritas stabilitur, Baronij discrimen Subsanatur, si sic legas: *Carthagine SS. Martyrum* Heraclij, *&* Zozimi *sub Valeriano. Ibidem passio* SS. Alexandri, Candidi, Piperionis, *& aliorum XX. sub Traiano.* De eis memoria apud D. Francis. Cascal. *Hist. Carthag. & Mart. discurs. fin. n. 7.* Ex quibus hoc sic potest confici elogium.

Dextri sententia sustinetur.

Aliorum Scriptorum ambiguitas sedatur.

ACTA S. ALEXANDRI MARTYRIS, ex Variis Scriptoribus.

Alexander *ex nobili Africana gente progenitus, Patrem habuit* Simonem, *qui ex* Cyrene *vrbe originem ducebat: fratrem habuit nomine* Ruffum, *quos* Simon *in liberalibus disciplinis instruere satagebat; sed deficiente in omnibus fide, vana erat & inanis illorum scientiæ cupiditas, quia Gentilicis erroribus adhærebant; Euênit ergo quòd* Simon *deperditis facultatibus, in quarum basi humanæ conditionis æstimatio nititur communis, ad summam deueniens paupertatem, acceptis secum pignoribus,* Hierosolymam *adiit, vt à conspectu amicorum, & consanguineorum recedens, opprobrium miserabilis effugeret indigentiæ. Ibidem* Simon *honestis exercitiis ad vitæ sustentationem alimenta lucrabatur. At eueniente* CHRISTI *Domini passionis die, indignata Satellitum sæuitia, vt crucis pondus in aliquo subleuaret; arripuit* Simonem *venientem de villa, qui protinus* Dominum *in perferendo laboris, & crucis onere coadiuuauit.* Ruffus, *&* Alexander, *qui à Patre,* Domini *& innocentiam in calumnia, & patientiam in supplicio, cognouerunt; mortemque, resurrectionem, & alia miracula percipientes ad Apostolorum pedes prouoluti in* Christum *credentes,* Christi *discipuli electi sunt. Post* Pauli *discipuli facti eum in* Hispaniam *secuti,* Ruffus Dertosanæ *Ecclesiæ I. Episcopus vocitatus, muneris sanctissimè cumulum adimpleuit.* Alexander *verò veritatis fidei prædicator per* Hispaniæ *extitit ciuitates, donec* Carthaginem Spartariam *aduentans, cum* Candido, Pepirione, *& aliis Sociis ad martyrij palmam, perpessis variis tormentorum generibus, properauit.* XI. *die* Martij. *Anno Domini* CXII. *Imperante Traiano.*

Origo.

Cum Patre Ierosolymã veniunt.

Paulo adhærent & Hispanias adeunt.

Carthagine patitur Alexander.

Huius relationis comprobatio desumitur ex vitæ actis S. Ruffi apud Vincent. Domenec. *de SS. Cathal. fol. 108. lib. 1.* Pujad. *Hist. Cathalon. lib. 4. c. 14.* & alios quos

Scriptores.

quos ipſe refert. De aduentu *Alexandri* cum S. Paulo ad Hiſpanias, teſtis eſt S. Braul. *in addit. Chron. S. Max.* in fine, ſic: *Sanctorum Ruffi, & Alexandri memoria, Simonis Cyrenæi (quibuſdam, & Niger eſt) filiorum, celebris eſt: venit cum filiis Simon in Hiſpaniam, comitatur S. Paulum, vbi prædicauit.* Quod fuiſſent *Gentiles*, & non *Iudæi*, probat ex authoritatibus Sanctorum P. Biuar. *in Not. ad Dextr. Ann.* 100. *Com.* 1. *n.* 4. *fol.* 195. *&* 196. Cætera clara ſunt.

CARTHAGO Spartaria. De ea egimus ſupra *I. Tom. fol.* 164. vbi PRIMAM de Conditore ſententiam recenſuimus; & die *III. Februarij d. Tom. I. fol.* 37. aliquot eius elogia ſubſcripſimus; & die I. Martij hoc *II. Tom. fol.* 25. Numiſma Scipionum delineauimus, nunc Iuliani Petr. *in Aduerſ. n.* 16. verba de eius ad Christi fidem conuerſione primaria dabimus: *Poſt condita* (inquit tempore Salomonis) *ſunt* CARTHAGO, *&* Gades, *Coloniæ Tyri, quæ primitus receperunt fidem* Christi. *Dauid vocat eas filias Tyri, Pſalm.* 44. Hinc iſtius vrbis, & antiquitatem in conditore & vetuſtatem in fide cognoſces.

Antiquitas in fide.

D. S. Eulogius. Ipſius eſt illuſtris memoria apud noſtros, & exteros ſcriptores. Hic ille præclarus Chriſti Athleta (inquit Baronius) qui cedentibus cæteris, vexillum confeſſionis aduerſus Arabum impietates erexit, ac plurimos ad martyrij coronam perduxit, quorum triumphos ipſe in carcere poſitus, ſcripſit. Eius natalis dies iſte eſt; A vero deuiarunt Vſuardus, & Maurolycus, qui eius agonem ad XX. *Septembris* collocarunt. ille ſic: *Ciuitate Cordubæ Beati* Eulogij *Presbyteri ob Chriſti martyrium decollati.* Iſte breuius, ſic: *Cordubæ Sancti* Eulogij *Presbyteri, & Martyris.* Verius Petr. Galeſ. h. d. ſic: *Cordubæ Sancti* Eulogij *Presbyteri, cuius hoc ipſo die martyrium extitit, ſed XII. Kal. Octobris anniuerſario precum officio illius celebritas agitur.* Martyrol. Benedict. VVionis, ſic: *Cordubæ Sancti* Eulogij *Abbatis, qui eiuſdem vrbis martyribus in perſecutione Sarracenorum, adiungi meruit, quorum pro fide certamina ſcribendo, fuerat æmulatus.* Hugo Menard. in eod. Martyrol. ſublata voce *Abbatis*, & ſubiecto vocabulo *Martyris*, eadem tranſcribit. Philipp. Ferrar. in Topograph. SS. verb. *Corduba*, ſic: Eulogius *Presbyter, qui memorias Martyrum Cordubenſium ſcripſit, cum aliis multis Martyr ſub Mauris Ann. Domini DCCCLIX. Sed in Martyrol. Rom. die XI. Martij ponitur. Corpus Oueti.* M. R. ſic: *Cordubæ Sancti* Eulogij *Presbyteri, qui eiuſdem vrbis martyribus in perſecutione Sarracenorum adiungi meruit, quorum pro fide certamina ſcribendo fuerat æmulatus.* De eo Ambroſ. de Morales *Hiſt. Hiſpan. lib.* 14. *c.* 27. & ſeq. P. Truxill. *in Theſ. Concionat.* 2. *t.* Marian. *Hiſt. Hiſp. lib.* 7. *c.* 15. Mariet. *Hiſt. SS. Hiſpan. lib.* 2. *c.* 83. & ſeq. Franciſc. Piſa *Hiſt. Tolet. lib.* 3. *c.* 8. *fol.* 140. D. Thom. Tamay. *in Dypthic. Tolet. n.* 47. & in *not. ad Luitprand. fol.* 201. Illuſtriſſ. Ep. Turiaſon. *in Primat. Tolet. tom.* 2. 3. *p. c.* 1. §. 6. *fol.* 561. Ex antiq. Luitprand. *n.* 299. vbi P. Higuer. *n.* 431, Iulian. in *Chron. n.* 439. *&* 440. Illuſtriſſ. D. Garſ. de Loays. *in Dypth. Tolet. poſt. Concil. Hiſp.* Ex noſtris Martyrolog. Luſitan. h. d. ſic: *Em Cordoua de S.* Eulogio *Sacerdote, o qual merecio ſer do numero dos Martyres, que na meſma cidade foraom mortos, na perſequiçaom dos Mouros, cujas vidas, e martirios, recebidos polla feè, elle antes tinha ſcrito.* Caſtellan. P. Dionyſ. Vaſq. ſic: *En la ciudad de Cordoua* S. Eulogio *Presbytero, que merecio en la perſecucion de los Moros, ſer contado entre los Martyres de aquella ciudad, cuyas vidas, y martirios ſufridos por la gloria de Chriſto, auia en particular hiſtoria eſcrito.* Hiſpanicum P. Higuer. ſic: S. Eulogio *electo Arcobiſpo de Toledo y Martyr, el qual ſiendo Presbytero, y Doctor es clarecido en tiempo de los Moros en la ciudad de Cordoua ſu Patria merecio conſequir el triunfo de Martyr.* Catalag. Sanctor. Hiſpan. Excellentiſſim. D. D. Ioann. Franciſc. Fernand. de Ixar, Ducis Ixarenſ. & Comitis Belchitenſis, ſic: *San* Eulogio, *de Cordoua à XI. de Marco.* Vitam ſcripſit *Aluarus Cordubenſis* S. Eulogij, & amiciſſimus, & Synchronos, quam gratia antiquitatis, hîc exſcribere curaui, demptis aliquot, quæ ad noſtri inſtituti cumulum exuberant, præfationibus, & periodis; Qui integram perlegere deſiderat, ad Hiſpan. Illuſtrat. *tom.* 4. *fol.* 223. & in *tom.* 2. Laurentij Surij, à *Moſandro* aucti de *Vit. SS.* adeat.

Error aliquorum in aſſignatione diei agonis.

Martyrologia.

Scriptores.

ACTA S. EVLOGII PRESBYTERI CORDVBENSIS Martyris, electi Episcopi Toletani, ex Aluaro Cordubensi.

Patria, & familia. — *Educatio.* — *Spera in Deum Abbatem Magistrum habuit.* — *Amicitia cum Aluaro.*

EVLOGIVS *Beatus Martyr nobili stirpe progenitus, Corduba Ciuitatis Patriciæ Senatorum traduce natus, Ecclesiæ ministerio mancipatur, in Sanctis, ac Beatissimi* Zoili *æde deseruiens, & in eiusdem collegio clericorum vitam deducens, multis, & clarissimis virtutibus floruit, magnis, & laudabilibus operibus viguit. Ab ipsis enim incunabulis, literis Ecclesiasticis hærens, & quotidie per studia bonorum operum crescens, perfectionem adeptus est, ac super omnes coætaneos doctrina scientia clarens, & eruditionis lumine florens, magistrorum doctor est factus. Quippe, qui mentem senilem paruissimo corpore gerens, vincebat & si non ætate, certè scientia vniuersos. Erat autem studiosissimus Scripturarum scrutator, & intensissimus sententiarum inuestigator. Ita vt nihil Scripturæ præponeret Sanctæ, nil magis eligeret, quàm in lege Domini meditari die ac nocte. Nec contentus magisterio Doctorum suorum, alios, si quos fore audiret, procul positos requirebat, & ne offenderet proprios, furtim se horis, quibus poterat, retrahebat. Nam & Abbatem bonæ recordationis, & memoriæ* Spera in Deum *opinabilem, & celebritate doctrinæ præconabilem virum sæpius inuisebat, auditorióque more, ex illius ore disertissimo dependebat. Qui ipso tempore totius Bæticæ fines prudentiæ riuulis dulcorabat. Ibi eum primitus videre merui, ibi eius amicitiæ dulci inhæsi, ibi illi indiuidua sum nexus dulcedine. Eram namque iam dicti Illustrissimi Viri auditor: & dum frequentius eius limina tererem, incultúmque ingenium acuerem, tandem respectione diuina huius tanti viri societate coniungor. Et catenatim insolubili nexu non innector tantùm, sed vnior: factique sumus auditores viri, inquisitores veri, amatores nostri. In tantum, vt illa ætas indocta sibi non concessa præsumeret. Agebamus vtrique scripturam delectabilem lusum, & Scalmum in lacu nescientes regere, Euxini maris credebamur fragori. Nam puerìles contentiones, quibus diuidebamur, non odiosè, sed delectabiliter epistolatim in inuicem egimus, & rithmicis versibus nos laudibus mulcebamus, & hoc erat exercitium nobis melle suauius, fauis iucundius, & in ante nos quotidie extendentes multa inadibilia tentare in Scripturis puerilitas immatura docibilitas egit. Ita vt volumina conderemus, quæ postea ætas multa abolenda, ne in posteros remanerent, decreuit.*

Diaconus fit. — *Mores post Presbyteratum.* — *Fuit clericus Secularis, non Monachus.*

Sed cùm iam annos iuuentutis attingeret Eulogius, *Diaconij ministerio fungitur; atque in breui, merito vectus ad maiora, gradu presbyterij sublimatur, móxque magistris ordine, & vita moribus sociatur. Quanta illi humilitas, quanta bonitas, quanta inhæserat charitas, amor omnium ostendebat. Ex hinc cæpit se acriori vitæ austeritate constringere, & modestiæ legibus in vniuersis actionibus perornare. Scripturis vacare diuinis, & corpus suum vigiliis, ac ieiuniis castigare, monasteria frequentare, cœnobia inuisere, regulas fratrum componere. Hinc inde cuncta eo modo curare, quo, si fieri posset, vtrobique adesset. Ita clericatum agens proprium, vt regularem ordinem non dimitteret alienum, ita monachis adhærens, vt clericus probaretur. Ita in clero degens, vt monachus videretur, vtrobique aptus adcurrens, & vtrarumque professiones, vnus sufficientissimè complens, currebat sæpiùs ad cœnobiorum sacratissimos greges. Sed ne propriorum ordinem contemnere putaretur, ad clerum iterum remeabat: in quo dum aliquod tempus persisteret, ne virtus animi curis sæcularibus eneruaretur, itidem monasteria repetebat. Hic doctrina oris Ecclesiam ornans, ille vitam propriam exculpendo decorans, in tantis virtutibus positus, vitam sæculi mærens incedebat, & anxius: & quotidie ad cœlestia volare eupiens,*

Romam adire decernit.

cupiens, corporea ſarcina grauabatur. In tantum, vt Romam *ire diſponeret, vt adoleſcentia nauos lachrymis, & peregrinationis itinere domaret, immò domitos deleret: ſed ecce omnes hinc inde inſiſtimus, & eum magis corpore, quàm animo retinemus.*

Verùm dùm iſta, & alia referuntur, tandem Reccafredus *Epiſcopus ſuper Eccleſias, & Clericos, quaſi turbo violentus inſiluit: omnéſque Sacerdotes, quos potuit, carcerali vinculo alligauit. Inter quos, vt electus ariès ducitur, & cum Pontifice ſuo, vel aliis Sacerdotibus vincitur. In qua retruſione magis orationibus, & lectionibus operam dedit, quam vinculis. Ibi Sanctis Virginibus* Flora, *&* Maria, *pro fide comprehenſis, illud documentum* Martyrale *vno libro compoſuit. In quo eas ad martyrium verbis tenaciſſimis ſolidauit, eáſque, per ſe, verbis, & epiſtolis mortem contemnere docuit. Séque, ſuóſque Socios, earum ſuffragiis vinculo ſoluendos commiſit, quod & obtinere mox poſt ſextum diem paſſionis earum promeruit. Nam illæ Octauo Kalend. Decembris expleuerunt martyrium, Sacerdotes vero Domini I I I. Kal. earūdem meritis ſolutionem adepti ſunt. Extat ſuper hoc illuſtriore ſtylo confecta, & mihi his diebus directa epiſtola, paſſionem earundem Virginum, & ereptionem Sacerdotum, ipſarum Virginum meritis continens. Ibi metricos, quos adhuc neſciebant ſapientes Hiſpaniæ pedes perfectiſſimè docuit, nobiſque poſt egreſſionem ſuam oſtendit. Inde & mihi pro libris illis, quos in defenſionem Martyrum dederat, epiſtolam facundo locutionis genere dictatam, direxit. Nam cùm omnes, qui cum eo erant Sacerdotes, vacarent otio, & quieti, ille non noctibus, non diebus à lectione ceſſabat, noctes diéſque ingeminans, ſcripturarum mella lambens, & ore, & corde ſpiritualiter ruminans.*

A Reccafredo Epiſcopo cum aliis capitur.

Documentum Martyrale in carcere ſcripſit.

A carcere relaxatur.

Quæ in carcere ſcripſit.

Verùm operæ pretium reor ſi paulo altius incedentes, tempore perſecutionis qualiter probatus extiterit, inſeramus. Nam dùm Epiſcopi, Sacerdotes, Clerus, & Sapientes Cordubæ *in martyrio nuper exorto, deuio calle incederent, ac timoris impulſu penè fidem Chriſti, ſi non verbis, nutu tamen negarent, hic tamen inuincibilis nunquam vacillare, vel tenui eſt viſus ſuſurro. Sed omnibus pergentibus, ad agonem occurrens, vniuerſorum animos roborans, cunctorúmque oſſa venerans, & componens, in tantum ardeſcebat ardore martyrij, vt ipſe incentor ipſis diebus videretur eſſe martyrum. Pro quo rectitudinis Zelo multis extitit contumeliis propulſatus, magniſque terroribus fatigatus. Nam vnus ex proceribus illum impetens, & minis exaſperans, diuino iuſto iudicio in reprobum ſenſum conuerſus, fidem, quam tenens neſcius impugnabat, mox miſer, & ſtultus amiſit. De quo plenius in libro* Memoriale Sanctorum *tertio, iam dictus Sanctiſſimus diſputauit. In quibus libris, & paſſiones ſigillatim* Martyrum *claro fonte locutionis explicuit, & proſecutione ſufficienti quæcumque Acta ſunt in Martyribus Domini, & dicta, ſecuturis generationibus propalauit. Quantus autem, vel quam excellens fuerit ſcientia, luce clariora eius pandent opuſcula, quæ ſale Attico, & proſatico lepore, immo diuina inſpiratione compoſuit.*

Conſtantia inter perſecutionem.

Multa ſuſtulit opprobria.

Is enim graui inſtinctu doloris, dum vndique circa ſe doloſum cerneret ipſius Reccafredi *graſſari ingenium, & cæteros ei communicantes deprehenderet, nec reſiſtendi ſibi copiam videret, nec amouendi licentiam (vt poſſe fideiuſſoribus datis) remanere ſibi conſpiceret, cæpit ſe graui deterere gemitu, magnóque intrinſecùs, vt diximus, mactari dolore. Sed nutu Dei contigit, vt quadam die præſenti Epiſcopo, B. Epiphanij Cipriæ Salaminæ Epiſcopi, Ioanni Epiſcopo Hieroſolymitano directa Epiſtola legeretur. Quam ego cuidam Diacono præceperam legere: in qua idem B. Pontifex Origenis nænias arguens, & ordinationem cuiuſdam Presbyteri in Monaſterio iam dicti Hieroſolymitani adſignato, à ſe conſecrati defendens, cauſam ordinationis retexuit, BB. quem Presbyterorum Hieronymi, & Vincentij continentiam ſacrificandi laudando innexuit. Quam narrationem, tum iam dictus*

Eius cum Epiſcopo Conſtantia.

Eulogius auida mente magis arripiens, quam suscipiens, & sibi à Deo datam occasionem cognoscens, ingenti vulnere quasi percussus, ab intimo corde trahens suspiria, méque intuens, conuersus Episcopo dixit: Si lucernæ Ecclesiæ, & fidei nostræ hoc egerunt columnæ, quid nobis facere conuenit, quos delicti onera grauiter deprimunt, & affligunt? Cognoscat ergo vestra paternitas, interdictam à me ipso mihi sacrificandi licentiam. Sícque huiusmodi ingenio tempore Reccafredi se ipse suo ligauit arbitrio. Cuius professionis, licet hoc modo ordinem sumeret, delectabili tamen vsu perfunctus, nolebat postea statum retectum recipere. Sed Pontifex proprius in tantum eum amissum officium sacrificandi compulit repedare, vt eum anathemate ferire non vereretur, nisi citius redire promitteret.

Eius elogia.

Et erat vir ille in omnibus professionibus principaliter, & non mediè decoratus, cunctis ex æquo deseruiens, & cùm præiret omnes scientia, humilior certe etiam infimis videbatur. Clarus vultu, & honore præcipuus, eloquentia fulgidus, & vita operibus luminosus. Incitator Martyrum, & laudator, tractator peritissimus, & dictator. Quis ardorem ingenij, quis decorem eloquij, quis fulgorem scientiæ, quis affabilitatem vsualem officij, quocumque poterit prudentia dicere flumine? Quæ enim illi non patuere volumina? Quæ potuerunt eum latère ingenia Catholicorum Philosophorum, Hæreticorum, necnon & Gentilium? Vbi libri erant metrici, vbi prosatici, vbi historici, qui eius inuestigationem effugerent? Vbi versus quorum ille ignoraret canora? Vbi Hymni, vel peregrina opuscula, quæ eius non percurreret pulcherrimus oculus? Quotidie enim noua, & egregiè admiranda quasi à ruderibus, & fossis effodiens, thesauros elucidabat inuisos. Quanta docibilitas tàm pretioso munere ornata inesset anima, quanta, & inexhausta cura solertia, nullus sapiens comprehendere poterat. Et ô admirabilis suauitas mentis! nunquam priuatim scire aliquid volens, nobis omnia præstabat. Vitiata corrigens, fracta consolidans, inusitata restaurans, antiqua repriorans, neglecta renouans, & quæque poterat ex antiquis Viris gesta competere, satagebat operibus adimplere. Seueritatem Hieronymi, modestiam Augustini, lenitatem Ambrosij, patientiam Gregorij in corrigendo mores, in sustentando minores, in demulcendo maiores, in sufferendo horrores, vnus idem se multipliciter varium exhibebat.

Librorum amator.

Codices non sibi tantum sed omnibus habebat.

Nec ei sufficit patria sua monasteria inuisere, quin potius occasione fratrum suorum, qui ipsis diebus in Franciæ finibus exulabant, eò viam arripuit, & in Pampilonensium territorium vltrò progrediens, monasterium S.Zachariæ ingressus, & aliorum cœnobia illarum regionum gliscenti voto percurrens, multorum Patrum est amicitia dulcoratus. Quorum conuersationem in epistola, quam Episcopo Pampilonensi in carcere positus dedit, nominatim, locatimque digessit. In quibus locis multa volumina librorum reperiens abstrusa, & penè à multis remota, huc remeans suo nobis regressu adduxit. Ibi Beati Odoarij est fruitus colloquio, cui C L. regulares Monachi militabant. Inde secum librum Ciuitatis B.Augustini, & Æneidos Virgilij, siue Iuuenalis metricos itidem libros, atque Flacci saturata poemata, seu Porphirij depicta opuscula, vel Adhelelmi Epigrammatum opera, necnon Auieni fabulas metricas, & Hymnorum Catholicorum fulgida carmina, cum multis minutissimarum causarum ex sanctis quæstionibus, multorum ingenio congregatis, non priuatim sibi, sed communiter studiosissimis inquisitoribus, reportauit. Idem præterea fulgorem operis, & coruscationem ingenij resplendentibus semitis præsentialiter cunctis sequentibus, & vsualiter sequentibus, specificis semper ostentans indicijs, & luminosis deducens vestigijs, vbique lucidus gradiens, vndique fulgidus rediens, limpidus, dulcorosus, nectareus, Christi coronatus emicabat omnibus famulus.

Patriam deserit.

Vascones Ibericos adijt.

Libros Cordubam affert.

Nec illud omittendum in hoc opere reor, quòd post diuinæ memoriæ Vuistremiri Toletanæ Sèdis Episcopi * (obitum) in eandem sedem ab omnibus comprouincialibus, & confinitimis Episcopis electus, & dignus habitus est, & prælatu omnium comprobatus. Sed dispositio diuina, quæ eum sibi ad martyrium

** Hoc loco aliquid deficere asserit Ambros. Moral.*

Toletanus Epiſcopus eligitur.

reſeruabat, quibuſdam repagulis obuiauit. Cúmque iam ipſa communis electio eum ſibi conſecrare in Epiſcopio adclamaret, rerum obuiantium aduerſitate impediti, alium ſibi eo viuente interdixerunt eligere. Qui licèt argutè fruſtraretur ab ordine, tamen non priuatus eiuſdem ordinis munere. Siquidem Epiſcopatum cæleſtem adeptus eſt, dum per martyrij gloriam Chriſto coniunctus eſt. Omnes namque ſancti Epiſcopi, non tamen omnes Epiſcopi ſancti. Iſte verò ſanctitatem per cruoris fuſionem inueniens, Epiſcopij ordine fungitur, dum cælo receptus, æternis promiſsionibus muneratur.

Elogia Eulogij.

Cumque his virtutibus, & dogmatibus inſigniretur, & omnibus quaſi lucerna ſuper candelabrum poſita, ac veluti ciuitas in montis ſita cacumine procul altius emicaret, & vt doctus Scriba de theſauro domini ſui noua, & vetera vniuerſis familijs prouideret, in Sacerdotibus primus, in Confeſſoribus ſummus, in Iudicibus reſidens non extremus; tandem voti compos effectus, diuina ſibi cooperante clementia, inopinato iudicio, ſed deliberatiuo ſtudio euectus eſt ad ſuperna. Et ea, quæ à Martyribus, fuſis poſtulauerat lachrymis, & per tota ſua opuſcula more ſparſerat precis, obtinere meruit operibus ſanctitatis. Quod verius poterit noſcere, qui ipſa eius egregia opera curauerit legere. Et quoniam expedit, & dignum nobis viſum eſt pro vtilitate legentium, & pro annuo feſtiuitatis ſuæ recurſu, paſsionem eius breuiter explicare: ideo ſequeſtratim pure, & ſynceriter agonis ſui pulcherrimum induximus finem.

DE PASSIONE S. EVLOGII.

Mahomad Arabum Rex perſequitur Eccleſiam.

T*Empore igitur, quo ſæua dominatio Arabum calliditatis aſtu omnes fines* Hiſpaniæ *miſerè deuaſtabat, quo Rex* Mahomad *incredibili rabie, & effrenata ſententia Chriſticolum genus delere funditus cogitabat, multi terrore cruentiſsimi Regis metuentes, eiúſque inſaniam modificare nitentes, per truculentum voluntatis iniquæ officium diuerſis, & exquiſitis occaſionibus gregem Chriſti impetere tentauerunt. Plerique Chriſtum negando ſe præcipitio commiſerunt: Alij duris tormentis agitati, commoti ſunt. Porrò alij florente virtute ſtabiliti ſunt, & fundati. In cuius (vt diximus) tempore martyrium fidelium coruſcando reſplenduit, & error negantium fluctuauit. Nonnulli enim, qui fidem Chriſti tantum mentibus retinebant, inſtinctu Dei, quod zelauerant, luminoſiter, & patulè proferebant. Nullo diſquirente ad martyrium proſilientes & coronam ſibi ex tortoribus rapientes. Ex quibus Arabs genere* B. Chriſtophorus *extitit, cuius paſsionis ordinem alibi digerere cogitamus. Sed & eorum numero* B. Aurelius, *&* S. *extitit* Felix, *qui cum vxoribus ad paſsionis gloriam poſt multa, & prolixa latibula prodierunt. Ex ipſis etiam florens virtutibus* Flora *Virgo beata, quæ contemnens ſæcularem labilem pompam, æternam meruit ſine fine coronam. Quorum hic noſter Sanctiſsimus Doctor agonem ſingillatim expoſuit, & actus vitáſque coruſco ſermone explicauit.*

Sanctorum agones.

Leocritia, & Litioſa Virginum fides.

Hoc tempore puella nomine Leocritia *quædam genere nobilis, mente nobilior, ex Gentilium fece progenita, & ex luporum viſceribus prodita, dudùm per quandam ſibi genere proximam Chriſto dicatam nomine* Litioſam, *aquis ſalutaribus tincta, & occultè fide Chriſti imbuta, extitit, odorémque nectareum notitia ſua cunctis ſparſit. Etenim, cùm ad iam dictam religioſam in annis infantiæ more propinquitatis recurreret, eámque, quibus illa ſermonibus poterat, quotidie inſtrueret, tandem reſpectione cæleſtis fidem Chriſti mente ſuſcepit: & ardore amoris ſuſceptam pectore conſeruauit. Quæ dum ad annos ſapientiæ veniret, & ſcientiæ contingeret lumina, fidem illam, quam tenerrimis inſtitutis occultè didicerat: cottidie fomentis ſpiritualibus auctam in amplius creſcentem alebat, primùm occultè, deinde patulè, & apertè. Quam parentes ſedulè admonentes, & nihil omninò proficientes,*

ficientes, conati sunt eam flagellis, & verberibus impetere, vt quam per blandimenta amouere non poterant, saltem terroribus coercerent. Sed ignis ille quem Christus in corda fidelium misit, nullis minis cedere nouit. In hoc conflictu dùm diebus vapularet, & noctibus, séque acerrimus impetendam vltionibus, & duris vinculis præpeditam videret, metuens ne non propalata publicè fide, cauterio vteretur perfidiæ: per internuntios B.Eulogio, optimatissimo iam multis talibus operibus viro, vel sorori eius Anuloni, Virgini Deo dicatæ, causam suam notam fecit, & quia ad tutiora loca fideliū, in quibus fidem suam posset interrita propalare, ire velle exposuit. Illicò B.Eulogius solitum officium recognouit, & vt erat fautor anhelantissimus Martyrum, hanc extre clàm per eosdem internuntios ordinauit. Illa concitè artem fingens, & parentibus quasi consentiens, nostramque fidem verbis impetens, & data opera, omnia selecta ornamenta induens, séque more illorum, quasi placitura, & nuptura sæculo ostendens, visa est eorum inflectere animos, & sibi exosos comere gressus. Cúmque sibi omnia tàm tuta inesse prospiceret, ad nuptias quorumdam propinquorum suorum, quæ ipsis agebantur diebus fingens, vt eidem officio congruit ornatè procedere, celeri cursu se B.Eulogio, vel sorori eius Anuloni tutandam exhibuit. Quam mox grato animo suscipientes occulendam probatissimis tradiderunt amicis. At vbi Pater eius, & Mater expectantes filiam non viderunt, delusos se ingemiscentes, rabie inaudita, & dolore inuiso se ipsos cruciantes, cuncta disturbant, vniuersa contaminant, currentes per ignotos, & cognitos, & potestatiuè, ac iussione Præsidis, quosque impetendos putabant, carceribus, & vinculis onerabant, viros, mulieres, Confessores, Sacerdotes, deuotas, vel quos poterant flagellis, & carceribus affligebant, si quomodo possent filiam suam, per hæc, & ampliora recipere. Ille verò Sanctus immobilis ei loca diuersa mutabat, & ne traderetur ouis luporum in manibus, omni intentione curabat. Illa tamen vigilijs, & ieiunijs insistens, & cilicio membra tegens, vel puluere cubans, seuerè membra corporis elimabat. Sed & Vir beatissimus cum reuerentia nominandus Eulogius, nocturnas vigilias adpetens, & in Basilicam S. Zoili terra tenus prostratus orans, noctes insomnes ducebat, auxilium Domini, & fortitudinem Virgini impetrans, & se per hæc exercitia Domino consecrans.

Anulo Eulogij soror. Leocritiam in domo recipit.

Inter hæc, Virgo serenissima B. Eulogij germanam, quam ardenti desiderio diligebat, videre voluit, & ad eorum habitacula nocte deuenit, reuelatione Domini prouocata, & auiditate consolationis perducta, vt vno die tantummodo cum eis moraretur, & iterùm ad solita latibula repedaret. Quibus, & retulit sibi vna, & alia vice oranti liquore mellis os repletum fuisse, quod se non auso temerario expuisse, vel inglutijsse, crassi elementi admirando speciem referebat. Cui ille Sanctus hoc esse præsagium, regni cælestis dulcedinis perfruendæ, disseruit.

Leocritia in oratione os melle repletur.

Verùm dum alio redire Virgo disponeret, actum est, vt comes itineris non hora sueta, sed inlucescente aurora veniret. Nec potuit aditum exeundi habere, quippe, quæ nocturno tempore pro euitandis insidijs solebat incedere. Prouisum est, vt eadem die, vsque dùm Sol metam sui luminis terræ subduceret, & nocturnæ tenebræ, quietudinem optatam indulgerent, Virgo Dei, eo quo manebat loco persisteret. Humano quidem consilio, sed diuino retinebatur iudicio: vt & suam sibi coronam, & B.Eulogio imponeret gloriæ diadema. Nam eo die nescio cuius instinctu, quorúmve insidijs, & proditione locus Præsidi latibuli indicatur, & à militibus, ad hoc missis, ex improuiso omnis illa eorum habitatio circundatur. Actum est, vt electus, & prædestinatus Martyr præsentialiter adfuisset. In cuius præsentia iam dictam Virginem educentes, cúmque vnà pariter comprehendentes, verberantes, multisque contumelijs affligentes, in quo Præsidi, & scelerato Iudici præsentarunt. Quem mox Iudex per flagella occidere cogitans, truculento vultu, & impatienti animo vehementi furore accensus, furiosis verbis interrogat: Virginémque cur domo retinuerit minitando, disquirit. Cui libentissimè, & patientissimè, more locutionis

Capiuntur Eulogius, & Leocritia.

sua, splendidè rei veritatem hoc ordine pandit. Præses, ordo nobis prædicationis iniunctus est, & nostræ hoc fidei conuenit, vt disquirentibus à nobis lumen fidei porrigamus, nulliq; ue ad vitæ itinera properanti, quæ sancta sunt, denegemus. Hoc Sacerdotibus competit, hoc religio vera deposcit, hoc etiam Christus Dominus Noster nos docuit: vt quisquis sitiens fidei haurire flumina voluerit, in duplo potum inueniat, potiusquàm quem quæsiuit. Et quoniam hæc Virgo fidei sanctæ regulam à nobis inquirere visa est, necessarium extitit, vt illi nostra, eò se libentiùs applicaret intentio, quò eius in amplius incenderetur affectio. Nec decuit talia desideranti reiicere, præsertim illi, qui ad hoc Christi electus est munere. Vnde & , vt posse mihi extitit, illustraui, & docui; & fidem Christi, viam esse regni cœlestis exposui. Quo modo, & tibi, si me disquirendum putasses, libentissi mè facerem. *Tunc Præses turbido vultu virgas inducere iussit, eum minitans flagellis perimere. Cui Sanctus dixit:* Quid istis virgis exercere cupis? *Animam (inquit) tuum per has educere volo.* Gladium (*ait*) acue, & compone, pro quo animam à vinculo corporis expeditam ei reddas, qui dedit. Nam flagellis membra dissecare non extimes. *Et mox clara inuectione, & sufficienti eloquio falsitatem Vatis sui, & legis improperans, & prædicationis verbum ingeminant, sub omni velocitate palatium ducitur, & ad Regios Consiliarios vsque pertrahitur. Vbi vnus ex ipsis, illi familiarissimè notus compatiendo insiluit.* Si stulti (*inquit*) & idiotæ in hanc mortis descendam ruinam, deuecti sunt, tu sapientiæ decore præcinctus, & vitæ moribus illustratus, quæ te dementia huic mortifero casui, obliterato naturali vitæ amore committere compulit? Audi me obsecro, & ne præcipiti casu, corruas rogo. Dic tantum verbo in hora huius tuæ necessitatis, & postea tua vbi vbi potueris, vtere fide. Promittimus te nusquiam inquirendum. *Cui beatissimus Martyr subridens:* O! (*inquit*) si scire potuisses, quanta fidei nostræ cultoribus maneant reposita; aut si possem, quod meo retineo, tuo committere pectori: tunc iam non me à proposito reuocare conareris, sed libentius te ab hoc mundiali honore amouere cogitares. *Et cæpit eis Euangelij verbum porrigere, & prædicationem regni constanti libertate infundere. Qui illicò eum nolentes audire, gladio iubent transfigi. Cúmque duceretur, vnus ex eunuchis Regis alapa eum percussit. Cui ille ulteram faciem præparans,* obsecro (*inquit*) vt in hanc iterum verberando, priori coæques. *Quam cum secundò feriret, ille patiens, & mitis, iterum priorem parauit. Sed impetu militum ad locum occisionis deducitur, vbi genua in oratione curuans, & manus ad cælos extendens, signóque crucis totum se muniens, paucis verbis intra se orans, ceruicem mucroni tetendit, & celeri ictu, mundum contemnens, vitam inuenit. Compleuit martyrium suum* V. Id. *Martij. Die Sabbatho, Hora* IX. *Anno* DCCC.LIX.

Oratio ad Iudicem.

Ad Regios Cõsiliarios perducitur. Consiliarij Regis oratio ad Eulogiũ.

Eius ad Consiliariũ responsio.

Alapâ ab eunucho percutitur.

Martyrio coronatur.

Et ô felicem, & admirabilem nostro sæculo virum! qui & præmisit in multis sui operis fructum, & reliquit in Virgine se sequendum. Secum victoria vexillum manibus eleuans, & manipulum laboris sui pro se Domino libans oblationem puram, & pacificas hostias offerens, & in se quæ alios docuerat, Christo rerum Domino repræsentans. Mox verò, vt proiectum est cadauer, è loco eminentiori inductum aluei, columba miro candore niuescens, videntibus omnibus, secans aëra pennis, super corpus Martyris aligerans sedit. Quam omnes missilibus petris, hinc inde abigere conantes, & nihilominus consistentem repellere non valentes, manibus voluerunt cominus effugare. Sed illa in circuitu corporis non volans,

Columba in Eulogij corpus insidet.

volans, ſed ſaliens, ſuper turrim corpori eminentem propius reſedit, & ad corpus beatiſſimi viri vultum conuertit. Nec ſilendum eſt miraculum, quod ad laudem ſui nominis Chriſtus, eſt ſuper corpus Martyris operatus. Etenim vnus Aſtigitanæ ciuitatis incola dum inter cæteros palatinum lunatim manſionis ſeruitium ageret, ibique curſum ſuum vigiliis expediret, nocte aquam potare deſiderans, ſurrexit, & ad prominentem canalis ductum, qui ſuper illa loca producitur, peruenit, vbi vidit deſuper, ſuper corpus eius, quod deorſum iacebat; Sacerdotes miro candore nitentes, luminaria coruſcantia retinentes, & pſallentium more pſalmos grauiter recitantes. Qua viſione perterritus ad manſionis locum, magis fugiens, quàm rediens, repedauit. Et ſocio omnia renuntians, cum eo iterum ad locum reuertere voluit: Sed iam ſecundò cernere illud non valuit. Cuius beatiſſimi caput altero die proximè ſequenti curioſitas Chriſtianorum redemit; Corporis verò reliquias, tertio die collegit, & ſub vmbra B. M. Zoili tumulauit. Nunc reſtat in fine voluminis gratias Deo agere, qui ab initio fidei ſuam ornans Martyribus Eccleſiam dat laſſis virtutem, & de ſe nihil præſumentes perducit ad gloriam ſempiternam Ipſi D. N. gloria, & imperium per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Viſuntur iuxta Corpus Sacerdotes cum lucernis.

EPITAPHIVM S. EVLOGII.

H*Ic recubat lepidus Martyr, Doctórque refulgens,*
Eulogius, *lumen, magnum per ſæcula nomen.*
Qui zelo fidei rutilans, virtute priorum
Accenſit mentes magno fulgore virorum.
Hic mactè celeber libris laudetur, & hymnis:
Et vitâ rigidus, & fini Sole coruſcus:
Qui temnens mundum, conſcendit lucida cœli.
Nec gladio periјt, ſed viuit Sede perenni.
Credite quæſo mihi, Viuit per ſæcula, Viuit,
Quiſquis conſcendit Superûm cœleſtia regna.

ORATIO ALVARI.

In qua Regulæ metri non ſeruantur.

N*Unc te Sancte rogo, recolas, vt nomen amici,*
Quem tua hic tenuit dulcis amicitia fixum,
Aluari *extremi, qui multa clade reati*
Infectus vitiis pergit per deuia mundi.
Prex tua hunc teneat lapſum ad paſcua vitæ,
Vt ſolitè Sancto digno nectatur amore,
Quo tibi coniunctus manſit per ſæcula charus,
Præſta Deus Deorum regnans per ſæcula. Amen.

Illicò ergò vt *S. Eulogij* paſſio perficitur, ab eius vrbis Eccleſiis, Natalem eius diem feſtum in ſingulos annos, ſacris hymnis, & lectionibus, agonis ſeriem explicantibus, horariiſque precibus, & omni cultu, & veneratione, celebratum fuiſſe, ex ipſius *Aluari* ecphraſi conuincitur, & apud P. Martin. de Roa, *de SS. Martyr. Cordub. c. 2.* dignoſcitur. Et hymnus ab ipſo *Aluaro* deſcriptus cum hac epigraphe perſuadet, ſic:

Cordubẽſis Eccleſia ab initio agone feſtum celebrat.

HYMNVS IN DIEM S. EVLOGII PRESBYTERI. Quinto Idus Martij.

Almi nunc redeunt festa polifera
Nostri Eulogij *Martyris inclyti:*
Soluamus Domino carmina Principi
Concentu fidei cœlico munere.
Laudamus varia musico carmine,
Quæ non sunt Domini prædita lumine:
Hic nunc sat melius res ipsa panditur,
Cum Christum resonant chordulæ metricæ.
Hic nunc est animus magna reuoluere:
Splendenter anhelat balsama fulgide
Gliscens egregia clangere libere,
Vt dulci roboet musica flamine.
Bellator Domini verbo potentior
Doctrina, & pariter fine celebrior:
Christi sic igitur glo[illegible] cingitur,
Vt florens vigeat, [illegible]cet in æthere.
Rector dum populos [illegible]octè reficeret
Gypsum cùm diceret, fagmine prodire,
Turbam multiplici germine lauream
Cœlesti rutilus, agmine prouehit.
Vltus sic Domini Zelo, fidelium
Conuertens fluidos mores rebellium,
Adsciscens opibus munere nobili
Abstractos barathro sublimat æthere.
Sed iam cum meritis digna rependere
Christus cunctipotens vellet, Leocritiam
Rectè mox lepidam Virginem extulit,
Quæ clarum famulum axe reconderet.
Tunc celsus solitum ritè solatium
Præstat, & placidum compte remedium,
Cultum tunc fidei dogmate ingerit,
Aduersans populis iusta rebellio.
Ex templo præconans prædo peranxius
Conturbat patriam, iussuve plebium
Per cunctas plateas longe reuoluitur,
Quod Princeps rabidus, excitus imperat.
Regnantem tumidum respuit inclyta
Cœlestis famuli mens Deo prædita:

Tandem

Tandem præcipiti, & ductu notabili
Comprehensus, sonuit mox quoque libere.
Dicens: O *Proceres temnite impium:*
Christum æthereum credite Principem:
Vatem impudicum rectè repellite;
Qui tantos populos igne recondidit.
Gaudens hæc resonet culmine gnauiter,
Necnon, & alia conquerens fortia,
Hunc mandat gladio vertice tundere,
Ne Sancta valeat turba recipere.
Adest intrepidus belliger annuens,
Tundunt, quem alapis, sed rogat horridum,
Extendens faciem, verbere, vt alteram
Alternans, gemina palma relideret.
Tunc signo fidei pectora seruulus
Armat Deifica aurea roseo
Colla lactentia, sanguine pradita,
Incuruat Dominò, instat, & obsecrat,
Sic ictu gladij sydere conditur,
Sic verbo fidei clarè reuoluitur.
Adesto miseris quæsumus affatim
Perplexos precibus soluere concitè.
Adsiste gemitis poscimus excitis,
Inflectens animis, nunc quoque Numinis
Auditum placidum, atque serenus
Mentem, vt precibus sanctè refocillet,
Ut Rector deleat regna ferocia,
Conculcet validus dogmata impia,
Aspiret fidei compta refulsio
Qua cœli referet culmina fulgida.
Vt torquens hæresis longè resiliat,
Vt cultus Domini altius emicet:
Rectores patriæ flore redoleant,
Aduersus cunctos libere ventilent
Sit vita prolis sit quoque prouida
Sanctis religio, per iuge tempora,
Sit trino Domino gloria sedula
Æternum dominans inclyte sæcula.
Amen.

Ecclesia *Cordubensis* olim hoc vtebatur hymno, sed obliterato iam ordine in desuetudinem abiit: hodie Officio duplici recitatur, & in tribus secundi No-

ctumi lectionibus per compendium ex *Aluaro* vita describitur, & hac deprecatione finitur.

ORATIO.

Deus qui in summa temporum turbulentia afflictæ familiæ tuæ B. Eulogium *Martyrem tuum ad solatium tribuere dignatus es: Concede propitius, vt qui hac læti festa peragimus, eius quoque in religione constantiam imitemur. Per Dominum.*

Sancta *Ecclesia Toletana*, item vt suum Pastorem electum hodie colit, celebrat, & officio recitat Semiduplici, licet olim in silentio eius memoria apud ipsius Ecclesiæ Kalendaria, & fastos fuisset. Actorum quoque ecphrasim ab ipso nunc Ecclesiasticus ordo recepit *Aluaro*, cum simili Collecta.

ORATIO.

Da quæsumus Domine Beati Eulogij *Martyris tui fidei constantiam imitari: vt eiusdem intercessione in tui nominis amore roborati, æternum capiamus tuæ salutis consortium. Per Dominum.*

Error Martyrologij Monastici. Prorsus à veritate *Arnold. VVion*, & *Hugo Menardus* recesserunt, credentes *S. Eulogium* monachalem S. Benedicti induisse cucullum, & inter Sanctos huius felicissimæ familiæ coniungi, ac si ipsa supposititiorum Martyrum, aut Confessorum catalogis indigeret; cum de ipsa memoria prodiderit, quod CCC per spatium annorum omnes vita functos cœlum recepisset alumnos. Et ideo P. F. Anton. de Yepes *in Chron. Benedict. tom.4. Cent.4. Ann.* 859. *c.* 1. *fol.* 147. *col.*3. hanc penitus explosit opinionem, & Clericis restituere Martyrem sanctissimum procurauit.

Verus agonis Annus. De Anni assignatione Martyrij, licet ab *Aluaro* non reddita, loquitur eruditiori cognitione computi Noster Ambros. de Moral. *in Not. ad vit. S. Euleg. n.*32. & P. Mart. de Roa *Hist. SS. Cordub. h. d. fol.*39. & sine coniectura cycli per diei Symbolum, Iulian. Archipresb. *in Chron. n.*439. sic: *In Principio incuntis anni* DCCCLVII. *eligitur* S. Eulogius *Presbyter Cordubensis, Acta Toleti Synodo Comprouincialium Episcoporum: cui quidem interfuerunt Venerius scilicet Complutensis, Daphila Pontifex Oretanus, Mamila Valentinus, Lupus Carthaginensis in Hispania, Abibonsus Mentesanus, Garcea Berciensis, cum sex Vicariis, & totidem Abbatibus. Multi volebant Bonitum Archidiaconum vt diuino acti spiritu, elegerunt vnanimi consensu prædictum Sanctum Virum* Eulogium *Doctorem Cordubensem. Electus est* XXV. *Die Maij. Negotiorum causa non potuit venire per totum illum annum à fine Maij, vsque ad* XI. *diem Martij Anno* DCCC.LIX. *die Sabbathi, quo passus est* S. Eulogius *Corduba martyrium.*

De loco vbi martyrium impleuit longa disceptatio est apud *Morales* in locis relatis, tantum hîc Epigramma ab ipso *Ambrosio* compactum de loco, seu arena, qua agones strenui Christi milites Cordubæ conflictantes peragebant, appingam, quod in tabula marmorea visitur, cuius lemma:

CHRISTO IN SANCTIS PER FIDEM VICTORI.

EPIGRAMMA.

Aspicis erectum Sacrata mole trophæum,
Victrix, quo Christi consecrat Alma Fides;
Martyribus fuit, hîc cæsis Victoria multis,

Parta

Parta cruore hominum, robore parta Dei.
Ergo tua æthareis caleant præcordia flammis
Hæc dum oculis simul, & cernere mente iuuat.
Hinc iam Victorem Christum reuerenter adora,
Et Sacrum supplex hunc venerare locum.

Alia in translatione *S. Eulogij*, quæ ad ipsius diei symbolum spectant, compaginauimus, hîc dicta sufficiant, & qui Hispano sermone vitam perlegere voluerit, P. Martinum de Roa è Soc. Ies. illius incolam vrbis Patriciæ, & eruditionis Hispanicæ, & Patrem, & Patricium adeat. qui elegantissimis periodis clausulas *Aluari* circumscribens, innumeros sententiarum flores intexuit operi, & Sacræ scripturæ felicissimis interlineauit axiomatibus.

Scripsit S. Eulogius aliqua veneratione digna opuscula, de quibus Baronius *in Notis ad Martyrolog.* Sed felicius mea sententia, sua ipsius scripta viuam ipsius imaginem reddunt.

I. Memoriale Sanctorum, Libri III. Siue de Martyribus Cordubensibus, ab Illustrissimo & Reuerendissimo Dom. D. Petro Pontio de Leon Episcopo Placentino, & Inquisitore Generali editum, & ab Ambrosio de Morales notis illustratum. *Libri quos scripsit Eulogius.*

II. Apologeticum Martyrum Cordubensium, siue de Rebus gestis ab ipsis Martyribus, item ab ipso Ambrosio, notis exaratum.

III. Documentum Martyriale, siue exhortatio ad martyrium, duabus Virginibus Floræ, & Mariæ iam in carcere pro Christi confessione comprehensis, scriptum; item à Morales scintillatum.

IV. Epistolarum Liber, qui diuersis inscribitur personis, etiam à Morales elucubratum. Quæ omnia vt refert Ausbert. Myr in Bibliot. c.251. fol. 230. extant tom.9. in Bibliot. Patr. & in Hispania illustrat. tom.4. fol.213. Cardin. Bellarm. de Script. Eccles. sæcul.8. Ann.850. fol.192.

V. Item prosa, & metro varia opuscula, hymnos, & carmina nouitate conspicua, vt Aluarus in eius vita recenset, quæ adhuc sub silentij iacent sigillo.

Cordvba. De ea aliquantulum egimus die XIII. Ianuarij *Tom.1. fol.146.* & XXXI. *fol.366.* vbi de eius Conditore primam diximus sententiam. Nunc de ea elogium ab *Henrrico Cocquo* Gorcomio-Batauo, cuius Opera MSS. tam versu, quàm prosâ exarata apud me, subiicere decreui. Is in sua *Hispan. Heroica vers.155.*

In Tartessiacis vrbs est notissima terris
Sanguine martyrio Patricia Corduba *diues,*
Flumen habens Bætim, Pœnorum Regia quondam,
Reliquiæ quorum, Templum, Ponsque optimus extant,
Ciuibus illa suis bene olentes arbore lymphas
Auriato præbet, senibus medicatur anhelis:
Consule Marcello Romano condita fertur.

Sancti Vincentius, & Ramirus.] Hos Sanctissimos *Monachos* fuisse in Hispania Martyrum primitias ordinis S. Benedicti testatur *Yepes*. Eorum memoria adest in Martyrologiis Benedictinis apud Arnold. VVion, & Hugon. Menard. sic: *In Hispania passio Sanctorum* Vincentij *Abbatis*, Ramiri, *& XII. aliorum Monachorum.* Philipp. Ferrar. in *General. Catal. SS.* hoc die, sic: *Legione in Hispania Sanctorum Martyrum* Vincentij *Abbatis*, Ramiri *monachi, & aliorum.* M. R. die XI. Septemb. licet de solo Vincentio, sic: *Legione in Hispania* S. Vincentij *Abbatis, & Martyris.* Philipp. Ferrar. *in Topograph. SS* verb. *Legio.* fol.66. col.2. addidit *Ramirum*, sic: *XI. Septembris.* Ramirus *Monachus, cum S. Vincentio Abbate* E *In Martyrologia.* *Vi quid festum die XI. Sept.*

improbi consilij comprehensione, vt in Christianos sæuiret, breuiter perstringemus. Quis fuerit Valerianus, & qui eius mores, ex Senatusconsulti epigraphe apud Trebell. Pollion. de Rom. Impp. in Valeriano, excerpemus; Duobus (inquit Trebell.) Decijs Coss. vt Kal. Nouemb. die; cum ob Imperatorias literas in æde Castorum Senatus haberetur, ireturque per sententias singulorum, cui deberet Censura deferri (nam id Decij posuerant in Senatus amplissimi potestate) vbi primùm Prætor edixit: Quid vobis videtur P.C. de Censore deligendo? atque eum, qui erat Princeps, cum Senatus sententiam rogasset, absente Valeriano (nam ille in procinctu sue cum Decio, tum agebat, omnes vna voce dixerunt, interrupto more dicenda sententia: Valeriani vita Censura est; ille de omnibus iudicet, qui est omnibus melior. Ille de Senatu iudicet, qui nullum habet crimen. Ille de vita nostra sententiam ferat, cui nihil potest obiici. Valerianus à prima pueritia Censor fuit, prudens Senator, modestus Senator, grauis Senator: Amicus bonorum, inimicus tyrannorum; hostis criminum, hostis vitiorum. Hunc Censorem omnes accipimus; hunc imitari omnes volumus. Primus genere, nobilis sanguine, emendatus vita, doctrina clarus, moribus singularis, exemplum antiquitatis. Quæ cùm essent sæpius dicta, addiderunt OMNES, atque ita discessum est. Ioann. Naucler. in Chron. d. generat. 9. sic: Valerianus tantæ probitatis fuit, vt priusquàm Imperator crearetur, Censoria dignitate, quæ nisi Sanctis quibusque viris assignabatur, insignitus fuerit. Multa alia de eius probitate inueniuntur, vt mirandum sit, quòd confestim in suo imperio, prolapsus sit. (En secunda pars de Magi deceptione) nam & si ab initio Imperij Christicolis fuerit plurimùm benignus, paulò tamen pòst per quemdam (vt fertur) Magum Ægyptiorum doctorem ita deprauatus, ita detectus est, vt primò è palatio suo expulsis, qui Christiani nominis assertores erant, deinde per vniuersum orbem, Octauam persecutionem grauissimam à Nerone contra Christi Ecclesiam excitarit. Dionys. Alexandr. in d. epist. qui ocularis testis fuit, peramplius, & elegantius, sic: Verum doctor quidam, & princeps Magorum Ægypti, illum (Valerianum) tandem perdito consilio, deprauauit, & non impulsit solum, vt homines culpa vacuos, ac Sanctos Dei, vt potè sceleratorum, ac execrabilium incantamentorum aduersarios, & oppugnatores (satis namque virium, ac potentia præsentia, aspectu, spiritu, & voce solùm, ad detestabilium dæmonum insidias dissipandas, & habent, & semper habuerunt) acerbè persequeretur, necique traderet; verùm etiam, vt impuras cæremonias obiret, profanas exerceret præstigias, execranda mysteria exequeretur, mactaret pueros misellos, prolem infelicium parentum exsacrificaret, tenera infantium dissecaret viscera, Dei denique creaturas discinderet, discerperétque, vehementer cohortatus est; perinde, ac si eo pacto omnes res prosperè, & feliciter succederent. Væ illis qui ex corde ipsorum prophetant, communem tamen omnium non respiciunt vtilitatem! Nam neque communem, ac generalem Dei prouidentiam intellexit, neque iudicium illius, qui est ante omnia, per omnia, & in omnibus omnino perspexit. Quapropter se communis, & Catholicæ illius Ecclesiæ hostem præbuit, se à Dei abalienauit misericordia, & quasi penitus relegauit, se à sua ipsius salute quàm longissime remouit, atque in hoc verè suo respondit nomini. At Dominus multa ipsius in se, in filiis, in imperio, & in honore peccamina non reliquit; quas pœnas perpessus sit, exquirat ab Historiographis Romanis, & Catholicis. Nam de hoc ad propositum dicta sufficiant.

Valeriani Imp. elogiũ.

Christianis benignus in principio fuit.

Ab Ægyptio Mago illuditur.

C Alexander. Fuit frater Ruffi Derthosæ Episcopi, in hunc diem eius retulit cultus P. Biuar. ad Dextr. in Chron. Ann. 112. n. 10 fol. 219. Qui suæ opinionis oblitus, quam ad annum 268. n. 7. fol. 296. loquens de Heraclio, & Zosimo expressit, approbans Martyrologij Romani distinctionem, & tenens Zosimum, Heracliumque diuersos fuisse à Candido, Pepirione, & aliis, quos Alexandriæ passos profitetur. sic: Id quod Baronius docet in antiquis MS. codicibus reperiri, & Nos omnimodis verum existimamus, vt pote Dextri testimonio corroboratum, qui Carthagine solos Heraclium, & Zosimum occisos scribit, non quidem Africana, sed Hispana, Spartaria nuncupata. Nunc in Comment. ad d. ann. 112. n. 10. Omnia in puluerem reducit. Sed vt clarius procedatur, & eruditissimi viri contrarietatis apicem pertingamus, Dextri priùs verba transcribere decreui, sic: Carthagine Spartaria S. Alexander frater Ruffi I. Derthosanorum Episcopi in Hispania Tarraconensi, filius Simonis

Binarij cõtrarietas.

Cyrinensis,

Cyrinensis, qui post Christum eius crucem baiulauit, patitur cum Candido, & Zosimo, & sociis martyrium. Inuenit hic P. Biuar. *Candidum, Zosimum*, & alios Ann. CXII. martyrio coronatos: repererat apud *Galesinum* ipsos cum aliis apud *Carthaginem* Valeriani temporibus occisos; annorum computum deturbauit, & vt illos *Dextri* textui assueret, in hæc verba prorumpit: *In eo vero* Galesinus *audiendus non est, quod passos dicat sub Valeriano, & Galieno Impp. cum apud Neminem reperiatur, sed de suo addiderit.* Cùm postea dixisset *ad ann.* 268. *n.* 7. loquens de ipso Zosimo: *addit Galesinus passos fuisse Val. & Gal. Impp. quod Dexter hoc notauit.* Et ad Baronij opinionem ab ipso Biuar. ex MS. approbatam *d. n.* 10. *Ann.* 112. asserit. *Certe non tanti faciendus esset Codex MS. quem pro se Baronius affert, vt solus ipse credatur correctus, cæteri vero auctores quantumuis veneranda antiquitatis, corrupti.* Quam viam elegerit Apodicticus commentator ignoro. Meo videri omnibus cupiens soluere fidem, nemini satisfecit. Crediderim *Alexandrum* nostrum, vt *Dextri* Chronicon sustineatur, passum *Traiani* tempore Anno CXII. cum *Candido, Pepirione*, & *Sociis*, & illud *Zozimi* nomen additum fuisse ab aliquo amanuensi; glossemáque esse imperiti alicuius Macci. Ratio in promptu, nam legens *Bedæ* Martyrologium, inuenit cum *Alexandro* Zozymum, & credens in *Dextri* Chronico deficere ipsius nomen, interlineauit illud, vt nostræ confusioni emphasim addidisset. Ergo apud *Bedam* hoc die *Alexander* est, item apud Equilin. *lib.* 3. *c.* 191. cum *Candido*, & Sociis. Ex quo hæc assignanda est diuersitas; Quod *Zozimus* vt diximus cum *Heraclio* coronatus est sub *Valeriano* Imp. quo Dextri, Galesini, & Baronij currit opinio: *Alexander, Candidus, & Socij* Sub *Traiano*, quo Galesini computum corruit, *Dextri* veritas stabilitur, Baronij discrimen Subsanatur, si sic legas: *Carthagine SS. Martyrum* Heraclij, *&* Zozimi *sub Valeriano. Ibidem passio* SS. Alexandri, Candidi, Piperionis, *& aliorum XX. sub Traiano.* De eis memoria apud D. Francis. Cascal. *Hist. Carthag. & Mart. discurs. fin. n.* 7. Ex quibus hoc sic potest confici elogium.

Dextri sententia sustinetur.

Aliorum Scriptorum ambiguitas sedatur.

ACTA S. ALEXANDRI MARTYRIS, ex Variis Scriptoribus.

Alexander *ex nobili Africana gente progenitus, Patrem habuit* Simonem, *qui ex* Cyrene *vrbe originem ducebat: fratrem habuit nomine* Ruffum, *quos* Simon *in liberalibus disciplinis instruere satagebat; sed deficiente in omnibus fide, vana erat & inanis illorum scientiæ cupiditas, quia Gentilicis erroribus adhærebant. Euenit ergo quòd* Simon *deperditis facultatibus, in quarum basi humanæ conditionis æstimatio nititur communis, ad summam deueniens pauperiem, acceptis secum pignoribus,* Hierosolymam *adiit, vt à conspectu amicorum, & consanguineorum recedens, opprobrium miserabilis effugeret indigentiæ. Ibidem* Simon *honestis exercitiis ad vitæ sustentationem alimenta lucrabatur. At eueniente* CHRISTI *Domini passionis die, indignata Satellitum sæuitia, vt crucis pondus in aliquo subleuaret, arripuit* Simonem *venientem de villa, qui protinus* Dominum *in perferendo laboris, & crucis onere condiuuauit.* Ruffus, *&* Alexander, *qui à Patre,* Domini *& innocentiam in calumnia, & patientiam in supplicio, cognouerunt; mortemque, resurrectionem, & alia miracula percipientes ad Apostolorum pedes prouoluti in* Christum *credentes,* Christi *discipuli electi sunt. Post* Pauli *discipuli facti eum in* Hispaniam *secuti,* Ruffus Dertosanæ *Ecclesiæ I. Episcopus vocitatus, muneris sanctissimè cumulum adimpleuit.* Alexander *verò veritatis fidei prædicator per* Hispaniæ *extitit ciuitates, donec* Carthaginem Spartariam *aduentans, cum* Candido, Pepirione, *& aliis Sociis ad martyrij palmam, perpessis variis tormentorum generibus, properauit.* XI. *die* Martij. *Anno Domini* CXII. *Imperante Traiano.*

Origo.

Cum Patre Ierosolymã veniunt.

Paulo adhærens & Hispanias adeunt.

Carthagine patitur Alexander.

Huius relationis comprobatio desumitur ex vitæ actis S. Ruffi apud Vincent. Domenec. *de SS. Cathal. fol.* 108. *lib.* 1. Pujad. *Hist. Cathalon. lib.* 4. *c.* 14. & alios

Scriptores.

quos

quos ipſe refert. De aduentu *Alexandri* cum S. Paulo ad Hiſpanias, teſtis eſt S. Braul. *in addit. Chron. S. Max.* in fine, ſic: *Sanctorum Ruffi, & Alexandri memoria, Simonis Cyrenai* (*quibuſdam, & Niger eſt*) *filiorum, celebris eſt: venit cum filius Simon in Hiſpaniam, comitatur S. Paulum, vbi pradicauit.* Quod fuiſſent *Gentiles*, & non *Iudas*, probat ex authoritati bus Sanctorum P. Biuar. *in Not. ad Dextr. Ann.* 100. *Com.* 1. *n* 4. *fol.* 195. *&* 196. Cætera clara ſunt.

Antiquitas in fide.

CARTHAGO Spartaria. De ea egimus ſupra *I. Tom. fol.* 164. vbi PRIMAM de Conditore ſententiam recenſuimus; & die *III. February d. Tom. I. fol.* 37. aliquot eius elogia ſubſcripſimus; & die I. Martij hoc *II. Tom. fol.* 25. Numiſma Scipionum delineauimus, nunc Iuliani Petr. *in Aduerſ. n.* 16. verba de eius ad Christi fidem conuerſione primaria dabimus: *Poſt condita* (inquit tempore Salomonis) *ſunt* CARTHAGO, *&* Gades, *Colonia Tyri, qua primitus receperunt fidem* Chriſti. *Dauid vocat eas filias Tyri, Pſalm.* 44. Hinc iſtius vrbis, & antiquitatem in conditore & vetuſtatem in fide cognoſces.

D

S. Eulogius. Ipſius eſt illuſtris memoria apud noſtros, & exteros ſcriptores. Hic ille præclarus Chriſti Athleta (inquit Baronius) qui cedentibus cæteris, vexillum confeſſionis aduerſus Arabum impietates erexit, ac plurimos ad martyrij coronam perduxit, quorum triumphos ipſe in carcere poſitus, ſcripſit. Eius natalis dies iſte eſt; A vero deuiarunt Vſuardus, & Maurolycus, qui eius agonem *ad XX. Septembris* collocarunt. ille ſic: *Ciuitate Corduba Beati* Eulogij *Presbyteri ob Christi martyrium decollati.* Iſte breuius, ſic: *Corduba Sancti* Eulogij *Presbyteri, & Martyris.* Veriùs Petr. Galeſ. h. d. ſic: *Corduba Sancti* Eulogij *Presbyteri, cuius hoc ipſo die martyrium extitit, ſed XII. Kal. Octobris anniuerſario precum officio illius celebritas agitur* Martyrol. Benedict. VVionis, ſic: *Corduba Sancti* Eulogij *Abbatis, qui eiuſdem vrbis martyribus in perſecutione Sarracenorum, adiungi meruit, quorum pro fide certamina ſcribendo, fuerat amulatus.* Hugo Menard. in cod. Martyrol. ſublata voce *Abbatis*, & ſubiecto vocabulo *Martyris*, eadem tranſcribit. Philipp. Ferrar. in Topograph. SS. verb. *Corduba*, ſic: Eulogius *Presbyter, qui memorias Martyrum Cordubenſium ſcripſit, cum aliis multis Martyr ſub Mauris Ann. Domini DCCCLIX. Sed in Martyrol. Rom. die XI. Martij ponitur. Corpus Oueti.* M. R. ſic: *Corduba Sancti* Eulogij *Presbyteri, qui eiuſdem vrbis martyribus in perſecutione Sarracenorum adiungi meruit, quorum pro fide certamina ſcribendo fuerat amulatus.* De eo Ambroſ. de Morales *Hiſt. Hiſpan. lib.* 14. *c.* 27. & ſeq. P. Truxill. *in Theſ. Concionat.* 2. *t.* Marian. *Hiſt. Hiſp. lib.* 7. *c.* 15. Mariet. *Hiſt. SS. Hiſpan. lib.* 2. *c.* 83. & ſeq. Franciſc. Piſa *Hiſt. Tolet. lib.* 3. *c.* 8. *fol.* 140. D. Thom. Tamay. *in Dypthic. Tolet. n.* 47. & in *not. ad Luitprand. fol.* 201. Illuſtriſſ. Ep. Turiaſon. *in Primat. Tolet. tom.* 2. 3. *p. c.* 1. §. 6. *fol.* 561. Ex antiq. Luitprand. *n.* 299. vbi P. Higuer. *n.* 431, Iulian. in *Chron. n.* 439. *&* 440. Illuſtriſſ. D. Garſ. de Loays. *in Dypth. Tolet. poſt. Concil. Hiſp.* Ex noſtris Martyrolog. Luſitan. h. d. ſic: *Em Cordoua de S.* Eulogio *Sacerdote, o qual merecio ſer do numero dos Martyres, que na meſma cidade foraom mortos, na perſeqaiçaom dos Mouros, cujas vidas, e martirios, recebidos polla fee, elle antes tinha ſcrito.* Caſtellan. P. Dionyſ. Vaſq. ſic: *En la ciudad de Cordoua* S. Eulogio *Presbytero, que merecio en la perſecucion de los Moros, ſer contado entre los Martyres de aquella ciudad, cuyas vidas, y martirios ſufridos por la gloria de Christo, auia en particular historia eſcrito.* Hiſpanicum P. Higuer. ſic: S. Eulogio *electo Arcobiſpo de Toledo y Martyr, el qual ſiendo Presbytero, y Doctor es clarecido en tiempo de los Moros: en la ciudad de Cordoua ſu Patria merecio conſeguir el triunfo de Martyr.* Catalag. Sanctor. Hiſpan. Excellentiſſim. D. D. Ioann. Franciſc. Fernand. de Ixar, Ducis Ixarenſ. & Comitis Belchitenſis; ſic: *San* Eulogio, *de Cordoua à XI. de Marco.* Vitam ſcripſit *Aluarus Cordubenſis* S. Eulogij, & amiciſſimus, & Synchronos, quam gratia antiquitatis, hîc exſcribere curaui, demptis aliquot, quæ ad noſtri inſtituti cumulum exuberant, præfationibus, & periodis; Qui integram perlegere deſiderat, ad Hiſpan. Illuſtrat. *tom.* 4. *fol.* 223. & in *tom.* 2. Laurentij Surij, à *Moſandro* aucti de *Vit. SS.* adeat.

Error aliquorum in aſſignatione diei agonis.

Martyrologia.

Scriptores.

ACTA

ACTA S. EVLOGII PRESBYTERI CORDVBENSIS Martyris, electi Episcopi Toletani, ex Aluaro Cordubensi.

EVLOGIVS Beatus Martyr nobili stirpe progenitus, Corduba Ciuitatis Patriciæ Senatorum traduce natus, Ecclesiæ ministerio mancipatur, in Sancti, ac Beatissimi Zoili æde deseruiens, & in eiusdem collegio clericorum vitam deducens, multis, & clarissimis virtutibus floruit, magnis, & laudabilibus operibus viguit. Ab ipsis enim incunabulis, literis Ecclesiasticis hærens, & quotidie per studia bonorum operum crescens, perfectionem adeptus est, ac super omnes coætaneos doctrinæ scientia clarens, & eruditionis lumine florens, magistrorum doctor est factus. Quippe, qui mentem senilem paruissimo corpore gerens, vincebat & si non ætate, certè scientia vniuersos. Erat autem studiosissimus Scripturarum scrutator, & intensissimus sententiarum inuestigator. Ita vt nihil Scripturæ præponeret Sanctæ, nil magis eligeret, quàm in lege Domini meditari die ac nocte. Nec contentus magisterio Doctorum suorum, alios, si quos fore audiret, procul positos requirebat, & ne offenderet proprios, furtim se horis, quibus poterat, retrahebat. Nam & Abbatem bonæ recordationis, & memoriæ Spera in Deum opinabilem, & celebritate doctrinæ præconabilem virum sæpius inuisebat, auditorióque more, ex illius ore disertissimo dependebat. Qui ipso tempore totius Bæticæ fines prudentiæ riuulis dulcorabat. Ibi eum primitus videre merui, ibi eius amicitiæ dulci inhæsi, ibi illi indiuidua sum nexus dulcedine. Eram namque iam dicti Illustrissimi Viri auditor: & dum frequentius eius limina tererem, incultúmque ingenium acuerem, tandem respectione diuina huius tanti viri societate coniungor. Et catenatim insolubili nexu non innector tantùm, sed vnior: factique sumus auditores viri, inquisitores veri, amatores nostri. In tantum, vt illa ætas indocta sibi non concessa præsumeret. Agebamus vtrique scripturam delectabilem lusum, & Scalmum in lacu nescientes regere, Euxini maris credebamur fragori. Nam pueriles contentiones, quibus diuidebamur, non odiosè, sed delectabiliter epistolatim in inuicem egimus, & rithmicis versibus nos laudibus mulcebamus, & hoc erat exercitium nobis melle suauius, fauis iucundius, & in ante nos quotidie extendentes multa inadibilia tentare in Scripturis puerilitas immatura docibilitas egit. Ita vt volumina conderemus, quæ postea ætas multa abolenda, ne in posteros remanerent, decreuit.

Patria, & familia.

Educatio.

Spera in Deum Abbatem Magistrum habuit.

Amicitia cum Aluaro.

Sed cùm iam annos iuuentutis attingeret Eulogius, Diaconij ministerio fungitur; atque in breui, merito vectus ad maiora, gradu presbyterij sublimatur, móxque magistris ordine, & vita moribus sociatur. Quanta illi humilitas, quanta bonitas, quanta inhæserat charitas, amor omnium ostendebat. Ex hinc cœpit se acrioris vitæ austeritate constringere, & modestiæ legibus in vniuersis actionibus perornare. Scripturis vacare diuinis, & corpus suum vigiliis, ac ieiuniis castigare, monasteria frequentare, cœnobia inuisere, regulas fratrum componere. Hinc inde cuncta eo modo curare, quo, si fieri posset, vtrobique adesset. Ita clericatum agens proprium, vt regularem ordinem non dimitteret alienum, ita monachis adhærens, vt clericus probaretur. Ita in clero degens, vt monachus videretur, vtrobique aptus adcurrens, & vtrarumque professiones, vnus sufficientissimè complens, currebat sæpiùs ad cœnobiorum sacratissimos greges. Sed ne propriorum ordinem contemnere putaretur, ad clerum iterum remeabat: in quo dum aliquod tempus persisteret, ne virtus animi curis sæcularibus eneruaretur, itidem monasteria repetebat. Hic doctrina oris Ecclesiam ornans, illic vitam propriam exculpendo decorans, in tantis virtutibus positus, viam sæculi mærens incedebat, & anxius: & quotidie ad cælestia volare

Diaconus fit.

Mores post Presbyteratum.

Fuit clericus Secularis, non Monachus.

cupiens,

Romam adire decernit.

cupiens, corporea sarcina grauabatur. In tantum, vt Romam *ire disponeret, vt adolescentiæ nauos lachrymis, & peregrinationis itinere domaret, immò domitos deleret: sed ecce omnes hinc inde insistimus, & eum magis corpore, quàm animo retinemus.*

A Reccafredo Episcopo cum aliis capitur.

Verùm dùm ista, & alia referuntur, tandem Reccafredus *Episcopus super Ecclesias, & Clericos, quasi turbo violentus insiluit: omnésque Sacerdotes, quos potuit, carcerali vinculo alligauit. Inter quos, vt electus ariès ducitur, & cum Pontifice suo, vel aliis Sacerdotibus vincitur. In qua retrusione magis orationibus, & lectionibus operam dedit, quam vinculis. Ibi Sanctis Virginibus* Flora, & Maria, *pro fide comprehensis, illud documentum* Martyrale *vno libro composuit. In quo eas ad martyrium verbis tenacissimis solidauit, easque, per se, verbis, & epistolis mortem contemnere docuit. Séque, suósque Socios, earum suffragiis vinculo soluendos commisit, quod & obtinere mox post sextum diem passionis earum promeruit. Nam illæ Octauo Kalend. Decembris expleuerunt martyrium, Sacerdotes vero Domini III. Kal. earũdem meritis solutionem adepti sunt. Extat super hoc illustriore stylo confecta, & mihi his diebus directa epistola, passionem earundem Virginum, & ereptionem Sacerdotum, ipsarum Virginum meritis continens. Ibi metricos, quos adhuc nesciebant sapientes Hispaniæ pedes perfectissimè docuit, nobisque post egressionem suam ostendit. Inde & mihi pro libris illis, quos in defensionem Martyrum dederat, epistolam facundo locutionis genere dictatam, direxit. Nam cùm omnes, qui cum eo erant Sacerdotes, vacarent otio, & quieti, ille non noctibus, non diebus à lectione cessabat, noctes diésque ingeminans, scripturarum mella lambens, & ore, & corde spiritualiter ruminans.*

Documentum Martyrale in carcere scripsit.

A carcere relaxatur.

Quæ in carcere scripsit.

Constantia inter persecutionem.

Verùm operæ pretium reor si paulo altius incedentes, tempore persecutionis qualiter probatus extiterit, inseramus. Nam dùm Episcopi, Sacerdotes, Clerus, & Sapientes Cordubæ *in martyrio nuper exorto, deuio calle incederent, ac timoris impulsu penè fidem Christi, si non verbis, nutu tamen negarent, hic tamen inuincibilis nunquam vacillare, vel tenui est visus susurro. Sed omnibus pergentibus, ad agonem occurrens, vniuersorum animos roborans, cunctorúmque ossa venerans, & componens, in tantum ardescebat ardore martyrij, vt ipse incentor ipsis diebus videretur esse martyrum. Pro quo rectitudinis Zelo multis extitit contumeliis propulsatus, magnisque terroribus fatigatus. Nam vnus ex proceribus illum impetens, & minis exasperans, diuino iusto iudicio in reprobum sensum conuersus, fidem, quam tenens nesciens impugnabat, mox miser, & stultus amisit. De quo plenius in libro* Memoriale Sanctorum *tertio, iam dictus Sanctissimus disputauit. In quibus libris, & passiones sigillatim* Martyrum *claro fonte locutionis explicuit, & prosecutione sufficienti quæcumque Acta sunt in Martyribus Domini, & dicta, secuturis generationibus propalauit. Quantus autem, vel quam excellens fuerit scientia, luce clariora eius pandent opuscula, quæ sale Attico, & prosaico lepore, immo diuina inspiratione composuit.*

Multa sustulit opprobria.

Eius cum Episcopo Constantia.

Is enim graui instinctu doloris, dum vndique circa se dolosum cerneret ipsius Reccafredi *grassari ingenium, & cæteros ei communicantes deprehenderet, nec resistendi sibi copiam videret, nec amouendi licentiam (vt pote fideiussoribus datis) remanere sibi conspiceret, cœpit se graui deterere gemitu, magnóque intrinsecùs, vt diximus, mactari dolore. Sed nutu Dei contigit, vt quadam die præsenti Episcopo, B. Epiphanij Cipriæ Salaminæ Episcopi, Ioanni Episcopo Hierosolymitano directa Epistola legeretur. Quam ego cuidam Diacono præceperam legere: in qua idem B. Pontifex Origenis nenias arguens, & ordinationem cuiusdam Presbyteri in Monasterio iam dicti Hierosolymitani adsignato, à se consecrati defendens, causam ordinationis retexuit, BB. quem Presbyterorum Hieronymi, & Vincentij continentiam sacrificandi laudando innexuit. Quam narrationem, tum iam dictus*

Eulogius

Eulogius *auida mente magis arripiens, quam suscipiens, & sibi à Deo datam occasionem cognoscens, ingenti vulnere quasi percussus, ab intimo corde trahens suspiria, méque intuens, conuersus Episcopo dixit*: Si lucernæ Ecclesiæ, & fidei nostræ hoc egerunt columnæ, quid nobis facere conuenit, quos delicti onera grauiter deprimunt, & affligunt? Cognoscat ergo vestra paternitas, interdictam à me ipso mihi sacrificandi licentiam. *Sicque huiusmodi ingenio tempore* Reccafredi *se ipse suo ligauit arbitrio. Cuius professionis, licet hoc modo ordinem sumeret, delectabili tamen vsu perfunctus, nolebat postea statum reiectum recipere. Sed Pontifex proprius in tantum eum amissum officium sacrificandi compulit repedare, vt eum anathemate ferire non vereretur, nisi citius redire promitteret.*

Et erat vir ille in omnibus professionibus principaliter, & non mediè decoratus, cunctis ex aquo deseruient, & cùm praeiret omnes scientia, humilior certe etiam infimis videbatur. Clarus vultu, & honore præcipuus, eloquentia fulgidus, & vita operibus luminosus. Incitator Martyrum, & laudator, tractator peritissimus, & dictator. Quis ardorem ingenij, quis decorem eloquij, quis fulgorem scientiæ, quis affabilitatem vsualem officij, quocumque poterit prudentia dicere flumine? Quæ enim illi non patuere volumina? Quæ potuerunt eum latère ingenia Catholicorum Philosophorum, Hæreticorum, necnon & Gentilium? Vbi libri erant metrici, vbi prosatici, vbi historici, qui eius inuestigationem effugerent? Vbi versus quorum ille ignoraret enuora? Vbi Hymni, vel peregrina opuscula, quæ eius non percurreret pulcherrimus oculus? Quotidie enim noua, & egregiè admiranda quasi à ruderibus, & fossis effodiens, thesauros elucidabat inuisos. Quanta docibilitas tàm pretioso munere ornata inesset animæ, quanta, & inexhausta cura solertia, nullus sapiens comprehendere poterat. Et ô admirabilis suauitas mentis! nunquam priuatim scire aliquid volens, nobis omnia præstabat. Vitiata corrigens, fracta consolidans, insitata restaurans, antiqua repriorans, neglecta renouans, & quæque poterat ex antiquis Viris gesta competere, satagebat operibus adimplere. Seueritatem Hieronymi, modestiam Augustini, lenitatem Ambrosij, patientiam Gregorij in corrigendo mores, in sustentando minores, in demulcendo maiores, in sufferendo horrores, vnus idem se multipliciter varium exhibebat. *Eius elogia.* *Librorum amator.* *Codices non sibi tantum sed omnibus habebat.*

Nec ei sufficit patria sua monasteria inuisere, quin potius occasione fratrum suorum, qui ipsis diebus in Franciæ *finibus exulabant, eò viam arripuit, & in* Pampilonensium *territorium vltrò progrediens, monasterium* S.Zachariæ *ingressus, & aliorum cænobia illarum regionum gliscenti voto percurrens, multorum Patrum est amicitia dulcoratus. Quorum conuersationem in* epistola, *quam Episcopo Pampilonensi in carcere positus dedit, nominatim, locatímque digessit. In quibus locis multa volumina librorum reperiens abstrusa, & penè à multis remota, hue remeans suo nobis regressu adduxit. Ibi* Beati Odoarij *est fruitus colloquio, cui C L. regulares Monachi militabant. Inde secum librum Ciuitatis B. Augustini, & Æneidos Virgilij, siue Iuuenalis metricos itidem libros, atque Flacci saturata poëmata, seu Porphirij depicta opuscula, vel Adhelelmi Epigrammatum opera, necnon Auieni fabulas metricas, & Hymnorum Catholicorum fulgida carmina, cum multis minutissimarum causarum ex sanctis quæstionibus, multorum ingenio congregatis, non priuatim sibi, sed communiter studiosissimis inquisitoribus, reportauit. Idem præterea fulgorem operis, & coruscationem ingenij resplendentibus semitis præsentialiter cunctis sequentibus, & vsualiter sequentibus, specificis semper ostentans indicijs, & luminosis deducens vestigijs, vbique lucidus gradiens, vndique fulgidus rediens, limpidus, dulcorosus, nectareus, Christi coronatus emicabat omnibus famulus.* *Patriam deserit.* *Vascones Ibericos adyt.* *Libros Cordubam affert.*

Nec illud omittendum in hoc opere reor, quòd post diuinæ memoriæ Vuistremiri Toletanæ Sedis Episcopi * (obitum) *in eandem sedem ab omnibus comprouincialibus, & confinitimis Episcopis electus, & dignus habitus est, & pro relatu omnium comprobatus. Sed dispositio diuina, quæ eum sibi ad martyrium reserua* ** Hoc loco aliquid deficere asserit Ambros. Moral.*

ficientes, conati sunt eam flagellis, & verberibus impetere, vt quam per blandimenta amouere non poterant, saltem terroribus coërcerent. Sed ignis ille quem Christus in corda fidelium misit, nullis minus cedere nouit. In hoc conflictu dùm diebus vapularet, & noctibus, séque acerrimus impetendam vltionibus, & duris vinculis præpeditam videret, metuens ne non propalata publicè fide, cauterio vteretur perfidiæ: per internuntios B.Eulogio, *opinatissimo iam multis talibus operibus viro, vel sorori eius* Anuloni, *Virgini Deo dicatæ, causam suam notam fecit, & quia ad tutiora loca fideliũ, in quibus fidem suam posset interrita propalare, ire velle exposuit. Illicò* B.Eulogius *solitum officium recognouit, & vt erat fautor anhelantissimus Martyrum, hanc exire clàm per eosdem internuntios ordinauit. Illa concitè artem fingens, & parentibus quasi consentiens, nostrámque fidem verbis impetens, & data opera, omnia selecta ornamenta induens, séque more illorum, quasi placitura, & nuptura sæculo ostendens, nisa est eorum inflectere animos, & sibi exosos comere gressus. Cúmque sibi omnia iàm tuta inesse prospiceret, ad nuptias quorumdam propinquorum suorum, quæ ipsis agebantur diebus fingens, vt eidem officio congruit ornatè procedere, celeri cursu se* B.Eulogio, *vel sorori eius* Anuloni *tutandam exhibuit. Quam mox grato animo suscipientes occulendam probatissimis tradiderunt amicis. At vbi Pater eius, & Mater expectantes filiam non viderunt, delusos se ingemiscentes, rabie inaudita, & dolore inuiso se ipsos cruciantes, cuncta disturbant, vniuersa contaminant, currentes per ignotos, & cognitos, & potestatiuè, ac iussione Præsidis, quosque impetendos putabant, carceribus, & vinculis onerabant, viros, mulieres, Confessores, Sacerdotes, deuotas, vel quot poterant flagellis, & carceribus affligebant, si quomodo possent filiam suam, per hæc, & ampliora recipere. Ille verò Sanctus immobilis ei loca diuersa mutabat, & ne traderetur ouis luporum in manibus, omni intentione curabat. Illa tamen vigilijs, & ieiunijs insistens, & cilicio membra tegens, vel puluere cubans, seuerè membra corporis elimabat. Sed & Vir beatissimus cum reuerentia nominandus* Eulogius, *nocturnas vigilias adpetens, & in Basilicam S. Zoili terra tenus prostratus orans, noctes insomnes ducebat, auxilium Domini, & fortitudinem Virgini impetrans, & se per hæc exercitia Domino consecrans.*

Anulo Eulogij soror. Leocritiam in domo recipit.

Inter hæc, Virgo serenissima B. Eulogij *germanam, quam ardenti desiderio diligebat, videre voluit, & ad eorum habitacula nocte deuenit, reuelatione Domini pronocata, & auiditate consolationis perducta, vt vno die tantummodo cum eis moraretur, & iterùm ad solita latibula repedaret. Quibus, & retulit sibi vna, & alia vice oranti liquore mellis os repletum fuisse, quod se non auso temerario expuisse, vel inglutijsse, crassi elementi admirando speciem referebat. Cui ille Sanctus hoc esse præsagium, regni cælestis dulcedinis perfruendæ, disseruit.*

Leocritia in oratione os melle repletur.

Verùm dum alio redire Virgo disponeret, actum est, vt comes itineris non hora sueta, sed inlucescente aurora veniret. Nec potuit aditum exeundi habere, quippe, qua nocturno tempore pro euitandis insidijs solebat incedere. Prouisum est, vt eadem die, vsque dùm Sol metam sui luminis terra subduceret, & nocturnæ tenebræ, quietudinem optatam indulgerent, Virgo Dei, eo quo manebat loco persisteret. Humano quidem consilio, sed diuino retinebatur iudicio: vt & suam sibi coronam, & B.Eulogio *imponeret gloriæ diadema. Nam eo die nescio cuius instinctu, quorúmve insidijs, & proditione locus Præsidi latibuli indicatur, & à militibus, ad hoc missis, ex improuiso omnis illa eorum habitatio circundatur. Actum est, vt electus, & prædestinatus Martyr præsentialiter adfuisset. In cuius præsentia iam dictam Virginem educentes, eúmque vnà pariter comprehendentes, verberantes, multísque contumelijs affligentes, in quo Præsidi, & scelerato Iudici præsentarunt. Quem mox Iudex per flagella occidere cogitans, truculento vultu, & impatienti animo vehementi furore accensus, furiosis verbis interrogat: Virginémque cur domo retinuerit minitando, disquirit. Cui libentissimè, & patientissimè, more locutionis*

Capiuntur Eulogius, & Leocritia.

Oratio ad Iudicem.

sua, splendidè rei veritatem hoc ordine pandit. Præses, ordo nobis prædicationis iniunctus est, & nostræ hoc fidei conuenit, vt disquirentibus à nobis lumen fidei porrigamus, nullique ad vitæ itinera properanti, quæ sancta sunt, denegemus. Hoc Sacerdotibus competit, hoc religio vera deposcit, hoc etiam Christus Dominus Noster nos docuit: vt quisquis sitiens fidei haurire flumina voluerit, in duplo potum inueniat, potiusquàm quem quæsiuit. Et quoniam hæc Virgo fidei sanctæ regulam à nobis inquirere visa est, necessarium extitit, vt illi nostra, eò se libentiùs applicaret intentio, quò eius in amplius incenderetur affectio. Nec decuit talia desideranti reiicere, præsertim illi, qui ad hoc Christi electus est munere. Vnde &, vt posse mihi extitit, illustraui, & docui; & fidem Christi, viam esse regni cœlestis exposui. Quo modo, & tibi, si me disquirendum putasses, libentissimè facerem. *Tunc Præses turbido vultu virgas induce re iussit, eum minitans flagellis perimere. Cui Sanctus dixit:* Quid istis virgis exercere cupis? *Animam (inquit) tuam per has educere volo.* Gladium (*ait*) acue, & compone, pro quo animam à vinculo corporis expeditam ei reddas, qui dedit. Nam flagellis membra dissecare non extimes. *Et mox clara inuectione, & sufficienti eloquio falsitatem Vatis sui, & legis improperans, & prædicationis verbum ingeminans, sub omni velocitate palatium ducitur, & ad Regios Consiliarios vsque pertrahitur. Vbi vnus ex ipsis, illi familiarissimè notus compatiendo insiluit.* Si stulti (*inquit*) & idiotæ in hanc mortis deflendam ruinam, deuecti sunt, tu sapientiæ decore præcinctus, & vitæ moribus illustratus, quæ te dementia huic mortifero casui, obliterato naturali vitæ amore committere compulit? Audi me obsecro, & ne præcipiti casu, corruas rogo. Dic tantum verbo in hora huius tuæ necessitatis, & postea tua vbi vbi potueris, vtere fide. Promittimus te nusquam inquirendum. *Cui beatissimus Martyr subridens:* O! (*inquit*) si scire potuisses, quanta fidei nostræ cultoribus maneant reposita; aut si possem, quod mecum retineo, tuo committere pectori: tunc iam non me à proposito reuocare conareris, sed libentius te ab hoc mundiali honore amouere cogitares. *Et cœpit eis Euangelij verbum porrigere, & prædicationem regni constanti libertate infundere. Qui illicò eum nolentes audire, gladio iubent transfigi. Cùmque duceretur, vnus ex eunuchis Regis alapa eum percussit. Cui ille alteram faciem præparans,* obsecro (*inquit*) vt in hanc iterum verberando, priori coæques. *Quam cum secundò feriret, ille patiens, & mitis, iterum priorem parauit. Sed impetu militum ad locum occisionis deducitur, vbi genua in oratione curuans, & manus ad cælos extendens, signóque crucis totum se muniens, paucis verbis intra se orans, ceruicem mucroni tetendit, & celeri ictu, mundum contemnens, vitam inuenit. Compleuit martyrium suum* V. Id. *Martij. Die Sabbatho, Hora* IX. *Anno* DCCCCLIX.

Ad Regios Cõsiliarios perducitur. Consiliarij Regij oratio ad Eulogiũ.

Eius ad Consiliariũ responsio.

Alapâ ab eunucho percutitur.

Martyrio coronatur.

Et ô felicem, & admirabilem nostro sæculo virum! qui & præmisit in multis sui operis fructum, & reliquit in Virgine se sequendum. Secum victoria vexillum manibus eleuans, & manipulum laboris sui pro se Domino libans oblationem puram, & pacificas hostias offerens, & in se quæ alios docuerat, Christo rerum Domino repræsentans. Mox verò, vt proiectum est cadauer, è loco eminentiori inductum aluei, columba miro candore niuescens, videntibus omnibus, secans aëra pennis, super corpus Martyris aligerans sedit. Quam omnes missilibus petris, hinc inde abigere conantes, & nihilominus consistentem repellere non valentes, manibus voluerunt cominus effugare. Sed illa in circuitu corporis non volans,

Columba in Eulogij corpus insidet.

volans, sed saliens, super turrim corpori eminentem propius resedit, & ad corpus beatissimi viri vultum conuertit. Nec silendum est miraculum, quod ad laudem sui nominis Christus, est super corpus Martyris operatus. Etenim unus Astigitana ciuitatis incola dum inter cæteros palatinum lunatim mansionis seruitium ageret, ibique cursum suum vigiliis expediret, nocte aquam potare desiderans, surrexit, & ad prominentem canalis ductum, qui super illa loca producitur, peruenit, vbi vidit desupèr, super corpus eius, quod deorsum iacebat; Sacerdotes miro candore nitentes, luminaria coruscantia retinentes, & psallentium more psalmos grauiter recitantes. Qua visione perterritus ad mansionis locum, magis fugiens, quàm rediens, repedauit. Et socio omnia renuntians, cum eo iterum ad locum reuertere voluit: Sed iam secundò cernere illud non valuit. Cuius beatissimi caput altero die proximè sequenti curiositas Christianorum redemit; Corporis verò reliquias, tertio die collegit, & sub vmbra B. M. Zoili tumulauit. Nunc restat in fine voluminis gratias Deo agere, qui ab initio fidei suam ornans Martyribus Ecclesiam dat lassis virtutem, & de se nihil præsumentes perducit ad gloriam sempiternam Ipsi D. N. gloria, & imperium per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Visuntur iuxta Corpus Sacerdotes cum luceruis.

EPITAPHIVM S. EVLOGII.

HIc recubat lepidus Martyr, Doctórque refulgens,
Eulogius, *lumen, magnum per sæcula nomen.*
Qui zelo fidei rutilans, virtute priorum
Accensis mentes magno fulgore virorum.
Hic mactè celeber libris laudetur, & hymnis:
Et vitâ rigidus, & fini Sole coruscus:
Qui temnens mundum, conscendit lucida cœli.
Nec gladio periit, sed viuit Sede perenni.
Credite quæso mihi, Viuit per sæcula, Viuit,
Quisquis conscendit Superûm cœlestia regna.

ORATIO ALVARI.

In qua Regulæ metri non seruantur.

NVnc te Sancte rogo, recolas, vt nomen amici,
Quem tua hic tenuit dulcis amicitia fixum,
Aluari *extremi, qui multa clade reati*
Infectus vitiis pergit per deuia mundi.
Prex tua hunc teneat lapsum ad pascua vitæ,
Vt solitè Sancto digno nectatur amore,
Quo tibi coniunctus mansit per sæcula charus,
Præsta Deus Deorum regnans per sæcula. Amen.

Illicò ergò vt *S. Eulogij* passio perficitur, ab eius vrbis Ecclesiis, Natalem eius diem festum in singulos annos, sacris hymnis, & lectionibus, agonis seriem explicantibus, horariisque precibus, & omni cultu, & veneratione, celebratum fuisse, ex ipsius *Aluari* ecphrasi conuincitur, & apud P. Martin. de Roa, *de SS. Martyr. Cordub. c. 2.* dignoscitur. Et hymnus ab ipso *Aluaro* descriptus cum hac epigraphe persuadet, sic:

Cordubēsis Ecclesia ab inito agone festum celebrat.

HYMNVS IN DIEM S. EVLOGII PRESBYTERI. Quinto Idus Martij.

Almi nunc redeunt feſta polifera
Noſtri Eulogij *Martyris inclyti:*
Soluamus Domino carmina Principi
Concentu fidei cœlico munere.
Laudamus varia muſico carmine,
Quæ non ſunt Domini prædita lumine:
Hic nunc ſat melius res ipſa panditur,
Cum Chriſtum reſonant chordulæ metricæ.
Hic nunc eſt animus magna reuoluere:
Splendenter anhelat balſama fulgide
Gliſcens egregia clangere libere,
Vt dulci roboet muſica flamine.
Bellator Domini verbo potentior
Doctrina, & pariter fine celebrior:
Chriſti ſic igitur glo[ri]a cingitur,
Vt florens vigeat, [lu]cet in æthere.
Rector dum populos [d]octè reficeret
Gypſum cùm diceret, fagmine prodire,
Turbam multiplici germine lauream
Cæleſti rutilus, agmine prouehit.
Vltus ſic Domini Zelo, fidelium
Conuertens fluidos mores rebellium,
Adſciſcens opibus munere nobili
Abſtractos barathro ſublimat æthere.
Sed iam cum meritis digna rependere
Chriſtus cunctipotens vellet, Leocritiam
Rectè mox lepidam Virginem extulit,
Quæ clarum famulum axe reconderet.
Tunc celſus ſolitum ritè ſolatium
Præſtat, & placidum compte remedium,
Cultum tunc fidei dogmate ingerit,
Aduerſans populis iuſta rebellio.
Ex templo præconans prædo peranxius
Conturbat patriam, iuſſuve plebium
Per cunctas plateas longe reuoluitur,
Quod Princeps rabidus, excitus imperat.
Regnantem tumidum reſpuit inclyta
Cæleſtis famuli mens Deo prædita:

Tandem præcipiti, & ductu notabili
Comprehensus, sonuit mox quoque libere.
Dicens: O Proceres temnite impium:
Christum æthereum credite Principem:
Vatem impudicum rectè repellite;
Qui tantos populos igne recondidit.
Gaudens hæc resonet culmine gnauiter,
Necnon, & alia conquerens fortia,
Hunc mandat gladio vertice tundere,
Ne Sancta valeat turba recipere.
Adest intrepidus belliger annuens,
Tundunt, quem alapis, sed rogat horridum,
Extendens faciem, verbere, vt alteram
Alternans, gemina palma relideret.
Tunc signo fidei pectora seruulus
Armat Deificæ aurea roseo
Colla lactentia, sanguine prædita,
Incuruat Dominò, instat, & obsecrat,
Sic ictu gladij sydere conditur,
Sic verbo fidei clarè reuoluitur.
Adesto miseris quæsumus affatim
Perplexos precibus soluere concitè.
Adsiste gemitis poscimus excitis,
Inflectens animis, nunc quoque Numinis
Auditum placidum, atque serenus
Mentem, vt precibus sanctè refocillet,
Ut Rector deleat regna ferocia,
Conculcet validus dogmata impia,
Aspiret fidei comptæ refulsio
Qua cœli referet culmina fulgida.
Vt torquens hæresis longè resiliat,
Vt cultus Domini altius emicet:
Rectores patriæ flore redoleant,
Aduersus cunctos libere ventilent
Sit vita prolis sit quoque prouida
Sanctis religio, per iuge tempora,
Sit trino Domino gloria sedula
Æternum dominans inclyte sæcula.
Amen.

Ecclesia *Cordubensis* olim hoc vtebatur hymno, sed obliterato iam ordine in desuetudinem abiit: hodie Officio duplici recitatur, & in tribus secundi No-

ĉturni lectionibus per compendium ex *Aluaro* vita deſcribitur, & hac deprecatione finitur.

ORATIO.

Deus qui in ſumma temporum turbulentia afflictæ familiæ tuæ B. Eulogium *Martyrem tuum ad ſolatium tribuere dignatus es: Concede propitius, vt qui hæc læti feſta peragimus, eius quoque in religione conſtantiam imitemur. Per Dominum.*

Sancta *Eccleſia Toletana*, item vt ſuum Paſtorem electum hodie colit, celebrat, & officio recitat Semiduplici, licet olim in ſilentio eius memoria apud ipſius Eccleſiæ Kalendaria, & faſtos fuiſſet. Actorum quoque ecphraſim ab ipſo nunc Eccleſiaſticus ordo recepit *Aluaro*, cum ſimili Collecta.

ORATIO.

Da quæſumus Domine Beati Eulogij *Martyris tui fidei conſtantiam imitari: vt eiuſdem interceſsione in tui nominis amore roborati, æternum capiamus tuæ ſalutis conſortium. Per Dominum.*

Error Martyrologij Monaſtici.

Prorſus à veritate *Arnold. VVion*, & *Hugo Menardus* receſſerunt, credentes *S. Eulogium* monachalem S. Benedicti induiſſe cucullum, & inter Sanctos huius feliciſſimæ familiæ coniungi, ac ſi ipſa ſuppoſititiorum Martyrum, aut Confeſſorum catalogis indigeret; cum de ipſa memoria prodiderit, quod CCC per ſpatium annorum omnes vita functos cœlum recepiſſet alumnos. Et ideo P. F. Anton. de Yepes *in Chron. Benedict. tom.4. Cent.4. Ann.* 859. *c.* 1. *fol.* 147. *col.*3. hanc penitus exploſit opinionem, & Clericis reſtituere Martyrem ſanctiſſimum procurauit.

Verus agonis Annus.

De Anni aſſignatione Martyrij, licet ab *Aluaro* non reddita, loquitur eruditiori cognitione computi Noſter Ambroſ. de Moral. *in Not. ad vit. S. Eulog. n.* 32. & P. Mart. de Roa *Hiſt. SS. Cordub. h. d. fol.* 39. & ſine coniectura cycli per diei Symbolum, Iulian. Archipreſb. *in Chron. n.* 439. ſic: *In Principio ineuntis anni* DCCC.LVII. *eligitur* S. Eulogius *Presbyter Cordubenſis, Acta Toleti Synodo Comprouincialium Epiſcoporum: cui quidem interfuerunt Venerius ſcilicet Complutenſis, Daphila Pontifex Oretanus, Mamila Valentinus, Lupus Carthaginenſis in Hiſpania, Abibonſus Menteſanus, Garcea Bercienſis, cum ſex Vicariis, & totidem Abbatibus. Multi volebant Bonitum Archidiaconum vt diuino acti ſpiritu, elegerunt vnanimi conſenſu prædictum Sanctum Virum* Eulogium *Doctorem Cordubenſem. Electus eſt XXV. Die Maij. Negotiorum cauſa non potuit venire per totum illum annum à fine Maij, vſque ad* XI. *diem Martij Anno* DCCC.LIX. *die Sabbathi, quo paſſus eſt* S. Eulogius *Cordubæ martyrium.*

De loco vbi martyrium impleuit longa diſceptatio eſt apud *Morales* in locis relatis, tantum hîc Epigramma ab ipſo *Ambroſio* compactum de loco, ſeu arena, qua agones ſtrenui Chriſti milites Cordubæ confligentes peragebant, appingam, quod in tabula marmorea viſitur, cuius lemma:

CHRISTO IN SANCTIS PER FIDEM VICTORI.

EPIGRAMMA.

Aſpicis erectum Sacrata mole trophæum,
Victrix, quo Chriſti conſecrat Alma Fides;
Martyribus fuit, hîc cæſis Victoria multis,

Parta

Parta cruore hominum, robore parta Dei.
Ergo tua athæreis caleant præcordia flammis
Hæc dum oculis simul, & cernere mente iuuat.
Hinc iam Victorem Christum reuerenter adora,
Et Sacrum supplex hunc venerare locum.

Alia in translatione *S. Eulogij*, quæ ad ipsius diei symbolum spectant, compaginauimus, hîc dicta sufficiant, & qui Hispano sermone vitam perlegere voluerit, P. Martinum de Roa è Soc. Ies. illius incolam vrbis Patriciæ, & eruditionis Hispanicæ, & Patrem, & Patricium adeat. qui elegantissimis periodis clausulas *Aluari* circumscribens, innumeros sententiarum flores intexuit operi, & Sacræ scripturæ felicissimis interlineauit axiomatibus.

Scripsit S. Eulogius aliqua veneratione digna opuscula, de quibus Baronius *in Notis ad Martyrolog.* Sed felicius mea sententia, sua ipsius scripta viuam ipsius imaginem reddunt.

I. Memoriale Sanctorum, Libri III. Siue de Martyribus Cordubensibus, àb Illustrissimo & Reuerendissimo Dom. D. Petro Pontio de Leon Episcopo Placentino, & Inquisitore Generali editum, & ab Ambrosio de Morales notis illustratum. *Libri quos scripsit Eulogius.*

II. Apologeticum Martyrum Cordubensium, siue de Rebus gestis ab ipsis Martyribus, item ab ipso Ambrosio, notis exaratum.

III. Documentum Martyriale, siue exhortatio ad martyrium, duabus Virginibus Floræ, & Mariæ iam in carcere pro Christi confessione comprehensis, scriptum; item à Morales scintillatum.

IV. Epistolarum Liber, qui diuersis inscribitur personis, etiam à Morales elucubratum. Quæ omnia vt refert Ausbert. Myr in Bibliot. c.251. fol. 230. extant tom.9. in Bibliot. Patr. & in Hispania illustrat. tom.4. fol.213. Cardin. Bellarm. de Script. Eccles. sæcul.8. Ann.850. fol.192.

V. Item prosa, & metro varia opuscula, hymnos, & carmina nouitate conspicua, vt Aluarus in eius vita recenset, quæ adhuc sub silentij iacent sigillo.

CORDVBA. De ea aliquantulum egimus die XIII. Ianuarij *Tom.1.fol.146.* & XXXI. *fol.366.* vbi de eius Conditore primam diximus sententiam. Nunc de ea elogium ab *Henrrico Cocquo* Gorcomio-Batauo, cuius Opera MSS. tam versu, quàm prosâ exarata apud me, subiicere decreui. Is in sua *Hispan. Heroica vers.155.*

In Tartessiacis vrbs est notissima terris
Sanguine martyrio Patricia Corduba *diues,*
Flumen habens Bætim, Pœnorum Regia quondam,
Reliquiâ quorum, Templum, Ponsque optimus extant,
Ciuibus illa suis bene olentes arbore lymphas
Auriato prabet, senibus medicatur anhelis:
Consule Marcello Romano condita fertur.

Sancti Vincentius, & Ramirus.] Hos Sanctissimos *Monachos* fuisse in Hispania Martyrum primitias ordinis S. Benedicti testatur *Tepes.* Eorum memoria adest in Martyrologiis Benedictinis apud Arnold. VVion, & Hugon. Menard. sic: *In Hispania passio Sanctorum* Vincentij *Abbatis*, Ramiri, *& XII. aliorum Monachorum.* Philipp. Ferrar. in *General. Catal. SS.* hoc die, sic: *Legione in Hispania Sanctorum Martyrum* Vincentij *Abbatis*, Ramiri *monachi*, *& aliorum.* M. R. die XI. Septemb. licet de solo Vincentio, sic: *Legione in Hispania* S. Vincentij *Abbatis, & Martyris.* Philipp. Ferrar. *in Topograph. SS.* verb. *Legio.* fol.66. *col.2.* addidit *Ramirum*, sic: *XI. Septembris.* Ramirus *Monachus, cum S. Vincentio Abbate* E *In Martyrologia.* *Vt quid fecit sum die XI. Sept.*

Epitaphiû Martyri apponitur.

Hoc tenet ornatum venerandum corpus Vincentij *Abbatis,*
Sed tua Sacra tenet anima cælesle Sacerdos
Regnum mutasti in melius, cum gaudia vitæ.
Martyris exempla signant quod membra Sacrata
Demonstrante Deo vatis, hic reperit index.
Quater decies, Quinos, & duos vixerat annos;
Mysterium Christi mente syncera minister
Raptus ad æthereas subito sic venit ad auras:
Sic simul officium finis vitæ magister mouit
Spiritus adueniens Domini, quo tempore Sanctus.
In religionem piam vixit, animámque locauit.
Omnibus his mos est de flammis tollere flammas:
Obijt in pace Domini Vincentius *Martyr.*
V. Id. Martij Era D C. L XV III.

Martyribus solum debatur locus sepulturæ in Ecclesiis.

Arianorũ persecutio in Monachos.

S. Vincentij oratio ad fratres.

Sic vt Sancto Martyri in Basilica sepelientes (non enim tunc nisi talibus sepultura in Ecclesia locus dabatur) firmâ credebant euidentiâ Sanctissimi Abbatis animam, cælesti iam æterna beatitudinis conspectu fruituram. Nec fefellit cogitatio; nam cùm aliquot ex monachis, nocte quadam, cùm somnus defluit in terras, mutúmque amplectitur orbem, orationi vacantes, non sine animi dolore & propter tanti Patris carentiam, & occurrentium gregatim sæpe sæpius Arianorum agmina, quorum furor in reliquos cænobij alumnos minitabatur perniciem; auxilia potiora interuentu Sanctissimi Abbatis. & Martyris à Domino postulassent: subitò è cælis splendore depicta supremo Vincentij *noua forma* Abbatis *processit, inter Martyrum locata choros, qui fratribus dixit:* Iam filij tempus vestræ peruênit oblationis: si ex vobis quis lauare stolam in sanguine Agni desiderat, præsto sit, nam coronabitur qui legitimè certauerit: sin minus, & spiritus ad agonem infirmitate laborat, protinus aliam exquirat cellulam. Ego vt videtis, fratres, vitam æternam possidens Martyrum agminibus adnumeror. *Hæc dicens ab eorum oculis euanuit.*

Hæc sunt Acta, quæ de *S. Vincentio* valuit librorum excerpere reuolutio, alia recludunt S. Benedicti Hispanicæ Bibliothecæ, quorum copias nec visu permittunt religiosissimi, & obseruantissimi Patres, fortè ne euulgentur: contenti, quod in marsupiis, seu scriniis puluere, & Araneanum telis occludantur, potiusquàm in commune Patriæ commodum demonstrentur. *S. Ramiri* Acta ex peruetusto MS. codice, quem apud me habeo, abhinc CCCXX. annis exaratum, sine authoris nomine, hæc sunt.

Ramiri Acta.

Prior Monasterij S. Claudij.

Oratio ad fratres.

Ramirus *ex etymologia nominis fuit Origine Gothus, in monasterio SS. Claudij, Lupertij, & Victoriei Martyrum, in vrbe* Legionis, *cucullum Ordinis P. N. D. Benedicti induit. Subsequentibus temporibus vitam tàm perfectè monasticam egit, vt omnibus fratribus vitæ speculum, & virtutis specimen præberetur.* Prioratum *cænobij acceperat, quando gloriosissimus Pater Noster Abbas, & Martyr* Vincentius *habenas ordinis in S. Claudio moderabatur, quo per martyrium vt diximus sublato, ipse Pater Noster* Ramirus, *qui tanquam* Prior *in locum Martyris* Vincentij *gubernabat, vocatis fratribus, post apparitionem Sancti Abbatis, hæc illis verba intimauit:* Iam vidistis, fratres charissimi, visionem, quam Dominus per ministerium Patris nostri dignatus est reuelare, & audistis quæ oporteat fieri, vt qui constanti animo sunt, morti corporeæ vitam sacrificent, & qui spititu pusilli, vitam conseruent. Vnde si libero aspectu

Deum

Deum cernere anhelamus, prius fide corda purificanda sunt; operibus consecranda,& muro charitatis hinc inde vallanda; quibus profectò illius sacri Euangelij sponsione incunctanter condigni habeamur, qua dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* (*Math.5.*) Vnde quæso vos, charissimi fratres, ne perdatis coronam vobis paratam, nec vos è charitate Christi, cuiuspiam rei mundialis oblectatio segreget, sed æquo animo cum Apostolo dicamus: (*Ad Rom.8.*) *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an nuditas? an periculum? an gladius? Sicut scriptum est, quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus vt oues occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.* Quin potius ista omnia propter æternam retributionem alacrioribus animis, votísque ardentibus, & quærenda sunt, & ferenda. Manet enim vnicuique apud Dominum reposita laboris sui corona, & pro qualitate certaminis repensabit ille fructum mercedis. Ne terreamini fratres furoribus persequentium, neque formidetis à faciebus eorum, neque enim timere vos faciet Dominus vultum illorum. Vobiscum ille est, qui vos armauit, idem propter vos pugnat, qui incitauit, nec adiuuare desistet ille ipse, qui vos ad peragendum hunc agonem elegit, quo deuictis aduersitatum stimulis secum iure perenni conregnare faciet temporibus infinitis. *His dictis segregatis imbecillibus osculo, & benedictione porrecta, ad interiora* Gallæciæ *montana remisit; & secum XII. fratres, quos Spiritus sanctus ad trophæi agonem selegerat, ad Ecclesiam reduxit.* (*Cum XII. fratribus Arianos spectat.*) *Ibidem orationi instantes, & congressum propter fidem Catholicam, Christi auxilio contemnentes, Arianorum furorem spectabant. Quo audito* Ramirus *illicò portas Monasterij aperiens cum XII. Christi militibus, Dæmonis ministros adspiciens, alta & intelligibili voce monastico more concinebat, sequentibus monachis alternatim:* (*Confessio Sanctorum.*) Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem factorem cœli, & terræ, Visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum filium Dei vnigenitum. Et ex Patre natum, ante omnia sæcula. Deum de Deo; Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, Consubstantialem Patri. *Quibus iterum, atque iterum repetitis, omnes quotquot venerant ex Arianis, in* Sanctos Monachos *impetum facientes, vt rabidi canes, Sanctorum corpora discerpserunt.* (*Trucidantur.*) *Postea in cœnobium intrantes, omnia igni tradentes, & diripientes quæ ad commodum profutura repererunt. Quibus absolutis in propria remearunt, relictis* Sanctorum Martyrum *corporibus in campo dilaniatis. Quæ adueniente nocte pia Catholicorum charitas congregauit, & in Ecclesia conglomeratè sepelierunt.* (*Corpora sepeliuntur. Ramiri corpus in arca marmorea reconditur.*) *Excepto corpore* S. Ramiri, *quod lapideo licet busto, & rudi marmore inclusum, requiescit, donec in resurrectione mortuorum suæ Sanctissima anima adunetur, vt sicut ipsa æternam gloriam adipiscatur, per merita Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre, & Spiritu sancto sit laus, gloria, & potestas in sæcula sæculorum. Amen.*

Sepulchra XII. Sanctorum Martyrum obliterauit temporum lapsus, bellorum congressus, & Monachorum incuria, de quo (& bene) lamentatur *Yepes.* Qui & *Sandoual*, asserunt, quod Anno M. D. XCV. Catholicam moderante Ecclesiam *Clemente VIII.* Pont. Max. Hispanias regente *Philippo II.* Rege Catholico, Legionem vrbem administrante *D. Ioanne Alphonso*; Congregationem S. Benedicti Hispaniæ Generalis vocabulo gubernante *F. Petro Barba*, & S. Claudij (*Miraculũ.*) cœnobium dirigente *F. Alphonso del Corral* Abbatis titulo decorato, iste deuotionis affectu, ad *S. Ramiri* lipsana, ingrauescente infirmitate, promisit ea ex humili quo detinebatur loculo, ad sublimiorem, adepta sanitate, subleuare. Deus per merita Sancti Martyris, Abbati salutem restituit. At ipse aut ordinis negotiis implicatus, aut aliis occupationibus præpeditus, ad longiora promissionem tempora dilatauit. Sed cùm Sanctorum vota non sint tempore prosperi-

tatis

tatis contemnenda, euenit, vt dictus Abbas in maiorem incidit ægritudinem, iterum promissionem effecit, & salus per ostia voti intro, se recidiua coniecit. Denique ne tertiò martyris exploraret auxilium, adueniente, visitandi gratia, Ordinis Generali, votum explicat, & translationem exponit. Annuit Prælatus, concessit Episcopus, & omnes vno concordes spiritu, die XXVI. Mensis Aprilis Anni M.D.XCVI. actum authorantibus Episcopo, & Ecclesiæ Cathedralis Capitulo, Clero, & Populo, qui processionaliter in cœnobium cum Parochialium insigniis, labaris, & crucibus perrexere, aperto sarcophago, corpus cum capite *S. Ramiri* conspexerunt, nihil mutilum, omne integrum, ossa nec putrida, nec corruptionem redolentia, quin potius aliquot sanguinis notulis interlinita. Omnia (præter aliquas exuuias, quas Ecclesiæ Cathedrali, & D. Regi obtulit cœnobium) in affabrè facta illustriori manu theca, quam Abbas fabricari fecerat, reclusa, in Cappellæ Altaris tabernaculo *S. Ramiri* nomine vocitatæ, collocata quieuerunt, & adhuc quiescunt.

Translatio Corporis S. Ramiri.

Nec erit silentio relinquendum, quod in huiusmodi euenit translatione, miraculum, nam cùm quidam Ecclesiæ Cathedralis Archidiaconus, aliquot inordinata de hac translatione verba dixisset, quibus pauculi affectus Symbolum indixisset; successit irrisioni supplicium. Quia cùm cursum (ipso die) equitum inspectaret, & vnus effrænato equi lupo ex arena discederet, tanto impetu Archidiaconum conculcauit, vt elinguis è vita, sine vita decesserit.

Supplicium aduersus incredulũ.

In Epitaphij epigraphe; annus martyrij assignatur DCXXX. de cuius relationis veritate dubitarunt Ambrof. de Moral. *d. lib.* 11. *c.* 19. P. Yepes, & D. Prudent. de Sandou. ea nixi ratione, quia anno in lapide memorato, iam Sueui Callaici non Arianorum errores insectabantur, sed prædicatione *S. Martini Dumiensis*, omnes (ipsos abiurantes) Catholicam profitebantur fidem. Ex quo nec Ricilianus in viuis illo anno fuerat, nec vllus Sueuorum Rex per idem tempus inueniri potuit, qui simile committeret flagitium. Cuius rei causa scriptores hinc, & hinc (vt in concordiam reduceretur titulus) fatigatos attraxit. Sed omnibus lucem dedit S. Marc. Maxim. *in Chron. Ann.* 512. qui *S. Vincentij* martyrium breuibus clausulis delineauit, sic: *Vincentius Abbas Legionensis, ex ordine post. S. Benedicti, quem accepit paulo ante quam pateretur martyrium, floret: patitur verò sub Richilane Rege Sueuorum Heretico, anno DXLVI.* Mendum irrepsit in Codice Maximi vulgato ad *Ann.* 540. *fol.* 186. *col.* 2. Vbi loquens de translatione Sancti corporis, hoc euenisse imprimitur *anno* 531. Cuius impossibilitatis ratio manifesta est. Nam si antea dixerat, *Vincentium* martyrium pertulisse *anno* 546. quomodo potuit transferri corpus XV. anticipatis ante mortem annis. Ego crediderim translationẽ hanc fuisse factam Anno DCXXX. quo anno epigraphe apposita in marmore est. Et, si non perspicacitas critica videretur, ex ipso Epitaphij termino meam deducerem coniectationem: ait enim: *Obijt in pace Domini, Vincentius Martyr. V. Idus Martij, ERA DCLXVIII.* hoc est anno *DCXXX.* Obire enim non semper ad vitæ excessum refertur, nec propria ipsius verbi significatio est, *emori*. Sed *adire*, vel *ire* aut *peragrare*, siue *lustrare*. Et ideo in epigraphe, quæ vacua sine Sancto corpore remansit, dies translationis assignatur, & sic: *Obijt in pace Domini, Vincentius Martyr*, non *moritur in pace Domini Vincentius Abbas, seu Martyr*, intelligendum est; sed: *Iuit in pace Domini Vincentius Martyr, V. Idus Martij Era DCLXVIII.* Hoc est: *translatum est corpus Vincentij Martyris in pace Domini XI. Martij Anno DCXXX.* Doctis non est cur significationem verbi *Obeo* exemplis comprobemus, multa apud Passerat. *in Thesaur. Ling. Lat.* Gaspar. Moles *in Viridar. flor. Latin.* in verb. *Obeo*. Et suffragatur, quia in epitaphiis Martyrum, nunquam inscribebatur *Obijt in pace*, nec *requieuit in pace*: cum hæc verba ad solos reseruarentur Confessores, vt sæpesæpius variis in locis huius tomi probabimus. Quibus, quoad nostrum institutum, absoluitur clausula.

Controuersia circa annum agonis.

Expenditur Epitaphiũ.

Obire quid significet.

Legimus post hæc scripta P. Biuar. *in Not. ad Chron. S. M. Max. Ann* 516. *n.* 5. *fol.* 346. *vers.* 4. & sequentibus, qui per plures versiculos tentat huius Epitaphij epigraphen in Anni assignatione discutere, & licet per varia coniectationum suffragia volutetur, demum in emendationis subterfugium prolapsus, imperiti

Biuarij correctio.

periti lapicidæ incuriam damnat, eúmque loco D. L X V I I I. addidisse literam C. quæ centum enumerat annos, sic quæ expungendam ex Epitaphio contendit. Huius correctionis instantiæ lubens adhærerem, si alius non fuisset interpretationis asylus, istum supra exposuimus, absque emendationis iactura, & Monáchorum illius æui incuria, ergo perperam *Binarij* sententiam amplectemur.

Quo Rege occisus? CIRCA Regis nomen, qui VINCENTIVM martyrio coronauit, inextricabilis inter Scriptores contentio est. Aliqui vt *Morales, VVion, Padilla*, & *Baronius* credidere à *Leovigildo* Gothorum Ariano Rege occisum fuisse, cùm nullus sit qui *Leovigildum* ex antiquioribus authorem huius sceleris agnoscat. Omnium attamen Breuiariorum vetustiores Legendæ *Richillanem* Suæuorum Principem Arianum odio fidei VINCENTIVM trucidasse conscribunt. Cui opinioni aduersantur contrariæ assertionis authores, ex eo moti, quia *Richilla* Suæuus vltrà Annum Domini CCCC. XLVII. non vixit, ergo aut non à *Richillane* occisus, aut Annus agonis labitur. Ast non obstat horum argumentum, quia *Richilla*, de quo in Actis mentio, fuit huius nominis II. Suæuorum Rex, quod vt percipias, en Regum Suæuorum Cathalogum.

Catalogus integer Regum Suæuorum.

I. HERMENERICVS Rex Suæuorum I. Gallæciam subiugauit, ad Ann. CCCC. IX.

II. RICHILA I. Rex Suæuorum II. succeßit parenti ex *Idacio, Maximo, & Isidoro.* Ann. CCCC. XLVII.

III. RICCIARIVS I. Rex Suæuorum III. vt creditur Catholicus, *ex ipsis.* Ann. CCCC. LV.

MALDRA Tyrannus
FRANTA Tyrannus } Omnes ad Ann. CCCC. LXII.
FRVMARIVS Tyrannus

IV. REMISMVNDVS I. Rex Suæuorum IV. *ex ipsis*, ad Ann. CCCC. LXX.

V. HERMENERICVS II. Rex Suæuorum V. *ex Maximo*, ad Ann. D. XXVI.

VI. RICHILLA II. Rex Suæuorum VI. *ex Maximo*, ad Ann. D. XXXI.

VII. RICCIARIVS II. Rex Suæuorum VII. *ex Maximo, & Dumiensi*, ad Ann. D. LVI.

VIII. ARIAMIRVS, qui & Theodomirus I. Rex Suæuorum VIII. ad Ann. D. LXX.

IX. MIRO I. Rex Suæuorum IX. de quo *Maxim. & Viclarens.* ad Ann. D. LXXXVI.

X. EVRICVS I. Rex Suæuorum X. quem Leonigildus è solio deiecit, & Suæuorum Regnum sibi, & successoribus assumpsit, deuictis Andeca primùm, postea Mallarico Tyrannis ad Ann. D. LXXXVII.

Hinc liquet RICHILLANEM occisorem VINCENTII Abbatis non primum, sed secundum huius nominis Suæuorum Regem fuisse, quo argumentum euacuatur.

LEGIO. Vrbs præclara, de qua egimus *Tom. 1. die XI. Februar. fol.* 101. vbi P. Athanasij Lobera ipsius ciuitatis Chronographi sententiam de eius Primæuo Conditore descripsimus; ibidémque istius opinionis errorem manifestare hoc die decreuimus, sed cùm potius tempus die XXX. Octobris, quo de SS. Claudio, & Fratribus Martyribus agemus inest, ideò ad illum te missum facimus.

E. S. PETRVS. De hoc Sanctissimo Confessore nulla adest mentio inter Sanctorum Scriptores, tam exteros, quàm Hispanos. Eius nomen Martyrologio Romano adiecit *Baronius* hoc die, ex actis, quæ accepisse professus est à *R. Flaminio Philonardo*, Episcopo Aquinate, sub his verbis. Babuci *in Hernicis* sancti Petri *Confessoris, miraculorum gloria insignis.* Philipp. Ferrar. *in Topograph. SS. verb.* Babucum *fol.* 18. *col.* 2. sic: XI. *Martij.* Petrus *Confessor*, ex *Ecclesia Aquinatis monumentis.* Et in *Cathalog. SS. Ital. fol.* 145. Ex quo eius Acta transcribo.

DE

DE SANCTO PETRO CONFESSORE Babuci.

Origo.

PETRVS *natione* Hiſpanus, *& nobilis, primùm militiæ operam dedit. Verum ad meliorem frugem conuerſus, vitam militarem, & ſæcularem deſeruit, aliam militiam experturus. Suſcepta itaque peregrinatione, in qua varia loca deuotionis inuiſit, in Latium venit, & in* Hernicis *apud* Babuceum *demoratus in montem vicinum conſcendit. Vbi lorica ſuper nuda carne indutus, & nunquam (pœnitentiæ causâ) ea exutus, aſperam in ſpecu quodam vitam duxit; donec vniuerſæ carnis debitum perſoluens, ibi ſepultus eſt. Cuius reliquiæ in Eccleſia ibi ſuo nomini ſtructa aſſeruantur, & piè coluntur.* Ex vita illius M S. à Babucenſi Eccleſia accepta.

Militem egit.

Eremum coluit.

Moritur.

In Annotatione addit: *Extant res geſtæ, & miracula* S. Petri, *quæ in Eccleſia Aquinate habentur.* Sed quo tempore in humanis fuerit, nondum didici. Nec nos alia de Patria, cognomine aut familia, comperimus. Tantùm Hiſpaniæ Sanctum anachoretam ex milite Pholidoto nec ab ipſa cognitum, nec ab ſcriptoribus noſtris compertum, reſtituimus, vt nouum deuota ipſius Prouincia filium agnoſcat, & antiquum licet deperditum Protectorem veneretur.

Hactenus ignotus ab Hiſpanis.

Hîc & in elogio S. Petrum, *Pholidotum* militem, dixi. Ex quo? En etymon. Milites antiquitus variis armorum generibus vtebantur, quorum ſymbola deſcribere longum erit. Claudium Minoëm Lipſium, & alios huius fabricæ tractatores conſulat Criticus. Ad noſtri intentus indaginem, ſciendum eſt: quod inter alia armorum genera fuit *Lorica.* Hæc fuit *pectoralis* alia, & *hamata* altera, de vtraque loquitur Polyb. *de Milit. Rom.* ſic: *At plerique capientes aream laminam, quæ ſit palmi maioris ſiue X I I. digitorum vndique, nec amplius, eam pectori apponunt, & vocant* Pectorale: *ac ſic plenam, iuſtámque habent armaturam. Qui tamen ſuper mille drachmas cenſi ſunt, ij pro pectorali, ſuper cætera arma loricas capiunt hamatas.* De Pectorali lorica *Varr. Plin* & *Sil. Ital.* qui ex corio crudo factas fuiſſe, recenſet *lib* 8. ſic:

Philodotus Miles, qui?

Pectoralis lorica.

Pectora pellis obit, cæſi è venatibus vrſi

Item & ex ferro, idem, *in eod.* ſic:

Ille viris pila, & ferro circundare pectus
Addiderat.

Sed de his pectoralibus plura apud relatos. De *Hamatis* noſtra diſceptatio eſt. Has Græci *Catenatas* dixere, quia circuli, & catenæ nexæ, hamuli ſpeciem dimidiatæ referebant, eum hami catenulas iungebant. Sidon. *in Panegyr. ad Anthem. carm.* 321.

Hamata lorica.

Non galea concluſa genas, nec flexilis illi
Circulus impactis Loricam *texuit* hamis.

Virgilius *lib.7. Æneid.*

Loricam *conſertam* hamis, *auróque trilicem.*

Hæc loricæ non ſolum *hamatæ*, ſed etiam *Squameæ* vocitabantur, quaſi eo ordine, quo piſces, vel ſerpentes conglomeratæ conſpicientur, & has Græci Φολιδωτὰς, ſiue λεπιδωτὰς vocant, Autor eſt Plutarch. *in Lucul.* quem depingens eo die, quo pugnauit in Tigranem Θώρακα σιδηροῦν Φολιδωτὸν, hoc eſt: *Loricam ferream ſquameam*, induiſſe refert. Ex quo *Pholidoti Milites*, id eſt *Squamati*, propter loricarum contexturam appellati ſunt, vt refert Lipſ. *de Milit. Rom. lib.* 3. *Dialog.* 6. Et ideo Noſter S. Iſidor. *lib.* 18. *Etymol. c.* 13. ſic: *Squama eſt lorica ferrea, ex laminis ferreis, aut areis concatenata, in modum Squamæ piſcis, & ex ipſo ſplendore ſquamarum, & ſimilitudine nuncupata eſt. De Cilicijs autem, & poliuntur, & teguntur lorica.* vbi Ioan. Grial. *in Not. ad hunc locum*, breuiter, & ponderosè. Ad intentum ergo remeantes, ideo *Petrum* noſtrum, ſanctiſſimum Confeſſorem, Militem Hiſpanum, *Pholidotum* nuncupauimus, quia relicta ſæculari militia, ad cœleſtem,

animum, & spiritum conuertens, ipsismet, quibus in illa vsus est loricis hamatis, aut squameis, in ista, cilicij nomine, ad pectoris fragorem, ad Dœmonis formidinem vtebatur:

—Coniuncta per artem
Flexilis inductis hamatur lamina membris,
Horribilis visu. Credas simulachra moueri
Ferrea, cognatoque virum spirare metallo.

Ex Claudian. *lib. 2. in Ruffin.* Quo Cilicij genere *Petrus* vitam ducens, ad temporalem perueniens, liber, & solutus cœlos ingreditur.

Topographia. BABVCVM. Ciuitas est Latij in Hernicis Italiæ populis, primo dicta *Bouillæ*, hodie *Babuceo* cognominatur. Caput est Anagniæ Frusinoni, Verulo, Alatrio, Aquino, Soræque finitima, inter Cosam, & Lirim amnes, apud Fregellas confluentes sita. Inter antiquos Geographos nihil de *Babuco*, plenius de *Bouilla*. Abraham. Ortel. *in Thes. Geograph.* verb. *Bouilla* ex Plin.

G. *Antiquitas S. E. Hispalensis.* DEDICATIO *Sanctæ Ecclesiæ* Hispalensis *Metropolitanæ*] Antiquitatem huius opulentissimæ Ecclesiæ si inspectamus, è primis Hispaniæ erectis fatebimur; nam B. IACOBVS Hispaniarum Apostolus S. PIVM eius Discipulum, Primum Hispalensium nominauit, & sacrauit Antistitem, qui vrbem ingrediens, & fidem Catholicam Hispalenses edocens, ad Magistri exemplum, illico Aram MARIÆ Virgini, Dei Genitrici, præcipuæ Hispaniarum Tutelari, deuotâ propensione sacrauit; quæ ad vsque Hispanici ruinam excidij perseuerauit, vt supra fusius probauimus die IV. huius Mensis, in Actis S. PII. Post verò cùm vrbs ista sub Sarracenica opprimeretur tyrannide, & PIA ARA Mahometicæ superstitionis inseruiret erroribus, omnia corruêre, donec FERDINANDVS III Castellæ Rex, nomine, & opere SANCTVS, illam è faucibus Agarenicis Vrbem, Dei nutu, & Virginis ope, nullâ interpositâ morâ redemit strenuè. Qui *Ecclesia Metropolitica* primùm ab Episcopis lustrationem agnoscens, eius encœnias hoc die piâ deuotione peregit. Hinc DEDICATIO Hispalensis Ecclesiæ originem sumpsit; quod vt facilius deprehendatur, ex Antiquo Breuiario, & aliis, huius RENOVATIONIS ecphrasim exscribemus.

RELATIO DEDICATIONIS, SANCTÆ Ecclesiæ Hispalensis, ex Antiq. Breu. & aliis.

Ferdinandus Sanctus Isidori nutu Hispalim aggreditur. CVM FERDINANDVS *Castellæ, & Legionis Rex, qui ob virtutum præstantiam,* SANCTI *cognomen est adeptus, magnam Baticæ partem, in suam ditionem recepisset,* HISPALIM *eius Prouinciæ principem Vrbem, magnis ex Hispana nobilitate contractis copiis, obsedit; ad eam expeditionem, per visionem à* S. Isidoro (*vt fertur*) *incitatus. Quòd scilicet Sanctissimus Præsul suam Ecclesiam tot seculis iam ab Infidelibus profanatam, Christo restituendam curaret. Constanti etiam traditione receptum est, pium Regem, cùm aliàs, tùm in eo bello Deipara Virginis (cuius sacram venerandæ maiestatis Imaginem, quocumque iret in exercitu, secum ducebat, ac mira deuotione, & honore prosequebatur) præsentem opem, non semel sensisse.* *Vrbem B. V. MARIÆ ope capit. Eius Imago Vrbem ingreditur ouans.* *Captâ vrbe, Barbaris ex pacto, quò vellent abire permissis,* Ferdinandus *felicem victoriam non sibi, sed Deo, eiúsque Sanctissimæ* Matri *acceptam referens, dictam* Imaginem *triumphantis specie, ornatissimo ferculo impositam, ad Templum, quod eius nomini dedicatum erat, deferri iubet.*

HAC *celebritate triumphi eadem sacratissima* Virginis *Imago cum splendida Episcoporum, & Sacerdotum processione, Signis, & Legionibus præcedentibus, sequente postremùm Rege, ex Procerum comitatu, in Vrbem delata, & in Templo collocata est. Quod iam à* Gutterio *Archiepiscopo* Toletano, *à superstitionis sordibus fuerat expurgatum, & Christiano cultui*

cultui restitutum. Tum verò idem Toletanus *Præsul Ecclesiam, præsentibus Episcopis, & innumerabili populorum multitudine, solemni cæremonià, Deo in Titulum, & Honorem* B. V. MARIÆ *dedicauit. Cuius Venerandam Imaginem cum multis Sanctorum Reliquiis ibidem Rex reponi curauit.*

Templum Virgini Matri dedicatur.

ADIECIT *mox animum Rex ad res Nouæ Ecclesiæ, per Philippum filium electum Archiepiscopum ordinandas, instituto Canonicorum cum præbendis, & dignitatibus honestissimis, nobilissimo Collegio: cui ex Regia liberalitate largi census, cum multis prærogatiuis accessere. Cuius religionis, & largitatis exemplis, posteri Reges magnis ornamentis, & nonnulli etiam cum eodem Sancto Rege, sumptuosis sepulchris eam honestarunt. Augescente autem posterioribus seculis, populi multitudine, & religione,* ECCLESIA *Punica structura ædificio multis partibus vitium faciente, in pulchriorem, atque ampliorem formam à fundamentis in eodem situ, instaurata est. Cuius* DEDICATIONEM, *atque instaurationem, vno die,* QVINTO *scilicet* IDVS Martij, *Maioribus Nostris placuit celebrari,*

In Cathedralem erigitur cum ministris & Antistite.

Reparatur in melius.

In Antiquo huius Nobilissimæ Ecclesiæ Breuiario adest duplex hymnus in huius festiuitatis solemnitate solitus recitari; cuius pius concentus, & admirabilis deprecatio meum rapuere animum, vt eruditis, & antiquitatum piis amatoribus, vtriusque hymni contexturam libenter offerrem, & quia Nostrorum pateat religio, & quia horum hymnorum non obliteretur relatio.

HYMNVS AD VESPERAS.

CHriste cunctorum dominator alme,
Patris æterni genitus ab ore,
Supplicum vota, pariterque hymnum
Cerne benignus.
Cerne quo puro Deus in honore
Plebs tua supplex resonat in Aula,
Annuo cuius redeunt colenda
Tempore festa.
Hæc Domus ritè tibi dedicata
Noscitur, in qua populus sacratum
Corpus assumit, bibit & beati
Sanguinis haustum.
Hic Sacrosancti latices veternas
Diluunt culpas, perimuntque noxas.
Chrismate vero, genus vt creetur.
Christicolarum.
Hic salus ægris, medicina fessis,
Lumen orbatis, veniáque nostris
Fertur offensis, timor, atque mæror
Pellitur omnis.
Dæmonum sæua perit hic rapina,
Peruicax monstrum pauet, & retentat,
Corpora linquens, fugit in remotas
Ocius vmbras.

Gloria ſummum reſonet Parentem,
Gloria Natum, paritérque Sanctum
Spiritum, dulci modulemus hymno
Omne per æuum.

AD LAVDES DIEI
HYMNVS II.

HIc locus nempe vocitatur Aula
Regis immenſi, niueíque cæli
Porta, qua vitæ patriam petentes
Excipit omnes.
Turbo quem nullus quatit, aut vagantes
Diruunt venti, penetrántque imbres,
Non tetris lædit piceus tenebris
Tartarus horrens.
Quæſumus ergo Deus, vt ſereno
Annuas vultu, famulos gubernes,
Qui tui ſummo celebrant amore
Gaudia Templi.
Nulla nos vitæ crucient moleſta,
Sint dies læti, placidaque noctes;
Nullus ex nobis, pereunte mundo,
Sentiat ignes.
Hac dies; in qua tibi conſecratam
Conſpicis Aram, tribue perenne
Gaudium nobis, vigeátque longo
Temporis vſu.

Cætera, quia communia, omiſimus, vt ad Catalogum Epiſcoporum, quorum memoria in benedictione eſt, ex incepto onere deueniamus. Et licet per aliquot ſecula Præſulum exciderint nomina, cùm nullus ad impoſſibile teneatur, ea referre compellimur, quæ ex Noſtris Auctoribus publica deprehendimus.

CATALOGVS EPISCOPORVM S. ECCLESIÆ HISPALENSIS *ab exordio eius fundationis, vſque in præſentem diem Chronologica, & Hiſtorica aſſignatione diſpoſitus, & aliquorum Præſulum Nominibus auctus.*

I. SANCTVS PIVS huius nominis I. & Epiſcopus Hiſpalenſis I. S. Iacobi Diſcipulus, poſt erectam in Vrbe Romula B. MARIÆ Virgini, & Dei-genitrici Capellam, Martyr apud Cherſoneſum Hiſpaniæ cum aliis Epiſcopis ad Concilium conuocatis occubuit. Anno Domini LX. 60.

Hic

Hic deficit memoria Hispalensium Præsulum ad Annum vsque Christi CC.LXX.

II. IOANNES huius nominis I. Episcopus Hispalensis II. ad quem scripsit S. Pontifex Eutichianus, vixit ad Annum Domini CC. LXXVIII. 278.

III. S. CARPOPHORVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis III. qui cum eius Diacono *Abundio* à Martiano Bœticæ Præside, imperantibus Diocletiano, & Maximiano comprehensus, martyrio coronatus est Anno DCC.LXXXV. 285.

IV. SABINVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis IV. interfuit Conciliis Illiberitano, & Arelatensi; in cuius tempore martyrium subière SS. *Iusta*, & *Ruffina* Hispalensium Patronæ: S. *Felix* Diaconus Toletanus: SS. *Servandus*, & *Germanus*: SS. *Straton, Ruffinus, Ruffinianus, Arsemidorus*; & *Sebius* Vercrenses: SS. *Crispulus*, & *Restitutus* Ilipenses: SS. *Theodorus*, *Occeanus*, *Iulianus*, & *Ammianus* Tuccenses: SS. *Leo, Donatus, Nicephorus, Abundantius*, & IX. Socij, Vrsaonenes. Istius quoque Præsulis æuo, Constantinus Imperator diuisit Sedes Hispaniæ, signans sex Metropoliticâ dignitate insignes, quarum HISPALIS vna cognoscitur, quæ has suffraganeas accepit: *Cordubam, Italicam, Ilibertim, Malacam, Astigim, Sydoniam, Ilipam, Egabrum, Tuccim, Asitam, Marciam, Gadir.* Denique SABINVS plenus dierum, & bonorum operum requieuit in pace Ann. Dom. CCC.XXIV. 324.

V. DEO-DATVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis V. interfuit Concilio Cordubensi pro defensione S. Athanasij, in quo absolutus fuit Athanasius ab Hæreticorum calumniis, vt refert Iulian. *in Chron.num.* 157. *fol.* 42. De isto nulla est mentio in diptychis Hispalensibus, eius memoria ad Ann. CCC. L. 350.

VI. MARCELLVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis VI. interfuit Concilio I. Toletano, vt creditur. Ann. CCC. LXXX. 380.

VII. EVODIVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis VII. de quo solùm nominis memoria cognoscitur. Ann. CCC. XCIV. 394.

VIII. QVINCTINVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis VIII. cuius actiones sub silentio quiescunt. Ann. CCCC. XII. 412.

IX. CLAVDIVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis IX. cuius tempore Gundericus VVandalorum Rex cùm in Ecclesiam S. Vincentij Martyris ingredi proposuisset, vt illius aram profanaret, à dæmone correptus occubuit. Itidem hoc Pontifice S. Arcadius Vrsaonensis in Africa martyrio coronatus in persecutione fuit VVandalica. ad Ann. CCCC. XL. 440.

X. SABINVS huius nominis II. Episcopus Hispalensis X. qui à Priscialianistis grauia pertulit opprobria, ita vt à Sede pelleretur, donec Anno CCCC. LX. ad propriam sponsam restitutus, ibidem in pace quieuit. 460.

Scriptores Rerum Hispalensium in Diptychis Præsulum istius Ecclesiæ ingerunt EPIPHANIVM, *&* ORONTIVM *& eos fuisse Episcopos Hispalenses contendunt, quod ius abhorret, nam viuo* SABINO *legitimo huius Ecclesiæ sponso, quo iure potuère si Catholici, quo exemplo si hæretici, isti* Epiphanius, *&* Orontius *inter Hispalenses adnumerari Prælati? Hinc illos, vt non legitimos à meo Catalogo prorsus amando.*

Ergo SABINI memoria ad Annum CCCC. LXX. peruenit. In cuius tempore, obiit Alexandra Nebrisensis, vt patet ex huiusmodi epigraphe. 470.

A. ☧ Ω.

ALEXANDRA. CLARISSIMA. FEMINA.
VIXIT. ANNOS. PLVSMINVS. XXV.
RECESSIT. IN PACE. X. KAL. IANVAR.
ERA. D. III.

XI. ZENO huius nominis I. Episcopus Hispalensis XI. Cui scripsere Simplicius Romani Anno 481. & Felix III. Ann. 493. Pontifices. Ille constituens *Zenonem* Sedis Apostolicæ per Bæticam Legatum. Iste Terentianum in Domino commendans. Huius Præsulis tempore ad superos euolauit *S. Florentius* Confessor, cuius sacra lipsana in arca marmorea cum hac epigraphe inuenta sunt, & in Ecclesia Hispalensi venerantur die XXIII. Februarij.

S. VIR FLORENTIVS. QVIEVIT IN PACE
XXIII. FEBRVARII. VIXIT AVTEM
AN. LIII. SEPVLTVS. XV. MART.
AN. DOM. CCCCLXXXV.

Perperam *M. Ægidius Gonzalez* Regius Chronographus in *Theatr. Ecclesi. tom.* 2. *fol.* 12. hunc Sanctum Confessorem *Florentium* inter Episcopos Hispalenses recensuit, cùm neminem tale quid dicentem inuenias, sicque illum è Catalogo ab ipso conscripto expungere curabis. Igitur ZENO peruenit ad Annum Dom. D. IV. 504.

XII. STEPHANVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis XII. qui primo fuerat *Cordubensis*. Tempore huius Pontificis requieuit in pace *S. Gregorius* Confessor apud Constantiam Iuliam in Bætica, vt ex monumenti epigraphe, quæ adhuc visitur innotescit:

IN HOC TVMVLO IACET FAMVLVS DEI
GREGORIVS. QVI VIXIT ANNOS PLVS
MINVS LXX. RECESSIT IN PACE DIE
IX. SEPTEMBRIS. ERA. D.XXXXII.

Peruenit *Stephanus* ad Ann. Dom. D. XII. quia postmodùm successit IOANNES II. vt statim dicemus. 512.

XIII. IOANNES huius nominis II. Episcopus Hispalensis XIII. qui ex literis Hormisdæ Rom. Pont. Concilium Hispali congregauit, vt inquit Iulian. *in Chron. n.*262. *fol* 60. Huius Episcopi memoria hucusque deficit in Diptychis Hispalensibus. Moritur An. Dom. D. XIX. 519.

XIV. MARCELLVS huius nominis II. Episcopus Hispalensis XIV. proquo in Concilio Valentino Hispaniæ interfuit *Salustius* eius Archidiaconus. Eius tempore Præsulatus, est inscriptio famuli Dei *Macharij* Hispalensis, vt ex eius patet epigraphe:

MACHARIVS FAMVLVS DEI VIXIT
ANNOS. LII. RECESSIT IN PACE.
DIE X. KAL. IAN. ERA. D. LVIII.

Memoria etenim *Marcelli* Præsulis peruenit ad Annum Domini D. XXIV. 524.

XV. SALVSTIVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis XV. qui fuerat Archidiaconus *Marcelli*. Huic idem Papa Hormisda epistolam scripsit, quâ totius Vlterioris Hispaniæ Sedis Legatum nominat Apostolicæ, peruenit ad Annum Dom. D. XXVI. 526.

XVI. PANCRATIVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis XVI. interfuit Concilio Toletano II. ad Ann. Dom. D. XXVII. 527.

XVII.

XVII. CRISPINVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis XVII.
XVIII. VEGATIVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis XVIII.
XIX. THEODOLVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis XIX.
XX. HYACINTHVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis XX.
XXI. REPARATVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis XXI. 540.

Horum Quinque Præsulum Actiones periere, quarum ecphrasis ad Ann. Dom. D. XL. peruenit.

XXII. S. MAXIMVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis XXII. hic ab Hæreticis Arianis insecutus, multa pro fidei pertulit defensione, eius memoria ad Ann. Dom. D. XLII. 542.

XXIII. S. LAVREANVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis XXIII. fuit S. Maximi Archidiaconus, patriâ Vngarus, & strenuus pro fide Martyr. Ipso Pontifice occubuit Paula Hispalensis Catholica, vt patet ex literis in lapide Sepulchri incisis huiusmodi.

A. ☧ Ω.
PAVLA. CLARISSIMA. FOEMINA. FAMVLA.
CHRISTI. VIXIT. ANNOS XXIV. MENSES.
DVOS. RECESSIT. IN. PACE. XVI. KAL.
FEBRVAR. ERA. D. LXXIV.

Sic D. Paul. de Espinosa censuit *lib. 2. c. 16.* Cuius sententiam respuere compellit Era in marmore designata, quæ respondet ad Annum Domini D. XXXVI. Hinc PAVLA nequaquam potuit viuens ad Præsulatus tempora LAVREANI peruenire, nisi sit error in prælo. Certior adest alterius Monachi obitus tempore sancti Martyris, vt refert Roder. Caro *in Not. ad Maxim. Ann.* 489. *fol.* 175. *lit. T.* vbi istam Inscriptionem prope Oppidum *Arahal* in tractu Marchenensi, notauit.

FVLGENTIVS. MONACHVS.
FAMVLVS. XPI. VIXIT. ANNOS.
PLVS. MINVS. XLV.
RECESSIT. IN. PACE. VI. KAL. IAN.
ERA. D. LXXXI.

Ergo Sanctissimus Pontifex, & Martyr LAVREANVS in Gallia occubuit insidiis Attilæ Hunnorum Regis Ariani ad Ann. Dom. D. LX. 560.

XXIV. DAVID huius nominis I. Episcopus Hispalensis XXIV. ad quem scripsit Epistolam Benedictus Rom. Pont. de qua Padill. *cent. 6. c. 41.* Fuit Magister S. Isidori, adhuc pueruli, ex Max. *Ann. 566.* quo eius obitum reponunt Scriptores Hispalenses, & videtur ex *Maximo* prorsus elici. Eius æuo in pace quieuit *Cerula* clarissima fœmina 566. Catholica, quæ, si *Maximo* credimus *Ann. 566.* vxor fuit *Seueriani* Ducis Carthaginis Spartariæ, materque SS. Fulgentij, Leandri, Isidori, & Florentinæ, & Auia S. Hermenegildi, & gloriosissimi, Catholicique Reccaredi Regum Gothorum. En epigraphe:

CERVELA. CLA. FOEMINA. FAMVLA.
XPI. VIXIT. PLVS. MINVS. ANNOS XXXV.
RECESSIT. IN. PACE. COR. TRANSFIXIT.
III. KAL. FBRS. ERA. DC.

Quod

Quod ad vnguem conuenit sententiæ Luitprandi *in Aduers. n.* 117. vbi *Theodoram Cerueam* Anno 541. habuisse X I V. ætatis annos fatetur, quæ cùm Anno 562. diem clausisset extremum, liquidò constat, X X X V. Annum ætatis cempleuisse, nam si X X I. ad X I V. adiungas, proculdubio X X X V. efficies; ex quo concordantiam Nostrorum Scriptorum agnosces.

XXV. STEPHANVS huius nominis I I. Episcopus Hispalensis X X V. Hic, vt creditur, Athanagildum Regem Gothorum, secretò Catholicum, tinxit, & S. Leandrum sacro Presbyteri ordine decorauit. Eius vita ad Ann. Dom. D. L X X I X. 579.

Hic animaduertendum censui, P. Biuarium in Notis ad Chron. M. Maxim. Ann. 568. *n* 4. §. 9. *fol.* 499. *contendere duos fuisse* DAVINES *Præsules Hispalenses; sed fallitur, quia irrepsit error in Maximi editione, ideòque à nullo Scriptorum admittitur hæc opinio.*

XXVI. S. LEANDER huius nominis I. Episcopus Hispalensis X X V I. interfuit Concilio Constantinopolitano, vbi Gregorium Pelagij Rom. Pont. vices in Synodo tenentem, amicitiâ deuinxit. Contraxit Hispalense Concilium, tandem bonis operibus plenus obdormiuit in Domino Anno Dom. D C. I I I. 603.

XXVII. S. ISIDORVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis X X V I I. Hispaniæ Doctor celebris, construxit Collegium Hispali, quo quo SS. Ildephonsum Toletanum, & Braulionem Cæsaraugustanum Antistites habuit discipulos. Concilium II. Hispalense contraxit, multa scripsit luculento sermone opera. Eo Pontifice Saturninus Presbyter Hispalensis diem extremum clausit, vt ex huiusmodi epigraphes ecphrasi liquet.

SATVRNINVS. PRESBYTER. FAMVLVS. DEI. VIXIT. ANNOS. PLVS. MINVS. LIII. RECESSIT. IN. PACE. SVB. DIE. II. ID. NOVEMB. ERA. DC. L. VII.

Tandem gloriosus Pontifex post insignes Deo, & Ecclesiæ Hispaniæ oblatas operas in pace quieuit Ann Dom. DC. X X X V I. 636.

XXVIII. HONORATVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis XXVIII. qui antea fuerat Episcopus Cordubensis, interfuit V. aut V I. Concilio Toletano, eius Acta breui compendio descripsit S. Taio Cæsaraugustanus Episcopus frater germanus Sanctissimi Præsulis *Honorati* in sarcophagi tabulâ marmorea.

PRESVL HONORATVS SVCCESSERAT HIC ISIDORO:
HISPALIS ILLIVS OSSA BEATA TENET.
IAMQVE IX. LVSTRIS. GAVDENS DVM VITA MANERET:
SPIRITVS ASTRA TENET. CORPVS IN VRNA IACET.
VITA FVIT MELIOR LINGVA, SED LINGVA MODESTA.
NVNC OVAT, HOSTILES NEC TIMET ILLE MINAS.
OBIIT IDEM PONTIFEX PRID. ID. NOVEMB. ERA DC. LXXIX.
IN HONORE VIXIT ANN. V. MENS. VI. 641.

Hinc liquet verum ISIDORI successorem HONORATVM extitisse, non, vt aliqui somniant THEODISCLVM quendam Africanum hæreticum, Isidoromastycem, ab aliquibus confictum, quia vt eruditè probant Roder. Caro *in Addit. ad M. Max. fol.* 333. & D. Paul. de Espinos. *Hist. Hispal. lib.* 2. *c.* 23. *fol.* 106. nequaquam potuit *Theodiselus* iste succedere ISIDORO, quod patet: *Nam Diui Isidori* (inquit Carus) *obitum I V. die Aprilis fuisse, certi iuris est, & in hoc omnes*

omnes conueniunt. At anno II. Chintilæ Regis, qui est Christi DC. XXXVII. Mense Ianuario, HONORATVS *Præsul Hispalensis subscripsit Concilio V. Toletano; ergo iam antecessor Isidorus decesserat. Cum ergo* Honoratus *vix erit in honore Pontificatus annos Quinque, & Menses Sex, mortuusque sit Pridie Idus Nouembris, Era DC. LXXIX, qui est Annus Christi DC. XLI. liquido constat, inter* D. ISIDORI *supremum diem, quo ad beata perennitatis vsuram euolauit, &* HONORATI *augurationem, intercurrisse dumtaxat XXXVIII. dies. Quo ergo pacto tam paruâ temporis intercapedine,* ISIDORVS *sepulturæ mandari, eligi* THEODISCLVS, *communes hæreticus, deponique à Synodo potuit, denuoque* HONORATVS *eligi? Restat igitur, vt qui hoc comminiscuntur, Anticyras nauigare mandemus: & S. Hispalensem Ecclesiam tàm fœdi Præsulis opinione pollutam, ab ipsius Pontificum albo,* THEODISCLVM *confictum eycientes, liberemus.* Hinc demiror, quâ ratione Magistrum Ægidium Gonzalez omnium Magistrum in Hispaniæ Historia, inter Præsules Hispalenses istum THEODISCLVM annumerare statuisset, stantibus in contrarium hisce mathematicis comprobationibus. Sed cùm sint hominum variæ mentes, non est cur earum apices inquiramus.

Scriptores Catalogi Præsulum Hispalensium post HONORATVM *appingunt* GORDIANVM, *sed perperam: nam si, vt ipsi fatentur, fuit intrusus, tempore quo* ISIDORVS *apud Malacam exulauit ad Annum DC. XVI. ipsique scripsit Deus-dedit Rom. Pont. qui moritur Anno DC. XVII. quo pacto potuit post* HONORATVM *annumerari, si præcesserat Ann. XXV. intrusio consignata? ergo nec ratione intrusionis, nec vi calculi, illo, nec isto tempore Præsul Hispalensis poterit iure consignari. Quo omisso ad Diptychum pergo.*

XXIX. ANTONIVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis XXIX. interfuit Conciliis VII. & VIII. Toletanis, & in IX. eius Vicarius Fugitiuus. In Episcopatu peruenit ad Ann. Domin. DC. LVII. 657.

XXX. FVLGITIVVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis XXX. interfuit Concilio X. Toletano ad Ann. Dom. DC. LVIII. 658.

XXXI. DEODATVS huius nominis II. Episcopus Hispalensis XXXI.

XXXII. SEMPRONIVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis XXXII.

Isti Pontifices hoc loco apponuntur in Catalogis ad Annum DCLXXV. 675.

XXXIII. IVLIANVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis XXXIII. interfuit Conciliis Braccarensi III. & Toletano XII. Eius memoria ad Ann. Dom. DC. LXXXII. 682.

Per hæc tempora secunda ab VVambane facta fuit Episcopatuum Hispaniæ diuisio, in qua hæc de Hispalensi referuntur:
Spalensi Metropolitanæ subiaceant hæ Sedes:

ITALICA. hæc teneat de Vlea, vsque Busam: de Asa vsque Lancolam.

ASSIDO. hæc teneat de Busa vsque Senam: de Lotesa vsque Viam-latam.

ELEPLA. hæc teneat de Sena vsque Datam: de Alisa vsque Cortesam.

MALACA. hæc teneat de Data vsque Malescam: de Temia vsque Sedes Campi.

ELIBERIS. hæc teneat de Malica vsque Sotelam: de Almica vsque Sedes.

ASTIGIS. hæc teneat de Sotela vsque Parietem: de Luca vsque Raucam.

CORDVBA

CORDVBA. hæc teneat de Pariete, vsque Vbetam: de Gata vsque Ranam.

EGARBO. hæc teneat de Vbeta, vsque Malamsayam: de Gasta vsque Fuentam.

TVCCI. hæc teneat de Malamsaya, vsque Balijar: de Gueguera, vsque Azlonem.

Ast hæc diuisio tempore Episcopi FVGITIVI *fuit, vt patet ex subscriptionibus Concilij à Luitprando adducti* in Aduers. n. 266. *vbi secundo loco confirmat.*

XXXIV. FLORESINDVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis XXXIV. interfuit Conciliis XIII. XIV. & XV. Toletanis. Irrepsit error in aliquibus Scriptoribus apud quos ex vno TRES confingunt Hispalenses Antistites, videlicet FLORENTIVM, FLORENTINVM, & FLORESINDVM, sed istius verius est nomen, vt placet Luitpr. *in Chron. Ann.* 688. *n.* 148. Eius memoria ad Ann. Dom. DC. XC. III. 693.

XXXV. FELIX huius nominis I. Episcopus Hispalensis XXXV. qui fuerat Archidiaconus ipsius Ecclesiæ, interfuit Concilio XVI. Toletano, in quo per depositionem Siseberti Toletani Præsulis, ad huius Patriarchalis Sedis fastigium euectus est. Fuit scriptor nobilis, eximius Poëta, Magnus Concionator, acerrimus fidei defensor, & cliens *B. V. Mariæ.* obijt Anno DCC. Illi hoc posuit Guntericus eius Archidiaconus Carmen Sepulchrale. 700.

Te tenet alme Pater FELIX, *Leucadia Virgo*
Corpore; sed volitans spiritus astra tenet.
Nil tulit Hispanus grauius te, aut rectius Orbis;
Felix Pastor eras, dum tibi vita fuit.
Iria, Toletum patrem prius Hispalis ipsa
Vidit, & alloquio est sat recreata tuo.
Hæc postrema tibi dat Guntericus amanti
Carmina, tristitiam testificata suam.
Si possem lachrymis mercari, aurique metallo,
Mercarer, FELIX, *ne morerere diu.*
Eriperis Patriæ, senióque, malísque grauatus.
Grande operæpretium plebibus vnus eras:
Quas tamen è superâ poteris statione leuare
Alfonso meritis, Helladióque minor.
Gothica res (nisi fallor ego) minitata ruinam,
Eius, & immensa mole laborat opus.
Da vires, Gentíque tuæ, Patriæque faueto
Carmen Isidori triste, minásque tene.

A. ☧ Ω.

XXXVI. FAVSTINVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis XXXVI. ex Episcopo Braccarensi, ad Hispalensem in eodem Concilio euectus Cathedram agnoscitur, interfuit Toletano Vltimo, Ad Ann. DCC. IIII. 704.

XXXVII.

XXXVII. SIGEBERTVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis XXXVII.
XXXVIII. APHALIVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis XXXVIII.
XXXIX. GABRIEL huius nominis I. Episcopus Hispalensis XXXIX.

Horum Præsulum Nomina in Antiqui Catalogis inueniuntur post Faustinum, absque distinctione Annorum.

XL. OPPAS huius nominis I. Episcopus Hispalensis XL. antea Tudensis, frater (aliis filius) VVitissæ sceleſtissimi Gothorum Regis penultimi: Episcopus ergo moribus nihilo melior VVitissa, inuadit Toletanam Sedem, & retenta Hispalensi, vtramque ad excidium vsque Hispanicum conspurcauit, & Agarenorum Dux factus, Pelagio Sanctissimo ad Couadongam cum fidelium cætu concluso, fidem exhibere Sarracenis Legatus improbus persuadere conabatur. Ast à Pelagio, Regis titulo, sublimato, repulsus, in armorum contractione pro Africanis dimicans, mortem inuenit, Anno Dom. DCC. XVIII. 718.

Vnum hic adnotare curaui, quod fortè doctu placebit, scilicet, quòd isti QVATVOR *Hispalenses vltimi Episcopi, proculdubio omnes fuere intrusi, expulso de Sede Sanctissimo* FAVSTINO. *Moueor, tum quia* TRES *Oppani antecessores, vix in peruetustis Diptychis agnoscuntur; & Oppas fortè ad Sedem violenter euehitur, prout in Ecclesia Toletana, depulso Sinderedo, eius Episcopo: tùm quia Beatiss.* FAVSTINVS *in viuis erat Ann. DCC. XIV. nam Maurorum irruptione compulsus, cum aliis Episcopis Baticá diffugiens, peruenit ad Oppidum Sarandula in Vettonibus, vbi ab Agarenis obsessus, cum cæteris occisus est. Hæc referunt Luitpr. in* Chronic. Ann. 714. n. 193. *Iulian.* in Aduers. n. 339. *Vbi primum Antistitem nominat* Faustinum Hispalensem à Gothis expulsum. *Dixit* à Gothis, *ne à Sarracenis crederemus. Si ergo à Gothis, ergo tempore VVitissa expulsus. hoc est Anno Dom. DCC. IV. Igitur sequentes Episcopi, intrusi videbuntur:*

POST SARRACENORVM TYRANNIDEM, vix Episcoporum Hispalensium nomina inuenies. Tumultuariè sequentia elicere potuimus ex Scriptoribus Nostratibus.

XLI. IOANNES huius nominis III. Episcopus Hispalensis XLI.
XLII. CLEMENS huius nominis I. Episcopus Hispalensis XLII.
XLIII. NONNITVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis XLIII.
XLIV. THEODVLPHVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis XLIV.
LXV. ELPIDIVS huius nominis. I. Episcopus Hispalensis XLV.
XLVI. ÆMILIANVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis XLVI.
XLVII. VERVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis XLVII.
XLVIII. THEODOLVS huius nominis II. Episcopus Hispalensis XLVIII.
XLIX. DAVID huius nominis II. Episcopus Hispalensis XLIX."

Omnes ad Annum vsque Domini DCCCC. LXXX. VIII.

L. ROCAFREDVS huius nominis I. Epiſcopus Hiſpalenſis L.

LI. STEPHANVS huius nominis III. Epiſcopus Hiſpalenſis LI.

Quibus abſoluitur Catalogus Præſulum, quouſque HISPALIS *ab Agarenorum faucibus per Ferdinandum cognomento Sanctum liberata, ad antiquam Catholicam fidem rediuiua, ſplendorem, & opulentiam recepit. Ergo ad Catalogum reuertentes, hæc ſunt Præſulum Nomina, quæ ſequuntur.*

LII. D. PHILIPPVS huius nominis I. Archiepiſcopus Hiſpalenſis LII. fuit filius Ferdinandi III. Sancti. Eccleſiam dimiſit, eiúſque adminiſtrationem Ann. Dom. M. CC. LXI. 1261.

LIII. D. RAIMVNDVS huius nominis I. cognomento LOSANA, ex vrbe Segobia oriundus, Archipiſcopus Hiſpalenſis LIII. inuenit corpora SS. Virginum, & Martyrum Hiſpalenſium IVSTÆ, & RVFFINÆ. Demùm poſtquam ſanctè Eccleſiam rexiſſet occubuit Ann. Dom. M. CC. LXXXVIII. cuius corpus in Eccleſiam S. Ægidij Segobienſem, à ſe extructam, tranſlatum, tanti Præſulis memoria hacce epigraphe in ſarcophago conſeruatur. 1288.

Gloria RAIMVNDI *perluſtrat climata mundi,*
Eiuſdem nomen, & felix prædicat omen.
Segobiæ micuit Paſtoris culmine pridem.
Hiſpalis Archiepiſcopus factus modo floret ibidem,
Templum dotauit præſens, & ædificauit,
Præſul factus RAIMVNDVS; *quo eſt tumulatus*
Ipſius Hugo Pater recumbit, Ricardaque Mater.
Preſbyoer ipſe pede, quos calcat marmoris æde
Hæc loca fundauit propriis, fundata parauit,
Præſul expenſis RAIMVMDVS *Segouienſis.*
Hoc fundamentum ſanctum tenet oſſa parentis
Præſulis, & Matris: ſunt Hugo, Ricarda vocatur.
Claruit ex meritis eius Segouia, pridem
Hiſpalis, & tandem fuit Archiepiſcopus idem,
ERA, M. CC. LXXXXVII.

Hinc deducitur, iſtum Præſulem antea fuiſſe Epiſcopum Segobienſem, poſt ad Hiſpalenſem tranſlatum, vt & refert Didac. Colmen. *Hiſt. Segob. c.*21. §. 13. & in *Synopſi Epiſcop. Segobienſ. fol.* 646.

De Succeſſore non conuenit inter Scriptores Hiſpalenſes Alfonſus Morgado Hiſt. Hiſpal. lib.4. c.3. fol.10. *contendit* PETRVM *ſucceſſiſſe* RAIMVNDO. *D. Paulus de Eſpinoſa* Hiſt. Hiſpal. lib.5. c.4. *fatetur ſucceſſiſſe* GARSIAM *cognomento* GVTERIVM, de quo (*ait* altum ſilentium, ex eo quod protinus, illum ad Eccleſiam fuiſſe Toletanam tranſlatum memoretur. *M. Ægid. Gonzal.* in Theatr. Eccleſ. Caſtell. tom.2. fol.53. *dubitat de ſucceſſione* GARSIÆ, *quia nullum hoc nomine agnoſcit Epiſcopum Toletanum, illo ſeculo in Diptychis conſignatum: & tamen illum in ſuo compaginat Catalogo Hiſpalenſium. Nos verò qui veritatem exquirere cupimus à Noſtro iſtum Præſulem amandamus: quin ſi* (*vt inquit* Eſpinoſa, *huius Antiſtitis*

Antistitis auctor) sola memoria translationis ad Toletanam Ecclesiam istum effecit Episcopum Hispalensem, & hac impulsiua deficit causa, quia prorsus euanuit in Toletanis Catalogu huius nomen Antistitu: ergo deficiente causa, etiam dispositio cessabit, cùm non constet de corpore translationis. Quo sic discusso, ad cætera pergo.

LIV. D. IACOBVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis LIV. fuit primò Episcopus Cordubensis: instituit in Sede Metropolitana pro eius anima anniuersarium perpetuum; peruenit ad Ann. M. CC.XCII. Errorem contraxit M. Ægidius Gonzal. *in Theatr. Eccles. tom.2. fol.*53. vbi pro IACOBO posuit IOANNEM, auctoritate *Espinosæ*, cùm nihil tale dixisset Auctor iste: & quod peius est, quod postmodum posuit IACOBVM, ita vt adderet vnum Præsulem, cuius memoriam penitus ignorat Ecclesia. 1292.

LV. D. SANTIVS huius nominis I. Episcopus Hispalensis LV. M. Ægidius Gonzal. *vbi supra.* duo addidit, cognomen GONZALEZ, & sepulchrũ in Hispalensi Ecclesia. A quo hæc fuxerit nondum diuino. Episcopus peruenit ad Ann. Dom. M. CC.XCVI. 1296.

LVI. D. IOANNES huius nominis IV. Archiepiscopus Hispalensis LVI. cognomento ALMORAVIN, vixit ad Ann. M. CCC. II. 1302.

LVII. D. FERDINANDVS huius nominis I. cognomento GVTIERREZ, Episcopus Hispalensis LVII. Qui huius Vrbis nomine Toletum accedens tutelam Alfonsi XI. Regis Castellæ probauit. Moritur Ann. M. CCC.XX. 1320.

LVIII. D. IOANNES huius nominis V. Archiepiscopus Hispalensis LVIII. Cuius tempore Alfonsus XI. à tutoribus solutus Hispalim est vice triumphantis ingressus. Præsul ad Ann. Dom. M. CCC.XXXIV. 1334.

LIX. D. FERDINANDVS huius nominis II. cognomento TELLO, Archiepiscopus Hispalensis LIX. Hic Ecclesiam S. Saluatoris, quæ Agarenorum tempore Mozchita erat, in Collegiatum erexit, decimas Canonicis, & tertias Abbati relinquens. Moritur Ann. Dom. M. CCC.XLI. sepelitur in limine Maioris Aræ Sacrarij. 1341.

LX. D. IOANNES huius nominis VI. Archiepiscopus Hispalensis LX. Cuius tempore Rex Alfonsus cùm fere 20. Menses Algeciram obsedisset, tandem vrbs, deditione factâ, in Regis potestatem deuênit. Præsul demum è vita discessit Ann. Dom. M. CCC.L. 1350.

LXI. D. NVNIVS huius nominis I. Archiepiscopus Hispalensis LXI. qui Synodum Prouinciæ congregauit præsentibus Sanctio Gaditano, & Aluaro Pelagio Syluensi Episcopis suffraganeis. Moritur Ann. M. CCC. LIII. 1353.

LXII. D. PETRVS huius nominis I. Archiepiscopus Hispalensis LXII. In Ecclesia Cathedrali erexit dimidias Portiones, & illis multa applicuit beneficia, è vita discessit ad Ann. Dom. M. CCC. LVIII. 1357.

LXIII. D. F. ALFONSVS huius nominis I. cognomento VARGAS, & TOLENO, Archiepiscopus Hispalensis LXIII. primò fuerat Episcopus Vxamensis, pòst Pacensis; ex Augustinianis Eremitis celebris Doctor, cuius elogium apud R. P. M. F. Thom. Herrer. *in Alphabet. August. tit.* 2. vbi, hoc in eius laudem distichon vertit.

TOLETVM *vitam, mortem dedit* HISPALIS *alma,*
Nec nasci potuit, nobiliusvè mori.

Æneas, Syluius, pòst Rom. Pont. Pij II. cognomine, & Ioann. Trithem. *de Script. Eccles. fol.* 311. luculentum sermonem exprimunt: E viuis discessit, vt ex sepulchri liquet marmorei inscri-

 ptione,

ptione, die XXVII. Decembris Era M. CCCC. IV. Anno Dom. M. CCC. LXVI. 1366.

Circa Successorem variè à Nostris disceptatur Auctoribus. Alfonsus Morgado *subjicit* D. PETRVM Barroso, *qui fuit Cardinalis S. R. E.* D. Paulus de Espinosa *assignat* D. FERDINANDVM Carillo de Albornoz, *de quo altum silentium, circa altas Dignitates Ecclesiasticas.* M. Ægidius Gonzalez *supponit* D. PETRVM Gomez Aluarez, Albornoz, *quem fuisse electum Episcopum Vlyssipponensem fatetur ab Vrbano V. Anno* 1369. *& Archiepiscopum Hispalensem à Gregorio XI. Anno* 1371. *eóque anno sacrum accepisse purpuratum galerum, è viuisque discessisse Anno* 1374. *successorémque habuisse* D. PETRVM Gomez Barrozo, *quem Carthaginensem Episcopum, post Seguntinum, quo renuntiato, Portugalliam adysse, vbi Conimbricensem, post Vlyssipponensem Antistitem effectum, tandem ad Cardinalatus fastigium sublimatum fuisse fatetur.*

Sed quis in re tàm dubiâ verum consignare valebit. Nos inter Chymerias hasce nebulas, viam inquirere, face coniectationis aggredimur, fortè veritatem eruemus. M. Ægidius *ponit duos* PETROS, *Alterum cognominibus* Gomez, Aluarez, Albornoz: *alterum* Gomez, Barroso. *Illum Episcopum* Vlyssipponensem, *& istum ipsius Sedis Antistitem: Illum Cardinalem apud Auenionem, titulo S. Praxedis; istum quoque ipsissimis decoratum fauoribus, & titulis. Diptycha ergo inquiramus Vlyssipponensia, fortè nodum ex ipsis soluemus.* D. Rodericus de Acuña *ipsius vrbis Archiepiscopus* Hist. Vlyssippon. tom. 1. c. 89. p. 2. fol. 259. *post Episcopum huius Vrbis.* D. Laurentium Rodriguez, *qui è viuis discessit Ann.* 1364. *successisse* D. PETRVM Gomez Barroso, *quem fuisse è Toleto ortundum asserit, & euidenter probat identitatem Antistitis. Post illum fatetur ad Cathedram Vlyssipponensem deuenisse* D. FERDINANDVM Aluarez *ex vrbe Conca oriundum, quod & probat* Morgado. *Hinc corrigenda veniunt diptycha* D. Pauli de Espinosa, *& Catalogus* M. Ægidij, *qui nomina horum Præsulum euertentes, & ordinem commutantes, errorem non minimum contraxerunt. Ergo vt ista sanemus, sic ad opus.*

LXIV. D. PETRVS huius nominis II. cognomento Gomez Barroso, Archiepiscopus Hispalensis LXIV. fuit Episcopus Carthaginensis, Seguntinus, Conimbricensis, Vlyssipponensis, S. R. E. Cardinalis, Episcopus Sabiniensis, & demum Hispalensis Metropolita, & Auenionem profectus occubuit ibidem Ann. 1340. Ast D. Ferdinand. Vghellus *in Ital. Sacr. tom.* 1. *tit. de Sabinensib. Episc. cap.* 40. *fol.* 201. hunc PETRVM vltimum obijsse diem asserit XIV. Iulij An. M. CCC. XLVIII. Quòd si ita est, perperam Catalogorum Hispalensium Præsulum Scriptores hoc loco PETRVM istum reponunt, cùm eius erat consignanda memoria inter Ioannem LVIII. & Ferdinandum Tello, quo ecphrasis *Roderici de Acuña* sustineretur. Quod & Nos probamus, & hinc in posterum protestamur.

LXV. D. FRVCTVS, huius nominis I. cognomento *Pereyle*, Archiepiscopus Hispalensis LXV. de quo nulla adhuc extat memoria, nisi quod inter Ecclesiæ Anniuersaria, vnum pro eius anima reperitur. Peruenit ad Annum Domini M. CCC. XCV. 1395.

LXVI. D. GONSALVVS huius nominis I. cognomento de *Mena*, & *Vargas* Archiepiscopus Hispalensis LXVI. qui primò Calagurritanus, pòst Burgensis Præsul extitit. Extruxit celebre cœnobium Carthusianorum, quod LAS CVEBAS dicunt, iuxta amænissima

Bætis

Bætis litora. Obiit Anno Domini M. CCCC. I. in propria Eccle- 1401.
sia sepelitur, donec Anno M. CCCC. LXXIV. ad Cœnobij à se constructi sarcophagum honorificè transfertur, in cuius præcipuo Marmore Hispanico idiomate, hæc, Latinitate donata, verba leguntur.

VERA VIRTVS, QVÆ NOBILITATIS ANIMA est, me in Calagurritanæ Sedis primò, pòst in Burgensis euexit fastigium; demùmque Hispalensis Ecclesiæ infulas induens, vitam mundam transegi. Ast vt gregi tanquam bonus subuenirem Pastor, hoc Cœnobium à primo erexi lapide celebre, vt in eius angulo, multi salutem æternam, plurimi perennem è mea liberalitate perciperent eleemosynam. Vitam in epidemicæ ægritudinis contagio perdidi, vt morte Numen placatum mea, fierem omnium entium peripsema. Post longa denique curricula temporum, quibus in mea Metropolitana Ecclesiæ gremio iacui; pietate, & spiritualibus filiorum meorum lachrymis impetratus, in huius Ecclesiæ meæ sarcophagum translatus, piorum fratrum commendationibus, & suffragijs stipatus, stolam fiducialiter secundam specto.

LXVII. D. PETRVS huius nominis III. cognomento de LVNA, Archiepiscopus Hispalensis LXVII. qui cùm ad Dertosanam Ecclesiam primò designatus à Rege existeret Aragoniæ Præsul, fuit à Capitulo eiusdem repudiatus, quia non ex Canonicorum Regularium S. Augustini gremio, vt moris erat, electus. Hinc Rex à Pontifice Maximo eiusdem Sedis PETRO administrationem obtinuit. Pòst Henrricus III. illum ad Metropolitanam Hispalensem euexit, sed Capitulo, ob alienigenatus Electi naturam, reclamante, Cathedram Henrrico viuente non ascendit, quovsque Ioanne II. regnante, rebus compositis, infulas induit. Hinc Toletum translatus ibidem moritur Anno Dom. M. CCCC. XIV. & Hispalenses deseruit Ann. Dom. M. CCCC. III. 1403.

LXVIII. D. ALPHONSVS, huius nominis II. cognomento *de Exea*, Archiepiscopus Hispalensis LXVIII. qui ab Anti-Papa Benedicto XIII. cuius fuit à cubiculis, Sedem Zamorensem, & Constantinopolitani Patriarchatus titulum accepit, demum Hispalensem Cathedram, moritur die IX. Iunij M. CCCC. XVII. 1417.

LXIX. D. IACOBVS, siue DIDACVS huius nominis II. cognomento de *Anaya*, & *Maldonado*, Archiepiscopus Hispalensis LXIX. ob insignium literarum merita, post magisterium Henrrici III. Castellæ, & Ferdinandi Aragoniæ Regum, Auriensem, Tudensem, & Salmanticensem adeptus est Sedes, pòst Conchensem, & demum Hispalensem, à qua Aluari Lunensis potentiâ deiectus, multum temporis priuatus impleuit, donec Martini V. Pont. Maximi suffragio, ad sedem restitutus diem clausit extremum, Anno Dom. M. CCCC. XXXVII. Erexit celebre Salmanticense S. Bartholomæo Collegium dicatum, è quo tanquam ex Equo Troiano insignes Viri prodiere; inter quos numerantur B. Ioannes Saguntinus, V. Cardinales, X. Archiepiscopi, XLIX. Episcopi, XXII. Præsides, & alij innumeri quorum longum erit recensere Catalogum. 1437.

LXX. D. IOANNES huius nominis VII. cognomento *de Zerezuela*, Archiepiscopus Hispalensis LXX. Hic nulla meritorum copiâ, sed Aluari Lunensis, cuius erat frater, potentiâ suffultus ad Oxomensem Ecclesiam Antistes accessit, pòst ad Hispalensem, excluso Didaco antecessore, machinamentis Aluari fratris, in cuius sede quieuit donec ad Toletanam translatus, ibidem moritur

die VI. Februarij, Ann. Dom. M. CCCC. XLII. Iste IOANNES Ecclesiam Hispalensem rexit ad Annum vsque M. CCCC. XXXV. 1442.

LXXI. D. GVTERIVS, huius nominis I. cognomento *de Toledo*, Archiepiscopus Hispalensis LXXI. Fuerat Episcopus Palentinus, & cùm istam regeret Ecclesiam, Regis decreto, captus, & apud Tiedram Ca[...]um custoditus, donec Pontificis Maximi commissione processatus, liber euasit, & ad Archiepiscopatum Toletanum translatus est Anno Dom. M. CCCC. XL. Talabricæ moritur Anno Dom. M. CCCC. XLVI. 1446.

LXXII. D. GARSIAS huius nominis I. cognomento *Enrriquez Osforio*, Archiepiscopus Hispalensis LXXII. qui ex Ouetensi Sede vbi fuerat Episcopus ad istam Metropolitanam deuenit, è vita discessit Anno Dom. M. CCCC. XLVIII. 1448.

LXXIII. D. IOANNES huius nominis VIII. cognomento *Ceruantes*, Archiepiscopus Hispalensis LXXIII. qui cùm Abulensem Episcopatum obtinuisset, Purpurato Galero à Martino V. Pont. Max. donatus, Cathedram cum Lopio Barrientos Segobiensi permutauit; pôst Anno 1446. à Nicolao V. Pont. Max. Ostiensis Episcopus factus, legatione cum Nicolao Albergato, Cardinali S. Crucis, est ad Concilium Basiliense functus. Decessit Hispali, & in eius Ecclesia tumulatus Cathedrali, hocce laudatorio epitaphio cognoscitur.

Postquam eximio Nitore Virtutum Reuerendissimo D. IOANNES *de Ceruantes cum Titulo S. Petri ad vincula Galerum optimè meruit, dignissimósque per Orbem edidit fructus. Quoniam totius Ecclesiasticæ honestatis Ostium fuit indicatus, Ostiensem Sedem obtinuit. Tandem grauescente iam ætate Hispalensem Metropolim sapienter administrans; Ecclesiam (vt Prælatum decet) reliquit hæredem. Tùm inter probatissimas operationes Hospitale famosum, dotatissimúmque in Ciuitate Hispalensi priùs ædificauit. Obijt XXV. Nouembris, Anno Domini M. CCCC. LIII.* 1453.

LXXIV. D. ALPHONSVS huius nominis III. cognomento *de Fonseca*, Archiepiscopus Hispalensis LXXIV. Qui cùm Abulensem Cathedram rexisset Antistes, ad Bæticæ Metropoliticam ascendit, vbi Nepoti Compostellano Archiepiscopo cùm Hispalensem gubernandam, donec Gallecorum sedaret tumultus, subleuationem ambientium, tradidisset, his pacatis, Nepos nequaquam restituere Hispalensem Sedem volebat, donec Pontificis iussu, & Regis minis aliena restituit, & ad propria concessit. Obiit Hispalensis Anno Domini M. CCCC. LXXII.

Aliqui contendunt successisse in Sede Hispalensi F. D. PETRVS *cognomento* Riarius, *qui fuit Sixti IV. Pont. Max. Nepos, & Archiepiscopus Florentinus; Alij prorsus negant eius electionem, quibus adhæreo, & propter causas ab Spinosa relatas, & quia in elogio Sepulchrali nulla de Hispalensis Episcopatus obtentione mentio est, ideo ab hocce Catalogo amando.* 1472.

LXXV. D. PETRVS huius nominis IV. cognomento *Gonçalez de Mendoza*, Archiepiscopus Hispalensis LXXV. Celebris Vir in Annalibus Hispaniæ. Fuit Episcopus Calagurritanus, & Seguntinus, in cuius munere sacrum à Sixto IV. Pont. Max. purpuratum accepit Galerum cum titulo S. Mariæ in Dominica, pôst S. Crucis, cuius Ecclesiam cùm reficere suis præcepisset expensis, TITVLVM supra Dominicam CRVCEM à Pontio Pilato positum adinuênit. Nam

cum

cum artifices ad arcum Ecclesiæ medium accederent, intra arcus caueam capsam plumbeam inuenêre supra quam lapidem quadrum, vbi epigraphe: HIC EST TITVLVS VERÆ CRVCIS. Intra capsam erat Tabella vnius palmi longitudine, & vno cum dimidio in latitudine, in cuius planitie literis Latinis, Græcis, & Hebraicis, colore rubris, erat scriptum.

IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM.

De quo plura vide apud P. Alphons. Ciacconium Nostrum de Cruce c.40. qui celebre de PETRO elogium scripsit, & etiam Palentinum facit. Postmodum Ann. Dom. M. CCCC. LXXXII. ad Toletanam Sedem deuenit, quâ post illustria facinora diem clausit extremum die XI. Ianuarij Ann. Dom. M. CCCC. XCVIII. 1482.

LXXVI. D. ENECO huius nominis I. cognomento *Manrrique*, Archiepiscopus Hispalensis LXXVI. Fuit Episcopus Ouetensis, & Giennensis. Eius elogium consarcinauit Marin. Sicul. *in Catal. Viror. Illustr.* de quo isthæc verba proloquitur: *Primas tulit inter sui æui Præsules, tàm in consilio, literis, & prudentia, quàm in grauitate morum, & vitæ admirabilis puritate, nam fuit honestus in opere, iustus & rectus in operatione, & optimus in exercitatione, ideóque à suis Regibus in summo honore, & admiratione habitus.* Obiit, relictis S. E. Giennensi illustrissimis Reliquiis, quarum Catalogum suo loco dabimus, Hispali Anno Domini M. CCCC. LXXXV. 1485.

LXXVII. D. DIDACVS huius nominis III. cognomento *Hurtado de Mendoza*, Archiepiscopus Hispalensis LXXVII. Fuit primò Episcopus Palentinus, cuius tempore Sixtus IV. Pontifex Max. *Rodericum de Borja* S. R. E. Cardinalem Hispanias exlegauit, vt iurgia inter Henricum IV. Regem Castellæ, fratres, & regni Optimates componeret, & vt ab Statu Ecclesiastico, Pontifici charitatiuum eliceret subsidium; quod Cardinalis expleuit hac conditione inter alias, vt singulis Castellæ vtriusque, & Legionis Cathedralibus Ecclesiis duo Canonicatus concederentur, quos ipsæ Ecclesiæ aliam Theologis, quam Magistralem; alteram Iurisperitis, quam Doctoralem vocitant, prouideant. Obiit Madridij XII. Septembr. Anno Domini M. D. II. Sepultus est 1502. Hispali in Metropolitana Basilica, in Sacello, B. V. MARIÆ titulo *De la Antigua* sacrato, hoc Epitaphio.

REVERENDISS. *& Illustriß.* DIDACO HVRTADO DE MENDOZA, *quem clarissimum genus, insignis literarum scientia, inuiolata in suos Reges, fides, sanctissima æquitas in omnes, regalis magnificentia in amicos, & pauperes; ac ingens animi magnitudo & temperantia celeberrimum reddiderunt; Necnon Religio, & Pietas in Deum Opt. Max.* Hispalensem *Archiepiscopum, Alexandrinum Patriarcham, & Hispaniarum Cardinalem extulerunt.* INICVS LOPEZ DE MENDOZA *Tendillæ Comes germanus natu maior, Generalis Granatensis Regni Capitaneus, ac Illiberritanorum Arcium primus Præfectus, hunc Fratri marmoreum tumulum, satis maiora merenti posuit. Vixit Annos* LVIII. *Obijt* XII. *Septemb.* M. D. II.

LXXVIII. D. IOANNES huius nominis IX. cognomento *de Zuniga*, Archiepiscopus Hispalensis LXXVIII. qui adhuc infans è viuis discessit, sed precibus S. Vincentij Ferrerij ad vitam reuocatus est, ob cuius miraculi obsequium mater Eleonora Placentiæ in Estremadura, celebre Dominicanis fratribus Monasterium erexit. Fuit postmodùm Ordinis Alcantarensis vltimus

mus Magiſter, & in Oppido de ZALAMEA *de la Serena* in quo natus ſum, Prioralem à fundamentis Baſilicam, iuxta Trajani celebre trophæum, extruxit. Illic Antonium Nebriſenſem, cuius domus adhuc viſitur, magiſtrum habuit, qui ibidem *Vocabularium* ſcripſit, & diſcipulo dedicauit. Tandem IOANNES in Collegium Purpuratorum accitus diem clauſit extremum Guadalupi, vbi quieuit Anno M. D. IV. donec eius nepos D. F. Ioannes de Toledo Cardinalis, & Epiſcopus Cordubenſis Guadalupo, Placentiam ad Cœnobium Prædicatorum S. Vincentio Ferrerio dicatum, quod mater erexerat, corpus tranſtulit. 1504.

LXXIX. D. F. DIDACVS huius nominis IV. cognomento *de Deza*, Archiepiſcopus Hiſpalenſis LXXIX. ex Ordine Prædicatorum inſignis alumnus, Sedes Zamorenſem, Salmantinam, Palentinam, & Giennenſem primitus rexit. Fuit Generalis Inquiſitor, Regius Sacellanus Maior, & Caſtellæ Maximus Cancellarius. Demùm Archiepiſcopus Toletanus electus obiit apud Beluiſium Anno Domini M. D. XXIII. Cuius Corpus Hiſpalim delatum, in Collegio S. Thomæ ſui Ordinis, à ſe extructo, lapideo incluſum ſarcophago, hacce epigraphe requieſcit.

HVIVS *Almi Collegij Fundator iacet hic*, R. D. DIDACVS DEZA, *Ordinis Prædicatorum Magiſter; iſtius inſignis Ciuitatis* Hiſpalenſis *Archiepiſcopus, Qui ſuis meritis, famâ, & ſcientiâ, ad Eccleſiam* Toletanam, *Paſtore carente vocatus, Obijt Anno* M. D. XXIII. DIE IX. IVNII, *Vixit Annos* LXXX. 1523.

LXXX. D. ALFONSVS huius nominis IV. cognomento *Manrrique*, Archiepiſcopus Hiſpalenſis LXXX. Primò infulas S. E. Pacenſis induit, pòſt Cordubenſis. Succeſſit in Generalis Inquiſitoris munere Adriano V. Pont. Max. è quo ad Sedem Metropoliticam dimiſſus, & Cardinalitio Galero munitus, obiit Hiſpali die XXVIII. Septemb. Anno Dom. M. D. XXXVIII. 1538.

LXXXI. D. F. GARSIAS huius nominis II. cognomento *Loayſa*, Archiepiſcopus Hiſpalenſis LXXXI. ex Ordine Prædicatorum, Caroli V. Imperatoris Inuictiſſimi Confeſſarius, Epiſcopus Vxamenſis, & Seguntinus, S. R. E. Cardinalis, obiit Madridij Anno Domini M. D. XLVI. Eius corpus Eluoram patriam tranſlatum, in Monaſterio S. Geneſio dicato & à ſe extructo, hac epigraphe requieſcit.

ILLVSTRISSIMVS *hic iacet* GARSIAS A LOAYSA Hiſpalenſis *Archiepiſcopus, Supremi Inquiſitionis Senatus, Necnon Regij Indiarum, Cæſaris, Conſilij Præſidens, & Cardinalis Hiſpaniæ. Obijt Anno Dom.* M. D. XLVI. 1546.

LXXXII. D. FERDINANDVS huius nominis III. cognomento *Valdes*, Archiepiſcopus Hiſpalenſis LXXXII. Plures Sedes obtinuit, ſcilicet Helenenſem in Cathalonia, Aurienſem in Gallæcia, Ouetenſem in Aſturica, Legionenſem, & Seguntinam. Munera inſigniora obiuit ſcilicet Valliſoletanæ Cancellariæ Præfecturam; ſummam Caſtellæ Præſidentiam, & Supremi S. Inquiſitionis Senatus Cenſuram. Ouetenſem erexit Vniuerſitatem. Obiit die IX. Decembr. Anno M. D. LXVIII. 1568.

LXXXIII. D. GASPAR huius nominis I. cognomento *Zuniga*, & *Auellaneda*, Archiepiſcopus Hiſpalenſis LXXXIII. Segobienſis Eccleſiæ Epiſcopus, & Compoſtellanus fuit Metropolita, cuius

ius munere Salmanticæ Synodum contraxit. Galerum purpuratorum à Pio V. Pont. Max. suscepit, tandem Giennii moritur die II. Ianuar. Ann. M. D. LXXI. 1571.

LXXXIV. D. Christophorvs huius nominis I. cognomento *Roxas*, Archiepiscopus Hispalensis LXXXIV. Rexit Ecclesias Ouetensem, Pacensem, & Cordubensem, ex qua ad Synodum Prouincialem Toletanam Anno 1565. perrexit, ob cuius antiquitatem primum locum obtinuit. Pòst apud Hispalim aliam diœcesanam indixit. Scripsit duo Volumina, aliud quod *Documenta Parochorum*, aliud, quod *Cathechismus* attitulauit. Demum die XXII. Septembr. Anno Domini M. D. LXXX. obiit. 1580.

LXXXV. D. Rodericvs huius nominis I. cognomento *Castro*, Archiepiscopus Hispalensis LXXXV. postquam Zamorensem, & Conchensem gubernasset Ecclesias. A Gregorio XIII. Pont. Max. purpuratum accepit galerum, Synodum diœcesanam Anno 1586. Hispali congregauit, & ibidem obiit die XVIII. Septembris, Anno Domini M. DC. 1600.

LXXXVI. D. Ferdinandvs huius nominis IV. cognomento *Niño de Gueuara*, Archiepiscopus Hispalensis LXXXVI. è Præside Granatensi, donatus purpurâ, Romam abiit, rediit inde factus Hispaniarum Inquisitor Generalis, obiit VI. Idus Ianuarij Anno M. DC. IX. 1609.

LXXXVII. D. Petrvs huius nominis V. cognomento *Vaca de Castro, Quiñones*, Archiepiscopus Hispalensis LXXXVII. Qui antea fuerat Archiepiscopus Granatensis, ibidem suo æuo, celebris Reliquiarum thesaurus in Monte Ilipulitano inuentus est, de quo plura extant monimenta. Obiit Hispali die XX. Decembris Anno Domini M. DC. XXIII. Eius ossa ad Montem Ilipulitanum, vbi Collegiatam extruxerat Ecclesiam, delata, hoc Epitaphio quiescunt. 1623.

Patriæ *Patri Charissimo, Parenti Optimo, Fundatori Magnifico, Largitori Munifico, Præsidi Integerrimo, Præsuli Vigilantissimo, Pastorum Coronæ, Totius Hispaniæ ornamento, Ter animo, curâ, fortitudine Maximo, Ecclesiasticæ libertatis acerrimo defensori, Immaculatæ Immunitatis Virginis pijssimo Propugnatori, Bis laureato Virginitate, & Sapientias sacrarum Reliquiarum DD. MM. Cæcilij, & Sociorum faustissimo suscitatori; sui sæculi gloriæ, Posteritati exemplo; Abbas & Capitulum huius sacri Montis Ilipulitani in obsequij debiti signum, & perennis memoriæ insigne, gratanter posuit, exultanter erexit, humiliter consecrauit, Anno M. DC. XXVI.*

LXXXVIII. D. Lvdovicvs huius nominis I. cognomento *Fernandez de Cordoua*, Archiepiscopus Hispalensis LXXXVIII. Qui primitùs Salmanticensis, pòst Malacitanus fuerat Episcopus, insignis in subuentione pauperum, & in fidei defensione insignior obiit Hispali die XXVI. Iunij Ann. M. DC. XXV. 1625.

LXXXIX. D. Didacvs huius nominis V. Cognomento *Guzman*, Archiepiscopus Hispalensis LXXXIX. fuit Capellanus, & Eleemosynarius Maior Regum, Indiarum Patriarcha, Cruciatæ Generalis Commissarius, S. R. E. Cardinalis, obiit Anconæ in Italia Anno M. DC. XXXI. 1631.

XC.

XC. D. GASPAR huius nominis II. cognomento *Borja*, & *Velaſco*, Archiepiſcopus Hiſpalenſis XC. qui primò fuerat S. R. E. Cardinalis, & poſtmodùm Archiepiſcopus Toletanus, Obijt Madridij Anno M. D C. XLV. 1645.

XCI. D. AVGVSTINVS huius nominis I. cognomento *Spinola*, Archiepiſcopus Hiſpalenſis XCI. Fuit S. R. E. Cardinalis, Epiſcopus Dertoſanus, & Archiepiſcopus Granatenſis, & Compoſtellanus obijt Anno M. D C. XLIX. 1649.

XCII. D. F. DOMINICVS huius nominis I. cognomento *Pimentel*, Archiepiſcopus Hiſpalenſis XCII. priùs oxomenſis, pòſt Cordubenſis, nunc electus in S. R. E. Purpuratorum Collegium adhuc viuit. 1651.

XCIII. D. F. PETRVS huius nominis V. Cognomente *Tapia*, Archiepiſcopus Hiſpalenſis XCIII. fuit Segobienſis, Seguntinenſis, & Cordubenſis, viuit. 1651.

QVARTO IDVS MARTII.

DIES XII.

A. *Celebris omni tempore memoria apud Hiſpanos fuit, & eſt,* S. Gregorij Magni *Pont. Maximi: cuius in Noſtros affectum, & in* SS. Leandrum, Iſidorum, *&* Fulgentium *fratres triuiale commercium, indicant Moralium codicis dicatio, V. Mariæ imaginis remiſſio, & contubernalis Sodalitatis affectio. Exquo penè in omnibus Hiſpaniæ Eccleſiis, in protectionis obſequium, in amoris ſubſidium, & in fauoris debitum, etiam olim & ſolemniter cultum peregerit, & efficaciter officium, eius nomini, deuotio recitauerit.*

B. *Romæ Canonizatio* SS. Iſidori *Agricolæ*, Ignatij *de Loiola*, Franciſci *Xauerij*, *&* Thereſiæ *de* IESV. *Hiſpanorum à S. D. Gregorio XV. Pont. Max. Solemniter inaugurata.*

NOTÆ.

A. *Martyrologia.* SANCTVS Gregorius. Ipſius Magni Patris anamneſim in hunc locum adiicere decreui, quia eius memoria celebris apud Noſtros habetur. Omittam quanta de eo ſcripſêre exteri Chronographi; de noſtris quidquid inuenit affectio, lancem trigonali pila condiam. Et excluſis hodie Martyrologiis, tantum Hiſpanica peruetuſta referam Kalendaria. M S. meum ſæpius allegatum, h. d. ſic: *IV. Idus Martij S. Gregorij Papæ, & Confeſſoris.* In quo in compendium vita nouem Lectionibus *Breuiaria Hiſpaniæ.* anguſtata reperitur. Compoſtellanum, ſic: *XII. Martij* (literis rubris) *Gregorij Papæ*

Papa Confessoris, & Doctoris. VI. Capp. Duplex maius IX. Lection. in quo per trium curricula Acta compendiantur. Toletanum sic: *Sancti Gregorij Confessoris, Pontificis, & Doctoris VI. Capp.* Eadem Abulense, licet *festo solemni*: Asturicense, *duplice minori.* Placentinum, *duplice maiori*, Hispalense, Ouetense, Palentinum, & alia, quorum nomina, longum esset recensere. S. Isidor. & S. Ildephons. *de Scriptor. Eccles.* ille *c.* 27. & iste *c.* 1. hoc concinnant virtutum, & operum elogium. *Scriptores Hispani.*

ACTA S. GREGORII MAGNI PONTIFICIS MAXIMI ex SS. Isidoro, & Ildephonso.

Gregorius *Papa Romanæ Sedis Apostolicæ Præsul, compunctione timoris Dei plenus, & humilitate summus, tantóque per gratiam Spiritus sancti scientiæ lumine praditus, vt non modo illi præsentium temporum quisquam, sed neque in præteritis quidem par fuerit vnquam. Ita enim cunctorum meritorum claruit perfectione sublimis, vt exclusis omnibus illustrium virorum comparationibus, nihil illi simile demonstraret antiquitas. Vicit enim sanctitate Antonium, eloquentia Cyprianum, sapientia Augustinum.* *Elogia.* *Hic namque in exordio episcopatus sui edidit librum* Regulæ Pastoralis *directum ad Ioannem Rauennatis Sedis Episcopum, in quo docet, qualis, quisque ad officium regiminis veniat, vel qualiter, dum venerit, viuere, vel docere subiectos studeat.* *Scripta.* *Idem etiam efflagitante* Leandro *Episcopo* (Hispalensi) *librum B. Iob, mystico, ac morali sensu disseruit, totámque prophetiæ eius historiam, in XXXV. voluminibus, largo eloquentiæ fonte, explicuit.* *Amicitia coniunctus Leandro Hispalensi.* *In quibus quidem quanta mysteria sacramentorum aperiantur, quanta in amorem vitæ æternæ morum præcepta tradantur, vel quanta clareant ornamenta verborum nemo sapiens explicare valebit, etiam si omnes artus eius vertantur in linguas. Scripsit enim, & quasdam epistolas ad prædictum* Leandrum, *è quibus vnam in eisdem libris Iob, titulo præfationis adnectit. Altera loquitur de mersione baptismatis, in qua inter cætera scriptum est: Reprehensibile* (*inquit*) *esse nullatenus potest, infantem in baptismate mergere, vel semel, vel ter, quando in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in vna potest diuinitatis Singularitas designari. Scripsit præterea idem excellentissimus Doctor, & alios libros morales, videlicet super Ezechielem Prophetam homilias homilias XXII. in libris duobus compactas, in quibus multa de diuinis scripturis, mystico, ac morali sensu luculenter, necnon, & facundo sermone disseruit. Super librum Salomonis, cui titulus est, Canticum Canticorum, quàm mirè scribens morali sensu opus omne exponendo percurrit. De vitis Patrum libros quatuor, quos volumine vno compegit, quem quidem* Codicem Dialogorum *maluit appellari. In quibus libris quanta diuinitatis lateant sacramenta, & in amore cælestis patriæ mira documenta, studiosus facilè poterit cognoscere lector. Extant & ipsius ad diuersos epistolæ plurimæ, limato quidem, & claro stylo digestæ, quas qui perlegerit, liquidò aduertet, & in eo ad Deum rectam fuisse intentionem, & ad animarum zelum omni vigilantia, & cura extitisse solertem. Has itaque in vno volumine arctans, in libris XII. distinxit, & Registrum nominandum esse decreuit. Fertur, & alia opuscula edidisse egregia sed ad manus nostras nondum peruenerunt.* *Quo tempore floruit.* *Felicissimus tamen, & nimiùm felix, cui dedit Deus studiorum eius omnia perpendere dicta. Floruit namque vir iste sublimis ac beatissimus Doctor, & Præsul, Mauritio Augusto regnante, Obiítque in ipso exordio Phocæ Romani Principis.*

Vt ergo agnoscatur quanta fuerit *Gregorij* ad Hispanos affectio breuiter de ipsius ad Nostros memoria, aliquot in præsenti adducemus testimonia, ex eius operibus, & nostris authoribus extracta. I. *De Amicitia inter ipsum, & Leandrum Hispalensem* *De Amicitia Leandri.*

lenſem Conſtantinopoli contracta, plura diximus in vita *Leandri* die XXVII. *Februarij*, & hîc pro omnibus ſufficiant ipſius *B. Gregorij* verba *in Epiſtol. Præfation. ad libr. Moral.* ſic: *Dudum te, Beatiſſime Pater, in Conſtantinopolitana vrbe cognoſcens, cùm me illic Sedis Apoſtolicæ reſponſa conſtringerent, & te illuc iniuncta pro cauſis Fidei Regis VViſigothorum legatio perduxiſſet, omne in tuis auribus, quod mihi de me diſplicebat, expoſui.*

Legati munus mittit Leandro.

II. Quòd *Legationis per Hiſpanias munus remiſerit Leandro* Gregorius, & diximus ſuprà; & referunt Iſidor. & Luc. Tudenſ. cum Roder. Car. *ad Max. fol.* 210. II. *Agonem S. Hermenegildi ſcripſit*, vt ex ipſo conſtat, *lib. 3. Dialog. c.* 31. de qua vtitur Eccleſia Hiſpaniæ in Lectionibus officij. III. Glorioſiſſimus, & Catholicus Rex Reccaredus S. Petro, & B. Gregorio Oratores, & dona remiſit, in obſequium Sedis, & in recognitionem amoris, quo ipſum, & fratrem Martyrem proſequebatur.

Iſidorus illum Romæ nouit.

Sic S. Maxim. *in Chron. Ann.* 597. Rex glorioſus (*inquit*) Reccaredus *mittit Romam Nuntios, & munera S. Petro, & Gregorio.* De quo extat epiſtola 126. lib. 7. indict. 2. S. Gregorij, & alia mnnera, & reliquias Regi remittit.

Reccaredo munera, & Reliquias mittit.

IV. Recepit Romæ benigniſſimè *Iſidorum* Hiſpalenſem, cum quo nouos amicitiæ nexus pepigit, vt auctor eſt Luitprand. *in Chron. n.* 7. ſic: *Ad Gregorium Pontificem Maximum* Iſidorus *Romam petit, & honorifice ſuſceptus à Romano Præſule, reuerſus domum in pretio eſt.* Luc. Tudenſ. *in vit. & mirac. S. Iſidori:* Ambroſ. de Moral. *lib.* 12. *c.* 21. Padill. *cent.* 7. *c.* 21. P. Marian. *lib.* 6. *c.* 7. ſic: *Romam, Gregorio Magno Pontifice, profectum* (Iſidorum) *nonnulli affirmant, amicitiæ videlicet, quæ cum fratre olim inita erat, confirmandæ ſtudio.*

Plurimis Hiſpanis epiſtolas ſcripſit.

V. Non ſolùm cum *Leandro* Epiſtolis conſortium habuit, ſed etiam cum aliis Hiſpaniarum Prælatis, & Abbatibus, & Monachis. Nam ſcripſit ad *Oroſium* Monachum Benedictinum Tarraconenſem, vt ex *ep.* 50. *lib.* 1. & S. Maxim. *in Chron. Ann.* 602. ſic: *Oroſius Monachus Benedictinus ex ſorore S. Oroſij Presbyteri Tarraconenſis filius floret in Celtiberia, ad quem* S. Gregorius *Papa literas dat.* Item ad *S. Adeodatam* Virginem Deo dicatam. *lib.* 7. *ep.* 57. & *lib.* 8. *ep.* 72. de quo Luitprand. *in Chron. n.* 11. ſic: *Adeodata Virgo ſancta Toleti Monialis Benedictina floret, ad quam olim* S. Greg, *ſcripſit.* Item *Domnieo* Epiſcopo Carthaginenſi, cui ſucceſſit S. Fulgent. Leandri frater, *lib.* 2. *ep.* 39. Ipſi *Leandro* de Baptiſmate *lib.* 1. *ep.* 41. & *ep.* 125. *lib.* 7. *ind.* 2. de laude charitatis, de honore ſuæ Prælaturæ, & de Pallio tranſmiſſo. VI. Aliis ſcribens Hiſpanos viros commendauit; vt *Theodolindæ*, pro *Philippo* Epiſcopo Lamecenſi, qui ſubſcripſit

Alios in epiſtolis commẽdat.

III. Concilio Toletano, vt ex literis patet, *lib.* 12. *ep.* 7. S. Maxim. *in Chron. Ann.* 602. §. *fin.* ſic: *Floret* Philippus *Epiſcopus Lamecenſis conſanguineus Secundini domo Cæſarauguſtani in Italia incluſi. Huius* Philippi *celebris extat memoria literis S. Gregorij.* Item ad *Venantium* Toletanum pro *Adeodata* Sanctimoniale *lib.* 7. *cap.* 28. Item ſcripſit *Claudio* Emeritenſi vt ex *ep.* 124. *lib.* 7. *indict.* 2. patet.

Imaginem à B. Luca depictam Leandro miſit.

VII. Adeſt illa munificentia illuſtris, in qua amoris feruentis ſpecimen *Leandro* ſignificauit, cùm Imaginem ipſam *S. Virginis Mariæ* (cuius penes ſe in Oratorio effigies S. Lucæ manibus depicta ſeruabatur; & quam tempore quo illa Populi Romani, & totius Italiæ vrbium depaſcebatur epidemia peſtifera ciues, ipſe Sanctiſſimus Pontifex proceſſionaliter per vrbis ambitus deportauit, vt medicamina omnium præberet doloribus, & infirmitatibus animæ, & corporis) remiſit Sanctiſſimo Hiſpalenſi Epiſcopo, vnà cum Moralibus S. Iob. De cuius doni veritate præter authores Hiſpanos, quorum catalogum refert P. Gabriel. de Talauera *in Hiſt. Guadalup. lib.* 1. *c.* 1. & in *obſeruat. tract.* 1. §. 11. & 12. exteros in publicum exponere volui, ne huic tantæ rei excellentiæ de noſtris propriis penſum ſcriptoribus teramus. Thom. Bozius de *ſign. Eccleſ. tom.* 1. *lib.* 9. *c.* 9. *fol.* 366. primas obtineat, hiſce verbis: *Incipiamus ab extrema Hiſpania. Extat aliud etiam templum Virginis* Guadalupæ, *in qua eſt imago Deiparæ, miſſa* à Gregorio *Papa ad* Leandrum *Hiſpalenſem, illud etiam miraculis celeberrimum.*

Hæc apud Guadalupum miraculis claret.

P. Anton. Belinghen *in Kalendar. Marian. die XXVII. Februar.* ſic: *Natale S. Leandri Hiſpalenſis Epiſcopi. Ad hunc dono miſit* S. Gregorius *Deiparæ* Imaginem *à D.* Luca *depictam, quæ* Guadalupi *in Hiſpania, in toto orbe nominatiſſimo templo colitur, eſtque variis miraculis, quæ ſacra ædis ambitu continentur, celeberrima.*

De hoc Scriptores exteros offerimus.

Et ipſe hoc die loquens de S. Gregorio, *fol.* 128. ſic: *Idem* Gregorius *Imaginem* Deiparæ *à D.* Luca *depictam*

miſit

misit ad Leandrum, *Hispalensem Episcopum.* Item *die XXVI. Martij. fol.*166. sic; *Fama est* D. Leandrum *Hispalensem Archiepiscopum à* S. Gregorio *munus; vnà cum Commentariis in Iob, accepisse, & apud Clerum, & Populum solemni pompa susceptum summo deinde honore fuisse.* P. Hyppol. Marraciùs in *Pontificib. Marian.c.*17. *fol.*42. licet mordicus, sic: *Fama sine vllo certo authore vulgo inter Hispanos iactatur, Regis Legatos illam* Virginis Matris *sculptilem, ex ligno* Imaginem, *ad* Leandrum *Hispalensem Episcopum attulisse* D. Gregorij *donum, eique suum in Iob Commentarium nuncupasse. Illamque esse, quæ longo pòst tempore, in specu quodam reperta, præcipua totius Hispaniæ religione colitur, ad* Guadalupæum *oppidum templo dicato.* Locrius in *Mar. Aug. lib.*4. *c.*23. sic: *Quam ad locum hodiè Guadalupe vocabulo insignitum in Hispania* Imaginem, *vniuersa colit terrarum congregatio fidelium, tantis prodigiis conspicuam, tantísque mirabilibus redundantem*, Deiparæ Augustæ; *ad* Leandrum *misisse cum Commentariis in Iob, Sanctum* Gregorium *Magnum, constans fama est.* Sed quia de hoc suo loco acturi sumus; alia quæ ad inuentionis, & miraculorum huius Sanctissimæ Imaginis monumenta spectant, fusiùs attingemus. Nam de hoc dicta sufficiant.

B. Canonizatio SS. Isidori, Ignatij, Francisci Xauerij, & Theresiæ. Aliqui ex nouis, qui de Sanctis scripsere authoribus, hoc die appingunt huiusmodi festiuitatem, nam eo in Sanctorum numerum à Gregorio XV. Pontif. Maxim. Ann. M.DC.XXI. relati sunt, vt constat ex diplomate Apostolico, in Actis S. Theresiæ exarato per P. Dominic. à Iesu. licet P. Anton. Belinghen in Kalend. Mariano, h. die ad annum sequentem extendat, sic: n. 3. *Anno Dom.* M.DC. XXII. *Gregorius XV. in SS. numerum refert Sanctos Isidorum, Ignatium authorem Soc. Iesu, Franciscum Xauerium, eiusdem Soc. religiosum, Philippum Nerium congregationis Oratory parentem, & Matrem Theresiam de Iesu reformatricem Ordinis S. Mariæ de Monte carmelo.* Sed quia de vnoquoque suis fastis diebus agemus, ideo ad ipsorum Natales Lectorem remittere visum fuit: Contenti hoc die simili Canonizationis recordatione,

TERTIO IDVS MARTII.

DIES XIII.

A. S. Rodericus *Presbyter* Egabriensis, *cum à fratre illusus, Patriam relinqueret,* Cordubam *peteret, ab ipso impio fratre ibidem accusatus, ense impetitus Martyr coronatur.*

B. *Eodem die etiam Cordubæ* S. Salomon *Tuccitanus genere, postquam carceris, cruciatus, & famis ludibria pertulisset, tandem pro Christo laurum Martyris impetrauit.*

C. Cæsaraugustæ *in Hispania Citeriori festiuitas celebris est Inuentionis sacrarum exuuiarum* SS. Encratidis, *& Sociorum Martyrum, vna cum Candidis Massis Innumerabilium, ipsius Augustæ vrbis Tutelarium: quarum Ciuitas tumulos honorifico eleuatos loco, & veneratione colit, & cultu veneratur.*

D. *Apud* Ouetum *in Montanis Hispaniæ anniuersaria repetitur Commemoratione celebritas* Illustrium Reliquiarum, *quas in tremendo* Cameræ Sanctæ *circulo reconditas occuluit affectio, cùm Sarracenorum procella in Hispanias grassaretur.*

NOTÆ.

A. SANCTI Rodericus, & Salomon.] Athletarum huiusmodi triumphos eleganti (vt ocularis testis) descripsit *S. Eulogius*, calamo; æquo & cæteri scriptores. De *Salomone* Petr. Equil. *in Catalog. SS. lib.11. c. fin. n.54.* sic: *Salomon Martyr eodem die passus est in Ciuitate Corduba*, Hîc in verbo: *eodem die*, intelligitur de *IV. Idus Februarij.* Quo etiam die Maurolyc. sic: *Cordubæ Salomonis Martyris.* eadem Vsuard. Philipp. Ferrar. in *Catal. General. SS.* Alexand. de Peregrin. & alij. At Petr. Gales. & Cæs. Baron. *ad hunc diem* vtrumque referunt Martyrem, ille, fol. 39. sic: *Cordubæ Beatorum Martyrum* Roderici *Presbyteri, &* Salomonis. *Ij ambo pro fide, inuicto animo contrucidati sunt, quo tempore Sarracenorum bellum ad Dei Ecclesiam in Hispania expugnandam, maximè exarsit.* Iste, sic: *Cordubæ Sanctorum Martyrum* Roderici, & Salomonis *Martyrum.* Eadem Martyrol. Lusitan. & Castell. P. Dionys. Vazq. & P. Hieron. Rom. de la Higuer. Item hoc die Breuiar. Cordub. cui standum est, Thesaur. Concionat. *Tom.2.* P. Mariet. *de SS. Hisp. lib.2. c.93. & 95.* Luitprand. *in Chron. n.295.* P. Roa *de SS. Cordubens. fol.41.* Baron. *tom.10. Annal. Eccles. Ann.857. n.2.* Moral. *lib.14. c.26. fol.123.* Ioann. Vass. *in Chron. Ann.306.* P. Roa de *authorit. & antiquit. Martyr. Cordubens. c.3. fol.38.* Marian. *Hist. Hisp. lib.7. c.15.* P. Quintanadueñ. *Hist. SS. Hispal. fol.301.* S. Eulog. in *Apologes.* Ex quo vtriusque Acta exscribere ad congruam veritatis ecphrasim decreui, sic:

Martyrologia.

Scriptores.

ACTA B. RODERICI EGABRIENSIS *Martyris Cordubensis ex S. Eulogio.*

RODERICVS *Presbyter ex quodam vico* Egabrensi *progenitus, in eadem vrbe Sanctæ legis doctrinam, gradúmque Sacerdotalem promeruit. Huic duo fratres fuerunt; sed ex his vnus fidem Christi rectius tenens, alter gentilico deprauatus errore, Catholicam spreuit religionem. Qui sicut discorsà fide sanctâ manebat, ita semper discordanti conflictatione ob diuersarum rerum occasiones cum fratre Catholico mouebatur. Nam quadam nocte, nescio qua occasione tumultuariâ in alterutrum litigatione se conferentibus, & in sese inuicem fœdâ simultate bacchantibus, sanctus Sacerdos litem medius sedaturus interuenit. Qui omnes nimio iam furore accensi, cæcâ indignatione Sacerdotem inuoluunt, & magis nescientes, quàm volentes, eum vsque ad necem lacesserunt. Ex qua cæde valde contritus, dum omni destitutus vigore, confracta membra lectulo reponeret; profanus ille frater feretro illum imponens, per vicos, & vicinia quæque vehentium humeris duci, ac reduci fecit, & vt verus imitator Diaboli fraudulentâ machinatione, super exanimem Sacerdotem, testimonium iniquitatis composuit, dicens:* Hic frater meus Presbyter visitatione Dei compunctus, fidei nostræ cultum elegit, & sicut cernitis, iam in vltimis agens, noluit prius mundo discedere, quàm vobis id notum existeret. *Ita cum eo loca diuersa peragrans, hæc, & his similia criminosis de eo verbis narrabat. Nesciente ipso prorsus, imo nec sentiente, quid contra se vir ille iniquus aptabat. Dei verò dispensatione post nonnullos dies, molestiis ægritudinis Sacerdos erutus, ac viribus reformatus, cùm subdola ne-*

Patria.

A fratribus germanis lacessitur.

Ludibria à germano patitur.

fandi

fandi fratris molimina cognouisset; exemplo Domini, qui ad informandos nos insidias declinauit Herodis, sine Sancti Euangelij non surdus auditor, quod de Ciuitate in Ciuitatem, causa vitandæ persecutionis delitescere iubemur, relicto proprio rure, alibi Christo liberè se contulit seruiturus. Quasi posset temporale euadere supplicium, cui diuinitus à constitutione mundi prædestinatum parabatur martyrium: aut sicut ad tempus sese occulendo insecutorem fefellit prophanum, ita quoque abesse posset oculis pij Redemptoris, & vocatoris sui ad regnum. Per idem ergo tempus grauiter in nos præsidialis grassabatur insania, ita vt nonnullas apud Cordubam olim Patritiam, nunc autem florentissimam regni Arabici vrbem, Basilicarum turres euerteret, templorum arces dirueret, & excelsa pinnaculorum prosterneret, quæ signorum testamina erant, ad conuentum Canonicum quotidie Christicolis innuendum. Denique cùm exoptatum patris sui libitum progenies iniqua cognosceret, vt quibuscumque modis, ac viribus posset, Dei Ecclesiam infestaret: omnem crudelitatis adnisum erga filios lucis tenebrosa proles alacriori voto exercet, minusque se putat adipisci meritum, nisi summo furore exarserit in euersionem fidelium. Prædixerat quippe hoc Veritas Sancta auditoribus suis, dicens: Absque Synagogis facient vos, & omnis qui interficiet vos arbitrabitur se obsequium præstare Deo. *Et iterum:* Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis, in mundo pressuram habebitis.

Math. c. 2. *Math. 10.*

A Corduba recedere cupit.

Persecutio aduersus Christianos, & Templa.

Ioan. 16.

Igitur, dum ob rei familiaris necessitatem ex interiori montana Cordubensi, *quo se pridem* B. Sacerdos *intuitu latendi contulerat, in nundinas descendisset, in quibus rerum distractio exercebatur: ab iniquo fratre obuius agnoscitur. Quem vt cernit stigmata piæ religionis ferentem, non mediis lacessitum iniuriis ad vicem exquisiti muneris, iudici offert, deponens aduersus eum, coram arbitro questum præuaricationis sectæ Mahomettanæ, quam se dudum veraciter coliturum fuerat confessus. Dei verò miles cœlestiam munere illustratus, non sicut olim aduersariis tergum exponit, sed magna præditus fortitudine, nunquam se à Christo fuisse decisum, nunquam peruerso dogmati aliquando consensisse, iudici refert: seque non solum Christianum, verumetiam Christi fatetur esse ministrum. Quem primò iudex blandis reuocare affatibus putans;* Poteris (*inquit*) rerum affluentiis, » & dignitatum fascibus honorari, & quæ tibi imminet, sententiam » mortis euadere, si te pristinis votis rediuiuo ardore reformans, mis- » sum ab Omnipotente in veritate prophetam nostrum credideris, » Christumque testeris Deum non esse. *Cui B. Sacerdos ait:* Illis Iudex, » hæc obseruanda propone, qui fortè legibus vestris dediti, ritibús- » que prophanis immersi, potiori intuitu commodum temporale, » quàm æternnm affectant honorem. Nobis autem quibus viuere » Christus est, & mori lucrum, cui Sanctus ille clauicularius regni » futuri dicebat: *Domine ad quem ibimus, verba æternæ vitæ habes?* Qui » discipulum in carcere commonebat dicens: *Beatus qui non fuerit » scandalizatus in me:* vt quid perennis poculum fontis relinquemus, » hausturi gurgitem cœno mendacij, ac vitiorum sordibus turbulen- » tum? aut qua vltione procacitas punienda est filiorum, qui pia pa- » rentum iura spernentes, iniustum victrici contubernium expetunt? *His verbis iudex vehementi furore commotus, applicari Martyrem ergastulis iubens;* Abeat (*inquit*) cum damnatorum custodia, horrida macerandum antra carcerum excipiant, parricidarum, & furum solatio fruatur, & omni penitus solatio destituatur, vt sic peruicax elidatur temeritas.

A fratre ad iudicem ducitur.

Iudex blanditiis diuertere conatur.

In fide strenuè perseuerat.

Philip. 1. *Ioan. 6.* *Math. 11.*

Ad ergastulum ducitur.

Adyt Dei famulus hilari vultu, exultantibus animis specum illum reorum, qui verè sciebat, auctorem suæ salutis vbique inuocatum adesse, nec aliquo posse abesse situ, cuius dominatio omnem penetrat locum: qui enim potenti diuinitatis imperio, olim sectatoribus suis fidele promissum dederat

Spes in Deo, & conſtantia.

dicent: Ecce vobiſcum ſum omuibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi. *Hæ ſunt, Diabole, minaces ſauitia tua leges; hi ſunt exquiſiti terrores. Sed dictum eſt nobis:* Nolite timere eos qui occidunt corpus, quia non habent quid amplius faciant; ſed potius eum timete, qui poteſt corpus, & animam perdere, & mittere in gehennam. *Et iterum:* Tradent vos in Conciliis, & Synagogis ſuis flagellabunt vos, & ad Præſides, & Reges ducemini propter me in teſtimonium illis, & gentibus. Qui autem perſeuerauerit vſque ad finem, hic ſaluus erit. *Si ergo poteſt concredere aduerſus animam, & pertinacem in confeſſione ſua ſpiritum, ſupera: videbis me magis per tormenta proficere, & cùm tu plus exarſeris, plus ſemper deficies, & feliciorem me facies per venire ad gloriam.*

ACTA S. SALOMONIS TVCCITANI, MARTYRIS Cordubenſis ex B. Eulogio Preſbytero.

B. SALOMON. Patria.

Reperit vero in carcere Rudericus *B. Salomonem (hic erat origine Tuccitanus) quem ob confeſſionem nominis Chriſti dudum crudelitas perſequentium, ibidem religauerat. Simili quippè, & ipſe crimine impediebatur, eo quod Sanctæ Religionis cultum ſpernens, aliquo tempore ſectæ Mahometanæ, adhæſiſſet. Extemplò indiuiduo voto nectuntur, ac ſibimet inuicem conſolationis ſuffragia miniſtrantes, ab alterutro ſe ad peragendum agonem armantur, id in commune ſtatuentes, vt calcatis mundi affectibus, pia quotidie ſeruitute Deo inhæreant. Fit concors in Dei timore vtrorúmque aſſenſus, macerantur membra ieiuniis, fatigantur Vigiliis, limantur ciliciis, meditationibus compunguntur, Orationibus reſouentur, ſicque ardore quodam cœleſtis patriæ conflagrati, diſſolui cupiunt, & eſſe cum Chriſto, feſtinantes faciem eius videre, cui ſeruiunt, cuius amore defectum temporis non veriti, vitam hanc, vt quoddam diſcrimen immane reſugiunt.*

Ob fidem in carcerem coniectus.

Eorum oratio & vigilia.

Igitur permanentibus ſanctis in exercitio officiorum cæleſtium, & reddentibus quotidie pio Redemptori caremonias laudum, pro ſummis deliciis antrum illud habebant. Quapropter Zelo ductus iniquiſſimus iudex, ferali edicto cuſtodes carceris arguit, eóſque ab inuicem diuelli præcepit, & ne à quoquam viſitationis gratia illuſtrentur totis veſaniæ ſuæ furoribus, iuſſit. Sed in nullo te iuuas, Diabole, quando per hoc diſſidium conſtantiam putas fatigari Sanctorum, quibus vnum, idémque pro Chriſto moriendi manet indiſſolubile votum. Nam hi Confeſſores beati ordine, & natione diſſimiles, charitate non impares diuerſo licèt tempore certaminis campum aggreſſi, vno tamen, eodémque fidei ardore flammati, ſpecimen beatæ paſſionis egregium orbi inſtituunt.

Eos ſeparat Iudex.

Iudici ſiſtuntur.

Interea non poſt multos dies obtutibus ſuis iudex eos exhiberi præcipiens, illicò ad ritum ſuum inuitat, ac de rerum copiis, & dignitate honorum ſuadendos attentat, quos ante mundi conſtitutionem electos, ac prædeſtinatos in adoptione filiorum Dei diuinitas ſancta præſcripſerat. Quorum pertinaciam in Dei profeſſione conſiderans, poſt ſecundam, & tertiam exhortationem ex decreto Regis fore plectendos ſtatuit. Priùs tamen quàm egrederentur ad publicum, conuictorum ſe pedibus aduolaentes rogant, vt continuis obſecrationibus iuuarentur, ne tentatione humana prærepti, retrorſum reſpicerent, & ab intuitu percipiendi vexillum victoriæ turbarentur. Ita pacis oſculo reconciliati, qui nunquam fuerant litigio ſeparati, omnes præ gaudio lachrymantes, Sanctorum ſe fauoribus tueri exorant. Sicque vrgentibus miniſtris voto alacriori proſiliunt, celeriùs properantes ad locum, quo paſſionem conſummarent. Et cum iam hora deciſionis inſtaret; iterum

Ad mortem ducuntur.

à iudice

à iudice blandius exhortantur, eum specie diuitiarum, honorumque sublimium, quibus vtique fruerentur, si reuertantur. Abnuunt Sancti (sicut à principio) iudicis opinionem, ita, vt Sanctissimus Rudericus, *quadam vegetatus animositate, superno iam munere perlustratus, audacter ei respponderet, dicens:* Quomodo nos cogis relicta pietate, in deuium declinare, qui sanctæ fidei sacramentis instructi, fortiter ignorantiam vestram deflemus, quos tanto videmus errore infectos? Nam nos adeò hanc sectam detestabilem iudicamus, vt ne nostris quidèm eam incolendam canibus pateremur, quanto minùs nosmetipsos fallacissimis eius figmentis subdemus. Aut quare copiis rerum, aut dignitate honorum labentium oblectemur, in ipso forsitam oblectationis momento, intercedente morte protinus omnia amissuri, qui nouimus apud Christum Coronatorem nostrum rerum ineffabilium opes manere, quas oculus non vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascendunt, se diligentibus repromissas? Ideóque celeriter crudelitatis tuæ in nos exere vltionem, quos cernis nullatenus à confessione Christi desistere vsque ad mortem, vt, & quæ debentur hostibus Dei tibi accrescant in cumulum, & diu nobis dilatum citò proueniat præmium.

Diuitias, & honores respuunt.

Hinc acrioribus refrendens scelerosus iudex clamoribus, vltimam suæ crudelitatis sententiam promens, perduellium (*inquit lictoribus*) properate abscindere colla, & debitam in capita contemptorum celeriùs retorquete vindictam. *Sic super crepidinem aluei constituti, crucis signaculo se præmuniunt, & sic denuo ense prostrantur. E quibus prior* Dei Sacerdos *occumbens præuius triumphator cælum intrauit. Quod ideò iudex fieri voluit, vt forte horrore truncati cadaueris*, B. Salomonis *animus flecteretur, quem post varias deceptionum illecebras, constantem, & fortissimum comprobans, vltimò gladio vindice trucidari præcepit. Hæsit tamen suo collo non funditus vertex incisus, quia expeditiorem* B. Ruderico, *quàm huic Salomoni framea intulit obitum.*

Lictoribus executionẽ mandat supplicij.

Cadit Rodericus triumphãs.

Iugulatur Salomon.

Sed quia cælorum regna adeuntibus animabus nequit obsistere callidus serpens, adhuc contra exanimata corpora bellum exsuscitat. Quasi mortua superare posset cadauera, cùm iam nullus esset spiritus, qui potius irrideret, quàm sentiret tormenta: aut quasi aliquis titulus putaretur victoria, cum defunctis bellum inire. Vt ergo passionibus Christi communicarent Martyres, instinctu ferocitatis à Diabolo Præses armatus, sub cuius dira crudelitate totius dignitas Cordubensis, *tunc grauiter vexabatur, iubet corpora martyriali cruore perfusa vestigiis inuersis configi, ac deinceps in fluuiali abyssu recondi. Eadem nocte ingenti lapidum onere alligata, separatim vastissimo gurgiti immerguntur. Sperabat miser elementis imperare vndarum, quæ præstantius intendere nouerant Creatoris imperium, vt creditas isti opes martyrales non solum à belluis conseruarent, verùm etiam erepta saxorum pondere membra placido remigio fluctuum ad locum quietis veherent.*

Corpora in flumem dimittuntur.

Ergo interim peccator Eulogius, *qui gesta Beatorum meo elucubranda stylo dudum decreueram, cum rumor consummata passionis eorum, vbique discurreret, expletis Missarum solemniis, ipsorum inuisenda corpora, quadam vegetatus audacia, adij; ac propiùs, quàm cætera spectantium turba accedere non veritus sum. Et testis est Redemptor meus, qui hoc commentarium discussurus est, quia non mentior, quòd tanta decoris pulchritudine discissa illa cadauera fulgebant, vt crederes, si à quodam suscitarentur, protinus locutura.*

S. Eulogius inuisit eius cadauera pulchritudine decora.

Nonnulli etiam è turba gentilium venientes sumebant lapillos fluminis, qui cruore Martyrum erant aspersi, & lymphis abluentes proiiciebant in pelago, ne Christianis in emolumentum existerent lipsanorum, nescientes, quòd nihil obesset, ab his partem adimere, quibus totam decreuerat Domi-

nus paßionem donare. Nam eredita algarum latibulis membra, & altis abyssorum gremiis deputata, quæ tàm celanda, quam pabula piscibus mirandiranda susceperant, silico diuinitus ad superos reuoluenda, non solùm nequeunt retineri, verumetiam leniori spiramine reciprocanti fluctuum alternatione, qua dispersa tenebantur, incolumia litoribus exponuntur. Sanè B. Sacerdotis *suu non hæserat ceruicibus caput, quia semel illud vno ictu satelles auulserat. Et ideo alibi vertex, & alibi corpus iactatum, vnoque in loco sabulo opertum ab accolis viculi, quo vehentibus vndis expositum fuerat reperitur.*

Capus S. Ruderici inuenitur.

Interea dum situs quietis sanctorum notitia penè dierum X X. tempus excederet, nec vllum apparendi darent indicium: quorundam ex improuisò relatione gentilium proditur, referentibus hoc eidem Presbytero, apud viculum Tertios *commoranti, quo monasterium* S. Genesij *fundatum est. Quo nuntio idem Sacerdos compulsus beatum cadauer sua deportandum Ecclesia pergie. Cui redeunti ingens fidelium caterua occurrit, vt pote summo triumphatori debitum honorem rependere anhelans, qui talia pro Deo suo in exemplum Catholicorum non contempserit sustinere, & quia defectu solis crassum tenebrarum Chaos illabebatur, totúmque mundi aspectum nox caeca mutauerat, ministerio obuiantium populorum multimoda lampadum face tenebrosus horror expellitur, adeò, vt nimio splendore omnia illustrante rediuiuum ostentaret nox illa diem emergere. Flebant omnes præ gaudio, miscebatur tripudiis luctus, & nulla contrahente maestitia vultum, pium refundebat pupilla lamentum. Adest & venerabilis Pontifex, felicium stipatus agmine clericorum, votis ardentioribus talibus interesse festinantes exequiis, qui mox sanctas reliquias adeunt, & inclytus Papa detegit, & osculis sancta membra demulcet. Redolent secreta cubiculi, quo prius beatum corpus Sacerdos intulerat, miro suauitatis odore, cunctáque cellulæ pauimenta, etiam ablato puluere, ferunt aliquandiu suauißimi odoris olfactum respirasse. Fit omnibus in stuporem quod inhumatum corpus nulla putredo insumpserit, nulla pestis infecerit, nulla tabes corruperit, nulla bestiarum altilíumve rabida fames discerpserit, nec propria cutis qualitatem tot dierum interiecta capedo degenerans immutauerit. Sicque Sacerdotum, & religiosorum officio sanctum corpus è cellula Sacerdotis humandum Ecclesia inferentes, dant cunctis hymnorum cœlestium clamorem egregium, resonant ora fidelium congruenti carmine melos, perstrepunt omnes diuina canticis euphoniam, implentur atria Domini murmure Sancto psalmorum, felicitúmque laudum odam omnes quasi vno ore persoluunt, & suaui concentu omnibus percrepantibus, largóque* fomite luminum *totius aulæ penetralibus relucentibus Regem Christum militia comitante cælicolum ad spectaculum illud exequiis innuebat interesse Sanctorum.*

Postmodum Corpus illæsum.

Sepelitur.

De hoc ritu ferendi cereos in funeribus Christianorum. vid. Gretser. in ipso tract. lib. 2. c. 7.

Expleta igitur functione Sanctißimi Ruderici, *fit ardentior cunctis intentio requirendi* B. Salomonis *corpusculum, quod relatione multorum impetu fluminis salo credebatur esse transmissum. Nam hac optnio prouidum magis Christicolarum ausum inhibuerat, quam furens conspiratio Præsidis, qua acrioribus vlciscendum legibus exploratorem reliquiarum promiserat. Etenim cùm nullum latentis corporis instares indicium, monerétque omnes spes beneficentiæ Dei, qui reuelare abstrusa, & aperta condere consueuit, prærogatiua quodammodo diuinitatis potentia, qua in cælo, & in terra, in mari, & in abyssis, omnia quæcumque vult, ordinat, disponit, & facit: subito per quietem, quo situ corpus Martyris delitescat, prædictum admonet Sacerdotem. Cúmque sacerdos monentem de loco sui latibuli sciscitaretur, séseque instrui quæreret, quod explorandi tenere debuisset indicium:* In illa (*inquit*) ripa fluminis, quæ vico *Nymphiano* adsciscitur, ibi à commeantibus inter fructeta tamaricum proiectus, cespitis limosi perfruor vili sepulchro. *Pergit securus ad locum sibimet diuinitus demonstratum ille Sacerdos, nec aliter, quam quod ei reuelatione ostensum est,*

Quaritur Corpus S. Salomonis.

Diuinitus Sacerdoti ostenditur.

est, reperit. Quod illicò summis reuerentia obsequiis, comptum ad vicum Colubris *deportans, venerabilium Dei sacerdotum officio in Basilica SS. Cosmæ, & Damiani honorificè tumulatur. Consummauerunt autem Beati Martyres agonem* III. Idus *Martias, Era* DCCCXCV. *regnante Domino nostro Iesu Christo in sæcula sæculorum Amen.* *Tumulatur.*

Hactenus de SS. Martyribus *Roderico*, & *Salomone*, S. Eulogius in suo Apologetico, qui mirificis clausulis, & feruentis Dei spiritus lineis, totam historiæ agonis periodum est prosequutus; licet in aliquibus, vt aduertunt *Morales*, & *Tamayo*, non pauca desiderentur, quæ antiquitatis ærumnosa procella, & vetustatis calamitosa proluuies aut discerpsit, aut expunxit. Inter cætera quæ in ecphrasi occuluntur, patriam *S. Salomonis* adnotatu dignam cognouère *Morales, Roa*, & alij; sed iam illucente *Luitprandi* Chronico, *ad Lusitaniam* origo B. Martyris refertur, sic ille in Chron. n.295. *Patitur Corduba Rodericus, & Salomon, domo Lusitanus, prope vrbem dictam in Bætica* Tuccim *vetustè, aliquibus* Fossina, sic: D. Laur. Ram. *fol.*430. At D. Thom. Tamay. *fol.*69. sic, in fine: *Dictam in Bætica* Tuccim *veteribus, aliis* Tossina. Quid tenendum in hac *Luitprandi* relatione, cùm extra *S. Eulogij* mentem, & ocularem intuitum, passum prope Tuccim *S. Salomonem*, comperiam? D. Thom. Tam. *in Not. fol.*199. Nihil deliberat, donec correctiores nactus codices, vel *Eulogio* integro adhæreat, vel *Luitprando* non perturbato credat. Ego verò & quoad hoc integrum *Eulogium* agnosco, & *Luitprandum* perturbatum affirmo. Probatio est in promptu. *S. Eulogius*, reperiisse in carcere Cordubensi *Salomonem*, *Rudericum* asseuerat, vtrumque mutuis in illa exhortationibus muniuisse, describit; ambos ad agonis stadium properasse, in illo occubuisse, ambósque pientissima audacia se pulcherrimis faciebus vidisse fatetur, ibi: *Et testis est redemptor meus, qui hoc commentarium discussurus est, quia non mentior, quòd tanta decoris pulchritudine discissa illa Cadauera fulgebant, vt crederes, si à quoquam sciscitarentur, protinus loquutura.* Ergo vtrumque vna arena inspectauit Athletas, & vnicum Agonistas recepit theatrum. Hic quid integritatis *D. Thomas* desiderat in *Eulogio?* in illo *Luitprandi* Chronico quoad hoc quid non credit erroris? Si mihi ergò coniectandi potestas daretur, sic *Luitprandum* cum *S. Eulogio* concordarem. *Patitur Corduba Rudericus, & Salomon domo Lusitanus prope vicum dictum ad Batim Tercios veteribus.* Cætera, glossema est alicuius imperiti Macci, nec *Luitprandi* cognitionem historicam olet, sed Sordes, & rus merum sapit. Simili correctione, nec ab *Eulogio* disceditur, nec in *Luitprando* aliquid erroris notatur, maximè, cùm verba quæ supponimus, similia quasi, ac impressis sint, & de istis ad illa, & è conuerso facilis adsit transitus, nam de *Tercios* ad *Tuccim*, si ex literis Gothicis exscriptum est Chronicon, quid dubium, vt exscriptor ignorans terminos, pro altero, alterum vsurpasset? Et de viculo *Tercios*, in quo monasterium *S. Genesij* erat fundatum, & in cuius Ecclesia cadauer Sancti *Roderici* beatum, fuit humatum, mentio celebris est apud *S. Eulogium*. Nec, vt mea fert coniectura, audiendus est *P. Antonius* Quintana-dueñas *in SS. Hispal. fol.*301. qui non tantum contentus, cum lectione *Luitprandi*, quam literaliter, & tumultuariè est assequutus, sed etiam alium ex ipsa errorem extraxit, contendens, & *Salomonem* ex *Tucci* oriundum, & *Tuccim* prope *Lusitaniam* situm, & topographiam habuisse. Quæ non induxit deliramenta commentum? ergo vt Lector si *Heraclytus* est, rideat de Origine, perlegat Luitprandum, in quo *Lusitanus Salemon* vocitatur, non *Tuccitanus*; de situ huius vrbis *Tucci*, quæ inter *Ilipam*, & *Italicam* appingunt Scriptores, hoc est inter *Peñaflor, y Seuilla la vieja*, legat Roder. Car. *in Corograph. Conuent. Hispal. lib.*3. *c.*10. agnoscet, quo modo prope *Lusitaniam* potuit situari. Sed de his, satis.

S. Salomonis patria probatur. *Mendum in Luitprando.* *Emendatur.* *Error P. Quintana-Dueñas.* *Tucci Corographia.*

ÆGABRVM. Ciuitas fuit in Bætica Episcopalis, hodie CABRA. à Græcis condita, & tempore Ecclesiæ primitiuæ Episcopali Sede decorata. Nam in Concilio Illiberitano subscripsit Victor Egabrensis, vt refert. De ea sic Loays. *in Concil. apud Lucum. fol.*157.*n.*6. EGABRO *sunt qui Ægabro scribunt Hodie* CABRA. XXVI. M.P. *à Corduba dissita.* Plin. in Bætica BAREAM ponit, pro quo in emendationibus Iacobi Dalemcampij VBEDA repositum: Verum Morales

legendum exiſtimat EGABRO. Non habet nunc Sedem Epiſcopalem. Gratian. 16. q. 3. c. *Prima actione* Ægabrenſem vrbem nominat, & in *Cod. Gregor.* Agabrenſis ſcribitur, ex Concil. Hiſpal. 2. c. 1. plura apud Moral. *lib.* 12. c. 30. Medin. *lib.* 2. c. 65. Roder. Mend. *in Populatione Hiſpan. fol.* 106. c. 51. Ex quibus Epiſcopos huius vrbis, vt moris eſt, referemus.

CATALOGVS EPISCOPORVM ÆGABRIENSIVM Quorum adeſt memoria in Conciliis, & Scriptoribus.

I. Victor huius nominis I. Epiſcopus Egabrienſis, interfuit Concilio Illiberitano Anno CCC. 300.

II. Benenatus I. Epiſcopus II. Egabrienſis interfuit III. Concilio Toletano Anno D.LXXXIX. 589.

III. Ioannes I. Epiſcopus III. Egabrienſis interfuit I. Concilio Hiſpalenſi, Anno D.XC. 590.

IV. Deodatus I. Epiſcopus IV. Egabrienſis interfuit IV. VI. & VII. Conciliis Toletanis, peruenit ad Annum DC. XLVI. 646.

V. Bacauda I. Epiſcopus V. Egabrienſis. Qui Eccleſiam Egabrienſem conſecrauit, de quo illud celebre monumentum in cæmeterio Eccleſiæ S. Ioannis Egabrienſis perſeuerat in lapide quatuor frontes habente, in quibus hæ leguntur inſcriptiones.

1 ARA SANCTA DOMINI.

3 DEDICAVIT HANC TANDEM D.M.S. BACAVDA EPISCOPVS EGABRENSIS

2 FVNDAVIT EAM ALTISSIMVS PER EVLALIAM ET FILIVM EIVS PAVLVM MONACHVM.

4 CONSECRATA EST BASILICA HÆC SANCTÆ MARIÆ II. KAL. IVN. ERA DC. LXXXVIII.

Poſtea tribus ſequentibus annis interfuit Sanctiſſimus hic Epiſcopus VIII. Concilio Toletano, Anno DC.LIII. 653.

VI. Gratianus I. Epiſcopus VI Egabrienſis interfuit XIII. Concilio Toletano, Anno DC.LXXXIII. 683.

VII. Conſtantinus I. Epiſcopus VII. Egabrienſis interfuit XV. Concilio Toletano, Anno DC.LXXXVIII. 688.

VIII. Arceſindus I. Epiſcopus VIII. Egabrienſis interfuit XVI. Concilio Toletano, Anno DC.XCIII. 693.

Quibus Hiſpaniæ excidium deuenit, & Egabrienſis Eccleſia Sarracenorum incurſione viduata amplius alium non agnoſcimus Antiſtitem accepiſſe.

C. Tranſlatio, & Inuentio *Sacrarum Reliquiarum S. Encratidis, & Sociorum Martyrum*] Feſtiuitas hæc cultu celebri veneratur apud *Cæſarauguſtam*, vt ex eius tabulis deprehenditur: à quibus elogium deſumpſit Philipp. Ferrar. *in Catal. General. SS. hac die*, ſic: *Cæſarauguſtæ, Inuentio Sanctæ* Encratiæ *Virginis, & Martyris.* fuſiùs Indic. *Rer. ab Aragon. Reg. Geſtar. lib.* 3. *Anno* 1389. ſic. A. D. VI. *Non. Marty.* Cæſarauguſtæ *ad Orbæ fluuij ripas, in æde D. Encratis tumuli eius diua, & S. Lupercij, Martyris, effodiuntur, cùm fundamenta ruderibus reiectis iacerentur, quibus*

bus sacra corpora condita fuerant: summaque veneratione, ac religione eorum sacrarium conilituitur, quos pracipuè Diuos nostri precari, venerarique consueuere, quòd populus, Ciuitasque Cæsaraugustana *in eorum tutela sit.* De hac Inuentione, & translatione ex professo agunt P. Mariet. *Hist. SS. Hispal. lib.*4. *c* 4. P. Murill. *Hist. Cæsaraug.* 2. *p. tract.* 1. *c.* 33. *fol.* 276. D. Vincent. Blasc. de Lanuza *Hist. Aragon. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 34. *fol.* 116. D. Martin. Carrill. *Hist. S. Valerij. c.* 5. *fol.* 61. Zurit. *Annal. Aragon.* 2. *p. lib.* 10. *c.* 43. Hieronym. Blanc. *Ann.* 1467. *&* 1516. P. Siguenca. *Hist. S. Hieronym. lib.* 1. *c.* 11. *&* 12. Ex quibus hæc compaginanda relatio est.

ACTA TRANSLATIONIS SENCRATIDIS, & Sociorum Martyrum ex Varijs Script.

Post illustre SS. Encratiæ, *Sociorúmque martyrium, ipsorúmque à B. Episcopo* Prudentio *corpora in sepulchrum illata, pace Ecclesiæ data, cœpit hoc à fidelibus venerari sacrarium, & tempore Gothorum Sanctarum Massarum Templum vocabulo vocitari. Quod* S. Braulio *Episcopus Cæsaraugustanus circa annum* DC. IX. *readificari pracepit, superposita alia Ecclesia, taliter quòd subterranea quæ antiquitus inuisebatur, vt ex peruetusto in nascentis Ecclesiæ exordio, visui more receperat, intus mysticè, & reuerenter veneraretur. Quo, vt illa ferebant tempora, honorificè extructo, ibidem cum cæteris sui Ordinis Benedictini monachis morabatur, de quo testis lapideus in turri excelsa S. Braulionis vocabulo consecrata, adhuc eminus perseuerat. Hic etiam S. Eugenius huius nominis* III. *Archiepiscopus Toletanus, relictu propriis vitam transegit, vt scribit S. Ildephonsus. Hic* (*inquit*) *cum* Ecclesiæ Regiæ clericus esset egregius, vita monachali delectatus est. Qui sagaci fuga vrbem Cæsaraugustanam petens, illic Martyrum sepulchris inhæsit, ibique studia sapientiæ, & propositum monachi decenter incoluit, vnde principali violentia reductus, atque in Pontificatu adscriptus, vitam plus virtutum meritis, quàm viribus egit. *Igitur post Hispaniæ lachrymabile excidium, ne Martyrum corpora in Arabum manus sacrilegas deuenirent, Catholicorum dispensauit affectio, vt quæ possent in Montana secum deferrent, catera in specubus, & aliis terra hiatibus abscondita remanerent. Hoc vltimum nostris euênit lipsanis, quæ propter multitudinem adsportari nequiuerunt: ex quo in ipsa subterranea Ecclesia relicta sunt. Sic Dei prouidentia per* DC. LXXV. *annos inclusa, & incognita, ab oculis omnium vrbis accolarum retrusit, licet in eorum affectibus patentia, & cognita viderentur. Donec Anno* M. CCCXC. *Vel;* LXXXIX. *quod est verius, Sedem Petri tenente Vrbano* VI. *in Aragonia Regnante* Ioanne X X. *Imperium Occidentis obtinente* Venceslao, *& Orientis* Manuele II. Palæologo, *& Ecclesiam Cæsaraugustanam* D. Garsia Fernandez de Heredia, *cum artifices in Ecclesia Sanctarum Massarum pro opere faciendo altum effoderent fundamentum, in tumulum deuenerunt lapideum, pòst in aliud sepulchrale sarcophagum inciderunt, quibus extractis, in primo hac legebantur verba:* BEATÆ ENGRATIÆ VIRGINIS, ET MARTYRIS SACRVM CORPVS. *In eodem, alibi, hoc est in alia cellula in qua ossa videbantur, hac:* CORPVS SANCTI LVPERTII EIVS AVVNCVLI MARTYRIS. *In Secundo tumulo inuenta fuerunt corpora* XVII. aliorum *sociorum Martyrum, & subsequentibus effossionibus inter rudera demum sanctas conspexit Massas affectuosa Conciuium sedulitas, & deuotio. Quibus inuentis processionaliter inuecta in Ecclesiam fuère pignora sacra, & ex tunc hac dies fasti, & festi consignata decreto Episcopi quieuit. Ecclesia denuò honorificè condita, & variis operibus illustrata fuit, vsque ad Annum M.* CCCC. LIX. *quo à* Ioanne Rege *Aragonum huius nominis*

minis II. & XXXIV. in ordine, Ordini S. Hieronymi *conceſſa, illico verè Regium, & illuſtre conditum inſpicitur templum, & Cœnobium, Cuius formam, & apparatum, qui velit agnoſcere, adeat P. Murillo in Hiſt.* Cæſ. d. lib. 2. c. 33.

Hæc ſunt, quæ de huius feſtiuitatis exordio ab Scriptoribus accepimus, vt in ipſis, quos citanimus videre eſt; Nec aliquid amplius ecphraſis ſcholij requirit. Cætera, quæ ad Sanctorum agones ſpectant ſuis in locis accuratiùs agemus.

D. Feſtum Reliquiarum Oueti.] Celebris eſt hoc die feſtiuitas huiuſmodi reliquiarum, de qua in tabulis Eccleſiæ Ouetenſis adeſt memoria, & apud Philip. Ferrar. *in Catal. SS. Gener.* ſic: Oueti *in Hiſpania feſtum reliquiarum eiuſdem Eccleſiæ.* De ipſo P. Mariet. *Hiſt. SS. Hiſpan. c.* 64 Ambroſ. de Moral. *lib.* 13. *c.* 38. Noſter Ægid. Gonçal. Dauil. *in Theatr. Eccleſ. Ouet.* Quæ ſint iſthæc reliquiæ ex teſtimonio Decani, & Capituli ipſius almæ Eccleſiæ Ouetenſis, quod peregrinis ipſa ſacra lipſana, porrigit viſitantibus, comperies, Cuius hic tenor.



Hæc eſt Crux Domini manibus fabricata ſupernis,
Vrbis Ouetenſis, quam ſacra templa tenent.

Vniuerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus, has præſentes literas inſpecturis: Notum facimus, quòd Deus ſua mirabili potentia, quamdam arcam de lignis imputribilibus, à Diſcipulis Apoſtolorum factam, Dei magnalibus plenam, ab vrbe Hieroſolymitana, tempore quo deuaſtata eſt à Coſdroa Rege Perſarum, tranſtulit in Africam; ab Africa, Carthaginem Hiſpaniæ, à Carthagine Hiſpalim, ab Hiſpali Toletum, à Toleto Aſturias, ad Montem appellatum Sacrum, & inde ad iſtam Sanctam Eccleſiam Sancti Saluatoris, Ciuitatis, quæ dicitur Ouetum. Quæ quidem arca ibi aperta fuit: in qua aperientes, multas arcellas aureas, argenteas, & eburneas inuenerunt. Quas ſumma cum reuerentia, aperientes, viderunt quædam ſcripta ſingulis reliquiis ibi reconditis alligata, quæ omnia manifeſtiſſimè declarabant. Inuenerúntque magnam partem de *Sindone Domini*, qua inuolutus fuit in monumento. Eiúſque pretioſum *Sudarium*, ſuo cruore ſanctiſſimo intinctum, quo ſpecioſiſſima eius facies, cum ſacratiſſimo Capite cooperta, atque inuoluta fuit: quod ter ſingulis annis, eâ quâ decet reuerentiâ oſtenditur. Videlicet in feſto ſolemni dictarum ſanctarum Reliquiarum, quod incidit DIE XIII. Martij, ac feria VI. in Paraſceue: necnon in feſto Exaltationis Sanctæ Crucis die XIV. Septembris, & in diebus feſtiuis contentis intra tempus Iubilæi, quod infra declaratur. Plurimum de vera *Cruce Domini.* Octo *Spinas* Coronæ Domini. De *Tunica* Domini. De *Sepulchro* Domini. De *Pannis* in quibus iacuit inuolutus in præſepio. De *Pane* Cœnæ Domini. De *Manna*, quod Dominus filiis pluit Iſraël. Magnum fragmentum *Cutis* B. Bartholomæi Apoſtoli, qui fuit excoriatus. *Pallium* qued dedit Regina Cœlorum Ildephonſo Archiepiſcopo Toletano. De *Lacte* ipſius Matris Domini. De *Capillis*, & *Veſtimentis* eius, Vnum ex XXX. *Denariis*, pro quibus Dominus fuit venditus à Iuda. Inueneruntque paruulam *ampullam*, cum *cruore Domini fuſo*, ſcilicet, à latere cuiuſdam imaginis, quam Chriſtiani ad ſimilitudinem Chriſti fecerant: ſed Iudæi anti-

qua

qua perfidia obstinati, ipsam signo affixere, & lancea latus eius iterum percusserunt, à quo sanguis, & aqua exiuit. De *Terra* in qua Dominus tenuit pedes ascendens in cœlum, & quando Lazarum resuscitauit. De *Sepulchro* ipsius Lazari. De *Pallio* Heliæ prophetæ. De *Fronte*, & *Capillis* B. Ioannis Baptistæ. De *Capillis*, quibus B. Magdalena extersit pedes Domini. De *Ossibus* SS. Innocentium. Et de *Ossibus* Trium Puerorum SS. Ananiæ, Azariæ, & Misaëlis. De *Lapide*, cum quo clausum est *Sepulchrum* Domini. De *Ramo Oliuæ*, quem Dominus tenuit ingrediens Hierosolymam in Asina. De *Petra* Montis Sinay, supra quam Moyses ieiunauit. *Segmentum Virgæ*, qua ipse Moyses diuisit Mare Rubrum filiis Israël. *Fragmentum Piscis assi*, & *faui* mellis, de quibus Dominus post Resurrectionem comedit, dum Apostolis apparuit. *Vestimentum* B. Tyrsi Martyris. *Manus* S. Stephani Prothomartyris. *Sandalium* dextrum B. Petri Apostoli, & pars *Catena* eius. Reliquias etiam XII. Apostolorum, & de eorum *Ossibus*, ac Prophetarum. *Bursas* SS. Petri, & Andreæ Apostolorum. Reliquias SS. Laurentij, Sebastiani, Cosmæ, & Damiani, Stephani Papæ & M. Martini Episcopi, Facundi, & Primitiui, Iusti, & Pastoris, Adriani, Nataliæ, Mammeæ, Iuliæ, Verissimi, & Maximæ, Baudelij, Pantaleonis, Cypriani, Christophori, & Cucuphati, Sulpitij, Agathæ, Emetherij, & Celedonij, Fructuosi, Augurij, Eulogij, Victoris, Iustæ, & Ruffinæ, Seruandi, & Germani, Sergij, & Bachij, Iuliani, Felicis, Petri exorcistæ, Eugenij, Vincentij Leuitæ, & S. Annæ, Felicis, Sulpitij, Fausti, Beatricis, Petronillæ, Eulaliæ Barchinonensis, Æmiliani, Hieremiæ Martyris, Pomposæ, Collegij, Sportellij. Complura etiam Corpora, Ossa, & Reliquiæ SS. Prophetarum, Martyrum, Confessorum, atque Virginum, ibi sunt condita, quorum numerum Deus solus scit. Extra prædictam Arcam habetur etiam Crux quædam auri purissimi manibus Angelorum in ipsa Ecclesia operata. Et illa Crux celebris Regis Pelagij, qua impugnauit populum superbū Maurorum in deuastatione Hispaniæ. Vna ex VI. *Hydriis*, in quibus Dominus aquam, in vinum conuertit. Et *Corpora* SS. Martyrum Eulogij, & Leocritiæ. S. Eulaliæ Virginis, & Martyris. S. Pelagij Mart. S. Vincentij Abbatis, & Martyris, & SS. Iuliani, & Serrani Pontificum. Ibi etiam sunt corpora Regis Ildephonsi Casti, qui ipsam Ecclesiam fundauit, & aliorum Regum antiquorum Hispaniæ. Quisquis autem à Deo vocatus, tam preciosa, atque gloriosa insignia visitauerit, sciat à Reuerendissimo Episcopo eiusdem almæ Ouetensis Ecclesiæ, Apostolica authoritate ei ad hoc concessa, tertiam partem suorum peccatorum, de iniunctis pœnis sibi diminui. Habent etiam mille, & quatuor annos, & sex quadragenas Indulgentiarum. Item sunt Confratres, & participes Sacrificiorum ipsius Ecclesiæ. Item Eugenius Papa IV. Et alij Romani Pontifices per suas literas Apostolicas, omnibus, & singulis dictam Ecclesiam visitantibus, verè pœnitentibus, & confessis, seu statutis à iure tēporibus firmū confitendi propositum habentibus, die scilicet, quo Exaltationis S. Crucis Mensis Septēbris sexta feria euenerit, triginta diebus præcedentibus, & triginta sequentibus: necnon singulis annis, quotiis die huius modi festiuitas occurrerit Octo diebus præcedentibus, & octo subsequentibus, plenissimam omnium peccatorum suorum, etiam in mortis articulo indulgentiam concesserunt, perpetuis temporibus duraturam. In quorum fidem, & Testimonium Nos Decanus, & Capitulum almæ Ecclesiæ Ouetensis, has præsentes literas exinde fieri iussimus. Dat. &c.

Triuialis est apud Hispanos sententia de huiusmodi arcæ reliquiarum ex Hierosolyma transmissione. Quam *Philippus* Hierosolymitanus Episcopus in Africam,

ex

ex Africa *Carthaginem Hispaniæ Fulgentius* Ruspensis Episcopus ex *Toletana* origine, attulerunt. Iste vt suam illustraret Ciuitatem direxit, Hispalimque attigit, & *Toletum* peruenit. Vbi honorificentissime collocata vsque ad Hispaniæ ruinam permansit, hácque eueniente, ad Astures delata, in Monte sacro reposita quieuit, donec *Alphonsus* Ecclesiam *Oueti* S. Saluatori dicatam perfecit. Tuncque omnia quæ illic à manibus impiorum Christiana pietas reseruauit, & condidit Sanctorum ex totius Hispaniæ ambitu lipsana, in Camera sancta collocauit. De hoc multa congessit D. D. Laurent. Ram. de Prado *in Not. ad Luitprand. in Chron. n.198. fol.394.* Sed quia in vnum congerere scriptores compellor, illos breuiter repetam. Sebast. Salmant. *in vit. Pelagij Regis fol.45.* qui totum supradictum probat. *& pag.50.* vbi reliquias refert. Luitpr. *d. n.198.* Iulian. *n.369. & 371. & 377.* Luc. Tud. *in Chron.* Carthag. *in Anacephal. Hisp.* Vass. *in Chron. Ann.791.* Marin. Sicul. *De Reb. Hisp. lib.5. de Sacris adib. Hisp.* Alphons. Vener. *in Enchir. temp. fol.44.* Moral. *d. lib.13. c.38.* Portocarr. *in tract. de Descens. V. M. c.29. & 30.* Archiep. Roder. *lib.4. Hist. c.3.* & Mariet. *d. lib.4. c.65.* His addam Baron. *tom.9. Annal. Eccles. Ann.714. n. fin.* P. Marian. *Hist. lib.6. c.14.* D. Thom. Tamay. *in Not. ad Luitpr. fol.119.*

Arca Reliquiarum Ouetensiũ peregrinationes.

OVETVM. De ea aliqua diximus Tom.1. die IX. Ianuar. fol.109 & hoc Tom.2. supra die I. huius Mensis, agentes de Episcopatu *S. Rodesindi*, an *Britoniensis*, an *Mindoniensis*, seu potius *Dumiensis* in Asturibus fuerit, probauimus contra *D. Garsiam de Loyasa*, & *D. Rodericum de Acuña*, dicentes eandem fuisse Sedem OVETENSEM, ac *Britonicam*, moti ex commentitio *Codice Ouetensi*, quod decepti scripturæ glossemate, in tantum deuenerunt errorem. Quod vt clarius pateat, ecce *Aldefonsi* Regis cognomento *Catholici* decretum, quo statuuntur Ecclesias apud Ouetum, quibus hospitentur Præsules Hispaniæ ad Concilia venientes, vbi discrimen inter *Ouetensis*, & *Britoniensis* Episcopos intueberis.

Ouetum an idem quod Britonia.

Ecce Scriptura, quæ docet, qualiter cum consilio Regis Aldefonsi, *& eius vxoris* Ximenæ, *& totius Regni potestates. Dominus* Ermegildus *Ecclesia* Ouetensis *Archiepiscopus ad* Hispanos *Episcopos ex hæreditatibus prædictæ Ecclesiæ dedit, vt esset ad supplementum illorum, cùm ad statuto tempore ad celebrandum Concilium in Metropoli* Ouetensis *Sedis venissent, ad manducandum & bibendum, nihil eis defuisset.* Postea prosequitur. *Ad* Britoniensem *Episcopum, & ad* Oriensem *Episcopum, Ecclesiam Petri de Noya.* Hinc colliges aliam fuisse *Britoniensem*, aliam *Ouetensem* Sedem; & etiam Loaysæ, & Acuñæ errorem edisces.

Scriptura Aldefonsi Regis Catholici.

Error Loaysæ detegitur.

PRIDIE IDVS MARTII.

DIES XIV.

A. PYDNE *in Carpetania Hispaniæ* S. ALEXANDRI *Martyris, qui cùm fidem Catholicam à B. Iuliano Carpetanorum Episcopo, diœcesim lustrante, amplecteretur deuotus, Domitiani Imperatoris persecutione detentus nec Dijs litare, nec Christi nomen deserere volens, post cruciatuum angustias, ad martyrij palmam, abscisis ceruicibus properauit strenuus.*

NOTÆ

NOTÆ.

A.

Martyrologia.

SANCTVS Alexander.] Eius memoriam repetit Menolog. Græcor. in Indice SS. ſic : *Alexander Martyr. Pydna XIV. Martij.* Molan. in addit. ad Vſuard. ſic : *Et Sancti Martyris* Alexandri *in Pydne.* Petr. Galeſ. diſtinctius ſic : *In Pydne Sancti* Alexandri *Martyris, qui fidei prædicatione, in hominum impiorum inſaniam libere inuectus, de pietatis gradu, cum deijci nullo pacto poſſet, præciſo capite, martyrij calicem bibit.* Philipp. Ferrar. in Catal. General. SS. hoc die. fol. 110. neſcio à quo verbum *in Macedonia* adiecit, ſic : *Pydna in* Macedonia S. Alexandri *Martyris.* Forte ſonitu nominis arreptus, & ignorantia loci in Hiſpania conſtrictus, ex Hiſpania calami velocitate tranauit, Macedoniam vſque, ibidem exuta Hiſpania de Martyris ſanctiſſimi gloria, Macedones de alienis muneribus inueſtiuit. Nec excuſationi locus eſt, nam ſi in Notula ad Martyrologium, huius Martyris nomen ex Græcis, & Galeſino comprehendiſſe faſſus eſt : quà Græci, & Galeſinus illud *In Macedonia* gloſſema conſcripſerunt ? In Pydne Hiſpaniæ prope Complutum in Carpetania martyrium Alexander obiuit. Huius L. Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 95. veritatis eſt author, hiſce verbis : *In Carpetania Pydne, vel Pyotij Sanctus* Alexander *Martyr.* In cuius loci commentariis nihil *P. Biu. & Roder. Car.* dixere. Ego addam Martyrol. P. Higuera MS. ex Bibliotheca D. Laurentij Ramirez de Prado, ſic : *En Pydne, o Pioz junto à Alcala de Henares San* Alexandro, *que en la perſecuçion del Emperador Domiciano fue degollado.* Latinè ſic : *Pydna, vel Pyotij prope Complutum Enaris Sanctus* Alexander, *qui in perſecutione Domitiani Imperatoris decapitatus occubuit.* Illuſtriſſ. Epiſc. Turiaſon. de *Primat. Eccleſ. Tolet. tom.* 1. *p.* 1. *c.* 9. §. 7. *fol.* 156. *eius martyrium recolit. Ex quibus hoc vita, & mortis elogium ex voto delineare decreui.*

Ferrarij gloſſema.

Verus agonis locus.

ACTA S. ALEXANDRI Martyris ex Variis Script.

Origo.

Alexander *vt coniectatur natione* (Hiſpanam *ciuilitatem agnoſcimus*) *Romanus fuit, ipſius enim nominis structura depoſcit, ex vetuſtioribus illis in Hiſpania commorantibus, & ab Italia peruenientibus familiis oriundus.* Pydnæ *vrbii* (*cuius Græcos ex Macedonia, in qua alia huius nominis Ciuitas perſeuerat, conditores fuiſſe, & nomen in Patria memoriam intuliſſe, nemo eſt qui ambigat* (*accola vitam moralibus tranſegit virtutibus præditus, donec illuceſcente Sancti Euangelij luce, miniſterio Iuliani Epiſcopi Carpetani, ad quem ſcripſit S. Clemens I. Pont. Maximus, ipſe* Alexander *cognito veritatis ſplendore, nec timens ignem, ſed quærens radium, feruentis fidei ardore accenſus nitidiſſimum baptiſmate ſpiritus lumen aggreditur. Illico lucis ſtridore coruſcans, in monte poſitus legis, in candelabro fidei accenſus Chriſtum prædicans, omnium in ſe odia concitauit errantium. Qui funeſtiſſimo commendantes ergaſtulo carceris, &, aut quòd à fide ſuſcepta recedat, ſuadentes, vel quòd ad ſæua mortis anguſtias ſe perfidus præparet, intimantes. Huic annuit Martyr intrepidus, & poſt experta in corpore indignata crudelitatis ſupplicia, tandem ferali impetitus mucrone, & vitam pro fide, & caput pro religione donauit.* Prid. Idus *Martij.* Anno *Domini* XCV. *Imperante Domitiano, Sedem Apoſtolicam gubernante Clemente I. Pont. Max. Vacante Sede Toletana per tranſitum Iuliani Carpetaniæ Epiſcopi.*

A Iuliano Carpetanorum Epiſcopo conuerſus.

Patitur.

Vt huius elogij ecphraſim illuſtremus. I. de hoc nomine *Alexander.* quod ſit de peruetuſtis Romanorum familiis, inquirendum eſt. Cui vt ſatis muneri faciamus, pro multis debitum ſoluat Grut. *in Theſaur. Antiquit. Inſcript. Rom. fol.* 339.

Alexandrorum familia.

Mart. Hiſp. Martij. T *fol.* 339.

fol. 339. *n.* 5. vbi aliquot Quadrigarum Rom. familias in marmore inuento referens, familiam *Alexandri* Aurigæ reponit. his literis:

FAMILIÆ QVADRIGARIÆ. T. AT.
CAPITONIS. P. ANNI. CHELIDONI.
CHRESTO QVÆSTORE. OLLÆ
DIVISSÆ. DECVR. HEIS. Q. II. SS.
ALEXAND. AVRIG.

Postea sequuntur aliæ diuersæ familiæ, hocque etiam liquet ex variis inscriptionibus Romanis, quas antiquarij colligunt, quarum omnem recensere apparatum longum erit. II. Quod *Pydne* Carpetaniæ condita fuerit in similitudinem Macedonicæ vrbis simili vocabulo insignitæ, licèt nullus ex nostris de illa indiuidualiter loquatur, attamen à communiter contingentibus, triuialis est comprobatio. Nam de aduentu Græcorum in Hispania nullus dubitat: Quòd isti vrbes in ipsa extruxissent, & eis nomina in solamen vrbium originis propriæ indidissent, satis caudex erit, qui obiurgauerit. Ergo inuenta in Hispania Ciuitate nomine vrbis Macedoniæ, credendum est, hanc à Græcis conditam, & vt propriæ nominatam. Quòd in Macedonia sit *Pydne* ciuitas, vulgare est apud Ptolom. Abraham. Ortell. Biuar. & Car. ad aliud pergo. III. Quòd fidem acceperit à *Iuliano Episcopo Carpetano*, verisimile est, nam iste S. Pont. per illud tempus *Carpetania* populos prædicabat, vt autor est Dext. & patet ex *Epistola S. Clementis*, 4. quam refert *P. Biu.* in Not. *ad Dextr. Ann.* 94. *fol.* 187. Vbi S. P. corripit *Iulianum* Carpetanum, & *Iulium* Abulensem Episcopos, ex eo quia permittunt filios Gentilium ab ipsis baptizatos, cum parentibus cohabitare, cùm Domini verba sint Math. 10. *Veni separare hominem aduersus Patrem suum*, &c. Ex quo liquet *S. Alexandrum* etiam *à S. Iuliano* conuersum, & baptizatum fuisse. IV. Quòd agonem consummasset anno Domini XCV. patet ex loco *F. Dextri* relato, à quo etiam P. Higuera, & supra relati.

Vrbs Pydne in Hispania à quibus condita.

Iuliani Episcopi Toletani memoria.

PRO istius ALEXANDRI Martyris *Pydnensis* ecphrasis confirmatione antiquum ex MS. Codice *Auli Hali* mei Epigramma subiicimus, quo & *Dextri* verba auctorabis, & *Pydnensis* vrbis in *Hispania* existentiam cognosces. En tibi do.

PRO S. ALEXANDRO PYDNENSI Martyre.

EN tibi Pydne *damus duplex cum Martyre nomen,*
Martyris & primum, martyriique aliud.
Fortis ALEXANDER *Christi spectabile carpens*
Verbum ex Carpenti Præsule, Martyr adest.

Ex huius Epigrammatis compendiosâ relatione depromimus, PYDNE vrbem in *Carpetanis* fuisse *Hispania*, ibidémque Martyrem egisse ALEXANDRVM, qui à *Carpetanorum* Episcopo Christi fidem esuxit. Hinc non possum non valde mirari, quâ incuria *P. Antonius Quintana-Dueñas* (post hæc scripta, à me visus) abs *Toletana* diœceseos Diuis, tantum Martyrem amandarit, quando istius brauium agonis, sic celebre apud *Carpetanos* fuit, sic notum ab eius Prouinciæ scriptoribus demonstratur, vt nulla potuit ignorantiæ nebula obscurari. Sed quos Doctissimus Pater Diuos penitus ignorauit, in Nostro hocce Martyrologio supplebimus: & iusto iure; nam cùm ad hanc Curiam veniret, decreto Eminentissimi ac Reuerendissimi Domini *D. Balthasaris* S. R. E. Cardinalis *Moscoso*, & *Sandoual*, Archiepiscopi Toletani, vt Sanctorum Toletanorum Volumen Actorum patriâ linguâ conscriptorum prælo daret, sæpe sæpius ab eo vt volumen illud mecum communicaret, continuis efflagitationibus postulaui, fortè vt illi aliqua ab eo nec visa, imò nec cogitata concederem. Ast talis fuit sui Voluminis cupiditas, & tanta Patris ambitiosa restrictio, vt nec paginam quidem oculis meis conspe

P. Quintana-Dueñas istum Sanctum Martyrẽ omisit.

Eius parcitas in communicandis Diuis Toletanis.

conspectandam permiserit, & quod plus est, quòd acceptis à me diuersarum rerum Notitiis, & propalatis Nostræ Bibliothecæ Voluminibus, vix nominis mei vocabulum in his quæ contuli, ingratâ tenacitate contexuit. Sed cùm omnes in Dei gloriam & Sanctorum Nostrorum honorem, pensum gratitudinis exoluamus, non est cur hæc dicta odij stimulo credantur, sed potius compassionis angustia, ex eo quod meis voluit laboribus, & promissionibus abuti.

PYDNE. Vrbem fuisse olim in Carpetanorum populis suadet *Dextri* auctoritas, cum de hoc Nostro Sancto Martyre agit. Hodie recentiores credunt Oppidum esse PIOZ in regione quæ dicitur ALCARIA Toletanæ diœcesis, vt scribunt P. Higuera in *Martyrol. Hispan.* P. Biuar. *ad Dextr. d. fol.* 190. Turiasonensis Episcopus in *Primat. Tolet. d. fol.* 156. & Author. *Hist. Complutens. M S. c.* 9. *& seqq.* qui etiam de Nostro Martyre agit licèt parcè. *Topographia.*

IDIBVS MARTII.

DIES XV.

A. CAVRIÆ *in Vettonibus Hispaniæ* S. VINCENTIÆ *Virginis, & Martyris, quæ cum pro fide Catholica defendenda, hæreticorum baptisma respueret, innumeris afflictata cruciatibus, ad æternam requiem properauit strenua.*

B. CORDVBÆ *in Hispania Bætica* S. LEOCRITIÆ *Virginis, & Martyris*, S. Eulogij *Presbyteri discipulæ, quæ cum ex Sarracenorum origine fuisset progenita, & per* Litiosam *eius consanguineam fidei regulam accepisset, Christum occultè coleret, demum eius pietas propalata, carceri per parentes inducta, variis conuulsa cruciatibus, collo mucroni extenso, victrix cœlum adscendit.*

C. AVGVSTÆ Ausciorum *in Nouempopulania Galliæ, &* OSCÆ *in Celtiberia Hispaniæ* S. ORENCII *Confessoris, & Illustrissimi Martyris* Laurentij *fratris; illinc propter Præsulatus cathedram insignis, isthinc propter natiuitatis originem celebris adhuc memoria perseuerat: Qui in omnibus completo ordinis munere, & in toto expletis Numinis præceptis, humanitatis tegmine exutus, Orientem felicitatis in Domino adinuenit æterna.*

D. TOLETI *in Carpetania Hispaniæ Depositio* B. RAYMVNDI *Abbatis Fitteri in Regno Nauarræ, & Or-*

dinis Calatrauæ Institutoris : Qui cùm suos verbo, & opere ad religionis normam Monachos perduxisset, Toletum aduentans, Calatrauensis vrbis à Sarracenis impetitæ, Templariis recedentibus, defensionem pollicitus, copioso suorum, & aliorum fidelium exercitu collecto, Moabitarum militem fugauit, Oppida, & populos Castellæ Regibus adiecit, Militarem ordinem ob fidei defensionem instituit, & tandem miraculis clarus ad Dominum properauit.

E. BVRGIS *in Hispania Citeriori* S. SISEBVTI *Abbatis; qui postquam Cœnobium S. Petri Karidignense per aliquot annos rexisset admirabilis, & vitam inculpabilis peregisset Angelicam, pietatis honore conspicuus, & mirabilium patratione percelebris, æternam sanctitatis acclamatione promeruit.*

F. BARCINONE *in Laletanis Hispaniæ, Depositio* S. MATRONÆ *Virginis, & Martyris Thessalonicensis; Quæ ab ipsius hera Iudæa, pro fide Christi, quam in cordè seruabat, comprehensa, afflicta, & cæsa esset, tandem ærumnis confecta, per tolerantiæ gradus ad Sponsum liliis redimita deuenit.*

G. TRIDENTI *in Italia*, S. MAGIORIANI *Confessoris; Qui ex Cauria vrbe Vettonum in Hispania oriundus, cum Maxentia matre, & Vigilio Tridentino Episcopo, Claudióque fratribus illuc aduentans, ibidem glorioso fine quieuit.*

H. CAPVÆ *in Campania Italiæ*, B. MATRONÆ *Virginis; Quæ cùm ex Lusitania Hispaniæ, cuius erat accola, Capuam, ob sanitatem fluxûs sanguinis, quo laborabat, consequendam, ad S. Prisci sarcophagum, Angelo nuntiante, cum duodecim pedissequis conuenisset, sanitati restituta, templum erexit, in quo cum Virginibus contubernalibus Deo viuens, miraculis clara, spiritum Sponso reddidit candidissimum.*

I. TAROVCÆ *in Lusitania Hispaniæ* B. ADELBERTI, *Bernardi Discipuli; Qui cum Lusitaniam cum B. Boëmundo & aliis fratribus Claræ-Vallis adiret, & Monasterium S. Ioanni Baptistæ, cælesti admonitione construeret, Prior factus, regulam sic virtutibus sociauit strenuus, vt miraculis clarus totius prouinciæ circulum adimpleret, donec mortali sarcina exutus, iu-*

cunditatis

cunditatis stolam seruus fidelis indutus, ad gaudia inclitus euolauit æterna.

K. BRITONIÆ *in Hispania Citeriori* S. ARISTOBOLI, *SS. Apostolorum* IACOBI *Maioris, & Ioannis Euangelistæ Parentis, qui cùm per Hispanias, quarum fuerat filius primus Apostolus, & Magister, Euangelicæ veritatis grana perséreret, Britoniæ Episcopales infulas induens, pro fide in fine coronatus occubuit.*

NOTÆ.

SANCTA VINCENTIA Virgo.] Illa est beatissima fœmina, de qua S. Gregor. Turon. *Hist. Franc. lib. 2. c. 2.* celebre constantiæ compaginat elogium. Et licet nomen Martyris clarissimæ Venerabilis silentio inuoluat Antistes, originísque locum, palæstræ stadium obliteratæ antiquitatis inuolucro reticeat; ne tanti facinoris in Viragine gloria deperiret, & tanti splendoris honos extingueretur in vrbe, en *Dextri* Chronicon, qui A.

——vt solet aër
Purpureus fieri, cùm primùm Aurora mouetur,
Et breue post tempus candescere Solis ab ortu:

totas Hispaniæ, & Orbis ignorationes dissoluens, clarissimum diem veritatis adduxit. Iste igitur Vir clarissimus, quod à Gregorio aut ignoratum, aut silentio obuolutum lamentabamur aperiens *Ann. 424. n. 4.* hisce periodis propalauit: CAVRIÆ *in Hispania, Virgo* Lusitana *nomine* VINCENTIA, *Catholica, ab hæreticis Arianis, immensis propemodum cruciatibus afficitur, quòd semel catholicè tincta, nollet hæreticorum intingi baptismate: quæ hoc anno* Idibus Martij *tandem grauissimè torta Virgo, & Martyr migrat in cælum.* Cuius ecphrasim assumens P. Higuera *in Martyrol. Hispan. M S.* hoc die ista conscripsit: *En* CORIA *Ciudad Obispal de Estremadura* S. VINCENCIA *Virgen, y Martyr, laqual en tiempo delos Arianos siendo rica, y de esclarecido linaje, y loque mas es de estimar muy Catolica, y amadora de la Fee del Concilio Niceno, que sin reprehension ni queja seruia à Dios, fue expuesta por la confesion de la Fee Catholica alos tormentos, hasta que acabò la vida temporal, y consiguio Virgen, y Martyr la eterna.* Quæ verba sic latinè sonant: CAVRIÆ *in Vettonia* S. VINCENTIA *Virgo & Martyr, quæ cum esset diues, & illustris genere, & quod plus est Catholica, & fidei Concilij Niceni obseruatrix strenua, vita laudabili sine offensione sublimis, & sine reprehensione conspicua, in Dei obsequio perpetuò vigens, ab Arianis pro fidei confessione tormentis exposita, tandiù macerata cognoscitur, donec vitam temporalem amittens, æternam Virgo, & Martyr inuenit.* Eius memoriam recolunt Padill. *Hist. Eccles. Hisp. tom. 1. cent. 5. c. 17. fol. 145.* P. Ludouic. ab Angel. *in Viridar. SS. Lusitan. c. 37. fol. 105.* P. F. Franc. Biu. *ad Dextr. d. Ann. 424. n. 4. fol. 443.* Roder. Car. *ibidem fol. 148.* Perperam *Higuera* ad diem XVI. Maij huius Virginis anamnesim reiecit, cùm liquido constet ex Dextro hoc die martyrium consummasse. His sic prælibatis ad ACTA à Turonensi conscripta, & à *Dextro* reintegrata deuenio.

Scriptores.

Historiographi.

ACTA S. VINCENTIÆ VIRGINIS, & Martyris Cauriensis, ex Dextro, & Turonensi.

Origo. VINCENTIA *ex nobilissimis Senatorum familiis, apud* Cauriam *Vettonum in Hispania antiquissimam vrbem orta, ab incunabulis fidem est amplexa Catholicam, in cuius obseruantia vitam admirabili pietate ducebat.* *Catholica.* *Erat ergo praediues opibus, & quod nobilius est fide Catholica pollens, Deoque omnipotenti irreprehensibiliter seruiens. Per idem tempus persecutionem in Christianos* Trasimundus *VVandalorum Rex Arianus* *Persecutio.* *exercuit, & totam* Hispaniam, *vt ad perfidiam Arianae Secta consentiret, tormentis, ac diuersis mortibus impellebat. Vnde factum est, vt ad hanc quaestionem adduceretur* VINCENTIA. *Cúmque Regis fuisset oblata conspectibus, cæpit eam primùm ad rebaptizandum blandis sermonibus illicere. Qua cùm venenosum eius iaculum fidei per arma propelleret, præ-* *Opibus exuitur.* *cepit Rex facultates eius auferri, quæ iam mente possidebat regna paradisi. Deinde suppliciis applicatam, sine spe præsentis vitæ torqueri. Quid plura? Post multas quæstiones, post ablatos terrenarum diuitiarum thesauros, cùm* *In lauacrū Arianorū inuita deducitur.* *ad hoc frangi non posset, vt Beatam scinderet* Trinitatem, *ad rebaptizandum inuita deducitur. Cúmque in illud cænosum lauacrum vi cogeretur immergi, ac proclamaret:* Patrem cum Filio, ac Spiritu-Sancto vnius credo esse substantiæ, essentiæque; *digno aquas vnguine cunctas infe-* *Torquetur, & decapitatur.* *cit. Ex hinc ad legitimam deducta quæstionem, post equuleos, post flammas, & vngulas, Christo Domino capitis decisione dicatur,* Idibus Martij, *Anno Domini* CCCC. XXIV.

CIRCA huius relationis veritatem, & *Dextri* autoritatem duo nobis se offerunt exquirenda. I. Quod *Trasimundus* de quo *Turonensis* vixit ad Annum CCCC. LXXXVI. vt ex Actis *S. Fulgentij Ruspensis* liquet, quod si sic se habet perperam conueniunt verba *Dextri* cum ecphrasi *Turonensis*. II. Quod tempore passionis VINCENTIÆ (esto quòd euenerit Anno à *Dextro* recensito) VVandalorum regnum tenebat *Gensericus*, ergo illa Virgo anonyma de qua *Turonensis*, alia diuersa est à Virgine *Cauriensi* VINCENTIA nomine, cuius meminit *Dexter*. PRIMAM excitauit controuersiam P. Biuar. *d. n.4. fol.444.* asserens *corrigendum esse Turonensem, quòd dicat Nostram Virginem sub* Trasimundo *passam, qui tamen re-* *Trasimundus idem quod Gensericus.* *gnum accepit multos post annos.* Quia saluâ pace tanti Viri, non est cur corrigatur *Gregorius*. Ad probationem venio, quâ feliciter, & veraciter expletâ, duobus superiùs adductis difficultatibus, responsum præbebimus. Nihil tàm notum ex Gothorum historiis *Gundericum* fuisse Regem VVandalorum in Hispania I. quo à dæmone è viuis sublato, successisse fratrem, quem Isidorus *Gisericum*, Rodericus Toletanus *Gensericum*, & alij *Gunthar em* vocant. Varietas ergo isthæc nominis, Historiæ substantiam non mutat; ergo quem Nostri, aut *Geisericum*, aut *Turonensis concordat in successū Dextro.* *Gensericum*, siue *Guntharem* nominarunt, Turonensis *Trasimundum* appellauit, & non ex hoc historiæ veritas cadit, cùm cætera omnia successui coæquent. Conueniunt ergo ad Annum à *Dextro* assignatum, ergo perperam venit corrigendus *Gregorius*. Patet: Nam ipse *Turonensis* loquitur de illo VVandalorum Rege, qui Hispaniâ relictâ, Africam transfretauit ad Annum CCCC. XXVI. vel circiter; ergo de *Trasimundo* Anno CCCC. LXXXVI. in viuis agente, perperam locutum fuisse credemus. Quòd de illo, siue *Geiserico*, siue *Genserico*, aut *Gunthare* loquatur, nomine *Trasimundo*, ex eius verbis depromitur. *His enim diebus* (inquit) Gundericus *Rex obierat, in cuius loco* Trasimundus *obtinuerat regnum*, & post pauca: Trasimundus *spopondit, vt scilicet præparatis itineris necessariis se à finibus Hispaniæ remoueret.* & illicò Virginis, & Martyris agonem recenset. Denique Rex ille qui Virginem diuitiis, & vita spoliauit, successor fuit *Gunderici*, vt Nostræ, & Turonensis Historiæ conclamant, *Trasimundus* Turonensis successit *Gunderico*, ergo de *Geiserico*, aut *Genserico* Nostrorum agit. Hinc elicies responsum

responsum duplici adductæ difficultati; Primæ, quia *Turonensis* haudquam est de *Trasimundo* filio *Gundabundi* locutus, qui iam per aliquot annos regnum in Africa tenebat, ideóque nulla in *Dextro* discordia inest. Secundæ, quia quem Nostri *Gensericum* vocant, idem ipse est, cui *Trasimundi* nomen intulit *Gregorius*. Hanc nostram opinionem tenuêre Ambros. Moral. *Hist. Hisp. lib.* 11. *c.* 22. Padill. *Cent.* 5. *c.* 17. Carrillo *Annal. Eccles. Ann.* 424. & eius Abbreuiator Camargo *fol.* 95. *Soluitur Quæstio.*

CAVRIA. Ciuitas vt diximus in *Vettonia*, Sedes Episcopalis, hodie CORIA. De ea diximus *VI. Id. Ianuar. Tom.* 1. *fol.* 105. Ibidem I. Opinionem de eius Conditoribus adsignauimus, nunc II. ex Franc. Tarraph. *de Reg. Hisp.* assuemus. Illam conditam à Græcis *Cariensibus* Anno ante Christum natum DCC. XXXV. dixit, hincque à Conditoribus CARIA, post CAVRIA dicta est. Hanc opinionem etiam retulit Roder. Mend. Silua *in Populat. Hisp fol.* 71. *c.* 6. Aliam in posterum dicemus. *II. Opinio de Conditore.*

S. LEOCRITIA Virgo, & Martyr.] Hæc *S. Eulogij* Presbyteri, Toletanæ Sedis Episcopi electi, & Martyris Cordubensis, Discipula fuit, quæ sic eius doctrinæ, & pietatis fixit præcepta, vt fidei constantiâ munita, tempore agonis illi viuere Christus esset, & mori lucrum. Tantæ Virginis memoria penè apud omnes Martyrologos inuenitur, inter quos *Galesinius* h. d. sequens compaginat elogium: *In Hispania* S. LEOCRITIÆ *Virginis, & Martyris. Hæc è parentibus impijs nata, studio* Litiosæ *cognatione sibi coniunctæ, fidem Christi complexa est, quam à teneris annis susceptam, deinceps spiritualibus exercitationibus auctam, primò occultè, post palam, & publicè coluit; à quo cultu, nullis parentum, neque cohortationibus assiduis, neque teterrimis minis abduci potuit. Diuino igitur munere ad fidei confessionem in dies vehementer confirmata, inuicto animo martyrij cursum confecit.* Eius ACTA descripsit *Aluarus Cordubensis*, è quibus *Martyrolog. Roman. Lusitanum, Castellanum*, & *Hispanum MS.* P. Higuera, *Breuiarium Cordubense*, P. Roa *Hist. SS. Cordubens. fol* 48. Mariet. *Histor. SS. Hispan. lib.* 4. *c.* 40. *fol.* 106. Ambros. Moral. *Histor. Hisp. tom.* 3. *lib.* 14. *c.* 27. Eius acta certaminis, vt antiquitati consulamus, ex *Aluaro* exscribemus. B.

ACTA S. LEOCRITIÆ V. & M. Cordubensis, ex Aluaro Cordubensi.

LEOCRITIA *ex vrbe* Corduba *oriunda, genere nobilis, mente nobilior, ex Gentilium fæce progenita, & ex luporum visceribus prodita fuit. Dudum per quandam sibi genere proximam, Christo dicatam, nomine* Litiosam, *aquis salutaribus tincta, & occulta fide Christi induta enituit, odorémque nectareum notitiæ suæ cunctis adspersit. Etenim cùm ad iam dictam religiosam in annis infantiæ, more propinquitatis recurreret, eámque, quibus illa sermonibus poterat, quotidie instrueret, tandem respectione cœlesti fidem Christi mente suscepit, & ardore amoris susceptam pectore conseruauit. Quæ dùm ad annos sapientiæ veniret, & scientiæ contingeret lumina, fidem illam, quam tenerrimis institutis occultè didicerat, quotidie fomentis spiritualibus auctam, in amplius crescentem alebat, primùm occultè, deinceps patulè, & apertè. Quam parentes sedulò admonentes, & nihil omninò proficientes, conati sunt eam flagellis, & verberibus impetere, vt quam per blandimenta amouere non poterant, saltem terroribus coërcerent. Sed ignis ille, quem Christus in corda fidelium misit, nullis minis cedere nouit. In hoc conflictu, dùm diebus vapularet, & noctibus, séque acerrimis impetendam vltionibus, & duris vinculis præpeditam videret; metuens, ne non propalatâ publicè fide, cauterio vteretur perfidiæ: per internuntios Beatissimo* Eulogio, *epinatissimo iam multis talibus Viro operibus, vel sorori eius* Anulloni, *Virgini Deo dicatæ eiusam suam innotuit, & quia ad tutiora loca fidelium, in quibus fidem suam possit interrita propalare, ire vellet, exposuit. Illicò* B. Eulogius *solitum officium recognouit,*

Patria & origo. *Ex Ethnicis orta.* *Fidem amplectitur.* *Corripitur à parentibus.* *S. Eulogiũ de terroribus à parentibus illatis certiorem facit.*

& vt erat fautor anhelantißimus Martyrum, hanc exire clàm per eosdem internuntios ordinauit. Illa concitè artem fingens, & parentibus quasi consentiens, nostramque fidem verbis impetens, & data opera, omnia selecta ornamenta induens, séque more illorum quasi placituram, & nupturam seculo ostendens, nisa est eorum inflectere animos, & sibi exosos comere gressus. Cúmque sibi omnia iam tuta inesse prospiceret, ad nuptias quorundam propinquorum suorum, quæ ipsis agebantur diebus, fingens, vt eidem officio congruit, ornatè procedere; celeri cursu se Beatißimo Eulogio, *vel Sorori eius* Anuloni *tutandam exhibuit. Quam mox grato animo suscipientes, occulendam probatißimis tradiderunt amicis. At vbi pater eius, & mater expectantes filiam, non viderunt, delusos se ingemiscentes, rabie inauditâ, & dolore inuiso, se ipsos cruciantes, cuncta disturbant, vniuersa contaminant, currentes per ignotos, & cognitos, & potestatiuè, ac iussione Præsidis, quosque impetendos putabant, carceribus, & vinculis onerabant, viros, mulieres, confessores, sacerdotes, deuotos, vel quos poterant flagellis, & carceribus affligebant, si quo modo possent filiam suam, per hæc, & ampliora recipere. Illa tamen ieiuniis, & vigiliis insistens, & cilicio membra tegens, vel puluere cubans, seuerè membra corporis elimabat. Sed & Vir Beatißimus cum reuerentia nominandus* Eulogius *nocturnas vigilias adpetens, & in Basilicam* S. Zoyli *terratenùs prostratus orans, noctes insomnes ducebat, auxilium Domini, & fortitudinem Virgini imprecans, & se per hæc exercitia Domino consecrans.*

In domum Eulogij fugit.

Quæritur Virgo.

INTER *hæc Virgo Serenißima* B. Eulogij *germanam quam ardenti desiderio diligebat, videre voluit, & ad eorum habitacula nocte deuenit, reuelatione Domini prouocata, & auiditate consolationis perducta, vt vno die tantummodo cum eis moraretur, & iterum ad solita latibula repedaret. Quibus & retulit sibi vna, & alia vice, oranti, liquore mellis os repletum fuisse, quod se non ausu temerario expuisse, sed inglutiisse, crasi elementi admirando speciem, referebat. Cui ille Sanctus hoc esse præsagium illam regni cœlestis dulcedine perfruituram, disseruit.*

Nocte in domum Eulogij vadit.

VERVM *dùm alio die redire Virgo disponeret, actum est, vt comesitioneris, non horâ suetâ, sed illucente Aurorâ, veniret. Nec potuit aditum exeundi habere, quippè, quæ nocturno tempore, pro vitandis insidiis solebat incedere. Prouisum est, vt eadem die, vsquedum Sol metam sui luminis terræ subduceret, & nocturna tenebræ quietudinem optatam indulgerent, Virgo Dei, eo quo manebat loco persisteret. Humano quidèm consilio, sed diuino retinebatur iudicio, vt & suam sibi coronam, &* B. Eulógio *imponeret gloriæ diadema. Nam eo die, nescio cuius instinctu, quorumve insidiis, & proditione, locus Præsidi latibuli indicatur, & à militibus ad hoc missis, ex improuiso, omnis illa eorum habitatio circundatur. Actum est, vt electus, & prædestinatus Martyr præsentialiter adfuisset. In cuius præsentia iam dictam Virginem educentes, cúmque vnà pariter comprehendentes, verberantes, multisque contumeliis affligentes, iniquo Præsidi, & scelerato iudici præsentarunt. Post hæc* Eulogio *martyrio coronato, Beatißima Virgo* LEOCRITIA *multis oblectationibus delinita, multisque promissionibus impulsata, tandem, diuino munere, soliditate fidei roborata, Quarta post* S.Eulog.*martyrij die, extitit decollata, ac in flumine Bætis proiecta. Sed a quis nec submergi potuit, nec celari, erecto enim corpore pergens, mirum omnibus visura præbuit. Et sic à Christianis educta, in Basilica* S. Genesij *Martyris, quæ sita est ad locum* Tertios *extitit tumulata. Passa est Virgo, & Martyr Sanctißima* Idibus Martij, *Anno Domini* DCCC. LIX.

Capiuntur Eulogius & Leocritia.

Patitur Virgo.

Tumulatur.

Error in die. *P. Marieta*, & *P. Martinus de Roa* (nisi sit error in prælo) festum tantæ Virginis, & Martyris ad diem sequentem appingunt. Ast in Actis ab *Aluaro* scriptis, hac die passam LEOCRITIAM affirmat calculus.

Error in nomine. Nec sunt audiendi, qui S. Nostram, LVCRETIAM vocitant, cùm vt ex ipso *Aluaro* elicitur ex Actis, & hymno.

Sed

Sed iam cum meritis digna rependere
Christus cunctipotens vellet LEOCRITIAM
Rectè mox lepidam VIRGINEM *extulit,*
Quæ clarum famulum axe reconderet.

Valdedemiror, vt quid non S.E. Cordubensis huius Virginis festum appingat in Fastis, maximè in concessione Gregorij XIII. Pont. Max. in qua nec verbum in Kalendario. Colatur etenim Virgo, si non ex illa Gregorij concessione, ex alia ipsius Pontificis indulgentia, quâ omnibus *Hispaniæ* Ecclesiis conceditur Officium de Sanctis propriis vniuscuiusque Ecclesiæ, & hoc absque Sedis Apostolicæ noua iussione, cum illa Gregoriana adhuc absque vllâ derogationis notâ in suo robore perseuerat, vt pluribus explicant P. Quintana-Dueñas *tom.* 1. *Singular. Quæst. Sing.* 36. & *in Notat. ad SS. Toletan. Notat.* 1. *& seqq.* Rus-Puerta-P. Villegas, & alij in *Memorialib. pro SS Vrgabonensib.* Et hoc ita vt de Communi Officium recitetur, nam proprium absque Sedis Apostolicæ probatione, recitari non valet. ERGO in posterum S. E. Cordubensis LEOCRITIÆ suæ vrbis accolæ, & Martyri officium restituat, istam accidentalis gloriæ significationem impartiatur, & quæ in agone tot eius est demirata triumphos, in necessitatibus animæ, & corporis, multiplices experiatur impetrata fauores. De eius TRANSLATIONE ad Ouetensem Ecclesiam plura diximus supra *die IX. Ianuarij, Tom.* 1. *fol.* 108. *S. E. Cordubensis nō recitat de S. Leocritia. Ad eius officium incitatur.*

CORDVBA. De hac Nobilissima Vrbe nonnulla superiùs diximus. Ast quia eius situm demireris, ex *Ambrosij Morales* chorographiam ausculta. *Sita est* (inquit) CORDVBA *in ipso fermè* Bæticæ *prouinciæ meditullio, atque in his eius populis, qui* Turduli *ab Ptolameo, Plinio, & Strabone nominantur. Ab ortu ea regio ad* Bastulos, *seu* Bastetanos *vsque protenditur: Ab occasu* Turdetanos *contingens Hispalensi tractu terminatur. Habet ad meridiem latè patentes campos, qui ad Mediterraneum mare & Herculeum fretum extenduntur. Quà verò parte* CORDVBA *Septemtrionem spectat, posita est ad ipsas* Marianorum Montium *radices, quos nunc Hispani patrio nomine corrupto* Sierra Morena *hoc est* Morenos Montes *dicimus.* En eius situs, alibi eius fertilitatem subiiciemus. *Corduba situs.*

S. ORENTIVS Episcopus, & Confessor.] Frater fuit *Laurentij* Illustrissimi Martyris; Cuius dies festus in antiquis Martyrologiis *die I. Maij* consignatur cum *SS. Orentio*, & *Patientiâ* Parentibus. At Ecclesia *Oscensis*, in hunc diem ipsius refert anamnesim. Hoc intellecto, antiquorum, & neothericorum verba recenseamus. *Ad Kal. Maij* Ado: *Tolosa natalis S. Orentij Episcopi.* Vsuardus: *Apud Ciuitatem Auscium* S. Orientij *Episcopi, qui virtutibus ornatus Sancto fine quieuisse scribitur,* Maurolycus corruptè vrbem: *Apud Ausitam* S. Orientij *Episcopi.* Alexander de Peregrinis vitiato nomine: *Apud Ciuitatem Ausium* S. Oriensis *Episcopi.* Galesinius plenius: *Auscij* S. Orientij *Episcopi, qui religione, cœlestique virtute imbutus, atque omni sincerâ diuini cultus Sanctitate clarus dormiuit in Domino.* Philipp. Ferrar. *in Topograph. SS. verb. verb.* Auscium. *fol.* 18. Martyrol. *Rom. Lusitanum, Castellanum, Gallicanum* Andr. Suaff. & *in Supplem. tom.* 2. *fol.* 115. Hoc die Idibus Martij, ex Ecclesiæ *Oscensis* Tabulis, Philipp. Ferrar. *in Catal. Gen. SS. fol.* 112. his verbis. *Osche in Hispania* S. Orentij *Episcopi.* P. Higuera *in Martyrol. Hispan. MS.* his: *Este mesmo dia* S. Orencio *Obispo de Aux, hijo delos SS. Martyres Orencio, y Paciencia, celebra su fiesta la S. Iglesia de Huesca de Aragon, como de su hijo, y Ciudadano.* Quæ latinitate donata sonant: *Eodem die* S. Orentius *Episcopus Auscensis, SS. Martyrum Orentij, & Patientiæ filius, cuius festum celebrat* S. E. Oscensis *tanquam de filio, & Ciue.* Excellentiss. Dux Ixayensis *in Catal. SS. Hispal. MS* P: Mariet. *Hist. SS. Hisp. lib.* 5. *c.* 86. *fol.* 143. Ambros. Moral. *Hist. Hisp. lib.* 9. *c.* 46. *fol.* 319. Didac. de Aynsa *Hist. Oscens. lib.* 2. *c.* 2. *fol.* 111. Don. Vincent. Blasc. *Histor. Aragon. lib.* 3. *c.* 20. *fol.* 103. *tom.* 1. Padilla *Hist. Eccles. Hisp. tom.* 1. *Cent.* 3. *c.* 12. *fol.* 116. Didac. de Morillo *Hist. Cæsaraugust.* 1. *p. c.* 22. *fol.* 188. Amicus Noster Doctor Ioann. Franc. Andreas *in toto integro Libello de Patria S. Laurentij* præcipuè *c.* 5. *fol.* 95. *& fol.* 1[illegible]. C. *Olim festiuitas die I. Maij. Hodie Idib. Martij. Scriptores.*

fol. 103.*c.*7.*fol.* 145.*&c.*8.*fol.* 175.*&* 176. & ante omnes Iulian. *in Chron. n.* 104. Eius ACTA ex Scriptoribus, & Breuiariis vetuſtis decerpimus.

ACTA S. ORENTII EPISCOPI AVSCENSIS, Confeſſoris, ex Breuiar. & Scriptoribus.

Patria. ORENTIVS *ex nobilibus* Orentio, *&* Patientiâ *parentibus* Oſcæ *in Tarraconenſi Hiſpania natus, fratrem habuit Adelphum* Laurentium, *Eminentiſſimum S. R. E. Cardinalitio ordine inauguratum. Quos cùm poſt ſacri baptiſmatis ablutionem Parentes Sanctiſſimi ab infantia Deum timere docuiſſent, euênit, vt eorum indoles admirabilis, & Deo grata noſceretur, & omnibus. Ad annos igitur diſcretionis peruenientes Adelphi,* *Indoles.* *illos parentis ſolertia* Oſcæ *Magiſtris primis literis tradidit imbuendos. Qui vt perſpicacis ingenij iuuenes, illa rudimentorum exordia felici, & facili comprehenſione percipientes, breui inter ſui ſtudij commilitones principatum viriliter obtinuêre. Hae etenim principia virtutis, & viuacitatis præludia Pater agnoſcens* Orentius, *adoleſcentulos* Cæſarauguſtam *dimiſit, vt ibidem maiora doctrinæ perciperent ſpecimina, & ſub Præſule* *Studia.* Valerio *Sanctiſſimo vitæ normam Catholicæ continuâ aſſiduitate perdiſcerent. Voto patris ſuperuênit euentus; nam Laurentius per S. Sixtum Romam tranſlatus, &* ORENTIVS *ad propria reductus, ille Romam eius agone illuſtrauit; iſte totius* Vaſconiæ *circulum, eius infulâ decorauit. Nam mundi nugarum pertæſus, diſtributis in pauperes opibus, totum ſe ad* *In eremum ſeceſſit.* *Dei cultum conuertit, séque cæleſti directus indicio, in deſertum locum recepit, vt puriùs ſupernæ Maieſtati deuoti famulatus obſequia referret. At multis ad eum confluentibus, cum orationum gratiâ diuinâ, quâ flagitabat beneficia, omnibus impetraret, longius abſcondendum ratus, in* Vaſconiam *fugiens, ad Bigorræ vallem perrexit, vbi in deuexo montis latere,* *Oratorium extruxit.* *qui* Liuitania *dicitur, Oratorium erigens, illi hæſit, diu, noctuque Deo ſeruiens in oratione, ieiunüs, & vigilijs, ita vt Angelicam potiùs, quàm humanam vitam perageret. Eius veſtigia pater ſenex (diu iam tumulatâ Patientiâ vxore) inſequebatur* Orentius, *cuius filius exempla demirans, vt prolixius eremi ſilentio vacaret, à patre obtentâ licentiâ in aliud profundum latibulum ſecedens, Oratorium erigens, dæmonum faſtidioſa phantaſmata fugans, pro accolarum ſubuentionis effectu, molendinum etiam in* *Longius à Patre ſeceſſit, vbi miracula.* *riuulo* Iſaurio, *qui præ Oratorij foribus labebatur, licet diſſimili aliorum qualitate, ſtuduit nihilominus conſtituere. Ergo Syluam illam idolomaniæ vepretis horridam, ſic Crucis aratro excoluit, vt deletis ſimulachris, fugatis dæmonibus, illuminatis incolis, Chriſto totam ſubegerit, in cuius lapidum cacuminibus, & vbi phantaſmata homines illudebant, Eccleſia ab* *Eccleſiam conſtruit.* *eo ſtructa ſub* BB. Cyriaci, *&* Iulitæ *Martyrum* Hiſpanorum *titulo, quaſi pro victoria trophæo adhuc conſeruata dignoſcitur. Tanti igitur Viri prodigia è montium abditis proſilientia, vrbium inter inuolucra tumultuum aduentantia, ſui relationem verbis efficacibus protulere, ad quorum admirabilem narrationis inſtantiam, ſic omnium animos admiratio ſubripuit, vt multorum caterua pro videndis miraculis, &* S. Viro, *relictis habitationibus, montes conſcendere fuerit in votis. Omnia hæc Regulo prouinciæ, & magna* Viri *virtus innotuit, & cùm filiam nomine* *Corneliam à dæmone liberat.* Corneliam *à dæmone cognouiſſet obſeſſam, miſit nuntios ad* ORENTIVM, *quatenus iter ad ſalutem puerulæ abſque vlla cauſa retardationis arriperet. Diuinâ* B. Vir. *admonitione didicerat, quidquid in huius negotij exitu, exiſteret peragendum. Hinc viam carpens* Corneliam *à dæmonis angoribus liberauit Chriſti deprecatione interpoſita. Cúmque Regulus filiam ſanitati reſtitutam intueretur pergratus, plurima dona ſi ſecum vellet*

habitare

habitare promisit. Sed ORENTIVS *omnia recusans, præcepto Dei ad proprium Oratorium repedare constituit. Cùm ergo ad* Ausciorum *vrbem perueniret* ORENTIVS, *non procul orationi vacans aliquantalùm stetit, cùm ecce Clerus & plebs, quia orbata pastore, indicto ieiunio triduano supplex ad Deum insistebat, vt sibi de idoneo Antistite prouideret; audita supplicantibus est vox præcipiens:* ORENTIVM in itinere orantem, vobis Episcopum deligite: *cateruatim omnes decurrentes* B. Virum *in oratione permanentem inuenere. Qui ad eius pedes prouoluti de nomine interrogant, & consilito de existentia vocabuli, vocis diuinæ* Viro *supplices indicauêre decretum. Sed* Vir Dei *honoris potius quàm oneris munus abhorrens, à Deo perdiscere voluit, si verbum ab eo egressum fuisset. Fusa igitur prece, virgam quam in manu gestabat in terram defixit, quæ subito frondens effloruit. Vocatum se igitur, vt primum Aaron intelligens, gregis cœlitus sibi tutelam curámque demandatam suscepit. Ergo inclytus Christi præco suam Ecclesiam doctrinis, exemplis, meritis, ac orationibus multipliciter fœcundauit. His autem dum salutaribus intendit officiis, senescente demum corpore, sibi diem extremum sentiens impendere, petito, reuerentérque recepto immortali viatico, Christum, quem vera in carne susceperit, spiritu etiam conspexit, se ad cœlestia præmia inuitantem: cuius consortium desiderans, totus in amorem dilecti Domini liquefactus, purissimum spiritum in eius manus efflauit, Pontificatus sui Anno X L I.* Idibus Martij. *Anno Domini* C C C. I I. *ad cuius sacrum tumulum ingentia passim miracula refulserunt.*

Nutu diuino Episcopus Auscensis designatur.

Virga eius effloruit.

Mortis diẽ prænouit.

Ei Christus apparet.

Moritur.

Hæc sunt Acta puriora, quàm quæ Gonouius *in lib. 4. de Vit. Patr. Occid. fol. 241.* ex Breuiario *Cluniacensi* deprompsit, & cæteri Gallicarum Rerum Scriptores, qui omnes Lectiones illius Breuiarij vitiatas & imperfectas, sequentes; insignes Actorum periodos omiserunt. Et quod plus est, nam adhuc literaturâ, & Ecclesiasticarum cognitione rerum illustres Viri illius Nationis, in illo errore persistentes intrepidi, *Cluniacensis Breuiarij* ecphrasim, provt Euangelicæ veritatis paginam defensant. Interquos primas fert Amicus Noster semper in omnibus mihi venerandus *Doctor Andreas Saussay* Parisiensis Vrbis Generalis Vicarius, qui in quadam eius Epistola ad Nos missa, sub dat. Parisiis, X V. *Kal. Martij* Anno Domini M. D C XL V I I. Vbi aliquorum *Sanctorum Hispanorum*, quorum nomina in suo Gallicano inseruit Martyrologio, Acta, à me expetita, recẽnsuit, hæc sequentia verba pro coronide compulsauit.

POST *has Notationes exaratas (Vir Clarissime) mihi de mandato Christianissimæ Reginæ nostræ significatum est, nuper ad suam Maiestatem perlatas esse preces quorundam piorum Vestræ Nationis hominum, qui quoniam me non segnem operam impendisse non nesciant, Sanctorum Galliæ in vestigandis rebus, inter quos plerosque Hispanos recensueram, vel in sinu Galliæ vitâ functos, vel post gloriosa funera ad Nos pridem translatos: nonnihil idcirco expectabant, sibi à me indicatum iri, an inter legendum* vllibi
reperiissem † FRATREM quempiam fuisse S. LAVRENTIO, & N. 1.
quod ei Nomen? *Porrò quoniam hunc in Gallia ipsa extremos, audierant, exhalasse spiritus, locum designare iterum non grauarer,* vbi † ex N. 2.
hac luce excesserit. *Denique si res in manu esset,* aliquam partem † eius N. 3.
Reliquiarum transmitti ad eos ocyus procurarem. *Quibus postulatis Augusta Nostra gratum sibi fore denuntiauit, si à me quò citiùs possem satisfieret: monitisque pijs, Regia etiam iussa (Patriæ, in causa præsertim Religionis non immemor) addita esse voluit. Lubens pareo imperatis, quamuis me fugiat, à quo vestratium processerit illa suggestio. Quam à* TE *profectam vix potui suspicari, longè* ME *scilicet in Rerum Hispanicarum, & quidem Sacrarum notitia peritiore: quamuis si* TE *Auctore prodyt (longè sit apud me) hoc ipso nomine, cæterorum quorumuis expostulationibus, ipsa acceptior. Quidquid sit planè persuasum habeo, non inauspicatum mihi fore opus candidi mei animi sensus eâ de re tibi vltrò aperire.*

QVAM

N. 4. QVAM pauci ſint, † imo fere nulli inter doctos non ignoras (Eruditiſ-
ſime Vir) qui germanum S. Laurentij vllum agnoſcunt. At quàm multi
ſunt, probè itidem noſti, qui anile Commentum vulgarium Scriptorum
quorundam irrideant, aſſignantium Sancto ipſimet Laurentio fratrem
S. Vicentium Cæſarauguſtanum Archileuitam, cui Veſter Prudentius
(prout Laurentio) epinicium cecinit, alto ſilentio vtrobique huius frater-
nitatis nomen prateriens. Nec vllum fugit Eccleſiaſtica Hiſtoria, vel ali-
quantulum ſcientem, quantus inter vtriuſque Martyris agonem effluxerit
annorum excurſus, cùm occubuerit Laurentius ſub Valeriano, & Vincen-
tius ſub Diocletiano, proinde ille cruore fuſo purpuratus, diù iam in cælis
triumpharet, antequam is in terra oriretur. Nec refert quòd Vincentius
fuerit Laurentio concinis, vterque nimirum Oſchenſis natalibus: nam Phi-
lippus Bethſaida, vt Petrus Apoſtolorum Primas, natus erat, eodémque
tempore vigebat, nec huius tamen, & Andrea frater. Habuiſſe tamen
N. 5. S. Laurentium fratrem † omnino non abnuerim: de hoc enim, etſi
de geſtis S. Laurentij, tàm priſci, quam neoterici Scriptores paſſim conti-
ceant, meminit tamen Ferrarius ſuum citans vadem in Topographia Mar-
tyrologij Romani, voce: Oſcha, hac ſerie: XV. Martij. ORENTIVS
Sancti Laurentij frater. Ex Morales lib. 12. Sed vnde hic, quod ex eu
Ferrarius citat, deſumpſerit, etiam haud indiligenti facta indagine, nuſ-
quam reperio.

SVNT autem qui autumant ORENTIVM apud Ferrarium, & Mo-
rales irrepſiſſe pro ORENTIO, qui celebris fuit Auguſtæ-Auſciorum
in Vaſconia, ſanctitate, & miraculis Epiſcopus, de quo pleraque literis
indidimus Noſtro in Martyrologio I. die Maij, ex tranſmiſſis à Senatu Sa-
cerdotali Sedis pradicta, certis, & genuinis monumentis, in quibus Hi-
ſpanus ortu, adeóque Oſchenſis fuiſſe perhibetur. Alia porrò eius Acta
in veteri Breuiario Ordinis Cluniacenſis Gonouius lib. 4. de Vit. Patr. Oc-
cident. refert, die II. Martij. At in nota huiuſmodi eſt error, non enim
die II. ſed I. conſignandus erat, quà die in Romanis diptychis ſic legitur:
Auſci S. ORIENTII Epiſcopi. Vbi Baronius hac obiter: De eo hac
die Vſuard. Ado item, ſed eum Toloſæ ponit. At perperam, vt con-
ſtat ex Actis. Vſuardus rectè ponit Auſciis, ſed ORIENTIVM nuncu-
pat. Quod vero hic ſit ORIENTIVS quem Morales, & Ferrarius fra-
N. 6. trem fuiſſe ſcribunt S. Laurentij, nec ipſi dicunt, † nec vſpiam reperire
potui. At contra palam indicant tàm citata monimenta Eccleſia Auſcen-
ſis, quàm ea qua de antiquo Breuiario Cluniacenſi ſupra etiam lauda-
uimus. Hac autem poſtrema teſtantur, fuiſſe quidem ipſi ORENTIO
Epiſcopo fratrem, ſed non ſignant, niſi anonymum, eóque natu priorem, &
qui ſecularem, non verò ſacram militiam ſecutus eſt. Beatus ORENTIVS
(verba ſunt citati Lectionarij Cluniacenſis) de Occidentis partibus Vr-
gelenſis Ducis, qui tunc temporis officio Proconſulis fungebatur,
filius fuit, habens fratrem priorem ſe, qui patri in hæreditate ſuc-
ceſſit. Sed vero Acta, qua ab Auſcenſi Eccleſia accepimus, & ſi ORIEN-
TIVM primarium Sedis huius Antiſtitem memorentur, fuiſſe ortu Oſ-
chenſem in Hiſpania Tarraconenſi; hinc tamen ex obitus eius indicio,
non potuiſſe nexu fraternitatis S. Laurentio eſſe deuinctum, euidenter
N. 7. oſtendunt. Clauſiſſe etenim † extremum diem perhibent, Pontifi-
catus Siricij PP. Ann. IX. qui Chriſti fuit CCC. XCV. Cùm enim
S. Laurentius Anno CC. LXI. martyrio occubuerit: ab eius palma, &
laurea, vſque ad ORIENTII pacificum è Sede, & vita exitum, anni
C. XXXIV. interfluxerunt. Quod interſtitium ſatis apertè inſinuat,
nequaquam B. Laurentij eſſe fratrem ipſum ORIENTIVM potuiſſe:
aliàs (quod nemo prudens concesſerit) oportuiſſe ſuperare annos ætatis cùm
obijt Centum & Quadraginta, etiam ſi decennis tantum fuiſſet, cum
ipſe S. Laurentius S. R. E. Archidiaconus, virili planè ætate, & animo,
maiorique

maiorique fide, ac fortitudine agonis sui gloriosi, totôque Orbe mirabilis triumphum peregit. Porrò non † nouimus alium ORENTIVM in Galliis cultu sanctitatis illustrem, ab isto, *qui etiamnum* Augustæ Ausciorum, *gloriosus Pontifex, & perennis Patronus honoratur, & cuius sacra memoria venerationi Prioratum hucusque expectabilem extruxit olim Bernardus Armeniaci Comes. Sed eo fratre S. Laurentij, qui hoc, vel alio quocunque nomine claruerit, nulla apud Nos extat memoria scintilla: vt ludere operam sit, in Gallia eius insignia, & cineres ire perquisitum.* N. 8.

COETERVM *ecquid apud Exteros venamini, quod forte inter patrios fines possidetis? Oschæ siquidem in vestra* Hispania, *vnde ortum duxit* S. Laurentius, *eius parentes* Orentius, *&* Patientia (*quos eos esse* Biuarius *ad* Dextrum *asserit, qui in Romano Martyrologio cultu Sanctitatis celebres* Kalend. Maij *consignantur*) *proprij habentur Tutelares, quam profuso pro fide Christi sanguine irrigarunt, sacrisque etiamnum pignoribus nobilitant, vbi vicissim promeritis honoribus persoluuntur. Sicubi certè inuestigandus est* S. Laurentij *frater, haud melius, quàm vbi ipse natus est, & vbi ambo eius parentes agonem Christianum exantlarunt, ac eo quo dignum est cultu, venerabiles eorum exuuia asseruantur. Audio in Bibliotheca huius Ecclesiæ extare* MS. *& antiquam* S. Laurentij *Historiam, è qua fortassis non difficile fuerit iri depromptum, quod à nobis longè remotis à natiuo rei fonte, quidam Vestratium sibi indicari flagitarunt. Iuuandi illos desiderio, quos pio excitos affectu non dubito, nullum lapidem non moui: siquidem euolui, & reuolui omnes chartas Musæoli mei, vt quidquam ad eorum conferens postulata inuenire possem: sed totus hic meus conatus frustra fuit. Scripsi ad Ecclesiarum Præfectos, qui S. Laurentij patrocinio gloriantur; at nihil profeci. Rectorem etiam Ecclesiæ S. Laurentij Parisiensis (quæ tanta antiquitatis est, vt eiusdem* S. Gregorius Turonensis *sua in Historia* lib. 6. c. 9. *meminerit) rogaui peramanter, num in Templi ipsius scriniis authentica quidem, vetusque vlla esset gestorum S. Laurentij conscriptio, in qua fratris eius* ORENTII *dicti (vel alio quouis nomine) mentio vel tantilla notaretur? Numne de sacris eius lipsanis, vel exilis portio cum sanctis ipsius Laurentij Reliquiis ad cultum esset exposita? Sed nihil ab eo didici (Viro vtique erudito, & facultatis Theologicæ Doctore) quàm haud quidquam inibi suppetere memoriæ alicuius fratris S. Laurentij, quin & si germanum is vllum habuerit, à se suisque Clericis, & populo fidei credito, hactenus fuisse inauditum. Cæterum cura, & operæ in hoc collocatæ nequaquam me pœnitet; at potiùs doleo, quidquid contenderim pro adiutandis vestrorum piis desideriis, meo hoc conatu in cassum abijsse. Erit fortassè quispiam, etiam apud Nostrates, felicior (eius nec inuideo) si aliquando tandem illorum votis optatum afferat complementum. Sed quia nemo te (Vir magne) res* S. Laurentij *meliùs nouit, tùm propter exquisitam Historiæ Sanctorum, quâ præstas scientiam; tùm maximè quod ex* Salazarium *familia B. ipse Laurentius credatur progenitus, parergis pausam imponimus.*

Hactenus ad propositum *Andreæ Saussay* Epistolæ periodus. Cuius si ad singula responsum præbere conaremur, longum proculdubio tractatum texere compelleremur. Idcirco eius ecphrasim ad *Octo numeros*, quos ad marginem apposuimus, totum inuectiuæ parergon perstringemus, provt illud perstrinxit Amicus *Ioannes Franciscus Andreas* Regni Aragonum Chronographus in integro Libello *pro Defensione* S. ORENTII. quem (me impulsore) in publicum edidit, pario idiomate, *Cæsaraugustæ Anno* 1648. è quo, & ex Francisci Didaci de Aynsa in *Translation. Relig. S. Orentij libello Osca Ann.* 1612. excuso; pleraque, vt *Andreas Saussay* ignorationibus faciamus satis, mutuabimus. *Andreæ Saussayo respõdetur.*

DOCTOR *Andreas Saussay* proculdubio eruditissimus Rerum Ecclesiasticarum apud Gallos Scriptor, se à Christianissima Galliæ Regina sua, ortu Nostra, interpellatum fatetur circa TRIA, quæ fortassis à semetipsa, non ab alterius ex N. 1. *Quæsitum I. An Laurentio fra-*

ter fuerit, & cuius nominis. Nostratium instantia, emanasse crediderim, cùm vix esset, si literas didicit, bomopolus, qui illa ignorasset. Quæsita igitur ab Augusta producta, in eo versantur. I. *An aliquis fuerit* S. Laurentio *frater, & quod ei nomen?* Ad hoc quæsitum respondet *Saussay*, nullibi inuenisse hominem, fratrem S. Laurentij. Sed quia infra N.5. de hoc ad amussim à Nobis agendum est, ad alia pergo.

N. II. Quæsitum II. cuius nominis. Hoc Numero, II. Quæsitum à Serenissima *Anna* Austriaca factum enumerat, quod circa huiusmodi *fratris S.Laurentij* Sepulturam versatur. Cui itidem *Saussay* facit satis, contendens haudquam in Gallia talem tumulum inueniri, imò nec memoriæ scintillam, ex qua possint huius rei aliquæ insectari vestigia. Ast N.8. ad hæc probanda consignamus palæstram.

N. III. Quæsitum III. vbi Reliquiæ. Quæsitum III. in eo stat, *an aliquid Reliquiarum ad manum* Suassayo *sint*; Quod si illas adseruasse cognouerit, partem ad Nostros transmittere curaret. Super hoc altum silentium apud *Saussay*. Quis non ridet istius instantiam Quæsiti? Si simplicitatem petentium scrutetur. Nonne apud Nostrates S. ORENTII fratris S. Laurentij Reliquiæ? Quid ergo efflagitatis ignari? Infra ergo Reginæ Christianissimæ, Andreæ Saussay, & hisce ista petentibus illiteratis monstrabimus quot Ecclesia Oscensis S. ORENTII pignora obtineat.

N. 4. Errauit Saussay dicens S.Vincentium Cæsaraugustanum fratrem S.Vincentij appellatum. Hinc *Saussaius* inuehit aduersus aliquos qui *S. Vincentium Cæsaraugustanum* Archileuitam *S. Laurentio* fratrem extitisse germanum dixere, aniléque commentum hocce induxere. Sed qui isti sint, non aperit *Saussayus*. Ego equidem nullum tale quid dicentem inueni: plurimos etenim *S. Vincentium S. Laurentio* consanguinitate coniunctum fuisse, asserentes agnosco: Vnde ergo hæc Andreas? Nisi Philipp. Bergom. *in Supplem. Chron. lib.*8. *Ann.*301. verba inuertere conetur dicentia: *Leuita* Vincentius, *Vir inuictissimus, atque Sanctissimus, natione* Hispanus, *Beatissimi Sixti PP. discipulus, Diuique* Laurentij *Martyris scientia, & virtute* germanissimus, &c. vt retulimus supra *die XXII. Ianuar. Tom.*1. *fol.*122. & illic *Germanissimus* pro fratre perperam vsurpet. Hincque non venit audiendus *Saussayus* hocce commentum inducens, vt probet falsò *S. Laurentio* istam *Vincentij* fraternitatem tributam, vt postmodum itidem eliceat, banc ORENTII prorsus commentitiam esse. Sed hoc sic supposito, ad sequentem *Numerum* pergo, vt plenè scopum attingamus.

N.5. Scriptores qui S.Orētiū Ausciȩ Episcopum fratrem S. Laurentij dixere. *Fratrem habuisse* Laurentium *non abnuit Andreas*, sed fuisse ORENTIVM negat; & quia Ferrarius ORENTIVM fratrem *Laurentij* designauit ex *Moralio*, nodum in scirpo quærit, & locum ex *Moralio* desiderat. En mi Andrea, in *Histor. Hisp. lib.*9. *c.*46. *fol.*319. vbi Lectiones Breuiarij referens Oscensis, prosequitur, patrio idiomate. *Tanbien secuenta en aquellas Liciones, como* S. Laureneio *tuuo vn hermano, LLamado* ORENCIO *como su Padre, que tanbien fue Sancto y Obispo de la Ciudad de* Aux *en Francia*; quæ latinè sonant. *In hiscemet Lectionibus etiam dicitur, quod* S. Laurentius *fratrem habuit, nomine* ORENTIVM, *prout eius pater, qui etiam sanctitate, & infulâ* Auscensis *Ecclesia in* Gallia *claruit.* Sed ne in solo pane *Ambrosij* viuat *Andreas*, nunc testimonia à Nostris, & suis ad satietatem expendere curabimus.

Chronographi. Primas ferat L. Flau. Dext. *in Chron. Ann.*246. vbi P. Biu. *in Comm. n.*1. *fol.*278. qui agens de SS. Parentibus refert: Oscæ *in Vescetania SS. Christi Martyres* Orentius, *&* Patientia, *Parentes S. Martyris, & Archileuitæ* Laurentij *Romæ passi; &* S. ORENTII, *Confessoris, & Episcopi* Auxitani. Secundas ferat Iulian. Petr. *in Chron. n.*104. *fol.*31. bis verbis: Ausci *in* Gallia *moritur clarus miraculis* S. ORENTIVS, *eiusdem vrbis Episcopus, frater adelphus* S. Laurentij *Martyris.* Martinus de Alpartil in antiquo Capellæ simulachro, vbi *S. Patientia* ab Anno 1435. depicta conspicitur, banc subiecit epigrapbem: S. Patientia *genitrix* S. Laurentij *Martyris, &* ORENTII, *Archiepiscopi* Auxitani *Confessoris*, Antiquum *Martyrologium MS. Oscense*, hac serie: ORENTIVS *Osca natus ex Patre Orentio, Matre Patientia*, S. Laurentij frater *gemellus*. Vetustum etiam *Breuiarium Oscense in Lect.*1.

Breuiaria. Fuit *vita Venerabilis, simplex, rectus, & timens Deum* Orentius *nomine. Qui cùm esset nobilis, & temporalibus abundaret, vxorem duxit nobilem, nomine* Patientia, *ex qua in primo iuuentutis sua flore*, vno ortu, *duos genuit* gemellos, *vnum* Laurentium, *& alium*

& alium ORENTIVM. Eadem *Breuiarium* peruetustum *MS. Monta-Aragonense.* In anonymi carmine heroico apud Aynsa *fol.*70. quo vita Orentij patris describitur, quam *die I. Maij* dabimus, ista leguntur.

Aurea progenies diuarum nomine Phœnix Poëta.
Connubio iungenda tibi Patientia, *coniux*
Coniuge digna pari, matres venerabilis inter
Sola gemelliferas, vno castissima partu
Lecta Virûm gemina, vt faciat te, stirpe, parentem:
Vni nomen erit palmæ LAVRENTIVS *omen:*
Alter ab insigni dicetur ORENTIVS *ortu.*

Et post pauca, vt Episcopatus Auscensis memoriam in Nostro Beato ORENTIO Laurentij fratre repeteret, prosequitur.

Inclita conspicuus crebrescet gloria facti,
Fama vbi certa, omnes Auscorum *impleuerit Vrbes,*
Et dederit magnum summo Deus æthere signum:
Quo multos vnus poscetur ORENTIVS *inter,*
Sacrorum Antistes, *atque* Auxi Pastor *ouilis,*

Apud eundem Aynsa *fol.*73. aliud inuenitur decastichon anonymi, quo etiam fratrum Sanctorum vno natiuitatem ortu hisce carminibus extollit:

Cum cœlo certare potes, caput OSCA *corona,*
Quod tibi Sol ORIENS, *sit quoque Luna tibi.*
Est ORIENS *geminus, primi de stirpe secundus,*
Ille micat Maior lumine, nempe Pater.
Nec natus virtute minor, nam tempore vincit
Hunc Pater; Officio vincit at ille Patrem.
Lumine conspicuus Sol est LAVRENTIVS *Heros,*
Orbem qui vastum luce nitente replet.
Luna sed irradians diua est PATIENTIA *Mater,*
Quæ duo partu vno, Pignora chara dedit,

Ioannes de Orda Barcinonensis in Elegia ad S. ORENTIVM pro *Translatione* eius sacrorum pignorum apud Aynsa *fol.* 200. omnia hoc breui compendio cecinit.

Laurenti *frater tuus est* ORENTIVS *ille*
Qui quondam Auxensi *Præsul in vrbe fuit.*
Hic vitæ exemplo, doctrina & moribus, vsque
Splenduit, & mundi clara lucerna fuit.
Sancti ambo, Oscenses *ambo*, fratresque gemelli,
Extitit & vobis Sanctus vterque Parens,

Aliorum carmina tàm Latino, quàm Hispano sermone conscripta adduci poterant, sed illa breuitatis causâ reiicimus, relatione nominum eorum, qui fraternitatem inter *Laurentium* S. R. E. Purpuratum, & ORENTIVM, *Auxitanæ* Ecclesiæ Præsulem, contenti. Ij ergo sunt Ambr. Moral. *d. lib.9.c.46.* Villegas *in Flor. SS. in Extrauagantibus* Michaël Martin. del Villar. *Apolog. pro Patronat. Bilbilitan. MS.* 2. *p.* Doct. Petr. Calixt. Ramiref. *pro leg. Reg.* D. Didac. de Valdes *de Dignitat. Reg. Hispan. c.*7. Mariet. *d. lib.*5. *c.*86. *& lib.*6. *c.*4. Pat. Andr. Scoth. *tom.*2. *Bibliothec.* Historiographi.

thec.Hispan.c.5. D. Ioann. Briz. Mart.*Hist.Pinnatens.lib.1. c.48.* P. Biuar. *in Not. ad Dextr. fol.278. vbi Roder. Caro*, & *D. Thom. Tamayo.* P. F. Didac. Morillo *Histor. Cæsaraug.1.p c.22.* B. Vincent. Blasco *tom.1. d.lib.3. c.20.* & *tom.2. lib.5.c.16.* Didac. de Aynsa passim *in Hist. Oscens.* & in *Translat. Reliquiar.* M. Ægid. Gonsalu. Dauila Chtonogtaphus Regius *in Theatr. Madridens. lib.4.* Lupertius *Leonard.de Argensola* Regni Aragonensium Historiographus, *P. Paulus Albinian.* de Rajas in *Descript. MS. Regn. Aragon.* P. F. Martin. Diest *in Conclus. Historico-theologic.* quas Romæ in Generali Capitulo *Anno* 1619. Minorum defensauit. P. Balthas. Gratian. *in Art. Perspicacit. discurs.52.* D. Ioann. Francisc. Andr. in suis *integris libris Defension. SS. Fratrum. Ludouic. Diez de Aux*, Doct. *Ieronym. Morrugaren*, D. *Iustus Torres*, *Ioann. Michaël de Luna*, Doct. *Ioann. Azcoydi*, *Ioann. de Henao*, Doct. *Iacob. Ram*, *Laurent. Pertusa*, Doctor *Ioann. Sala*, Don *Ioann. Sanz de Latras*, P.F. *Martin. Monesma*, *Dominic. Verdun*, & alij qui diuersis Hispanicis carminibus de huiusmodi sctipserunt fraternitate.

Non obstāt obiectiones Suassay & Catelli.

His non obstant *Andreæ Saussay* instantiæ, quibus nostra conatur rescindere monimenta, fortè *Guillelmi Catel* Scriptoris Galli authoritate subnixus, qui in *Hist. Oscitan. fol.*460. vsque *ad* 464. primus horum Sanctorum fraternitatem negauit, cū suffultus ratione, quòd in *duobus MSS. Actis* S. ORENTII è *Tolosâ* adductis, nullum de hac fraternitate verbum inuenerit, quin potius inuincibilem discordantiam in vtriusque Sancti vitæ computo. Nam *eadem MSS.* ORENTIVM tempore *Theodorici* vixisse proclamitant. En vnius *MS.* ex *Tolosana* Prædicatorum *Bibliotheca* auctographi periodus: *Accidit, vt ab Imperatore* Agetius, *&* Littorius *ad bellandum Gothorum Regem cum exercitu mitterentur, quorum aduentus Rex ipse territus, cùm armis resistere non posset, quia apud Dominum omnis eius ante confidentia propter fiduciam vilucrat, ita coactus à S. Dei Seruo* ORENTIO *opponit præsidium, legationem eius præponere destinauit, vt eius auxilio terribilem tantæ virtutis impetum mitigaret; quam supplicationem* B. ORENTIVS *non pro hæreseon erroris squalore contempsit, sed vt eius tribulationibus subueniret famulus Dei, protinus iter arripuit, occurrit* Agetio, *simulque* Littorio. *quo viso* Agetius *de equo desiliens, cùm omni veneratione humiliatus ei occurrit, & vt pro eo orare dignaretur, specialiter supplicauit.* Littorius *quidem ei occurrere dedignatus, & legationem S. Hominis despiciens, nihil de pace respondit; sed in Vrbem* Tolosam *exitum daturus se introire promittit. Tunc orante* S. ORENTIO *Episcopo,* Littorius *transmissâ cælitus plagâ, tantâ nebulæ obscuritate vallatur, & pro futuri sui consilij vtilitate deceptus cū ad prope periturus accederet, captus est à* Tolosanis, *eo quòd* B. ORENTII *patrocinia persoluisset; nam &* Agetium *Patricium qui orationem pro salute poposcerat, illæsum sub omni exercitu inuentum S. Pontifex liberauit, & quem antea contempserat, hæreticorum turba Getarum, gratias Deo referentes occurrunt, quòd pro eius famulo, ab extremo vitæ tempore, quo perituri fuerant, nunc fuerant liberati.*

Codicis MS. ex Bibliotheca Prædicatorum verba.

Alterius ex Bibliotheca Monasterij *S. Orentij* Tolosarum *Codicis MS.* clausulam ausculta: *Post aliquod tempus Imperator* Maximus *duos principes contra* Olymbrium *Regem Tolosæ misit, scilicet* Agentium, *&* Littorium, *quibus ad liberationem Tolosanæ ciuitatis occurrit* B. ORENTIVS, *cum vno videlicet* Agentio *pacem obtinuit.* Littorius *autem qui in ipsa malitia perseuerans aciem contra ciuitatem* Tolosanam *disposuit; sed precibus Viri Sancti à* Tolosanis *superatus occubuit, & ipse Rex* Olymbrius *cum populo suo, cùm essent in Ariana perfidia deprauati, ad fidem Catholicam sunt conuersi.* His testimoniis fratērnitatem Sanctorum *Guillelmus* euacuare conatur. Inquit enim: Si *Laurentius* tempore *Valeriani* ad Annum CC. LIX. martyrium consummauit, & ORENTIVS, vt supponitur illius frater vixit tempore *Theoderici* ad annum CCCC.XL. quâ rationis instantia credemus illos *Orentij*, & *Patientiæ* filios, fratresque *Laurentium*, & ORENTIVM *Auscensem* Antistitem? Sed proculdubio Gallicus Catellus perperam contra Leonem baubatur: quia vt ipse fatetur *Acta MSS.* à se producta, & superius à Nobis exscripta, atrocissimis scatent erroribus, sic vt illa passim corrigere conetur. Si ergo isthæc Acta *Guillelmus* sibi erronea fatetur, vt quid Nobis pro miraculo venditat illa? Ad rem ergo veniamus. *Idatius Lamecensis*, quem ipse *Catellus* citat: veritatis apicem descriptum reliquit, his verbis: Aëtius *Dux vtriusque militiæ* Noros *edomat rebellantes;*

Codicis MS. ex Bibliotheca Monast. S. Orētij verba.

Argumentatio catelli.

lantes; rursum Suaui initam cum Gallæcis pacem libata sibi occasione, conturbant. Ob quorum deprædationem IDATIVS *Episcopus ad* Aëtium *Ducem, qui expeditionem agebat in Galliis, suscepit legationem.* Ecce *Catelle* veritatis scopum. Ecce IDATIVM *Diluitur.* Episcopum Hispaniæ ad *Aetium*, vt tu corrigis, Legatum. Non ORENTIVM vt Acta minus benè confarcinant. Ergo iam non tempore *Theodorici* ORENTIVS. Ergo nulla inter annos Laurentij, & ORENTII discrepantia. Nisi fortè dicamus huius rei euentum Actorum Auctoré mutuasse ex Adonis *Chron. Ann.*410.*fol.* 161.& Gregor. Turon. *lib.*2. *c.*7. *Hist. Franc.* vbi vterque asserit quòd *Aëtius* cùm aduersus vrbes *Galliæ* præliatus esset,& multas opprimeret,& *Aureliam* aggredi conaretur *S. Anianus* eius vrbis Episcopus *Legatus* creatus à ciuibus *Arelatem* venit, vt *Aureliam* liberam dimitteret, sed *Aetio*, & *Theudio* socio reluctantibus, in vrbem repedans, eius Sancti precibus, *Aëtius*, *&* *Thedius* Aureliam debellantes, Dei ministerio, *Nebulæ obscuritate* vallati, vrbem liberam reliquêre. En hic *Aetius* Gallias deuastans; en *Anianus* Episcopus pro suis *Legatus* ad *Aetium*; en vrbs precibus Antistitis liberata; & en *Nebulæ obscuritatis* miraculum, quæ omnia conueniunt cum *Actis MSS.* & apud Auctores nihil de ORENTIO. Vnum hic notandum est, quo Freculphus qui *tom.*1. *Chron. lib.*5. *c.*14. *fol.*154. etiam ista *Adonis*, & *Gregorij* recensuit, loco *Theudi*, scribit *Theodorici*, vt expressiùs conueniat relatio. Quòd si fortè vt in *Actis MSS.* dicitur eadem ORENTIO obuenisse, proculdubio aliquis ex antiquis Scriptoribus retulisset, ne tantæ rei memoria deperiret: cùm proculdubio aduersus Acta illa stet iuris præsumptio, siquidem eadem passim *Catellus* corruptissima profiteatur, nec sustinenda sine plurium nominum, personarum, & euentuum emendatione. Quibus huic disceptationi finem imponimus, vt visâ *Ioannis Francisci Andreæ* Apologiâ, quâ omnia felicius digesta continentur, *Catelli*, & *Sauffay* commentum notetur.

N. 6. Sauffayus sibi contrarius à se ipso conuincitur.

VALDE sui immemor hunc Numerum scripsit *Andreas*. Vspiam se vidisse testatur hanc *Laurentij* fraternitatem cum ORENTIO *Auscitanæ* Sedis Episcopo. En Lector amice, nullum tibi addam Scriptorem, ni ipsummet Scriptorem indiscriminatim ista dicentem. Iste igitur doctissimus Martyrologus, in suo *de Gallicanis Diuis Supplemento tom.*2. *die IV. May. fol.* 1115. ista verba contexuit: *Ipsomet die apud* OSCHVM *in Hispania felix ad Christum migratio* SS. Orentij, *&* Patientiæ, *Parentum* S. Laurentij, *incliti Martyris*, *&* *Leuitæ*, *Sanctique* ORENTII Ausciensis Episcopi, *& Confessoris, qui sacris honoribus colitur, ipsis Kalendis huius mensis.* Si tu ista meditatè scripsisti *Andrea*, vt quid te *vspiam tale quid legisse negasti?* Tuorum ergo fide Vestram Augustam fefellisti, cum quæ habebas in corpore Supplementi, curasti in responsione consultationis occludere. Iam in superioribus didicisti *Ferrarij* & *Ambrosij de Morales* loca, quæ face accensa haud reperire potuisti, quibus ad vnguem ORENTIVM *fratrem* fuisse *Laurentij* expressis clausulis confitentur; illúmque fuisse *Episcopum Auscensem* conclamitant, ergo iam opinionem in Supplendo à te assumptam retinebis,& plura quibus Notas Apodicticas cumuleris, accipies.

N. 7. Varietas apud Scriptores Gallos in consignatione mortis S. Orentij placatur.

INGENS inter *Scriptores Gallos* discordia inest, circa annum transitus S. ORENTII, in hac Epistola *Sauffay* ad Annum CCC. XCV. occubuisse fatetur. *Guillelm. Catell.* vt diximus eius dormitionem ad Annum CCCC. XL. & amplius extendit. Claud. Robert. *in Gallia Christ.* ad Annum CCC. XCII. ipsius mortem scribit. *Papyr. Masson.* & *Arnaldus Oihenart* tanta varietate confusi abs huiusmodi computi assignatione abstinentes excessus sub silentio annum euoluunt. Iste ex antiquis diptychis Auscensibus ORENTIVM quinto loco in ordine appingit; cuius ecphrasim si ad Annos à *Roberto* assignatos decessoribus adaptamus, ORENTIVM ad Annorum computationem à Nostratibus assignatam trahemus. En Nomina ex *Arnaldo*, & Annos ex *Roberto*.

Citerius. Anno C. XLVIII.
Anfronius. Anno C. LXXXVI.
Aprunculus. Anno CC. XXXV.
Vrsinianus. Anno CC. LXII.
ORENTIVS. Anno CC. LXXIX.

Ex quibus liquet Nostratum sententiam circa hoc sequendam, quia vt inquit ipse *Saussay* in Epistolæ fine: *Sicubi certè inuestigandus est* S. Laurentij FRATER, *haud melius, quàm vbi ipse natus est, & vbi ambo eius parentes agonem Christianum exantlarunt.* Certè hîc omnia ad manus sunt, nec est qui de *Gallia* fraternitatem inquirat; sicque Nostrorum veritate contenti pro veneratione Sanctorum, aliena non quærimus.

N. 8. Orentium Auscensē veneratur Hispania; prout Gallia. TOTIVS veritatis scopum hoc Numero tetigit *Andreas*, quia Nos nec alium sanctitate ORENTIVM *Auscensem Antistitem*, cultum apud *Gallos* agnoscimus, quem Nos *fratrem S. Laurentij*, & ipse *Saussay*, fatemur. Ergo in quo est controuersia, si Nos, & ille in vnum incidimus. Absit ergo à Viro doctissimo isthæc contrarietatis instantia. Circa Reliquiarum TRANSLATIONEM ex vrbe *Auscensi Oscam* agemus *die XXVI. Septembris*, vbi Acta authentica huius *Translationis* exscribemus, vt *Saussayo* Nostrorum *Oscensium* affectus innotescant.

Topographia. AVSCIVM. Vrbs quæ Ptolemæo AVGVSTA AVSCIORVM dicitur, Ciuitásque Archiepiscopalis antiqua *Gallia Aquitanica*. non procul ab *Hersa* amne apud *Pyrenai* colles in rupe, saxóve constructa planitiem attingens, *Vasconum primaria*, inter *Tolosam*, & *Acyram*; Fano-Seueri oppido regionis primario, & Gemontio proxima. Illius Archiepiscopus cæteros Galliæ Præsules opibus anteit. Hodie dicitur AVX, & AVCH X De ea scripsêre Ptol. *lib.2. Tab.3. Europ. c.7.* Strabo *lib.4. Geograph.* qui illius aquam commendat, iusque Latij ipsi à Romanis tributum fatetur. Pompon. Mel. *lib.3. c.1.* qui Auscenses clarissimos vocat. Plin. *lib.4. c.19.* Sidon. Apollinar. *lib.7. epist.6. vbi* pulchrè Sabar. *fol.411.* Ausonius *in Parental. Epigr.4.* vbi Vinetus *n.104.* & de *Professorib. Burdigal. Epigr.21. num* 164. S. Gregor. Turon. *Hist. Franc. lib.8. c.20.* ad amussim Arnald. Oihenart *in Notit. Vascon. lib.3. c.8. fol.443.* qui cum Ammiano *lib.25.* illam inter *Nouempopulos* consignat. De qua ista sufficiant, cùm extra nos sit.

D. S. RAYMVNDVS Abbas.] Celebris est huius sanctissimi Viri recordatio apud Hispanicarum Rerum, & Cisterciensium Scriptores; nam si illum, prout Monachum inspectamus, sanctitatis apicem, in obseruantiæ regulis intuebimur. Si prout Militem, strenuitatis specimen in disciplinæ militaris ordine mirabimur. Quoad primum inter suæ Religionis Diuos enumerant Hugo Menard. *in Martyrolog. Benedictin.* hac serie: *In Territorio Toletano* S. RAYMVNDI Abbatis, *Institutoris Militia Calatraua, Ordinis Cistercieñs.* Qui etiam aliqua addidit *lib.2. Obseruat. fol.508.* Menolog. Cisterciens. Chrysostomi Enriq. his verbis: *In Hispania* B. RAYMVNDVS *Abbas* B. MARIÆ *de* Fitero, *qui postquam verbo, & exemplo ad omne opus pietatis suos induxisset, copiosum exercitum fidelium collegit, & Sarracenos fugauit, multas vrbes subiecit, & ad fidei propagationem, Ordinem Militarem sub regula, legibus, & visitatione Cisterciensium instituit. Et postquam pro Ecclesia Dei strenuè Vir senex militasset, animam emisit, multis post mortem miraculis illustris.* Andr. Saussay *in Supplem. Martyrol. Gallican. tom.2. fol.1097.* hac periodo: *Translatio* S. Raymundi *I. Abbatis Fiteriensis in Regno Nauarra, & Institutoris Militia Calatraua, Ordinis Cisterciensis.* De eo idem Chrysost. Enriq. *in Fascicul. Cisterc. dist.17.* Roder. Archiep. Toletanus *Hist. Hisp. lib.7. c.14.* Rad. de Andrad. *Histor. Calatrau. c.2. 3. & 6.* P. F. Barnab. Montalu. *Hist. Cisterciens. lib.2. c.9.* P. F. Anton. de Yep. *in Chron. Benedictin. tom.7. Cent.7. Ann.1140. cap 5. fol.308.* P. Mariet. in *Topograph. SS. Hisp. verb. Toledo. fol.46.* Oihenart *in Not. Vascon. lib.1. cap.3. fol.97.* P. Mariana *Hist. Hisp. lib.11. cap.6.* Stephan. Garibay. *Compend. Histor. lib.11. cap.12.* P. Ieronym. Roman. *tom.1. lib.7. cap.8.* D. D. F. Angel. Manrriq. Episcop. Pacensis *Annal. Cisterciens. tom.2. Ann.1158. cap.1. & 2.* Arnald. VVion. *in Lign. Vit. lib.1. cap 47.* Aubert. Miræus *in Chron. Cisterc. Ann.1140.* Gasp. Iongelin. *in Notit. Abbatiar. Cisterc. lib.6. num.1. & lib.10. num.1.* Aubert. Mir. *de Orig. Monastica. lib.5. cap.9.* Bernard. Brit. Robert. Rusca, Carol. de Tapia, & alij literaturâ insignes. Eius Acta ex omnibus, & Codice MS. cuius copia apud me ex Bibliothec. *D. D. Garsia de Loaysa*, dabimus.

Martyrologia.

Chronographi.

ACTA

ACTA B. RAYMVNDI ABBATIS Fiterensis, & Militiæ Calatrauæ Institutoris; ex Codic. MS. & Var. Scriptoribus.

VENERABILIS *Abbas* RAYMVNDVS, *Hispaniæ decus, Cisterciensis Ordinis gloria, & inclita Militiæ Calatrauensis Parens*, Turiasonæ *in Celtiberia natus est, licet eius originem ex Vico* S. Gaudentij *Nebonsanensis territorij in Comitatu Conuenarum trahere perperam arbitrentur. Qui pueritiæ pertingens ætatem traditur à parentibus scholæ literis imbuendus, quatenus scientiarum lumine mens eius illuminaretur, & per visibilium rerum effectus, inuisibilium, & supernaturalium donorum Largitorem agnosceret. Absolutis autem literarum studijs, Canonicus* Turiasonensis *effectus, cùm vix seculi nequam, & inanis solicitudinis cepisset nexibus irretiri, ne pedes eius in malum præcipites ruerent, egrediens de terra, & cognatione sua* Abrahami *vestigijs inhærens, eremum petijt, fugiens publicum, fugiens & ipsos domesticos, vt obliuiscens populum suum, & domum patris sui concupisceret Rex decorem suum. Ergo audiens* Ordinem Cisterciensem, *tanquam stellam matutinam in firmamento Ecclesiæ, sanctitudinis suæ radijs, orbem illuminare vniuersum, ad ipsum, tanquam ad Ciuitatem refugij, & turrim fortitudinis se recepit, atque in* Scala-Dei, *quod celebre est in* Vasconia, *eiusdem instituti Cœnobium habitum humiliter induit, & laneâ corrigiâ cinctus, expleto probationis tempore, professionem solemniter emisit. Tunc miles sanctissimus Christi, cœpit configere timore carnes suas, interficiens carnalia desideria, & corpus suum in seruitutem redigens, & ad superiora ex interiori animo aspirare, omnibus in eo venerantibus, atque mirantibus vitæ sanctimoniam, & conuersationis dulcissimæ puritatem.*

Patria. — *Literis imbuitur.* — *Canonicus Turiasonensis.* — *Patriam fugit.* — *Fit Monachus Cisterciensis.*

SACRA *igitur Cisterciensis Religio, eo tempore, mirificè propagata, magis multiplicabatur quotidie, ad remotiores orbis partes Monachos emittens, vt in eremis Cœnobia, & vastis solitudinibus erigerent Monasteria, quibus in Hymnis, & Canticis spiritualibus, Domino sacrificium laudis offerrent. Inter cætera Cistercium, Firmitas, Pontigniacum, Clara-Vallis, & Morimundus, tanquam fontes è Paradiso egredientes, aquâ sapientiæ salutaris, & torrente Monasticæ perfectionis, terræ vniuersam superficiem præcipuis, & assiduis feruoribus irrigabant. Tunc etiam* Scalæ-Dei *venerabilis Abbas, vir vtique religione, & pietate egregius, Ordinis Nostri gloriæ cupidus, aliquod decreuit construere Monasterium, & eligens Monachum quendam* Durandum, *in omni militia spirituali, longâ, & laudabili conuersatione probatum, & sanctitatis splendore præcipuum, eique curam pastoralem iniungens, ad Regnum* Nauarræ *mittit, præcepítque, ibi, quam vellet solitudinem eligeret, vbi cum socijs designatis monachaliter habitaret. Annuit humiliter obedientiæ filius, egrediénsque cum* B. RAYMVNDO *(quem vsque ad mortem habuit inseparabilem comitem) omnem spem suam collocat in eo, qui pauperum suorum miseretur. Tandem Deo duce* Nauarræ *solitudines, & interiora deserti penetrantes, peruenerunt ad Montem* YERGAM, *in cuius cacumine pauperrimam domum, vel (vt melius dicam) miserrimum tugurium ædificare cœpere. Postmodùm huius montis, cuius incredibilis altitudo, potius præcipitium, quàm aditum præbebat hominibus, asperitatem considerantes, coacti sunt locum deserere, sicque ad Vallem proximiorem descendentes, iuxta ruinas ciuitatis* Nianzauæ, *Maurorum hostilitate penè diruta consedêre, ex liberali* Aldefonsi *Hispaniarum* Imperatoris *ad Annum Domini* M.C.XL. *donatione, vt ibidem Monasterij sui fundamenta periacerent. Postquam verò venerabilis Abbas* Durandus *Discipulorum suorum, aliquo tempore, laudabiliter curam gessisset, non tàm sibi, quàm proximis viuens, feliciter ex hac vitâ exiuit, & eius loco creatus est Abbas* B. RAYMVNDVS, *ad quem Eugenius Pont. Max. Anno* M.C.XLVIII.

Durandus ex Scala Dei cum socijs in Nauarram venit. — *Raymundus titulo Prioris Nauarram repedat.* — *Yerga Monasterium.* — *Niancauense Cœnobium.* — *Raymundus eligitur Abbas.*

Castellionēse Cœnobiū.

Fiterense Monasterium.

Raymundi exercitia.

diploma direxit. Sed cùm postquam eodem ipso anno B. Abbas in Generali Capitulo sui Ordinis, cui ipse Summus Ecclesiæ Vniuersalis Pastor præfuit, interesset, in propria repedans, illic sanctissimus Præsul breui tempore, loci penuriâ aliud non permittente moratus, Cœnobium, ad alium locum, Castellionem *vocatum, transtulit, vbi etiam fratrum incommoda sentiens, ab eo discedere proponens, à quodam Nobili Viro* Petro Tizonio *vocatus, anno* M.C.L. *eidem* Petrus *in propria hereditate* FITERO *nuncupata, insigne Monasterium, quod ab eadem nomen obtinuit, suis expensis construxit. In Monte verò* Yerga *antiquæ primæ domus vestigia, vsque adhuc permanent, ibidémque duo Monachi* Fiterij *inhabitant, tùm ob tanti loci reuerentiam, & cultum; tùm ob B. Virginis deuotissimam Imaginem, ad quam magnus populi concursus frequenter concurrit, præcipuè in generalibus, ac publicis supplicationibus.* RAYMVNDVS *verò salutaris doctrinæ suæ lumine, nebulosas peccatorum cœpit illuminare conscientias, multósque de sæculi faucibus, exhortationibus suis, extrahere, qui postmodùm sanctissimi fuerunt in Ordine Monachi.*

Sarraceni Calatrauā aggredi cōstituunt.

Templarij Calatrauā deserunt.

Rex Calatrauam defendenti cuilibet promittit.

Abiecta eligit Deus vt fortia confundat.

INTEREA *Sarracenorum pestifera secta, quæ serpens vt cancer Orientales populos lethaliter infecerat, vsque in* Hispaniam *Nostram perueniens, præcipuas illius Prouinciæ regiones occupabat, & mortuo* Aldephonso *Imperatore Hispaniarum, ortáque inter eius filios* Sanctium, *&* Ferdinandum *seditione, ceruicem quam Catholicus ille Princeps penè subiugauerat, erigere cœpit, ac ciuitates Christianorum crebris infidelium incursibus molestare, qui similibus victoriis elati,* Calatrauam *munitissimam vrbem obsidere decernunt. Congregatur igitur ingens exercitus Paganorum, & hostiliter, ac violenter terram* Calatrauæ *ingredientes, multâ sanguinis effusione pagos vastare cœperunt, Ecclesias euertere, ac vniuersum populum miserabili opprimere seruitute. Hæc antiquissima Ciuitas sub* Militum Templi *custodiâ, ac patrocinio constituta erat, qui dum inimicos praualere, ac in dies augeri vident, eorum impetus, ac violentas inuasiones sustinere non præualent, ciuitatéque derelictâ, eam Sanctio Regi Castellæ defendendam tradunt. Ipse verò propriis Regni tumultibus, & fratris sui insidiis vehementer vexatus, tanti oneris sarcinam portare nequibat. Sed tandem* Templariorum *resignationem admittens, vrbem prædictam se traditurum promisit, cuicunque illam ab incursu Sarracenorum defendere vellet. Rem cùm nullus Princeps, nec Nobilis tàm arduam aggredi auderet, præsertim cùm ipsi* Templarij, *alioquin strenui, & nominatissimi Milites illam timore inimicorum deseruerint, Christianæ factionis apex in vltimo desperationis, & angustiæ termino versabatur. Quid ergo? Nunquid dereliquit Dominus plebem suam, vt dicant gentes vbi est Deus eorum? Nequaquam. Sed qui Saül & exercitum eius, non in manu forti, & brachio excelso, sed in fundâ, & lapide per manum humilis pueri de manu Philisthiim liberauit, non potentes elegit, sed pauperes & humiles Monachos, vt fortia quæque confunderet, ac infidelium superbiam debellaret.*

Didacus Velazquez monet Raymundum vt Calatrauā petat.

Renuit Abbas, sed Dei inspi-

DVM *igitur* Hispania *tot inimicorum phalangibus, tùm ciuium tumultibus absorberi, & penè videretur immergi,* B. RAYMVNDVS *Abbas in Ciuitate* Toletana *versabatur, habens secum Monachum quendam* Didacum Velazquez, *ex* Bureua, *prope* Burgensem *ciuitatem oriundum, qui olim Imperatoris* Aldephonsi *fuerat miles, multísque bellicis operibus clarus. Hic infidelium audaciam ferre non valens, aduersus hostilem tyrannidem, hastam, si liceret, librare desiderans, diuino Numine confortatus, & Zelo fidei accensus, Abbatem suum admonere, atque variis exhortationibus & exemplis, eius animum, ad suscipiendum huius Ciuitatis præsidium inclinare conatur. Renuit Venerabilis Pater, se Monachum, non Militem asserens, cui orationi insistere, non gladio præliari licebat. Ast postmodùm in secreto constitutus loco, dùm humili, & fideli oratione cœli secreta penetraret, propositum sibi negocium æterno rerum Conditori,*

ditori, fusis lachrymis, toto cordis affectu commendauit, quatenus circa hoc & cognoscere, & voluntatem executioni posset mandare diuinam. Mira res! Illicò diuino afflante spiritu, mutatus, annuit precibus Didaci socij sui, & ambo simul Regi Sanctio desiderium suum exponunt. Quo Aulici omnes, & Regia Curiæ Principes temeritati potiùs, quàm diuinæ operationi tribuère. Sanctius verò RAYMVNDI sanctitudinem non ignorans, id factum auctore Deo credens, pauperi Abbati totius illius Prouinciæ curam, & Dominium, Domino inspirante commisit.

ratione consilium Didaci amplectitur.

Sanctius Rex Calatrauam Raymundo dedit.

POSTQVAM ergo nutu diuino amplum donationis priuilegium obtinuit Vir Dei, ad proprium Monasterium reuersus, exercitum viginti millium hominum congregauit, cum quo Calatrauam peruenit, eámque muris, propugnaculis, & instrumentis bellicis communiuit. Sarraceni verò spe suâ fraudati, & nimio timore percussi, ciuitatem obsidere, sicut antea cogitauerant, non sunt ausi. Tunc sanctissimus Abbas RAYMVNDVS, licèt senio confectus, & viribus corporis destitutus, virtute tamen diuinâ roboratus, mortem non formidans, sed potiùs impauidus, & animo intrepido, vt inimicos Christi propelleret, & fugaret, gloriámque populo suo dilataret, induit se lorica sicut gigas, & armis bellicis se succinxit in prælijs, vt gladio suo Patriam protegeret strenuus. Hic non in humana virtute, nec in pugnatorum multitudine, sed in exercituum Domino confidens, cum militibus suis Infidelium vrbes circumquaque cœpit vastare iacentes, sibi subyciens Castra inexpugnabilia, & Oppida quibusuis artificiorum nexibus munita. Tunc plerique milites Abbatis vestigia sequentes, quotidie concurrebant ad ipsum, ac si dicerent: Erigamus deiectionem Populi Nostri, & pugnemus pro populo Nostro, & Sanctis Nostris: Qui vinculo charitatis, & pietatis vniti contra dæmonis suggestiones oratione, & vigilijs: contra Paganorum verò incursus gladio viriliter præliabantur. Et ita (sicut legitur de Machabæis) congregatus est conuentus, vt essent parati ad prælium, & vt orarent, & peterent misericordiam, & miserationes. Omnes vero Venerabilem senem tanquam Patrem, & Ducem spiritualis, & temporalis militiæ sequebantur; cuius voluntas, eis lex inuiolabilis, & præceptum erat irreuocabile. Tandem cùm eius vestigiis inhærere cuperent in perpetuùm, & Ordinis Cisterciensis rigorem amplecti, Vir prudens RAYMVNDVS talem illis viuendi normam præscripsit, quæ vtramque vitam Monasticum, & Militarem mirabili quodam modo complecteretur. Fundauítque eodem in loco sacræ Militiæ Ordinem Cisterciensis Congregationis cui leges constituit. Tunc noui Milites summi Regis; sub tàm sancto instituto, habitu, & moribus Cisterciensibus similes facti, in fortitudine manus suæ Principes tenebrarum exturbare, & filios diffidentiæ exterminare cœperunt. B. autem RAYMVNDVS, & Didacus cum alijs Monachis Cisterciensibus, quos secum S. Abbas è Monasterio Fiteri eduxerat, præcedebant illos in bello, præliantes prælium Domini cum lætitia. De quibus Christi Militibus meritò dicebatur: Multiplicatio eorum corona Principum. Qui laudabant in canticis accincti sunt ense, & qui gemebant orantes, ad defensionem patriæ. Victus tenuis, pastus eorum; & asperitas lanæ tegumentum eorum. Disciplina assidua probat eos, & custodia silentij comitatur illos. Frequens genuflexio humiliat eos, & continua vigilia macerat eos. Deuota oratio erudit illos, & continuus labor exercet eos. Alter alterius obseruat semitas, & Frater Fratrem mouet ad disciplinam. His faustis auspiciis ad maiorem Cisterciensis familiæ decorem, & totius Hispaniæ plenam libertatem, Ordo Calatrauensis exordium sumpsit. Cuius inclita Militia caput, & præcipua domus est Calatrauense Castrum, & Cœnobium habens sub se Centum & Triginta domos, quarum Superiores Commendatarij nuncupantur. Sunt & varij Prioratus, Præpositura, & Ecclesiæ, quibus eiusdem Ordinis Sacerdotes, & Religiosi præsunt, & secundum Ordinem Cisterciensem Domino

Raymundus cum valido exercitu Calatrauã muniuit.

Sarracenos fugat.

Militum occurrentiũ congregatio disponitur.

1. c. 3.

Raymũdus eis regulam præscribit.

Roderici Toletani encomium pro Militia Calatrauensi.

Calatrauensis Militiæ extensio, & dominium.

Domino famulantes, dum illi armis muniti hoſtes debellant, iſti diuinis laudibus perſiſtentes, cæleſte non ceſſant implorare ſuffragium. Quæ ſancta Congregatio cæleſti benedictione præuenta, vſque ad mare extendit illuſtres propagines, etiam in Palæſtina *Monaſteria erigens, & ipſe ſummus Pontifex* Gregorius I X. *Monaſterium* S. Angeli de Vrſaria *in Italia conſtruxit, quod Fratribus huius militiæ in perpetuum tradidit. Sed &* Pius PP. *poſt celebre elogium illam ab expenſis, in ſubſidium fidei dari ſolitis ſubleuauit, affirmans*: Quòd licet ſingulorum Ordinum Regularium, & Militiarum merita ſolerti ſæpius meditatione compenſet; at (inquit) inter cæteros profectò dilectos filios Magiſtrum, & Fratres Militiæ Calatrauæ ſub Regula Ciſtercienſi, Apoſtolicis gratiis benemeritos eſſe cenſemus, cùm in Infidelium finibus, pro maiori parte conſtituti, Hiſpaniarum Nationibus, quaſi pro vallo ſint, & in earum defenſionem, non ſolùm redditus, ſed & perſonas ſuas, variis periculis exponere minimè vereantur. Cùm enim præfata Militia, vt fideli teſtimonio nobis relatum eſt, habeat nonnulla Caſtra, Villas, Fortalitia, & Loca alia, Sarracenorum locis confinia; & ipſi Sarraceni regiones fidelium crebris incurſionibus agitent, & perſonas fidelium lanient, & capiant, atque in ſeruitutem, prout ſæpius conantur, redigant; atque ad ipſorum reprimendam audaciam, Magiſter & Fratres prædicti, vt ſtrenui Milites, tam per ſe ipſos, quàm alios armigeros ad eorum ſtipendia militantes, cum eiſdem Sarracenis crebrò in bello ſunt, & varia propterea pericula, expenſas, & onera ſubire coguntur: & præter hoc, inſtante neceſſitate defendendi Catholicam Fidem aduerſus Chriſti hoſtes acerrimos Turcas, non modica ſubſidia Nobis, & dictæ Fidei impenderunt: hinc igitur eſt, quod Nos eos à reliquis expenſis in ſubſidium eiuſdem Fidei Catholicæ ſubleuamus.

Pij PP. de hac Militia elogiũ.

Sed *iam ad* S. P. Raymvndvm *conuertamus ſermonem. Qui poſtquam* Ordinem *ſuum inſtituit, videns Prouinciam illam deſolatam, & abſque habitatore manere, Sarraceni verò per omnes* Calatrauæ *fines furoris ſui (vt in ſuperioribus commemorauimus) fræna laxarant; ex variis Hiſpaniarum Prouinciis, præcipuè ex* Nauarrâ *agricolas, & colonos collegit, inter quos, pagos, & poſſeſſiones diuiſit, vt colerent terram, nonáque erigerent vrbes. Eo namque tempore* Calatrauenſe *dominium maximè patebat, finibus ſuis varias, & munitiſſimas ciuitates comprehendens, verſus longitudinem* Nauas Toloſæ *pertingens, & vſque ad* Montem Orgazij *ſe extendens, ſpatio XXVIII. Leucarum Hiſpaniæ; æqualis ferè latitudo illi correſpondens. Præcipua verò huius ditionis Oppida erant:* Almagro, Daÿmiel, Manzanares, Moral, La Calzada, Puerto-LLano, Almodouar, *& alia quamplura, diuitiis, ciuiúmque multitudine celeberrima.*

Agricolas & colonos diſtribuit per ditionẽ Calatrauæ.

Oppida inſigniora Ordinis.

Crebro *etiam Dux exercitus Domini* B. Raymvndvs *ætatis ſuæ tranſiliens limites, vrbes famoſiſſimas expugnans, eáſque vſque ad fundamenta ſubuertens, triumphos de Ducibus, ac Populis Barbaris mirabiles reportabat. Mirabantur omnes in fragili ſene, in paupere Monacho, tot virtutis diuinæ ſigna, tótque prodigia contemplantes: fit pauor, fit terror potentium, qui pauperum Chriſti liberator eſt factus, omnes vno ore Dominum collaudantes, quia miſit redemptionem Populo ſuo, vt eriperet illos de manu fortium, & de regionibus congregaret eos. Plures verò, omninò ſe Deo conſecrare volentes, huic Sacræ Militiæ, ſub* B. Raymvndi *magiſterio nomen dedêre, qui corpus ferro, animum fidei loricâ induentes, contra viſibiles, & inuiſibiles hoſtes, mira ſpiritus fortitudine decertabant. Meritò ergo tantorum filiorum gloria, & decore lætabitur* P. Raymvndvs, *qui non ſolùm, dùm ageret in viuis per ſpiritum innumerabiles genuit, ſed & vſque in præſens ſeculum, beatum poſt ſe ſemen dereliquit.*

S. Abbatis ſtrenuitas & victoria.

Plurimi Militiæ nomina dedêre.

Quis

Quis vel Nomina Principum valeat numerare, qui sub eius instituto militantes, æternam apud Superos gloriam sunt adepti?

Ab armorũ strepitu secessit.

IPSE verò iam senio grauatus, vt mens eius liberiùs in diuinam contemplationem tendere valeret, remotiora sibi loca quærere, & à militia tumultu sese occultare omnibus modis elaborabat. Quam ob rem Villam quæ Ciruelos vocatur, Sex Milliaribus distantem ab vrbe Toleti, & infra limites Calatrauæ continetur, in habitaculum, & sempiternam sibi requiem elegit, vbi sicut palma virens, & in altum tendens, fidei virore, & contemplationis altitudine, leuauit se supra se, cupiens videre Deum in Syon, & clamans cum Propheta dicebat: Quando veniet, qui me deferat? Cunctis diebus nunc milito? expecto donec veniat immutatio mea. Ergo solutionis suæ optatum diem attendens, iam carnis oblitus, & toto spiritu in cælum suspensus, Angelicam inter homines ducebat vitam, qui tandem infirmitate correptus, & Ecclesiasticis Sacramentis munitus, postquam Sex annis Ordinem Calatrauæ, quem fundauerat, rexerat, Sanctam illam emisit animam, Anno Dominicæ Incarnationis M. C. LXIII.

Moritur.

Sepelitur.

OBITVS verò Venerabilis Viri, nimio quodam, & inconsolabili mærore Monachos, & Milites Calatrauæ concussit, qui æquè lugentes, voce lachrymabili querebantur, se ducem armorum, & patrem animarum infeliciter amisisse. Interim autem sacrum funus de more componitur, & inter psallentium voces Corpus eius deponitur in sepulchrum. Sed quis aggredietur referre miracula, quæ post obitum eius, per eum diuinâ fuêre patrata virtute? Crebrò siquidem ad eius tumulum infirmi cælesti miseratione sanantur. Et cum miraculorum eius fama per totam illam Prouinciam sese diffunderet, Templum quoddam suo nomini dicatum ædificant, ibidémque summo cum honore, Corporis sui venerabile pignus efficaciter collocatur, vbi per eius merita & intercessionem, quidquid rectâ fide quæritur, obtinetur. Nam plures grauissimis infirmitatibus laborantes, diuersis è locis, eò aduentantes sunt sanitati pristinæ restituti. Cæci visum, surdi auditum, muti recepêre loquelam. Sed quid mirum si vsque in hodiernum diem, continuo ferè miraculo, merita S. Viri, Dominus ostendere non cessat? Quotiescumque enim procella, aut nimbus perurget, vel fulgura, atque tonitrua terras, & aëra terrent, protinus misericordiam Domini inuocantes ad Ecclesiam B. RAYMVNDI omnes illius patriæ incolæ veniunt, & vix campanas, quarum chordæ super eius sepulchrum pendent, & illud suis extremitatibus pertingunt, pulsant; cùm ecce extemplò serenitas aëris redit. Quodque mirantibus omnibus accidit singulis annis.

Miracula.

Templum suo nomini erigitur.

Aduersus procellas continuum miraculum.

MVLTO tempore sanctissimum Corpus, magno populi concursu veneratum in eadem Ecclesia requieuit, & nec Religiosi Calatrauenses, nec Cistercienses Ordinis Monachi, illud vel precibus, vel quolibet alio modo obtinere potuerunt, illius Oppidi ciues thesaurum inæstimabilis pretij omnibus suis viribus defendentes. Quod vsque ad Annum Domini M. CCCC. LXVIII Doctor Ludouicus Nunius Archidiaconus Matritensis, & Toletanæ Ecclesiæ Canonicus, auctoritate Pauli II. Pont. Max. reliquias Venerandi Abbatis (licet inuitis illius loci ciuibus) transtulit ad Monasterium Montis Syon, non procul à Toletana Ciuitate. Excipitur ab illius loci Cisterciensibus Monachis, pio, & humili cordis affectu, & in Sacello Deiparæ Virginis ab eodem Archidiacono exstructum in sinistra parte Altaris honorificè tumulatur. Vbi postmodùm alia parua Capella, eidem S. Viro dicata, fuit extructa, vbi Deus iterum potentia sua miracula suscitauit, quæ magna, & plura eiusdem Cænobij Monachi ad eius tumulum patrata passim intuentur, præcipuè cum aliquando Toletani Ciues periculoso quodam, & molesto morbo affecti, vix remedium aliquod humana arte inuenire potuissent ad B. Virum opem flagitantes accurrunt, & dum aquam, quæ, vel minimam sancti corporis particulam tetigit, bibunt illicò miraculosè

Corpus transfertur Toletum ad Montis Syon Cænob.

Toletani ab epidemia S Viri precibus liberantur.

culosè sanantur. Quidam Conuersus Montis Syon, cuius caput superflua carnis tumore, magno dolore quotidie cruciabatur, pio cordis affectu B. Viri suffragium implorabat, & locum infirmum oleo lampadis, quæ ante eius venerandum sepulchrum lucebat, perungens, stupentibus omnibus, desideratam assequitur valetudinem.

Monachus sanitati restituitur.

SANCTISSIMVM *Corpus, aliquâ magnâ vrgente necessitate, vel aduentantibus Principibus, qui, vt eius Reliquias venerentur, veniant, ostendere consueuerunt. Spirat autem diuina suauitatis odorem, fragrantiam quidem cœlestem percipientibus omnibus, cuius autem generis sit minimè discernentibus, diuinam autem, non humanam aut artificiosam esse non dubitantes. Inter alios, qui B. Abbatis memoriam, summâ deuotione colebant, mirabili erga ipsum aestuabat amore* Garsias Lopezius de Padilla, *Ordinis Calatrauæ Generalis Magister. Qui eius etiam sacrum Corpus ad Calatrauense Cœnobium, cuius venerabilis Abbas, & Pater, extiterat, & Fundator, transferre desiderauit. Sed illud magnis licet oblatis redditibus, à Monachis* Montis-Syon *obtinere non valuit. Quod Vir deuotus perpendens, ne omninò eius pia deuotio frustraretur, in latere eiusdem sacelli, fornicem sepulchro* B. RAYMVNDI *correspondentem, mirâ artificis curiositate elaboratum, ex alabastro fecit extruere, ibidémque imaginem eiusdem S. Abbatis cum mitra, & baculo sculpsit, & ab vtroque latere sanctissimos Patres Nostros Benedictum, atque Bernardum honorificè collocauit. In medio autem fornicis, inscriptio similis in lapide exarata conspicitur.*

Corporis fragans odor, cum pignora mõstrantur.

Garsias Lopez de Padilla Magister Calatrauæ fornicem extruit.

FORNICEM HVNC ERIGERE CVRAVIT
MAGNIFICVS ADMODVM, AC ILLVSTRIS
DOMINVS F. GARSIAS LOPEZ DE PADILLA
MAGISTER ORDINIS, AC MILITIÆ DE
CALACRAVA. AN. D.M. CCCC. LXXXV.

Nouissimè vero Reuerendissimus, & cum omni reuerentia nominandus P. F. Marcus de Villalua, *olim Congregationis Castellæ, obseruantiæ Regularis Generalis longè meritissimus, qui sicut viuens omnium virtutum genere enituit, sic post mortem miraculis claruit, cùm fuisset factus Abbas Fiteri, ac proinde* B. RAYMVNDI *successor, in Presbyterio Ecclesiæ* Montis-Syon *ad latus Epistolæ, Tumulum mira pulchritudinis, ac magnificentiæ suis expensis erexit, vbi in tecba deaurata Corpus S. Viri honorifice eleuatum requiescit cum simili Epitaphio.*

P.F. Marcus de Villalua Sarcophagum magnificũ. & tumulum erexit.

HIC REQVIESCIT B. RAYMVNDVS. QVI
FVIT CISTERCIENSIS MONACHVS. ET
FITERI. I. ABBAS. CVIVS DEVS MERITIS
QVAMPLVRIMA MIRACVLA PATRAT.
QVI SANCTII REGIS PERMISSV, A MAVRIS
CALATRAVAM TVTAVIT. EIVSQVE OR-
DINEM MILITAREM INSTITVIT.
OBDORMIVIT IN DOMINO
ANNO
M. C. LX. III.
IPSIVS HVC SACRA FVERE LIPSANA
TRANSLATA
ANNO
M. D. XC.

En ACTA. Vnum hic addere P. F. Chrysostomi Enrriquez *in Menol. Cisterciens. die I. Februar. lit. M. §. Porrò. fol.39.* testimonium censui, quo ex authoritate *P. Ioannis Marianæ, Auberti Myræi*, & aliorum contendit B. RAYMVNDVM *Sanctorum*

Catalogo SS. adscriptum.

ctorum numero fuisse adscriptum. Nec minus notandum duxi, falsò ab aliquibus hanc Militiam Ordini S. Benedicti, potius quam Cistercienſi adſcriptam, vt notauit, & probauit Enrriquez *in Fascicul. dist.* 17. *lib.* 1. *c.* 3.

NVNC aliqua à Nobis comprobanda ex ACTIS veniunt. I. *De Origine S. Abbatis* quem ex vrbe *Turiasonensi* in Celtiberia oriundum diximus, eiusque Cathedralis Ecclesiæ *Canonicum* affirmauimus. Ad quæ testem inuoco Episcopum Pacensem *Annal. Cisterciens. tom.* 1. *Ann.* 1141. *n.* 7. *fol.* 416. his verbis: *Durandus I. Abbas destinatus plantationi tenellæ, addito* RAYMVNDO, *Viro Hispano, ex Canonico Ecclesiæ Turiasonensis (natali eiusdem solo) primùm Converso, & tunc quidem Priore designato.* Chrysost. Enrriq. à quo Hugo Menard. *lib.* 2. *Obseru. ad Martyrol. Benedict. fol.* 508. licet pro *Turiasona* scriptitent *Tarracona* fortè præli errore, cum facilis extet transitus, rectius P. F. Anton. de Yep. *d. Ann.* 1140. *c.* 5. Ast perperam apud Scriptores Gallos præcipuè Arnald. Oihenart. *d. lib.* 1. *c.* 3. *fol.* 98. vbi cuiusdam Monachi dicteria æstimans his verbis, à veritate recedit. *Fuit autem* (RAYMVNDVS) *oriundus non* Turiasone, *vt suspicatur* Yepes, *sed Oppido* S. Gaudentij Nebousanensis *in Comitatu* Conuenarum, *vt ex sequenti narratione constat, quam à Ieronymo Alaua*, Fiteri *Cœnobita, pio iuxta, ac harum literarum studioso, accepi.* Hæc autem domus *Fiteri* minus cautè se contulit in *Calatrauam*, cùm inconsulto, & irrequisito Patre suo, scilicet Abbate *Scala-Dei*, de propria voluntate, plenario transtulerit, sub RAYMVNDO supradicto *Abbate I. Fiteri*, qui fuit *Ciuis S. Gaudentij.* Hactenus Oihenart. Quem fuit secutus Noster Amicus Andr. Sauss. *in Supplem. Martyrol. Gall.* hac serie: *Hic* (RAYMVNDVS) *natus apud* Conuennas *in* Vasconia, *mundum despexit. Vterque ex illo* Fiteri MS. istam induxit opinionem. Sed licet illius antiquitate *Manrrique* constrictus neutri se parti accommodet, crediderim potius Nostris MSS. inficias non iri: Quia cum verba MS. Fiteriensis tantum *Ciuem* S. Gaudentij sonent, vt quid Oihenart, & Saussay *Ciuem* ad *natum* inuertunt? Aliud enim est esse *Ciuem*, aliud esse in vrbe *Natum*. Ille etsi indigena potuit ciuitate donari. Iste velit nolit, originem ab vrbe quâ nascitur trahit. Quanta inter has voces intersint, Iuris Consultis relinquo, præcipuè Andr. Alciat. *in l. Qui incontinentibus* 147. *ff. de Verb. signif. n.* 3. *& de Præsumpt. Reg.* 1. *Præsumpt.* 37. *n.* 1. Hinc B. RAYMVNDVS potuit originem trâhere à *Turiasona* Hispaniæ, & tempore, quo in *Vasconiam* secessit, apud *Conuenas* ciuitatem adquirere; ita vt fuerit *Natus* Turiasonæ, & *Ciuis* in Conuenis.

Origo ex Turiasona, cuius Ecclesiæ fuit Canonicus.

Scriptoribus Galliæ respondetur.

Aliud est Ciuis, aliud Natus.

II. Quatenus ad Aduentum *Durandi* Abbatis, & RAYMVNDI Prioris cum Monachis ad Montem YERGAS ex Cœnobio *Scala-Dei*, & post ad *Nienzauas*, tritum est. Hic tantum donationem istius Oppidi ab *Alphonso* Imperatore factam subiiciemus, vt agnoscatur, quanta inerat in Regibus Hispaniæ ad religionem propagandam, inter tot bellorum turbines, & fisci penuriam, propensio.

Donatur vrbe Nienzauas ab Alphonso Imp.

DONATIO ALPHONSI HISPANIARVM Imperatoris de Oppido Nienzauas Monachis Scala-Dei ex Ordine Cisterciensium.

EGO *Alphonsus Hispaniæ Imperator, vnà cum vxore mea* Berengaria, *in æternum cum Christo regnare desiderans, grato animo, & spontanea voluntate, pro mea maximè, parentúmque meorum salute, pro peccatorum nostrorum remissione, dono iure hæreditario, Deo & Ecclesiæ* B. MARIÆ *semper Virginis, in Monte quem dicunt* Yerga *fundata, Domino Durando, eiúsque sociis in ipso loco, & Ecclesiæ Deo regulariter, &* B. MARIÆ *seruientibus, eorúmque successoribus, illam Villulam desertam, & locum quem dicunt* NIENZAVAS *cum omnibus eiusdem loci terminis, introitibus, & execssibus, montibus, & vallibus, terris, aquis, pascuis, hortis, & solaribus, & cum aliis omnibus suis pertinentiis, quocumque loco sint, supra memoratum locum scilicet* Nienzauas *Si quis autem de mea, vel aliena progenie huic meæ donationis paginæ contrarius venerit, vel infregerit, anathemate percussus, in inferno cum Iuda damnetur proditore,*

nisi resipuerit: insuper pro temerario ausu præstet Ecclesiæ, & Regiæ Potestati Mille marauitinos, & quod inuaserit duplum reddat. Facta Cartha in Ripa Iberi inter Calagurriam, & Alfarum, tempore quo Imperator cum Rege Garcia pacem firmauit, & filium suum cum eius filia desponsauit. VIII. Kalend. *Nouembr. Æra.* M. C. LXXVIII.

Abbas Nienzauēsis eligitur B. Vir. Error Oihenart. III. Diximus, quatenus humato *Durando* Abbate *Nienzauensi* fuerit in eius locum B. RAYMVNDVS suffectus. De hoc liquet ex diplomate *Eugenij III. PP.* in quo omnia priuilegia, *Nienzabasensi* Cœnobio concessa confirmat, inque protectione S. Petri, & Sedis Apostolicæ submittit vt refert D. Episcop. Pacens. *d. tom.* 1. *Annal. Cisterc. Ann.* 1141. *c.* 9. *n.* 7. *fol.* 416. Licet Ainard. Oihenart. *in Notit. vtriusque Vascon. d. l.* 1. *c.* 3. *fol.* 101. non *Nienzabasensi*, sed *Tergensi* Cœnobio concessum *Eugenij* priuilegium scribat. Vterque ergo ipsius syngraphæ literam excripsit, mutato Cœnobij nomine, ille initium & finem, iste totum tenorem, cum subscriptionibus. At qualis sit transsumpti vera ecphrasis, nondum inuehi. Crederem *D. Episcopi*, potiusquam *Othenart* vel quia nostrum ex professo ipsius ordinis schedas, & archiuos euoluisse coniectandum est, vel quia sui ordinis annales scribens, veritatis amator censendus est, vel denique, nam si anno 1140. vt ex priuilegio *Alphonsi* relati apparet, Durando *Nienzabas* oppidum erat concessum, & ex *Terga* illuc Monasterium translatum fuit, vt ipse *Othenart* testatur; quis credet Octo annos Monachos, qui tunc paupertati monasticæ consulebant, in transferendis breuibus Sarcinis, & pauperculis facultatibus occupasse? ideóque meo videri pro *Manrrique* stat præsumptio, exquo Eugenij verba referam.

PRIVILEGIVM. EVGENII. PP. III. CONCESSVM B. Raymundo Abbati Nienzabasensis Cœnobij.

Eugenius *Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis* Raymundo *Abbatis S. Mariæ de* Nienzabas, *eiúsque fratribus, tam præsentibus, quàm futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. Quoties illud à nobis petitur, quod religioni, & pietati congruere dignoscitur, animo nos decet libero concedere, & petentium desideriis congruum impertire suffragium. Ea propter dilecti domini filij vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & præfatum locum de* Nienzabas, *in quo diuino estis mancipati obsequio, sub B. Petri, & nostra potestate suscepimus, &c. Datum apud Cistertium per manum Hugonis Presbyteri Cardinalis, agentis vices D. VVidonis S.R.E. Diaconi Cardinalis, & Cancellarij* XV. Kalend. *Octobr. Indict.* X. *Incarnationis Dominicæ anno* M. C. XLVIII. *Pontif. D. Eugenij.* PP. III. *anno* III.

Ex Nienzauas trāsfertur Cœnobium ad Fiterum. IV. De translatione ex *Nienzabas*, ad *Castellionem*, seu *Fiterum* (vtroque nomine illud nuncupabatur oppidum) Memoria est apud relatos. Qui asserunt, hanc perfecisse Monasterij mutationem *S. Raymundum* propter loci conuenientiam, & Monachorum commodum. De hoc adest eiusdem *Eugenij PP.* diploma, sub datis Signiæ *V. Idus Maij. Anno* M. C. LII. Et *Sanctij Regis* priuilegium. Era M. C. XCV. refertque Manrriq. *supra n.* 10.

Calatraua donatio. V. Quatenus ad donationem oppidi de *Calatraua*, communis est sententia, sed nō triuiale rescriptum, ideóque in studiosorum antiquitatum gratiam exscribam.

DONATIO SANCTII REGIS CASTELLÆ B. Raymundo de Oppido Calatraba Regni Toleti.

In nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quæ à cunctis fidelibus in vnitate colitur, & adoratur. Quoniam Regia clementia dignitatis ad hoc debet sollicitè semper intendere, vt Omnipotenti Deo, in cuius manu corda Regum esse dignoscuntur, valeat sine intermissione placere, & ei studeat pia intentione seruire, sine quo nec regnum potest obtinere terrenum, neque adquirere sempiternum. Eapropter Ego Rex Sanctius

Sanctius *Dei gratia, Domini* Aldephonsi *bonæ memoriæ illustris Hispaniarum* Imperatoris *filius, diuino munere inspirante, facio chartam donationis, & textum Scripturæ, in perpetuum valiturum, Deo, &* B. MARIÆ, *& Sanctæ Congregationi* Cisterciensi, *& vobis Domino* RAYMVNDO *Abbati Ecclesiæ S. Mariæ de* Fiterio, *& omnibus fratribus vestris, tàm præsentibus, quàm futuris, de Villa, quæ vocatur* DE CALATRABA, *vt habeatis, & possideatis eam mancipatam, liberam, & quietam, iure hæreditario, deinceps in perpetuum, & defendatis eam à Paganis inimicis Crucis Christi, suo, & nostro adiutorio. Ita etiam do vobis eam, & concedo cum suis terminis, montibus, terris, aquis, pratis, ac pascuis, ac regressibus, & cum omnibus directuris eidem villæ pertinentibus, vt habeatis, & possideatis eam pro hæreditate vos, vt diximus, & omnes posteri vestri, quicumque vestri ordinis fuerint, & ibi Deo seruire voluerint, deinceps in perpetuum. Et hoc facio vobis amore Dei, & pro salute animæ meæ, & parentum meorum, & vt Deus per vos honoretur, Christiana Religio dilatetur, & vt Regnum nostrum augmentum sui, & protectionem (vestro, Omnipotenti Deo, gratissimo famulatu) recipiat. Si quis hoc meum factum, diuino munere inchoatum, & donationem infringere voluerit, sit maledictus, & excommunicatus, & cum Iuda proditore Domini, in inferno damnatus; & hoc meum factum, semper maneat firmum. Facta charta in* Almaçan *sub Æra* M. C. XCVI. *Mense* Ianuario. *Anno quo Dominus Aldephonsus famosissimus Hispaniarum Imperator obijt. Rege Sanctio de Nauarra existente Vassallo Domini Regis,*

Ego Rex Sanctius *hanc chartam, quam fieri iussi meo proprio robore Confirmo.*

Rex Sanctius de Nau. Conf
Com. Almanricus. Conf.
Com. Lupus Alfer. Reg. Conf.
Com. Vela de Nauar. Conf.
Gutier. Fern. Potest. in Cast. C.
Gom. Goncalu. Maiord. Reg. C.
Sanctius Didaci. Conf.
Sanct. Exemen. ten. Logron. C.
Fortum. Lopez de Soria. C.
Gonsalu. Roderiquez. C.



Gonsalu. de Marañon. C.
Ioan. Tolet. Archiep. Hisp. Prim. C.
Raymundus Palent. Episc. C.
Petrus Episc. Burgensis. C.
Cerebrunus Episc. Segunt. C.
Ioan. Oxomens. Episcop. C.
Rodericus Chalagurriensis Episcop. C.

De huius illustrissimæ Militiæ institutione, progressu, strenuitate, nobilitate, facinoribus, & Magnificentia, multa multi dixère, mei non est instituti tanta repetere: adeat studiosus Rad. de Andrad. *in Chron. huius Ordin.* Francisc. Caro de Torres *in Militar. Ordinib. Hisp.* D. Episcop. Pacensem, & alios, in quibus plenis (vt aiunt) manibus, quidquid voluerit inueniet, & præcipuè Ill. D. D. Ieronymum Mascareñas istius Ordinis alumnum *in Memoriali Antiquit. Calatrauensium.* & in eius *Historia* seorsim vbi plurima nondum edita monumenta recenset.

B. Sisebutus Abbas.] Eius memoria adest in Schedis *Cænobij S. Petri Karadinensis*, ex quibus aliqua verba fecit D. Episcop. Pampilonens. Sandoual. *in fundat. S. Bened. in descript. illius Cænob.* §. 5. *fol.* 39. *col.* 3. P. F. Anton. de Yep. *in Chron. Bened. tom. 6. Cent. 6. Ann.* 1076. *c.* 2. *fol.* 323. Hug. Menard. in *Martyrol Ben.* his verbis: *In Cænobio Karàdinensi in Hispania Sancti* Sisebuti *Abbatis.* & in ipsius *notis lib.* 2. *Obseruat. fol.* 509. Eius Acta desumpsit, ex MS. peruetusta membrana, quæ in illo Cœnobio seruatur *P. F. Ioannes de Arebalo*, à quo *P. Ant. Tepes* Hispano idiomate, quæ iterum Lectori latino restituere curaui, sic:

E.

Scriptore r.

ACTA S. SISEBVTI ABBATIS KARADINENSIS ex MS. Codice membranaceo à R. P. F. Ioanne de Arebalo desumpta.

SISEBVTVS *qui fuit III. Abbas tempore Episcopi* D. Gometij *floruit regnante* Ferdinando I. Sanctio II. *& partim regni* Aldephonsi VI.

Quo tempore vixit. *& gubernauit hoc* S. Petri Karadinensis *cœnobium, per aliquot temporum curricula, taliter se gerens in vita disciplina, in religionis complemento, in regula obseruantia, in Monachorum moribus, in Monastery cura, & in ministery exercitio, vt vsque nunc, vix alicuius memoriâ inest, qui ante eum, vel post eum sic monasticam seruaret integritatem, aut normam instituti* *Eius exercitia.* *felicius exequeretur. Qui in eius contubernio vixerunt, penitus ipsius vitæ ordinem in scriptis redigere neglexerunt, nec mirabilia, quæ Deus per eius intercessionem perfecit, memoriæ mandarunt. Fuit ergo tunc in nostris incuria communis & oscitantia vniuersalis, prout nunc adest maiorum lachrymabilis inertia. Et licèt in membranis papyri defuisset sedulitas; attamen quanta* Sancti Abbatis *fuerit sanctitudo, marmoreis sarcophagis commendarunt. Nam eius corpus non inter alios Cœnoby Abbates sepelierunt, sed diuerso ab illis sepulchro depositum, debitam vt Beato venerationem offerebant.* *Moritur.* *Mortuus est sanctissimus Abbas* Sisebutus X V. *Mensis Marty. Anno Domini* M. L X X X I I. *Sacra pignora iacuerunt in Capella* Sancti Iacobi *in monumento lapideo sub arcu marmoreo, vbi omnium venerationi* *Sepelitur.* *exposita perdurarunt. Quot afflicti ad eius sepulchrum venientes, ab omnibus liberi miseriis, voto expiato, alacres reuersi sunt? Extat* D. Mariæ *Miracula.* Franchæ *in memoria miraculum, quæ ex paralysi membris orbata,* B. Sisebuto *quotidie afflictionem commendans, eiúsque sepulchro adhærens, continuo à vinculis absoluta, per Ecclesiæ ambitum gratias agens Deo, libera agiliter ambulauit. Hæc illustrissima fœmina tanti beneficij memor propriys expensis hospitium in peregrinorum subsidium iuxta Capellæ aditum extruere curauit: in cuius parietis planicie miraculum egregijs picturæ coloribus exprimi fecit, & vt perpetuo ante Sancti Abbatis Vrnam* *Aliud.* *exardesceret lampas, apposuit, & censuali munere ditauit, aliáque non contemnenda hæreditario iure donauit; donec è viuis sublata, intra hospitij à se facti aditum sub miraculi pictura sepeliri iussit. Alia item miracula adhuc obseruat, & asseuerat traditio, scilicet cuiusdam paralytici, & muti alterius, qui, ille pedes, iste linguam, receperunt. Post aliquod tempus, quo Sancti exuuiæ ibidem honorifica veneratione fuerunt excultæ, & à peregri-* *Corporis translatio.* *nis, quos attraxerat, & deuotionis affectio, & miraculorum opinio, diu, noctúque visitatæ, Monachi pignora sacra, de Capella* Sancti Iacobi *in theca honesta excaltáque, inclusa ad Altare maius iuxta Sacrary Tabernaculum, reposuerunt, vbi quiescunt.*

Hæc in peruetusto Codice. Scriptores prædicti addunt: Quod ante & post trans- *Antiquum officium de Sancto Sisebuto.* lationem sacrorum lipsanorum ex Capella ad Altare, Conuentus omnibus Sabathis properabat, vbi S. Abbas quiescebat, ibidémque specialis agebatur statio post vesperarum officium, in qua melodicè Antiphona, & Oratio propria canebatur. Et quod in Breuiario M S. anni M. C CC. X X V I I. cuius originale adest in ipso Cœnobio, Sancti Sisebuti nomen inspicitur in Litaniis inter Confessores, & in suffragiis Sanctorum, cum propria Collecta. Eadem inueniuntur in Breuiario ipsius Cœnobij facto per D. Petrum Belorado anno M. C C C C. X C V I I I.

KARADINENSE Cœnobium. Eius fuere conditores *Seuerianus* Pater SS. Leandri, Isidori, Fulgentij, & Florentinæ, & *Sanctina* Seueriani mater, vt auctor est *Huius Cœnoby conditores.* S. Marcus Max. *in Chron. Ann.* 540. sic: *Sanctina Seueriani Mater, ædificato Monasterio Monachis, quos S. Benedictus primum misit ad Hispaniam, ad S. Petrum* Karadinensem. *Toleti moritur, & in eodem Monasterio conditur.* vt retulit D. Episc. Sandoual. *in fundat. huius Cœnobij.* §. 1. *fol.* 36. licèt in Codice Maximi impresso *Ann.* 550. sic legatur. *Quæ anno D. XLIV ædificarat* (Sanctina) *ad S. Petrum* Karadinensem *celebre Monasterium, quò Monachos transmiserat S. Pater Benedictus ex Italia ad Hispanias, & Toleto huc eius corpus deferri testamento cauit.* De hoc Monasterio Luitprand. *adu.* 245. sic: *Karadina primum in Hispania Benedictinorum Cœnobium* (*vbi Sanctina vxor Theodorici Regis, iacet, & habet CC. Monachos Martyres*) *dicta fuit tempore Gothorum, & Romanorum* Karadimas. Qui alia de hoc cœnobio scire desiderat, adeat Sandon. & Yepes.

F. *Martyrologia.* S. Matrona V. M. Thessalonicensis.] De ea Beda h. d. sic: *Apud Thessalonicam Ciuitatem natale sancta* Matronæ, *quæ cùm esset ancilla cuiusdam Iudææ, & occulitè Christum*

Christum colens, deprehensa à Domina sua, & vsque ad mortem casa, incorruptum spiritum reddidit. Vsuard. *Apud Thessalonicam ciuitatem natalis sanctæ* Matronæ *Martyris, quæ cùm occultè Christum colent, quotidie furtiuis orationibus Ecclesiam frequentaret, deprehensa, & multipliciter afflicta, nouissimè robustis fustibus, vsque ad mortem casa, in confessione Christi incorruptum Deo spiritum reddidit.* Ado copiosiùs, sic: *Apud Thessalonicam ciuitatem natalis sanctæ* Matronæ, *quæ cùm esset* Plautillæ *cuiusdam viduæ ancilla, & occultè Christum colens, quotidie furtiuis orationibus Ecclesiam frequentaret, deprehensa à Domina sua, & in scamno extensa, & ligata, & pene vsque ad mortem flagellata, atque ita vincta in scamno, obsignatis diligentissimè ianuis, per noctem relicta, ibi die altero diuinitùs soluta, ac cum ingentiori gratia orans, inuenta est. Rursúmque neruis crudis in eodem scamno constricta, & loris quousque obtamesceret casa est, ibique per triduum obsignatis ianuis relicta. Facta autem die tertia, iterum soluta diuinitus, & orans inuenta est. Tunc robustis fustibus vsque ad mortem casa, in confessione Christi incorruptum spiritum reddidit.* VValdembert. in Ephemer. sic:

Thessala plebs Idus Matrona Martyre seruat.

Menolog. Græcor. die XXVII. Mensis, sic: *Natalis sanctæ* Matronæ *apud Thessalonicam. Hæc cùm Christianam fidem profiteretur, & Iudææ cuiusdam nobilis fæminæ, cuius erat ancilla, neque minis, neque blanditijs, aut verberibus flecteretur, quo minus in proposito permaneret, diutina carceris vexatione animam Deo tradidit.* Eadem quæ Ado, B. Noker. Alexand. Peregrin. Maurolyc. Petr. de Natalib. Galesin. & Prim. Cabillonens. & Philipp. Ferrar. *in Typographijs SS. verb.* Thessalonica. Martyrolog. Roman. Lusitan. Castell. *P. Dionys. Vazq.* Hispan. *P. Higuer.* Philipp. Ferr. & Excellentiss. Dux Ixarens. *in Catalog. SS.* Agunt de ea Sur. *tom. 2.* SS. Bellarrdus *in Act. SS.* Phil. Ferrar. *in Catal. SS. Ital. h. d. fol.* 153. Mariet. *lib.* 4. *Hist. SS. Hisp. c.* 56. Anton. Vincent. Domen. *Hist. Sanct. Cathalon. lib. 1. h. d. fol.* 25. P. Franc. Diag. *Hist. Comit. Barcinon. lib. 1. c. 3. fol. 9. & lib. 2. c. 37. fol.* 100. Ex professo eius vitam, & translationem scripsit idiomate Cathalaunico *P. F. Saluat. Pons. anno* 1594. sex capitibus distributam. In quorum I. *Vitam, & Martyrium.* In II. *de Translatione ex Thessalonica, Barcinonem.* In III. *de Mirabilibus, & prodigijs, quæ Deus intercessione S. Virginis operatur, præcipuè instante pluuiæ necessitate.* In IV. *de eadem re.* In V. *de SS. Fructuoso, Augurio, & Eulogio, Martyribus Tarraconensibus, quorum sacra lipsana eadem capit theca.* In VI. & vltimo *de speciali deuotionis affectu, quo sanctam Virginem, & Martyrem prosequuti sunt Decuriones, Iurati, & Plebs Barcinonensis.* Scriptores. De hac Pontij historia adest cuiusdam Epigramma his versibus.

Matrona vitam describit Pontius ecce:
Relliquias cuius Mons habet ipse Iouis.
Nomine Matrona est compluribus agnita passim,
Ignorat vitam maxima turba tamen.
Pontius accurrens, vt notius omnibus esset:
Eius conscripsit plurima digna legi.
Ostendit Patriam, necnon quæ pertulit illa,
Dum sequitur Christum, mortis obítque diem.
Narrat, vt ad Gallos *vehitur dum corpus, ad vrbem*
Nostram tempestas detulit orta grauis.
Vtque preces populi solet exaudire libenter
Et precibus Dominum solicitare pium.
Annuit, vtque Deus crebrò, si quando sitire
Incipiant segetes, continuóque pluat.

Item eius agonem, & translationem complectitur *Breuiar. Barcinon.* & Martyrol. & *Breuiar. Dominic.* peruetustũ, ex quibus omnibus hæc vitæ anamnesis cõcinnabitur. *Breuiaria.*

ACTA S. MATRONÆ VIRGINIS, & MARTYRIS Thessalonicensis, cuius sacrum Corpus apud Barcinonem Hispaniæ asseruatur, ex Breuiar. Antiq. Barcinon. & alijs.

Origo.

MATRONA *ex Græca prosapia nata*, Thessalonicæ *vrbis illustris Macedoniæ oriunda, adhuc in ætatis flore parentibus orbata, à Patruo diuitijs affluente in domum reducta adoptionis titulo parentata est. At interuenientibus Christianorum victorijs contra Ethnicos partis, cum ille infidelis esset, timens se ab illis facilè muneribus, & diuitijs spoliari posse,* Thessalonicam *deserens, cum* Matrona, *& opibus Romam deuênit.*

Româ cum patruo pergit.

Quam vrbem licèt copiosiùs Pagani incolerent, attamen adhuc Christi asseclæ non pauci eius terminos adimplebant, qui timore Gentilium antra ipsis, Deo seruientibus, suaue erat cum Domino domicilium. Hic Matrona *à Sancto inducta Spiritu, cùm vitam illorum perpenderet Sanctorum, qui in speluncis degebant,*

Fit Christiana.

omni posthabito minarum patrui timore, ad Sanctorum ergastula pergens, totius consolationis expleta, illustrem fortitudinis conceptum obuallans ad futuri agonem certaminis spiritum disponebat. Ergo à viris Catholicis in fidei mysterijs charitatiuè edocta, & continuis eorum sermonibus roborata, & Christi Domini nostri effigie (quam continuò secum adsportauit Matrona, *ex quo cum* Crucifixi *imagine depingitur in dextra) roborata; feliciter omnium virtutum sarcinam recollegit. Sed* Thessalonicam *reuersa,*

Thessalonicam repedauit.

nescitur causa, in famulatum cuiusdam Plautillæ *(aut Gentilis, aut Iudææ) nomine intrauit. Sancta ergo Virgo cùm esset in fidei, & deuotionis mysterijs, & traditionibus bene assueta, & instructa, protinus, vt ei ansam occasio offerebat, in Christianorum Ecclesias properabat, vbi fidelium se cætibus*

Ecclesias visitat.

iungens, cum ipsis in oratione, & Dei laudibus persistebat. Quod vt agnouit infidelis Plautilla, *domum V[i]rginem reducere conatur, & ingressam illico deprehendit, furore insolito reprehendit, inque scamno alligatam extendit,*

Plautilla Virginem flagellat.

quam penè vsque ad mortem flagellat, & sic vinctam, obsignatis diligentissimè ianuis per noctem reliquit. Sanctissima Matrona *nec Deo cessans grates rependere, in noctis silentioso meatu ergastulum Angelus irradiantibus fulgoribus implet, cui ligamina soluens, & vlcera curans, cum ingenti*

Ab Angelo curatur.

oris gratia die altera & soluta, & valens inuenta est. Fremuit Domina, à qua Matrona *rursus crudis neruis in eodem scamno constricta, & loris quousque obtumesceret cæsa, ibique per triduum portis clausis est relicta. Facta die tertia, iterum ab Angelo soluta & orationi vacans à Domina reperitur.*

Iterum.

Tunc robustis fustibus cæsa, ad Dominum, quem dilexit Virgo, & Martyr Angelicis stipata cætibus redimita festinat. Idibus *Martij, circa annum*

Coronatur.

Domini CCC. *Diocletiano, & Maximiano Impp.*

Corpus *Sanctissimæ Virginis, & Martyris apud ipsam* Thessalonicam *Ciuitatem asceta fideles summa collegerunt veneratione, & vt ferebant*

Sepelitur.

tempora illa, humili tradiderunt sarcophago, vbi quieuit; donec post aliquot annos, quidam Galli Catholici, qui per illa Græcia emporia nundinabantur, cognito sanctæ Virginis agone, à Thessalonicensibus *sacra pignora efflagitantes, vt propriam ditarent cælesti patriam thesauro, liberalissimè, quod petebant adepti sunt. Alacres in nauem thecam cum sacris*

Galli eius pignora deferunt.

exuuijs asportant, & solutis anchoris, rugas vndarum velox prora dissoluit. At continuò mare voluunt venti, & æquora magna surgunt, & atra tempestas, sine more, effusis imbribus furit, subitóque nubes ex oculis Gallorum *eripiunt & cælum, & diem; vndarúmque ardua continuis tonitruum horrisonis clangoribus tremi[s]cunt, micátque crebris ignibus æther. Nullum iam hu-*

Tempestate Barcinonem appellunt.

manum aderat auxiliu[m], ad diuinum confugiunt, & interpositâ S. Matronæ, *cuius sacra fereban[t] lipsana, intercessione, à Domino supplices feruidè vitam efflagitabant. A[nn]uit Deus afflictorum votis, & vehementi aëris,*

&

& tempestatis robore Nauem in Cathaloniæ *litora peruehit, ad* Montem *vsque* Iouis, *qui non procul à* Barcinone *in* Pyrenæis *collibus erigitur. Ibidem immobilis Nauis naufraga hæret. Nec vnquam dimoueri potuit, quousque inter Christianos conuentum est de relinquendis sanctissimis exuuiis in quodam Montis Oratorio, quod è mari conspiciebatur. Vix ea prolata, cum nauis ipsa velociter arripiens iter ad montis radices accedit, & extracto Sanctæ Virginis corpore in Ecclesiam deferunt, vbi qua potuit Charitatis affectio munificentia pignora collocant. Hic miraculis* S. Matrona *splendet, mirabilibus prouinciam implet, & fauoribus eius auxilium deposcentes accumulat. Eius Ecclesia Patribus* Seruitis *primo tradita, nunc Capucinis S. Francisci oblata perseuerat. Anno verò* M.D.XCIII. *translatum fuit corpus ex peruetusta capsa, in aliam ornatiori sculptura ex ære, auro, & lapidibus factam, in cuius circulari ambitu, hæc inuisitur epigraphe.* *Nauis sistitur, donec pignora relinquere promittunt.* *Translatio pignorum.*

HIC REQVIESCIT CORPVS B. MATRONÆ VIRGINIS, ET MARTYRIS.

Hæc sunt quæ de hac Sanctissima Virgine, & Martyre *Matrona* inueniri potuerunt, circa translationem ex Thessalonica, Barcinonem. Sed quo anno hæc fuerint, altum apud nostros silentium est.

THESSALONICA. Ciuitas *Macedonia* ad intimum *Thermaici* sinus recessum, olim, & nunc florentissima, nomine SALONICHI. Emporium maximum, *Cosmographia.* quod mercatores ex omnibus penè nationibus frequentant. Vrbs amplissima, & opulentissima,& cum primis Turcici Imperij conferenda, Hebræis, Turcis, & Christianis habitata. Media ferè inter *Dyrrachium*, & *Cypselam* vrbem *Thraciam* ad *Hebrum*. De ea plura apud Abraham. Ortel. Ptolom. Plin. & Strabon. Apud Gruter. *fol.* 539. *n.* 9. Romæ hæc vetusta inscriptio.

L. CVSONIO. L. F.
PROCVLO
CL. THESSALONIC.
EQ. COH. VIIII.

Numismata Decij & aliorum Imperatorum suis locis compaginabimus; diuersa, quæ temporum lapsibus recepit nomina, & alia eius antiquitatem indicantia, inferiùs dicemus.

Sanctus Magorianus.] Hic sanctissimus Confessor frater fuit *SS. Vigilij*, & *Claudiani*, & filius *S. Maxentia* ex *Hispania* ortæ, vt plenius probauimus supra *die VI. huius Mensis Martij*. Quod attinet ad eius sanctitatem, Philipp. Ferrar. *in Catal. Gener. SS.* hoc die, sic: *Tridenti in finibus Italia Sancti* Magoriani *Confessoris.* & in *Catal. SS. Italia.* hoc etiam die. *fol.* 152. in Notula sic: *Acta Sancti* Magoriani *præcipua desiderantur, quemadmodum, & Sancti* Claudiani *eius fratris. Nam in vrbis Tridentina vastationibus, quas sæpius passa est, deperiisse feruntur. Hac tamen die Natalis ipsius celebratur.* Eius Acta sic: G.

ACTA S. MAGORIANI CONFESSORIS, ex Ferrario, & aliis.

MAGORIANVS *ex* Hispano *genere natus Sancta* Maxentiæ *filius, ac* SS. Vigilij, *&* Claudiani *frater in Christiana pietate enutritus Sanctum* Vigilium, *vnà cum Matre, &* Claudiano *fratre sequutus, & ipse* Tridenti *subsedit. Vbi in Orationibus, vigiliis, & aliis pijs operibus Domino seruiens Sanctum Vigilium in Pastorali cura adiuuit. Quem ad nefandum inanium Deorum cultum euertendum associatus; cùm ab infidelibus, lapidibus interfectus fuisset,* Tridentum *deferendum, & sepeliendum Claudiano fratre adiuuante curauit. Ipse autem multis cumulatus meritis, tandem in Cælos euolauit* Idibus Martij, *circa annum* CCCC. XVI. *S. Vigilio in Pastorali officio suppetias fert. Moritur.*

Nullus ex Scriptoribus Ecclesiasticis, quem viderim, de hoc Sancto Confessore præter *Philippum Ferrarium* verba fecit, ideò ipsius memoriæ anamnesis nuda

procedet. Quod *S. Maxentia* fuerit *Hispana* ex vrbe Vettonum *Cauria*, etsi supra probauimus, en Dextri *Ann.419.* verba: *Sancta* Maxentia *Hispana* Cauriensis *Tridenti floret.* Cætera suis quære locis, hoc est die *XXX. April.* & *XXVI. Iuny.*

TRIDENTVM. Suprà eius topographiam *die VI. huius Mensis exscripsimus ex Ptolomeo, & aliis, hic vt eius vrbis antiquitatem agnoscas, & debitum supra solùam promissum, en apud Gruth. fol.432. n.3. antiqua inscriptionis elogium.*

Inscriptio Tridenti.

C. LVCRETIVS.
C. L. ERASMVS.
SEX. VIR. AVG. BRIX.
ET. TRIDENT.
GRAT. SIBI. ET COM-
ONESSIMÆ.
COIVG. CHARISSIMÆ
ET. C. LVCRETIO HERMETI.
ALVMNO PIIS. LIB. LIB. Q. EORVM.

Quæ de nouo emergent suis in locis apponere curabimus, interim cum præscriptis quiesce?

H. *Martyrologia.* S. MATRONA Virgo Lusitana.] Huius sanctissimæ Virginis memoriam adhuc penitus ignorauit *Hispania*, donec Philippus Ferrarius in *General. Catalog. SS.* h. d. isthæc verba conscripsit: *Apud Capuam veterem* S. MATRONÆ *Virginis*, vbi in *Not. fol.113.* prosequitur: *Ex quodam MS. quod legimus ibi, & ex epitaphio in Ecclesia S. Prisco ibidem dicata, extante: Ex quo illam* LVSITANI *Regis filiam fuisse, & Zenone Imp. ac Gelasio PP. vixisse liquet, & à priore diuersam esse (vt videtur) apparet.* Eius Acta licet per compendium idem retulit in *Catalog.SS.Ital. h. d. fol.153.* Cardin. Cæsar. Baron. *in Not. ad M. Rom. hac die lit. C.* huius Nostræ S. Virginis meminit, sed traditioni *Ecclesiæ Capuanæ* fidem denegat, Acta MSS. lacerat, & totius relationis compaginem subuertit, & suæ coniectationis amasius concludit: *In Africa passam* MATRONAM, *& apud* CAPVAM *ab Episcopis Africanis profugis delatam, vbi in honore habetur.* P. Ioann. Bolland. *tom.1. Act. SS. fol.611.* Campuanæ Ecclesiæ traditionem amplectens, asserit: S. MATRONA *Virgo* LVSITANA *in Ecclesia S. Prisci diœcesis* Capuanæ, *duplicem obtinet celebritatem, prior agitur die XXV. Ianuary, estque illius Ecclesia Dedicatio: Altera Natalis est ipsius Virginis, celebraturque XV. Marty.* Acta eius provt descripsit Ferrarius hæc sunt.

Baronij opinio.

A Bollando reycitur.

ACTA S. MATRONÆ VIRGINIS *Lusitanæ ex Philippo Ferrario descripta.*

Regis Lusitani filia. MATRONA *Virgo* Lusitani *Regis filia, annum ætatis duodecimum agens, sanguinis fluxu laborans, virginitatem (si ab ea infirmitate conualesceret) Deo vouit. Quare ab Angelo in somniis admonita, in* Italiam *veniens, apud* Capuam *Veterem Corpus* S. Prisci *Martyris, duarum iuuencarum indicio (quæ ex armento ad locum, in quo iacebat, prout in somnis viderat, accesserunt) reperit: Templumque in eius honorem excitauit (cùm prius ex tactu sacri Corporis sanata esset) ac in eius cœnobio, ibidem à se extructo, de* Gelasij *Summi Pontificis licentia (qui Ecclesiæ prædictæ, quæ adhuc conspicitur, indulgentias concessit) cum duodecim Virginibus, quas secum adduxerat, vitam religiosam ducens, sancto fine quieuit,* Idus Martij, *Anno* D. VI. *vel circiter. Extat eius sepulchrum ex pretioso marmore, ad quod miracula aliquot patrata feruntur.*

Capuam adiit.

Miraculis claret.

Hactenus *Philippus Ferrar.* qui *in Not.* prosequitur: *Etsi Puellam Duodennem, quæ dicta sunt egisse, parum verisimile videtur, nec de hac* MATRONA *apud* Lusitanos *Scriptores vlla (quod sciam) extat memoria: antiquitati tamen deferendum videtur; & licèt illud epitaphium, in quo Beatam* MATRONAM, *B. Prisci Ecclesiam ædificasse legitur, errorem circa tempus contineat (nam anno* D. VI. *Zenone Imp. & Gelasio Pontif.* MATRONAM *Ecclesiam antedictam construxisse habet, cùm Zeno ante Gelasium,*

fium, anno circiter vno obierit, & neuter annum memoratum attigerit (commentitium tamen esse non putamus. Nec est cur putetur, vt infra dicemus. Ioannes Carolus Morellus *in Tumul. Sacris. fol.94.* hoc nostræ B. Virginis Tumulo epitaphium inscripsit.

Lusitanorum iacet intus Regia proles
MATRONA, *ipso autem marmore candidior.*
Hic ponit Prisco templum, tumulúmque, reperto,
Vt prius Oraclo nouerat æthereo.
Hic valet è morbo, quâ causâ mittitur; hícque
Vixit cum sanctis inclyta Virginibus.
In cœlo coram Domino nunc aurea lampas.
Non mirum, si quid fictile lucis habet.

Isthæc ab exteris didicimus Scriptoribus, apud quos de cæteris actionibus S. Virginis altum silentium, quia in *Capuana* Ecclesiæ monumentis, istæ tantummodò reperiuntur. Hinc vt quid non demirer, quando nostrorum anamnesin S. Virginis referentium Scriptorum nouitates intueor? P. Ludouic. ab Angelis *in suo Portugall. Viridar. c.38. fol.*106. addidit fuisse *Martyrem*, & *Religiosam* Ordinis S. Augustini, eiúsque partem Reliquiarum *Barcinonem* translatam fuisse. P. Anton. à Purificat. *in Theatr. Triumphal. chor.*3. & 4. illius est vestigia sequutus. R. P. F. Thom. de Herrer. Cuius, vt iam diximus, religionis, & eruditionis specimen in omnium volitat ora, *in Alphabet. Augustinian. tom.*2. *lit. M. fol.*47. Nescio à quo, MATRONAM, Braccarensem: ex *Theodulo* Lusitaniæ Rege, accolam constituit. Sed à quibus hæc suxerint commenta, nondum diuino, paríque modo, nec *R. P. Herrera* diuinat, quinimo *Ludouici*, & *Antonij* glossemata respuit, quia *fundamenta hæc* (concludit) *tanta molis infirma iudicamus, & thesaurum Augustinianæ gloriæ probabilioribus saltem ditescere exoptamus.* Perbellè quidèm, quia tanti Viri prudentia, & in rebus hisce trutinandis eruditio perperam assumeret dicteria scribentium à veritate, aut fundamine remota. Quod vt faciliùs agnoscatur, hic omnia ACTA Nostræ S. Virginis integra abs *Michaële Monacho* Canonico Capuano, *in Sanctuar. Capuan.* 1. *p. fol.*143. conscripta, & Notis illustrata, quibus *Baronij*, & *Ferrarij* coniectationes refelluntur, & traditio S. E. Capuanæ, eiúsque monumenta firmantur. *Hispanorũ Scriptorum varietates.*

ACTA S. MATRONÆ VIRGINIS Lusitanæ, apud Capuam cultæ, ex Michaële Monacho Canonico Capuano, & Decretorum Doctore conscripta.

PRÆLVDIVM.

IN *Ecclesia* S. Prisci *Capuanæ Diœcesis colitur* S. MATRONA *Virgo. Agitur festum die* Martij XV. *& hoc ipso die notatur in Martyrologio Romano* S. Matrona *Virgo, & Martyr, & illa diuersa est à Nostra* MATRONA. *In* Kalendario *Thesauri M S. reperi notatum charactere nigro, & Longobardo:* IDVS. S. MATRONÆ VIR. *Huius* ACTA *habuimus non atramento in Chartis impressa, sed imaginibus in muris expressa, quæ ex muris in chartas ita traduximus.*

MATRONA *Portugalliæ Regis filia duodennis, graui sanguinis fluxu laborabat: Pater vndique remedia, sed frustra, conquirebat. Puella cæleste implorabat auxilium, & tandem sui morbi curandi rationem cælitus edocta fuit; Angelus enim Domini illi in somniis apparuit, dixítque:* MATRONA in Italiam perge, in Campaniam penetra, in via Aquaria prope Capuam siste, ibi duos necdum domitos iuuencos inuenies, *Origo.* *Fluxu Sanguinis laborat.*

Ab Angelo remediũ didicit. qui quotidie ab armento ſegregati, certo quodam in loco procumbunt, cura tu locum effodi, B. Priſci Epiſcopi, & Martyris, ex antiquis Chriſti Diſcipulis, corpus inuenies, extractis, tactiſque Reliquiis, conſiſtet ſanguis, & ſana fies. Nè verò de voluntate diuina ſis hæſitans, accipe funiculum, quem capitibus iuuencorum impones, MATRONA *ſurgens mane, parentibus noctu viſa narrat. Lætantur illi, eligunt Duodecim Virgines, & probatiſſimos viros, qui comitentur.* MATRONA *ergo cum nobiliſſimo comitatu dimiſſa*, Capuam *vſque peruenit, & iuuencorum ſigno comperto, locum effodi curauit: inuenit Reliquias* S. Priſci, *& morbus abſceſſit. Acceſſit deinde ad Pontificem Romanum, & Eccleſia in honorem* S. Priſci *conſtruenda, dedicandaque facultatem obtinuit. Itaque illo ipſo in loco ſupra ſanctum Corpus inuentum, erexit Eccleſiam, & circumiacenti campo dotauit. Iuxta illam domum erexit, vbi cum ſuis comitibus puella Virgo ad mortem vſque permanſit. Mortuum Corpus honorificè conditum eſt, in arca marmorea perpolita, intra Sacellum, cuius teſtudo muſiuo decorata, quatuor columnis innititur, & parietes candidi, marmoreis, politiſque tabulis incruſtati, ad nouorum vſque tempora perdurarunt. In arcula paruulum foramen eſt inferius, è quo ſanctum Corpus liquorem, vulgò* Manna, *emiſiſſe dicitur. Illius ſepulchrum piè viſitare volentibus, viſendum conceditur, & mulieres, quæ præſertim ſanguinis fluxu laborant, quotidie interceſſionis virtutem experiuntur. Et Ianuarij XXV. die, cum ſit feſtum Dedicationis Eccleſiæ, ſemper nuncupatum eſt feſtum* S. MATRONÆ, *& maximus eſt etiam* Capuanis *finibus conterminorum ad Eccleſiam* S. Priſci *concurſus, cum votiuis muneribus, inuocantium nomen, & auxilium* S. Matronæ. *In huius tumulo Epitaphium extat charactere quaſi Longobardo, vel quaſi Francico ſculptum, hiſce verbis:*

Capuam adijt.

Sanatur.

Templum erigit.

Miracula.

Inſcriptio.

> Anno Domini D. VI. Indictione XIV. Regnante Imp. Zenone, In Conſtantinop. vrbe: Gelaſio PP. in Rom. vrbe, B. MATRONA fieri fecit iſtam Baſilicam, in honorem B. Priſci, cum auctoritate ſupradicta PP. & aliorum Prælatorum conſtituit, & ordinauit, vt omnis, qui hanc Baſilicam deuotè viſitauerit, ann. M. C C. Indulgentiam ſuorum peccatorum acciperet.

Hiſtoria in pariete depicta. *Hactenus* ACTA *Beatæ* MATRONÆ *non ſcripta, ſed picta. Erant picturæ in muris Eccleſiæ, iuncta cum Tribuna, id eſt cum ſuperſtite illa parte Baſilicæ, quam ipſa* B. MATRONA *conſtruxerat: tandem aucta eſt populo, & amplianda fuit Eccleſia, diruendique picti parietes. Sed Archiepiſcopus* Cæſar Coſta *mandauit, vt pictor exempla ſumeret, & ſecundùm illa, iconi Maioris Altaris parerga apponeret.*

NOTATIONES.

Ferrar. in Catalog. Duodennis fluxu ſanguinis laborauit Matrona. *Eſt cui parum veriſimile videtur, Puellam duodennem, quæ dicta ſunt egiſſe, ſed antiquitati ſibi deferendum quoque videtur. Nos non ita quæ dicta ſunt accipimus, vt Puella duodecimum agens annum, omnia illa peregerit; ſed ita vt duodennis ſanguinis fluxu laborare caperit, & aliquot anni in remediorum experientia præterierint, vt ita magis (iuxta diuinæ prouidentiæ morem) & diuina miſericordia, & accepti beneficij magnitudo cognoſceretur. Imò quid mirum Puellam duodennem illa omnia perfeciſſe, quando illi diuina gratia præſto erat? Mira videntur, & tamen vera ſunt, quæ de* S. Romana *Virgine decenni leguntur: ſed tamen planè non mirum, quod à diuina gratia proficiſcitur.*

Ferrar. in Catalog. 23. Februa.

Contra Baronium argumentatur Monachus. *Præterea ſacrorum hiſtoricorum antesignanus, in Notatione ad* Martyrologium *opinatur hanc* MATRONAM, *quam in honore Nos habemus, eſſe vnam ex Martyribus Africanis, quam tempore* VVandalicæ *perſecutionis, Epiſcopi inde pulſi huc adſportarunt: additque non credere ſe* ACTIS, *quæ nulla ex parte conſiſtunt, & habent illam Virginem ex* Luſitania

tania Capuam *concessisse. Si tantus Vir opinaretur*, S. MATRONAM *viuentem, cum SS. Episcopis Africanis hùc accessisse, & de* S. Prisci *corpore perquirendo postea monitam; libentissimè consentirem, & adderem opinionem de aduentu Puellæ à* Portugallia *propter similitudinem vocum,* Portugallia, *&* Portugaulos *in Acta irrepere potuisse.* Gaulos *enim est Insula in Africano mari contra Siciliam, & à portu* Gaulos, *id est à* Portu *illius* Insulæ, *vel ab Insula nuncupato, possemus opinari discessisse sanctos, qui ad nostra litora peruenerunt: At verò dum ille opinatur* MATRONÆ *defunctæ Reliquias hùc adductas, quia sic tota negatur Historia, assentiri non possum. Cur negabo* S. MATRONAM *fuisse infirmam, & laborantem sanguinis fluxu; si antiquissima, & constantissima deuotio est, vt fœminæ, imò etiam Viri, quáque laborent sanguinis infirmitate* B. MATRONAE *sese commendent? Cur negabo* S. MATRONAM *Basilicam* S Prisci *ædificasse; si festum Dedicationis illius antiquissimâ, & constantissimâ traditione à* Capuanis, Auersanis, Calatinis, *&* Casertanis *appellatur festum* S. MATRONAE? *Cur negabo Acta in quibus nihil repugnans, nihil improbabile, nihil insolitum inuenitur?*

Gaulos Insula, quæ?

Dedicatio Ecclesiæ S. Matronæ.

Narratur: Dormienti Puellæ S. Prisci reuelatum esse corpus. *Hoc non est insolitum, quia* S. Pulcheriæ *Virgini, reuelatæ sunt Reliquiæ Sanctorum Quadraginta Martyrum: &* Berta *Monialis S. Hunegundis sepulturam diuina relatione cognouit: & fœmina quadam in Ciuitate* Gazensi *in somnis accepit signum, quo discerneret, & colligeret Martyrum ossa, quæ inter ossa bestiarum proiecta, & confusa discerni non poterant. De his* Baron. *tom.5. Ann.*438. *tom.*10. *fol.*492. *tom.4. fol.*45.

Non est nouum in Ecclesia, quod dormientibus fœminis reuelentur Corpora Sanctorum.

Narratur: S. MATRONAM admonitam esse, vt pro sanitate Corporis obtinenda, è Portugallia in Campaniam, longissimè positam, proficisceretur. *Nec hoc est insolitum: Quia Abbatissam quandam in Syria luminibus oculorum orbatam, admonitam fuisse, vt pro cæcitate sananda Parisios vsque contenderet, atque Corpus* S. Aureæ *decentiori in loco, reponi curaret, vt legimus apud* S. Antonin. *in Chron. p* 2. *tit.*13. *c.*6. *Et apud* Natalem, *&* Surium *in Vit.* S. Quinctini *legimus quoque; Matronam quandam Romanam,* Eusebiam *nomine, cæcam, ab Angelo ter admonitam, vt in* Gallias *ad Corpus* S. Quinctini *Martyris perquirendum accederet. Et in Vit.* S. Sabini *Episcopi* Canusini, *quam in Codice Longobardo MS. habemus, legimus* Hispanum *quendam* Gregorium *nomine, toto corpore languidum, admonitum, vt in* Italiam *ad corpus* S. Sabini *properaret.*

Nec quod pro sanitate obtinenda admonita è patria longius discedant.

Gregorius Hispanus.

Narratur: Signo iuuencorum accepto S. Prisci corpus inuentum. *Et hoc neque insolitum est. Quia Corpus* S. Zachariæ Prophetæ *reuelatum fuit cuidam agricolæ; & demonstrato loco, datum illi signum, nempe futurum, vt refossa terra, inueniret arcam, & prope, serpentes duos amplitudine mediocres, mites, & innoxios. Et cum corpus* S. Saluij *in stabulo esset incognitum, Taurus ab aliis animalibus, & immunditiis seruauit immune. Et S.* Michaël *Archangelus Tauri ferocissimi signo demonstrauit locum in monte* Gargano *sibi gratum: Et idem ipse Primas in Insula Maris Oceani signo ligati Tauri, pedibúsque terram effodientis, ostendit locum, & formam Ecclesiæ, quam volebat.* S. Genesius *Martyr, corpus quoque suum, indicio boum reuelauit, vt narrat* Greg. Turon. *Mirac. lib.*1. *c.*67. *Lege* Baron. *tom.*5. *Ann.*415. *tom.*9. *Ann.*801. *& Natal. lib.*9. *c.*71.

Neque ex iuuencorum signo enarrantur ista reuelationes.

Narratur Accessus ad Papam, & impetratio facultatis pro Ecclesia construenda, & dedicanda. *Hoc necessarium erat, quia vt è Sanctorum* Gregorij, *&* Gelasij *colligitur epistolis, antiquitùs inconsulto Romano Pontifice, non licebat Ecclesiam dedicare* Baron. *tom.*8. *Ann.*591. *n.*27. *Ann.*598. *n.*22. *Ideóque iure optimo narratur, accessisse* Romam, *quæ vel ipsamet, vel per alios accessit.*

Matrona licentiam à Papa obtinuit pro extruendo Templo.

Nunc videor mihi audire dicentem: Quonam pacto stare potest fides historiæ

hiſtoriæ pictæ, ſi in ſubſcriptione primæ picturæ, Pater S. MATRONÆ Rex *Portugalliæ* notabatur, & eo tempore *Portugalliæ* Regni titulum non habebat? Et quonam pacto epitaphij ſtabit fides, ſi *Zenonis*, & *Gelaſij* tempora non conuenerunt? Si Annus hic Incarnatione, & Indictione ſignatur; tunc verò Conſulibus tempora ſignabantur? Si Indulgentiæ notantur M. CC. Annorum, & eo tempore Indulgentiarum tàm larga conceſſio fieri non ſolebat?

Obſtantia Hiſtoria proponit.

Hæc obiecta non ſunt tanti momenti, vt hiſtoriæ fidem abrogare valeant. Et primo ſcrupulo ſatisfactum puto, ſi dixerimus Regem *appellari* Dominum, *&* Regulum *in aliqua* Portugalliæ *Ciuitate: ſic in Romano Martyrologio* S. Lucius *appellatur Britanniæ* Rex, *quem tamen* Regulum *exiſtimandum eſſe* Card. Baron. *annotauit. Sic in Actis aliorum Sanctorum paſſim inuenitur. Pater* S. Iuſtinæ *dicitur* Rex Patauinæ *ciuitatis, &* S. Erina, *ſeu* Irene *dicitur filia Imperatoris, &* S. Catherina *filia* Regis.

Tempore Romanorū non erant in Prouinciis: Reges, ſed Reguli.

Quod verò ad epitaphium *pertinet, ego propter characterem illum, & propter Indictionis obſignationem, libenter concedo illum poſitum fuiſſe poſt annos circiter Quadringentos, ab inuento Corpore* S. Priſci, *nempe quando reſtitutâ Campania aliquâ pace, in reparandis templis licebat incumbere. Tunc ſine dubio reparata fuit Baſilica, à Sarracenis antè deſtructa, & tunc ſculptum epitaphium eſt, & pictura continentes Acta* B. MATRONÆ, *muro ſuperinducta. Agantur igitur gratiæ Viro pio (quiſquis ille fuerit) qui hiſtoriam ſanctam nobis conſeruare ſtuduit. Condonentur illi ſi qui ſunt errores; leues enim, & veniâ digni ſunt. Coniunxit ille tempora Zenonis Imperatoris, & Gelaſij Papæ? Sunt qui exordium Imperij Zenoniani ponunt Ann.* CCCC. LXXVI. *&* CCCC. LXXVII. Proſp. Pariſ. *in Chronolog.* P. Leand. Albert. *in Ital. fol.* 115. *& producunt ad* Ann. CCCC. XCII. *&* CCCC. XCIII. *& ita* Zenonis *Imperium vno, & altero anno conuenit cum* Gelaſij *Pontificatu, qui incepit ab anno* CCCC. XCII. *& ad* CCCC. XCVI. *durauit. Præterea* Breuiarium, *quo, ante commune* Monaſticum, *Patres Gulielmitæ, ſeu de Monte Virginis vtebantur, in Apparitione* S. Michaëlis *Archangeli ita habet:* Anno Dominicæ Incarnationis quinquageſimo Sexto, Indictione Decimâ Quintâ, Zenone Auguſto Imperatore, in Sede vero Apoſtolica Gelaſio Præſule præſidente, in Ciuitate verò Sypontina Laurentio Epiſcopo; quibus præſidentibus facta eſt Apparitio S. Michaëlis Archangeli Octauo Iduum Maiorum. *Item in Actis* S. Barnabæ *apud Natal.* lib. 5. c. 105. *legitur illius oſſa latuiſſe vſque ad tempus* Zenonis *Imperatoris, &* Gelaſij Papæ, *quo tempore, ipſo Apoſtolo reuelante, reperta ſunt: idem habet Sigisbertus* in Chron. 489. ann.

Haud error ineſt in Indictione.

S. Michaëlis apparitio tempore Gelaſij, & Zenonis.

Itaque Auctor epitaphij ſi errauit, errauit ipſe cum aliis. Et quoad Indulgentiarum conceſſionem ſequutus eſt opinionem, quæ ſuo tempore percrebruerat: & facilè opiniones huiuſmodi percrebreſcunt; vt apud Anconitanos *ab* Alexandro III. *tot ipſis conceſſos Indulgentiarum annos, quot vtraque manu arena minuta comprehendi poſſent.* Baron. *tom.* 12. *Ann.* 1177. *Quare dicamus firmam eſſe fidem hiſtoriæ, in eo quod habet* S. Priſci, *Reliquias inuentas à* B. MATRONA, *licet aliqua rei geſtæ circumſtantia adeò certa non ſint. Et profectò non eſt nouum, neque mirum, res antiquitate obſitas, narrari aliquantulum diuersè, quàm contigerunt: imò non eſt nouum, vt ea quæ geſta ſunt, niſi ſcriptis tradantur,* euaneſcente (*vtar verbis S. Paulini Nolani in Martyrio S. Geneſij*) per tempus, vel tradentium, vel accipientium, fide, fabuloſa credantur. *Quare deferamus antiquitati, amplectamur* ACTA, *actis aliorum Sanctorum maximè conſentanea. Laudemus Viri pij ſtudium in conſeruandis illis.*

Indulgentiarum plurimarum conceſſio etiam fuit tempore antiquo.

Age nunc. In epitaphio tria tempora coniunguntur, nempe Gelaſij, *Zenonis,*

Zenonis, & anni D. VI. Quodnam recipiemus? Ego planè tempus Gelasij *Papæ, vel alterum illi proximum libenter accipio. Tunc enim* Theodoricus *Rex Italiæ vniuersæ dominabatur, & in sua ditione habebat* Hispanias, *& pacem cum omnibus Principibus Europæ compositam retinebat, ita vt itineribus tutis, & expeditis Virgo è* Portugallia *venire potuerit. Quo tempore* Germanus *ille sanctissimus* Capuanum *tenebat Episcopatum. Hic non est omittendum habere nos Epitaphia, quæ, varijs occasionibus, refossa terra in atrio, vel in horto Ecclesiæ nunc extantis, reperta fuerunt. Duo leguntur integra, & ita se habent:*

Quando positum epitaphiū.

HIC REQVIESCIT IN SOMNO PACIS
RENOBATVS. QVI VIXIT ANN. XXIII.
DEPOSITVS. KAL. IVLIAS. QVATER.
P. C. BASILICI. V. C.

HIC REQVIESCIT IN SOMNO PACIS
SARMATA. QVI VIXIT ANN. PLVS
MINVS. IXX. DEPOSITVS. XII. DECEMB.
FLAVIO ACAPITO V. C. CONS.

Primum positum est Kalend. Iulij. *Quater P. C.* id est, *Anno IV. Post Completum Consulatum Basilij, qui est, Annus Domini D. XL V.* Baron. *tom.* 7. *Ann.* 545.

Secundum positum est, Flauio Acapito Viro Clarissimo Consule, *indicat annum Domini D. XVII.* Baron. *tom.* 6. *Ann.* 517. *Ecce quàm benè confirmatur antiquitas Ecclesiæ S. Prisci, nec fictitium esse cognoscitur, quod de anno D. VI. habet epitaphium supra relatum.*

Antiquitas Ecclesiæ S. Prisci. Prosequitur auctor Acta S. Matronæ.

QVÆRES *nunc de* S. MATRONA quid actum? *Accipe.* Construxit domum propè Basilicam, domus supersunt reliquiæ, dicitur locus *La Motta.* Quod nomen in personis, significat corrogationem quandam: & in ædificiis, domum vel oppidum attributis campis cinctum, & vtrumque nobis significare potest: nam & domus iuncta Basilicæ, circumiacentis, & attributi campi caput dicitur, & erat: & ibi cum suis comitibus puellis Virgo ad mortem vsque permansit. Mortuum Corpus honorificè conditum est in arca marmorea perpolita intra Sacellum, cuius testudo musiuo decorata, quatuor columnis innititur, & parietes candidi, marmoreis politisque tabulis incrustrati ad auorum vsque tempora perdurarunt. In arca paruulum foramen est inferius, è quo sanctum Corpus liquorem, vulgò *manna* emisisse dicitur. Nunc ibi non est nisi vrna vitrea, plena minoribus ossibus. Credunt Oppidani esse ibi integrum Corpus: at quamuis eorum sit decepta simplicitas, pietas tamen decepta non est. Nam B. MATRONÆ sepulchrum piè visentibus, nunc etiam pietate diuinâ, gratiæ conceduntur, & mulieres quæ præsertim sanguinis fluxu laborant, quotidie intercessionis virtutem experiuntur. Et Ianuarij XXV. cùm sit festum Dedicationis Ecclesiæ, semper nuncupatum est, *festum S. Matronæ*, & maximus est in Capuanis finibus conterminorum ad Ecclesiam S. Prisci concursus, cum votiuis muneribus inuocantium numen, & auxilium S. Matronæ.

Qua die agitur festū S. Matronæ.

AT quonam translatum est sanctum Corpus? *Hoc tantum scimus, dixisse militem quendam* Hispanum, *in quadam (non recordamur nomen) Hispaniarum Ciuitate die XXV. Ianuarij coli* MATRONAM *traductam ex Italia. Festum* S. MATRONÆ *in Ecclesia* S. Prisci *agitur die* Martij XV. *quo etiam die Martyrologium Romanum alterius* Matronæ *Virginis,*

& Martyris mentionem facit. De hoc non mirabitur eruditus, cùm non ſit inſolitum plura feſta eiuſdem nominis in eundem diem incidere, vt apud nos duo Priſci, *duo* Ruffi, *vno die à Martyrologio commendantur. Poſſunt legi alia exempla, vt de* S. Candida, *die IV. Septembris, de* S. Modeſto, *Februarij XII. de* S. Stephano *item Februarij* XIII.

Eccleſia conſueuit vno die plures vnius nominis Diuos in Martyrologio conſignare.

Cur imago Matronæ cum palma?

Tandem, *vt ex Actis* B. Matronæ *omnis ſcrupulus eximatur, quibuſdam ferè quotidianis interrogationibus reſpondebo. Quæri etenim ſolet:* Cur Matrona Virgo in icone Maioris Altaris cernatur cum palma, id eſt cum ſigno martyrij? *Certiſſimum eſt, id factum errore pictoris, & cuiuſdam tunc Eccleſiæ Presbyteri mercenarij: & ſicut erroris fuit illo modo pingere, ita Rectorum deinde incuria fuit, errorem non corrigere. Nunc enim in icone illa nihil innouandum videtur, tùm propter eos, qui* B. Matronam *tempore* VVandalicæ *perſecutionis, húc ex* Africa, *ſeu mortuam adductam, ſeu viuam conceſſiſſe opinantur: tùm propter* Breuiarij *noſtri auctoritatem: in illo námque* Idus Martij *notatur,* S. Matrona Virgo, et Martyr. *nec apparet de Noſtra nè, an de altera loquatur: & de noſtra ſi loquitur, non eſt omnino reſpuendum; potuit enim* B. Matrona *perueniſſe vſque ad ſenectam, & ſenium, & à Longobardis impiis, & Idololatris, & turpibus, qui (ex Baron.* tom.7. Ann.567. *vel* 68.) *in Italiam irruperunt, tormenta pro fide pati, vel pro virginitate, vt alia plures.*

Huiuſmodi error, vt quid in pictura conſeruatur.

Quorum ſint inſignia Gentilitia in Eccleſia depicta?

Qvaeritvr *etiam* Quorúmnam ſint illa Gentilitia ſigna, nempè quod eſt in facie Eccleſiæ à dextris pictum, quódque in arcu cœmentino Sacelli ſculptum? *Inter picturas vna erat* B. Matronae *itinerantis in lectica, & lectica illi picta, erat appictum inſigne Gentilitium, quod Quadripartitum, in Dextra ſuperiori, & in ſiniſtra inferiori habet bennas, vt dicunt, ſeu barras, ſeu liſtas, ſeu verius cotiſſas nigras (Cotiſſa eſt triplo minor, quàm benna.* Catalog. Glor. *Mund. 1. p. concluſ.* 72.) *& in inferiori dextra & ſuperiori ſiniſtra Aquilam nigram expanſis alis, collo in cælum erecto. Fuiſſe hoc inſigne Gentilitium* B. Matronae *eruditorum credit nemo, cum huiuſmodi familiarium ſigna, tempus* Caroli Magni *excedere non videantur.* Catalog. Glor. Mund. 1. *p. concluſ.*57. *Meo iudicio erat hoc inſigne alicuius nobiliſſimi Viri, qui Acta* B. Matronae *proprio ſumptu pingenda curauit, additóque ſuo Gentilitio ſigno innuere voluit, ſe* B. Matronae *deuotum, vel ſuam gentem, à gente* B. Matronae *progenitam.*

Inſignia Gentilitia non niſi à tempore Karoli Magni.

Lilia Francorum inſignia.

Lilia *vero quæ ſunt in arcu cæmentino, ſine vllo dubio* Francorum *ſigna ſunt, oſtendúntque dominantibus* Francis, *arcum illum Sacello appoſitum eſſe. Arcus etenim ille non eſt cum Sacello constructus, ſed additus & appoſitus, vt nuper occaſione aliam Eccleſiam ædificandi, compertum eſt, & cunctis patuit.*

Non fuit Matrona ex ordine Auguſtinianorum.

Hactenus *Michaël Monachus*, in cuius Actis, & Notationibus, nihil de ordine, ſeu monacharu Auguſtiniano, nihil de Cœnobio, ſeu de Regula; ex quo *Philippi Ferrarij* ecphraſis, in qua Cœnobij, & Monaſterij mentio eſt, prorſus reſpuenda, & negligenda venit. Hincque *Ludouici ab Angelis*, & *Antonij à Purificatione* ſomniantium opinio, ſine teſte, introducta, expungenda, & penitus obliteranda eſt. *R. P. Herrera* ſententia amplectenda, quatenus illorum nouellam ex proprio iudicio confictam amandauit.

Interpretatur Epitaphium.

Sed quia inter ſcrupulos à *Michaële Monacho* in ſuis *Notationibus* ſuperiùs exſcriptis, excitatos, aliqui ſunt, haud omni ex parte ſedati, noſtrum ſubiicere ſymbolum curabimus, vt Acta firmiora, & abſque controuerſia reddantur. Primvs ſit circa *Epitaphij* temporis rationem, quæ in ipſo aſſignatur, vbi ex quo Annus D. V I. exprimitur, & iſto iam *Zeno* Imperaror è viuis diſceſſerat, haudquaquam poterir ſubſiſtere litera epitaphij cum ratione hiſtorica. Ad cuius euaſionem *Michaël* aliorum errorem ſequutos, qui epitaphij compaginem texuêre, deceptóſque affirmat. Sed meâ ſententià, nec illi errauêre, nec iſti decepti ſunt.

Anni

Anni etenim numerus in Epitaphio descriptus Virginis mortem ostendit, non verò principium, aut conclusionem ædificij significat, sed quòd Templum in Imperio *Zenonis* inciperetur, & in *Gelasij* Pontificatu finem acciperet. Quo,sensus erit: MATRONAM *fieri incepisse Basilicam regnante Zenone Imperatore in vrbe Constantinopolitanâ, consummasséque tempore Gelasij, ipsámque ad Superos euolasse Anno D. V I. Indictione X I V.* Quâ interpretatione scrupulum remouebis, & veram trium temporum rationem firmabis.

SECVNDVS scrupulus à *Michaële* excitatus, in eo stat, quòd B. MATRONA inueniatur ab antiquo depicta *cum signo Martyrij*, hoc est *palmâ*. In huius rei responsionem nonnulla Auctor cumulat dissonantia, veluti mercenarij Presbyteri errorem, sequentiúmque incuriam; & tandem contra ipsius Ecclesiæ traditionem, S. Virginis martyrium Longobardorum persecutione, aut fidei, aut virginitatis defensionibus plaudet. Sed meo videri, doctissimus *Michaël* toto cœlo aberrat, nam si inconcussa est in depictis iconibus historia, è qua inuincibilis traditio, vt quid ab vtraque deuians, martyrium fatetur Virginis, quod nec in tabulis marmoreis, nec in cordium membranis, vnquam est cogitatum? Si ergo palmæ signum in icone depictum, eius iudicij spiritum conturbauerat, ad Scriptorum Ecclesiasticam diffugeret eruditionem, in quorum amæno agro, & florum pleno, aliquos seligere ad propositum posset, quibus istum dubitantium scrupulum interciperet. Non enim semper *Palma*, martyrij agonem significat, quia licet victoriæ typum gerat vbique, tamen non semper sanguinis effusione. Iustus de tribus animæ Diabolo, Mundo, & Carne inimicis triumphat, sine cruenta martyrij existentia, & tamen à Psalmista *Palma* signaculo decoratur, & ab Apostolo cum stola alba, & *Palma* in manibus eius, quod & notauit Ioann. Molan. *De Sacr. Imag. lib.4. c.26.* August. *in lib.19. Iob. tom.4.* & *Psalm.91. tom.8.* Plures etenim significationes notantur in *Palma*, quæ Sanctis Confessoribus accommodantur, & præcipuè Virginibus, ex quarum aliqua consultò in icone tribueretur à pictore MATRONAE, & tunc nec mercenarius Presbyter errauit, nec sequentes Rectores præ incuria, errori consensêre. Liceat in re tam iusta aliquot *Palmæ* symbola in eruditorum gratiam subiicere, vt scrupulus iste *Michaelis* euacuetur, & veram in S. Virginis icone significationem expendamus. *Palma* igitur *innocentiæ* typus est, in sacris literis, nam illa verba: *Statura tua similis facta est Palmæ*, Ambrosius significari ait viriditatem pueritiæ, atque naturalem eius innocentiam, quam à vitæ primordiò recepimus, seruandam esse, & vt fructum nullo foliorum defluuio, suo tempore maturemus, admoneri. Tardè verò proficit *Palma*, sed diù in viriditate persistit. Quis in MATRONA huius *Palmæ* symbolum non intuetur, cuius *statura similis facta est Palmæ*, propter viriditatem pueritiæ, qua regnum terrenum, & patriam deserens, *Capuam* lustrans, domum ædificans, cum virginum agmine reclusa, innocentiæ adeptæ primordia integrâ viriditate seruauit, & diu illius fulgorem expleuit. Ergo meritò *Palmâ* decoratur *Innocentia* MATRONÆ quæ ab origine impolluta fructus Ecclesiæ contulit vberes, nullo defluuio foliorum subsequente. Huius innocentiæ, & impollutæ castitatis symbolum significare voluerunt Ethnici, quando *Palmam* enatam in capite *Persei* deprehendêre, vt notauit Plini. *lib.17. c.25.* Quam cùm pòst, tempestatum rigoribus prostratam, & eius loco ficum enatam vidêre, pudicitiam subuersam Romæ dixere, nam *Palma* castitatis signum est, & tum demum laborat pudor, cum attrita *Palma*, quæ virtutis robur est, deliciarum mollities pectus inuadit, vt notauit Causin. *in Parab. Histor. lib.10. c.58.* Si ergo Palma, castitatis signacu'um præ se fert, vt quid non MATRONA Palmæ symbolo depingetur, tanquam illustris in seruanda virginitate pugilis. Hine agnoscet *Michael* minimè palmæ ramum S. Virginis iconi depictum, ob martyrij agonem, sed ob castitatis trophæum. *Denique* etiam in *Palma* significatur *Piorum Vita*, vt perpulchrè notauit Ioann. Meurs. *in Arboret. Sacr. lib.1. c.5. fol.38.* qui rationem huius exprimens symboli, prosequitur: *Quòd sicut inferior eius caudex, & tenuis est, & corticum scabritie, perplexitatéque, minimè iucundus: superior verò pars visenda, tùm trunci, tùm ramorum amplitudine, amœnáque pulchritudine viriditatis expanditur;* ita Piorum

Palma non semper martyrij signum.

Psal.91.

Apoc.7.

Palma innocentiæ typus.

Palma pudicitiæ signum.

Palma Piorum Vitæ symbolum.

conditio, prima facie contemptibilis videtur, sed in mirificam demùm exit, morum, virtutúmque pulchritudinem. Ex quibus significationibus optimè qui picturam S. Matronæ penicillo contexuit, potuit ei palmam adscribere, aut innocentiæ candore, aut castitatis flore, aut vitæ actæ splendore, quo, quicumque ille fuerit, apud Doctos excusatus euadet; nec imposterum erit, cur eidem culpam absque eius defensione tribuamus.

Corographia. Capva. Ciuitas est *Campaniæ* antiquissima, ob aëris salubritatem clara, ob situs opportunitatem celebris, ob soli vbertatem amæna; cuius aliquando Romani pulchritudinem demirantes, relictâ Româ, Capuam migrare cogitarent. Ad Vulturnum amnem, ad Tifatæ montis radices sita, media inter Neapolim, & Suessam. Ciuitas est Archiepiscopalis, & nomen retinet. Olim de eius no-*Etymologia varia sententia.* minis Etymo variæ sententiæ. T. Liu. *lib.4.* sic affatur: *Eo anno* Vulturnum *Hetruscorum vrbs, quæ nunc* Capua *est, à Samnitibus capta;* Capuáque *à Duce eorum, vel quod propius est vero, à* Campestri *agro est appellata.* Sueton. Tranquill. *in Cæsar. c.81.* cùm Iulij cædis prodigia recensere studeret, hoc exordio prosequitur: *Paucos ante menses cum in Colonia* Capua *deducti lege Iulia Coloni ad extruendas villas sepulchra vetustissima disjecerent, idque eò studiosius facerent, quòd aliquantum vasculorum operis antiqui scrutantes reperiebant, tabula ænea, in monumento, in quo dicebatur* Capys, Conditor Capvæ *sepultus, inuenta est.* Pro cuius sententiæ fulcro est apud me nummus peruetustus, in cuius prima facie haudquaquam iconis elicere potuimus, in secunda visitur effigies hominis armati cum lancea in hunc modum:

Nummus ferreus.



Anab Accipitre Cuius literæ ΚΑΠΥΣ proculdubio de *Duce* illo *Samnite* Capvæ conditore loquuntur. *Seruius*, apud Raph. Volaterr. *in Geograph. fol.* 182. Hetruscos comperto Falcone Accipitre, qui lingua eorum vocabatur Capys, Coloniam in hunc locum deduxisse contendit. Plura de ea qui velit ediscere tàm Romanos, quàm Italos adeat Scriptores.

S. Adelbertvs Abbas.] Istum D. F. Angel. Manrrique *in Annal. Cisterc.* *Scriptores.* *tom.1. Anno* 1119. *cap.3. num.3.* vocitat Aldabertvm, cúmque sanctitate, & prodigiis insignem fuisse conclamitat, prout Chrysostom. Enrriquez *in Menolog. Cisterc. hoc die fol.* 83. hocce elogio: *In Lusitania* B. Aldebertvs *Sancti* P. Bernardi *discipulus, à quo in Lusitaniam cum* B. Boëmundo *Abbate, & alijs Monachis* Claræ - Vallis *directus, ibidem Monasterium* S. Ioannis de Tarouca, *in loco sibi cælesti fulgore ostenso, condidit, vbi etiam* Prior *effectus est, & in summa humilitate, & paupertate perseuerauit, cuius perfectionis, & sanctitatis excellentia, varijs miraculis fuit comprobata. Dum* Alphonsus *Lusitanorum Rex copiosum Sarracenorum exercitum inuaderet, & contra eos paucis militibus prælium iniret,* B. Aldebertvs *extensis manibus, vt alter Moyses, orabat in conspectu dimicantium exercituum: cuius orationis vi infideles sunt profligati, &* Alphonsus *victoriam obtinuit. Qui iterum sine pio Patre Sarracenos aggressus, ab eis superatus in fugam conuertitur. Euocato* Aldeberto, *iterum hostem quærit, & dum Dei famulus orat, prælium committit, & victor miraculosè euadit.* B. Boëmundo *è viuis sublato, in Abbatiali dignitate successit, quam egregijs operibus ornauit, & crebris miraculis claruit.* Sancto Ioanni Ziritæ *grauis infirmitate laboranti, oratione sanitatem restituit. Iuueni à natiuitate cæco lumen obtinuit. Teresa Regina Lusitaniæ, ab imminenti morte, eius precibus diuinitus liberatur. Sicque crebris, & magnis miraculis fulgens ad æternam patriam feliciter euolauit.* De eo scripsere Bernardus Brit.

Brit. *tom.* 1. *Hist. lib.* 1. *c.* 4. Manriq. *Annal. Cisterc. tom.* 1. *ad Ann.* 1123. *c.* 3. & alibi Enrriq. *in Fascicul. SS. Cisterc. tom.* 1. *lib. dist.* 10. *fol.* 146. è quo illius ACTA mutuabimus.

ACTA B. ALDEBERTI ABBATIS, & S. Bernardi Discipuli ex Chrysost. Enrriquez.

QVALITER *sacra Cisterciensis familia in partibus Lusitaniæ exordium sumpserit, alibi commemorauimus. Quia autem inter alios P.N. Discipulos, qui ad excolendam prouinciam illam missi fuerant; non minus sanctitate, quàm miraculis claruit* ALDEBERTVS, *& fuit quasi alter Ordinis Nostri propagator in Occidentalibus* Hispaniæ *oris, meritò hic eius historiam subnectere dignum duximus.* *Propagator Ordinis in Hispania.*

POSTQVAM *igitur S. Domini Præcursor* IOANNES *apparuit* B. Bernardo, *præcipiens ei, vt Monachos* Claræ-Vallis *mitteret ad construendum in* Lusitania *Cœnobium suo nomini sacrum, inter alios discipulos* ALDEBERTVM *quendam elegit, eisque* Boëmundum *constituit Abbatem. Qui omnes in loco sibi diuinitus, cœlesti splendore, designato consederunt, & secundùm Patris sui verba, Monasterium in honorem* S. Ioannis Baptistæ *condiderunt.* ALDEBERTVS *autem* Prioris *fungebatur officio, cuius solertiâ, prudentiâ, & religione non parum Manasterij vigor eo in loco vigebat.* *Mittitur à S. Bernardo in Lusitaniam.*

VIX *autem nouella illa plantatio radices mittere incipiebat, cùm ecce tota* Lusitania *armorum præoccupata rigore, totale ferè excidium formidabat. Anno siquidem M. C. XXII.* Albucazanus *Pacensis Rex magno Arabum comparato exercitu in* Lusitaniam *properauit, euersione, ac populatione agros, ac oppida vastans, castra vi expugnans, munitissimas Ciuitates diripiens, omnes fideles inauditis tormentorum generibus miserè trucidans, nulli sexui, nulli parcens ætati, ita vt* Lusitanorum *gens ad internecionem iam ferè redacta, prosterni, funditúsque deleri pertimesceret.* Alphonsus *autem Princeps (necdum enim Regio titulo insignitus erat) populi sui cladem prospiciens, vt erat rei militaris peritissimus, & vsu bellorum gerendorum, inprimísque eorum Principum, qui suâ ætate fuerunt, longè omnium exercitatissimus, exercitum inter* Dourum, *&* Minium *Collegit, & hostem, qui tunc* Trancosum *obsidebat, quærere cogitat. Dum autem iret, inter horrendas Syluas, & solitudinis latebras Monachos* S. Ioannis de Tauroca, *in humilitate, & simplicitate cordis Domino famulantes, inuenit. Miratur illustris Princeps ædificium Monasterij, considerans quòd non ex lapidibus, & lateribus, sed ex arborum ramis exstructum erat. Et tamen in vili tugurio inæstimabilis pretij thesaurum latère conspexit. Vidit eos non sine stupore, tàm ipsius, quàm suorum Procerum, diuinis laudibus, & laboribus manuum, spiritum, & corpus terentes; & tamen nihil præter panem ex typha confectum, nigrum, & insipidum gustare, nec tamen illo vesci semper licebat: nam nimia oppressi penuriâ, vix aliquando Oleribus, aquâ purâ decoctis, sine oleo, sine sale, aut aceto saturabantur.* *Bellum Albucazani Regis Pacu-Augustæ.* *Alfonsus Sarracenos Trancosum obsidentes quærit.* *Monasterium vidit Alphonsus.*

HAEC *dum Princeps sedulâ meditatione perpenderet, interiùs commotus, talem spem concepit, quòd si sanctæ illius Congregationis muniretur suffragio, facilè de inimicis reportare posset victoriam. Cùm autem inter cæteros* ALDEBERTVM *Priorem sanctitate præcipuum, aliorum relatione cognosceret, eum secum ducere decreuit, vt orationibus, & meritis tanti Viri suffultus, hostiles copias adoriri non pertimesceret.* Prior *igitur, annuente* B. Boëmundo *Abbate, ferens secum æneam Crucem, quam ei* B. P. Bernardus *in signum amoris tradiderat, & cætera ad celebrandum Sacrum necessa-* *Aldebertū secum duxit.*

necessaria, in comitatu Regis discessit. Breui igitur itinere confecto, Albucazanum *numeroso exercitu constipatum in obsidione* Trancosi *inueniunt, Qui in multitudine bellatorum confidens, exiguum Catholicorum exercitum contemnebat.* Alphonsus *verò milites suos ad certamen praeueniens, eos piis verbis exhortabatur, vt in Domino collocarent spem suam, qui siue in multis, siue in paucis, inimicorum superbiam elidere poterat, & exaltare humilitatem populi sui. Et conuersus ad* B. ALDEBERTVM *rogauit eum, vt dùm ipse velut alter Iosue contra inimicos fidei praeliabatur; orationibus, & precibus suis ad instar Moysi pectus diuinum tunderet, diuinámque efflagitaret clementiam, quâ de hostibus suis obtinere possent victoriam.*

Bello commisso S.Vir orat.

IGITVR Lusitani *bellum Mahometanis offerunt, & certamine inito, primò quidem acriter instare coeperunt,* LVSITANOSQVE *in congressu plurimum collidebant; ipsis tamen resistentibus, certantibúsque. Interea* S. Monachus *feruentissima oratione, preces aeterno Conditori fundebat pro populo suo, vt non derelinqueret sperantes in se. Mirum dictu! Quò magis in oratione sua incalescebat, eò plus roboris, & fortitudinis fidelibus diuinitus addebatur. At dùm hostes se plus solito vexari viderent, terga praebuerunt nostris; cùm tamen ipsi infinito ferè numero excederent.* Alphonsus *Arabes insequitur, innumerabiles strauit, reliquos fugat, victor non sua, sed diuina virtute, efficitur, & diuisit inter milites spoliis, Domino exercituum, & eius famulo, humiliter pro tanto beneficio gratias reddidit.*

Sarraceni exterminãtur Oratione S.Viri.

HAC *obtenta victoria, nunciatum est* Principi, *aliquot Sarracenos ex his, qui fugiendo mortem euaserant, versus* Pacem-Iuliam *tendentes,* Lusitaniam, *& quacumque* Alphonsi *iuris esse sciebant, vastasse. Quare equitum turmis collectis, eis occurrit,* ALDEBERTVM *autem in tentoriis reliquit, & quasi Leo furibundus sese hostibus medium dedit, suósque verbis exhortatoriis, vt fortiter agerent, excitans. Sed* Sarraceni *super eos irruentes, fortitérque congredientes, multis ex* Lusitanis *prostratis, tandem in fugam se dederunt.* Alphonsus *fugiens, tristis euasit, & in conflictu* Crucem *illam aeneam Sancti Patris Nostri* Bernardi *amisit.*

Vincitur Alphonsus ob absentiã S.Viri.

HANC Lusitanorum *stragem* Alphonsus *Princeps agrè tulit, faciliterque cognouit, victoriam praecedentem, se, non suorum, fretum virtute, sed* ALDEBERTI *precibus confortatum obtinuisse. Ad castra autem reuersus* Trancosum *militibus, & bellicis instrumentis muniuit, & versùs* Adarucam *iter direxit. Cùm ecce inimicus iterum vires erexit, & milites suos collegit, quibus vias occupat, transitúmque iuxta* Tauoram *flumium obsidet.* Alphonsus *praecedenti clade cautior effectus, copias suas militari ordine disposuit, &* ALDEBERTVM *praeueniens, vt inter praeliandum Dominum exoraret, praelium hostibus obtulit, contra quos fortiter agens, eos praenimia caede fatigatos, in fugam vertit, & absque periculo cum suis flumen vadauit, in quo loco postmodum pontem lapideum, inter* Villarium, *&* Fontarcadam *erexit.*

Prosternitur Sarracenus praesētiaS.Viri.

SEQVENTI *die Monasterium S. Ioannis victor intrauit, laetantibus Monachis, & canticis spiritualibus recolentibus diuinam pietatem Regis aeterni, qui sperantes in se eripuit de manibus inimicorum suorum, & victoriam dedit populo suo. Tunc* Alphonsus *Regia munificentia pauperibus Christi, ex spoliis adquisitis, magnam partem tradidit, & se illius Monasterij patronum, & fundatorem constituit. Ad quod opus inchoandum, & perficiendum* Ioannem Froylacum, *egregium sui temporis architectum accersiuit. Qui veniens, & omnibus ad opus requisitis praeparatis, ipse Princeps primum lapidem posuit,* XXI. die Iunij, *Anno Domini* M. C.XXII. *Sicque illius expensis egregium Monasterium erectum est, in cuius templo ne tanti miraculi memoria periret, Regis Pacensis vexilla, tympanorum sonitu, & clangore tubarum, magno populi applausu collocauit.* Alphonsus

Spolia Monasterio offert.

Illud à fundamentis erigit.

phonsus *autem sanctorum virorum suffragiis expetitis, & feliciter impetratis, discessit.*

NON *multis pòst elapsis diebus* Boëmundus *Abbas, vir vtique pius, & venerandus, immensorum meritorum manipulum, post longos, & diutinos labores, reportans, viam vniuersæ carnis ingressus est, & conuenientibus Monachis, communi voto, paríque consensu* ALDEBERTVS *Prior, retinens tamen, & inuitus* Abbas *suffectus est* S. Ioannis. *Quod enim dum suscepit, institutum illud extendere, & dilatare decreuit, ad quod aliquos tyrones inter sacræ militiæ emeritos milites, collocandos dignum duxit. Quod sicut conceperat, magno illi* Lusitaniæ *splendori* Ioanni *videlicet* Ziritæ *indicauit, qui non solùm consilium laudauit, sed & se ipsum B. Viri magisterio primus omnium tradidit, & qui tot Anachoretarum Pater, & Magister extiterat, inter B. Abbatis discipulos computatur. Eodem die habitum Cistercienſem assumpsit, & professionem emisit: ad quid enim annum probationis expectaret, qui in multis longa eremi exercitatione probatus, fidelis inuentus est?*

Abbas S. Vir eligitur.

B. Ioannes Cirita monasterium ingreditur.

T VM *temporis idem* Ioannes *magna infirmitate correptus lecto decubuit. Accersitus autem* ALDEBERTVS *venit, &* Ioannem *in extremis agentem inuenit, ita vt omnes horam migrationis eius instare pertimescerent. Sed S. Abbas spem suam collocans in eo, qui fons est, & origo sanitatis, humiles, sed magnæ, & mirabilis efficaciæ, preces fudit, eo statim ferè exanimum suis orationibus optatæ restituit valetudini. Hoc in Prioratu* S. Christophori *euënit, cuius considerans numerum Monachorum excreuisse, vt* Abbatiam *constituere possent, eos ad electionem vocauit, & omnium suffragiis* Ioannes Zirita *postulatur, quem ad Episcopum Viscensem literis suis legauit, vt de manu eius baculum pastoralem acciperet. His peractis ad Monasterium suum reuertitur, & duodecim iuuenes nobiles in Aula Principis ab infantia enutriti, sacræ militiæ nomen dedêre, eósque S. Abbas incredibili spiritus hilaritate suscepit. Inter quos* Egas Perezius, *optimæ indolis adolescens, qui postmodum religione, & sanctitate floruit, adeò vt à cunctis Principibus veneraretur, conuersus est.*

B. Ioanni Zirita sanitatem restituit.

B. Ioannes Abbas S. Christophori constituitur.

D VM *autem Religionis nostræ incrementum, Monachorum perfectionem, & sanctitatem Architectus ille* Ioannes Froylacus *conspiceret, & quo tot ingenui adolescentes, seculo derelicto, eremi illius, & instituti nostri asperitatem amplecterentur, filium vnicum, quem vnicè diligebat, Deo, & Ordini nostro offerre desiderabat. Ideo autem incredibili torquebatur dolore, quod iuuenis alioqui facie pulcher, forma elegans, ingenij viuacitate, & profunditate præstantissimus, tàm sanctum propositum adimplere non valeret, quia à natiuitate oculorum lumine orbatus, miserè laborabat. Causam autem mæroris sui* B. ALDEBERTO *exposuit, qui iuuenem ad se vocari præcepit, & vt totam fiduciam poneret in eo, qui mirabiliora operari potest, admonuit, suas suorúmque Religiosorum orationes humiliter offerens.* Froylacus *autem spem illam, quam debuerat, minimè concipiens, filium accersiri distulit. Interea autem venerabilis Abbas fusis lachrymis, dùm pro illa necessitate exoraret, idem tota Congregatio illo iubente faciebat, aduocans autem* Architectum *rogauit, cur filium secum ferre recusabat; & eius verbis fidei hominis imbecillitatem agnouit, præcepítque absolutè, vt eum vocaret; quod se facturum promisit.*

Froylacus Monasterij Architectus filium cæcum offert S. Viro.

DIE *sequenti* Froylacus, *vnà cum filio suo versus Monasterium tendebat, cúmque non multò à Monasterio abessent, aperti sunt oculi iuuenis, qui clamare cœpit, & dicere:* Quænam sunt Pater mi ædificia, quæ non procul à nobis, inter syluas apparent? *Quâ voce, & inopinato miraculo stupefactus* Froylacus, *filium suum incolumen videns, & ab omni prorsus cæcitate liberum, flexis genibus, immortales Deo gratias dedit, veniénsque ad Monasterium, ante pedes* ALDEBERTI *prostratus, miraculum narrauit, & de tepiditate suâ veniam petijt. S. Abbas igitur non suis meritis,*

Eius precibus visum recuperat iuuenis.

contenti cum remissione ad Gaspar. Iongelin. *in Notit. Abbat. Cisterc. lib. 6. in Regn. Portugall cap. 1. fol. 25.*

II. Circa victoriam, quam *Alphonsus* Princeps ab *Albucazano* adeptus est, de qua ista P. Antonius Vasconcell. in *Anacephalaeos. Reg. Portugall. cap. 1. fol.* 14. breui compendio: *Albucazanum* Pacis-Augustæ, *siue* Badajozij *Regem superauit* Alphonsus, *commisso prælio ad* Trancosum, *patrocinante suis ad Deum precibus* F. ALBERTO, *qui præerat Monasterio* S. Ioannis Taroquens. Eandem diffusiùs idem Princeps in huius Priuilegij autographo, ab omnibus Scriptoribus relato. *Historia victoria Trancosi ex Alphonsi priuilegio.*

IN NOMINE *Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus sancti.* EGO Alphonsus *Portugallensium Princeps victoriosissimus, Comitis Henrrici, & Reginæ Tharasiæ filius, Magni quoque* Alphonsi *Imperatoris Hispaniarum nepos; Notum facimus præsentibus, & futuris, quod Rex* Albucazan, *Rex de* Badahouce, *venit cum sua gente destruere nostras terras, & circumdedit* Trancosum, *& multa ulta castella de meu terra depopulauit, & leuauit captiuos homines, mulieres, paruulos, iumentos, & multos ganatos, & fecit multum roxum, & reliquit destructum totam terram, per vbi ego congregaui meos homines, & fui per vbi erant fratres* S. Ioannis *de* Barosa, *& moueu eos, quod viuebant in multa sanctitate, & quia cognoui Dominum cum illis, leuaui de ibi Priorem* ALDEBERTVM, *vt rogaret pro me, & pro mea hueste, & diceret Missas, & ipse adiuuauit me in prælio sic bene, quod cùm ille oraret, ego vincebam. Et vno die reliqui in mea hueste, & fui sine illo rixare cum Mauris, in qua rixa perdidi vnam* Crucem, *quam leuaui de Monasterio, & multos milites, propter quod rixaui sine oratione boni Viri. Ego igitur prædictus Princeps eum intellexi, virtutem, & bonum socorsum, quod mihi dederunt suæ Orationes, pro seruitio Dei, & remedio animæ meæ,* &c. *Facta charta Mense* Iunio, *Era* M. C. LX. Ego præfatus Princeps hanc chartam quam fieri iussi, propriis manibus roboro, & mea auctoritate confirmo.

Eadem itidem refert Manrriqq. *tom. 1. Ann.* 1122. *c.* 4. *n.* 5 *& 6.* qui ab ipso *Bernardo Brito* huius Priuilegij tenorem exscripsit.

III. Quatenus ad *Annum* dormitionis S. ALDEBERTI proculdubio inest error in Codice *Chrysostomi*, vbi B. Viri obitus Anno M. C. XXV. consignatur, cum liquidò ex *Brito*, & *Manrrique* constet, *Ann.* 1129. *c.* 2. S. Abbatem secundò vocatum fuisse à *Tharasia* Regina in vltimis agente; cuius mandatum, grauioribus ordinis negotiis præpeditus, adimplere non valuit, & eius loco *Bernardum* Cœnobij Priorem emisit. Gaspar Iongelin. *d. fol.* 25. *&* 26. eum occubuisse ad Annum M. C. LII. (quod & verius credo) contendit. *Annus transitus quis?*

VNVM hìc addere libet, quod ab aliquibus aut ignotum, aut oblitum extitit, scilicet de *origine*, & *familia* B. Abbatis, in quo *Manrriquius* isthæc profatur: *Iustis solutis* ALDEBERTVS Boëmundo *subrogatur, ex primâ nobilitate Galliæ Vir, nec minus clarus virtute, quàm patrio sanguine.* *Eius illustris origo.*

IV. Acta de necessitudine inter *Egam Monisium*, & S. Abbatem agunt, sed quis iste fuerit reticent. Eius insigne factum Portugallensium Rerum Scriptores plurimùm commendant, inter quos P. Anton. Vasconcell. *d. c.* 2. *fol.* 14. cùm bellum inter *Aldephonsum* VII. Imperatorem, & *Alphonsum Enrriquez* Portugalliæ Principem scribere aggrederetur, & obsidionem apud *Araduecam* (hodie *Guimarais*) quâ Imperator Principem in vltima ruinæ meta detinebat, describeret, prosequitur: *Vbi* Egas Monisius (non Egeas Monius, vt perperam apud Chrysostomum) *bellum, vt extingueret, aut sopiret, sui Regis nomine planè iniecy, cum hoste fi; fides. pactus est. Sed cum* Alphonsus *pactionem, cui nunquam annuerat, irritam haberet:* Monisius *vt fidem solueret, quam vitâ habebat chariorem,* Toletum *profectus, se suámque coniugem, ac liberos Regi dedit, lugubri omnes habitu indutos, non vt mortem, sed vt fraudis suspicionem deprecarentur, parati omnes vel proprio eam sanguine expiare. Et quamuis Regem Castellæ non parum initio offenderit recessum fœdus, tamen tantâ fide à Monisio resarcitum, maximè postea deliniuit; imò ad beneficia* Monisio *conferenda, quæ* *Quis Egas Monisius? Egæ Monisij fides.*

tantum

tantum facinus requirebat, excitauit. Hæc licet Eduardus Nunius de Leon *1. part. Chron.Reg.Portugall.fol.*23. commentitia anilia fuisse contendat, attamen ab ipsis Portugalliæ Historiographis pro *Ega Montsij* celebri fide venditatur. Cuius relationis veritatem cùm sæpe sæpius *in Historia MS. Imperatoris Aldephonsi*, quam literis Gothicis exaratam, & vitellinis paginis compactam, ex *D. Garsia de Loaysa* Bibliotheca ad meam deuenit inquirerem; haudquaquam tale quid inuenire potui.

Cœnobij exordia. COENOBIVM TAROVCENSE. Hocce in diœcesi *Lamecensi* conditum ex *S. Ioanni Baptistæ* delectu, & *B. Bernardi* commissione à *B. Boëmundo* Abbate indicant Cistercienfium Ordinis Chronologiæ. Sed quo euentu, quóve ordine, suo dicemus loco, cùm res gestas Monasterij Institutoris Boëmundi, *Tom. 5. die XI. Septembris* compulsabimus.

S. ARISTOBOLI Episcopi, & Martyris.] Vt huius sancti Præsulis, & Martyris *Triplex quæstio.* Nostratibus restituamus memoriam, TRIA à Nobis veniunt inuestiganda; quibus absolutis, & vitæ ecphrasim, & actionum seriem liquida probatione monstrabimus. PRIMVM quod exquirendum est, in eo versatur: An *Aristobolus* iste sit idem ac *Zebedæus*, Pater SS. Ioannis, & Iacobi Apostolorum? SECVNDVM, esto, quòd fuerit, an Christianus, an Christi Discipulus ex LXXII. & an Episcopus? TERTIVM, esto quòd Antistes, cuius Sedis? an Bythiniæ, an Bethaniæ, an Britanniæ, an Bretoniæ. His quæsitis sic methodicè respondemus.

I. An Aristobolus idē ac Zebedæus. Ad I. sine controuersia est, Patrem Iacobi, & Ioannis fuisse *Zebedæum* vocatum, vt ex duodecim Euangelistarum clausulis elicitur. Ast *Helleca* continuator Maximi *fol.*224. *apud Rod.Car.col.*2. & in *Addit. apud Biuar.fol.*25. *num.*11. & Iulian. Petr. *in Chron.n.*33. & in *Aduers.n.*60.61.65.66.67. & 136. scribunt etiam ARISTOBOLVM vocitatum; & addit Iulian. *d.n.*67. A Zebede *vrbe Galilea dictus est* Zebedæus, *nomen proprium* ARISTOBOLVS; quod & dixerat *Helleca:* ARISTOBOLVS *cognomento* ZEBEDÆVS. Hinc liquet binomen fuisse, licet non planè constet, quale vocabulum, agnomen; quale, cognomen fuerit. Quod agnomen *Pater Apostolorum Ioannis, & Iacobi solo Zebedæi titulo cognitus.* fuisset parenti Apostolorum ARISTOBVLVS, & cognomen ZEBEDÆVS, tantùm ex *Helleca*, & *Iuliano* depromitur, nam in antiquis Scriptoribus, altum silentium de ARISTOBVLO, cum apud illos solo ZEBEDÆI nomine cognoscatur. Fuit vtriusque nominis memoria in Viris apud Hebræos, & alios. Nam *Aristobolus* dicebatur vnus ex LXX. Interpretibus, vt ex *Eusebio* refert Sixt. Senens. *in Bibliothec.* quamuis *Aristeas* qui eorum nomina inscribit, haud eius meminerit. Alius fuit *Aristobolus* ex tribu Sacerdotali, Regis Ptolemæi magister, de quo mentio est *lib* 2. *Machab. c.*1. Alius itidem fuit *Aristobolus* nepos Simonis Machabæi, *Aristoboli agnomen commune apud Hebræos.* qui post Babylonicam captiuitatem, primus inter Iudæos Regis titulum arripuit, de quo est author Iosephus. *lib.*13. *captiu.Iud.c.*19. Alius etiam fuit *Aristobolus* filius Iannæi, qui & Alexandri, de quo idem Ioseph. *d.lib.*13.*cap.*24. Denique alius fuit *Aristobolus* frater Mariannes Herodis vxoris, qui fuit Summus Pontifex, vt idem Ioseph. *lib.*15.*c.*3. scriptum reliquit. At esto quòd parens Apostolorum, agnomine ARISTOBOLVS vocaretur, nequaquam ex hoc elicitur, quin etiam agnomine *Zebedæi agnomen etiam commune.* nuncuparetur ZEBEDÆVS; cùm vtroque potuerit agnomine vocitari. Nam ZEBEDÆVS viris aliquando agnomen fuit, vt colligitur ex *lib.* 2. *Esdr. c.*11. vbi inter illius capituli genealogias inuenitur homo *Zebedæus* nomine. In *libr. Iudic. c.*8. & in *Psalm.*82. duo Principes Madianitarum, alius *Zeb*, alter *Zebeè* agnomine reperitur, qui omnes agnomine, non cognomine sic vocabantur, ideóque & ARISTOBOLVS-ZEBEDEVS vtroque agnomine potuit appellari Pater Nostrorum Apostolorum, cum apud Hebræos, & alij ante parentis Apostolorum natalem, viri, his agnominibus reperiantur.

D.D.Anton.Calderon, à quo ferè omnia hæc esuximus *lib.*1.*c.*3.*de Excell.S.Iacobi.* qui adhuc in eius scriniis MS. delitescit, suspicatur hanc vocem ARISTOBOLVS, *Aristobolus an cognomen?* siue ARISTOBVLVS, in patre Apostolorum, potius appellatiuum, quam proprium nomen fuisse, quia licèt hæc vox Græca sit, attamen Hebræi Græcis agnominibus, & cognominibus vtebantur, & tunc ARISTO-BOLVS, idem erit, ac NOBILIS-PISCATOR quia verbum Ἄρισοι. *Optimates, Primeres,* Liuio: *Summates* Plauto:

Plauto *Proceres, viri præcipui, præstantes*, Robert. Const. *tom. 1. Lexic. Græc. fol. 242.* significat: & Βόλος *rete piscatorum* ex eod. *fol. 313.* ideò coniunctis his vocibus Græcis Ἄριστο-Βόλος, quæ Latinè sonant ARISTO-BOLVS, idem erit ac *Optimus* siue *primus Piscator* ex Liuio, *summus Piscator* ex Plauto, aut *Præcipuus*, siue *Præstans Piscator* ex Constantino. Ast ex hoc etymo ZEBEDÆVS qui erat Piscator, per emphasim potuit Ἀριστόβολος vocitari, quasi Princeps, aut Summus Piscatorum, & hac appellatione nomen ARISTOBOLI retinere. Quod si non ARISTOBOLVS, sed Ἀριστόβυλος ARISTOBVLVS, per V, non per O, erit exarandus, tunc *Summi Consilij* autor interpretabitur. Sed primæ vocis lectio sequenda, qua vtuntur Vulgata *lib. 2. Machab. c. 1.* & in *Epistol. Paul. ad Rom. c. 16.* Hinc elicies *Aristobolum*, cognomen esse, deducto ex officij, seu occupationis primatu. Nec nouum; quia si vt fatetur Hyppol. Theban. *in Chron.* ZEBEDÆVS fuit vocitatus ἰσθοναύκληρος, hoc est *Nauigy-Dominus*, vt quid non Ἀριστόβολος, hoc est *Primus in rete*, cognomine, vocari valuit? Quidquid de agnomine, aut cognomine sit, *Helleca*, & *Iulianus* fatentur, ARISTOBOLVM, qui & ZEBEDÆVM vnum eumdem fuisse, Patrémque *SS. Ioannis*, & IACOBI Apostolorum nec est in contrarium Scripturæ Sacræ locus, nec Sanctorum Patrum sententias ergo Nostratium insequi opinionem compellimur, provt illam probat D. Anton. Calderon. *d. c. 3. n. 4.* Vtriusque Scriptoris verba promamus: *Helleca* Episcopus Cæsaraugustanus, sic: BRITANNIS *celebris est memoria multorum Martyrum; præcipuè* S. ARISTOBOLI *vnius de* LXXII. *discipulis, qui dictus est etiam* ZEBEDEVS *Pater Iacobi, & Ioannis.* Iulian. *in Chron. d. n. 33.* eadem verba: *Celebris habetur memoria* S. ARISTOBOLI, *cognomento* Zebedæi, *Patris Iacobi, & Ioannis.* Et in *Aduers. n. 60.* isthæc: *Consecratus est primus* Britanniæ *Episcopus* ARISTOBOLVS, *qui & Zebedæus, Pater Ioannis, & Iacobi Apostolorum.* Ex quibus periodis constat ZEBEDÆVM, & ARISTOBOLVM eundem hominem binonimis fuisse, Patremque Apostolorum *Iacobi*, & *Ioannis*, qui & Episcopus, & Martyr hoc die consignatur, titulo ARISTOBOLI in Martyrologiis; hincque primo quæsito fecimus satis.

Probatur quod sic, ex etymo. *ἰσθοναύκληρος etiam appellatus Zebedæus.* *Zebedæum qui vocitãt Aristobolũ.*

Ad II. Esto quòd ARISTOBOLVS & ZEBEDÆVS vna, & eadem persona fuisset, filiósque Iacobum, & Ioannem Apostolos procreasset; ex quo constat Scriptore illum Christo adhæsisse, ex LXXII. Discipulis electum, & Episcopum factum? Circa quam Quæstionem *D. Antonij Calderon* sensum transcribere compellor, qui in *d. Libro MS. de Excellent. S. Iacobi. 1. p. c. 4. num. 1.* sic affatur: Hucúsque de ZEBEDÆI fortunæ bonis verba fecimus, nunc si gratiæ pignora (quæ potiora sunt) adeptus fuerit, inquirendum est. Theophilact. *super cap. 1. Marc.* suspicatur haudquaquam Christo nomen dedisse, eo tantùm fundamento, quòd Euangelista dixerit, filios eum reliquisse, & Christo adhæsisse, quod aliter *Salome* vxor expleuit, nam vt ex Euangelista liquet, itidem Christo illa cohæsit. *Apparet* (inquit Theophilactus) ZEBEDÆVM *non credidisse: Mater autem Apostolorum credidit, & sequebatur.* Qui antea dixerat, ideo coniugem, & filios reliquisse parentem, ne fortè illis impedimento esset, ad Christi vestigia sequenda. Clariùs hanc ZEBEDÆI incredulitatem *sup. cap. 4. Matth.* dixerat, asserens: *Apparet* ZEBEDÆVM *non credidisse, & propterea* (filij, & coniux) *reliquerunt eum.* Ad hanc ipsam accessisse videtur sententiam *Remigius*, à B. Thom. *in Caten. ad d. cap. 4. Matth.* citatus, vbi asserit, quod ZEBEDÆVS idem est, ac *Fugitiuus*; eius verba sunt: ZEBEDÆVS *autem, quem relinquunt, & interpretatur* fugitiuus, *seu habens, significat Mundum, qui transit, & Diabolum qui de cælis lapsus est.* A quo & accepit Glos. *sup. d. c. 4. Matth.* inquiens: ZEBEDÆVS, Fugitiuus, *id est*, Diabolus. & Lauret. *in Sylu. Allegoriar.* prosequitur: ZEBEDÆVS, dos, *siue* dotatus, *aut* fluxus, vehemens, *aut* fugitiuus; *typus est Diaboli, qui est relinquendus.*

II. Quæstio, an Zebedæus Christianus fuerit? *I. Opinio Theophilacti.* *Zebedæus idem ac Fugitiuus.*

SED verè durum videtur, quòd credamus, tantorum Apostolorum Patrem, & Sanctissimæ vxoris coniugem, in præcipitium ruere, illósque haudquaquam de illius bonô spirituali consulere. *Theophilactum* etenim absque fundamine dixisse suspicor, Apostolos patrem reliquisse, quia credere noluit. Non enim Dominus

Respõdetur huic I. Opinioni.

Dominus patri dixit, *sequere me*, sed filiis, ideóque illi patrem reliquêre, non ob parentis infidelitatem, sed propter Domini obsequium. Qui ergo propter Deum parentes relinquunt, nequaquam illos de infidelitate condemnant. ZEBEDÆVS in nauigio mansit, vt de re familiari consuleret, & licèt tunc corpore Christi non sequeretur vestigia, potuit illi spiritu cohærere. Nec erit, ex actione illa, qua Apostoli Christum sunt insequuti, casus, ex quo possit parentis infidelitas elici; quin potiùs, accidentia, omnia in contrarium euenisse demonstrant: nam ex verbo ab Euangelista prolato, STATIM, agnoscitur, Apostolos, annuente parente, Christum insecutos: qui si STATIM, optimè colligitur, Patrem nec illis impedimento fuisse, nec prohibuisse, nec detinuisse, nec contra Christum querimoniis vsum, quòd filios suæ senectutis subtraxisset auxiliatores. Si ergo omnia hæc euenirent, proculdubio multum consumeretur temporis, ast cùm fuerit STATIM, credi oportet patrem non repugnasse. Hoc Abulens. *Quæst.* 112. *ad c.*4. *Matth.* videtur innuere cum dixit: ZEBEDÆVS, *Pater eorum, non repugnauit, sed mansit in pace, in naui cum mercenariis suis.* & *Francisc. Lucas, Brugens.* addidit, quòd ZEBEDÆVS *munificus certè fuit, qui filium vtrumque suum, baculos senectutis suæ Christo donauit.* Albert. Magn. prosequitur dicens: ZEBEDÆVM *amicum Christi fuisse*, hoc est, *quia Christo credidit, & ex eius discipulis fuerit.* Nec *Remigy*, & *glossa* explicatio contrariatur, quia est mystica, & allegorica.

II. Opinio quòd fuit Christianus. QVOD vero ZEBEDÆVS qui & ARISTOBOLVS, Pater Apostolorum fuerit Christi assecla, à Iacobo nostro baptizatus, innuit Iulian. *in d. Aduers.n.*59. vbi hæc verba formalia habentur: S. IACOBVS *patrem* ZEBEDÆVM *creditur baptizasse. Fuit vnus de* LXXII. Eadem repetit, *num.*60. & *n.*136. quod & dixerat *Helleca* in *Addition. ad Max. d. fol.*224. qui vtrobique eius discipulatum, Episcopatum, & martyrium tempore Neronis, in eisdem clausulis fatentur. Hoc probatur etiam ex Martyrologio Romano h. d. vbi ZEBEDEVM, tantùm ARITOBOLVM vocans, de eo ista connectit: *Eodem die natalis* S. ARISTOBOLI, *Apostolorum Discipuli, qui cursu prædicationis peracto, martyrium consummauit.* Vbi Baron. *in Not. lit. B.* de eo agere Græcos in Menolog. fatetur, qui illum *Britanniæ* Episcopum faciunt, prout fecêre *Helleca*, & *Iulianus*, itémque fratrem S. Barnabæ. Doroth. *in Synops.* etiam illum nominat inter LXXII. *Chron. Alexandrin.* Equil. *lib.*6. *cap.*10. Volaterran. *lib.*19. *Tropolog.* Prim. Cabilonens. *in Topograph. de Discipul, Domin.* Guillelm. Eiseingrein. *Cent.*1. *part.*1. *dist.*7. Galesin. & Ferrar.

Non fuit frater Barnabæ. Nec ex LXXij. Nec Episcopus Britanniæ in Anglia. Probatur I. HÆC sunt quæ de ARISTOBOLO apud Scriptores relatos inueniuntur, quem fuisse ZEBEDÆVM, Patrem Apostolorum, vnum ex LXXII. fratrem Barnabæ, & Episcopum, & Martyrem Britanniæ contendunt *Helleca*, & *Iulianus*, aduersus quos, & eorum doctrinam, sequentia inueniuntur argumenta. I. Quia *Aristobolus* de quo in Menologio, Dorotheo, & Galesinio fuit frater *Barnabæ:* ARISTOBOLVS, qui & ZEBEDÆVS Pater Apostolorum, non fuit *Barnabæ* frater, ergo Nostrorum Authorum sententia corruit. Patet, nam ARISTOBOLVS Noster, qui (vt dicunt *Helleca*, & *Iulianus*, & est verisimile) fuit frater Iosephi B. V. sponsi, erat de Tribu Iudà, & Barnabas de Tribu Leui: ergo cessat assertio, de qua vidend. D. Anton. Calder. *d. cap.*3. *à n.*8. *& sequentib.* II. quia

Probatur II. ille *Aristobolus* erat ex LXXII. & Noster, nequaquam. Et ratio est, quia illi reliquerunt omnia propter Christum, & Euangelicam paupertatem professi sunt: Noster vero omnia possedisse, quoadvsque Dominus in cœlos ascendit, probat idem *cap.*11. *&* 12. III. Nam ille *Aristobolus* erat, vt inquiunt Dorotheus, Ga-

Probatur III. lesinius, & Ferrarius, de quo loquitur Paul. *ad Rom. cap.*16. qui Romæ manens, domum amplam habebat, & familiam, & alia in eo concurrere videntur, quæ prorsus nostro haudquaquam poterant conuenire, vt notauit ipse D. Anton. Cald. *cap.*4. *num.*10. Hæc & alia sunt, quæ *Helleca*, & *Iuliano* obstant, quorum

Duos fuisse Aristobolos probatur. auctoritatem in verisimilibus tueri compellimur, explosis his fundamine carentibus. Eorum igitur assertiones sustineri poterunt, si fulcro distinctionis procedere aggrediamur. Prima est, dicere, Duos fuisse ARISTOBOLOS, eosque

& Epi

& Episcopos, & Martyres. Horum vnus frater *Barnabæ*, Discipulus ex LXX II. & Bethaniæ Episcopus in Palæstina fuisse creditur. Alius Episcopus Britanniæ, non quæ hodie *Inglaterra* dicitur, sed alterius vrbis, de qua in III. Quæsito infrà. Hac distinctione omnia in contrarium adducta argumenta euacuantur; quia concedimus ZEBEDÆVM, nec fratrem Barnabæ, nec ex LXXII. nec de quo loquitur Paulus, nec Episcopum Britannicæ Insulæ fuisse, neque hoc probat illum nec infula decoratum nec martyrio coronatum, cum alius à secundo diuersus adnumerari potuerit. Et patet: nam tres ARISTOBOLOS sanctitate conspicuos enumerat Menologium. I. de quo hoc die. II. die XXX. Octobris, licèt nec infulâ, nec martyrio decoratum. III. die sequenti XXXI. Octobris, quem & Episcopum, & Martyrem credimus, quia tumultuariè inter alios huius qualitatis socios illum enumerat. Si ergo hunc Sanctorum Triumviratum agnoscimus, & totidem ARISTOBOLOS, vt quid non credemus, eorum esse (apud Scriptores relatos) ACTA confusa, maximè interueniente tauthologia agnominum, & vrbium Sedis?

Aristobolus de quo hoc die non Bethania sed Britannia Episcopus.

SED licet hæc non placeat distinctio, altera quoque poterit eligi via, scilicet, quòd etsi plures ARISTOBOLI sanctitate illustres appareant, duóque infula, & martyrio condecorati diuersis diebus, attamen eo quòd Scriptores, de vno tantùm loquuntur h. d. dicendum est, eos errorem contraxisse, qui ARISTOBOLVM de quo in præsenti Rom. Martyr. fratrem Barnabæ, vnum ex LXXII. & Episcopum asseruere *Bethaniæ*, cùm iste de quo h. d. *Britanniæ* Antistes, & ZEBEDÆVS censendus sit. Hoc magni momenti est; quia vt diximus, omnes Scriptores de ARISTOBOLO de quo h. d. loquuntur, ideóque non est dicendum de diuersis verba fecisse, & cum in vno non possint aliorum Acta concurrere, præcisum erit recentiorum Scriptorum assertiones corrigere, ex antiquorum sententiis, quod nemini irrationabile videbitur.

Nec frater Barnabæ.

HINC corrigendi veniunt qui ARISTOBOLVM de quo hoc die, fratrem fuisse Barnabæ dixerunt, quia nec hoc *Martyrol. Rom.* nec *Dorotheus*, nec cæteri asseruère. Galesinius ex *Menologio* desumpsit, qui & *Helleca*, & *Iulianus*, à *Sophronio*, qui & dixerat: *Aristobolum* S. Petri socerum, & Barnabæ fratrem fuisse, duos *Aristobolos* confundens, decepti, istius opinionem sunt sequuti. Item veniunt corrigendi qui etiam ARISTOBOLVM de quo hoc die vnum ex LXXII. Christi Discipulis credidere, cùm de hoc in *Mart. Rom.* & *Menolog.* altum silentium. Recentiores hoc ex *Dorotheo* esuxere, qui vtrumque *Aristobolum* confundens, vnius actiones alteri applicuit. Nisi dicamus neutrum *Aristobolum* de hisce Discipulis fuisse, cùm constet, quanto confusionis, & erroris apice laborent Catalogi horum LXXII. Discipulorum à *Dorotheo*, *Chronico Alexandrino*, *Cabilonensi*, & aliis, apud Doctiores. Horum enim Catalogi nullo alio nituntur fundamine, quàm illorum nomina desumere ex *Epistolis Pauli*; quod vt probes, perlege *cap.* 16. ad Roman. vbi *Aristobolus* inuenitur, & ibidem fere eodem ordine, quo numerantur à Paulo, in Catalogis descripti quotquot illic homines referuntur. Quod & tanto erroris inuolucro gestum est, vt etiam *Neronem*, nomine Cæsaris apponeret *Dorotheus*. Cuius ignorationem irridet Baron. *Ann.* 33. *num.* 40. vbi etiam de incertitudine horum Discipulorum adamussim scribit. Ex quibus datur argumentis superius positis solutio; & remanet inconcussa opinio quòd ZEBEDÆVS Pater Nostrorum Apostolorum fuit & ARISTOBOLVS, non frater *Barnabæ*, nec ex LXXII. Discipulis; sed Episcopus, & Martyr de quo h. d. in *Menologio Græcorum*, & *Martyrologio Romano*, explosis *Helleca*, & *Iuliani* assertionibus, à *Sophronio*, *Dorotheo*, & aliis perperam haustis.

Nec vnus ex LXXII. Discip.

Catalogi horum Discipulorum multos errores continent.

Neronem in suo Catalogo posuit Dorotheus.

III. Quæstio quâ vrbe Episcopus, & Martyr? Variantium opiniones.

III. Quæsitum in eo stat. Esto quod ZEBEDÆVS qui & *Aristobolus* infulas perinduit Antistes, & agonis laureâ in eadem sede Martyr coronatus agnoscitur; qua vrbe? quáve Prouincia? circa quod varias opinantium sententias subiiciemus. *Menologium* ex *Dorotheo*, à quo & huius farinæ sequaces, sedem ARISTOBOLO apud *Britannos* reiecère. *Galesinius* apud *Bethaniam* in Palæstina, nonnulli apud *Bythiniam*, & *Iulianus* dubitans, apud *Bethoniam*: sed explosis *Bythinia* &

Bethonia opinationibus, nam nulla veritatis instantia fulciuntur, inter *Bethaniam*, & *Britanniam*, controuersiæ specimen extare non dubito. Sed hæc facilè diluitur, si distinctionis superiùs traditæ memineris. Diximus ibidem duos fuisse ARISTOBOLOS, ambos Episcopos, ambos Martyres, alterum ex *Galesinio* apud *Bethaniam*, alterum ex *Menologio* apud *Britanniam*. Hac distinctione cessat controuersia; sed non difficultas circa locum *Britanniæ*, quæ *Anglia* hactenus ex *Helleca*, & *Iuliano* credita est, quia toto cœlo aberrantes, illi Insulæ Episcopum dare contendunt, aduersùs antiqua Insulanorum authentica monumenta. Quod vt pateat, nonnulla in huius veritatis assertionem colligemus. In primis notandum est quod *Angliæ* Scriptores Apostolum, & primum Antistitem cognoscunt *Iosephum ab Arimathia*, qui postquam *Hispanias* nostras lustrasset, & in eis Episcopum egerit, vt dicemus infra hoc *Tom. 1. die XVII. huius Mensis*; cum IACOBO Nostro Ierosolymam transfretauit, & cùm Iudæis esset infestus, vnà cum Lazaro, Matia, Martha & aliis in naui sine remigio ablegatus Massiliam peruenit, *Britanniásque* adiuit, vbi Christi verba disseminans, Apostoli vices agens, Episcopus designatus in pace quieuit, vt probant Baron. *tom. 1. Ann. 35 n. 5.* Thom. Boz. *de sign. Eccles. tom. 1. lib. 4. sign. 6. c. 1.* Papir. Masson. *lib. 1. in vit. Carol. simpl.* Polydor. Vergilius *Hist. Anglic. lib. 2.* Ioann. Pitsæus *tom. 1. Relat. Historicar. in Proœm.* qui hanc esse inconcussam & perpetuam *Angliæ* traditionem, scilicet, quòd Philippus Apostolus ex Galliis *Iosephum ab Arimathia* cum duodecim sociis ad *Britannos* prædicationis ergo dimisisse contendit. Cui subscribit Nicol. Harspheld. *in Hist. Eccles. Anglican. Ætat. 6. c. 1.* qoi etiam tempore Regis Lucij ab Eleutherio Sum. Pont. aliquot fuisse dimissos Legatos, qui originem Christianitatis illius Insulæ exquirerent, & inuenêre primum Apostolum, & Pastorem *Iosephum ab Arimathia* extitisse; conscribit. Hinc est quod nullus ex Anglicis Scriptoribus ARISTOBOLI, seu ZEBEDÆI meminerit, quinimo isti nouissimi *Dorothei* sententiam referentes, alius illam respuit, alius corrigit. *P. F. Ioann. Colgano* qui Martyrolog. Britannicum scripsit ab eo ARISTOBOLI nomen penitus amandauit, ex quo *Helleca* error agnoscitur, qui in *Anglia* fuisse memoriam celebrem ARISTOBOLI suspicatur, quando apud antiquos, & recentiores illius Insulæ Scriptores tantum silentium inuenitur. Sed quidquid sit ARISTOBOLVS, qui & ZEBEDÆVS de quo in præsenti, nec fuit, nec potuit esse Episcopus in *Anglia*, licèt fuerit Episcopus *Britanniæ*. Sed cuius *Britanniæ* sciscitaberis? Apage; en in orbe quot oppida, & populi *Britannia*, siue *Britannorum* nominibus compulsentur, quibus typographica speculatione monstratis, nostram sententiam explicabimus.

Cuius Britannia?

Probatur in Anglia. Iosephus ab Arimathia I. Britannus Episcopus.

In Anglia non agnoscitur Aristobolus.

Britanni in Gall. Belg. I. BRITANNI Populi referuntur à Plin. *lib. 4. c. 17.* in Gallia Belgica ad Rheni ostium, quos *Ortellius* hodie dictos *Thuns te Bruten*, suspicatur, eósque *Britannicianos* in lib. Notitiar. vocitatos credit, & ab Eginartho *Littus Britannicum* nominatum, putat.

Britanni in Lugdunensi. II. BRITANNI etiam fuère Populi supra Ligerim in *Gallia Lugdunensi*, intra Peninsulam, quam Plin. *lib. 4. c. 18.* spectatiorem appellat; de quibus Sidon. Apollin. *lib. 1. Epist. 7.* vbi Ioann. Sabar. *in Not. fol. 52.* plura de his populis, quos nunc *Bretaigne* dicunt, si credimus *Ortellio*.

Britannia Insula. III. BRITANNICÆ Insulæ vocantur apud Scriptores, ex quæ hodie *Anglicum*, & *Scoticum* regnum continent, cum *Hibernia*, & insulis circumiacentibus, in quibus *Ioseph ab Arimathia* Episcopus primus, Apostolum egit, de quibus nihil ad Nos, circa Sedem ARISTOBOLI.

Britannicus portus Morinorum. IV. BRITANNICI Portus *Morinorum* in Gallia, meminit Plin. *lib. 4. cap 23.* quem & Portum *Iccium* scripsit Iul. Cæs. *in Comm.* licèt Strabonis *Itium* lectio consignet.

Britannia in Hispania. V. BRITONIA, BRITINIA, siue BRITONIVM, sic diuersis in locis legitur, vrbs antiqua fuit in *Hispania*, Episcopali Sede condecorata, iuxta *Mindonium*, quæ adhuc retinens nomen BRETOÑA dicitur, de qua aliqua diximus supra hoc *Tom. 1. die I. II. & X. huius Mensis.* de qua etiam mentio in Toletanis, & aliis Conciliis, vt ex *Moralio* refert Ortelius in *Thesaur. Geograph. verb.* Britinia, *& verb.* Britonium, Aubert. Miræus *in Notitia Episcopat. Orb. verb.* BRITONIA *fol. 273.*

Ex

Ex hisce Quinque BRITANNORVM situbus, nunc à Nobis inquirendum est, quo ARISTOBOLVS infulas induerit; & vt placet D. Anton. Calder. *d.c.4.n.23.* Episcopum in *Britonia* Hispaniæ à Patre IACOBO factum, quem comitatus est ad Nostras ZEBEDÆVS, sequentia fundamenta suadent. I. quia credibile est IACOBVM potiùs in sui Apostolatus prouincia, velle Patrem, Episcopum consecrare, quàm apud exteros. II. nam constito, de antiquitate Ecclesiæ *Britoniensis*, à tempore Apostolorum, ex authoritate *Luitprandi*, qui *Lucij*, seu *Luca* eiusdem Sedis Episcopi meminit, vt diximus *die II. huius Mensis*, & prosecutione tempore Gothorum, vt ex *Concilio II. Braccarensi, Ann.572.* IV. *Toletano, Anno 633.* VII. *Tolet. Ann.675.* & in *Consecratione Eccles. Compostellana*, vt refert Sampyr. *in Chron.* & in Concilio *Compostellano, Ann. 1029.* quod supra dedimus *hoc Tom. 2. die X. huius Mensis*, proculdubio tenendum est, ARISTOBOLVM huius vrbis Præsulem fuisse, quæ Sedem tenuit, post retinuit, & nunc, licet in alium locum translatam, conseruat. III. quia nullibi (excepta Insula Britanniæ) ex tribus sequentibus, Sedes est constituta Pontificis, nec in illis de tali vnquam constitit Sede, ergo nec illarum potuit ZEBEDÆVS Episcopus vocitari. IV. nam in Antiquo meo MS. Carminum, Aulo Halo, vt suspicor auctore, sic expressè compulsatur.

Quod fuerit Episcopus in Hispania probatur I.

Probatur II. ex vrbis antiquitate.

Probatur III.

Probatur IV.

PRO S. ARISTOBVLO ZEBEDEO, Britoniæ in Hispania Episcopo, & Martyre, Octastichon.

ESto Britannia *felix, iam tua lustrat* IAGVS
Littora, Tuque Patris pignora carpis ouans.
Ille BOLVM*que Patrem secum pertraxit* ARISTO-
Zebéque, qui ex vrbe, ZEBEDE *nomen habet.*
Illeque cum populos Pastor peragrasset IBEROS,
En te cúmque Patre Præsule condecorat.
Martyr in Asturibus *Nati vestigia monstrat,*
Ergo Patri, & Nato thura litare pia.

Quorum carminum strue, non est cur iam de hac ARISTOBOLI apud *Britoniam* Nostram hactenus, & in posterum dubitetur. Hinc veniunt respuendi *Vasseus*, & *Rossendius*, qui *Viana de Caminha* Bretoniam dixere; similitérque Acuña *Hist. Braccar. 1. p.c.8.* qui *Britiandus* somniauit, quibus (hoc Epigrammate nec viso) subtiliter respondet. Hæc sunt, amice Lector, quæ circa Tria Quæsita *D. D. Antonius Calderon*, & Nos perscrutari potuimus; ex quibus genuinam S. ARISTOBOLI Sedem deprehendes. Nec te moueant *Helleca*, & *Iuliani* verba circa Præsulatum in *Anglia*; quia vt vides mera glossemata sunt ab amanuensibus textui interposita, & ab editoribus prorsus non intellecta, aut forte marginibus addita, ab imperito aliquo, qui *Britanniam*, Angliam intellexit, illa reposuit, post textui admixta, intelligibile inuolucrum oculis obtulêre. His suppositis ad Acta conscribenda veniamus.

Error Vassei, & Rosendij.

ACTA S. ZEBEDÆI, SIVE ARISTOBOLI Episcopi Britoniensis & Martyris, ex Var. Scriptor.

ZEBEDEVS, *qui &* ARISTOBOLVS, *qui &* XAMECH, *natione* Iudæus, *ex nobilissimis familijs oriundus, quia de Tribu* Iuda *prosapiam deduxisse cognoscitur, in vrbe* Sapha *de Tribu* Zabulon *iuxta Iordanem fluuium, seu in Oppido* Zeb. *à quo* ZEBEDEVS, *de Tribu Gad, iuxta mare Galilaa primos visiua lucis radios conspexisse perlegitur. Cùm ergo ad ætatem aptam coniugio pertingeret, secundum à Deo datam in Numeris legem, nupsit* Mariæ *cognomento* Salomè, *filia* Salomè, *&* Annæ, *Sanctissima Dei-Geni-*

Origo & prosapia.

Vbi nascitur.

Num. c fin.

Matrimonium contrahit. tricis Matris, ex qua Iacobum,& Ioannem filios suscepit, qui postmodum à Christo in Apostolatum vocati, relictis retibus Dominum sunt sequuti. Præter hosce siquidem illustrissimos filios, sunt qui dicant, nec improbabile sit, etiam ZEBEDÆVM duas progenuisse filias, quarum aliam Concordiam, *Filij & filiæ.* siue Perpetuam, nomine, quæ cũ Petro pòst Apostolorum Principe; alteram Lucinam, siue Claudiam, quæ cũ Andrea, eius germano, pòst Christianorũ primo, & Apostolo, matrimonium contraxisse traditur. Nec in hoc tantum excellentia eius cognationis exprimitur, quinimo à pluribus opinatur probabiliter, *Frater Iosephi.* ZEBEDÆVM, etiam Iosepho, B.V. MARIÆ Sponso, extitisse vinculo fraternitatis feliciter innodatum. Vxore igitur adstrictus, ad propria familiæ administrationem, œconomicæ auiditate animum applicuit, quo sic rei familiaris pondera sustinuit, vt & regimen domus congrua suauitate tractaret,& *Bona temporalia qua?* clauum facultatum prudenti moderatione teneret. Fortuna bona Viro venerando, nec plura, prout aliqui sine discretione sensêre; nec minuta, sicut alij timida demonstratione dixêre: illud sit comperto est, quòd in vnico tantum Lembo patrimonium ARISTOBOLI clauderetur. Huius igitur occasione Nauigij, piscatorio sese,& filios tradidit exercitio, cuius lucro, honestè alebat *Idio. Nauclerus dictus, ex Lembo.* moderatione familiam, ita vt communi sorte contentus, qui ex Regio semine procedebat, placidam cum prole vitam transigeret Idionauta. Nec officij exerciti studium aliquid de eius nobilitate, aut grauitate detraxit; nam tanta fuit eius auctoritas apud omnes regionis accolas, & tanto eum singuli prosequebantur amore, vt celebris Vir inter Galilæa populos haberetur.

Filiorum ad Apostolatũ vocatio. Eo Tempore, postquam IESVS CHRISTVS, Dei Filius, ac Dominus noster à Ioanne baptizatus, in Galilæam Euangelium Regni sui prædicans deueniret, præteriens secus mare Galilææ, vbi erant ZEBEDEVS & eius filij, necnon Petrus,& Andreas, qui & piscatores erant, vidit illos,& accersitis Petro,& Andrea, qui in mare sua retia mittebant, dixit eis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum; qui protinus relictis retibus, sequuti sunt eum. Progrediens igitur IESVS inde pusillum, cùm vidisset in Naui ZEBEDEI filios componentes retia, etiam vocauit illos, qui statim relicto patre in Naui cum mercenarijs, secuti sunt Dominum. Huius igitur prolis *Filios libenter donauit Christo.* festina discessionis instantia, & diuini verbi efficaciam, & ZEBEDEI parentis placitum indicauit. Nam licèt fuisset Christi strenua ad maiora consequenda, præceptio; tamen, pensanda venit solitudo parentis, ab omni tunc humana ope destituti, quã vitã adhuc celeri filiorum desertione, eo tempore, quo eorum præstolabatur auxilium, vt communi familiæ necessitudini conduunareat, nequaquam venerabilis Viri animum, minimã perturbatione conterfit: quinimo ab omni abstinens querela, vtrumque filium, & vtrumque generum, sub sua protectione remanentibus vxore, & filiabus, Domino munificã largitate concessit.

Christianus fuit. IN Naui parentem reliquerunt Apostoli, sed non ita in Naui relictum suspicamur, quod naufragus, adhuc in litore, visã Christi Domini facie, & tantorum Apostolorum ope, deuiisque à veritate, periret. Qui coniugem, filios, filias, vtrumque generum, fratrem, fratriam, glorem, & propinquorum tantam multitudinem, sic Christo proximos, sic eius veritati adhærentes, vt omnes eius benedictionem in hac vita perciperent,& in æterna gloriosam ab eo laurum reportarent, habebat; quis credet vnum solum ZEBEDEVM inter tot *Omnia sua Apostolis tradidit.* agmina propinquorum, cœlestes sedes complentium, sic obfirmato animo restitisse, quòd æterna mortis reus cœlorum aditum interdictus euaderet? Absit hoc à Christiana pietate conceptum; maximè quando de eo nulla inest in sacris tabulis certitudo. Verisimilius siquidem profectò dignoscitur, ZEBEDEVM post Christi Ascensionem, omnibus diuenditis facultatibus, earum pretia, ad pedes Apostolorum, prout cæteri, reposuisse, hincque à filio Iacobo baptizatum, inter *Ad Hispanias cũ filio deuenit.* Apostolorum discipulos, peregrinationis ordinem spectasse. Ast cùm Iacobus filius sortione diuinã Hispaniæ renuntiaretur Apostolus, eius insequi vestigia constituit, quo cum Iberas lustrauit oras, inuisit vrbes, & filium in opus ministerij,

ministerij, ceu cæteri, summo religionis specimine coadunauit. Ergo tùm in Britanniam, *seu* Britonniam *vrbem in* Asturibus Hispaniæ *peruenisset Apostolus, Ecclesiam ibidem fundare decreuit, cui vt præesset, Patrem* ARISTOBOLVM *in eadem Pastoralis muneris decoratum reliquit. Tunc S. Præsul vt oneri imposito, sedula fidelitate pareret, diœcesis terminos conlustrauit, Euangelij semina spargens, ouibus pascua salutaria proponens, ita vt diligentem decebat Antistitem. Post hæc occiso apud Ierosolymam* Iacobo *filio, eiúsque Corpore sanctissimo à Discipulis* Iriam-Flauiam *adducto, & honorifice sepulto, cùm adhuc apud* Britoniam, *insulam à filio Hispaniarum Apostolo Episcopalem indutam summis virtutibus conseruaret, tandem in prima Hispaniæ persecutione Neronis, eius Anno secundo, ad martyrij palmam accedens, cælos laureis plurimis redimitus ingreditur, die* XV. *Martij, Anno Domini* LVIII. — *Britonijsis Ecclesia fundatur.* *Aristobolus I. Episcopus.* *Et Martyr.*

Hæc sunt quæ potuère ACTA describi, amplexatis his quæ verisimilitudinem, & explosis quæ incertitudinem ab Scriptoribus referuntur, continent. At quia nonnulla altiorem requirunt indaginem, illa ex instituti nostri more breuiter perpendemus.

I. Circa Nobilitatem ZEBEDÆI. De qua videndi D. Maur. Castell. *Histor. Compostel. lib.* 1. *c.* 1. D. Michaël de Erze *de Aduent. S. Iacob.* 2. *p. tractat.* 1. *c.* 1. *&* 6. D. Anton. Calder. *d. c.* 3. *n.* 23. P. Truxill. *in Thesaur. Concionat.* 2. *p. fol.* 1332. Ambrof. Moral. *Hist. Hisp. lib.* 9. *c.* 7. Padill. *Hist. Eccles. Hisp. Cent.* 1. *tom.* 1. *cap.* 7. & probatur ex hymno antiqui Breuiarij Compostellani in *prim. Vesp.* agens de B. IACOBO Nostro, deque eius nobilitate, vbi hæc leguntur. — *Nobilitas probatur.*

De stirpe Christi IACOBVS
Natus REGALI *germine,*
Inter Magnates inclytus,
Refulget ALTO *Sanguine.*

II. Quatenus ad nomen XAMECII. De quo (quia de Agnomine, & cognomine egimus) *Ludouicus Paracuellos*, à quo D. Anton. Calder. *d. c.* 3. *n.* 5. asserit, quòd in Trophæo, quod Immaculatæ Virginis Conceptioni, in Campo Xenodochij Regalis, Vrbs erexit *Illiberritana*, in lapide hæc inscriptio legitur incisa: IACOBVS FILIVS XAMECH, ZEBEDÆI. Hoc etenim nomen *Xamech* seu *Xameh*, siue *Shamich*, Arabicum est; quod inspectis variis originis radicibus, minimo in finali litera discrimine, potest interpretari, *Tumidus*, *Inflatus*: vel, *Valde latus*: & per translationem, *Auctus*. Quod si ita est, nomen *Xamech*, Arabicè, idem erit, quod Hebraicè *Zebedæus*: nam vt dicit B. Ieronym. *de Locis Hebraic.* ZEBEDEVS idem est, ac *Dotatus*, siue *fluens*, Lauret. in Sylu. & Index Nomin. Hebraic. qui cum Glossa Ordinaria circumfertur, interpretantur, *Fluxus vehement*, Franc. Luc. Brugens. *sup. c.* 4. *Matth.* vertit, *Dotatus*, *Liberalis*, *Munificus*. Quæ nomina conueniunt *Xamech* vocabulo Arabico. Nam cum flumina frequentibus imbribus aucta, extra ripas effluunt, dicimus illa *tumescere*: idcirco, verbum *Tumidus* & *inflatus* apud Arabes, respondet vocibus, *Fluxus vehemens* apud Hebræos. Aliquando de eo, qui lætitia præditus, summè hilarescit, dicitur, *Risu discerpi*, & tunc *Tumidus*, idem erit, ac *Auctus gaudio*. Aliquando denique, de illo qui omnia liberaliter largitur, dicimus, quod singula è manibus elabuntur, & tunc vox *Fluens*, connectitur vocabulis *Liberalis*, & *Munificus*. Hinc elicies, cognomen *Xamech*, seu *Xameh* Arabicè prolatum, non differre in significatione, ab Hebræo *Zebedeus*. Vnum hîc notare libuit, quòd si verbum hoc in Inscriptione *Granatensi* grauatum, originem sumpserit ex Libris, in Montis Sancti Iatumiis nuper inuentis, illud nec probamus, nec reprobamus, donec Sedes Apostolica Nos docere velit, quæ de huiusmodi Libris sentienda, & tenenda sint. — *Xamech idē quod Zebedeus.*

III. Circa locum Natiuitatis *Zebedæi*. De quo aliqui dixere vt D. Maur. Castell. *Hist. Comp. lib.* 1. *c.* 3. P. F. Ioann. de Puent. *in Conuenient. Vtriusque Monarch. lib.* 4. *c.* 3. natum fuisse apud *Bethsaidam*, quod probare contendunt, ex eo quod — *Qua vrbe natus?*

eius filij *Iacobus*, & *Ioannes* in hac vrbe nascerentur. Sed quàm debili hæc opinio fulciatur fundamento, non est cur in eius probatione verba expendamus. Probabilius est, natum *Zebedeum* in vrbe *Sapha*, vt pluribus probat D. Anton. Calder. *lib. 2. c. 1.* Aut in vrbe *Zeb* (non *Zebede*, vt in impressis Codicibus *Iuliani*) ob eius, & antiqui *MS. mei Carminis*, auctoritatem, cui in hoc multum detulit D. Anton. Calder. *d. c. 3. n. 6.* & Nos prorsus deferimus, cùm nulla sit auctoritas in contrarium.

Probatur coniugium cum Anna. IV. Quatenus ad coniugium cum *Anna* Genitricis Dei Matre. De hoc matrimonio multa sunt quæ apud Scriptores circumferuntur. Omnia quæ ad manus nostras peruênere subiiciemus infra *tom. 5. die XXIII. Octobris, lit. B.* interim vt nostram opinionem probes, perlege D. Michaëlem de Erze *de Aduent. S. Iacob. 2. p. tract. 1. à c. 2. & sequentibus*, vbi plurima *Breuiaria* in Lectionibus, & hymnis, hanc sententiam tenentia, refert. Sed quia aliquot ex *Hispanicis* omisit, ideò aliqua referre compellor. In vetustissimo *Compostellano* Vitellinis pellibus exarato apud me, adsunt tres hymni, in quorum primo hæc leguntur agens de *Salomè*.

> *Huius in festo celebris diei,*
> *Claraque coniux, pia* Zebedei,
> *Et* SOROR *Sancta Genitricis Dei,*
> *Sydera scandit.*

Et in prima Lectione legitur: *Hæc est namque* Maria Salomè, *Soror Virginis, & Genitricis Dei, matris Saluatoris*, Annæ *filia, tertia nata de Salomè tertio viro, vxor* Zebedei, *mater* Iacobi, *&* Ioannis *Apostolorum*. In alio vetustissimo *Toletano*, etiam in pergamineis conscripto foliis apud me, *in festo S. Annæ*, agens de eius primitus sterilitate, & postmodum de eius fœcunditate in primo hymno *ad Vesperas*, ista concinit.

> *Nam hæc arbor pomifera*
> *Ramos pandens vt hedera,*
> *Vt oliua fructifera*
> *Fructum* TRINVM *progenuit.*

In Breuiario *Zamorensi* perantiquo, cuius editionis tempus ignoratur, ob defectum foliorum in principio & fine, etiam adest alius hymnus in eadem festiuitate, vbi hæc:

> *Tu viris nubens aliis duobus,*
> *Et duas gignens alias puellas,*
> *Filios quæ edunt Domini ministros,*
> *Discipulósque.*

Et in *VIII. Lectione* carmen explicans, finem imponens, ait: *Post Cleopha obitum,* Anna *tertio iungitur Viro* Salomè; *ex quo* Mariam Salomè *edidit, quæ* Zebedeo *tradita*, Iacobum *Maiorem, &* Ioannem *Euangelistam parturijt*. Eadem Breuiarium *Segobiense* antiquum de *anno* 1525. *Lect. 5. & 6.* & in aliis pluribus, quæ suo loco referemus.

Probatur filiarum existentia. V. Circa assertionem de aliis duabus filiabus *Concordia*, & *Lucina*, quæ *Petro*, & *Andreæ* Apostolis, germanisque fratribus nupsêre, verisimile est. Hanc opinionem tenuêre *Helleca* Cæsaraugustanus Archiepiscopus, & *Iulianus* Toletanus Archipresbyter; & licet in eorum clausulis variè filiarum nomina compulsentur, hoc non interest. In eo difficultas inest Prima, scilicet, quòd incredibile videtur, quod asserens *Marcus* aduentum Christi in domum *Simonis*, & *Andreæ*, cum *Iacobo*, & *Ioanne*, vbi decumbebat *Socrus Simonis* febricitans, nunquam dixerit, istam *socrum* fuisse matrem *Ioannis*, & *Iacobi*, & quod potius est, quod referens *domum* esse *Simonis*, & *Andreæ*, non expresserit ægrotantem fuisse *Socrum Andreæ*, vt expresserat in *Simone*, cùm potiùs edicere interesset, cuius erat *socrus*, quàm cuius erat *domus*? II. Quia *Helleca*, & *Iulianus* fortè hanc opinionem esu-

xere

xere ex *Sophronio*, qui in *Libr. de Peregrinat. Petr.* refert *Simonem* matrimonium, cum filia *Aristoboli* contraxisse; hancque agonem Romæ impleuisse, ex Clement. Alexandr. *lib.*7. *Stromat.* à quo Baronius *Ann.* 69. *n.*30. *tom.*1. Quod si ita est, Nostratum sententia corruit, quia vt ex ipso *Sophronio* liquet, ille *Aristobolus* vocatur *Barnaba frater*, & vt supra probauimus, *Aristobolus Zebedeus*, nequaquam *Barnaba frater* extitit. III. Quia istæ Sanctæ fœminæ quæ filiæ *Zebedei* à Nostris Scriptoribus nuncupantur, fuere Romanæ Matronæ, vt de *Lucina* loquitur Baron. *tom.*1. *Ann.*69. *n.*13. & de *Perpetua*, quam *Martyrol. Rom.* vocat *vxorem Africani, die IV. Augusti*, & de *Claudia*, de qua Paul. 2. *ad Timoth. c. fin.* & quam Piseus *Anglicanam* vocat *tom.*1. *Hist. Anglic. in Proœm.* IV. Quia ex eodem *Sophronio* colligitur, & *Andream* fuisse cœlibem contendit, ideóque nequaquam filiam *Zebedei* potuerit ducere vxorem. Sed his non obstantibus, poterit Nostrorum Scriptorum auctoritas sustineri, cùm ex Patrum auctoritate non constet, *Zebedeum* alios non progenuisse filios quàm Apostolos. Non obstat I. difficultas, quia silentium Euangelistarum non probat contra opinionem Nostrorum, cùm multa illos reticuisse comperimus, quæ Patrum auctoritate firmantur. Et sicut in aliis locis nomen Socrus reticent Historiographi Euangelici, sic illic reticere, mysterium fuit. Nec secunda, quia circa hoc decepti Nostrates, *Aristobolum* Barnabæ fratrem, cum *Zebedæo* perperam permiscuere. Nec III. quia illæ Romanæ Matronæ de quibus *Martyrol. Rom.* longè à Nostris diuersæ sunt, vt de *Perpetua* vxore Petri inquit Molan. *in addit. ad Vsuard. die IV. Nouembris*, quo illam constituit *Iulianus*; & ideo P. Biuar. *ad Dextr. fol.* 30. differentiam nominum vxoris Petri consignat; & P. Cornelius à Lapide *sup. c.*4. *Actuum Apost.* Hellecæ periodos exscribit, & affinitatem inter *Zebedeum, Petrum*, & *Andream* amplecti videtur. Nec IV. quia post *Sophronium* contrarium tenuere S. Ambros. *sup. c.*4. *Luc. lib.*4. & Abulens. *sup. c.*4. *Math. q.* 111. vbi vxoratum *Andream* fatentur. De his difficultatibus vidend. D. Anton. Calder. *d. c.*3. *à n.*13. *vsque* 17.

VI. De Fraternitate cum S. Ioseppho B. V. sponso, agit affirmatiuè Iulian. *in Aduers. n.*60. Cuius opinionem improbare non ausim, cùm non sit aliqua antiquorum, aut recentiorum auctoritas in contrarium, & in hoc Iuliano deferendum est, qui antiqua Hispaniæ scrinia euoluens, potuit in aliquod authenticum instrumentum incidere, quo hæc opinio tunc temporis probaretur, quod fortè sub blattis latitat. Nec obest circa Alphæum à Patribus propalatio, quia cùm hæc auctorem *Eusebium* ex *Egesyppo* cognoscat, quid mirum, si plurimos aduocauit sequaces? Communis persuasio etenim stat pro Iuliano, nam cùm *Zebedeus* fuisset ex Tribu Iudâ, de domo Dauid, ex eo quod nupsit *Maria Salomè*, vt nupserat *Cleophas* alteri *Maria*, & Iosephus Virgini Dei Genitrici sororibus, credendum est & fratres fuisse, & ex Regio semine procreati. *Fraternitas Ioseph probatur.*

VII. Circa bona fortunæ *Zebedei*, anceps est sententia. Aliqui diuitem vt Nicephor. Calixt. *lib.*2. *c.*3. Hyppol. Theban. *in Chron.* Cedren. *in Annal.* Turrian. *in Apolog. contr. Verger.* & alij à D. Anton. Calder. *d. c.*3. *n.*18. fuisse contendunt. Alij pauperrimum, vt S. Chrysostom. *Homil.* 14. *sup. c.*4. *Math.* Auth. Operis Imperfect. *Hom.*7. Idem Chrysost. *Orat.*20. *super c.*8. *Epistol. Paul. ad Corinth.*1. Theophilact. *sup. c.*1. *Marc.* quos refert D. Ant. Cald. *n.*19. suspicantur. Inter quorum diffidentiam Scriptorum mediam elegit viam Sanctissimus *D. Alphonsus de Madrigal*, Episcopus Abulensis, literis, & sanctitate illustris *sup. cap.*4. *Math. q.*112. qui refert *Zebedæum* non omninò fuisse pauperem: quam opinionem sequitur D. Anton. Calder. *n.*20. *An diues, an pauper fuerit.*

VIII. Quatenus attinet ad Aduentum cum Iacobo filio in Hispaniam, sic communi consensu fatentur Iulian. *d. n.*60. & Author *Octastichi* superiùs positi, in 2. *Disticho*, vbi per *Tmesim* prosodiæ figuram, dictio in duas partes diuiditur, interpositis aliis in medio, voce, aut vocibus, vt in illo Virgil. *Georg.*3. *vers.*381. *Aduentus in Hispaniã probatur. Tmesis, qua prosodiæ figura?*

Talis Hyperboreo Septem *subiecta* Triones.

Aulus Halus meus passim hac figura vtitur in *Poëmate de Aduent. S. Iacob. in Hispan. vers.*140. sic: *Hoc & Alostigi protendunt mœnia* Cœli: agens de *Aloitigicælis*

populis. Et *verſ.* 294. agens de Bellitannis populis, dixit: Bellſque *occultans nomina* Tanni. & *verſ.* 305. & alibi. Cætera vero, quæ ab *Helleca*, & *Iuliani*, codicibus impreſſis deſumuntur, vt ſuprà diximus, pertinent ad alium *Ariſtobolum.* Quibus abſoluta remanet huius ecphraſis probatio.

IX. De Anno Martyrij agunt *Helleca*, & *Iulianus*, licèt in vera anni conſignatione diſſentiant. *Helleca* in Secundo Neronis, quod credo verius, quia eo tempore cæpit per Hiſpanias prima perſecutio huius Tyranni, vt probat Dextr. *in Chronic. Ann.* 57. Iulianus agonem reiicit ad *Annum. LXII.* ſed primo, vt antiquiori credimus.

DECIMOSEPTIMO KAL. APRILIS.

DIES XVI.

A. S. Patricius Epiſcopus Malacitanus in Hiſpania Bætica qui interfuit Concilio Illiberitano, Galliam prædicationis feruore ingrediens, poſt Aruernam aggrediens, miraculis clarus obdormiuit inclytus in Domino Confeſſor.

NOTÆ.

A. SANCTVS Patricius.] Iſte ſanctiſſimus Epiſcopus fuit *Hiſpanus*, Epiſcopus *Malacitanus*, qui cum aliis *Bætica* Epiſcopis interfuit magno illo *Illiberitano* Concilio. Poſtea Gallias adiens apud *Clarum Montem* prædicauit, & ibidem virtutum cumulis plenus, & dierum glorioſo fine quieuit. Longè iſte diuerſus ab illo *Patricio* Hiberno huius Prouinciæ Apoſtolo, de quo die ſequenti in omnium Martyrologiorum ſcriptoribus, cuius etiam meminerunt Chron. Magn. *Ann.* 4. Theodoſ. & Valent. ſic: *Cæleſtinus Papa ad Scotos in Chriſtum credentes Palladium primum mittit Epiſcopum. Poſtquem ad eoſdē ab eodem Cæleſtino miſſus eſt* S. Patricius, *genere Britto, filius Conches ſororis Sancti Martini Turonenſis. Qui in baptiſmo dictus eſt* Sachat, *à Sancto Germano Magonius, à Cæleſtino verò* Patricius. *A quo Archiepiſcopus Scotorum ordinatus per LX. annos ſignis, ſanctitate, doctrina excellens totam Inſulam Hiberniam conuertit ad Chriſtum.* Marian. Scot. *in Chron. Ann.* 432. VVerner. Rolenvvink. *in faſcicul. tempor. ann.* 384. Ethelvverd. *in Chron. ann.* 430. Silueſt. Girald. *in Topograph. Hibern. c.* 17. 18. *&* 19. *& c.* 36. Ergo de Noſtro *Malacitano* Epiſcopo, qui in Aruerniis Galliæ, diem expleuit extremum memoria eſt apud Vſuard. h. d. ſic: *Aruernis depoſitio Sancti* Patricij *Epiſcopi, & Confeſſoris.* Equilin. *in Catal. SS. lib.* 12. *c. fin. n.* 90. ſic: Patricius *Epiſcopus, Aruernis clarus XVII Kal. Aprilis* Maurolyc. ſic: *Aruernis depoſitio* Sancti Patricij *Epiſcopi, & Confeſſoris.* Eadem Alexand. de Peregrin. & Galeſin. M. Roman. Baron. Luſit. Caſtell. *P. Dionyſ. Vazq.* Gallican. Suaſſay, ſic: *Claromonte Aruernorum depoſitio Sancti* Patricij *Epiſcopi, & Confeſſoris, cuius quamquam geſta ſunt obſcura, ſanctitas tamen explorata, ibi ipſius memoriam, vbi defunctus eſt, perpetua venerationi conſecrauit.* Ex noſtris ſcribunt Luitprand. *aduerſ.* 7. D. Garſ.

S. Patricius Hiberniæ Apoſtolus à noſtro diuerſus eſt.

S. Patricius Malacitanus Epiſcopus.

Loay.

Loay. *in Concil. Illiber.* vbi D. Franc. de Mend. P. F. Franc. de Biu. *ad Dext. Ann.* 300. *Com.* 1. *n.* 5. P. Martin. de Roa *Hist. Malacit. c.* 12. *fol.* 37. *col.* 2. Padill. *Cent.* 4. *tom.* 1. *c.* 35. *fol.* 212. *col.* 2. Moral. *lib.* 10. *c.* 31. *Hist. Hisp.* & alij, qui de *Concilio Illiberitano* egerunt. Ex quibus hæc concinnare Acta disposui.

ACTA S. PATRITII EPISCOPI MALACITANI in Hispania, & Aruernensis in Gallia Apostoli; ex Variis Scriptoribus.

PATRITIVS ex Hispana *origine ortus, post primam (vt creditur) ætatis iuuentam, cùm iam de naufragio salutarem in baptismate tabulam arripuisset, studiis liberalibus deditus, & in lege Domini meditator euigilans permaneret, ad opus ministery adscitus incredibile omnibus pietatis specimen comparauit. Eius ergo tanta erat in dicendo elegantia, in docendo solertia, & in persuadendo efficacia, vt non immeritò omnium animos alliceret. Quæ omnia crescente ætate, creuerunt, donec vacante* Malacitanæ *Ecclesia Sede, illicò interpellantibus* Patricij *meritis, & instantibus Cleri, & Populi votis ad summum illius Ecclesiæ fastigium, ipso solo ex humilitate renuente. sed Dei voluntate approbante feliciter euectus est. Indutus ergo Præsulatus infulis, Catholicum gregem doctrinæ pabulis, Et hæricorum errores validissimis orationibus compescebat, suos, vt bona fruge vitæ terminos ordinarent; exteros, vt depositis vanis fabellis veritatem acciperent sempiternam. His, & aliis bonorum operum cumulis vitam Sanctissimus Pontifex agebat, cùm* Concilium *apud* Illiberim *Bætica vrbem indictum cognouit, in quo tot doctissimorum pariterque Sanctissimorum vota Virorum interfuère: inter quos decimum* Patricius Malacitanus *Episcopus locum est assequutus. Ibidem verò digestis aliquot, prout illa tempora permittebant, canonibus, dissoluto Concilio in propriam* Patricius *Sedem repedauit. Sed propter Synodi* Illiberitanæ *cœtum,* Diocletiani *perfidi Ministri furore conciti Sanctissimos quæritabant Episcopos, vt tanti facinoris horribilibus cruciatibus pœnas luentes, è* Hispaniæ *terminis exularent. Quod vt agnouit* Patricius *non vt agonem diffugeret, sed vt Dei placitum adimpleret, Sedem deserit,* Galliam *attingit, apud* Aruernos *sistit, vbi prædicator veritatis existens, opere, & verbis mirificam apud omnes gloriam comparabat. Denique vitam iniyt tantùm à carne abstractam, quantùm Deo vnitam, & Angelorum virtutibus conformem. Quousque Deo militem suum ad donatiuum emeritum euocante, diutina ægritudine maceratus, velut aurum in camino ignis probatum, vásque in gloriam per cœlaturam omni gemmarum decore adornatum, è corpore per diuersas tunsiones gloriosa incorruptioni* præparato, *animam purissimam, diuino viatico munitam, suum ad Principium (ad quod tandiu anhelauerat) feliciter remisit.* XVII. Kal. April. *circa annum* CCCVII.

Educatio

Malacitanus Episcopus eligitur.

Concilio Illiberitano interfuit.

Gallias adyt.

Moritur.

Non sanctum *Patricium* solùm Episcopum *Malacitanum* fuisse, vt ex subscriptionibus Concilij *Illiberitani* apparet, sed etiam ad *Aruernos* transmigrasse, ibidémque Euangelica semina eiecisse, & in illa Prouincia diem extremum peregisse, author est Luitprand. *aduersar.* 7. his verbis: *Sanctus* Patricius *qui celebratur* XVII. *Kal. April. non fuit Episcopus Aruernensis, sed* Malacitanus, *qui interfuit Concilio* Illiberitano, *post dum iret in Galliam, venit in Aruerniam, & illic obijt.* Ex quo venit declarandus locus Baronij *in Not. ad M. R. h. d. lit. I.* qui in Catalogo *Aruernensium* Præsulum apud *Democarem*, non inueniens quidquam memoriæ dignum, nec adhuc nomen *S. Patricij*, duo suspicatur, aut errore prætermissum, aut alterius Ecclesiæ Præsulem fatetur. *Miratus sum* (inquit) *hunc* (Patricium) *non recenseri in tabulis* Democharis *inter Episcopos* Aruernenses, *puto errore prætermissum: nisi* alterius *forsitan fuerit ciuitatis Episcopus.* En cuius, mi *Baroni.* Et idem dicendum est amico *Andreæ Saussayo*, qui vt retulimus propter actorum obscuritatem, nec dum pedem affixit in eius anamnesis enarratione. Demum in omnium Martyrologiorum elogiis,

Patritius minimè fuit Aruernorũ Episcopus.

Baronij, & Saussay attentio.

giis, nulliter niſi *depoſitio* aſſignatur, vt clarius eluceſcat, aduenam fuiſſe, non accolam, nec Epiſcopum. Hæc enim vox *depoſitio* in Martyrologiis,& Scriptoribus Eccleſiaſticis,hanc continet ſignificationem: quâ aut feſtum depoſitionis corporum Sanctorum extraneorũ refertur, aut obitus aduenarum Beatorũ conſignatur.

Depoſitio in Martyrologiis quid?

Quod Sanctus *Patricius* fuerit Epiſcopus *Malacitanus* extra *Luitprandi* ſententiam, *P. Martinus de Roa* verbis expreſſis profitetur, ſic: *Primus* Epiſcopus Malacitanus, *deque adeſt memoria in antiquis monumentis, eſt* Patricius, *qui interfuit Concilio Illiberitano.* Padilla *Hiſt. Eccleſ. Hiſp. tom.* 1. *cent.* 4. *c.* 35. *fol.* 212. hac clauſula *Patricius* (inquit) *Malacitanus Epiſcopus, qui primus huius Ciuitatis agnoſcitur, licèt non eſt credendum, quod cùm vrbs Malacitana fuiſſet omni tempore ex Hiſpania ciuitatibus inſignis, ad hoc vſque tempus ſine Præſule remaneret.* De Sancto *Patricio* adeſt Miſſa in Antiquo *Miſſali Placentino*, quæ de communi dicitur, præter ſequentes Orationes.

Epiſcopus Malacitanus fuit.

Miſſa in Miſſali peruetuſto Placentino.

ORATIO. I. DE S. PATRICIO. Epiſcopo Malacit.

DEVS *qui mirifica Beati* Patricij *prædicatione Aruernenſibus fidem Catholicam tribuiſti, tribue nobis quæſumus: vt eius meritis, & precibus ad te Rex Regum feliciter perueniamus. Per Dominum.*

SECRETA.

V*Ota Populi tui Domine* IESV CHRISTE *propitiatus intende, & Beatiſſimi, ac Glorioſiſſimi Serui tui Pontificis* Patricij, *cuius tribuis ſolemnia celebrare, fac gaudere ſuffragiis: per te Redemptor Mundi, Qui viuis, & regnas.*

POST CÕM.

D*Omine Deus Omnipotens, qui nos Corpore, & Sanguine filij tui Domini Noſtri* IESV *Chriſti ſatiare dignatus es: præſta quæſumus, vt Beati* Patricij *Confeſſoris tui, atque Pontificis, cuius in tuo ſancto nomine hodie ſolemnia celebramus, præſidiis adiuti, in regno beatitudinis tuæ in æternum gaudeamus. Per eundem.*

Annus mortis S. Patricij.

Quatenus ad Anni tranſitus numerum, ſatis colligitur ex *Dextro*, qui Sanctum *Felicianum* Epiſcopum *Malacitanum*, & apud *Mundam* Martyrem aſſignat, Anno CCC. VIII. his verbis: *Apud Mundam Ciuitatem Celtiberiæ Sanctus* Felicianus *Epiſcopus* Malacitanus, *& egregius Chriſti Martyr.* Ergo ſi *Felicianus* ſucceſſit *Patricio* à fortiori fatendum eſt, hoc eueniſſe poſt mortem *Patricij*, quam ab anno CCC. vſque ad CCC. VIII. Neceſſariò accidiſſe credendum eſt; nam *Patricius* anno CCC. interfuit *Illiberitano*, poſt remeauit ad Sedem, demum *Gallias*, & *Aruernos* inuiſit, prædicauit, & moritur: ergo tempus ſeptem ad minus annorum reſeruare factorum hæc copia expoſtulat; vt *Feliciano* annum & ſeptem menſes Præſulatus ab hoc die ad XX. Octobris, in quo *Felicianus* paſſus eſt, conſignemus. Quibus cætera ſine dubio perſiſtunt.

Quo anno illi ſucceſſit S. Felicianus.

Corgraphia.

MALACA. Ciuitas eſt *Hiſpaniæ Bæticæ* antiqua, hodie MALAGA. in ora maritima ad *Salduba* amnis oſtium. Elegans, egregiè munita cum arce in colle vicino firmiſſima. Emporium regionis finitimæ, vbi Regium Armamentum. Media eſt inter Granatam, & Calpem XIX. M.P. Hiſpanicos diſtans. A Toleto ad Auſtrum LXXXV, ab Hiſpali ad Eurum XXVIII. à Corduba in Meridiem XXII. M. P. Hiſpanicos abeſt. Petr. Ant. Beut. Petr. de Medina, & Didac. Perez de Meſa relati à P. Roa *in Hiſt. Malacit. c.* 1. contendunt *Malacam* fuiſſe *Menacam*, quod nomen illi impoſuerunt *Græci Phocenſes*, qui Galliam, in qua Maſſiliam, & Hiſpaniam;

Olim Menaca à Phocenſibus condita.

niam, in qua *Menacam* condiderunt, perlustrantes, harum Prouinciarum terminos inuiserunt. Horum opinio solidatur ex *Ruffi Festi Auieni* carminibus, sic:

Malacæ *quæ flumen vrbe cum cognomine.*
Menace *priore, quæ vocata sæculo.*

Contrarium suspicatur Strab. *lib.* 3. *Geograph.* sic: *In hac ora prima vrbs est* Malaca, *tanto à Calpe, quantum ab hac Gades, interuallo: ea habet emporium, quo vtuntur, qui in opposito littore viuunt, multùmque ibi efficitur Salsamenti. Sunt qui hanc eandem putant cum* Mænaca, *quam vltimam Phocæorum, versùs Occasum ciuitatem accepimus, sed errant: nam* Mænacæ *longiùs à Calpe dissita, atque euersæ rudera Græcanicæ vrbis vestigia retinent.* Malaca *magis ad Punicæ formam accedit. Ex quo nec* Mænaca, *eadem quæ*, Malaca, *nec illa Græcos Phocenses habuit Conditores.* Alij illam confundunt cum *Salduba*, vt Mar. Aret. *Dial. Hisp.* sic: *Post* Malaca, *&* Salduba, *de qua cum Ptolomæo coniector, quod* Malaca *tunc situabatur, vbi nunc* Moduca, *& quo vbi nunc est* Malaca, *fuit tunc* Salduba *cum flumine confœderatorum, cuius &* Salduba *nomen erat.* Sed hæc *Aretij* coniectatio à vero deuiat. Plin. *lib.* 3. *c.* 1. hunc nodum dissoluit, sic: *Dein littore interno oppidum Barbesula cum flumine. Item* Salduba *oppidum, Suel,* Malaca *cum fluuio fœderatorum* Nec huic opinioni obstat emendatio Chifflet. *n.* 16. *ad Plin.* qui loco *Suel*, appingit: *item* Salduba *oppidum, siue* Malaca; taliter quod *Malacam*, & *Saldubam* vnam eandemque vrbem faciat; quia Pompon. Mel. *in Geograph. lib.* 2. *c.* 6. tanquam *Hispanus* emendationem *Chiffletij* conuincit, sic: *Extra Abdera, Suel, Hexi, Menoba,* Malaca, Salduba, *Lacippo, Berbesul.* En nominum diuersitas, & quod *Suel*, perperam in *Siuè* mutauit. Fuit enim *Suel* oppidum non dictio, vt emendauit *Chiffletianus*, quod vt agnoscat, & aliis errandi occasionem non præbeat, Aliquibus extra relatis, antiquitatis monumentis comprobabimus. Martial. *lib* 4. *epig.* 55. in Cod. Diuers. & in P. Rader. *epig.* 62. referens aliquas Hispaniæ vrbes, ait:

A Punis condita ex Strabone.

An Salduba?

Chiffletij error.

Suel Oppidum.

Et certos iaculo leui Silaos.

Quam lectionem reprobat *Domitius* in eius notis, & loco *Silaos* reponendum esse *Suelos.* Quod & duplici L L. emendauit Raderus, sic:

Locus Martialis corruptus, restituitur.

Et certos iaculo leui Suellos.

Et prosequitur dicens: *Suellum, vel Suelum oppidum Hispaniæ.* Quod probatur ex Flau. Dextr. *Ann.* 85. *n.* 10. Florebat per id tempus in Hispania Cohors Celtiberorum, quæ nunc est Brigantij. *Hæc habet* Suellos *iaculatores, ex Oppido nunc* Suello *in Celtiberia, corrupto quidem vocabulo desumpto ab ipsis* Suellis *iaculatoribus.* & *Ann.* 430. sic: *Cohortium, quæ in Hispania sunt præstantissima, hoc tempore Celtiberorum censetur, sedetque Brigantij habet* Suellos *iaculatores.* En vrbs Nomine *Suel*, siue *Suellum*, & licet ex *Dextro* in Celtiberia credamus, attamen *P. Roa*, huic occurrit difficultati *cap.* 3. *Malacæ.* in confirmationem prædictorum; & quod *Suel* fuit in *Bætica*, hoc peruetustum marmoris trophæum refert, quod inuisitur in Castello *de Fuengirola*, quo creditur fuisse *Suel.*

Inscriptio ne probatur.

NEPTVNO AVG.
SACRVM.
L. IVNIVS. PVTEOLANVS.
VI. VIR. AVGVST.
IN MVNICIPIO. SVELITANO.
DD. PRIMVS. ET PERPETVVS.
OMNIBVS HONORIBVS.
QVOS LIBERTIN. GEN.
POTVERVNT HONORATVS
EPVLO DATO
D. S. P. D. D.

En *Chiffletiani* error expressus; cætera quæ ad *Malacam* attinet suis in locis interseremus, nam hîc dicta sufficiant.

SEXTO

SEXTODECIMO KAL. APRILIS.

DIES XVII.

A. S. Ioſeph. ab Arimathia *Nobilis Decurio, Domini diſcipulus, B. comitatur in Hiſpaniam* Iacobum, *ibidémque per* Carpetaniam, Luſitaniam, *&* Celtiberiam *Euangelium prædicat, ex quo confeſtim à S. Apoſtolo Epiſcopus conſecratur.*

B. Verouiſcæ *in Celtiberia Hiſpaniæ* S. Maria, *cognomento* Ancilla *Iuliano crudeliſsimo Apoſtata Imp. pro Chriſti fide comprehenſa intráque ſaxi hiatum anguſtum incluſa martyrio coronatur.*

C. *Romæ* Sanctus Alexander *Martyr, qui cum* Theodoro *agonem conſummauit, & à Sergio Iuniori Papa, eius corpus tranſlatum, & poſt apud Matritum allatum, vbi in Conuentu* S. Bernardini *fratrum excalceatorum S. Franciſci, in Capella* D. Martini de Cordoba *honore debito adſeruatur.*

NOTÆ.

A. SANCTVS IOSEPH ab Arimathia.] Huius nobilis Decurionis memoria ineſt in Sacris Euangeliſtarum hiſtoriis *Matth. c.27.* Marc. c.15. Luc. c.23. Ioann. c.19. In quibus de affectu, quo Chriſtum proſequebatur, inuenies. Eius tranſitum Hieroſolymis hoc die, deſcribunt Martyrologia, inter quos *Romanum*, hiſce verbis: *Hieroſolymis Sancti* Ioſeph ab Arimathia, *nobilis Decurionis, diſcipuli Domini, qui eius corpus de Cruce depoſitum in Monumento ſuo nouo ſepeliuit.* Hic Sanctiſſimus Vir vt ex *Dextro* noſtro liquet, cum *Lazaro, Magdalena,* & *Martha* fratribus, *Marcella,* & *Maximino* ab Iudæis in nauigio expellitur, ſic in Chron. Ann.48. num.1. *Hieroſolymitani Iudæi vehementer infenſi B. Lazaro, Magdalenæ, Marthæ, Marcellæ, Maximino,* Ioſepho ab Arimathia *Nobili Decurioni, & aliis plurimis; naui ſine remigio, veliſque, ac ſine gubernatore eos imponunt, & exulare mandant; Qui per vaſtum mare diuinitus delati, ad* Maſſilienſem *portum diuinitus incolumes appellunt.* Non eſt audiendus, imo reiiciendus Petr. de Natalib. *in Catal. SS. lib.4. cap.2.* qui ſine authoritate canonica, aſſerit: *Quod indignati Iudæi ipſum* (Ioſephum) *ceperunt, & in quodam cubiculo clauſo, & ſigillato recluſerunt, poſt Sabbathum occidere cogitantes. Et ecce Ieſus die reſurrectionis ad eum intrauit, & faciem eius à lachrymis exterſit, & oſculum dedit, & ſuſpenſa domo, à quatuor Angelis in aera eductum, & in Arimathia in propria domo collocauit. Et cum* Ioſeph *poſt aſcenſionem Domini à diſcipulis* *Equilini error.*

baptizatus

baptizatus fuisset, & Christum cum eis prædicaret, à Iudæis iterum captus, in quodam muro inclusus est, vt ibi fame, & in tenebris interiret. Cùm verò Hierusalem à Tito Imperatore capta & destructa esset, videns ipsum murum Titus aperiri fecit, & Ioseph veneranda canicie, & adspectu glorioso introclusum inuenit, & quis esset; aut cuius rei causa ibi inclusus fuisset, ab eo audiuit, addiditque, quòd à die, qua intromissus fuit ibidem, vsque tunc, cælesti fuerat cibo refectus, & diuino lumine confortatus. Qui post captam Hierusalem cum discipulis omni tempore vitæ suæ permansit, & in senectute bona in Domino quieuit. Nam primo *Equilinus* vtitur minus approbatis authoribus, secundo *Egesippus*, qui hanc *Hierusalem* vastationem scripsit nulliter tàm singularis rei meminit. Tertiò quia si hoc esset verum destrueretur totius Angliæ historiæ compago, qua asseritur *S. Ioseph ab Arimathia* fuisse primum Angliæ Apostolum, vt ex Papir. Masso. *lib. 2. in vit. Carol. Simpl.* Polyd. Virgil. *Hist. Angl. lib. 2.* affirmat Thom. Boz. *de sign. Eccles. tom. 1. lib. 4. sign. 6. cap. 1.* hisce verbis. *Gallijs adiacet angusto mari diuisa Britannia, ad hanc dicitur appulisse primus* Ioseph ab Arimathia *ciuitate, Christianaque religionis semina sparsisse.* Noster Iulian. Archipresb. Toletan. *Aduers. 55.* sic: *Quod beneficium collatum est etiam præsente* Ioseph ab Arimathia, *templo* Glasconensi (*in Anglia*) *vt ex Historijs, & priuilegijs Regum Anglorum, ad Enrricum I. constat.* Ergo perperam *Equilinus* S. Ioseph vitæ curriculum cum discipulis expleuisse. Sed vt clarius eius errorem agnoscamus; de ipsius in Hispaniam aduentu, & prædicatione; Nostrum Iulianum audiamus, in *Aduers. 54.* sic: *Authores habeo, qui constanter adseuerant, inter comites quos secum tulit in Hispaniam Sanctus Iacobus, aduexisse Sanctum* Iosephum ab Arimathia, *qui in Carpetania, Celtiberia, Lusitaniáque miraculis editis, in varijs linguis prædicauit. A B. Iacobo, & alijs Episcopis creatus est Episcopus, & cum* S. Iacobo *rediyt in Iudæam, interfuit morti Sancti* Iacobi, *& post octo circiter annos in Iudæa prædicatione positos*, Galliam *petijt cum Maximino, Lazaro, Martha, & Maria, & alijs in naui sine remigio.* En conuenientia cum Dextro, vt facilius *Equilini* lapsum diffugias. De hac prædicatione *S. Ioseph.* agit Portocarrer. *in Hist. Manlian. tom. 1. cap. 14.* P. Biu. *ad Dextr. Ann. 48. num. 1.* qui licèt illustrans *Dextri* locum supra relatum, non incidat in verba Baronij, *Annal. Eccles. tom. 1. Ann. 35. num. 5. fol.* 251. in Impress. Rom. sic: *Hoc quoque tempore Lazarum, Mariam Magdalenam, Martham, & Marcellam pedissequam, in quos Iudæi maiori odio exardescebant, non tantum Hierosolymis pulsos esse, sed vna cum Maximino discipulo, naui absque remigio impositos in certum periculum mari fuisse creditos, quos diuina prouidentia Massiliam tradunt appulisse, comitémque ferunt eiusdem discriminis* Iosephum ab Arimathæa *nobilem Decurionem, quem tradunt ex Gallia in Britanniam nauigasse.* In cuius confirmationem allegat MS. Historiam Angliæ, quæ habetur in Vaticana Bibliotheca. Quæ authoritate illustrantur *Dextri*, & *Iuliani* scripta, & confirmatur eorum opinio aduersus *Equilini* commentum. Quod licèt de prima reclusione à Iudæis facta authorem habeat S. Gregorium Turonens. *in Histor. Franc. lib. 1. cap. 21.* hisce verbis: *Apprehensus autem &* Ioseph, *qui IESVM aromatibus conditum in suo monumento recondidit; in cellulam includitur, & ab ipsis Sacerdotum Principibus custoditur, maiorem in eum habentes sæuitiam (vt gesta Pilati ad Tiberium Imperat. missa referunt) quàm in ipsum Dominum: vt eum ille à militibus, hic ab ipsis Sacerdotibus custodiretur: sed resurgente Domino, custodibus visione Angelica territis, cùm non inueniretur in tumulo; nocte parietes de cellula, in qua* Ioseph *tenebatur, suspenduntur in sublimi: ipse verò de custodia, absoluente Angelo, liberatur, parietibus restitutis in locum suum. Cùmque Pontifices custodibus exprobrarent, & functum corpus ab eisdem instanter requirerent, dicunt eis milites:* Reddite vos *Ioseph*, & nos reddemus *Christum:* sed vt verum cognouimus, neque vos benefactorem Dei, neque nos filium Dei reddere nunc valemus. *Tunc illis confusis, milites sub hac excusatione liberantur.* Attamen qualem fidem apud authores hæc habeat ecphrasis, Baronium adeat *Ann. 34. num. 191. fol. 203.* His sic intellectis, ex sacra Historia, & aliis tam nostris, quàm exteris authoribus eius acta breuiter compaginabimus.

Conuincitur I.

II. ex taciturnitate Egesippi.

III. ex Historijs Anglicis.

IV. ex traditione Hispaniæ.

Turonensis opinio Equilin. non adiuuat, quia ille tempore resurrectionis Iosephum ab Angelo solutum refert.

ACTA S. IOSEPHI AB ARIMATHÆA DECVRIONIS, Diſcipuli S. Iacobi Hiſpaniarum Apoſtoli; ex variis.

Origo. IOSEPH *ab* Arimathæa *vrbe* Galilææ *ex nobiliſsimo Iudaeorum ſanguine ortus, poſt primos infantiæ flores vitam moralibus, & ſacris inſtitutis ſecundùm Dei placitum degebat.* *Dignitas.* *Nam cùm eſſet diues &* Decurio *nobilis apud Hieroſolymam diuerſabatur, tempore quo* D. N. Ieſus Chriſtus *prædicationis munus peragebat. Quem cùm audiſſet, & in corde, Domini verba meditaretur, & oculis opera ipſius admiraretur, ſpe futuræ gloriæ, & æternæ vitæ, quam Dominus in ſe credentibus ſpondebat, eius diſcipulus licèt occultus propter metum Iudaeorum effectus eſt.* *Diſcipulus ſecretus Chriſti.* *At illorum recrudeſcente inuidia, nam omnes ſigna quæ faciebat Ieſus intuebantur, congregato concilio, vt morti traderetur concors ipſorum opinio decreta eſt. Cui nulliter* Ioſeph *accedere & iuſtitia permiſit, & inuidia valuit.* *Impium Iudaeorum cõſilium deteſtatur.* *Ergo vt veterum Vatum complerentur Oracula, à diſcipulo Chriſtus traditur, à Pontificibus condemnatur, à Iudæis illuditur, cum iniquis crucifigitur, moritur.*

——Valida ſed feruidus haſta
Miles erat, qui dulce IESV *latus hauſit apertum:*
Extemplò tali fluxit de vulnere ſanguis
Mixtus aqua. Obſtupuêre omnes, miratus & ipſe
Eſt Miles, veniámque ſui petit ille reatus.
Corpus Domini de Cruce deponit. *Talibus infandum exactis, Vir Sanguine claro*
Diues opum Ioſeph, *vrbíſque* Arimathidis *ortus.*
Proceſsit, corpúſque IESV, *tradente Pilato*
Suſcipit, atque humilis mœſtos inſtaurat honores.
Inſtat, & vnà operi Nicodemus, *triſtis, & vnà*
Illachrymans funus properat, Sanctique Magiſtri
Vulnera ſæua lauant, dehinc oſcula dulcia figunt.
Aſt alij niueo inuoluunt velàmine, talem
Seruabant ritum veteres, condúntque ſepulchro.

Hortatu B. V. MARIÆ *Hanc è cruce Chriſti Domini depoſitionem hortatu Deiparæ Virginis fuiſſe factam (ſunt qui dicant) audacter à Ioſepho. Qui ſepulchrali officio peracto,* Arimathiam *diuertens ibidem morabatur, cùm primùm fidem, & baptiſma ſuſcepiſſet à* B. Petro *Apoſtolorum Principe, vnà cum Marcello, & Elizabeth nobiliſsimis Iudæis, Martiali eorum filio, & Zacchæo; donec* *Baptizatur à Petro.* Iacobo Zebedæi *filio adhærens, in* Hiſpaniam *comitatur, à quo Epiſcopus conſecratus* Carpetaniam, Celtiberiam, *&* Luſitaniam *perluſtrat, verbum Dei diſſeminat, & iterum* Hieroſolymam *cum* Sancto Apoſtolo *remeans, eius interfuit martyrio.* *Iacobo adhæret. Hiſpanias luſtrat.* *Poſt cùm offenſus eſſet Iudæis cum Maximino, Lazaro, Magdalena, Martha, Marcella, & aliis in naui ſine remigio incluſus, Maſsiliam in Gallia diuinitus incolumis appulſus,* Britanniam *transfretat, ibidémque Chriſtum prædicans, glorioſo fine quieuit.* *Moritur.* XVI. *Kal.* Aprilis.

Ioſeph corpus Domini à cruce deponi hortatu B. Virginis expetijt à Pilato. Iſtam actorum *S. Ioſephi* ecphraſim, ferè nihil à ſuprà relatis differre conſentaneum eſt, quia vt dixi ex ſacræ paginæ meditullio, & ex probatis authoribus deſumptam fuiſſe, non eſt qui ambigat. Tantùm (vt nihilum ſine authoritate dicamus) illud de hortatu Virginis Matris, vt filij corpus ſanctiſſimum deponeretur, probemus. Metaphraſt. 15. *Auguſt.* relatus à Baron. *Ann.* 34. *n.* 132. ſic: Ioſephum

sephum *adhuc occultum discipulum propter metum Iudæorum, & timentem illos, hortatu tamen* Deiparæ, *grande opus, ac plane arduum, aggressum esse, & omni excussa formidine, audacter introisse (vt ait Euangelista) ad* Pilatum, *ac petiisse corpus* Iesu. De ipsa depositione (præter relatam, quam *VVolphang. Lat. ex Veteri MS.* membrana ante opera *Abdiæ Babylon. Hist. Apostol.* prælo dare curauit, Basileæ, ann. 1551.) adest altera descriptio apud Nostrum *B. Iuuencum* Cæsarobrigensem *lib.* 4. *Euangel. Histor.* his carminibus:

Iosephi Christi corpus è Cruce deponentis descriptio.

Iamque recedenti vesper succedere Soli.
Cœperat, & Procerum solus tunc iustior audet
Corpus ad extremum munus depos cere Christi:
Hic ab Arimathea, *nomen gestabat* Ioseph,
Qui quondam verbis aures præbebat IESV.
Pilatum *tunc iste rogat sibi cedere membra,*
Queis nuper tulerat vitam vis horrida pœna.
Concessit Præses, sed corpus fulgida lino
Texta tegunt, Saxique nouo componitur antro

P. Emanuel Pimenta Lusitan. è Societ. Iesu, *tom.* 1. *Suor. Poëmat. lib.* 5 de Christo D. N. passo *Epigr.* 59. ad S. *Iosephum*, & socium *Nicomedem* alloquens, Christum è cruce deponentes, his verè tenerrimis affatur deuotissimus Pater carminibus, quæ vt erudita, & casui accommodata, recenseo.

Alia pijssima.

Quàm bene nobilitas lachrymosa in morte laborat!
Quàm pia dat lachrymas! quàm pia perdit opes!
Nobilitant lachrymæ pretiosa vnguenta: supremum
Illa oculo pretium delachrymante ferunt.
Taliter expensæ Supremi in funere Regis,
Non amittuntur, nobilitantur opes.
Ambo laboratis, summósque refertis honores:
Fert pietas summum, per pia facta, decus.
Æternùm cupitis si nobilitare labores;
Sit pius adiuncta nobilitate labor.

Idem deuotissimus *Pater*, mente concipiens, quot *Ioseph* Noster lachrymas, inuisens vulnera in Magistri corpus, effuderit, illum sic Domini vulnera alloquentem, eod. *lib.* 5. *epig.* 60. introducit.

Item alia

Non ego delicias, non regna, nec æthera posco:
Vulneribus cupio ditior esse tuis.
De tot vulneribus, quòt hiantia pectora rumpunt,
Et caput augustum, pectora, terga, latus,
Reddere mille potes mihi vulnera Christe, manebunt
Millia multa, sacrum quæ male corpus arant.
Militis intactum non est bene corpus; ab hoste
Multa Ducis, quando vulnera pectus habet.
Si benè quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
Dulce meum: meritis vulnera redde meis.
Vtere iustitiâ, vel vulnera redde merenti,

Vel mea vulneribus vulnera iunge tuis.

Euxodia Imperatrix *Theodosij* iunioris vxor, eximiis dotibus corporis, & animi insignis, Sacrorum voluminum studiosa, & poëticæ artis gloria, inter omnes sui temporis Poëtas præcipua, collegit breuiter ad imitationem *Probæ Falconiæ* ex Græcis *Homeri* carminibus admirabili industria plurimas vtriusque testamenti historias, seruatâ pedum mensurâ, & Homerici carminis maiestate. Quod Opus *Homero-Cent.* attitulauit, in Carm. 49. & 50. sic depositionem Christi, & sepulturam describit.

Alia Eudoxia.

Hunc igitur postea subeuntes duo coniuncti Socij.
Deposuere in lectis: amici autem circumstetere Socij
Lugentes, mollis autem destillabat lachryma genis.
In lectis autem ponentes, veste tenui texerunt
Ad pedes à capite, desuper autem pallio candido.
Vulnera autem implerunt vnguento nouenni.
Circunscripserunt autem monumentum, fundamentáq; iecerunt,
Sic hi promptè cadauer ferebant, verùm desuper
Manibus magnum lapidem tollentes, apposuerunt
Validum:

Hieronymus Vida Episcopus Albæ Cremonensis in aureo libello, cuius Lemma *Christiados* insignitur, in princip. *lib.6.* sic de hac *Iosephi* depositione, aliquibus interiectis cecinit carminibus.

Altera Vida.

Iamque nigrescenti properabat vesper Olympo:
Corpora adhuc stabant inhumata, infletáque caño
Vertice, stipitibúsque, etiam nunc fixa manebant.
Talia Iosephus *veniens Arimathide ab ora*
Non tulit, egregiúsque animi, præstánsque iuuenta,
Et bellis assuetus, agri ditissimus idem
Atque auri. Is Christi miratus maxima facta
Addiderat comitem modò se quocumque vocaret.
Ergo dum Syluis alij formidine turpi
Speluncisque vagi passim conduntur in altis;
Protinus ipse animi intrepidus, fretúsque iuuenta
Aggreditur gentis rectorem, ac cedere corpus
Exposcit, sociis casus solamen acerbis.
Pontius hac contra ait tunc; Ite Sepulchro
Muneribúsque pij exanimum decorate supremis.
Tunc sese in medios Arimathes vrbis alumnus
Infert, conscenditque trabem, atque exangue Magistri.
Detrahit, & densis procul aufert corpus ab armis,
Veste tegens, modò quam tales mercatus in vsus.
Pars calidis corpúsque lauant, & vulnera limphis,
Textilibus membra inuoluunt pars squalida donis.
Hæc siccat fuso rorantia genua capillo.

Vulneribus

Vulneribus super accumbens, hærénsque cruentis.
Oscula dat manibus, pedibúsque rigentibus, illa,
Indulgent omnes lachrymis, tristíque vlulatu
Cuncta replent, vix inde viri diuellere possunt,
Ipsi etiam guttis humentes grandibus ora.
Tum corpus miseras solati, exangue sepulchro
Condunt marmoreo, atque affati extrema recedunt,
Et magnam comites Genitricem in tecta reportant.

At quia in hisce carminibus, & in aliis supra relatis aliquos Poëtæ Christiani inferunt ritus in Domini sepultura à *Iosepho* obseruatos, & *Ioann. c.* 19. asserat *Iosephum*, & *Nicodemum* venisse ferentes mixturam myrrhæ, & Aloës, quasi libras centum, & accepto corpore *Iesu*, ligauerunt illud linteis cum aromatibus; *sicut mos est Iudæis sepelire*: operæ pretium duxi, hos in sepultura Iudæorum ritus aliquibus illustrare sacræ & prophanæ eruditionis periodis. Quod vt facilius intelligatur, quadripartitam offerimus thesim. I. est de lotione Corporum, & vnctione. II. de Sudario. III. De Ministris an viris, an mulieribus. IV. de loco sepulturæ in genere, & præcipuè damnatorum. *Quatuor ritus obseruabant Iudæi in sepeliendis defunctis.*

De lotione (vt sacris detur primus locus) expressus est textus relatus *Ioann. c.* 19. Cui adstipulatur S. Ioann. Chrisost. *Homil.* 84. in Ioann. sic: *Mihi videtur nobilissimum fuisse* Ioseph, *quod ex sepulchro constat, & Pilato erat notus; quare impetrauit, & sepeliuit* Iesum, *non vt reum, sed magnificè* secundum Iudæorum consuetudinem. *Cum adhuc tempore vrgerentur, hora enim nona mortuus fuerat, & dum peteret eum à Pilato, & dum* lauarent *iam vespera aduenerat*. Epiphan. *Homil. de Sepult. Dom.* qui in hunc modum *Iosephum ab Arimathia* alloquitur: *Anne aqua Dei illius corpus abluis, qui omnes à peccatis abluit, & expiauit, omnibúsque puritatem tribuit?* De prophanis patet ex Euripide, interpretat. I. Gulielmi, sic: *I. Lotio corporis seu cadaueris.*

Ipse ad sororem eo Iocastam, vt abluat
Cadauer illa filij, atque collocet.

Apuleius *lib.* 8. Metamorph. sic: *Tunc properè familiares, misera Charites, accuratissimè corpus ablutum sepultura ibidem, marito perpetuam coniugem reddidère.* De hoc videndi sunt Ælian. *lib.* 4. *Var. Histor. c.* 1. Tertul. *in Apolog. c.* 42. Gretser. *lib.* 1. *de fun. Christ. c.* 1. Ioann. Kirchman. *de funer. Rom. lib.* 1. *c.* 7. Alex. ab Alex. *lib.* 3. *Genial. c.* 7. vbi Tiraquel. Causas huius moris adducit Gretser. *d. lib.* 1. *cap.* 2. his verbis: *Vna eáque non ex infimis fuisse videtur, vt corpus vnctioni mox secuturæ aptius foret, nam quæ vngi debent, præsertim magni pretij aromatis, ea priùs purgari oportet, vt quò mundius est corpus, eò vnguentum in corporis meatus faciliùs illabatur, & puriorem odorem exhalet.* De Vnctione nunc quæ post lotionem sequebatur. *Ioann. d. c.* 19. Et accepto corpore IESV ligauerunt illud linteis cum aromatibus: Item Ioan. *c.* 12. Math. *c.* 26. in Magdalena vngente pedes Domini. S. Epiphan. vbi supra, *Iosephum ab Arimathia* in Domini sepultura implicatum alloquens, sic: *Nunquid vnguenta illi depromis, & effundis, qui se totum exinaniuit, Sanctíque Spiritus vnctione vniuersum mundum sanctificauit?* Prudentius Noster *in Hymno de Epiphania Domini*, in Muneribus Regum, sic: *De Vnctione cum aromatibus.*

Regem Deúmque annuntiant
Thesaurus, & fragrans odor
Thuris Sabæi, ac myrrheus
Puluis, sepulchrum prædocent.

Quæ carmina ad nostrum propositum explicat S. Greg. *in Homil. In Euangel. de Epiphan* hisce mysticis verbis: *Aurum Regi congruit, thus verò in Dei sacrificium ponitur, myrrhâ autem Mortuorum Corpora condiuntur. Eum ergo Magi, quem adorant, etiam mysticis muneribus prædicant, auro Regem, thure Deum, myrrhâ Mortalem.*

Ex prophanis *Cornel. Tacit.* in Annal. ſic : *Iudaeos corpora condere, quam cremare è more Ægyptio.* Strab. *lib.* 16. Geograph. ſic : *Ægyptij bitumine ad mortuorum conditurās vtuntur, à quibus* Iudæi *ſibi aſciuerunt.* Petr. Bellon. *de Medicat. Funer. lib.* 2. *c.* 1. ſic : Iudæi *in condiendis cadaueribus Aſphalto, ſiue bitumine liquido vtuntur, quod Sodomæorum mari legitur.* Lepidè Martialis *lib.* 3. *epigram.* 12. Fabullum carpit, &(vt D. D. Laurent. Ramirez) ſalsâ irriſione conuiuas, Fabulli mortuis comparat, qui inunguntur, & non cœnant. ſic :

Vnguentum fateor bonum dediſti
Conuiuis here : ſed nihil ſcidiſti.
Res ſalſa eſt bene olere, & eſurire.
Qui non cœnat, & vngitur (Fabulle)
Hic verè mihi mortuus videtur.

Cauſſa huius vnctionis duplex fuit, alia apud *Ethnicos*. alia apud *Iudaeos.* Iſti vt corpora animæ iam exortia diutius à corruptione conſeruarentur. Hinc (ait Gretſer. *lib.* 1. *c.* 4.) ea præcipuè vnguenta adhibita ſunt, quæ hac vi præſeruatrice prædita erant, in quibus myrrha, veterum ſcriptis, non ſemel ob hanc dotem deprædicata. Illi vt corpora vncta celeriùs arderent, ex Donat. *in not. ad Virgil. lib.* 6. *Æneidos.* de Funere Miſſeni. verſ. *Pars calidos latices.* Licet Lucian. *de Luct.* vt fœtor à corpore mortuo arceretur, oſtendat.

II. Sudarium mortuis cur inferebatur.

II. Quòd ad *Sudarium* attinet, in Euangelica hiſtoria adſunt teſtes : *Ligauerunt illud linteis.* Ioann. 19. *Ioſeph autem mercatus ſindonem, & deponens eum inuoluit ſindone.* Marc. *c.* 15. Math. *c.* 27. Luc. *c.* 23. *Cum ſe inclinaſſet* (inquit Ioan. *c.* 20. de ſe ipſo) *vidit linteamina poſita, &* Sudarium, *quod fuerat ſuper caput eius.* Iuuenc. Noſter *lib.* 4. *Euangel. Hiſt.* in reſurrect. Lazari, ex Ioann. *c.* 11.

Nec mora : connexis manibus, pedibúſque repente
Procedit tumulo : vultum cui linea *texta,*
Et totum gracilis connectit faſcia corpus.

Imperatrix *Eudoxia* in *Cent.-Homer.* loco ſuperius relato, in *Carm.* 49. quo de ſepulchrali luctu agit, ſic :

In lectis autem ponentes, veſte *tenui texerunt,*
Ad pedes à capite ; deſuper autem pallio *candido.*

Ex prophanis Plutarch. *in Arato* ad fin. *Continuò* (inquit *ex Ægeo cadauer albo* amictu, *coroniſque exornantes cum Paeana, & Choris in vrbem intulerunt.* Apulei. *lib.* 10. Metamorph. ſic : *Atque, vt erat adhuc feralibus* amiculus *adstrictus, atque obditus portatur ad iudicium puer.* Homer. *lib.* 18. *Iliad.* de Patrocli funere :

In lectis autem imponentes tenui panno *operuerunt*
In pedes ex capite, deſuper amictu *albo.*

Idem Homerus *Odiſſ. lib.* 2. introducit Penelopem de Morte Vlyſſis lamentantem, his ad Procos verſibus ſingultiebatur :

Iuuenes mei Proci poſtquam mortuus eſt diuinus Vlyſſes
Suſtinete vrgentes meas nuptias : donec linteum
Perſero (ne mihi fila vana pereant)
Laerti Heroi pollinctum, quando tandem ipſum
Fatum malum prehenderit, aſpera mortis
Ne aliqua me in populo mulierum Græcárum culpet,
Siquidem abſque tegumento *iacuerit multa poſſidens.*

III. Lotio, vnctio, & li-

III. A quibus hæc tria officioſa, & pia munera fiebant, ſciendum eſt P. Iacob. Gretſer. *d. lib.* 1. *c.* 2. Munus *hoc* (ait) *lauandi, vngendi, & ligandi* corpora plerumque obibant *mulieres.* Kirchman. *lib.* 1. *c.* 9. *de funer. Rom.* huius muneris

curam

curam ad *mulieres* pertinuisse ex Muret. *lib.* 3. *var. lect. c.* 19. contendit, vbi plura. Sed eorum salua pace, contrarium est verius apud *Iudæos*, inter quos Viri viris, fœminæ fœminis, hæc obibant munera, vt ex Rabbi Iacob, *in Turim Iore Degha. c.*352. prout *Rabbi Moyses* Ægyptius meminit, apud Baron. *tom.* 1. *Annal. Eccles. Ann.* 34. *n.*135. in hæc verba: *Nimirum* viros *virorum*, *& fœminas fœminarum curare consueuisse Cadauera, in hunc scilicet modum: oculos in primis, & ora claudere defuncto, ac stringere fascia, tondere capillos, corpus lauare, vnguentis vngere, hisque delibutum cadauer obuoluere linteis, sicque curatum ponere in sepulchro.* Quod & patet ex ipso Euangelico textu Ioann. *c.* 19. sæpius repetito; nam loquens de *Iosepho*, & Nicodemo, asserit, *ipsos tulisse Corpus Iesu, illudque ligasse, aromatibusque condidisse, vt mos erat apud Iudæos.* Quod si fœminis pertinuisse ex *Gretsero*, & *Kirchmano*, credendum est, nulliter *Iosepho*, & *Nicodemo* permissum esset; eo magis in Christi Domini corpore. Et licèt temporibus successiuis inter fidei cultores hoc fœminas obiisse munus ex locis à *Gretsero* adlatis appareat, credendum est euenisse, non ex deductione moris *Iudæorum*, sed ex honestate Christiana.

gatio quæ mortuis fiebant, à quibus personis?

IV. & vltima inuestigatio, vt ritibus hisce finem demus (plurima alia silentio obuoluimus) & ne legentes tædio afficiamus, erit de *Loco*, quo sepulchra apud Iudæos erigebantur in genere, & indiuidualiter, si damnatorum corpora (vt apud omnes, & apud nos) aliquo separato includebantur cæmeterio. Ad quod sciendum est, inter omnes nationes fuisse discrimen nobilium, & plebeiorum, vt apud Kirchman. *lib.* 2. *de fun. Rom. c.*25. apparet, quem qui velit adeat. Hoc idem fuisse apud *Hebræos* manifestè deducitur ex *lib.*4. *Reg. c.*23. de Iosia Rege demoliente idola, quæ in templum Dei irrepserant: *Et efferri fecit* (inquit textus) *lucum de Domo Domini foras* Hierusalem *in conualle* Cedron, *& combussit eum ibi, & redegit in puluerem, & proiecit super sepulchra vulgi.* Elegans locus Hieremiæ. *c.*26. *Et eduxerunt* (ait) *Vriam de Ægypto, & adduxerunt eum ad Regem Ioacim, & percussit eum gladio, & proiecit cadauer eius in sepulchris vulgi ignobilis.* Hæc de ignobilibus vulgi sepulturis; nunc de Proceribus, & Regibus. De his, 2. *Reg.* 26. *Dormiuitque Ozias* (refert Chronicon) *cum patribus suis, & sepelierunt eum in agro Regalium sepulchrorum.* De Proceribus, Ioann. *cap.* 11. in monumento Lazari, & omnes Euangelistæ in Sarcophago nouo Iosephi nostri, debitum soluant. Ex quibus apparebit discrimen sepulchrorum in genere Iudæorum. Nunc de sepulchris damnatorum specificè quæstio manet? His ergo omnia penitus aberant, cum maledictioni legis obnoxij essent, vt asserit Baron. *vbi proximè n.*136. Sed licèt Domini mors, tot opprobriis onusta, tot dedecoribus publica conspicitur, attamen quatenus ad sepulturam attinet, omnium fuit circunducta fulgoribus, illustrium adest compacta muneribus, & ideò S. Ioann. Chrysost. *hom.*84. *de sepult. Domin.* expressit, & dixit: *Quare impetrauit* (Ioseph) *& sepeliuit* Iesvm, non vt reum, *sed* magnificè *secundùm Iudæorum consuetudinem.* Inter prophanos itidem locus erat consignatus, in quo scelerarorum, seu vilium cadauera proiiciebantur, qui *Sestertius* vocabatur. En apud Commentarorem Horatij, vt *Crisquius* edidit, & *Lipsius* emendauit, pulchra periodus. *Exquilinus mons Roma ex septem montibus. Hinc Exquilina porta Roma dicitur ad* Sestertium, *vbi certus erat locus sepulchrorum, ad corpora pauperum, aut* scelerarorum *vitiùmque comburenda, aut canibus proiicienda.* Thom. Porcah. *de Funeral. Antiq. Tab.* 21. in fine agens de funeralibus Iudæorum asserit nequaquam istos consueuisse cadauera etiam inimicorum, imò nec damnatorum sine sepultura relinquere; quod & obseruauit Lil. Girald. *de Var. Sepel. rit. fol.*67. per hæc verba: *Illud vtique* Iudæi *religiosè antiquitus obseruarunt, vt nec hostem quidem insepultum dimitterent, nedum qui patibulo fuisset affixus.* Quibus sic resolutis, ad alia pergo.

IV. Damnatorum Corpora quo loco sepeliebantur?

Christi sepultura magnifica.

Sestertius locus sepultura damnatorum.

S. Maria cognomento Ancilla.] Licèt apud Scriptores Ecclesiasticos nonnullas huius nominis Sanctissimas Virgines, aut Martyres inueniamus; Aliam sine cognomine *Ancilla*, de qua in Martyrologiis, *die primo Nouembris.* Aliam cum cognomine *Consolatricis*, de qua in *Catalog. Sanct. Ital.* apud Philippum Ferrar. *Kalen. Augusti.* Nostram cum cognomine *Ancilla* hoc die, vt ex B. Not-Ker. sic: *Eodem die passio Sancta* Mariæ Martyris, *qua cùm esset ancilla cuiusdam Tertulli præ-* B.

Nonnulla huius nominis Diua.

Hispana hoc die. Martyrologia.

clari viri, & nollet in natiuitate eius filij, prandiis Domini sui interesse, sed magis Christianorum more, ieiuniis operam dare; flagellis atrocibus ab eodem Domino suo lacerata est. Pòst acta prosequitur, quæ intermittimus, ne repetitionis fastidio circunscribantur. Hrabanus III. Idus Maij. sic: *Ipso die* Mariæ *Martyris festiuitas celebratur, quæ cùm fuisset Tertulli cuiusdam viri principalis* Ancilla, *nobilitatem Domini mentis benignitate vincebat, & Christo se probauit ingenuam. Hæc cum à Domina per tormenta à fide Christi recedere cogeretur, nullo modo consensit. Propter hoc Præsidi tradita est ad cruciandum, sed eam nec minæ ipsius, nec tormenta, à Christo separare poterant, nouissimè super petram grandem ad decollandum adducta, ipsius petra diuisione facta, Christi famula illuc intrauit, subitóque petra, iterum semetipsam conclusit, nec quemquam persecutorum ancillam Christi persequi sinebat, sed vsque ad diem iudicij, ita conclusam seruat.* Petrus Equilin. *in Catal. SS. lib.* 10. *c.*4. licèt à vero deuiauerit, affirmans *Nicomediæ* passam, & ipsam confundens cum illa, de qua *Kalend. Nouembr.* attamen in Actis cum relatis conuenit. Petr. Galesin. *h. d.* verius, sic: *Hoc ipso die Sanctæ* Mariæ *Martyris. Ea cuiusdam Tertulli* Ancilla, *cùm ab Iesu-Christi cultu ad Idolorum impietatem posset nullo modo auocari, iudici in supplicium data, semel, atque iterum, Dei auxilio à nece est mirabiliter erepta, miraculis diuinitus editis.* Agunt de ea Vincent. Bellouac. *in specul. Histor. lib.* 11. *c.*86. *&* 87. Mombrit. *de act. SS. tom.* 2. *fol.* 103. Noster Flau. Dext. *Ann.*360. sic: *Verouisca in Hispania Sancta* Maria Ancilla *Virgo.* Vbi P. Biu. *n.*7. *fol.*390. Roder. Car. *fol.* 129. *col.*2. *lit.* Q. *&* R. etsi communi errore ad diem *primum Nouembr.* passionem *Mariæ Verouiscensis* extendat, fortè non considerans duarum huius nominis Martyrum Acta, quibus, quæ colitur *die I. Nouembris* in equuleo martyrium compleuisse, Nostra, quæ hodie colitur, *Verouiscæ*, aut in *Verouensi* ciuitate vt inquit *Vincentius*, inclusa in petra diem clausisse extremum, manifestè deducitur. Ex quibus, & *Mombritio* hanc passionis anamnesim compaginare decreui.

Equilini error.

ACTA S. MARIÆ, COGNOMENTO *Ancillæ, Virginis, & Martyris Verouiscensis; ex Dextro, & Mombritio.*

Origo.

MARIA *Virgo* Verouiscensis *in* Hispaniæ *Austrugonibus*, *Ancilla cuiusdam* Tertulli *principalis erat, sed Heri nobilitatem, mentis benignitate vincebat, & Christo se probabat ingenuam. Natalem itaque filij celebrante* Tertullo, *cùm impuris, vanísque simulachris hostias immolaret*, Maria *incumbebat ieiunijs, & sociam suam, ne proderetur Domina, occulta simulatione fallebat. Diu tamen insidiantem conserua latêre non potuit: prodita vocatur à Domina, dicitúrque ei:* Quæ est causa ieiunij? an occasio ista tristitiæ est, quod iratum tibi dominum nuper, perhorrescis? *Respondit* MARIA: Nunquid nouum aliquid nunc vsurpo? Semper mihi hæc sunt obseruata ieiunia. Christiana sum. Christiano nascor ex genere, & hæreditarius est mihi iste cultus Dei. *Tunc imperante Domina, vt sibi aliquid hauriret: illa noluit. Quare Domina indignata, ei verbera grauia, & pœnam etiam mortis, si repugnaret indixit. At dùm altercatio hæc verborum esset, cogentis Domina, & repugnantis* Ancillæ, *pedem à foris referens* Tertullus, *ingreditur. Qui ab vxore rebus omnibus inquisitis, inauditam statim flagellari præcepit ancillam; & afflictam diutino verbere detrudi in carcerem, administrato modico, & vili cibo, quo non satiaretur fames, sed deficientis quotidie animæ pars extrema seruaretur. Sed deuota mens pro Christo frangi hoc dolore non potuit, quando etiam quotidianis orationibus incumbebat, vt facultas esset maior tolerandi. Lapsis XIX. diebus Præsidi nuntiatur*, Tertullum *Ciuem ipsius* Verouiscensis *ciuitatis principalem occultare in domo sua Christianæ religionis ancillam, quod Imperatorum præcepta prohibebant. Stetit itaque, adducta tandem, & quamuis contra iudicem oculos tenderet, animum*

Domina Christianã esse ancillã agnouit.

Marito ancilla cultum patefacit.

Carceratur.

Præsidi præsẽtatur.

tamen

tamen habebat ad Christum. Clamor vndique populi frementis attollitur, dicentis : Viua duro crementur incendio. *Illa vero intrepida quippe, quæ Dei sui nosset auxilium, cælum intuens, clamauit ad Dominum. Ait Præses.* Sacrifica, si effugere tormenta festinas. *Respondit Maria :* Supplicia, quæ minaris non longè differas, Christum habeo, ideò nihil timeo. *Tunc iussu Præsidis applicata tormentis, miserationem populi tantam adepta est, vt lachrymæ quoque à circumstantibus funderentur. Nec mora, clamore summo venia Virgini postulatur, Sed crudelitas Iudicis accelerari tormenta mandauit; & ecce secunda vox populi iudicium Præsidis castigantis emergit. Vociferatio namque vna totius erat coronæ, iniustè lacerari Virginem crudelitate Iudicis, non culpa peccantis, agi contra leges omnia, nec æquitatis iura seruari. Stupens verò Præses, & sono tanti clamoris addictus, quippe præter humanam vocem ipsa etiam putasset tecta corruere, mox* Mariam *relaxari præcepit, & seruari eam sub custodia libera iubet.* Maria verò *signo Domini se muniuit, & leuatis ad cœlum oculis post relictum tribunal orauit ad Dominum. Viditque aciem Angelorum, multitudinem Sanctorum, atque filium Dei sedentem ad dexteram Patris. Hinc tanta subitò gratulatione perfusa est, vt iam se paradisum ingressam putaret. Hi verò qui eam seruabant obstupefacti claritate lucis in terram procidentes, protinus diuinitus Virgo monita extra Ciuitatem* Verouiscensem *aufugit, sed cum eam aliquot satellites persequerentur, subitò confusi virtute, retrocedebant. At vbi illa se persequentibus circundatam vidit, lachrymans clamauit ad Dominum.* Ne permittas (inquit) Domine tradi ancillam tuam, & lacerari manibus impiorum, sed ostende misericordiam tuam. Citò exaudi ancillam tuam. Exaudi Domine Rex cœlestis famulam tuam. *Et dum ita orauit, petra, quæ ante oculos eius iacebat, Domino iubente patefacta, rimam perfugij, qua Virgo susciperetur ostendit, & instar dulcissimæ nutricis, vel charæ matris motu quodam anxiam amplexans se præbuit. Moxque suscepta Virgine, latera antè aperta, conclusit. Hoc cum Carnifices prouiderent, omnia loca petra illius perscrutati sunt, sicubi erepta subitò præda ex oculis, latitaret. Ibi ergo adhærentes exuuiarum reliquias, & affixa saxo vestium fracta deprehendunt, atque incredibili stupore confusi Præsidi gesta commemorant. Ille verò partim ira, partim admiratione commotus iussit Philocomo* Verouiscensium *Principalis ciuitatis, vt ad prædictum locum festinus accedat, & ad eruendum lapidem innumerosam secum multitudinem ducat. Statim præconis voce Populus congregatur. Qui vbi primùm, ad prædictum locum cum eo, cui summa huius operis fuerat assignata peruenit. Mox iniicere manum lapidi tentarunt, statim ab Oriente fulgor nimij splendoris exortus est. Nec mora tonitruum, & fragor quidam (vt putarentur cuncta corruere vndequaque) auditus est. Ecce autem duo equites magno fulgore radiantes, à cælesti sede venientes, terras volatu nimio descendunt : quorum sellæ, frena, & omnis ornatus instar lampadum cælesti igne rutilabant. Hæc cùm omnis illa quæ conuenerat multitudo conspiceret, ita præ timore tantæ virtutis expauit, vt fugiente sensu, pariter atque anima, in æternam mortem oculi clauderentur. Cæteri verò qui euaserant, ad prophana templi simulachra fugientes (quasi ad cælestia ingrederentur altaria) in ipsa perfugij sui Sede ceciderunt. Nec chorus ad ipsam templi ianuam spiritum fudit. Vbi verò templum repletum est, missus è cælo ignis, & populum exussit, & templum multifariam diruit. Itaque mortuorum tàm à percussis, quàm ab incensis numerus fuit ad duo millia septingentos. Pauci verò qui euaserant, Ciuitatem petentes magnis per omne iter vocibus conclamabant :* Magnus Deus Christianorum, *& crediderunt perterriti eo timore ad tria millia fermè animarum. A Christianis verò facilè Virginis corpus è lapide extractum (ibi enim spiritum egerat) honorificè sepultum est.* XVI. Kal. April. *Anno Domini* CCCLX. *Imperante Impiissimo Iuliano Apostata, Pontificatum obtinente S. Liberto.*

Populi clamor.

Torquetur.

Plebs virginis vitam expetit.

Cæditur.

Ab vrbe fugit.

Intra petræ viscera delituit.

Miracula iuxta lapidem.

Multi conuertuntur ad fidem.

Corpus à Christianis extrahitur.

In

In impressis Codicibus tàm notis, quàm antiquis *Vincentij Bellouacensis*, loco *Verouicensis vrbis* inuenitur *Verouensis*. Sed quis tam exactor Geographus, qui *Verouensem* vrbem in Orbe constituat? Qua impossibilitate moti *B B. Hrabanus*, & *Not-Kerus*, & *Petrus Galesinus* indiuidualiter Acta sine assignatione nominis loci conscripserunt. Nec mouet notula in margine *Vincentij* indigitata, quò *Netremensis* ciuitas mutuatur, quia sine fide, & ratione, sine legalitate, & anthoritate. Minus consideratione dignus est Codex *Bonini Mombritij*, qui substituit *Veronensem* ciuitatem. Quia vt patet ex omnium Martyrologiorum scriptoribus, nullus talem amplexus lectionem, imò nec adorsus est. *Philippus* ergo *Ferrarius* qui Catalogum omnium *Italiæ* Sanctorum scripsit, si apud *Veronam* hoc euenisse compertum haberet, quid dubium est, vt Sanctam Virginem *Mariam Ancillam* Veronensibus demonstraret, vt de *Maria Consolatrice* effecisse perspicuum est? Ergo *Dexter* Noster, & locum passionis, & annum mortis demonstrans, apud *Verouiscam* Hispaniæ vrbem appingit; Quæ qualis fuerit infra in eius topothesia demonstrabimus; ad Annum pergo. Sicut in consignatione vrbis, natalis *Mariæ* error agnoscitur, sic in Chronographia, seu anni assignatione apud *Vincentium*, & *Mombritium* incuria deprehenditur. Illi tempore *Adriani* perhibent, *Dexter* verò qui proximus illis fuit temporibus, imperante *Iuliano Apostata*, manifestat, cui potius credendum est. Ex quibus clariori luce dignoscitur hanc Sanctissimam Ancillam, Hispanam fuisse, & ex nostris esse.

Error Vincentij circa vrbem.

Item Mombritij.

Apud Veronam silentium.

Corographia.

VEROVISCA. Oppidum hodie est in Diœcesi *Burgensi* in Veteri Castella, quod retento priori nomine VIRVIESCA nominatur. Antiquitus vrbs fuit non ignobilis in *Autrugonibus*; cuius meminit Ptolom. *lib.2. Geograph. in Tabul. 2. Europ. c.6.* sic: *Orientaliores autem ijs, & Cautabris, sunt* Autrigones, *in quibus sunt ciuitates mediterraneæ Vxamabarca, Segisamon*, Verouisca, *Antecuia, Deobriga, Vendelia, Saliouca.* Similiter Plin. *lib.3. cap.3.* sic: *In* Autrigonum *decem ciuitatibus Tritium, &* Verouisca. Antonin. *in Itinerar.* tit. de Hispania in Aquitan. *ab Asturica, sic:*

Tritium. M. P. XXI.
Verouisca. M. P. XI.
Vindeleia. M. P. XII.

Error in aliquibus Codicibus Antonini.

A quo condita?

Licèt in Itinere ab Asturica, Tarraconam, Bibliopolarum incuriâ loco *Verouisca* ponatur *Verouena* post Tritium XI. M. P. quo error agnoscitur. Sunt qui dicunt à *Celtis Iberis* conditam, vel à *Cantabricu Autrigonibus*, sed nullo (nisi propriâ coniectatione, ducti) adhibito authore, aut ratione. Quod verum est omni tempore fuisse vrbem nobilem, & antiquissimam. De ea Ainard Oihenart. in *Notit. vtriusque Vascon. lib. 1. c. 2.* sic: *Ex hac parte interpositi erant* Autrigones (*Allotrigæ vt videntur dicti Straboni*) *latè vltra citráque Iberum effusi. Horum vrbs* Virouesca *nunc L. circiter Milliaribus passuum à finibus Alciua distat Occidentem versus, vnde antequam ad Cantabros perueniatur, occurrit rursum* Tritium *aliud Vardulorum oppidum.* Verouiscæ meminerunt Andreas à Poza *de Antiquis Hispan. Popul.* verb. *Virasca.* Marin. Sicul. *lib. 3.* plures quos refert amicus Roder. Mend. Silua *in Hispan. Popul. fol. 56. c. 135.* D. Sebast. Couarru. *in Thesaur. Ling. Cast. lit. B. verb.* Briuiesca. *fol. 152. col. 3.* Cuius vt antiquitatem perficiamus illustre monumentum, quod inter *Petri de Errazquin* à Secretis Excellentissimi Ducis de Maqueda, & Naxera, codices antiquitatum Cantabriæ, & Rusconiæ, in meas manus deuenêre, hoc apud *Verouiscam* in ruderibus inuentum, offerimus.

Verouisca inscriptio.

D. M. S.
AVL. TRIFONIVS. C. F.
VEROVICENSIS.
CLAVDIÆ MATRI OB.
SOLVT. PIGN. AMORIS.
OB. QVE COMPLET. TEST.
IVSSVM. HÆC.
TRIFON. AVL.

SORORI

SORORI VIRGIN. XIII AN.
DEFVNCTÆ.
ONER. ET HONOR. IMPENDIA.
RESTITVENS.
SERTIS COROLLISQVE ANNVIS
ANNIVERS. OFFIC.
PRÆST. OFFERT.
D. D.

Extra veri nominis *Veronisçæ* vrbis intelligentiam (vt patet) hæc inscriptio, non contemnenda eruditionis embolia continet. *Aulus Trifonius Veroniscensis ex Claudia matris testamento tenebatur ad tumulum Trifonia Aulia sororis offerre, anniuersario officio, serta, corollasque annuas, quas restituens dedicat*. Hæc literalis ecphrasis, nunc mystica impensa deuoluatur. Triuiale est illud de coronandis tumulis axioma, *aut hyacinthis* ex Propertio, & aliis; *aut liliis*, ex Virgilio, & Dioscoride; *rosis*, ex Anacreonte, & est communis sepulchralium inscriptio; *Amarantho*, ex Philostrato; *Potho candido* ex Theophrasto, & Athenæo; *Apio* ex Suida, & Plutarcho; *Myrtho*, ex Euripide, Petro Victor. & Hieronym. Magio; *Laneis coronis*, quæ *Tænia* dicebantur, ex Varrone, & Afranio. Omitto hæc. Tria ex inscriptione me rapiunt. I. de onere testamento relicto, vt tumulus circundetur coronis. II. An Virginibus, & immaturè mortuis, hâc florum ad tumulum adspersione parentabatur? III. Si anniuersaria impensa fieri solitum? Quod ad I. attinet, communis hic fuit in vltimis voluntatibus stylus, de coronandis tumulis, vt probant Ioannes Kirchman. *de fun. Rom. lib.4. c.3. fol.*564. D.D. Laurent. Ram. *in notis ad Luitprand. in Chron. n.* 135. *fol.* 362. ex pluribus inscriptionibus, quas ibidem per remissionem congessit. Quod sine difficultate procedit. Ad secundum, sciendum quoque est quòd aliquando meliori iure Virginibus, & intempestiuè decessis hæc serta implicabantur. Euripid. *Orest. act.*4. sic, ex versione Paschalij: *O Virgo venis Clytemnestræ sepulchrum postquam coronasti, & libasti inferis inferiis*. Pædo in Epigramm. ad quandam.

Tumulorũ coronatio quibus oleribus fiebat.

Coronatio hæc vi testamentaria fiebat.

Rosis coronabatur Virginis immatura decedentis tumulus.

Semper serta tibi dabimus, tibi semper odores
Non vnquam sitiens, florida semper eris.

Idem Ioann. Kirchman. sic: *Sepulchra eorum, qui ante diem immaturâ morte fuissent intercepti floribus conspergerentur*. Dionys. Halicarnas. *Orig. Rom. lib.* 11. de funebri pompa Virginij, Virginis filiæ, sic: *Cognati* Virginis *ferentes in forum Lecticam. Exiliebant enim ex adibus mulieres, & virgines deflentes hunc casum*, floresque *aliquos, &* coronas *aduersus lectulum iniicientes*. Quoad vltimum itidem in monumentis communis est ea conditio sepulchralis: VT QVOTANNIS ROSAS AD MONVMENTVM EIVS DEFERANT. Cui conuenit Tibull. *lib.* 2. *eleg.* 4. sic:

Conditio de deferendis rosis ad tumulos communis fuit.

Atque aliquis senior veteres veneratus amores
Annua *constructo* serta *dabit tumulo.*

Quo lapidis inscriptio maiorem accipiet lucem, pluráque omitto, ne longior in incidentiis appaream.

S. ALEXANDER, aliàs NICANDER.] Hic Sanctissimus Martyr cum *Theodoro*, restitutus fuit à *Baronio* in Martyrolog. Rom. hisce verbis: *Romæ Sanctorum* Alexandri, *& Theodori Martyrum*. & in Not. lit. B. *Quorum corpora, inquit, translata sunt à Sergio Iuniore Papa in titulum Equitij, vt vetus inscriptio marmori incisa illic posita testatur*. B. Not-Ker. h.d. *Alexandrum* vocat Episcopum, & socium *Theodolum* Diaconum, sic: *Romæ* Alexandri *Episcopi, &* Theodoli *Diaconi*. Philipp. Ferrar. *in Catal. SS. Ital. hoc etiam die fol.*155. hæc loco elogij. sic: C.

Martyrologia.

ALEXANDER *siue vt alij Codices habent*, NICANDER *&* Theodorus, *siue* Theodolus *Romæ martyrij palmam promeruêre. Quorum corpora vnà cum aliis à Sergio II. Pontifice circa annum salutis* DCCC. XLVI. *in titulum Equitij translata quieuerunt donec* S. Alexandri *pignora*

Romæ martyr.

gnora sacra Matritum allata honorifico cultu in cœnobio S. Bernardini *ordinis fratrum minorum S. Francisci excalceatorum venerantur. Quo verò tempore* Alexandri, *seu* Nicandri *martyrium consummatum fuit, non exprimunt Scriptores, ideo sub silentio remanere necessum est.*

Madridiū transfertur.

Adeo sterilis hæc *Sancti Alexandri* Martyris anamnesis circunscribitur, temporum iniuria, & Scriptorum inopia. De translatione ipsius corporis à Sergio II. Papa in titulum Equitij, de quo *Baronius* inesse marmori incisam inscriptionem, ne illam omittamus, en tibi pro rostris lector ipsam offerimus.

Temporibus Dom. Sergij Iunioris Papæ recondita sunt in hoc sacro altari B. Siluestri Præsulis corpora, & B. Martini. Item corpora Beatissimorum Fabiani, atque Stephani, cum Sotere Martyr. ac Pont. simúlque Asterio cum Sanctiss. filia eius, S. que Cyriaco, Mauro, Largo & Smaragdo, & Sociis. Sisinio, atque Anastasio, & Innocentio Pont. vnà cum S. Quitino, ac Leone. Paritérque Artemio, Sisinio, Pollione, Theodoro· ALEXANDRO seu NICANDRO, Crescentiano Martyrib. Cumque B. Sotere, atque Paulina, necnon Memmia, Iuliana, & Quirilla, Theophyste, Sophia Virginib. atque Martyrib. & B. Quiriaca vidua, & B. Iusta cum aliis multis, quorum nomina Deo soli sunt cognita. Omnésque sub sacro Altare dedicans collocauit. Hæc SS. corpora translata sunt de Cœmeterio Priscillæ, via Salaria: statuens omni anno in festiuitatibus eorum indulgentiam trium Annorum, & trium Quadragesimarum omnibus ad ea deuotè venientibus.

Circa Translationem Româ Madridium, & in Monasterio Fratrum Excalceatorum S. Francisci, quod S. Bernardino dicatum, extra Curiæ mœnia ad Septentrionem inuisitur, Corpus honorificè adseruatum, mihi Auctores sunt Ægid. Gonz. Dauila Regius Chronograph. in Theatr. Machid. lib. 1. Ieronym. Quintan. de Magnitudin. Madrid. lib. 3. c. 113. fol. 444.

MONASTERIVM S. Bernardini. Illud in solitudine extruxit Fratribus S. Francisci Excalceatis *Franciscus de Garnica*, Philippo II. Regi Catholico in Regalium rationum cœtu, à Consiliis; ad Annum Domini M. D. LXXII. vbi cum eius vxore *D. Teresa Ramirez de Haro* vltimam resurrectionem carnis expectat. Intra huius autem Conuentus angulo *D. Martinus à Corduua* Cruciatæ Generalis Commissarius, Prior, & Dominus de Iunquera insignem Capellam erexit, quâ aliquot Sanctorum Corpora, Româ delata, honorifice collocauit, sub quorum auxilio tumulatus, etiam ibidem requiescit.

QVINTODECIMO KAL. APRILES.

DIES XVIII.

A. *Celebris est in Hispania festiuitas ab antiquißimis temporibus Sancti Gabrielis Archangeli: cuius ad* B. V.

MARIAM

MARIAM *pro incarnatione* VERBI *legationem, hoc honorifico nostra preuenit cultu Prouincia.*

B. *Gerundæ in Hispania Citeriori* S. NARCISSI *Episcopi Braccarensis, origine Scallabytani in Hispania, & apud Rethios Augustanos Apostoli, qui postquam populos sibi commissos cœlesti pabulo recreasset, & Sancti Spiritus ductu, in Vindelicos conscenderet, fidémque seminaret Catholicam, Hispanias repedauit, & apud Gerundenses plurimos conuertens, ad palmam martyrij inclytus Agonista trànscendit.*

C. *Ibidem natalis* S. FELICIS *ipsius B. Narcissi Diaconi, qui indiuiduus eius comes existens, & in Euangelici ministerij functionibus indefessus operarius assistens, sui Præsulis in vita, & martyrio est strenuus insecutus vestigia.*

NOTÆ.

SANCTI Gabrielis Archangeli festiuitas. Apud *Hispanos* quàm fuerit antiquissima, ipsa istius Prouinciæ fasta in Ecclesiarum officiis perhibebunt. Quem originem sumpserit, aut à quo inceperit tempore, adhuc sub silentio est. P. Ant. Quintanadueñas, *in Hist. SS. Hispalensium fol.* 340. Propter felicem de incarnatione Verbi legationem fuisse introductum Officium scribit. Quod hodie item à Pio V. Gregorio XIII. Clemente VIII. & Paulo V. Summ. Pontiff. cum propria Missa per Paulum V. approbata, concessum in vniuersali perpendimus Ecclesia. Et licet à nostris Ecclesiis per Pij V. de reductione Officiorum diploma antiquus in desuetudinem abierit ritus; attamen in aliquibus conseruatum Cathedralibus, & Diœcesibus inuenio, vt in Ecclesia *Toletana*, in qua vt ex eius peruetusto apparet *Breuiario* anni 1507. hymnus concinitur.

A. *Vetustum apud Hispanos officium.*

ECCLESIÆ TOLETANÆ IN FESTO S. GABRIELIS.

Hymni ex Breuiario Tolet.

Hymnus.

GAbrielem *veneremur summi Regis Nuntium,*
Per quem Deus delegauit suum ministerium,
Mundo lapso nuntiando Iesum Dei filium.
Gabriel *virtus diuina debiles fortifica:*
Vt vincamus inimicum ipse nos corrobora:
Et vt lapsus remittantur ipse nobis impetra.
Angelus in mundum missus ad Mariæ thalamum,
Te solum Deus elegit suum Secretarium,
Nostras preces tu præsenta, ante cœli Dominum.

Gloria, & honor Deo vsquequo Altissimo,
Vnà Patri, filióque inclyto, Paraclito,
Qui tot dona condonauit Gabrieli *Angelo:*
Amen.

In Ecclesia item Hispalensi, & Compostellana anni 1539. in qua officium duplex cum hymnis, versiculis, lectionibus & propriis orationibus. En hymnos.

Hymni ex Eccles. Hispal. & Compostell.

ECCLESIÆ COMPOSTELLANÆ IN Officio S. Gabrielis, Hymnus.

GAbriel *fulgidus inter consocios,*
Posséque validus ad actus varios,
Laudetur hodie.
Nunc cœli nuntium Iesu mysterij:
Famosum nuntium Christi collegij,
Reddit credentia.
In tot agminibus cœli spirituum,
Iste præ omnibus ad munus arduum
Opus eligitur.
Quod excellentiæ maius indicium,
Quàm, quòd clementiæ tantæ mysterium,
Isti committitur.
Huius legatio cùm sit præ aliis
Dignus præconio, est & amabilis
Cum reuerentia.
Seruet, stabiliat, ab hoste liberet,
Nos lætos faciat, Deóque fœderet,
Gabriel *fulgidus*
Amen.

AD MATVTINVM, ET LAVDES, iste concinitur, Hymnus.

V*Itam quam Lucifer per Euam abstulit*
Gabriel *dulcifer per plenam attulit*
Mariæ gratiam.
Fortis vocabulo, virtute fortior,
Deuicto Zabulo, Victoriosior
Corona floridus.
Magnum expediar pro nobis nuntium,
Aptari faciat Regi hospitium,
In aula Virginis.
Accede, nuntia, dic: Aue Domina.

Dic

Dic : Plena gratia. Dic : Tecum Dominus.
Et dic : Ne timeas.
Virgo ſuſcipias cœli depoſitum ;
Manna cuſtodias in te repoſitum :
Clauſa reſtituas.
Audit, & ſuſcipit Puella nuntium
Credit, & concipit, & parit filium
Dictum Emanuel.

Seruet, &c.

Eccleſiæ *Abulenſis*, & aliæ Hiſpaniæ Hymnum *Toletanum* concinebant, *Cordubenſis* ; *Toletanaque* in nouis Officiis à Gregorio XIII. conceſſis, ille communis hymnus : *Chriſte Sanctorum decus Angelorum*, & idem in Religionibus. At in *Breuiario* antiquo ordinis Sancti Benedicti, ſecundum conſuetûdinem Congregationis *Valliſoletana*, admodum diuerſum Officium recitatur, quàm in aliis communitatibus ſæcularibus, & Regularibus, vt videre eſt ; hîc tantum hymnos eius Officij exſcribemus, nam cætera quæ illud conſtituunt, potiùs faſtidium, quàm illuſtrationem inſtituti generabunt. En hymnorum ſtylus.

AD SANCTVM GABRIELEM Archangelum, Hymnus ad Veſperas.

Hymni ex Breuiario Benedictino.

Mentibus lætis iubilemus omnes,
Nuntium cœli veneremur alti,
Inclytas quando Gabriel *à celſô*
Fulget Olympo.
Nuntius cœli, mediator idem
Extat, & ſummus Gabriel *vbique*
Solus, & mundo reſerat ſecreta
Iuſſa Tonantis.
Nuntia nobis Gabriel *precamur*
Pacis æternæ ſpeciale munus :
Quo Poli tandem teneamus aulam
Semper ouantes.

Ad Matutinum etiam proſequitur cum relatione myſterij, & imprecatione fauoris, ſic :

En noctis medium ſurgite properè,
Cantemus Domino iam noua cantica :
Hac hora Gabriel, *nam fuit omnibus*
Vitæ Nuncius optimus.
Hac ora Dominum Virginis alueus
Humano generi protulit ; inſuper
Deuictis pariter, funditus hoſtibus
Victor ſurgit ab Inferis.
Surgentes igitur mitibus inuicem

Oremus precibus ; cœlica munera
Præsertim Dominum, qui dedit Angelum
Curam, qui gerit omnium.
Te Princeps igitur inclyte quæsumus,
Pro nobis miseris poscito gratiam ;
Fac & propitium, qui valet omnia
Nobis fine sub vltimo,
Amen.

Ex Minorum officio. In Fratrum Minorum Officio in hymnis omnia communia cum præcedentibus officij sancti Benedicti, extra hoc Sapphicum, quod additur ad Vesperas, sic :

Principis laudes Gabrielis *ergo*
Concinat noster chorus ; ipse quando est
Vnus ex septem, Domino qui adstant
Iussa sequentes.

Item in ipso Minorum hymno Asclepiadæo, etiam Benedictino superadditur aliud carmen, non inconcinne, sic :

Quæ virtus hominis promere sufficit,
Quæ mundo Gabriel *munera conferat ?*
Sanctas hic animas visere Dominum
Prastò ducit in æthera.

Missa verò Sanctissimi Archangeli in omnibus penè *Hispaniarum* Ecclesiæ Missalibus vna erat, vt ex *Missali* peruetusto *Placentino* apparet, & in alio *Asturicensi*, & in alio ordinis *Minorum*, & in aliis pluribus, in quibus Introitus: *Benedicite Dominum omnes Angeli eius*, *ex* Psalmo 102. Oratio : *Deus qui inter cæteros Angelos.* Epistola : *Ecce vir Gabriel.* ex Daniel. *c.*9. Euangelium : *Missus est Angelus Gabriel.* Offertorium : *Stetit Angelus*, ex Apocal. *c.*8. Secreta, sic :

Acceptum fiat in conspectu tuo Domine nostræ fragilitatis munus, & Beati Archangeli Gabrielis *oratio, vt à nobis veneraturus in terris, sit apud te pro nobis Aduocatus in cœlis.* Per Dominum.

Altera oratio quæ post communionem recitabatur, tanquam communis omittitur, vt ad lectiones, quas *Breuiarium Abulense* complectitur deueniamus, quarum meo videri cōntextura, haud ad mentem instituti nostri adæquatiùs inueniri potuisset, sic igitur Augustinus. *in Serm.* super *Missus est.*

Abulensis Breuiarij Lectiones. GABRIEL *Archangelus æterni Regis* Apocrisarius, *& cœlestis* Paranymphus, *interpretatur* FORTITVDO DEI. *Hic missus fuit ab Excelso ad humilem, à Domino ad ancillam, à Creatore ad creaturam ; à Numine ad virginem : Virginem quidèm mente, Virginem carne, Virginem professione, Virginem talem, qualem describit Apostolus, Virginem scilicet mente, & corpore Sanctam. Missus est autem* Gabriel *cœlestis Nuntius in ciuitatem* Galileæ, *id est, transmigrationis, cui nomen* Nazareth, *quæ interpretatur* flos. *Erat autem Virgo virginum in domo, clauso cubiculo, cui nimis erat in proposito fugere populi frequentationes, fugere consortia, ne vel orantis perturbaretur silentium, vel continentis castitas tentaretur. Clauserat siquidem illa hora cubiculum prudentissima Virgo hominibus, sed non Angelis ; proindè, etsi potuit intrare Angelus, non tamen vsui hominum facilis præbebatur accessus.* Gabriel *verò Archangelus facie rutilans, veste coruscans, aspectu mirabilis, ingressu terribilis, virginalem thalamum,*

assumpto

assumpto sibi de aërea substantia corpore, subiatrauit. Nec mirum quia Spiritui Angelico parietes non obsistunt, sed cuncta ei visibilia cedunt, cunctaque corpora, quantumcumque solida, siue spissa penetrabilia sunt ei, & peruia. Ex sua natura subtilitate hoc habet Angelus, vt nunquam seris ferreis, eius arceatur ingressus. Ingressus igitur thalamum virginalem salutauit dicens: Ave gratia plena, Dominus tecum: *tecum in corde, tecum in ventre, tecum in mente, tecum in auxilio. Et benedictus fructus ventris tui. Benedictus in odore, benedictus in sapore, benedictus specie seu colore. Mira res! Missus fuit* Gabriel *ad Virginem, & antequam ad Virginem peruenisset, inuenit Dei maiestatem virgineis illapsam visceribus, & virginei ventris breuitate conclusam. O venter diffusior cælis, capacior terris, amplior elementis, qui totum claudis omnia claudentem, in te Deus gloria recreatur.*

Hactenus *Abulensium* lectiones, quibus addere libuit *S. Ildephonsi* Hispaniæ Episcopi, & orbis Patris, quæstiunculam, quam in libello de Virginitate Mariæ D. N. ingerit in hoc *Gabrielis* munere legationis; scilicet: An plus sapuit, quàm Virgini dixit. *Puto* (inquit) *nec ipsum* Angelum *aliud recognoscere voluisse, quàm quod ipse intulit hominibus nuntiare. In tanto etenim mysterio veritatis, puto nec aliud, quàm quod ipse sapuit, nec plùs, quàm ipse cognouit, potuit nuntiare. Quæ autem nuntiauit, & nobis, atque cum Virgine audire fecit, & nos: quoniam nec aliter, nec alibi, nisi in Virgine, & cum Virgine, hæc conuincimus didicisse. Si ergo illa Virgo, quæ miraculo huic, & materia extitit, & causa plenitudinis fuit, hoc solum ab.* Angelo *didicit, quod ad effectum rei nuntiatæ sufficere potuit: non plus* Angelus Gabriel *sapuit, quàm quod dixit: qui tantum dixit, quantum Virginem generare fecit: qui tantum dixit, quantum conceptionem, & partum* Virginis *adimpleuit. Tantum ergo de conceptu, & parturitione sua* Angelo *salutante didicit, quantum me* Angelus *euidentia rei huius instruxit. Si autem plus sapuit* Angelus, *quàm quod dixit, quomodò ad impletudinem partus sui, sufficis Virgini quod mecum audiuit? Mecum dico audiuit: quia post hoc* Nuntium *partus sui, & redemptionis meæ, nouam de hac re nihil audiuit. Si plus sapuit* Angelus, *quàm quod dixit, quomodò ad impletudinem facti rei dicta plenius abundauit? Si plus sapuit* Angelus, *quàm quod dixit, quomodo semiplena dicta rem cælestium virtutum, & omnium elementorum attestatione completam impleri veracius potuerunt? Restat ergo tantum me de hoc miraculo nosse, quantum* Angelus *dixit. Quia quantum sapuit, tantum dixit, & tantum dixit, quantum Virginem generare fecit. Quantum autem Virginem generare fecit, tantum fides mea cum Virgine ipsa cognouit.* Hactenus *Ildephonsus.* Huius Sanctissimi Archangeli excellentias, & beneficia, in lucem prodiderunt SS. PP. *Gregorius, Ambrosius, Augustin. Bernard. Damascen. Sophron. Esikius, Athanas. Ildephons. Beda*, & alij. Scripturarij super. *c.* 1. *Lucæ.* Scholastici super *S. Thom.* & plures quos refert P. Quintanadueñas *fol.* 342.

Quæstio ex B. Ildephonso.

S. Narcissus Episcopus.] Magnum contrariorum intrat Oceanum sine velo carina; in sedandis tot tempestatum opinionum irruentibus procellis, vix sine luce Pollucis, erit spiritus. Plures de Sanctis *Narcisso* Episcopo, eiúsque *Felice* Diacono scriptitarunt, in quorum Codicibus tot inueniuntur clausulæ, quot varietates, nullus nullum sequitur, vnusquisque suam seligit viam. Quis cum *Narcisso* Ierosolymitano confundit. Quis *Gerundensem* facit *Episcopum.* Alius ipsius vrbis accolam, Alius *Scalabytanam* contendit, alter omnia negat, omnes in arenam descendunt; transeúntque

B. *Opinionum varietas circa Acta S. Narcissi.*

—Ad opus nitida iuuenile Palestra
Et iam contulerant arcto luctantia nexu
Pectora pectoribus.

Illorum omnia referre iudicia statuo, meum in tàm arduis contexere constituo, non vt pro infallibili venditem; sed vt pro minùs scrupuloso proponam. Atque vt tantum œdipus dissoluam ænigma, primò Martyrologia proponam, Galesf. h. d. sic: *Augustæ Sancti* Narcisci *Episcopi, & Martyris. Hic in Rhetia nouam* *familiam*

Martyrologia.

familiam Deo lucratus, inde nouem post mensibus Gerundam *in Hispania profectus, multos ab impietatis erroribus triennio ad Christi fidem conuertit, quo in munere, vnà cum* Felice *Diacono martyrij coronam accepit.* M. R. *Augustæ Sancti* Narcissi *Episcopi, qui primus in Rhetia Euangelium prædicauit: deinde in* Hispaniam *profectus, cum* Gerundæ *multos ad fidem conuertisset, ibidem in persecutione Diocletiani cum* Felice *Diacono Martyrij palmam accepit.* Petr. de Natalib. *in Cathal. SS. lib.7. c.28.* Anonim. *in Compilat. Chronolog. Ann.226.* sine lege, & ratione contendunt, *Narcissum* Hierosolymitanum Episcopum fuisse, qui *Sanctam Aphram* in Augusta Rhetiorum ad Christi fidem reduxit. Anton. Vincent. Domenec. *Hist. SS. Cathal. lib.1. fol.* 27. Pujad. Hist. Cathal. *lib.4. c.73.* & alij, cum quibus Marc. VVelser. *in vita S. Afra. n.2.* crediderunt fuisse Episcopum, & Originarium *Gerundensem.* Baron. *tom.2. Annal. Eccles. ann.*303. *n.*125. *&* 138. *&* Galesinus *in not.* coniectant fuisse *Episcopum Augustanum.* Ille itidem sub *Diocletiano* passum, affirmat. Quibus suo

Scriptores.

loco respondere curabimus. Nunc scriptores referemus. De eo præter citatos, agunt Flau. Dext. *in Chron. Ann.*277. Vide P. Biu. *n.2. fol.*290. Roder. Car. *lit. Q. fol.*93. Marc. Maxim. *Ann.*612. ℣. Roder. Car. *lit. Z.* Iulian. Archipresbyt. Tolet. *in Chron. Ann.*266. *n.*103. Vincent. Bellouac. *in Specul. Histor. lib.7. c.28.* S. Antonin. *2. p. Hist. tit.*8. *c.*1. §.18. Sigismund. Monach. *in Chron. Augustin. Eccles. c.6.* Petr. Anton. Beut. *Hist. Hisp. lib.1. c.24. fol.*141. Ioann. Vass. *in Chron. Ann.* 260. Ambros. de Moral. *Hist. Hispan. lib.9. c 49.* Mariet. *Hist. SS. Hisp. lib.2.*

Breuiaria.

c.44. Padill. *Hist. Eccles. Hisp. tom.1. cent.3. c.17. fol.*129. *col.*2. Marian. *Hist. Hisp. lib.4. c.10.* Breuiaria Gerund. Barcinon. Valent. & S. Mariæ de Mercede, in quo etiam aliquorum contrahitur errorum strues, quorum textamen omittimus, vt postea cum aliis detur consutationi locus, eius scilicet *Narcissi* Acta sic in compaginem deducta scribere meo iudicio decreui, pòst comprobans vniuersa, & contraria, aut dubia omittens, omniúmque aduersantibus opinionibus satisfaciens.

ACTA S. NARCISSI EPISCOPI Martyris Gerundensis; ex Dextro & Antiquis Breuiariis.

Origo & indoles.

NARCISSVS *ex nobilissima* Lusitaniæ *progenie, apud* Scallabim *vrbem natus, in primis infantiæ exordiis, primos literarum didicit humaniorum flores, quibus primas iuuentutis primitias in huiusmodi palæstris agonista literarius adeptus est. Sed superueniente iuuentutis quasi maturæ initio, ad diuiniorum exempla literarum taliter Athleta studiosus accurrit, vt interuenientibus virtutum copiis, exemplorum præsidiis, & ingenij præstantia, facilè ad culmen doctoratus accesserit. In hoc ergo doctrinæ, & virtutis fastigio, ramos in æthera tendens, & largo pubescens fœtu, cùm in cælos sublato* Calidonio *Braccarensium Episcopo, in eius locum* Narcissus *omnium*

Fit Episcopus Braccarensis.

votis suffragantibus inauguratur Gallæciæ *Metropolita. Ibidem nouo oneroso Pastoris animarum munere bonorum omnibus suæ Diœceseos accolis operum comparauit specimen. At sic Gregi catholica præbens pascua, diuinitus*

Ad Alpes Rethias se contulit.

monitus, vt alter Abrahamus è patrio compulsus nidulo volitare in Alpes Rethias *transuit, comite itineris* Felice *eius* Diacono, *qui ad mortem vsque Prælati vestigia sequens fidelissimus seruus in Domino non deseruit. Ergo in Ciuitatem* Augustam *Vindelicorum* Narcissus *perueniens Episcopus, nesciens quo intraret loco externus (Domino sic disponente) ad mulierem quandam* Aphram *nomine, cum Diacono pedissequo ingressus est. Illa autem videns honestos viros, existimans aduentores impudicos, parat cœnam, & omnia, quæ solito more, cum tribus puellis parare consueuerat amatoribus.* Episcopus *autem, veniens vt cibum caperet, orare cœpit, & psallere.*

Augusta Vindelico-

Afra *autem, quia nunquam hoc audierat, stupefacta cœpit inquirere; quis esset? Et ediscens hunc esse Christianorum* Episcopum, *procidit ante pedes eius,*

eius, dicens: Domine indigna ſum valde, & in iſta ciuitate nulla me turpior poteſt inueniri. *Cui ait* Narciſſus *Epiſcopus:* Saluator noſter à turpiſſimo tactu inquinari non potuit, illius enim tactus omnes ſordes diluit, atque mundauit, & ſordes non poterant inquinare Domini charitatem. Nam & lux de cœlo veniens, & ſplendor Solis, dum circa cloacas, & lutulentas plateas funditur, mundus funditur de cœlo, & mundus leuatur in cœlum. Vnde, & tu filiola ſuſcipe in te lumen fidei; vt purificata ab omni peccato, poſſis de meo introitu perpetuâ charitate gaudere. Dicit ei Afra: Ego quidèm, quæ plura capillis meis peccata commiſi, quomodò poſſum à tantis ſordibus ablui? *Reſpondit* Narciſſus *Epiſcopus:* Tantum crede, & baptizâre, & ſalua eris. Poſt hæc *Afra* conuocans puellas ſuas dixit: Iſte homo, qui ad nos intrauit, Epiſcopus eſt Chriſtianorum, & dixit mihi: *Si credideris Chriſto, & baptizata fueris, ab omni poteris emundari peccato.* Quid vobis videtur? *Digna, Eumenia, & Eutropia, quæ dominæ ſocutæ fuerant inquinamenta facinorum, ad indulgentiam peccatorum praſtò ſe ſubſecuturas dominam promiſêre. Interea nox initium ſumpſit, & hymnos Deo canere cum Diacono ſuo Epiſcopus incœpit, totámque noctem orando, & pſallendo, ſimul habens Afram cum ſuis puellis conſortem pertranſijt. Mane facto, à Miniſtris Diaboli inquiri cœpit Epiſcopus:* Afra *efflagitationibus peracerſoram reſpondit, taliter quòd fauoribus ſanctorum correſpondeat. Illos verborum artificioſo textamine amandauit, iſtos operum diligenti cura celauit. His geſtis abijt* Afra *ad* Hilariam *matrem ſuam, cui omnia protinus enarrauit, eámque ſuppliciter exorauit, vt Narciſſum & ſocium in eius reciperet domum, ne à perſequentibus raperentur, & occiderentur, exponens illud mirabile: quod cùm eſſent orationi vacantes circa pullorum cantum, & extinctam fuiſſe candelæ lucem proſpiceret, ipsáque feſtinare curaſſet, vt eam accenderet, nulliſérque valuiſſet; illicò Narciſſi imperio, fulgor ſicut Sol, & ſicut coruſcatio ante tonitruum de cælo illabitur, diuerſorium illuminat, & non receſſit, donec auroræ crepuſcula anguſtas extendunt lumine rimas.* Hilaria *hæc audiens gaudio repleta, filia quidquid expopoſciſſet, promiſit, quo* S. Narciſſus, *&* Felix *ad ædes ſe conferunt* Hilariæ. *Eo què domum ingreſſo, factum eſt gaudium magnum, ita vt* Hilaria *per tres horas teneret plantas eius, dicens:* Obſecro te, Domine, vt & mê facias mundari à peccatis meis. Cui *Narciſſus* inquit: Beata eſt fides tua, quæ ante quam diſceres verbum veritatis, ipſam veritatem, quam per verbum vix poſſunt homines agnoſcere in tua mente fundaſti. Verumtamen quia video vos capaces eſſe verborum Dei, hodierna die ſimul incipite ieiunare, & per dies ſeptem ieiunantes audite ſermonem veritatis. Octaua autem die purificabimini ab omni peccato, & eritis ab omni pollutione immunes. *Tunc retulit* Hilaria *cauſam, ex qua* Afra *eius filia cum cæteris puellis inhoneſto exponebatur proſtibulo, & vt ſic omnes Deæ efficerentur Veneris participes, nam eo cultu apud Cyprum earum patriam hæc impudica deitas colebatur. Quo intellecto Sanctiſſimus Epiſcopus ingemiſcere, & lachrymari cæpit, dicens Felici:* Surge frater, & demus lamentum ſuper talem culturam, & oremus ad Dominum, vt vbi abundauit iniquitas, ſuperabundet & gratia. *Oratione expleta, apparuit Ægyptius nigrior coruo, nudus, & vulneribus elephantiæ corpore toto plenus, & mugitans, dixit:* O Sancte *Narciſſe* Epiſcope quid tibi cum cauſa mea? Quid tibi cum ancillis meis, quas ego ſemper in mea familia habui? Deus tuus mundas animas, & munda corpora diligit. Iſtæ iam meæ ſunt, illius eſſe non poſſunt. Nunquid ego intro, vbi caſtitas regnat? Nunquid locum inuenio vbi ſpiritus eſt caſtitatis? Hùc tu quid intraſti, vbi inquinata ſunt corpora, & pollutæ ſunt Animæ. *Cui Narciſſus:* Iubeo te, immunde ſpiritus, vt des mihi reſponſum de eo, quod te interrogauero. Dic

rũ in domo Afra ingreditur.

Inquiritur à peruerſis hominibus.

Abſconditur ab Hilaria, matre Afra.

Narciſſo profert Hilaria cauſã turpitudinis Afræ.

Diabolus apparet Narciſſo.

mihi, damnate: Scis Christum IESVM Dominum nostrum Nazarenum tentum, flagellatum, sputis in facie illitum, spinis coronatum, irrisum, ligatum, felle, & aceto potatum, affixum cruci, mortuum, & sepultum, die tertio resurrexisse? Scis hoc factum esse? *Respondens Dæmon dixit:* Vtinam mihi hoc nescire licuisset. Nam ex ea hora, qua crucifixus est, à facie eius Princeps noster aufugit, quia virtutem persequentis ferre non poterat. Tunc saxa illa solida scindebantur, & monumenta aperta sunt, & surrexerunt Sancti Viri, qui viderunt hoc factum, quando Princeps noster, ab eo qui crucifixus est, tentus est, & catenis religatus. *Ait iterum Narcissus:* Quod nomen est Principis vestri? Sathan (*respondit*) nomen est ei, quod interpretatur, Initium mortis. *Dicit et Episcopus:* Dic mihi, quid peccanit D. N. Iesus Christus, vt tanta pateretur? *Dixit ei Dæmon:* Nunquam peccauit. *His & aliis interrogationibus, & responsionibus completis, cùm Dæmon ferre non posset preces piorum, ad quas* Narcissus, *& cæteri festinabant, vlulatum teterrimum diræ vocis emittens, ab omnium oculis euanuit, nusquámque comparuit. Sanctus Episcopus fecit refici post ieiunium* Hilariam, Afram, *& puellas earum. Quæ trementes pro eo quod audierant, & viderant, eius monitis confortabantur; donec postquam per dies aliquot eas Dei verbum docuisses,* Hilariam, Afram, Eutropiam, Eumeniam, Dignam, *&* Zozimam *nomine,* Dionysium *fratrem* Hilariæ (*quem primum Episcopum* Augustanum *elegit, postéaque* Hispanias *adyt, vt munus Apostolicum obiret*) *patruúmque* Afræ, *& omnes huius familia amicos, vicinos, & conuinctos Sanctissimus baptizauit Episcopus. Fecitque domum* Hilariæ *Ecclesiam, vbi nouum fidei* IESVS *ponitur fundamentum. Tandem mutatis vasis iræ, in vasa misericordiæ:* cùm fidei fractor seruus actionem spolij contra Christi famulum proponeret Diabolus Sophista, præclarus *Narcissus* eum constrinxit, vt suum amicum distortum animal draconem in faucibus, hoc est in ipso Alpium introitu perimeret. Quo facto, perfectisque ordine rebus post nouem menses ad sua reuertendi tandem iure vsus Hispaniam repedauit. Ad Ciuitatem *Gerundensem* cum Diacono accedens, & prædicationis munus ibidem exercens per triênij tempus, vbi multos ad fidem conuertens, demum sacrum faciens à satellitibus L. Cœsonij Macri impetitus cum felicissimo Diacono Felice tribus hastæ ictibus confossus æternum Martyr præmium adeptus est XV. Kal. Aprilis. Anno Domini CC. LXXVII. Imperante Aureliano. In eius sarcophago hæc legitur inscriptio.

Christi Acta fatetur diabolus.

Baptizatur Hilaria & Afra cum filia, & alia multa.

Domus Hilaria Ecclesia efficitur.

Draconem in Alpibus perimit.

Gerundam deuenit.

Martyrio coronatur.

Eius sepulchralis Inscriptio.

ANNO DNI. CC. LXXVII. IV. KAL. NOV.
B. NARCISSVS. EPVS.
DVM MISSAM CELEBRAT PASSVS FVIT.
GERVNDÆ.
IN LOCO VBI IACET. ECCLA. CATHEDRAL.
CVM DIACONO FELICE.

Hæc mihi vera est, & genuina actorum Sancti *Narcissi* ecphrasis, quam breui comprobare proponimus ex antiquis, & neothericis scriptoribus, tàm nostris, quàm exteris. Et vt protinus manum ponamus ad aratrum; *P. F. Anton. Vincent. Domen.* qui hæc Acta diligentior compaginauit, licet *Narcissum* originarium ex *Gerunda* proponat, attamen hæc opinio, non quia ex vetustis, & Hispanicis hauserit monimentis originem, admissa per eum est, sed quia sic ex lectionibus Breuiarij Augustensis deprompta est, sic: *Beatus* Narcissus *Episcopus ex Hispania, ciuitate* Gerunda *nobilibus parentibus est ortus.* At cùm extructor illius lectionis, tantum natalem *Narcissi* diem agonalem agnosceret, ipsiúsque apud *Gerundam* obitum mucrone prospiceret, & à nullo ex suis, vel ex nostris, extunc, patriam martyris

Perperam origine Gerundensis scribitur.

edisceret,

ediſceret, quid mirum ſi, nulla efflagitante ratione, ortum expreſſerit apud *Gerundam*, penitus de propriâ origine circunductus? Omnes verò quotquot antiquitus, hoc eſt mediæ ætatis, Scriptores inueniuntur, qui de Sancto verba fecerunt Epiſcopo, penitus ignorarunt, vt ipſemet *Domenec* in exordio capituli profitetur, Patriam *Narciſſi*: à quo ergo lectionum fabricator hanc exhauſit originem? Sic *Marc. VVelſer.* qui ipſius vt Acta conſcriberet omnia excuſſerit *Auguſtana* monumenta, & tamen ieiunus de *Patria* euaſerit. Nec *Antonio Vincentio* adſtipulatur ſilentium Scriptorum; qui cùm penitus originis ſitum ignoraſſent, quid mirum ſi *Auguſtanis* non contrairent lectionibus. Iam verò quòd *Patria* ex *M. Maximo* perpenditur, quanta adeſt contradictio cognoſcitur. Ideo *Scalaby* Luſitaniæ vrbi reſtituimus, quod ignorantia extraxerat. Ipſius fuit vrbis ciuis originarius; vt Maximus noſter *in Chron. Ann.* 612. ſic: *Per hæc tempora celebris erat memoria Sancti* Narciſſi *Epiſcopi* Braccarenſis *in Hiſpania, Apoſtoli Rhetiorum. In vrbe Gerunda paſſus eſt ſub Aurelio. Fuit hic* Ciuis Scalabytanus *in* Luſitania: *qui diuinitus admonitus relictis Braccarenſibus* Vindeleciam *petijt*. En origo *Narciſci*.

Scalabys in Luſitania Patria S. Martyris.

Sed ne cum ſolo *M. Maximo* procedamus, inquirendum eſt, an alius hoc emiſerit ſymbolum; & meo videri, hunc lapidem mouit Hieronym. Pujad. *lib.*4. *Hiſt. Cathalon. c.*72. *fol.*208. hiſce formalibus verbis ſuo idiomate expreſſis, ſic: *Venint à parlar de aqueſt Sanct. han pretes alguns, que era de nacio Gothica de la Ciutat Scyritana. Pero las lliſons del Breuiari de Auguſta lo fan natural Eſpanyol, y dela Ciutat de Gerona.* Quæ Latinè ſonant: *Venientes ad loquendum de hoc Sancto, aliqui prætendunt natum fuiſſe in vrbe* Scyllitana *Gothia. Sed lectiones Breuiarij Auguſtenſis profitentur fuiſſe Hiſpanum ex vrbe Gerundenſi.* Ex vrbe *Scyllitana*? Paucis diſtat literis à *Scallabitana*. Quid mirum ſi in codicibus, à quibus deſumpſit hæc *Pujades* vitium ſcriptoris interceſſerit, qui corruptè, aut ſyncopeticè exſcribens pro *Scallabytanâ*, decurtauit *Scallitana*, & mutato, charactere, *a*, interpoſuit, *y* fortè agnoſcens illam, & iſtam ignorans.

Pujades locus vitioſus reſtituitur.

Sed non hîc ſolum iſtius vocis amphibologiam experior. Nam *Ado* in Martyrologio die Primo Auguſti agens de *S. Felice Martyre Gerundenſi*, illum vocitat *Scillitanum* origine, & ſi mea me non fallit opinio, confundit illos duos *Gerundenſes Felices*, alius, qui & *Apoſtolus Doctórque* compellatur; & alius, qui cum *Narciſſo* conſummauit agonem, & non diſtinguens *Ado* (prout non diſtinxit, nam de ſolo vno loquitur) amborum Acta, quod *Diacono* adnumerandum erat, *Doctori* adſcripſit. Ex quo mihi in mentem concipio, etiam *Felicem* Sancti *Narciſſi* Diaconum etiam fuiſſe *Scallabitanum*, idcóque *Scillitanum* nominauit. Quæ res congruit & *Narciſſo*, vt experiatur fuiſſe *Scallabitanum*, & ideò in ſcriptoribus pro *Scyllitano*, in vtriuſque Actis, *Scallabitano* ſufficiendum eſt. Hánceque opinionem non ſic digeſtam, nec authoritate *Pujades* vallatam amplexatur P. Biu. *d. n.*7. *fol.*298.

Adonis locus reſtitutus.

His ſic explicitis, ad *Secundum* veniamus congreſſum, in quo de *Epiſcopatu* diſceptandum eſt. Idem *P. F. Vincentius* ex Breuiar. Barcinon. contendit, fuiſſe in *Epiſcopum Gerundenſem* electum, & ſæuiente *Diocletiani* perſecutione in *Germaniam* (relictis ouibus) cum Diacono *Felice* aufugientem, *Auguſtam* perluſtraſſe; ibidémque in domo *Afræ* occuluiſſe. Hæc relatio (omitto de *Diocletiano* commentum) nonnullas patitur difficultates.

II. Dubit. Narciſſi Epiſcopi Sedem probamus.

Prima ſit, quòd *Sigiſmundus* Monachus *Auguſtanus* qui ab hinc CC. annis, *Chronicon* digeſſit *Auguſtanum*, à quo *VVelſerus* in vita *S. Afræ*, expreſsè refert, Sanctum *Narciſſum* à Domino admonitum ex Occidentalibus *Hiſpaniæ* populis aduentaſſe *Auguſtam*. Ergo non metu perſecutionis, vt autumat *Domenec*. Sigiſmundus, ſic: *Auguſta pòſt morabatur* (Afra) *ſed omnium euentuum præſcius, diſpoſitor, & rector, eius ſimplicem errorem miſeratus, euocauit ab occidentalibus Hiſpaniarum finibus lumen fidei, præclarum florem Narciſſum, vt ingerat Auguſtæ agnitionem Solis, qui neſcit occaſum.*

Non Gerunda: & quare?

Duo hîc ponderanda ſunt: Primum (quod ad noſtram attinet comprobationem) ex euocatione Domini *Narciſſum* iter peregiſſe, non vt inquit *Domenec*, ex metu perſecutionis in *Germaniam* confugiſſe. Secundum (& hoc poſtea explicabimus) quod ex *Occidentalibus Hiſpaniæ* finibus à Domino euocatus fuerit *Narciſſus*. Hic folium complicemus vt ſuo tempore deſeruiat. Si ergo euocatus, vt quid profugus

Non profugus Auguſtam adijt.

fugus? Nunc *M. Maximi* verba depoſco: *Qui diuinitus* (inquit vbi ſupra) *admonitus relictis Braccarenſibus Vindeletiam petijt*. Ergo rapiente ſpiritu, non effugiente ignauia. Sed hæc dicta ab aliis, à ſe ipſo dicta perpendamus: ait *Afra* in eius domum ingreſſo Pontifice: *Domine iniuriam grandem tibi feciſti, quòd ad me introiſti, ſum enim mulier peccatrix*. Et ille dixit: *Quò me Deus meus iuſsit venire, introiui*. Ergo ex voluntate reuelata Dei, non ex proprio timoris motu in tàm longinquam peruenit regionem. Secunda difficultas ſit, cuius folium complicatum omiſimus. Si ergo ex *Hiſpaniæ occidentalibus* finibus euocatus fuit Sanctus Pontifex, quâ poteſt *Geographiâ* verificari dicterium *Sigiſmundi*, in *Gerunda*; quæ in *Orientalibus Hiſpaniæ* exordiis inſpicitur? Quis tam caudex erit, qui his contradicat? Quis ignorat *Luſitaniam* in *Occidentalibus Hiſpaniæ* finibus eſſe? Ipſamet ſpeculatio interpellat pro me. Omitto Geographos. *Scallabis* ergo in *occidentali Hiſpaniæ* ſitu viſitur, inter *Vlyſsipponem*, & *Tomaram* in colle flumini *Tago* appoſito. *Gerunda* in Radice *Pyrenæ*. Ergo non euocatus fuit *Narciſsus* ex *Gerunda*, quæ in *orientali Hiſpaniæ* exordio eſt, ſed ex *Scallabi*, aut *Braccara*, quæ in *occidentalibus Hiſpaniæ* finibus iacent. Sed vt plenius ex labyrintho huius ſoluamur ænigmatis, triplicia venerandæ antiquitatis Hiſpaniæ Chronologiæ ſcriptorum teſtimonia referam, quibus ad lucis veritatem attingemus; ſit I. Luc. Flau. Dextr. *Ann.* 265. ſic: *Calydonio* Braccarenſi, *ad quem ſcribit S. Cyprianus ſuccedit* Narciſſus. Et ne exiſtimetur alium fuiſſe hunc *Narciſſum*, poſtea, *ann.* 277. indiuidualiter ſe explicans, ait: *Gerundæ Sanctus* Narciſſus *Epiſcopus* Braccarenſis *Martyr*. II. ſit M. Maximi. *d. ann.* 612. ſic: *Succedit* Narciſſus *Calydonio ad quem ſcripſit S. Cyprianus, cuius Epiſtolas tranſmittit ad omnes Hiſpaniæ Metropolitanos*. Hæc verba ſubiecerat, poſt illa ſuperius relata, quibus hæc noſtra confirmatur ſententia. III. Sit Iuliani Archipreſbyt. Tolet. *in Chron. n.* 103. ſic: *Sanctus* Narciſſus Braccarenſis *Epiſcopus, Apoſtolus* Auguſtæ Rhetiorum, *reuerſus in Hiſpaniam cum Archidiacono ſuo Felice, & ſocio, martyrium* Gerundæ *hoc tempore ſub Aureliano Prætore, & Præſide pro Chriſto patitur*. Quid clarius? Fortè maiora deſiderari poterunt teſtimonia? Perperam. Adhuc aliud addo iudicium. Hieronym. Pujad. *d. lib.* 4. *cap.* 72. *fol.* 208. *in fine col.* 2. hæc refert formalia verba, poſtquam à *Domenec* extraxiſſet opinionem ſuprà relatam: *Talguns volen, que en aqueſt temps foneh, quant lo eligiren Bisbe de Gerona. Como ſe vulla ſos, con lo propi ofici de Bisbe, ſia lo predicar, en quant pugan ells matexos*. Quæ Latinè valent. *Et aliqui volunt, quod in hoc tempore (poſt reuerſum ex* Auguſta in Hiſpaniam) *fuit, quando electus fuit Epiſcopus Gerundenſis. Sed quidquid ſit, vt Epiſcopus prædicabat, vt ipſi contendunt*. Quis ergo dubitabit *Narciſſum* fuiſſe Epiſcopum, quando prædicationis munere fungebatur? Dubium eſt, an *Gerundenſis*, an *Braccarenſis*? Et vt illorum ſententia à *Pujades* relata fert, nulliter *Gerundenſis* Epiſcopus iuit ad *Alpes Rhetias*, ſed ex ipſis rediens, & *Gerundam* attingens, eius tunc vrbis Epiſcopus electus eſt. Hanc opinionem amplectitur peruetuſtus Codex *Chronici Auguſtenſis* à *Matthæo Mareſchalco* ex MS. S. Afræ cœnobio editus, ann. 1066. ſic: *Nam poſt S. Afræ conuerſionem in Hiſpaniam rediens* (Narciſſus) *Gerundæ ordinatus presbyter, cum multos ad fidem conuerteret quadam die inter ipſa ſacrificiorum myſteria, à perſecutoribus dicitur trucidatus*. Quod facilè concederem, & non ſine aliorum exemplo, vt illa petebant tempora.

Sed Dei monitu.

Gerunda in Orientali Hiſpaniæ iacet.

Scalabys in Occidẽtali.

Probatur quod fuit Epiſcopus Braccarenſis.

Ad Tertium denique deueniamus agonem, qui de die, Anno, ſub quo Præſide, aut Imperatore martyrium pertulit *Narciſſus*, in controuerſiam vocat. Omnes enim noſtræ ætatis ſcriptores ad *diem XXIX. Octobris* eius agonem conſignant, attracti, eo quòd Martyrologia ipſo die paſſionem *S. Narciſci Hieroſolymorum* Epiſcopi appingunt. Quod fuit in cauſa, vt *Equilinus*, & alij inconcinnè Acta noſtri cum illo confundant, ideóque hoc die appoſitum martyrium eſt in epitaphio *Sancti Epiſcopi*. Nam *Gerundenſes* ignari de vero die paſſionis eius, variè antiquitus diem agonis celebrabant, cùm in excidio Hiſpanico Acta omnia amiſiſſe fateantur, his verbis in quadam Epiſtola *Berengary* Epiſcopi *Gerundenſis* ad Clerum *Auguſtanum*, Anno M. LXXXVII. Kal. XII. Auguſti ſcripta, quam poſtea integram dabimus, ſic: *De Sancto verò* Narciſſo, *dirigimus, quod habemus. Paſsionis enim illius librum, & obitus ſui diem, irruentibus Paganis, & Eccleſias noſtras vaſtanti*

III. Dubiũ circa Diem, & Annum agonis.

vastantibus, ac loca depopulantibus irrecuperabiliter amisimus. Transitûs verò eius festiuitas à nobis annualiter solemni studio celebratur XI. Kal. *Nouembris; Translationis autem, V. Kal. Octobris.* En varietas diei. En amissio actorum. En ab hinc DC. annis ignorantia transitûs. Vt quid ergo ad IV. Kal. Nouembris dies adsignatur à tantis scriptoribus. Pujad. *d. c.* 72. Errorem antiquorum agnoscens, & idem *P. Domenec.* animaduertens ex peruetusto *Kalend. Rom. & Martyrol.* vbi *Baron.* ad hunc diem, hoc est XV. Kalend. April. reducunt. Quod & fatetur Philipp. Ferrar. *in Topograph. Sanct.* verb. *Gerunda fol.* 57. *col.* 2. D. Roder. de Acuña *Hist. Braccar. tom.* 1. *c.* 39. *fol.* 160. & *in Hist. Vlyssipp.* 1. *p. c.* 14. *n.* 6. *fol.* 33. De *Anno* in duas itum est sententias. I. quam antiqui omnes, & aliqui Neotherici amplexantur, tempore *Diocletiani*, Præsidente in Hispania *Daciano* ad annum CCCIII. contendunt. II. Ex *Kalend. Rom.* & epigraphe sepulchrali tempore *Aurelij Aureliani Imperat.* ad annum CC. LXXVII. præscribunt. Háncque vltimam opinionem amplexi sumus, propter authoritatem *Flauij Dextri*, & *Marci Maximi*; qui quoad annum Martyrij, sic scriptum reliquit. *Passi sunt* Gerundæ, *sub L. Cæsonio Macro Lucilio Ruffiniano Viro Consulari, Hispaniæ Citerioris Præside. L. Domitio Aureliano Augusto II. C. Iulio Capitolino* Coss. Narcissus *tribus acceptis vulneribus in gutture, in ore, & in crure, tandem cum Archidiacono* Felice *consummatus est.* Sed vt verum ex verbis *Maximi* annum deprehendamus, sciendum est ex *Onufrio Panuino* in fastis consularibus *fol.* 256. *lib.* 2. his Consulibus, Aureliano, & Capitolino scilicet, ad Annum vrbis conditæ M. XXVII. incidisse, quorum Consulatus correspondit ad annum Christi Domini CC.LXXVII. vt his verbis probat Ioann. Cuspinian. *de Consul. fol.* 390. sic: *Autor ille ignotus de Præfectis horum* Coss. *mentionem ita facit: Aureliano II. & Capitolino* Coss. *Furius Orphitus Præfectus vrbis fuit.* En annum CC. LXXVII. quo ex *Maximo* per Consules, & ex *Dextro* per annos concordatum, & recognitum tempus passionis; ex quo aberrasse qui scripserunt tempore *Diocletiani*. Et licèt fasta Græca Consularia, & Panuini, & in Chron. assignent Consulatum Aureliani, & Capitolini ad annum CCLXXV. ea fuit causa, quia omiserunt Quictum, & Voldumianum, & Tacitum, & Placidianum, illi anno 275. isti 276. & Aurelianus, & Capitolinus anno CCLXXVII. Quorum defectio etiam in *Baronio* cognoscitur, aut propter non visum *Cuspinianum*, aut propter eius non admissam authoritatem. Quidquid sit vt nostræ, & *Dextri*, *Maximique* suffragetur veritati, Ioannis Cuspiniani sufficit authoritas.

Annus passionis liquido probatur.

Cætera quæ de Sancto *Narcisso* desiderantur, vt miracula, & alia passim apud *Domenec, Pujades, Acuña, Morales, Padilla*, & alios inuenies, dicta sufficiant. Dummodò ab *Acuña* abstineas, qui somniauit *S. Afram, & socias cum S. Episcopo Gerundæ* agonem consummasse; quia contrarium colligitur ex eius vita ab *VVelsero*, & *Sigismundo* scripta; & licet hæc veritas ab incepto errore animum Præsulis non sedasset, Acta inuentionis sacrorum pignorum apud Surium *tom.* 8. *die V. Augusti. n.* 17. *& sequent.* satisfaciant; & itidem *Chronic. Augest.* per *Matth. Mareschale.* editum ex MS. Codice peruetusto, qui ann. 1064. sic: *Henrricus Rex purificationem* S. Mariæ, *Augusta celebrauit. Ecclesiam* S. Vdelrici, *& S. Afræ à fundamentis incipit. Sanctorum corpora multa inueniuntur. Corpus etiam* S. Afræ, *igneæ combustionis adhuc signa retinens in Sarcophago lapideo decenter formato reperitur.* Hactenus hæc comprobatio.

Error Acuña.

S. Felix Diaconus.] Socius *Sancti Narcissi*, in origine, in prædicatione, in itinere, in feruore, in agone, & in gloria. Longè diuersus ab alio *Gerundæ* Martyre, qui & *Doctor*, & *Apostolus* appellatur. Iste *hoc die* cùm Sancto Pontifice martyrium pertulit, ille die *I. Augusti*; Iste Imperante *Aureliano*, ille *Diocletiano*; Iste origine *Scallabitanus*; ille vt creditur *Gerundensis*; Istius sacra lipsana apud *Parisios*, illius pignora apud *Gerundam*; Istius denique Acta cum *Narcisso*, illius autem facinora separata egregia. De hoc quotquot retulimus Scriptores in anamnesi *S. Narcissi*, de illo quos ad diem sui agonis referemus. Eius memoriam separatim duximus scribendam, vt de vno quoque cognoscatur anamnesis, quam breuioribus compaginabimus, vt Actus fert, periodis.

C. *Diuersitas inter duos Felices Gerundenses.*

ACTA

ACTA S. FELICIS DIACONI *Martyris Gerundensis, ex Variis.*

Origo. — *Diaconus factus.* — *Cum Episcopo Augustã petit.* — *Coronatur.* — *Corpus Parisios translatum.*

FELIX *ex honestis apud* Scallabim *Hispaniæ vlterioris* Lusitaniæ *vrbem, parentibus ortus, Sanctum* Narcissum *conciuem à primis lucis doctrinæ rudimentis insequutus, vsque ad vitæ exitum, ipsius non deseruit contubernium. Ex quo protinus, vt* Narcissus Braccarensis *Ecclesiæ infulas induit*, Felicem *Archidiaconatus munere decorauit. At* Rhetiam *Pontifex diuino inspirante numine, adiens;* Felix *se ipsius pedissequum infatigabilem præbuit, ita vt nihil Præsul sine Diacono consummauerit, nec Diaconus sine præcepto Prælati egerit. Post conuersionem autem* Afræ, *& cæterorum in* Hispaniam *rediens,* Gerundámque *cum* Narcisso *adiens, demum cum ipso Missæ sacrificium ministrans, à satellitibus impetitus pro Christi nomine occisus est.* XV. Kal. April. *Anno Domini* CC.LXXVII. *Imperante* Aureliano. *Eius corpus cum corpore* S. Narcissi *apud* Gerundam *sepultus ibidem quieuit; donec* Carolus Magnus *Franciæ Rex, nostrorum Sanctorum cum aliis Sanctorum* Germani, Paulini, Iusti, Scitij *Martyrum corporibus apud* Gerundam *inuentis, corpus* S. Felicis *Diaconi* S. Narcissi *Lutetiam* Parisiorum *transtulit, vbi honorificè quiescit.*

Istius ecphrasis contexturam refert P. F. Antòn. Vincent. Domen. *Hist. SS. Cathalon. lib. 1. fol. 26.* Hieronym. Pujad. *Hist. Cathal. lib. 4. c. 73.* ad cuius comprobationem hanc à *Berengario Gerundensi* Episcopo ad *Sighardum* Abbatem congregationis *Augustensis* Sanctæ *Afræ anno* 1087. epistolam transmissam, referunt.

Charissimo Patri D. Sighardo Abbati, & Vniuersæ, S. Vdalrici,
& S. Martyris Afræ congregationi. Berengarius.
S. Sed. Gerundensis Episcop. cum omni Clero,
& fideli populo perfrui bonis omnibus semper in Christo.

S. Felix Doctor. II. S. Felix. Diaconus. I.

Nouerit Dilectissima venerandus vestræ fraternitatis affectus, Nos, & vestrum Nuntium vidisse, & delegatas nobis à vestra fraternitate literas pio respectu perlegisse, & quod vestris precibus (licet id, quod nobis post Dominum charius est, expeteretis) nimia vestri deuinctos deuotione libenter annuisse. Tanta est enim à Christo commendata dilectionis integritas, vt quod sibi quis auidius retinendum esse elegerit, crimen esse perhorrescat, nisi petenti fideliter obtulerit. Quapropter Charissimi fratres huius charitatis iura seruantes, hinc, si dicendum est, præsumptionem facientes, beatitudini vestræ de sacrosanctis salutis nostræ thesauris mirificum munus dirigimus videlicet; Ex ossibus, & carne, & cruore terra mixtis, ac vestimentis Sanctissimi Doctoris nostri Felicis *Martyris Christi, scilicet illius, quem vt* Apostolum, *&* Prophetam *habemus. Non illius, qui Beatissimi Episcopi* Narcissi *Diaconus est dictus. Quoniam ipse translatus est à piissimo Rege Francorum Karolo, & apud* Parisiorum *ciuitatem feliciter requiescit. Item de gloriosissimi Patris Nostri* Narcissi *Pontificis, & Martyris Christi, vestimento, & stola cum quibus conditus est in sepulchro. De corpore autem eius, vobis ideo mittere nequiuimus, quoniam ita hactenus Dei gratia seruatur incorruptum, sicut ea die, qua spiritus eius de hoc sæculo nequam euectus est ad Dominum. Mittimus etiam vobis de ossibus capitis, atque manus* S. Romani *pretiosissimi Martyris Christi, socij videlicet prætaxati* Felicis *venerandi Martyris Gerundensis, Hispaniæque Doctoris. Sanctarum verò reliquiarum, quas destinamus, loculos adiunctis breuiculis, ne quis inscius error perturbaret, ita signando destinamus, quorum quisque gerat pignora, indubitanter notificet ignorantibus. Lætamini igitur in Domino dilectissimi, & exultate, & tantorum trium Patrum pignora sub Trinitatis nomine vos promeruisse gaudete. Et vt parcè loquamur, si non*

honorifi

honorificentius, non tamen irreligiosius, quàm à nobis custodiuntur munera fidei veræ credita conseruate, quatenus patrocinantibus ipsis, quorum pretiosissimum pignus in manibus habetis, & præsentis vitæ tranquillitate perfrui, & futuræ beatitudinis requiem consequi valeatis. Passionem præterea Sancti Felicis *vobis transmittimus, in qua natalis eiusdem Kal. videlicet Augusti prænotauimus. De gestis verò* S. Afræ *nihil amplius, quam vos, Nos habere cognoscite. De S. verò* Narcisso *dirigimus quod habemus. Passionis enim illius librum, & obitus sui diem, irruentibus Paganis, & Ecclesias nostras vastantibus, ac loca depopulantibus, irrecuperabiliter amisimus. Transitûs verò eius festiuitas, à nobis annualiter solemni studio celebratur XI. Kal. Nouembris, translationis autem V. Kal. Octobris. Valete, & pro nobis omnibus omnipotentem Deum exorate.*

Sacræ reliquiæ Augustam velata sunt Anno Christi Domini M. LXXVII. XI. Kalend. Augusti.

De huiusmodi epistolæ transmissione, & reliquiarum translatione, licèt nullus scriptorum viderit, memoriam inuenio in *Chron. August.* apud *Muith. Mareschalcum*, in quo ann. 1066. hæc referuntur verba: *Hoc anno missis ad* Gerundam *literis* Beati Narcissi *Episcopi, & inde Primi Augustæ Prædicatoris reliquiæ sunt adquisita, cum epistola* Berengarij Gerundensis *Episcopi, & cum omni honore* Augustæ *delata cuius sacrum corpus ante paucos annos dicitur integrum, atque incorruptum inuentum, cilicio indutum, passionis plena seruans stigmata.* *Transferūtur Reliquiæ S. Narcissi Augustam.*

Gervnda. De ea diximus supra *Tom. 1. ad dies XVII. fol. 181. & XXII. Ianuar. fol. 243.* quibus duas sententias circa ipsius vrbis conditores apposuimus. Nunc *Philippo Cæsari* dedicationem à *Gerundensibus* factam, & Anno 1608. repertam dabimus, ex Pujad. *lib. 4. c. 54. fol. 196.*

Inscriptio apud Gerundam.

M. IVLIO.
PHILIPPO.
NOBILIS-
SIMO. CÆ-
SARI.
R. P. GER.

QVARTODECIMO KAL. APRILIS.

DIES XIX.

A. *Vimarasij in Gallecia* S. Leontii *Episcopi Braccarensis, qui primò Philosophus ethnicus, pòst Theologus Christianus cùm fuisset, ad Braccarensis fastigium sublimatus Ecclesiæ, pascua ouibus salutaria præbebat, cui S. Melchiades Pontifex, natione Hispanus epistolam direxit; tandem post assistentiam Concilijs Romano, & Nicæno Confessor inclytus in Domino obdormiuit.*

B. Braccaræ *in Gallecia* S. Apollonii *ipsius vrbis*

Episcopi, qui sic diœcesim per Nicenæ Synodi regulas strenuâ libertate correxit, vt eius fideles decreta eiusdem amplecterentur Catholica; demùm in Toletano Concilio pro assignatione Diœcesum, vnicuique Sedi facienda congregato consistens, in vrbem reuersus, clarus doctrinâ, vitam cum morte commutauit.

NOTÆ.

A. SANCTI APOLLONIVS & LEONTIVS Episcopi.] Hactenus quarum fuissent Sedium Pontifices ignoratum. Iam ex Nostris peruetustis Scriptorum monimentis, cognitum. Eorum extat me- *Martyrologia.* moria in omnibus Martyrologiis. Sic *Vsuardus*, & cæteri hoc die. SS. APOLLONII, & LEONTII *Episcoporum*. Conueniunt Alexand. de Peregrin. Maurolyc. & Martyrol. Rom. Lusit. Castellan. & Hispan. P. Higuera MS. hac serie: *En* España *los Santos Obispos* APOLONIO y LEONCIO, *que grandemente florecieron en letras, y santidad en Braga.* Quæ Latinè valent: *Apud* Hispaniam *vrbe* Braccarâ *SS. Episcopi* APOLLONIVS, *&* LEONTIVS *qui literis,* *Error Equilini, & Galesini.* *& sanctitate mirificè claruerunt.* Irrepsit error in Codicibus Petri de Natal. *lib.* 11. *cap. fin. num.* 92. vbi nomen *Apollonij Episcopi*, mutatum in titulo vrbis inuenitur, dicentis: *Apollonij vrbe.* & Petri *Galesinij* affirmantis *Apolloniæ*; ita vt quem *Vsuardus* & cæteri cum *Rom. Martyrolog.* vno ore vocant APOLLONIVM socium LEONTII, & ambos Episcopos, ac Braccarenses ambos; vterque *Petrus* absque ratione, vocabulum inuertens de *Episcopi* nomine, *vrbem* effecit, ideóque corrigendi sunt eorum codices, & cum *Romano* & cæteris recentioribus dicere: *Eodem die* SS. APOLLONII, *&* LEONTII *Episcoporum.* Cum quo conueniunt Martyrolog. Castellan. *P. Vazq.* & Lusitanum *PP. Societat.* IESV. Hæc coniunctim de vtroque Præsule apud Ecclesiasticas tabulas necessariò à Nobis agendum fuit; nunc de vnoquoque separatim, ne vnius ACTA cum alterius rebus gestis confundamus.

De S. Leontio. Ergo de LEONTIO tanquam antiquiori verba faciamus. Eum fuisse Episcopum *Braccarensem* ipsius Ecclesiæ referunt diptycha *num.* 15. hac serie: S. LEONTIVS *Constantinopolitanus Philosophus, literis, & virtute insignis, obijt Anno Domini* CCC. *Scriptores.* XXVI. *Die* XIX. Martij *in Oppido* Vimaranio, *vulgò* Guimaraïs. De eo S. M. Maxim. *in Chron. Ann.* 459. vbi Roder. Car. *fol.* 169. *lit. C.* & P. Biu. *n.* 7. *fol.* 169. Iulian. *in Chron. num.* 148. *&* 151. Acuña *Hist. Braccar. tom.* 1 *cap.* 45. *fol.* 187. Olim in Ecclesia *Tolosona* celebris erat memoria, vt refert Saussay *in Supplem. Martyrolog.* *Non fuit Episcopus Vicentinus.* *Gallican fol.* 1184. *die* 22. *Nouembr.* Hinc non sunt audiendi Ioann. de Nigrauall. *in Chron. epilog.* 13. *cap.* 18. & Philipp. Ferrar. *in Catal. Gen. SS. h d. fol.* 117. qui contendunt absque auctoritate fuisse Episcopum *Vicentinum* in Italia; quia cum ex se ipsis loquantur, potiùs antiquioribus Chronographis est danda fides. Sed ad Acta venio.

ACTA S. LEONTII BRACCARENSIS Episcopi, & Confessoris, ex Var. Scriptorib.

Origo. LEONTIVS *ex Constantinopolitana Orientis Metropolis vrbis, quæ &* Brizantinm *dicta est, honestis familijs originem traxit.* *Educatio.* *Hic in iuuentutis exordio literis deditus, vanam Philosophorum gloriam quæritans, communi* *Conuertitur.* *elatione inescatus, tempus, & oleum perdens, primæuos ætatis flosculos detruncauit. Sed elucescente cælestis luminis radio, ad veritatis Euangelicæ splendorem sitibundus accurrit. Hinc humilior redditus,* *Hispanias adijt.* Hispanias *adiens, &*

humanis,

humanis, atque diuinis literis imbutus Braccaram *lustrans, faciè, vacante Metropolitica Sede, ad eius fastigium, omnium concurrentibus suffragijs euectus est. In cuius Cathedra sic eluxit eruditus, vt* S. Melchiadis *Pont. Max. Pontificijs meruerit literis honorari. In quarum ecphrasi, tria circa Ecclesiasticæ eruditionis normas symbola continentur*, videlicet de causis grauibus Episcoporum, vt à nemine, nisi à Sede Apostolica terminentur. *Quòd* declaratio circa Baptismi, & Confirmationis maioritatem ad salutem Sacramentorum, tantum Sedi Apostolicæ reseruetur. *Demùm quòd* ieiunia in diebus Dominicis, & Quintis Feriis, cùm hæc magis ad Gentilicos, quàm ad Catholicos ritus spectent, omninò reprobata damnentur. *Quæ omnia Sanctissimus* Præsul *in sua sedis circulo obseruari præcepit. Sed succedente* Siluestro *in vniuersalis Ecclesiæ culmine, & Constantino Magno fidem Catholicam amplectente, datâ Ecclesiis vrbis, & orbis pace, vt ipsius sacrum celebrius exequeretur baptismum, Romæ indictum à* Siluestro *Concilium indicitur; cui inter alios, qui Vrbem ex* Hispania *transfretarant Antistites, vnus* Leontivs *interfuisse dignoscitur. Hic cùm varia ad Christianæ Religionis normam, & fidei exaltationem, damnatis Hyppoliti, Calixti, & Victorini hæresibus, decreta sancirentur sanctiora, B. Præsul ad* Nicænæ Synodi *consessum cum alijs Pontificibus Hispaniæ iter direxit; quo absoluto, cùm ad propriam repedaret sedem, apud* Vimarasium *suæ Diœcesis vrbem, vltimum vitæ exalauit spiritum, & ad æternam Sedem Confessor inclytus properauit* XIV. Kal. April. *Anno Domini* CCC. XXVI.

Fit Episcopus Bracarensis.

Illi scripsit S. Melchiades.

Interfuit Concilio Romano.

Et Niceno.

Moritur.

S. Leontivs quòd fuerit patriâ *Constantinopolitanus*, professione *Philosophus*, post Tabulas Braccarenses probant Iulian. *in Chron. Ann.* 306. *num.* 143. hac periodo: *Mortuo Sinagio Bracarensi Pontifice* (successit) Leontivs *Constantinopolitanus Philosophus.* & D. Roder. de Acuña *Hist. Braccar. d. cap.* 45. suo Lusitano idiomate: *Ia gouernaua Constantino, & ja abjurada la idolatria seguia as vandeiras de Christo, quando Saon* Leoncio *natural de* Constantinopla *&* Filosofo *sapientissimo, era Arcebispo de Brega*; quæ sic Latinè: *Iam Constantinus imperij clauum tenebat, & iam abiuratâ idololatriâ Christi sequebatur vestigia, cum* S. Leontivs *origine* Constantinopolitanus, *& scientiâ* Philosophus *sapientissimus; erat Archiepiscopus Braccarensis.* Quatenus ad Epistolam à *S. Melchiade* missam, ipsa de se testimonium perhibeat. Cuius tenor *in Tom.* 1. *Concilior. post vitam* S. Melchiadis *fol.* 209. ex editione Coloniens. Ann. 1618. inuenitur, qui aliquibus omissis talis est.

Fuit origine Constantinopolitanus, & professione Philosophus.

MELCHIADIS PP. EPISTOLA DECRET.
Ad omnes Hispaniæ Episcopos.

Dilectissimis Fratribus Marino, Benedicto, & Leontio, *cum cæteris Hispaniarum, ac illis in partibus constitutis Episcopis; Melchiades.*

Apostolici *præcepti verba sunt apud Iudæos, atque Gentiles sine offensione nos esse debere. Hoc quisquis Christianus est, totâ animi virtute custodit. Quod cum ita sit, non parum periculi, illi manere poterit ante Deum, qui hoc detrectat, etiam fidelibus exhibere. Nam qualiter Nos, qui neminem perire volumus, ista contristent, quæ authoribus Christianis percellunt animos Christianos, Dominicus in Euangelio sermo testatur. Ait enim ipse Saluator: quod expediat scandalizanti vnum de pusillis, in maris profundum demergi, &c. Quod Dei ordinatione taliter ordinatum esse credimus, ne omnes posterorum cuncta sibi vindicarent, sed semper maiores causæ, sicut sunt Episcoporum, & potiorum cura negotiorum, ad vnam B. Principis Apostolorum Petri Sedem confluerent, vt inde suscipiant finem iudiciorum*

Causa Episcoporum ad Sedem Apostol. pertinent.

De Sacramentis Baptiſmi & Confirmationis. De Ieiuniis diebus Dominicis, & V. Feriis extirpādis.

vnde acceperunt initium inſtitutionum, ne quandoque à ſuo diſcreparent capite. &c. *De his verò ſuper quibus rogaſtis vos informari, id eſt, vtrum maius eſſet ſacramentum, manus impoſitio Epiſcoporum, aut baptiſmus, ſcitote magnum vtrumque eſſe ſacramentum.* &c. *Ieiunium verò Dominici diei, aut feria quinta nemo celebrare debet, vt inter ieiunium Chriſtianorum, & Gentilium; veraciter credentium, atque infidelium, & hæreticorum, vera, & non falſa diſcretio habeatur,* &c. *Deus autem pacis det vobis id ipſum ſapere in alterutrum, & omnes, & ipſe ſit ſemper vobiſcum in omni loco,* Amen. *Datis Kalend. Martij Voluſiano, & Ruffino.* V V. CC. Coss. Cuius anni data ſecundum Panuinum *in Chron.* fuit ann. CCC. XIV.

Epiſcopus fuit Braccarenſis.

In huius epiſtolæ titulo adeſt nomen *Leontij Epiſcopi Hiſpani*, ſed cuius fuerit Sedis, dicet aliquis, non liquet. Cui vt ſuccurramus tacitæ obiectioni, debitum ſoluat Iulianus noſter *in Chron, d. n.* 143. ſic: *Mortuo Melanthio Viro Sanctiſſimo, Confeſſoréque celeberrimo, ſuccedit in Sede Toletana, totius Hiſpania primate Marinus Ricuſinus Epiſcopus, qui interfuit Concilio Illiberitano, iudicio S. Marcelli Pontificis; & Sinagio* Braccarenſi *Pontifici*, Leontius, *Conſtantinopolitanus Philoſophus: Benedictus, Marciano Tarraconenſi, ad quos ſcribit* S. Melchiades *Papa Romanus, anno CCC. XIV.* De interuentu *S. Leontij* in Concilio Romano, ſic idem Iulianus in Chron. n. 148. *Conſtantino baptizato, & à lepra mundato, Silueſter in gratiarum actionem Synodum Romæ contraxit; ibi gratias agit Deo, & Imperatori, in quo interfuit Imperator, Auguſta mater, Helena,* S Leontius Braccarenſis, *Marinus Toletanus, & credi poteſt, alij Hiſpani Epiſcopi.* De huius Synodi decretis, ipſa conſulantur, & Baron. *Annal. Eccleſ. tom.* 3. *ann.* 325. De aſſiſtentia *Leontij* in Maximo, & Primo Generali Eccleſiæ Catholicæ Concilio (in cuius expeditione, decretis, & reſolutione, poſt Spiritus ſancti placitum, & auxilium, ad *Hiſpaniæ* gloriam, omnis proſperitatis euentus debetur *Oſio* Cordubenſi, & Ciui, & Epiſcopo, aliiſque *Hiſpaniæ* Prælatis) apud Nicæam; extat ipſius Iuliani apertus ſermo *in Chron. n.* 150. ſic: *Natalius S. Melantij Toletani Archiepiſcopi Archidiaconus, olim ſcriptor Eccleſiaſticus egregius contra hæreticos, interfuit Concilio* Niceno *Generali: Oſius Cordubenſis,* Leontius Braccarenſis, *Coſtus Cæſarauguſtanus.* Et ſi aliquis de hoc dubitet, cùm *Leontij* ſubſcriptio non inueniatur, reſpondetur: *Oſium* pro omnibus *Hiſpaniæ* Præſulibus ſubſcripſiſſe, ſicut *S. Alexander* pro omnibus Ægypti Prælatis; extra quod, ſi Baronio credimus *in Annal. Eccleſ. d. ann.* 325. *pag.* 266. Spiridionis, Herpocratij, & Cynonis eximiorum Pontificum ſubſcriptiones defuiſſe contendit. Imo Euſebius Cæſarienſ. *Hiſt. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 7. *aſſerit: Ex ipſis* Hiſpaniis *vnus nomine, & fama celebritate inſignis cum aliis multis* (Hiſpaniæ) *affuit.* vt cognoſcatur non improbabile eſſe, quod aſſerit *Iulianus.* Denique de tranſitu Sanctiſſimi Confeſſoris, die, & anno, iſta Iulian. *in Chron. num.* 151. verba *Sanctus* Leontius Braccarenſis *Pontifex rediens ex Concilio* (Nicæno) *moritur* Guimaranij *in Gallacia* XIX. Martij. *Ann.* CCC. XXVI. Verbum enim, *Quæ tunc dicebatur Apollonia.* ſuperfluum videtur, & ab aliquo caudice interpoſitum, vt cum Equilini, & Galeſini errore, errorem concordaret. Hinc miror quo pacto P. Biuar. *in Chron. Max. Ann.* 460. *numero* 7. *folio* 196. credidit *Guimaranium* fuiſſe *Apolloniam*, contra verum Geographorum ſenſum. Ideóque illud conſultò omitto, cùm nec Guimaranius vllo fuit tempore *Apollonia* nomine cognitus, nec eſt autor qui ſimile dixerit commentum. Corpus Sanctiſſimi Præſulis, vſquedum Deus Opt. Max. in terræ viſceribus occulit; donec pro bono Reip. patefacere illud permittat.

Interfuit Concilio Romano. *Et Nicæno.* *In quo Oſius pro omnibus Hiſpaniæ Epiſcopis ſubſcripſit.* *Annus mortis.*

S. Appollonius. Hunc Sanctiſſimum Præſulem immediatum fuiſſe ſucceſſorem *Sancto Leontio* in Sede Braccarenſi, *Iulianus* noſter teſtatum reliquit, & ideò in diptychis *Braccarenſium* Præſulum immediatè ſubiicitur, vt ex ipſis patet, ſic: S. Apollonius *ſuccedit* Leontio, *quo anno obierit ignotum.* D. Roder de Acuña *in Hiſt. Bracc. tom.* 1. *c.* 46. *fol.* 191. coniectat, & bene, eius memoriam Præſulis ineſſe in illa *Martyrologij Romani* clauſula hoc die; qua, coniunctim *Leontij* & *Apollonij* meminit. Nam cùm vterque fuiſſet *Braccarenſis* Epiſcopus, & vterque Confeſſor

Succeſſit Leontio in ſede Braccar.

gloriosus,

gloriosus, fortè die *Apollonij* transitus ignorato, sicut, & anno, ne tanti Præsulis memoria deperiret cum consocio Sedis, & successore coniunxit. Cui rationi libenter subscribo. Acta eius, sicut de aliis altum contraxerunt silentium, ideò, vt credimus, respectu illius temporis cursu, aliqua concinnabimus acta, quæ verisimile est gessisse, in eius vitæ, & Sedis termino.

ACTA S. APOLLONII CONFESSORIS, EPISCOPI Braccarensis ex Iulian. & aliis Scriptoribus.

APOLLONIVS, *vt ex nominis contextura cognoscitur, originem Græcam traxit, sed* Hispanum *domicilium habuit. Nam ad cælos translato* Leontio *Braccarensis Ecclesiæ Præsule, protinus, vt ex istius morte populi lachrymas tergeret* Apollonius *Pontifex illius inauguratus est Sedis. Erat tum pax apud omnes Ecclesias diffusa, quo nouus Prælatus, expunctis aliquot Gentilitatis erroribus, & horroribus, sua Diæcesis puram Euangelica veritatis regulam seminauit. Credendum est* Toleti *ad Concilium à* Natali *Toletano Pontifice coadunatum, in quo, ex Constantini Imperatoris nutu, & Siluestri Papa monitu, Episcoporum Hispania antiqua Sedes, qua suos fines amiserant, receperunt, aduentasse, inque eius dispositione, & perfectione non parùm profuisse, vt ex Metropolitici ordinis officio pertinebat, omnibus, quibus in suo huiuscemodi dignitatis munere curapræscribitur. Soluto Concilio ad Sedem reuertens, omnia Synodi in eius Metropoli adimpleuit decreta, in quorum executione multa perpessus, industria, & vigilantia Pastoralis oneris tandem quietem populis comparauit. Demum his expeditis ad æterna præmium tranquillitatis feliciter permeauit.* XIV. Kal. April. *circa Ann.* CCC. XXXIV. *Imperante Constantino, & Pontificatum obtinente Siluestro.*

Fit Episcopus Braccarensis.

Interfuit Concilio Toletano.

Moritur.

De Successione *Apollonij* post Leontium, sic Iulian. *in Chron. n.* 163. Leontio *in Sede Braccarensi succedit* Apollonius. Vtrumque coniunctim nominat M. Maxim. *in Chron. Ann.* 461. vbi Roder. Caro *lit. E.* & P. Biu. *num.* 7. *fol* 196. referens eorum sanctitatem in pretio per illa tempora esse habitam, sic: Apollonius, *& Leontius Sanctissimi Pontifices in Hispania clarent.* Quòd tempore huius sancti Præsulis Concilium Toletanum à *Natalio* fuisset indictum pro restitutione Sedium Episcopalium Hispaniæ, patet ex Fl. Dextr. *Ann.* 324. sic: *Sub Natali Toletano Pontifice, & Præside iussu Constantini Concilium Toleti contrahitur: Episcoporum antiqua Sedes, qua suos fines amiserant, receperunt.* Iulian. Tolet. *in Chron. ann.* 319. *n.* 147. Constantinus (*inquit*) Magnus, *ex decreto Siluestri Papa, Sedium Episcopalium terminos antiquos in Hispania, & alibi restituit.* De hoc Concilio agunt Chron. General. *Hisp. lib.* 10. *c.* 32. Vass. *in Chron. ann.* 338. Moral. *lib.* 10. *c.* 32. Padilla *cent.* 4. *c.* 46. & alij plurimi. Nec relationi obstabit, quod *Dexter*, & *Iulianus* ante Concilij Nicæni consessum, hoc Toletanum reponant, quia cùm *Apollonius* fuerit post *Nicænum*, vt ex ordine ex *Dextro* constat, & *Leontius* in itinere, obdormisset in Domino, præcisè ad tempus *Apollony* congregatio huius referenda est. *Concilium Toletanum indicitur à Natalio, & qua de causa.*

De Anno transitus Sancti *Apollony*, nihil certum: ad annum CCC. XXXIV. eius mortem appinxi, quia *D. Roder. de Acuña*, eam fuisse refert Imperante Constantino, & Siluestro Papatum obtinente, quod precisè ad hunc annum peruenisse fatendum est, quia S. Siluestri mors euênit in fine ipsius anni. De quo videndus Panuinus *in Chron.* *Quo Anno vita exiuit?*

BRACCARA. AVG. De ea diximus supra Tom. 1. die I. Februar. fol. 16. vbi Primam de huius vrbis origine sententiam subscripsimus, Inscriptionémque Romanam, non Ægyptiam exscripsimus. Sed quia alibi de hac vrbe Gallæciæ Metropoli dicturi sumus, illuc Lectorem mittimus.

TERTIODECIMO KAL. APRILIS.

DIES XX.

A. DVMII *in Gallacia Hiſpaniæ* S. MARTINI *ipſius vrbis Epiſcopi, poſt Braccarenſis: Qui cùm eius prædicationis inſtantiâ, & glorioſiſsimorum verbo, & exemplo, facinorum exiſtentiâ Sueuorum populum à fœda Arianæ contagionis hæreſi conuertiſſet, & in fidei Catholicæ norma, & regulis collocaſſet eundem; doctrinâ celebris, ſanctitate coruſcans, miraculis fulgens, & famâ conſpicuus, æternam à Domino repromiſsionem Confeſſor inclytus adinuênit.*

B. ROMÆ, *Natalis SS. Martyrum* VICTORIS, *vrbis Italicæ in Hiſpania* DVCIS, & SEBASTIANI *illius Ciuitatis accolæ, & Militis: Qui cùm ex eadem vrbe, vbi Chriſto nomen dedêre, Romam ferreis vinculis propter eius confeſsionem, perducerentur, ibidem martyrio coronati, lauream agonis perceperunt æternam.*

NOTÆ.

A. SANCTVS MARTINVS Dumienſis.] Celebre apud Scriptores Eccleſiaſticos, tàm proprios, quàm exteros, eius nomen agnoſcitur: Quorum elogia in vnum congerere, longum eſſet, ſed breuitati conſulentes, eadem per ſynopſim complectemur. Hugo Menard. *in Martyrolog. Benedict.* hæc verba recenſuit: *In* Hiſpania *depoſitio* S. MARTINI *Dumienſis Epiſcopi, qui Suauos ab Arianiſmo ad Eccleſiæ fidem conuertit.* Ferè eadem Arnald. VVion *in Martyrolog. Monaſtico*, & *lib. 2. Lign. Vit. fol.* 307. Pluribus Martyrolog. *Luſitan.* & MS. *Hiſpanum*, ſuis idiomatibus, & Cæſ. Baron. *in Not. ad Martyrolog. Rom. die* 21. *Iunij lit. H.* licèt; cùm res *Hiſpanas* obiter, & quaſi per tranſennam tractaſſet, de Vnico *Martino*, Tres effeciſſet, hac ſerie: *Eiuſdem quoque nominis extitit* MARTINVS Gallicienſis, *de quo Gregorius Turonenſis* de Geſt. Franc. lib. 5. c. 37. *& ad quem extat carmen* Vennantij Fortunati. MARTINVS Braccarenſis, *qui interfuit II. Concilio Hiſpalenſi, & præfuit Braccarenſi.* MARTINVS Dumienſis, *de quo Iſidorus* de Viris Illuſtrib. Quis talia crederet in homine Eccleſiaſticæ eruditionis Magiſtro, & Annalium Sacrorum facilè Principe? Quis, ſi aliquantulum Sanctorum Hiſtorias perlegit, in re tàm communi deficeret? Quis vnquam dixit MARTINVM *Gallicienſem*, diuerſum à *Dumienſi*, & *Braccarenſi*, ſi literas didicit? Sed ad elogia reuertor. Philipp. Ferrar. *in General. SS. Catalog. h. d. fol.* 117. Georg. Cardoſ. *in Offic. SS. Portugall.* in hymno:

Martyrologia.

Baronij lapſus.

Martinus in Gallacia vnus, non Tres.

Ecce

Ecce MARTINVS Dumiense *lumen,*
Heresis fœda validus fugator.

Ex *Scriptoribus Ecclesiasticis* primas ferat B. Isidorus Noster *de Vir. Illustr. cap.22.* ista referens: MARTINVS Dumiensis *Monasterij Sanctissimus Pontifex, ex Orientis partibus nauigans, in* Gallæciam *venit, ibique conuersis ab Ariana impietate, ad fidem Catholicam* Suæuorum *populis, regulam fidei, & sanctæ Religionis constituit, Ecclesiasticos reformauit, monasteria condidit, copiosáque præcepta pia institutionis composuit. Cuius quidem ego legi librum de Differentiis Quatuor Virtutum, & aliud volumen Epistolarum, in quibus hortatur vitæ emendationem, & conuersationem fidei, Orationis instantiam, eleemosynarum distributionem, & super omnia culturam virtutum omnium pietatem. Floruit regnante Theudomiro Rege Suæuorum, temporibus illis, quibus Iustinianus in Republica, & Athanagildus in Hispaniis imperium tenuêre.* Quo loco Aubert. Miræus *fol.87. in Bibliothec. Eccles.* & *Dumiensem*, & *Braccarensem* Episcopum agnouit. Eadem Sigebert. Gemblacens. *de Scriptor. Eccles. c.19. & 117.* Honor. Augustodon. *c.26.* Ioann. Trithem. *de Vir. Illustr. Benedictin. lib.2. c.13.* In Diptychis Braccarens. *n.32.* ista: S. MARTINVS *ex Episcopo* Dumiensi, *Primas Braccarensis factus, vir literis, & sanctitate insignis, præfuit* III. *Braccarensi Concilio, clarus miraculis migrauit à vita circa annum 579. colitur eius festum* XX. *Martij.* Hinc Ecclesia *Braccarensis*, & *Eborensis*, vt ex earum Breuiariis patescit ad eum diem eius natalem celebritatem reiiciunt. Ex Chronographis, S. M. Maxim. *in Chron. Ann. 531.* vt Caro *fol.184.* & P. Biu. *fol.385.* Ann.562. vbi Caro *fol.190.* & P. Biu. *fol.459.* Ann.569. vbi Roderic. Caro *fol.195.* & P. Biu. *fol.522.* Ann.579. vbi Caro *fol.198.* & Biuar *fol.576.* Iulian. Petr. *in Chronic. n.279. & 282.* Luc. Tudens. *in Chron. Ætat. 6. c.10.* Venant. Fortunat. *lib.5. Poëmat.* Greg. Turon. *Hist. Franc. lib.5. c.37.* Aymoin, Monach. *de Gest. Franc. lib.3. c.38.* Roder. Tolet. *Hist. Suæu. c.16.* S. Isidor. *ead. Histor. Era 502. tom.2. fol.165.* Ioann. Vass. *in Chron. lib.1. c.20.* Ambros. Moral. *Hist. Hisp. lib.11. c.57.* Ioann. Marian. *lib.5. c.9.* Padill. *Hist. Eccles. Hisp. Cent.6. tom.2. c.31.* Ioann. Mariet. *Hist. SS. Hisp. lib.5. c.18.* Valer. Histor. *lib.8. tit.6. c.7.* Baron. *tom.7. Ann.583.* Britus *Monarch. Lusitan. 2. p. lib.6. c.19.* Anton. Yep. *in Chron. Benedict. tom.1. Centur.1. Ann.563. cap.1.* D. Prudent. Sandou. *in Fundat. Mon. Castell. §.4. fol.10.* D. Roder. de Acun. *Hist. Braccar. tom.1. c.71.* Vincent. Blasc. de Lanuz. *Hist. Eccles. Aragon. tom.1. lib.1. c.37.* & alij quàmplurimi, è quibus hocce ACTORVM symbolum texuimus.

Scriptores Ecclesiastici. *Breuiaria.* *Chronographi.*

ACTA S. MARTINI DVMIENSIS Episcopi, pòst Braccarensis, & Suæuorum Apostoli, ex Variis Scriptoribus.

MARTINVS *genere* Pannonus *ex nobilibus parentibus natus, à primæua educationis infantia, nobilissimâ ingenij dote commendatus, præclarum sui specimen præferebat. Opinioni successit euentus; nam cùm iam adolescens literis Latinis, & Græcis inescatus, illarum specimina comprehendere destinasset, sic earundem rudimenta percepit, vt per totas vtriusque idiomatis origines cothurnatus incesserit. Ast cùm in patria altiora adipiscenda subsidia defuissent, Orientis Academias, vbi tunc literarum studia vigebant, & sacra redemptionis nostræ inuisendi loca desiderans, illuc adire totis viribus præoptabat. Sed stantibus patriæ illecebris in contrarium, & obstantibus cognatorum diuersa suadentium obicibus, adhuc in animo itineris meditati conamina frigescebant. Cùm ecce Numinis inspiratione commotus in secretario cordis audiuit:*

Origo. *Educatio.* *Patriam deserere iubetur.*

Quid trepidas Martine? alio sub Sole calentes
Quære plagas: Patriam desere, Christus ait.
Nec desiderio nimium tangare Parentum;

I, conscende ratem, te mare, & aura vocant.
Littus in Hesperium venies, vbi torua luporum
Ora premes, ouibus pabula læta dabis.
Errant mille meis sine lege in montibus agnæ,
Tu dux errantis, tu Pater esto gregis.

[Orientem adiit.] *Isthæc vix in animi præcordiis verba cognouit resonantia, & eorum pondus trutinauit* MARTINVS, *quando depositis totius affectionis obstaculis, in animo concipiens, quanta in eo Deus munera construere destinarat, patriam relinquens, & versus Orientem iter dirigens, Ierosolymam peruenit, vbi deosculatis humili cordis contritione sacris Nostræ Redemptionis pignoribus; literarias Philosophorum, & Patrum Catholici dogmatis Academias sedulus perlustrauit, quibus perfectioris puros doctrinæ haustus ebibens, ad scientiæ culmen Catholicæ auidus properauit.* *[Græcis literis excultus.]* *Hinc tantus in Græcanis literis præfuit, vt passim Græcus origine putaretur. Sic ergo vitam transigebat* MARTINVS, *quando cognitâ Sueuorum* Gallæciam *habitantium Arij epidemiâ, zelo fidei accensus, & perpensâ Numinis voce, Ioppem peruenit,* *[Gallæciam deuenit.]* *& in* Hispaniam *contendens,* Gallæciam *pertingit, eo tempore, quo Oratores* Theodomiri *Regis Sueuorum ex Turone Galliæ deuenerant, qui pro consequenda* Mironis *Principis sanitate, ex Patris affectu, sepulchrum Sanctissimi* Martini *Turonensis Episcopi, votis & donis exhibitis visitauerant: ad cuius auxilium partem chlamydis* S. Martini *adserentes;* *[Miraculũ S. Martini Turonensis.]* *illicò, quòd corpus tetigit* Mironis *(morbo discedente) illæsum Principem dereliquit. Quo miraculo Rex, Proceres, & Palatini eximiè præ lætitia elati, gratias Deo agebant, confisi quòd eorum aliquantocius misereretur, vt ab illa cæcitatis ignorantia, ad lucis veritatis portum incolumes peruenirent. Talium Deus non oblitus seruorum iam ad portum conduxerat medicinam; cùm Regi Braccaræ commoranti (erat & tunc hæc Augusta ciuitas Sueuorum Principum Curia) nunciatum fuit, quòd in portum descendisset quidam externus, & peregrinus homo, cultu humilis, aspectu venerabilis, in vitæ pœnitentiis vnicus, in moribus sanctissimus, & quod magis erat nomine* Martinus, *sicut ille à quo Primogenitus acceperat sanitatem. Alacris* *[Martinus ad Regem ducitur.]* Theodorimus *simili præuuntio, illicò peregrini aduentum ad se solicitè procurauit: ad cuius primum intuitum* sic, *Deo ordinante, viscera Regis, Principis, & Sueuæ nobilitatis præcordialiter attraxit, vt breui omnium animos in manu gestaret, & minimorum affectus ad libitum deliniret. Tanta protinus* Martini *sanctitatis vitæ spargebatur opinio, virtutisque, & operum tale diuulgabatur exemplum.*

[Eleutherius Episcopus Braccarẽsis Martino adhæsit.] *Sedem autem* Braccarensis *Ecclesiæ tunc* Eleutherius *vir doctrina, & sanctitate conspicuus Pontifex obtinebat. Cuius spiritus adeò* Martini *zelo sustimus conspiciebatur, vt post aliquot inter viros Dei de reductione Sueuorum ad Catholicam fidem congressus, constitutum est, vt vterque sigillatim arma veritatis arriperent, animos demulcerent, & corda ad Trinitatis cognitionem conuerterent. Tunc*

[Prædicat Martinus Sueuis.]
Spiritus ille sacer Martini *hæc intonat ore:*
Pectoris arcanos pande Suæue *sinus.*
Æqualem sobolem Diuinam agnosce Parenti,
Accedet regno gloria magna tuo.
Hæresis, ille (velut Sol celer) discutit vmbras;
Vt lucem excipias, pande Suæue *sinus.*
Cæcigena magnum est homini dare posse salutem;
Cæcorum regnis hanc dare quantus honor?

Quæ

Quæ verba non solum acriora populis fulminabat Martinus, sed etiam Regi, Proceribus, & Nobilitati intorquebat. Cui fulguranti voci nullus erat, qui resisteret, cùm & ipse Rex veritatis lumine expergefactus, in viscerum sacrario, dicere inceperit:

Regis confessio.

Filium æterno Patri Rex minorem
Hæresi infectus Theodomrus inquit
Credidi; tabes eadem Suæuos
  Inficit omnes.
Voce Martini meliora sanus
Audio; infectus populus loquentem
Audiat, dicet: Miser heu sepultus
  Nocte iacebam!

& totius Regni.

His primæuis lucis exordijs Theodomirus Rex, Mirus Princeps, & cætera Procerum caterua tumultuatim ad vera religionis dogmata properantes, consubstantialem Filium cum Patre confitentes ad pedes Martini prouoluti, absolutionem facinoris postulabant. Ille Deo grates referens omnes solabatur, per vicos, oppida, & vrbes circumiens fidem Nicænæ Synodi prædicans, Catholica Suæuis dogmata seminabat, quousque diuina miserante clementia, omnium vota suscipiens, Arianæ hæresis, cuius contagium per ferè centum annos illius miserabilis regni accolas oppresserat, abiurationem à Rege, Principe, Palatinis, Nobilibus, Episcopis, Clericis, Senioribus, Plebeijs, Populis, & vicis impetrauit. Quo opere in perfectionem redacto Martinus, (qui iam Sancti Benedicti cucullum induerat) Braccaræ conquiescens, vt religiose nobilitaretur Augusta ciuitas famulatu, qui ad opus ministerij prædicationibus conuersionis, exemplis, & virtutibus coadiuuasset, à Theodomiro Basilicam extra vrbis mœnia, vno penè milliari distantem, quam Rex proprijs sumptibus Diuo Martino Turonensi dicatam, in recognitionem sanitatis Mironi Principi impartita, construxerat, impetrauit. Protinus ergo Martinus ibidem interuenientibus Regis, & Procerum donationibus insigne illud nomine Dumiense cœnobium erexit, & ascitis ex Gallia, & aliis præclarissimis monachis, vitam quasi Angelicam agebant. Sed Theodomirus qui adhuc Martino se debitorem perhibebat, ex Lucretij Episcopi Braccarensis permissu Monasterium in Cathedralem Ecclesiam erigere curauit. Quod vt factum, ipsius Pontifex Martinus electus fuit. De quo ista adest gratulatio, & auguratio Episcopatus.

Abiuratur hæresis Ariana.

Exstruitur Dumiense Cœnobium.

Sedes Episcopalis fit.

Felici Hispanos ratis appulit alite fines,
  Nec mora cœlestem Braccara sentit opem.
En Martinus adest, ardentis ab ore fauillæ
  Mille volant, horrent tartara, Christus ouat.
Hæresis in flammas, pietas in gaudia surgit:
  Exornat meritum Dumia mitra caput.
Braccara ne inuideas, tuus est Pater ille futurus;
  Exigua est tanto Dumia mitra Viro.

Peruenit ad cœnobium electio, Regis præsentatio, & Episcopi confirmatio, & licèt humilitas, & diffidentia sui tantum honoris pondus, & graue oneris pensum cognouisset, cum verè humilis fuisset, superut nutus arbitrio, vt deberet præesse, intelligens, & tamen præesse contemnens, diuinis dispositionibus subditus, atque à vitio obstinationis alienus, & ex corde fugiebat, & inuitus obediuit. Exemplo Moysis vtrunque miro ordine explens, qui præesse tantæ multitudini, & intus noluit, & foris consensit. Igitur à Lucretio Martinus consecratus,

In ea eligitur Episcopus, Martinus.

Iam Sanctus Monachus & Pontifex aliquot in his exercitiis annis Sedem Braccarensem *cùm rexisset*, *ab* Aria Miro *Rege efflagitatus*, *exposcentibus publicis fidei*, *& politiæ causis*, *Concilium aliud* Braccarense *sedulus Pastor indixit*. *Cui XII. Præsules interfuerunt*, *scilicet* Martinus *Braccarensis*, qui præfuit; Remisol *Visensis*; Lucentius *Conimbricensis*; Adorius *Egitanensis*; Sardinarius *Lamecensis*; Viator *Magnetensis*: *hi omnes ex Metropoli Braccarensi. Ex Lucensi*, Nitigisius *eiusdem Ecclesiæ Metropolita*; Andreas *Iriensis*; VVitimer *Auriensis*; Auila *Tudensis*; Polemius *Asturiensis*; Mailocus *Britoniensis*; *Qui omnes Acta Synodica subscripserunt*, *in quorum dispositione* Martinus *post proœmialem aduentus orationem ad Præsules*, cùm

Concilium Braccarēse II. indicitur.

Viderat insano rugitu errare Leones
Martinus, *rabido viderat ore Lupos:*
Pastores properate (inquit) *properate*, *tyrannus*
Tartareus tendit retia mille gregi.
Protinus occurrunt alacres; *errantibus*, *aiunt*;
Aduenisse ouibus sentiat Orcus opem.
In scelus est armanda phalanx Martine, tremiscant
Tartara, *virtutis sydera tangat apex.*
Qua patet auxilium Primatem Hispania poscit
Te, *Martine*; *gregis tu memor esto tui.*
Ille *vibrentur*, ait, *sacra fulmina*, *fulminet æther*;
Hæresis auctores fulmina nostra premant.
Quid nos; *vt speculum vitæ melioris amemur*;
Pastorum pietas ductat in astra greges.
Braccara *Concilium hoc venerare*; *hoc suscipit orbis:*
Disce hinc Primatis gloria quanta tui est.

Multa in hac Synodo prouisa intueri est salubria, *quæ XI. capitulis inclusa continentur*, *post cuius decreta*, LXXXIV. *titulis ex Orientalium Synodis capitula ex Græco in Latinum versa collegit*, *& ordinauit*, *quæ* Nitigesio Lucensi *Metropolitæ dicauit*, *sic:*

Inscripsit Nitigesio Lucensi Decretā Patrum Orientaliū.

Domino Beatissimo, atque Apostolicæ Sedis honore
suscipiendo in Christo fratri *Nitigesio* Episcopo,
vel vniuerso Concilio Lucensis Ecclesiæ;
Martinus Episcopus.

Sancti Canones, qui in partibus Orientis, ab antiquissimis Patribus constituti sunt, Græco priùs sermone conscripti sunt: postea autem succedenti tempore in Latina lingua translati sunt. Et quia difficile est, vt simplicius aliquid ex alia lingua transferatur in alteram, simúlque, & illud accidit, vt in tantis temporibus scriptores, aut non intelligentes, aut dormitantes, multa prætermittant; & propterea in ipsos Canones aliqua apud simpliciores videantur obscura; ideóque visum est, vt cum omni diligentia, & ea quæ per translatores obscuriùs dicta sunt, & ea quæ per scriptores sunt immutata, simpliciùs, & emendatiùs restaurarem; hoc simul obseruans, vt illa quæ ad Episcopos, vel vniuersum pertinent Clerum, vna parte conscripta sint; similiter, & quæ ad Laicos pertinent; simul adunata, vt de quo capitulo aliquis scire voluerit, possit celeriùs inuenire.

Hactenus

Hactenus Martinus *in Epistola ad* Nitigesium, *nunc in Concilio ferventi spiritu, & festinanti affectu*

Voce potens, calamóque suum Martinus *ouile*
Seruat; Auernales stix ligat ima canes.
Græca Patrum monumenta legens, plebs accipe (dixit,)
Dogmata, quæ fuerant Græca, Latina damus.
Instar apis, visos benè olentes floribus hortos
Percipitis, fidei si thyma, mella date.

Dimissis Synodi Patribus, Sanctus vir vitæ subsequentis hanc arripuit regulam: Ouium ocularis Pastor inuisebat vlcera, catholicisque medicabatur acesmis, & ideò vniuscuiusque meminerat visitando, docendo, & subueniendo, ac si illam vnicam haberet, & sic omnibus prouidebat, ac si omnes in vna consisterent. In cæteris infatigabilis spiritu sanam doctrinam prædicabat, Catholicam fidem stabiliuit, sanctæ religionis normam constituit, Ecclesias formauit, & Monasteria condidit. Ex eóque postmodùm Galliciensis *Apostolus est vocitatus.*

Sueuorum Apostolus dictus. Miraculũ.

Hoc temporis interuallo euenit illud celebre de quo S. Gregorius Turonensis *meminit miraculum:* Florentius (*inquit*) maior causa legationis *Gallæciam* adiit, atque ad *Mironis* Regis præsentiam accedens negotia patefecit iniuncta. Erat enim eo tempore *Miro* Rex in ciuitate illa, in qua decessor eius Basilicam *Sancti Martini* ædificauerat. Ante huius ædis porticum, vitium camera extensa per traduces dependentibus vuis, quasi picta vernabat. Sub hac enim erat semita, quæ ad sacræ ædis valuas peditem deducebat. Cúmque Rex sub hac præteriens, animi gratia, templum hoc adiret, dixit suis: *Cauete ne contingatis vnum ex his botrionibus, ne forsitan offensam sanctitatis eius incurratis. Omnia enim quæ in hoc habentur atrio, ipsi sacra sunt.* Hoc audiens vnus puerorum, ait intra se: *Vtrum sint hæc huic saculo sacrata, an non; ignoro. Vnum scio, quod deliberatio animi mei est, de his vesci.* Et statim iniecta manu caudam botrionis cœpit incidere; protinúsque dextera eius adhærens cameræ, arente lacerto diriguit. Erat enim mimus Regis, qui ei per verba iocularia, lætitiam erat solitus excitare. Sed non ei adiuuit cachinnus aliquis, neque præstigium artis suæ, sed cogente dolore, voces dare cœpit, ac dicere: *Succurrite viri misero, subuenite oppresso, releuate appensum, & Sancti Antistitis* Martini *virtutem deprecamini, quia tali exitu crucior, tali plaga affligor, tali incisione disiungor.* Egressus quoque Rex, cúmque Acta fuerant didicisset, tanto furore contra puerum est accensus, vt eius manum vellet incidere, si à suis detentis non fuisset. Dicentibus tamen præterea famulis: *Noli ô Rex iudicio Dei, tuam adiungere vltionem, ne fortè iniuriam, quam minaris puero, in te retorqueas.* Tunc ille compunctus corde, ingressus basilicam, prostratus coram sancto Altari, cum lachrymis preces fudit ad Dominum. Nec antea à pauimento surrexit, quam flumen oculorum huius paginam delicti deleret. Quo à vinculo, quo nexus fuerat, absoluto, ac in basilicam ingresso Rex eleuatur à solo, & sic recipiens incolumen famulum, palatium repetiuit. *Hæc accidisse nostro* Dumiensi Martino *Braccarensem obtinente sedem manifestum est, nam* Gregorij *periodus, ex nomine Regis* Mironis, *tempúsque efflagitant. Et non minus verba* Mimi, *qui* Martini Antistitis *auxilium deposcebat.*

Quæ Cœnobia construxerit.

Igitur Martinus *inter alias excelsæ nominis prærogatiuas accepit illud inclytum Patris Monachorum cognomen, ex eo quod plura, & illustria condidit Monasteria Quæ breuiter ab scriptoribus referuntur.* I. fuit *Dumiense,* quod

quod ad Pontificatus peruenit apicem. II. *Maximum* ad radices *Argei* montis. III. *Tabaniense*, ad Occidentale latus non longe à *Braccara*. IV. *Antoninum*, ad montem *Britonensem* iuxta Ecclesiam *Barbudensem* ad Aquilonarem *Braccara* plagam. V. *Victorinum*, intra ipsam *Braccarensem* vrbem Sancto *Victori* dicatum. VI. *Villarense* inter *Braccharam*, & *Bratiam* conditum iuxta litora fluminis *Cauadensis*. VII. *Vargense*, à *Bratia* vrbe circiter M. P. VIII. *Magnatense*, de quo altum silentium. IX. *Turris*, quod *S. Saluatori* dicatum, *Dumiensis* cœnobij Colonia fuit. X. *Claudianum*, cuius vices nomine *S. Claudy* Ecclesia amplectitur parochialis. XI. *Cabanense*, quod adhuc titulo *S. Ioannis* perseuerat. XII. *Axense*, hodie nomine *S. Cosmi* apud *Vallem veteam*.

Non tantum operibus contemplatiua vitam orationis agebat Sanctissimus Vir, sed etiam ingenij, doctrina, & eruditionis codices conscribebat; Quorum indicem paucis absoluemus, contenti relatione encomiastica Turonensis: *Vt nulli in literis secundus suis temporibus haberetur.* I. libellus de *forma honesta vita ad Mironem Regem*, dequo hoc apud me in argumenti titulum, Epigramma: Eius Opuscula. I.

Instruit in vitium Martinus *mille cohortes,*
Non patitur scelerum tollere monstra caput:
Nunc face, nunc ferro, nunc est scelus arte piandum.
Rex, ait, hac toto dogmata corde sinu.
Discutit errorum cacam prudentia noctem,
Iustitia humanum lanx regit aqua genus.
Victricem ostentat mentis constantia palmam:
Laudatum rebus ponere disce modum.
Formula viuendi regno prascribitur: Illa
Vtere, erunt regni tempora fausta tui.

Item II. de moribus, *in quo hortabatur ad emendationem vita, conuersationem fidei, orationis instantiam, eleemosinarum distributionem, & super omnia (cultum omnium virtutum) pietatem.* III. *Opusculum* de correctione rusticorum, *qui cùm fideles essent, Idolis honorem exhibebant, de quo en aliud Epigramma.* II. III.

Impia dum sequeris radiantis signa metalli
O plebs, monstra Erebi prodigiosa vides.
Quid demens tua prouoluis genua ante Baalem;
Protinus erroris contrahe vela tui.
Te Pater amplexu excipiet Martinus, *Olympi*
Ostendit veram (tu sequere) ille viam.
En liber in manibus, titulum lege, diuide cultum,
Diis offer falsis verbera, thura Deo.

Hincque & IV. transtulit per manum *Paschasij* Diaconi interrogationes, & responsiones plurimas Ægyptiorum Sanctorum Patrum. Et aliquot Epistolarum codices, dequibus hæc carmina. IV.

Missa frequens castos describit Epistola mores:
Quò vox ire nequit, litera missa potest.
Non vni tantum mittuntur opuscula genti;
Eoas adeunt, Occiduásque plagas.

Eſt Martine *tibi terrarum anguſtior orbis,*
Inſtructo orbe libris, vocibus aſtra petis.

V. *Scripſit Opuſculum pro repellenda iactantia, ſuperbia; & exhortationis ad humilitatem. Item de affectibus iræ, & quo pacto leuiatur.*

VI. *Opuſculum de* Paſcha.

VII. Carmina. *Quæ Tria hactenus inexcuſa, damus.*

His omnibus, quæ ad vitæ ærumnoſæ terminum pertinebant, diſpoſitis, ſupereſt, vt ea quæ ad vitæ æternæ originem conduxerunt exſcribamus. Illam denudare concupiuit, vt à vinculis carnis abſolutus, propiùs Domino accederet. Hanc induere ſatagebat, vt depoſitis mortalitatis horroribus, illam immarceſſibilem perpetuæ lucis claritatem adquireret. Ergo corpus annis, & infirmitatibus correptum, in morbum incidit extremum, Cuius virus ſugens protinus annoſi Præſulis vires, in vltimum vitæ halitum deſtinauit. (*Mortis horam nouit.*) *Cognouit* Martinus *animæ, & corporis futuram, licet breuem ſeparationem, ideóque Sanctis munitus ſacramentis, quibus ad illam vtitur horam Catholica Eccleſia; in arenam pauperculi lectuli ſacco indutus, & cilicio inſtructus, ad illius horæ congreſſum Athleta glorioſus antiqui hoſtis inſidias, ſedulus ſpectabat. Sed Chriſtus, cuius in ſuos prouidentia non deficit; nec minùs in illius termini anguſtia,* B. Virginis *Matris, & Sancti* Martini *Turonenſis Præſulis ſocietate roboratus; Angelicis ſtipatus choris, fortiter dimicauit, & audiens à Domino:* Euge ſerue bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui, *in eius manibus animam commendauit.* (*Moritur.*) XX. *die* Martij. *Anno Domini* D. LXXXIII. *Imper. Tiberio Auguſto. & S. Pelagio II. Pontificatum obtinente. Sepulsus fuit in eius* Dumienſi *Cænobio; Cuius ſacra pignora poſtea vt diximus reperta ſunt die* V. *Menſis* Februarij. *Anno* M. D. XCI.

Huius ſanctiſſimi Antiſtitis ſic vitæ ecphraſi compaginatâ, ad aliquorum comprobationem, exornationémque deſcendamus. Et primò de *Origine S. Martini.* Illuſtriſſ. Garſ. de Loayſa *in Notis ad Concil. Braccar.* illum ex Græca proſapia fecit, ſic: (*An Græcus an Pannonius?*) *Martinus Braccarenſis Epiſcopus capitula edidit Synodorum Græcarum, quæ citantur à Gratiano. in c. Propter eccleſiaſticas. diſt. 18. Erat* Græcus, *& hæc capitula Græca, Latina fecit, vocatur liber Capitulorum Martini. Hic cùm eſſet* Græcus *ad vtilitatem Eccleſiarum Hiſpaniæ hæc capitula Græca, Latina fecit, & alia quædam ex Latinis addidit, & à Græcis aliqua detraxit. Alia etiam ex Toletanis Conciliis poſuit* Græcus homo, *& ad mores noſtrorum hominum Græcos ritus ſanctè, & prudenter accommodauit.* Hactenus *Loayſa.* Attamen errorem contraxit doctiſſimus Antiſtes. qui *Martinum* origine Græcum effecit cùm *Sanctum Martinum* fuiſſe Pannonum, hoc Venantij Fortunati *lib. 5. Poëmatum* exaſtichon oſtendat.

(*Loayſa.*)

Martino *ſeruata nouo* Gallicia *plaude,*
Sortis Apoſtolicæ Vir tuus iſte fuit.
Pannoniæ (*vt perhibent*) *veniens è parte Quiritum*
Eſt magis effectus Galli-Suæua *Salus.*
In ſulcum ſterilem vitæ plantaria ſauit,
Quo matura ſeges fertilitate placet.

Gregor. Turonenſ. *lib. 5. Hiſt. Franc. c. 17.* ſic: *Hoc tempore, &* B. Martinus Galliciensis *obijt Epiſcopus, magnum populo illi faciente planctum. Nam hic* Pannoniæ *ortus fuit, & exinde ad viſitanda loca ſancta* in Orientem *properans, in tantum ſe literis imbuit, vt nulli ſecundus ſuis temporibus haberetur; exindéque in* Gallæciam *venit.* Aymoin. Monach. *de Geſt. Franc. lib. 3. c. 38. fol. 107.* ſic: *Ea tempeſtate* B. Martinus Gallicienſis *migrauit ad Dominum. Hic* Pannonia *oriundus, loca ſancta* in Oriente *circumiens, abundè ſe illic literis imbuit, & per* Gallæciam *reuertens,* &c. Ex quorum teſtimoniis lucem accipit *S. Iſidori* de B. *Martino* elogium, ſic: *Martinus Dumienſis Monaſterij ſanctiſſimus Pontifex,* ex Orientis partibus *nauigans in Gallæciam*

Gallaciam venit. Illa ergo verba Isidori *ex Orientis partibus venit Gallaciam*, eadem sunt, quæ Gregorij Turonensis, *in Orientem properans, ex indeque in Gallaciam venit.* & quæ Aimoini, *in Oriente circumiens, & per Gallaciam reuertens.* Hoc est, *Isidorum* non de origine locutum, sed de loco à quo in *Gallaciam* venit indicatum, aliorum authorum euidentia nos facilè persuadet. Ideóque qui ex *Isidoro* originem *Græcam* imponunt *Martino*, hac *Turonensis*, & *Aymoini* declaratione, meo videri præcisè ab opinione discedent. Corroboratur duobus irrefragabilibus testimoniis. I. sui Epitaphij fragmentum, à pluribus relatum, sic:

Pannoniis *genitus transcendens æquora vasta.*
Gallæciæ *in gremium diuinis nutibus actus.*

II. M. Maxim. *in Chron. Ann.* 540. *fol.* 186. *col.* 2. sic: *Martinus* Pannonius, *Vir sanctissimus & sapientissimus fit Abbas Dumiensis in Gallacia.* Nec in hoc est magni facienda clausula impressa Iuliani *in Chron. n.* 279. in qua dicitur: *Huius Episcopi tempore* (cum *Sanctus* Martinus Græcus natione, *qui fuit primus Episcopus Dumiensis prope Braccaram, conuertit Suaues.* Nam primò illa particula, *cum*, inter parenthesim collocata abundat. Secundò quia in Codicibus correctioribus, non *Græcus natione*, sed *Gallaciam nauigat*, inuenitur. Quæ lectio aptior, & purior dignoscitur, & veritati coniunctior, licet D. Roder. de Acuña. *d. c.* 71. *n.* 3. Iuliano respondens aliam coniectauit excusationem. *Codicis Iuliani lapsus.* *Corrigitur.*

Quod fuerit *electus Episcopus Dumiensis Monaiterij*, nemo est qui ambigat. Cuius verò territorij gregem acceperit hæc Sedes Monastica, ab aliquibus desideratur. Concilium apud Lucum diuidens Diœcesûm fines, ait: *Ad Dumium* familia *Seruorum.* Et in diuisione VVambæ apud Loaysam, fol. 137. sic: *Ad Sedem Dumiensem* familia *Regia.* Hunc locum sic interpretatur D. Gars. de Loays. in Not. Concil. Lucens. fol. 153. n. 8. *Dumio Monasterium prope Braccaram, singularis obseruantia, in Hispania à Martino ædificatum, & cuius ipse fuit primus Abbas, & Episcopus, & ob eius honorem in Episcopalem Sedem erectum. Hodie templum extat miræ antiquitatis, de quo abundè ab Scriptoribus nostris. Attribuitur ei tantùm* familia Regia, *hoc est regimen Sanctorum* Monachorum: *nam ipsi sunt* ex Regia familia; *& alibi dicitur* Familia seruorum, *qui Christo Regi summo dicati, studium omne in cultu religionis, & pietatis collocant.* Deuota, & profectò pia interpretatio, si P. F. Bernardo Brito arrideret. Qui 2. *p. lib.* 6. *c.* 14. *Monarch. Lusit. fol.* 198. friuolam, & indignam appellat. D. Roder. de Acuña. *Hist. Braccar. c.* 70. *n.* 16. *fol.* 301. fatetur huiusmodi verba quamplurimos torsisse authores in eorum intelligentia. Ambros. de Moral. *Hist. Hisp. lib.* 12. *c.* 50. *fol.* 174. *col.* 2. extendit hanc *Dumiensis* Præsulis iurisdictionem, non solum ad familiam, & seruos Regis, sed ad cæteros Curiales, qui aut negotiorum causa, aut alio quolibet interuentu Curiam sectarentur. Idem D. Roder. de Acuña *in Hist. Portuens. tom.* 1. *cap.* 4. *fol.* 55. *col.* 1. contendit ex *Brissonio* de *Verb. signif. lib.* 6. verbo *Familia*, hanc comprehendere seruos, qui domi, forisue stipendium siue salarium à Rege, seu Domino percipiebant. His sic relatis, vt ex radice quid hæc significet vox, cognoscamus, aliqua scitu digna subiiciemus. *Familia* ergo apud antiquissimos, *Famelia* scribebatur, quæ vox tantum seruos venalitios comprehendebat, ex *Festo*, qui etymologiam illius nominis inueniens, ab *Osca* dictione *Famel*, quæ seruum significat, deducit. *Sueton.* in August. c. 42. *Magna verò* (inquit) *quondam sterilitate, ac difficili remedio, cum* venalitias, *& lanistarum* familias *Vrbe expulisset.* Vbi Læuin. Torrent. ad hunc locum *fol.* 99. sic: Familiam *vocant I. C. plures simul personas sub vnius potestate, & quidem* seruos *ferè.* Venalitia *Mangonum est, ipsi nempe venales.* Passerat. *in Not. ad Catull. de Nupt. Pelei*, & *Thetid.* in vers. *Qua tibi iucundo.* fol. 49. sic: *Famularer serua.* Id est: *famula, &* ancillæ *officio fungerer. Seruus Osca dictus* Famel, *vnde* Famelia, *inde Familia.* S. Isidor. *lib.* 9. *Etymol. c.* 5. à *Femore* deducit, sic: Familia *autem à* Femore. *Femur autem genus, & stirps ostenditur. Nam* familia *pro* seruis *dicitur.* Elegans locus Senecæ Nostri *Epist.* 47. sic: *Ne illum quidem videtis, quam omnes inuidiam maiores nostri dominis, omnem contumeliam seruis detraxerint? Dominum Patrem* familiæ *appellarunt:* Seruos (*quod adhuc in mimmis etiam durat*) *Quod territorium habuit Dumiensis sedes Martini?* *Familia quid?*

Lucenſis Synodi locus explicatus.

familiares. Quibus ſic intellectis, & explicatis, venio ad locum *Lucenſis* Synodi. *Ad Dumium* familia *Seruorum*. Hoc verbum *ſeruorum*, inter Grammaticos (ſecundùm opinionem relatam) abundat. Nam ſi *familia* ad *ſeruos* refertur, vt diximus, additio ad familiam, *ſeruorum*, ſupereſt. Sed quidquid ſit, in re tam ſubſtantiali operæ pretiū fuit his duplicatis dictionibus vti, ne daretur litigiis occaſio. Et ideo ſi verbis *Lucenſis* Concilij adhæremus, *Dumienſis* ſedis tantum ad *ſeruos venalitios*, qui ſub haſta, & mangone venditi ſunt, iuriſdictio extendebatur. At cum hæc vox *Familia* aliquas in poſterum ampliationes recepiſſet, neceſſe erit, vt de vnaquaque verba faciamus, vt *Dumienſi* Præſuli maiora tribuamus. Ergo deinde paulatim inualuit vſus, vt etiam liberi, vxor, & nepotes, *familia* nomine comprehenderentur.

Perſonas quas comprehendit Familia.

Ioan. Spondan. ad *Homer. lib. 4. Odyſſ. verſ. 4. lit. A. fol.* 199. ſic: *Nam cum ex marito, & vxore, & liberis, & ſeruis conſtetur tota* familia, *verum maritum, & veram vxorem in Vlyſſe, & Penelope effecit*. Pulchrè Lactant. Firmian. de *Ver. Relig. lib. 4. c. 3.* ſic: *Nec immeritò* Paterfamilias *dicitur, licet tantùm* filios *habeat; videlicet nomen Patris complectitur etiam* ſeruos, *quia familias ſequitur, & nomen* familiæ *complectitur etiam* filios, *quia Pater antecedit, vnde apparet eundem ipſum, & patrem eſſe ſeruorum, & dominum filiorum*. En ex relatis prorogata iuriſdictio Epiſcopatus *Dumienſis*, qui non ſolum in *ſeruos Regios*, ſed etiam in *Regem, vxorem, & filios*, cæterámque ipſius *prolem* extendebatur, ideóque in ſecundo loco dicitur *ad ſedem Dumienſem* (expuncto verbo ſeruorum) *familia Regia*. Quia ſub nomine *familia* ex Lactantio, & Spondano, & vxor, & filij, & ſerui comprehenduntur. Sed qui hi ſerui? Plures antiquitas agnouit diuerſitates. Nam alij fuere *Venality* vt diximus, alij *ordinarij, nutrity, ſerui ad menſam, ſerui ad pedes, ſeruus à Chyſtalinis, obſonatores, ſtructores, Pocillatores, Penuculi, Vocatores, Coqui, Piſtores, Atriarij, Æditini, Fornatarij, Anteambulones, Curſores, Lecticarij, Capſarij, Arcarij, Epiſtolarij, Nomenclatores, Emiſſarij, Diſpenſatores, Exactores, Calculatores, Linteones, & Triumpales*. Item *Coronales*, aut *Laureati*, & *funerarij*. De quibus ſingulis qui plura volet, adeat VVolfg. Laz. *de Rep. Rom. lib.* 12. *c.* 4. Catol. Paſch. *de Coron. lib.* 8. *c.* 8. Krikhem. *de funer. lib.* 1. *c.* 9. & plures alios. Sed vt altiora conquiramus, ad *familia* ſignificationem calamum applicemus. Igitur *Familia* verbum, ad eos quoque tranſlatum eſt, qui ex eadem ſunt *cognatione*, vt *Cæſarum familia*, & aliæ huiuſcemodi, de qua quia tritum, non longiùs procedemus. Videſis Fuluij Vrſini, Antonij Auguſtini Noſtti, Richardi Streinnij Schuuarzenauij, & aliorum volumina de *Familijs* tractantia.

Seruorum diſcrimina.

Familia Regia, quæ ex Loayſa?

Hic obiter vnum notandum duxi, pro opinione *Garſia de Loayſa* ſuprà relata, quòd *familia Regia* crederetur *familia Monachorum* Deo ſeruientium, aut alibi vitam inculpabilem peragentium; ſcilicet, quòd hinc acceperit exordium, vetuſtus ille vſus in Inſcriptionibus Gothorum continuatus, quibus ſe *famulos Dei* eſſe fatebātur, quia in voce *familia, Famulus*, & *ſeruus*, & *filius* cōprehendūtur, vt ex Lactantio diximus; Ex quo venit corrigenda ſententia D. Didaci Morales ordinis Calatrauenſis cruce inſigniti, in *Amico-Critica exornation. Funerar.* ad Inſcriptionem *Saturnini* Emeritenſis *Ann.* 1650. repertam (de qua Nos Primi; pòſt, idem D. Didacus; & demùm *D. Garſ. Coronel*, Iacobæus Eques, meæ Extremaduræ lumē, Hiſpaniæ lans, & eruditorum fax, ſolemnes commentarios edidimus. Sed hac diſcrepantiâ; Nam licet *Coronelius* meus, in exordio Elucidationis *fol. 2. in princip.* referat, ſe ante omnes, qui prælo has Exornationes dederant, illas primitus exaraſſe; *vt omnibus* (inquit) *eſt notum, nec ignorat aliquis, cui antea huius diſcurſus ſummam perlegi, quàm ipſe ſuam ſcribere conſtituiſſet*; intelligendum eſt hoc exordium, haud quaquam pro me conſtructum, quia, vt ipſe mihi retulit, prorſus me in illius explicatione diſtentum fuiſſe, ignorauit) in ipſa Vrbe Emeritenſi, vbi ingenij ambitione ſubductus, aut ignoratione formularum ſepulchralium in Gothis, auſus eſt aſſerere, oſcitanter, & barbara locutione à Gothis ſcriptā vocem in ſepulcris FAMVLVS DEI, cùm iſthæc vox ſit infimæ conditionis ſignificatiua; hinc eius loco reponenda SERVVS DEI, tanquam magis commoda, & triuialis. Quia vt eruditè reſpondit meus *Coronelius in d. Elucidat. fol.* 21, à vera *Lucretij*, cuius ſententiam traxit, mente deuiauit. Eiúſque partes vt par eſt, aſſumentes, & vires viribus applicantes, noſtrum vtriuſque *Garſia* iudicio, ſymbolum offeramus. Ille in Not. ad Concil. apud Luc. fol. 153. n. 8. dixit,

Amico-critici cuiuſdā error.

Famulos

Famulos Regios fuisse Monachos, quia *ipsi fuit ex Regia familia*: ergo *Saturninus Emeritensis* qui ex mea sententia *Monachus* fuit, optimo iure Regum Regis *famulus* debuit vocitari. Iste *in d. Exornat. fol.* 20. eruditissimè *Famulus Dei* vocem vindicat, referens Auson. Popmæ *lib.* 2. *de Different. Verbor.* sententiam, quâ *famulorum* officia, à *seruorum* subiectione discernit. Cuius assertioni, post Lactant. *de Ver. Relig. lib.* 4. *c.* 3. placitum supra relatum, addere placuit expositionem ad illud Eccles. *c.* 7. quo dicitur: *Seruum ne lædas in veritate operantem, neque Mercenarium dātem animam suam*; ab Ebroicens. *in sermon. de Confessor.* relatam his verbis: *Duo genera famulorum in his verbis numerat Ecclesiasticus, aliud* SERVORVM *in veritate operantium, & aliud* FAMVLORVM *animam in famulatu ponentium, quorum licet æqualis subiectio sit, inæqualis verò conditio est.* SERVI *autē pretio empti*; FAMVLI *mercede conducti, ideo* MERCENARII *ab Ecclesiastico vocantur. Illi infimæ conditionis quia venalitij. Isti melioris status quia liberi, licèt pro mercede subiecti. Illi in perpetuum serui. Isti ad tempus Mercenarij.* En melioris conditionis FAMVLVS quàm SERVVS: ergo perperam emendationem induxit *Criticus* ille *Moralius*. Sed his ineptiis relictis, ad TRIVM Opusculorum editionem veniamus, quæ in Codice MS. peruetusto, quondam in Bibliotheca *D. Garsiæ de Loaysa*, nunc Illustrissimi D. ac Dom. mei *D. Didaci de Arce Reynoso* Episcopi Placentini, & Generalis Inquisitoris adseruato, conspiciuntur, post formam *Honestæ Vitæ* in hunc modum, à nullo hucusque impressa.

Duo genera Famulorū.

INCIPIT LIBER B. MARTINI Episcopi Dumiensis, pro repellenda Iactantia.

MVlta sunt vitiorum genera, quibus humana fragilitas infestatur, & quorum vulneribus, penè omnes homines sauciantur. Nam, vt dicam pauca de multis aliis. Qui ab *iracundia* vincitur, cædibus, homicidiis, clamori, ac seditioni deseruit. Alius qui *Auaritia* impellitur inhumanitatem, rapacitatem, falsa testimonia, violentias, periuria, furta, mendacium, & fraudationes exercet. Alius qui à *Libidine* sordidatur, turpiloquiis, ludibriis, scurrilitatibus, adulteriis, & fornicationibus succumbit. Alius qui *Gula* ingluuie superatur, comessationibus, crapulæ, ebrietati deseruit. Et vt non multa prosequar, quæcumque memorare perlongum est, cùm singulos homines constet, vnus inter hæc omnia morbus est, qui conditionis suæ, non singillatim quosdam, sed congregatim cunctos addicit. Et cum cætera vitia particulariter sibi vendicent, quos vicerint, hoc vnum, non nisi omnibus dominari contentum est. Id autem est inane laudis studium, quod Græcis Κενοδοξία, Latini *Vanam gloriam*, vel *Iactantiam* vocant. Quod quale sit malum, & quomodò vniuersos vulneret, dicam.

Iracundia comites. *Auaritia.* *Libidinis.* *Gula.* *Iactantia.*

CVM in omnibus huius vitæ studiis, aliqua plus, aliqua minus humano generi placeant, nihil magis delectabilius ab omni homine, quàm studium humanæ laudis adpetitur. Et alia quidem quamuis ardentissima cupiditatis ambitione sunt adquisita, tamen postquā haberi cœperint, ipso quotidiano sui vsu, quamuis magna sint continuò fastidiuntur. At verò inane hoc *Vana gloria* desiderium, tantum amplius quæritur, quantū amplius inuētum est; ita vt nihil ex omni opere plus homo cupiat, quàm laudari. Nec aliud aliquid gratius sibi existimet reddi, quàm si quis illū, quasi gloriosū fuerit admiratus. Hoc ergo Reges, hoc Iudices, hoc Vrbani, hoc Rustici, hoc Viri, hoc Fœminæ, Pueri, Adolescentes, Iuuenes, & Senes hoc ambiūt. Omnes laudari volunt, quamuis falsè laudentur. Nam Pueri adolescentum sibi ingeniū vindicant. Adolescentes iuuenū in se fortitudinem mentiuntur. Iuuenes senium sibi prudentiā adscribi desiderant. Senes, quia vlterius ire non possunt, redeuntes retrò, gloriam sibi exigunt de transactis. Fœminæ, quamuis sexu non possunt, animo se tamen virilitatis extollunt. Rustici, vrbanos videri se gestiunt. Iudices, hoc sibi quærunt deferri, quod Regibus. Reges hoc se sumniant posse, quod Deus. Atque ita diuni

Quanta laudis appetentia? *Adquisita, vsu, fastidium generant.* *Ætatum, & statuum Iactantia cupiditas.*

singuli se plus volunt videri, quàm sunt, gloriam laudis quæ soli Deo veraciter debetur, hostiliter deprædati sunt. Et quod ad summum nefas pertinet, hinc illud sacrilegium exoritur blasphemum, vt quia totum, quod laudis est, homo diripit, nihil aliud Deo, nisi sola vituperatio relinquitur. Excessit mensuras suas genus humanum, dum neminem inuenias, qui non ita mirari se velit, vt Deus. Quis ergo modus potest esse talibus, à quibus & cœlum est pignoratum? ad cuius altitudinem nisi quis fuerit humilis non attingit.

Iactantia execrabile nefas.

His autem, à quibus id quod supernum est vsurpatur, vt mihi videtur, nihil aliud remanet, quàm infernum. Non enim habent quò ascendant: quia semper ascendendo, hoc illis tantùm superest, quòd descendant. Omnes enim ad gloriam, nec tamen vnâ viâ concurrunt. Alij enim de acceptis honoribus laudem cupiunt, alij de relictis. Quidam auro elati, quidam panno vilissimo gloriantur. Alius quia deliciosè viuit placere vult, alius quia parcè. Postremò alter vitiis, alter virtutibus. Omnes vbique famam suam prorogare contendunt; & ideo difficillima est huius *Iactantia* curatio, quia non vitiis tantùm, sed etiam virtutibus se immiscet. Nec enim permittit hominem, qualis sit à semetipso dignosci; quia dum laudibus alienis adgaudet, eius exaltatio sequitur gaudium, exaltationem verò tumor, & nimia æstimatio sui. Plus siquidem in se æstimat, quàm quod videt. Atque ita fit, vt non tantùm alienâ adulatione simus miseri, sed etiam nostrâ. Nam dum nullus de se sibi hoc, quod verum est, confitetur, gloriam suam ex aliena opinione suspendit. Et cùm dicitur beatus, magnificus, potens, non quia ita est de se, sed quia ita dicitur, credit. Hoc enim est mortiferum illud vitium, de quo Dominus in Euangelio, ita loquitur ad Iudæos: *Quomodo* (inquit) *vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis?* Ostendit enim Dominus, quia quisquis ab hominibus gloriam quærit, à Deo non habet, quod expectet. Vnde etiam illud de hypocritis eleemosynam facientibus dicit: *Ideò hoc faciunt, vt glorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam*, idest laudem humanam solummodò in præsenti. Paulus quoque Apostolus nos monet: *Nolite* (inquit) *fieri inanis gloriæ cupidi.* Inanem appellans gloriam, quam fœnerat mendicè mendicis. Inanem dicens, & vacuam, quâ si quid boni agitur, dum sibi homo tribuit, omnium laborum fructus euacuat.

Quilibet ad gloriam vadit, sed diuersè.

Difficilis Iactantiæ curatio.

Gloria non ab homine sed à Deo.

Inanis gloria quæ?

NEC solùm merita virtutum excludit, sed etiam reus efficitur æterni supplicij. Quia opus bonum, quod obtentu iubentis Dei debuit exerceri, adquirendæ laudis gratiâ exerceatur. Tolle fauores, tolle admirationes humanas, paucos inuenies, qui aliquid boni, aut amore Dei, aut (si hic non fuerit) timore perficiant. Vnde non leuior nos culpa commaculat, quia homines Deo, & gloriam humanam, gloriæ cœlesti præponimus. Acutus nimis hic elationis est morbus, ex vtraque parte pestiferat, ac incautos exulcerat. Nam alij sibi, quia boni sunt, alij quia mali sunt gloriantur. Sed de bonis elatis dicitur: *Quoniam Deus dissipauit ossa hominum sibi placentium.* De malis verò inflatis dicitur: *Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit, benedicitur*, & illud Apostolicum: *Quorum Deus venter, & gloria in confusionem*

Pauci sine laudis gratia operantur.

VBIQVE enim hoc *Iactantia* vitium serpit, & suas vtrobique partes exercet. Sed si illos, qui in bonis operibus viuentes humanam gloriam aucupantur, auctoritas diuina condemnat, eo quòd se in illis magis voluerunt laudari, quàm Deum: quid de illis fiet, qui & malè viuunt, & tamen laudari volunt? ipsi considerent. Nullus igitur *Vana-Gloria* finis est: nec solùm ea quæ gesta sunt requirit, sed etiam

Iactantia vbique serpit.

etiam quæ gerenda sunt antecedit. Nam si quid boni operis ab aliquo destinatum est, continuò hæc alludit, & quantum ex eo admirabilis fiat cæteris, iam depingit. Si aliquid rectè quosdam docere voluerit, priusquam ab aliis eruditus, aut eloquentissimus appelletur, iam hoc præmissæ suspicionis delectatione aures depruriunt audire. Si quotiens aliquando dirigantur literæ ad amicum, priusquam transmittantur, aut in manus eius, cui sunt scriptæ, perueniant, quantum in eis apud illum doctissimus videatur, quantúmque illi admirationis, per quædam dictatus sui loca nascatur, sagaci quodam commendationis suæ cogitamine prædiuinat. Si alicui in loco necessitatis beneficium promptè præstetur, antequam accipiat, qui præbet, quantum ex eo benignus omnibus, aut largientissimus videatur, hic qui daturus est, iam metitur. Miles denique ipse sumptis armis pergit ad prælium, dum adhuc, cui cedat victoria, nescitur, præsumptâ sibi fortitudinis arrogantiâ, ita typhosus, quasi iam victor ingreditur. Præludit ergo elatio in quibusdam, & velut dux quædam suadet omnibus. Nec solum magnis dat animum, sed in paruis. Nam in quouis Operis conatu, vel ponderis, quamuis inualidum mox laudaueris, plus valebit. Si parum ponderis portantem, quasi admiratus fueris, maiori succumbit. Si pigro dixeris, quia velox est, continuò euolabit. Postremò & cui vires *Vana-Gloria* dare non potuit, vel impetum commodauit. Itaque ergo quædam præcedit, quædam sequitur, vt nisi quis illam in omni opere suo circunspectè prouideat, nihil Deo ex omni opere eius, nihil proximo, nihil denique eidem ipsi proficiat: sed velut infelix mancipium, sub aura domina quantumuis laborauerit, tamen semper est nudum.

Sed dicet mihi aliquis: Ergo nihil charitati, nihil misericordiæ, nihil postremò quod gessimus cuicunque deputabitur bonitati? Audacter dicam: Nihil. Quia soli inanitati suæ vana gloria vindicat, quidquid non bonitatis, sed eius imperio est perfectum. Multa sunt, quæ de hac contagione dicantur: sed quia iam multiformis subtilitas eius potest sapienti Viro etiam his paucis indiciis perlucere, nunc ad reliqua transeam: & quid aliud peius, ex hoc malo generetur, expediam.

IDEM, DE SVPERBIA.

QVALIS electus sit *David* in populo Dei Propheta, & Rex, quantaque misericordia, summæ, & mansuetudinis fuerit præditus dignitate, puto te, charissime, sacrorum voluminum testimoniis agnouisse. Intendat ergo prudentia tua, quomodo ille Deo placidus Vir hunc nequissimum Vanæ-Gloriæ spiritum, ne sibi subreperet, formidauit. Conspiciens enim qualia, & quanta bona illi quotidie Dei gratia largiretur, id est, tot victorias alienigenarum, tantam diuitiarum affluentiam, vindictam in æmulis, innumerositatem in ciuibus, mansuetudinem in iudiciis; postremò prophetiam Spiritus-Sancti in agnitionem omnium futurorum, timens ne illum in his tantis bonis aliquâ Vanâ-Gloriâ vsum inflaret elatio, orat Deum attentiùs, dicens: *Non veniat mihi pes superbia, & manus peccatoris non moueat me. Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare.* Videamus ergo quid est hoc, quod dixit: *Non veniat mihi pes superbia, & manus peccatoris non moueat me.* *Psalm. 35.* Pes siquidem in homine, quantum ratio indicat, quamuis extremitas corporis sit, tamen quasi fundamentum aliquod initium surgentis status est: à quo etiam veluti fabricata formatæ carnis altitudo consurgit. Quod ergo ait: *Non veniat mihi pes superbia*, tale est, ac si *Pes in homine quid?*

diceret: non veniat mihi initium superbiæ, id est, Vana-Gloria, ex cuius fundamento ruinosa illa superbiæ celsitudo producitur. Vna enim generatur ex altera, & propinquitas earum, vix paucorum fortè discretione cognoscitur. Nam ex quocunque bono nimium fuerint homines gloriati, hoc continuò subsequitur, vt ipsum bonum, non largitori Deo, sed suæ tribuant potestati.

Vana-Gloria est ergo humanis laudibus delectari. Svperbia verò est, bonum, pro quo aliquis laudatur, sibi hoc applicare, non Deo. Et Vana-gloria quidèm ex aliena æstimatione nutritur. Superbia verò ex Vanagloria. Cùm semel aliorum adsentationibus consenserit homo, quòd magnus sit, necesse est, vt hoc sibi & ipse consentiat. Quam miseriam, illud, quod est peius adsequitur: quia quidquid apud se, etiam proprio testimonio roborauit, quamuis falsum sit, nulla id eum poterit extorquere suasio; & ob hoc inemendabilis status, spretis aliis, se tantum quotidie admiratur, id solum irreprehensibile, perfectúmque iudicans, quod ipse sapuerit. Hoc igitur erat, quod Rex Dauid, ne illi subreperet, exorabat, ne fortè aliqua suasione, vana laudis inductio, non hoc diuinæ gratiæ, sed suæ potentiæ, quia tam magnus erat adscriberet.

Qvin autem superbiæ spiritu inflatos homines subsequatur, proximis idem Propheta verbis adiunxit: Cum enim dixisset: *Non veniat mihi pes superbia*, continuò addidit: *Et manus peccatoris non moueat me.* Sciebat enim, quia omnem superbiam mobilitas statim sequitur peccatorum. Ita re vera est. Nam quisquis superbiæ timore distenditur, in hoc Dei gloriam imitatur, quod nemo illi sit similis, tanquam verè profanus, qui ad iniuriam Dei consurgit, derelictus ab eo, in manibus traditur peccatorum, id est, in operibus actuum immundorum, vt ignominiosis passionum flagitiis incuruatus, discat se terram esse, & cinerem, & quod inflatus in se videre non potuit, humiliatus agnoscat. Vnde & Salomon ait: *Immundus est ante Deum, omnis, qui exaltat cor suum.*

Qvid autem posthæc Rex Dauid secutus sit, videamus. Ibi ait: *Ceciderunt omnes qui operantur, iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt stare.* Euidenter ostendit, quia in superbia omnium iniquorum prima ruina est. Idemque etiam alibi scriptum est: *Initium peccati superbia.* Quod vt apertius demonstretur, Angeli illius primi recordemur exitium, qui pro splendore decoris sui Lucifer nominatus, ex illo sublimi, beatóque Angelorum loco, nullo alio, nisi hoc solo superbiæ vitio, ad inferna dilapsus est. Quia cùm inter cæteras supernas virtutes clarioris pulchritudinis lumine præemineret, non hoc beneficio Creatoris sui, sed propria virtute, se credidit obtinere; & tanquam nullius non egeret auxilio, sicut Deus, ita se illi similem iudicauit, dicens: *Ponam Sedem meam ab Aquilone, & ero similis Altissimo.* Hæc enim cogitatio sola deiecit, nam mox desertus à Deo, cuius se protectione credidit non egere; infirmus subito, & miser effectus, & mutabilitatem naturæ suæ, quam non agnouerat, sensit; & Dei munus, quod habebat, amisit. Posthæc etiam videns à Deo hominem factum ex puluere, in loco beatitudinis, quem ipse perdiderat, subrogari, instigatus inuidia, eodem Superbiæ illum telo, quo ipse est deiectus, adpetit. Sibi enim dixerat: *Ero similis Altissimo.* Adæ, & Euæ dixit: *Eritis sicut Dij.* Quod illi concupiscentes, non ob aliam causam, sed tantùm vt Dij fierent, mandatum Dei transgressi sunt. O quanta est cæcitas in appetitu vanægloriæ: Non vidit homo tàm apertam fallaciam, in qua illi versa vice similitudo Dei non ex obedientia eius, sed ex contemptu promittitur.

Ecce hic est primi illius veneni saporatus interitus, qui amarissimo

rissimo inanis Iactantiæ melle circumlitus, & Angelum fefellit, & hominem. In hoc & cœlestis & terrena cecidit creatura. Ob hoc de Sedibus suis, ille de cœlo, hic de paradiso expulsi sunt, & non potuerunt stare quia grauiter ceciderunt. Quale ergo Superbiæ malum sit, quod Rex Dauid apertè timuit, subiectis ruinarum caussis ipse monstrauit.

OMNIA peccatorum genera, id est, luxuria, auaritia, adulterium, etsi quæ sunt alia, quamuis & in his omnibus Deus irascatur, tamen aut per Angelos, aut per Homines, talium etiamnum vindictas exequitur. At verò superbia, non aliumquempiam, sed ipsum per se Deum meretur habere contrarium. Ita enim scriptum est: *Superbis autem ipse resistit.* Cætera enim vitia, vel in eos ipsos, qui illa perpetrauerint, retorquentur, vel in alios homines videntur admitti. Hic verò Superbiæ tumor propriè nititur contra Deum; & idcirco illum patitur inimicum, quia se in excelsum tendens, hic semper adpetit, quod illi soli est proprium. Quamuis autem generaliter hæc superbiæ labes infesta sit, non plus tamen aliis metuenda est, quàm his, qui aut spiritualiter ad perfectionem virtutum, aut carnaliter ad diuitiarum copiam, & summos honorum titulos peruenerint. Tantum scilicet, in illis maior efficitur, quantum & maior est, qui superbit. Neque illas viles quoque, aut populares subuertisse contenta est, sed & in illorum, qui maximi, insidiis adsidet: quorum quantùm altior gradus est, tantùm altior & ruina. Vnde etiam, & illud de eodem Superbiæ spiritu Scriptura commemorat: *Et cibus* (inquit) *eius electus.* Electos ille viros, & sublimes adgreditur. Illis suggerit, quia magni sunt, quia nihil indigeant, quia quidquid agunt cogitant, vel loquuntur, totum id sapientia sit, totúmque prudentia. Quibus si quid vtile, Deo id gubernante, prouenerit, suis illud continuò viribus, suæque industriæ deputantes, clamant: Ego hæc feci. Ego dixi. Ego excogitaui; & quasi stupentibus cunctis, prærepta gloriâ Dei, ad eius se similitudinem proferunt admirandos. Quibus iusto Deus iudicio, præsidia sua subducens, tradit illos (sicut ait Apostolus) in reprobum sensum, vt faciant, vel cogitent, quæ non conueniunt. Quia cùm in omnibus Dei prouidentiam adesse cognoscunt, non vt Deum magnificant, aut gratias agunt, sed gloriantes in semetipsis, euanescunt in cogitationibus suis. Dicentes se esse sapientes, stulti sunt. Iactantes se esse stabiles, inuictós, potentes, infirmi, victi, & impotentes existunt. Quæ cùm ita sint, satis manifestissimè est compertum, quia omni vigilantiâ, omníque cordis industriâ ad petitus nobis vanægloriæ fugiendus est, ne fortè si virulentum semel, vel morbi contagium in penetralibus nostri cordis irrepserit, in omni operum nostrorum prosperitate, subtilissima humanarum laudum delectatione succrescens, ex abundantia nequitiæ suæ deterrimum illum, & crudeliorem Superbiæ proferat partum. Quæ cùm vtraque pestiferis fundatæ radicibus humanæ mentis arcana suppleuerint, vndique mutata insidiarum specie improuisis occurrant. Nam his, qui ad spiritualia se studia contulerunt, mox vanagloria; illis de ieiunio, de vigiliis, de lectione, de solitudine eremi, de patientia, de taciturnitate blanditur. Et si statim hæc prima sollicitatio circunspectæ mentis oculo deprehensa non fuerit, dirior illam è vestigio Superbia comes adsequitur, quæ illis mentiatur, & sanctiores eos, melioresque omnibus esse, & in summo perfectionis culmine, propriâ etiam virtutis stabilitate, quasi nunquam casuros stare diuendit. His verò, qui adhuc carnalium passionum oblectationibus, quibus subrepunt, cùm semel sibi obtinuerint domicilia mentium humanarum, tunc multiformem ex vtraque fomitem pullulant

Superbia solum ab ipso Deo punitur.

Quia contra illum propriè nititur.

lulant vitiorum. Nam Vana-Gloria generat ex se præsumptionem omnium nouitatum, adinuentiones falsorum dogmatum, quæstionum torturas, contentiones, hæreses, sectas, schismata. Superbia verò parit indignationem, inuidiam, contemptum, detractionem, murmurationem, & execrabiliorem his omnibus, blasfemiam. Quorum malorum causas si quis extirpare in veritate desiderat, origines earum à se priùs, & radices excidat. Ita namque omnium vitiorum funditus poterunt soboles extirpari, si ipsa quoque eorum semina, priusquam germinent, euellantur.

INCIPIT EXHORTATIO *Humilitatis.*

QVISQVIS nutu Dei, cuiuslibet officij dignitate præluces, hic prouidæ gubernationis vtilitate cæteris præcedis hominibus, hanc EXHORTATIVNCVLAM meam diligenter, quæso, recipias, nec pomposas in ea spumas Rhetorum quæras, quia Humilitatis virtus non verborum elatione, sed mentis puritate requiritur. Et si fortè durius aliquod videor loqui, veritatis hæc culpa, non mea est. Nam ideò quædam dura sunt, quædam mollia, sed & quamuis alterutrum sibi omnes homines debeant veritatem, liberè tamen loquar. Nemini verius debere aliquid dici, quàm ei, qui præsidet multis. Cui etsi asperum aliquid ex veritate aliquando, vt adsolet, offeratur, velut antidotum quoddam, quamuis fortè sit, tamen quia salutiferum est, etiam si amaricet, bibendum est.

HOC ergo hortor in primis, vt semper delectabilia illa nimis hominum blandimenta pertimeas. Non enim in hac re tanta vigilantiæ industria adhibenda est, quantùm in illis sermonibus repellendis, qui si rigiditatem animi, quadam simulationum delectatione subneruant, qui promerendæ gratiæ aditus,non laborum merito, sed adsentationum rimatur acumine. Vtilia ergo potiùs, quàm obsequentia verba recipies; recta magis quàm affabilia, & iucunda captabis. Adulanti siquidem adgaudere, Regium vitium est: adulari verò seruile est. Sed quamuis adulanti adgaudere Regium sit, tamen vitium vsu vernaculum hoc, & quasi proprium munus est, egregiè verba Potentum subsequi, & ex illorum voluntatibus formare sermonem. Nam si quid fortè laudauerint, & id non libenter audiri prospexerint, continuò accusant, si quid paulo ante laudauerunt. Si quid verò vituperauerint; id iterum, si ita patrono visum fuerit, laudant. Atque ita inter hos tales adulari animus fertur, tanquam Nauis inter varios Aurarum flatus, quia non habet quò excat, & fluctuatur. Inter hos ergo, quorum vberrimus quæstus, hic maximè est, desideriis viuere alienis, animum tuum summâ discretionis mensurâ constringe; vt cùm multi adulantes hinc atque inde, nihil aliud nisi tantum quod delectet, insinuant, offerentes quædam gloriæ verba, in quibus hoc tibi dicitur, quod & Deo. Agnoscas, nihil aliud ex his proprium tuum esse, nisi hoc tantum quod tecum, & cùm de hac vita excesseris, permansurum est. In omnibus ergo, in quibus adulationum nimietas etiam terminos hominis competentes excessit, illud Dauidicum recordaberis documentum, in quo ille venena adulationum deuitans, ait: *Corripiet me iustus in misericordia, & arguet me, oleum autem peccatoris non impinguat caput meum.* Oleum autem peccatoris adulatio est, quæ leui quadam, & suaui vnctione caput interioris hominis, quod est cor, quasi vngendo dinitidat. Melius ergo sibi ipsi esse dixit Propheta Dauid ab homine iusto argui, vel moneri, quàm à quouis adulatore laudari. Recte autem

Oleum peccatoris, adulatio.

adulato

adulatorem peccatoris nomine denotauit, cuius id maximum ante oculos Dei, & detestabile est peccatum, aliud corde tenere, aliud ore proferre. De talibus enim, & in alio Psalmo dicit: *Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula.* De Iusto autem dicit: Loquitur veritatem in corde suo, & non egit dolum in lingua sua. Vt autem in his rebus quæuis hominum subtilitas, nullo vnquam laudationis titulamento, credulitatem mentis tuæ attrahat in consensu, ad ipsius D. N. IESV Christi Euangelica illa gesta conuertere, & inuenies illum dominantium Dominum, magnum nobis dedisse inter humanas laudes humilitatis exemplum. Hanc ergo excole, hancque Magistram habeto, hanc tibi inter laudationum illecebras, arbitram pone. Quanta portio ex his, quæ homines adlaudando tribuunt, vel quanto tempore tua sit, hæc non permittas placidis auribus audire, quia ficta.

POSTREMO hæc sancta Humilitas, subductis à te omnium simulationum illecebris, tunc tibi cœlum aperiet, cùm tibi in aure dixerit: *Quia terra es.* Tunc te in illa vera societate hæreditatis Dei introducit, cùm te in omnibus admonuerit: *Quia homo es, & peccator.* Et cùm vniuersas rationes ex his quæ ad te pertinent, in huius humilitatis supputatione prospexeris, miram rem dicam, inuenies homines ad honoris tui cumulum augmentando minuere, hanc verò solam minuendo plus addere. Quantum ergo magnus es (sicut ait Salomon) tantùm te humilia. Quia & cum multos gubernaueris, non est tamen perfectio, si hoc quod maius est, tu solus restiteris, quem gubernari non possis. Tunc enim verè aliis præibis, cùm priùs præiueris tibi. Nec enim malis nunc ego, sed quammaximè bonis hæc loquor. Nam si ad magisterium Dei respicias, non solum peccatori, sed sanctis data præcepta sunt. Dicitur & illis verbum veritatis, non tamen vt fiant boni, quod sunt, sed ne fiant mali, quod non sunt. Credo autem quia bonis plus hoc quod purum, quod syncerum est, placeat. Nam Deus Noster non tantum dulcibus adorantium se precibus, quantùm innocentiâ, & simplicitate placatur. Plus illis autem inclinans, qui syncerum, purámque ei mentem offerunt, quàm qui suauia orationum intulerint blandimenta. Non enim ad alium mihi de Vana-Gloria, aut Superbia visum est loqui, nisi ad te, quicumque prior es aliis; qui etsi non recipias, tamen omnes hæc ingerunt, omnes blandiuntur, omnes extollunt, nemo ex illis id offerens, quod ita dulce sit, vt tamen à periculo longè sit. Nec enim miror omnibus esse in promptu, quia laudare Potentem, sicut nec labor, ita nec timor est.

TIBI igitur me oportuit hæc Humilitatis instrumenta porrigere, tibi gubernaculi, quamuis & ipse habeas, etiam hoc superfluum addere moderamen. Quia ibi semper elationis fortior ventus est, vbi honoris fortior altitudo. Cupio ergo te ante oculos Dei, quibus nuda est abyssus humanæ conscientiæ, humili corde semper incedere, quia scriptum est: *Super quem* (inquit Dominus) *requiescet Spiritus meus, nisi super humilem, & trementem verba mea?* Cupio te omnia mandata Christi seruare, & cùm illa operibus bonis adimpleas, illud, quod ipsis Apostolis dictum est, recordari. Ait enim illis: *Et cùm hæc omnia feceritis, quæ mando vobis, dicite: quia serui inutiles sumus, quæ debuimus facere, fecimus*; id est, non ex dono tanquam liberi, sed ex debito tanquam serui. Nullus enim quamuis perfectus in omnibus vir, ita aliquando hæc præoccupauit, quæ Deo sunt placita, vt priùs aliquid illi fœnerans, non debitor fuerit, sed exactor. Quis enim aliquid habet, quod ab illo non datum est? Aut quis, sicut Apostolus ait, prior dedit illi, & retribuetur ei.

Quoniam

Quoniam omnia ex ipso, & per ipsum, & in ipso, ipsi gloria in secula Amen.

Ecce hæc est vera illa, & Christiana Humilitas. In hac eos, quibus præsides, optimè gubernabis. In hac victoriam ex omni vitio poteris promereri. Deo hoc quod viceris tribuendo, non tibi. Nam quòd aliquotiens, patientiâ victâ, vitia iterum vires accipiunt, nihil aliud est, mihi crede, nisi quia non dicimus Deo, quod belligerator ille Dauid, bella Domini bellans. *In te* (inquit) *inimicos nostros ventilauimus, & in nomine tuo spernimus insurgentes in nos.* Et iterum: *Quia non virtute sua potens est vir; Dominus infirmum facit aduersarium eius.* Sed fortè respondetur mihi: Ergo & Deo non agimus gratias, non referimus laudes? Credo quia agimus gratias, potest fieri: sed verbo tenus, sed in sinu: Deo priuatim gratias agimus, nobis publicè: Deo in labiis laudem tribuimus, nobis & in labiis, & in corde. Ecce hoc est, quòd incuruatum sæpiùs erigit inimicum. Peccatum namque elationis nostræ, robur illius. Sola ergo Humilitas cordis est, quæ se infirmam dicendo, omnia potest: quæ totum quod boni est, obtinet; Deo hoc semper applicando, non sibi: in qua si quis ascenderit, non habet vnde cadat. Omnes aliæ virtutes ad perfectionem suam, per excelsa quædam, nos, & ardua poterunt prouocare: hæc sola in plano est: & quamuis humilior aliis videatur, cœlo tamen est altior, quia in regno eius hominem non ascendendo, sed descendendo perducit. Per hanc obtinuerunt Sancti futuræ beatitudinis præmia, custodientes Dominicum illud eloquium: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Ille est scilicet humilis, qui spiritu diues est. Flatu quodam elationis abundans elatus, vt vter est.

Sed iam quomodo ipsa virtus obtineatur, charitas tua paulisper intendat. In primis si quid volueris boni operis inchoare, non hoc proposito adquirendæ laudis, sed studio inchoationis faciendæ bonitaris, incipies. Dehinc cùm perfectum fuerit bonum, illud quódcunque est opus, omni custodia seruabis cor tuum, ne fortè humanis fauoribus adquiescens, inde te existimans, tibi ipse complaceas, aut aliquam ex quouis actu gloriam quæras: quia natura gloriæ ita est, vt vmbra corporis: si illam sequeris, fugit; si fugeris sequitur. Sed semper te minimum omnium æstima, & reminiscere. Quidquid tibi in omni vita tua boni successerit, totum hoc Deo, qui dedit, non tibi, qui accepisti, conscribas, conuincens te illo restimonio Pauli: *Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Similiter & illud Apostolicum: *Quia omne datum bonum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.* Cúmque ex his pretiosissimis Sanctæ Humilitatis lapidibus, in corde tuo Spiritui-Sancto templum ornaueris, tunc orans in eo, adsumens Canticum Dauid Prophetæ, non verbo tantùm, sed & opere decantabis: *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Nec ambulaui in magnis, nec in mirabilibus super me.* Quod carmen tune in veritate offerre poteris Deo, quem, te humiliando, laudas, cui veraciter cum omnibus fidelibus, & tu quotidie dicis: *Te decet laus.* Illum solum glorificans.

Ad quos præscripta Martinus direxerit Opuscula, sub silentio est, quia in Codicibus MSS. *Garsiæ de Loaysa*, è quibus, vt diximus, illa desumpsimus, prorsus dedicationis titulus deficit. Ast in sequenti, in quo de Ira, eiúsque habitu, effectis, & quo pacto leniatur scriptitat, *Vitimiro* Episcopo, vt credimus *Auriensi*, qui cum S. Viro, Concilio interfuit Braccarensi II. vt supra in eius vita diximus, illud dedicasse cognoscimus. Quod quia, vt præterita, nondum typis mandatum inuenimus, illud etiam Doctis damus.

DOMINO, AC BEATISSIMO MICHI Desiderantissimo in Christo Patri Vitimiro Episcopo.

MARTINVS EPISCOPVS.

PRÆFATIO.

DVM simul positi dudum mutuo conlationis alloquio fruercmur: illud inter cætera tuæ à me diligentiæ charitas elicuit, vt de passibilitate IRÆ, vel qualitatis eius effectibus, breui tibi aliqua Libello digererem. Parui protinùs libens, paucisque hæc, tuo studio de fugienda ira, saltem si id non eueniat, de lenienda, differui. Quidam de sapientibus IRAM dixerunt: *Breuem esse insaniam.* Ea enim sui est impotens, obliuiscitur honestatem, affectuum immemor, rationi, consiliisque præclusa, dum variis agitata causis, ad considerationem iustitiæ inhabilis, & ruinæ fit simul, superque id, quod oppresserit, frangitur. *Quid sit Ira.*

De habitu IRÆ.

HABITVS, audax & minax vultus, tristis frons, & toruus intuitus, faciei aut pallor, aut rubor; æstuat ab imis præcordiis sanguis, flagrant, & micant oculi, tremunt labia, comprimuntur dentes, crebro, & vehementiùs acto spirio quatitur pectus; gemitus anxius, & paulò explanato sono sermo est præceps, rabida vocis eruptio, colla distendit, inquietæ manus, sæpiúsque compulsi coitus digitorum, dentes, strident, citatus gradus, pulsatáque pedibus humus, artus trepidi, & instabili fluctuatione totum concitatum corpus, magnas ex se proferens minas horribilis ira deprauat se, atque intumescit, ita vt nescias, vtrum magis detestabile sit vitium, an deforme. Qualem putas intus esse animum, cuius extra imago tàm fœda est? Cætera vitia absconduntur, & in abdito refugiunt; ira se prodit, & in facie exit; quantóque maior est, tanto manifestiùs exardescit. Nihil ergo minus, quàm irasci prudentem decet. *Irati hominis affectus.* *Animus qualis.*

De Effectibus IRÆ.

IRA omnia ex optimo, & iustissimo in contrarium mutat. Quemcunque obtinuerit, nullius eum meminisse officij finit. Da eam Patri; inimicus est. Da filio; parricida est. Da matri; nouerca est. Da Regi; Tyrannus est. IRA nec in præliis vtilis inuenitur, quia in temeritatem prona est, & pericula dum inferre vult, non cauet; venitque in aliam potestatem, dum non est in sua. IRA ex proprio libito iudicat; audire non vult, nec patrocinio relinquit locum. Iudicium suum eripi sibi, etiam si prauum sit, non finit. Amat, & tuetur errorem suum, nec vult argui, etiam si oculis manifesta veritas ingeratur. Honestior illi in male cæptis, pertinacia, quàm correctio æstimatur. Quamuis enim vanæ illam concitauerint res, perseuerare vult, ne videatur sine causa cæpisse. Et quod est iniquius, dum retinetur fit pertinacior, & augescit, quasi hoc ipsum grauiter irasci iustæ iræ sit argumentum. Quod si quantum minatur, tantum valuerit, ob hoc etiam quia terribilis est, amplius est inuisa. Si vero sine viribus est, contemptui est magis exposita, derisúmque non fugit: sed periculosius est illud, tamen tutius, despici. Omnes alias passiones IRA sibi subditas facit, nulláque est ambitio animi, in qua ira non dominetur, & auaritiam pessimum malum, miniméque flexi- *Ira effectus.* *Omnes passiones superat.*

Ira violēta est, propria dissipans.

bile IRA calcat. Quotiens siquidem iratus animus opes suas adactus spargit? Quotiens magno æstimata pretio insignia proiicit? IRÆ violentia, repentina, & vniuersa est, non paulatim procedit, sed dum incipit tota est; nec aliorum vitiorum more solicitat animos, sed abducit. Cætera vitia illiciunt, IRA verò, vt solent flumina, procellæque, præcipitat, nullaque magis vrget, siue valet superba, siue frustratur insana. Alia vitia à ratione, Ira autem à sanitate discedit, nam nec repulsa in tædium agitur sui, sed vbi aduersarius subtrahitur, morsus suos in semetipsam conuertit. Cætera vitia singulos quosque corripiunt, IRA autem interdum multos publicè inuadit. Nam nunquam populus vniuersus simul fornicandi cupiditate succensus est; nec in lucrum pecuniæ spem suam tota simul Ciuitas misit; nec honoris ambitio gregatim cunctos, sed viritim singulos occupat. At vero in Iram vno sæpe agmine curritur cateruatim. In Iram

Ira tria remedia.
I.

Primum remedium est, non irasci. Secundum citò desinere. Tertium alienæ quoque iræ mederi. Primum est ergo, ne incidamus in Iram: quod si acciderit, Secundum remedium est, ne in Ira peccemus. Nam sicut in corporum cura, alia de conseruanda sanitate præcepta sunt, alia de medendis morbo correptis; ita, aliud est Iram cohibere ne insurgat, aliud compescere iam erectam. Sicut enim pars superior, & propinqua sideribus, nec in nubem constringitur, nec in turbinem vertitur, inferiora verò sæpius fulminatur, eodem modo sublimis animus, quietus semper, & in statione tranquilla locatus, omnia infrà se premens, quibu[illegible]ra contrahitur, modestus, ac venerabilis inuenitur. Animus autem, qui in negotia multa discurrit, &

Animus ad multa distractus, à multis redditur inuisus.

varia tentat, in multis incidit querelis. Alius spem eius fallit; alius differt; alius intercipit, atque ita omnium rerum existit impatiens, & ex leuissimis irascitur causis, nunc personæ, nunc negotio, nunc tempori, nunc loco, nunc sibi. Vt ergo quietus sit animus, non est multarum rerum auctu lassandus, nec magnarum, ac supra vires appetitarum. Facilè est enim leuia applicare ceruicibus, & in vtramlibet partem sine lapsu transferre.

Causæ, quibus enascitur Ira.
I. patere aures susurronibus.

CONTRA primas ergo causas Iræ pugnandum est. Causa autem Iræ, Opinio est iniuriæ: cui non facile est credendum, nec apertis quidem, manifestisque coniectationibus statim est accedendum: quia interdum falsa, veri speciem ferunt. Differendum semper est tempus: dilatus dies aperiet veritatem. Non facilè aures criminantibus pateant. Sed hoc humanæ naturæ vitium suspectum, notúmque sit, nobis, quòd ea, quæ inuiti audimus, facilè credimus, &

II. subiici coniecturis.

irascimur. Multi enim suspicionibus impelluntur, & ex vultu, risúque alieno peiora interpretati, innocentibus irascuntur. Plurimum mali credulitas facit. Quamobrem sæpe, nec audiendum quidem est, atque ex animo tollenda suspicio. Nunquam argumentatio deest, & coniecturæ irritamenta fallacia. Simplicitate, & benignâ rerum æstimatione opus est vti. Nihil credere oportet, nisi quod manifestè occurrrit in oculos: & quotiens suspicio apparet in animo, credulitas obiurgetur. Hæc enim obiurgatio consuetudinem non fa-

III. Curiositas in inquirendo.

cilè credendi efficiet. Si non vis in iram incidere, ne sis curiosus. Qui inquirit, quid de se dictum est, & malignos sermones, etiam si secretò dicti sint, eruit, ipse se inquietat. Dùm enim perpetrantur, ad hoc producuntur, vt videantur iniuriæ. Sed in ea perpetratione, alia defendenda sunt, alia donanda, alia deridenda, atque ita his modis præuenienda est ira. Multas iniurias transit prudens & plerasque non accipit, quia aut eas nescit, aut si scierit in ludum eas, iocumque conuertit. Nam si queretur, aut falsa suspicando, aut leuia adgrauando, non Ira ad illum, sed ipse venit ad Iram, quæ nunquam ac-

cersenda est, sed cum irrepserit refutanda. Magni animi est, despicere iniurias, altius in se demisere, dum vindicant, potius est non agnouisse, quam ignouisse iniuriam.

Magnanimus despicit iniurias.

Enimverò ille magnus est, & nobilis, qui more magnæ feræ latratus minutorum canum securus exaudit. Sanctius siquidem est, dissimulare iniuriam, quàm vlcisci. Potentiorum verò iniuriæ non tantum patientiâ, sed etiam hilari vultu ferendæ sunt. Facient iterum, si te passum, & se fecisse crediderint. Adeò enim iniuriam sæpe vendicare non expedit, vt nec fateri quidem expediat. Abstinendum itaque ab Ira est, siue superior sit, qui lacessit, siue par, siue inferior. Cum Superiore contendere, furiosum est: cum pari, anceps; cum inferiore iam sordidum.

Irasci contra superiorem, parem, siue inferiorem, quid?

Ex his autem, quæ solent offendere, alia renuntiantur nobis, alia ipsi audimus, alia & videmus. De his ergo quæ narrantur, citò non debent credi, quia alij mentiuntur, vt decipiant; alij mentiri non existimant, quia & ipsi decepti sunt.

Nihil susurronibus credendum.

Alius criminatione gratiam captat, & vt videatur loqui finxit iniuriam. Est etiam aliquis, qui hoc occultè loquitur, & malignè, vt amicitias dirimat cohærentes, aut, vt certè suum apud te insimulet inimicum. Dicitur aliquis de te malè locutus. Cogita an prior hoc feceris. Cogita de quàmmultis ipse loquaris. Cogita non facere aliquos iniuriam, sed reponere aliquos pro nobis facere; alios aduersus nos, sed coactè; alios & ignorantes. Eos autem qui volentes, scientésque faciunt, non ipsam iniuriam appetere, sed aut dulcedine vrbanitatis prolapsos, aut fecerunt aliquid, non vt nobis obessent, sed quia aliter consequi, quæ volebant, non potuerunt. At in his, quæ ipse audiendo, aut videndo cognoscis, naturam, voluntatémque discuties facientis, peccantísque animum perpensabis; voluerit, an inciderit, deceptus sit, an coactus.

Nec tollas audiendo, aut vidēdo.

Puerum excuset ætas, quia nescit, an peccet: extraneum libertas, domesticum familiaritas. Si primum offendit, cogita, quàm diu placuerit. Si sæpe, fer, quod sæpe tulisti. Iussus fecit, necessitate fecit: quare succenseas? Quod si iniuriam recipis, non est iniuria, quod superius feceris pati. Iudex est, si nocentem punit, cede iustitiæ. Amicus est, fecit quod noluit. Inimicus est, fecit quod debuit. Pater est, cogita, quia tantum profuit, vt illi etiam iniuriam facere, fas sit.

Nec irascēdum contra Iudicem, amicum, inimicum, patrem, & alios. quare?

Mutum animal est, ipsum si irasceris, imitaris. Postremò si bonus vir est, qui iniuriam fecit, noli credere. Si malus, noli imitari. Prudentiori cede, stulto remitte. Regis quisque intra se animum habet, vt licentiam sibi in alios dari velit, in se nolit. Qui ergo semper futurum aliquod, quod se offendat existimat, minimè cùm acciderit, irascetur. Quin illud valde in hæc illiberale, & fœdum, cùm minimis sordidísque animus exacerbatur in rebus. Si parum agilis fuerit puer, si tepidior aqua poturo porrigitur, si turbatus thorus, aut mensa neglectius posita, si musca parum furiosè fugata, si è manibus serui negligentius clauis elapsa, cùm hæc non in tuam contumeliam fecit nec sic, vt te offenderit, fecit, innocentibus parce. Sæpè etiam quàm stultè his rebus irascimur, qui iram nostram non meruerunt, nec sentiunt.

Sæpe ignoscit ira cōtra innocentes.

Ecquid hac insania dementius, quam bilem in homines collectam, in rebus effundere? Æger, & infelicis valetudinis animus est, quem talium rerum leuis aura conturbat. Vbi enim & animum simul & corpus voluptates corruperint, nihil est tolerabile, quia illa dura, sed quia qui patitur, mollis est. Nulla itaque res magis iracundiam alit, quàm intemperans, & impatiens luxus.

Luxus irā potenter eleuat.

Durè ergo tractandus est animus, vt ictum non sentiat, nisi grauem. Ad coërcitionem autem errantium, irato castigatore non opus est. Nam cùm Ira delictum animæ sit, non oportet peccantem peccato corrigere. Quod si tantum irascatur sapiens, quantum scelerum iniquitas

Ira animæ peccatum.

exigit, non irascendum illi, sed insaniendum est. Furta, fraudes, inficiationes,& si quæ sunt alia, omnia ista tam propitius aspicit sapiens, quàm Medicus ægros suos. Nunquam itaque iracundia admittenda est, aliquando simulanda. Si segnes audientium animi concitandi sunt, aliquando incutiendus est his metus, apud quos non proficit ratio.

Quo modo leniatur IRA.

Mora vindictæ lenit Iram.

HÆc dicta sunt, ne veniat quis in Iram: quod si iam Ira proruperit, maximum illi remedium est, moræ dilatio. Hoc primùm petatur, non vt ignoscat, sed vt iudicet. Si expectaueris, desinet; nec vniuersam illam tentaueris tollere, qui graues habet impetus primos. Tota vincitur, si partibus capiatur: donec quod ex eius imperio erat agendum, ipsi potius iubeamus. Agendum est enim vt primus eius feruor relanguescat, & caligo quæ premit mentem, aliquantulum tenuetur. Pugnet autem vnusquisque secum, vt si vincere iam non potest, vel celare meminerit. Si exitus illi non datur, signa eius obrui possunt, licet cum magna hoc molestia fit. Cupit enim exilire Ira,& incendere oculos, faciémque mutare, & si paululum illi extra nos emittere licuerit, supra nos est, vt in imò pectoris recessu condatur, feraturque non feret. In contrarium omnia eius flectantur indicia, vultus remittatur, vox lenior, gradúsque sit lentior, & ita paulatim cum exterioribus interiora formantur. Sícque fiet, vt si aliquis Iram tuam intelligat, tamen sentiat nemo. Faciunt ergo nos moderatiores respectus nostri, si consulamus nos; nam tale aliquid, & ipsi aliquando commisimus: nam si sic errauimus, expeditne nobis, in aliis illa damnare, quæ effugere ipsi nequiuimus? Faciet etiam nos mitiores, si cogitemus, quid nobis ille, cui irascimur, aliquando profuerit; & sic præsens offensa prioribus meritis redimatur. Illud quoque occurrat, quantum nobis commendationis allatura sit fama clementiæ, quàm multos inimicos venia fecerit vtiles. Nihil gloriosius, quàm iram amicitiâ commutare. Irascitur aliquis, tu contra beneficiis prouoca. Cadit statim simultas ab alterutra parte deserta, nisi paria non pugnant. Quod si vtrumque certauerit, ira concurritur; ille est fortior, qui prior retulit pedem: victus est sæpè, qui vicit. Percussit te, recede; nam referiendo, & occasionem dabis sæpiùs feriendi, & excusationem, postremò cùm volueris reuerti, non poteris. Qui irascitur iniurianti se, vitium vitio opponit. Nunquid non insanire videtur, si mulum calcibus petat? aut canem, à quo morsus est, lancinet? Eodem loco est, quisquis consilio caret. Quid enim refert, an alia multa dissimilia habet, si hoc simile habet, quòd omni peccato munda defendit? Eo nos loco constituamus, quo ille est, cui irascimur. Nostram esse causam illius adfingamus; nam fecit nos iracundos iniqua nostra æstimatio, quia ea quæ volumus facere, nolumus pati. Memento etiam quia Sanctissimi quique Viri multa delinquunt; quod si etiam prudentissimi viri peccant, cuius error causam non habet ignoscendi. Nemo est tàm timidus offensarum, qui non illas dum vitat, admittat. Æquiore enim animo feret se contemni, cuicunque venit in mentem, nullam esse tantam potentiam, in qua non incurrat iniuria. Demus spatium peccanti, quo possit considerare quod fecerit, & ipse se castigabit. Quid ergo, inquis, impunè ille erit? Puta, velle te: nam non erit. Quia non magis grauius addicitur, quàm qui ad supplicium pœnitentiæ datur. Respiciendum est deinde ad conditionem rerum humanarum, vt omnium accidentium æqui iudices simus. Iniquus est autem, qui commune vitium singulis

Oppositio eius effectibus illam frangit.

Officia antiqua offensoris, iram demulcent.

Et amicitia.

Iniuriam vindicare, est vitium vitio opponere.

Nullus ab iniuria liberatur.

ſingulis obiicit. Omnes inconſulti, atque improuidi ſumus; omnes incerti, queruli, ambitioſi. Quid leuioribus verbis publicum malum abſcondo? Omnes mali ſumus. Quidquid in alio deprehenditur, id vnuſquiſque in ſinu ſuo inueniet. Mali viuimus inter malos. *Vnicuique ineſt ſuus fomes peccati.*

NVNC iam tertio in loco videamus, quo modo alienam Iram leniamus. Nec enim ſani tantum eſſe velimus, ſed ſanare. Primam ergo iram alterius non audebimus noſtrâ ratione mulcere; ſurda eſt enim, & amens; dabimus illi ſpacium; nam & remedia Medicorum, non in acceſſibus infirmitatum, ſed in remiſſionibus proſunt. Quòd ſi tumentes oculos, quis tentet inungere, recente vi magis incitat commouenda. Sapiens furenti amico, omnia vltionis inſtrumenta occultiùs remouebit, ipſéque iracundiam ſimulabit, vt tanquam auditor doloris, & comes, plus auctoritatis in conſiliis habeat, moras nectet; & dùm maiorem pœnam quærat, præſentem interim differet, & omni arte, furori requiem dabit. Quod ſi tu potentior es, aut pudorem illi, cui vi reſiſtis, aut metum incuties. Alteri dices: ***Indignum nimis; & non inuenio dolendi modum, ſed expectandum eſt tempus:*** dabit pœnas. Serua iſtud animo tuo, & pro mora, cùm poteris, reddes. Alteri dices: ***Vide ne iracundia tua voluptati ſit inimicis.*** Alteri: ***Vide ne magnitudo animi tui, & creditum apud pleróſque decidat robur.*** Ita enim abſcondet & Medicus ferramentum, & æger dolorem, dum ſperat, ferat; nam quædam nonniſi decepta ſanantur. Caſtigare autem iraſcentem, & vltrò iraſci, caſtigare eſt. Itaque vario modo Ira ſananda eſt. *Alienæ Iræ curatio.* *Simulatio in hoc deſideratur.*

CVM Paſcha Domini ſit nobilitas anni, menſis decus, alma dierum, & ſplendor horarum, vt dixit Rupert. *lib.6. cap.26.* & hæc ex decreto *B. Petri* Apoſtolorum Principis ex Baron. *Ann. 119. num. 2. tom. 2.* celebraretur *die Dominico*; & ex conſtitutione Pij PP. *in cap. noſſe, de Conſecrat. diſt. 3.* poſt XIV. diem Lunationis primi Menſis, & ex ordinatione Victoris Pont. Max. *cap celebritatem, de Conſecrat. d. diſt. 3.* tùm vt à *Iudæis* Paſcha noſtrum diſtingueretur, tùm quia Chriſtus reſurrexit die Dominico poſt Decimam Quartam Lunam, hoc eſt ex Iſidoro Noſtro *lib. 1. cap. 31.* in III. Hebdomadæ Luna, ob numerum myſticum Trinitatis; ſicut etiam Triduo mortuus, reſurrexit Tertia die, qui vix erat Triginta Tribus annis, in quibus numeris reſplendet Ternarius numerus, in quo intelliguntur, non modo gloria Trinitatis, ſed ſalus omnium, qui ante legem, qui ſub lege, qui ſub gratia extitêre, vt ex *Iſidoro* ſupra, & Rupert. *lib. 7. cap. 14.* colligitur: etſi variis temporibus circa huiuſcemodi Paſchatis aſſignationem diei apud Aſiaticos variæ fuiſſent ſententiæ, vt ex Ieronym. *de Vir. Illuſtr. cap. 45.* in Polycrate Epheſiorum Epiſcopo dignoſcitur; MARTINVS Noſter fortè poſt *Suæuorum* conuerſionem ad fidem, cognitis circâ *Paſcha* celebrationem aliquibus dubiis, inter illius nouellæ plantationis primores; & vt radicitus decreta S. R. E. & Apoſtolicas amplecterentur ordinationes, Libellum *de celebranda die Dominico Paſcha* ſummâ eruditione contexuit, qui quia hactenus ignotus, nec vnquam excuſus, Eccleſiaſticarum rerum amatoribus, lubentes offerimus. *Paſcha die Dominico celebranda.* *Aſiaticorū opiniones.*

B. MARTINI DVMIENSIS Epiſcopi, de Paſcha.

PLERIQVE myſterium Paſchæ enarrare voluerunt, ex ratione ſupputationis in Menſe, & Luna, & Die; ſed ſiuè ſcientiæ, ſiue ſermonis impoſſibilitate, id reliquerunt obſcurius, quaſi nihil inde dixiſſent. Scio enim multos ſcrupuloſiùs interrogare, ſolitos, quare ſecundum morem Iudæorum ad Lunæ computationem diuerſis generibus Paſcha celebremus, dicentes, rectius ſibi videri, ſi Dominicæ paſſionis commemoratio agatur, vt vnum anniuerſarium Natalis diem obſeruemus, ſicuti à pleriſque Gallicanis Epiſcopis, vſque ante *Cauſa ſcribendi hoc Opuſculū.*

non multum tempus custoditum est, vt semper VIII. Kal. April. diem Paschæ celebrarent, in quo facta Christi Resurrectio traditur. Placuit autem mihi, inquirenti curiosè, quid Maiores nostri secuti essent, apertè exponere.

Christi passiones vt quid in Lunatione primi Mensis.

PASSIO CHRISTI redemptio est creaturæ; de qua Apostolus ait; quòd subiecta fuerit seruituti, non sua sponte, sed propter eum, qui eam subiecit in spe: quia ipsa liberabitur à seruitute interitus, cum libertate filiorum Dei. Hæc creatura est spiritus vitæ, qui creauit omnia terrenæ corporaturæ, subiectus in eam spem, vt de corruptelæ interitu eum libertate filiorum gloriæ liberetur: quæ vtique in hodie subiecta est seruituti, in quo mundus effectus est, quam Christus per passionem suam liberare venisset, & seruauit, vt in eo tempore pateretur, in quo creatura subiecta erit seruituti, vt qui dies ille tristitiæ fuerat, iam lætitiæ redderetur. Quoniam verò agni huius sacramenta tanta essent, vt veritatis ipsius etiam vmbra proficeret ad salutem liberandi, sicut de his, de seruitute Pharaonis, quasi iam libertas creaturæ de seruitute corruptelæ figuraretur. Figuræ Passionis Christi imago in aduentum salutis operata est, & ideo dictum est à Deo, vt in primo Mense anni XIV. Luna agnus immaculatus anniculus immolaretur, de cuius sanguine domos suas super limina obsignarent, ne à vastatore Angelo terrerentur, atque in ipsa domo, comesto per domos agno, quod esset Paschæ celebratio, liberationem per fugam seruitutis acciperent. Non obscura est figura, agnum immaculatum esse Christum: huius immolationem, ad seruitutem nostri interitus liberandam. Nam signo Crucis eius quasi sanguinis aspersione signati, vsque ad consummationem mundi, à vastatoribus Angelis vindicabimur. Hoc breuiter, & strictim, dixisse sufficiat, vt id, quod quærere propositum est, rationem obseruationis, & Paschæ, & Mensis, & Lunæ, & Diei, sine molestia multiloquij aperiamus.

Agni anniculi immolatio in primo Mense, Christi typus.

Signum Crucis amuletum contra Angelum percutientem.

Quis fuerit hic primus Mensis.

QVÆSITVM est ergo à Maioribus nostris, secundum id, quod scriptum erat, quis esset primus Mensis, & quis esset primus dies, & in quo die Decimaquarta Luna efficeretur Pascha celebrari. In illo enim tempore, in quo Iudæis facta traditio est, nec dum mensis ad Lunæ cursum significatione nominum computabatur. Dedit autem illis argumentum, iam calculo computationis inuento, tempus, & dies passionis, vt ex eo intelligerent, quem primum Mensem anni, & quem primum eiusdem diem, & quando Quarta Decima Luna fuisse susciperent, & quare hoc mysterium Paschæ, secundum Diem, & Lunam obseruari deberent. Hoc autem in primis iudicauerunt, cùm per singulos annos Pascha, & tempus non conueniret ad Lunam, & ad Diem, melius esse tempus extendere, quam non Lunam, Diémque retinere. Primùm quia duæ res iustius præberentur; deinde quia hæc viderentur in obseruatione potiora. Definiamus igitur, quis primus Mensis in mensibus anni: deinde quis primus eius dies.

Diffinitio Quæstionis.

Diximus ergo argumentum habuisse Maiores nostros ex tempore Passionis, & Resurrectionis Domini. Resurrexisse enim traditur Dominus VIII. Kal. Apriles, Dominicâ die. Quintâ feriâ autem præcedente, Pascha cum Discipulis comedisse, quod fuit XI. Kal. Apriles. Rationem hanc temporis huius habuerunt, quòd creatura, quam liberarat in sanguine suo, in eo tempore seruituti fuerat subiugata. Probandum itaque nobis est, in hoc tempore mundi initium constituisse. Inchoasse Mundum Veris tempore, *Genesis* docet; cùm primùm appareret arida, quam vocauit Deus, dictum est: *Germinet Terra omne fœnum, & omne pabulum, & omne viride ligni, quod ferat semen secundum genus suum.* In quo germinare omnia videmus, atque ita in eo esse principium Mundi, non dubitamus. Sed cùm Tres

Ratio Resurrectionis Christi hoc tempore.

Menses Vernum tempus habeat, horum Trium medius est, qui initium Mundo dedit. Nec solùm Mensis medius, sed etiam Dies Mensium medij. Ex V. Id. Februar. Veris est inchoatio; in V. Id. Mart. in VIII. Kal. April. Quindecim dies sunt, id est, medietas Mensis, ita vnus, & dimidius Mensis subsequitur. VII. enim Kalend. April. æqualis est nox, & dies, sicuti factum Mundi initium *Genesis* docet dicens: *Diuisit Deus inter lucem, & tenebras, & vocauit lucem, Diem, & tenebras vocauit Noctem.* Omnis enim diuisio æqualitatem habet; ita in quo, æqualitatem noctis, & diei inuenimus, in eo initium Mundi constitutũ intelligamus. Sed non sine causa Maiores nostri, super VIII. Kal. April. Tres Dies addiderunt, vt primum diem Mundi inuenirent. XI. Kal. April. primum Mensem Mundi, & Diem, Maiores nostri existimauerunt: quia antequam Sol in principatum Mundi conderetur, triduum ante præcesserat. Refert Genesis IV. Die facta luminaria Solis, & Lunæ; propterea inuenimus Christum VIII. Kalend. April. resurrexisse, verùm XI. Kalend. die Pascha cum Discipulis inchoasse, quo die primùm subiecta fuerat creatura seruituti suæ, quam per passionem suam venerat liberare. Diem autem Dominicam, primam diem esse Mundi, dubitari non potest, quia dicit Scriptura, Sex Diebus factum esse Mundum, & Septimâ Die, requieuisse Deum, quam Septimam Diem, Sabbathum appellauit; vnde est manifestum, Primam Diem Mundi Dominicam fuisse, & plenam Lunã factam intelligimus, quia facta est in inchoatione noctis, & principatus. Sed hoc sicuti computatione ostenditur, percurrere sibi per singulos annos non potest, scilicet, XI. Kal. April. die, semper & Luna XIV. die Dominica inueniatur. Sequenti autem Anno, XI. Kalend. April. inuenitur Luna XXV. & feria II. Itaque cùm duæ res, & Luna, & Dies commutatæ inueniantur, rectè XI. Kal. April. natalis Mundi obseruari visus est. Itaque Maiores nostri iudicauerunt, Mensem integrum esse obseruandum ad natalem Mundi, & Pascha celebrandum, in quacumque parte eius, & dies, & Luna concurrerent. Neque enim hoc sine Scripturæ auctoritate. Ait enim Moyses: *Mensis hic vobis initium Mensium est, primus erit in Mensibus anni.* Quo verbo totum Mensem ad natalis Mundi Diem consecrauit. Ita Maiores nostri qui XI. Kalend. April. die, natalem Mundi inuenerunt, Mensem primum constituentes in XI. Kaend. Maias definierunt. Sic Pascha nec ante XI. Kal. April. nec post. XI. Kal. Maias, celebrare licebit. Sed cùm in hoc Mense, & Luna, & Dies conuenisset, Luna scilicet XIV. & Dies Dominica, tunc Pascha celebraretur. Sanè quia rursus frequenter Luna XIV. cum Dominica die concurreret, extendi Lunam in VII. dies maluerunt, dummodo Diem Dominicam in Resurrectionis lætitia retineret. Ita quando sic dies veneris, vsque ad XXI. Lunam, propter Dominicam diem Pascha differimus semper, vt nec ante XI. Kal. April. nec post XI. Kal. Maias celebretur; sic inuentum est, vt Mensis, & Dies, & Luna in celebratione Paschæ retineretur. Prudenter igitur, magis ad Lunam, & Diem, quàm ad XI. Kal. April. ad natalem Mundi redigemur. Luna enim prima totas noctis illuminat tenebras, & Dominica dies resurrectio est dierum, ad initium enim rediit, & finem dierum renouat. Hæc magis erunt in Natalis lætitia, & in creaturæ liberatione seruanda, maximè cùm intra primi Mensis terminos retinentur. Rursum maiorem diei religionem, quam Lunæ dicarunt. XIV. enim Lunam egredimur, diem autem nunquam egredimur, quia tota salus est in resurrectione diei. Dies autem Dominica, & initium dierum habet, & Resurrectionem, propter quod in ipsa Dominus resurrexit: Luna vero, licet vsque ad XXI. partem extensam, non totam

Veris inchoatio qua die, & mense.

Dominicus dies primus Mundi.

Mensis I. originis Mundi consignatus ad Pascha.

Dominici diei elogia.

complet noctem, plurimum tamen noctis illuminat, & post se quidèm relinquit tenebras, sed eas, quæ in ante sunt, superat; in quo Maiores nostri maluerunt vsque ad XX. quàm ante XIV. Pascha celebrari. Quia relinquere tenebras post tergum meliùs est, quàm antecedentes non posse superare. Itaque hac summa, & hac conclusione, quæ à Maioribus constitutum est, Pascha neque ante XI. Kal. April. nec post XI. Kal. Maias posse celebrari. Cuius pinacis constituendi quæ fuerit ratio, in quo mediocritas potuit, ediximus. Per gratiam Saluatoris Nostri Iesu-Christi, cui est honor, & gloria in seculis, & in secula seculorum, Amen.

Conclusio.

CARMINA, quod vltimum est Opusculorum, iam *Anno* 1619. *Parisiis edidit Iacobus Sirmondus*, cum aliis *B. Eugenij* Præsulis Toletani, & *Dracontij*, & sunt in *Tom.* 15. *Biblioth. Patr. Colon.* Idcirco illa vlterius hic inserere non putaui.

Dumiensis Sedes Braccarensi restituitur.

DIXIMVS esse controuersum, quâ Regione *Dumiensis* sedes extiterit; & ex superius traditis liquet, fuisse non procul à *Braccara* vrbe, *Gallaciæ Metropoli*; quæ Sedes Episcopos habuit proprios, & separatos ad vsque XV. Concilium Toletanum, quia iam in XVI. *Felix* Braccarensis subscribit, vt *Dumiensis*, fortè quia Sedes ista, Braccarensi, à qua exierat, restituta est, vt inquit Vass. *in Chron. tit. de Episcopat. Hispan.* Ast ne horum Præsulum memoria depereat, Catalogum eorum, vt nostro instituto pareamus, subiiciemus.

CATALOGVS EPISCOPORVM
Monasterij Dumiensis prope Braccaram-August.

I. S. MARTINVS. I. Episcopus Dumiensis I. post Braccarensis, interfuit Conciliis Braccarensi I. & Lucensi, & præfuit Braccarensi II. vixit ad Ann. Dom. D. LXXXIII. 583.

II. IOANNES. I. Episcopus Dumiensis II. interfuit III. Toletano Concilio ad Ann. Dom. D. LXXXIX. 589.

III. BEIAMIN. I. Episcopus Dumiensis III. Gundemari Regis Gothorum decretum confirmauit ad Ann. Dom. DC. X. 610.

IV. GERMANVS. I. Episcopus Dumiensis IV. interfuit Toletano Concilio IV. ad Ann. Dom. DC. XXXIII. 633.

V. PIMENIVS. I. Episcopus Dumiensis V. interfuit VI. Concilio Tolatano ad Ann. Dom. DC. XXXVIII. 638.

VI. RECIMIRVS. I. Episcopus Dumiensis VI. interfuit VII. Concilio Toletano ad Ann. Dom. DC. XLVI. 646.

VII. AVIANCHIMARVS. I. Episcopus Dumiensis VII. cuius nomine interfuit VIII. Concilio Toletano Osdulfus Abbas, ad Ann. DC. LIII. 603.

VIII. S. FRVCTVOSVS. I. Episcopus Dumiensis VIII. post Braccarensis, interfuit X. Concilio Toletano, ad Ann. DC. LVI. 656.

IX. VINCENTIVS. Episcopus Dumiensis IX. interfuit Concilio XV. Toletano, ad Ann. Dom. DC. LXXXVIII. 688.

Dumiensia Cœnobia duo.

Postmodùm, Hispaniæ excidio, aut quod multi dicunt ex Luitprando *Aduers. n.* 72. eodem ipso tempore, quo S. MARTINVS in viuis erat, structum fuit aliud Cœnobium apud Astures, iuxta *Britoniam*, dictum etiam *Dumiense*, cuius occasione Scriptores in diuersa protracti, verùm Dumiensis Cœnobij, quo *S. Martinus* infulas induit, situm perperam percepere. Ex quo iam dubietatum cessabunt instantiæ, vt *diximus supr. Tom.* 1. *die V. Febr. fol.* 50.

Annus mortis.

CIRCA Annum dormitionis; S. M. Max. *in Chron. Ann.* 579. vbi Rod. Car. *fol.* 198. & post eum P. Biu. *n.* 3. *fol.* 576. cui consentit Iulian. *in Chron. n.* 304. contendunt vitam exuisse anno Domini D. LXXIX. Ast S. Gregor. Turon. *lib.* 5. *Hist. Franc. c.* 27. anno Quinto Childeberti Iunioris S. MARTINVM Galliciensem occubuisse refert, qui annus D. LXXXIII. à *Baronio*, & *Tepto* numeratur, quibus in hoc adhæreo, quia cum marginales numeri in *Maximo*, & *Iuliano*

liano vitiati aliquando reperiantur, vt quid non sententiæ Turonensis securæ adhærebimus.

QVATENVS ad Sepulchrale carmen, licet à nullo eius Acta scribente, integrum exscriptum sit, Nos ex *Sirmondi* editione *Parisiensi, anno* 1619. *fol.* 58. transcribemus.

Sepulchrale carmē ab Isidoro.

Pannoniis *genitus, transcendens æquora vasta,*
Gallæciæ *in gremium diuinis nutibus actus,*
Confessor Martine *tua hac dicatur in Aula;*
Antistes cultum instituit, ritúmque sacrorum,
Teque Patrone sequens famulus MARTINVS *eodem*
Nomine, non merito, hic in Christi pace quiesco.

Quod etiam Epitaphium in Codice M S. *D. Garsia de Loaysa* supra citato habemus, cuius meminit P. Biuar. *in Not. ad M. Max. in Chron. Ann.* 531. *n.* 4. *fol.* 385. Sed post *Loaysa* obitum Codex ille, ad cuius manus deuenerit, ignorat, sed ad meas deuenisse, vnà cum ferè *Sexaginta* Antiquitatum, Conciliorum, Chronicorum, & aliorum vetustissimorum librorum *Voluminibus*, quæ apud Dominicanos Placentiæ S. Vincentij Patres inuenimus, cùm ad collocationem effigierum SS. EPITATII I. Episcopi Placentini, & BASILEI. II. Braccarensis, Placentinorum Martyrum, Placentiam deuenimus. Et cùm ibidem *D. Didaci Stephani Caruajalij* mortem deprehenderemus, & pro eiusdem insigni Bibliotheca, quâ etiam fere omnia volumina *Garsia de Loaysa* continebantur, exquirerem, obtinul, illam ad prædictos Patres Prædicatores deuenisse, anniuersarij onere, è qua nonnulla, ad ipsos parum pertinentia, volumina, venalia exposituros; hinc fere *centum* volumina emens, tam excusa, quàm MS. in Bibliotheca Illustr. D. ac D. mei *D. Didaci de Arce Reynoso*, Placentini Episcopi, & Generalis Inquisitoris, summa voluptate, & voluntate reposui, illorum Scriptorum vtens codicibus, cùm casus expostulat.

Quo pacto L X. Volumina MSS. & XL. excusa acceperim ex Bibliotheca D. Garsia Loaysa.

Demum pro coronide Lectorem meum moneo, ne glossematis vanitate in Luitpr. *Adu. n.* 78. à D. D. Laur. Ram. editis, nitatur, credens B. MARTINVM fuisse Episcopum *Britoniens.* pòst Dumiens. & denique Braccarens. vt ipsum sic glossema mentitur: S. MARTINVS *ex Orientis partibus in* Gallæciam *veniens, conuertit ad fidem Catholicam Suanos, factúsque primò est Episcopus* [Britoniensis, vel Mindoniensis pòst ex Britoniensi] Dumiensis, *tandem ex Dumiensi Archiepiscopus Braccarensis.* Quæ intra has [ ] notas includuntur verba, merum glossema credimus, quia nullus ex Nostris tale quid dixit.

Error in Codice excuso Luitprandi, circa Episcopatum Britoniensem falsò B. Martino tributum.

DVMIVM. Cœnobium à S. MARTINO constructum, & Episcopali Sede decoratum, non procul à Braccara, quod adhuc religionis feruore Monasticæ perseuerat. Dequo plura D. Roder. de Acuña *Hist. Braccar. tom.* 1. *c.* 75. & alij Portugallensium Rerum Scriptores.

Dumij situs.

SS. VICTOR & SEBASTIANVS Martyres.] Vterque *Italica* conuenit vrbi titulis licet diuersis. Ille propter militiæ præfecturam apud *Italicenses.* Iste propter originem apud ipsos. Fuit primus. *Photina Samaritana* filius, qui apud *Neronem* in pretio habitus, *Italicensium* in *Hispania* militum præfecturâ donatus, nostras adiens, & vrbem ingrediens SEBASTIANVM suum commilitonem ad Catholicæ fidei agnitionem, & confessionem adtraxit. Alius iste SEBASTIANVS ab illo, cuius memoria *die VIII. Februarij* agitur in Ecclesia, vt notauimus *eodem die Tom.* 1. *Martyrolog. Hispan. fol.* 79. *lit. B.* & ex *Dodecastichο* pro SS. Martyribus SEBASTIANIS *Italicensibus*, ab anonymo, forte ab *Aulo Halo*, quia inter eius carmina, probauimus, quod iterum exscribere non grauabor, in quo sicut & in plerisque aliis ratio metri non omninò seruatur.

B.

Horum Martyrum notitia.

ITALICA *ô felix! Quamplures habere* SEBASTOS
Tunc meruisse pares, prisca Kalenda docet
Alter & vrbis amans oras, peruenit ad Aras:

Duo fuêre Sebastiani Italicenses.

Alter in Armenia finibus arma capit.
Ille coronatus victor cum VICTORE *palmam*
Arripit; atque iste Martyr amœnat agrum.
Dux ille; hic Miles, sic castra relinquitis ambo,
Hastile vtque ille proijcit; iste zonam.
Ille Neronis ita est confossus diro mucronis
Vulnere, quòd pellis sarcina rupta ruat.
Istéque pòst, Decio regnanti, iugula prabet
Tortori sæuo, Vernulis hospitibus.

Romæ passos fuisse Nostros VICTOREM, & SEBASTIANVM cum aliis hoc die, antiqua, & recentiora produnt Martyrologia, quæ Græcorum Menologium sequentia gloriosum illorum agonem honorificis periodis manifestant. Pro omnibus adsit Roman. h.d. *Eodem die* SS.Photinæ *Samaritanæ*, Ioseph, *&* VICTORIS *filiorum, itemque* SEBASTIANI *Ducis*, Anatholiæ, Photiæ, Photidis, Parasceues, *&* Cyriacæ, *germanarum, qui omnes Christum confessi, martyrium sunt assecuti.* Cui suis idiomatibus subscripsêre *Castellan.* P. Dionys. Vasq. & *Lusitan.* PP. Societat. IESV. Omnibus in contrarium difficultatibus silentium imponent Acta *S.Photinæ Samaritanæ*, Matris S. VICTORIS, quæ ex MS. Codice Græcis literis exarato, Anno 1580. desumpsit *Ieremias* Patriarcha Constantinopolitanus, eáque tradidit Oratori Rodulphi III. Imperatoris, quæ in Latinum versa, pòst in Hispanum sermonem à *M.Melchiore de Castro*, & iterum à me Latina facta, damus.

ACTA S.PHOTINÆ SAMARITANÆ, & sociorum, quibus martyrium SS. VICTORIS *filij, &* SEBASTIANI Italicensis *in Hispania Ducis, continentur, ex peruetusto MS. Codice Græco Ieremiæ Constantinopolitanæ vrbis Patriarchæ.*

M. Melchioris de Castro Hispani, ad Lectorem

PRÆFATIO.

CVM *ad manus meas* (Lector Christiane) *Historia* Samaritanæ, *è Græco in Latinum à Religioso Viro versa, perueniisset, licet eius Author ignoretur, tamen cùm veritatis apicem attingat, quia secum illam candoris, & pietatis simplicitatem, quâ antiqui illi Christiani SS. Martyrum, suo æuo, triumphantium agones scriptitabant, præ se ferat, decreui illam ob Dei obsequium, & Legentium placitum linguâ typis mandare vernaculâ; addens quo pacto lucem vidit, & quantâ æstimatione fruatur. Itaque Anno Domini* M. D. LXXX. Orator *Rodolphi III. Imperatoris, apud Constantinopolim, diuersatus*, Ieremiam *ipsius vrbis Patriarcham, natione Græcum, necessitudine deuinctum cum haberet, inter loquendum, de* S.Photinæ Samaritanæ *Reliquijs, déque eius Actis, in peruetusto Græco volumine, ab anonymo scriptis, actum est. Quorum desiderio inescatus* Orator, *& Reliquiarum partem, & Historiæ transsumptum à* Patriarcha *precibus efflagitauit. Omnia* Ieremias *libenter concessit, & Historiam suo nomine subscriptam, sigilloque munitam, per eius Prothonotarij manus exscriptam tradidit. Huius Reliquiæ fragmentum, & Historiæ autographum Orator* Adamo de Dietristam *Imperatoriæ domus Præfecto misit; qui Historiam è Græca,*

Historia Samaritanæ Græcè scripta.

A quo inuenta.

Cui missa.

è Græca, Latinam factam, cum Reliquiæ frustulo, Ioanni de Borgia, *Gandiæ Ducis germano, Philippi II. apud Imperatorem Legato, tradidit, à quo Ego, vt illam* Hispano *sermone*, Mariæ *Imperatricis decreto, ipsius ecphrasim desiderantis, traducerem. Quod & feci, & tibi Lectori fruendam dicaui. Non est cur de eius auctoritate dubites, & propter vtriusque Oratoris testimonium, & propter Martyrologij Romani*, à Gregorio XIII. *editi confirmationem, quo die* XX. *Martij*, Photinæ, *vtriusque filij, Quinque Sororum, &* SEBASTIANI *Ducis, licet summatim referuntur agones.*

Quo pacto in Hispaniã deuenit.

De Photinæ prædicatione apud Carthaginem, & eius filij VICTORIS *apud Italicam, &* SEBASTIANI *conuersione.*

CAPVT I.

T*Empore Neronis Romanorum Imperatoris, contra Christi fideles magna persecutionis procella exorta est; nam post agones SS. Petri, & Pauli Apostolorum Principum, maximo ardoris conatu, satellitum turbæ eorum Discipulos conquirebant. Tunc* Photina, *illa de qua in Euangelio*, Samaritana, *cum* Ioseph *filio, apud* Carthaginem *Africæ vrbem, Christi Domini verbum Euangelicâ libertate docebat.* VICTOR *autem ipsius item filius, qui aduersus* Auaros Scythiæ *populos, bellum aduersus Romanos agentes, strenuè dimicauerat, ab Imperatore militiæ Præfectus ad vrbem* Italicam *destinatus, vt omnes Christi asseclas, ad internecionem vsque ferires, dimissus est. Vrbem ingrediens*, SEBASTIANVS *illius exercitus Dux*, VICTORI *dixit*: Ego certò scio, Præfecte, te Christum colere, Matrem, & *Iosephum* fratrem tuum, Petri, & fuisse, & esse Discipulos. Ista ergo desere deliramenta, & præceptis Imperatoris adhærens, eius obserua decreta, ne vitam aleæ charissimam ponas. *Cui dixit* VICTOR: ego supremi, & immortalis Regis præceptis, adhæreo, & *Neronis* aduersus Christianos perhorresco mandata. *Respondit Dux*: Quæ tibi dixi facito, nam idcircò, & Imperatoris fauorem, & Christianorum opes consequêris. Ad Matrem etiam, & Fratrem tuum rescribe, ne fidem Christi Græcos edoceant, & ab antiqua eorum religione peruertant; ne fortè ob Matris, & fratris deliquium, tu ad ignominiosum immeritò rapiaris agonem. Si ergo Christum adorare desideras, intra cordis intima tuam contine religionem. *Ad hæc Præfectus*: Nec Christianos persequi, nec eorum opes eripere, nec matrem, & fratrem à Christi prædicatione diuertere, in votis est: quinimò ego quoque huius veritatis præco sum, cuius mea gloriatur nomine promptitudo. *Tunc Dux*: Ego quæ tibi conueniunt edixi: tu quid de te agas, agnosces. *Vix hæc protulerat* Dux, *cùm ecce oculis orbatus cecidit in terram, & visus ardore, ac dolore turbatus, itidem loquelam continuò perdidit. Cuius rei nouitate cuncti qui aderant admirantibus, illum in lectum posuêre, qui per triduum nec verbum quidem præ dolorum prodidit anxietate. Post illud ergo triduanum spatium, magna vocè clamauit, dicens*: Vnus est Deus Christianorum. *Tunc* VICTOR *ad eum ingressus, dixit*: Ecquid tam citò animum mutasti? *Cui* SEBASTIANVS: Christus me vocat, dulcissime VICTOR, nec possum eius vocationem differre. *Tunc à* VICTORE *catechizatus, & aquis salutaribus tinctus, protinus visum recepit, & Deo humillimas reddidit grates. Hac vrbe* Italicensis *municipes, qui miraculo interérant, intuentes, ne sibi peiora succederent, ad baptismum properantes, Christo nomina dedêre.*

Photina apud Carthaginem prædicat.

Victor Photinæ eius filius Italicam venit Præfectus.

Sebastianus visum perdidit.

Recuperat, & baptizatur. Multi fidê Christi amplectuntur.

Quid

Quòd Nero cognitâ VICTORIS, *&* SEBASTIANI *fidei confessione, illos ex Italica Romam perduci, & coram se sisti, imperat.*

CAP. II.

Romam perferuntur catenati.

Illis apparuit Dominus.

Photina Romā peruenit.

Comprehēditur.

Victor & Sebastianus coram Nerone sistunt.

Cruciatur.

CVM *ergo omnia hæc ad* Neronis *peruenirent auditum, & intelligeret, quòd* VICTOR, *vrbis* Italicensis *Præfectus, &* SEBASTIANVS *ipsius vrbis Dux, patriâ religione relictâ, & Imperatoriâ cohortatione neglectâ, Christi verbum, & Petri, ac Pauli doctrinam validis prædicarent conatibus, ita vt vniuersos ad eorum opinionem adtraherent, & quòd* Photina *Præfecti mater, vnà cum filio* Ioseph. *Carthaginenses itidem Christianos efficeret; furoris insaniâ laqueatus Imperator, protinus Præfectum, Ducem, & omnes* Italicæ *vrbis accolas vtriusque sexus fidem Catholicam amplectentes, ferreis catenis onustos* Romam *absque dilatione perferri decreuit. Cúmque satellites Imperatoris mandata complerent, & Christianos Romam perducerent, ipsis Dominus apparuit, & dixit:* Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Noli timere pusillus grex, ego enim tecum sum, & Nero, & omnes qui cum eo sunt, cadent. VICTORI *que dixit:* Quia plurimi per te illuminati sunt, & nomen meum cognouerunt, SEBASTIANVS que à te confortatus, ad martyrij culmina currit, ideo nomen tuum, in omne seculum exaltabitur. Beatus enim, qui vsque ad finem dimicauerit. *His dictis, Dominus euanuit, &* Photinæ *etiam apparens, omnia quæ illi euentura erant aperuit. Quo cognito intrepida fœmina, relictâ* Carthagine, *Romam perrexit cum filio, sororibus, & alys fidelibus, vbi fidem Christi prædicare cœpit, sic liberè, vt omnes mulieris spiritum demirarentur. Cùm ergo hæc agerentur,* VICTOR *cum* SEBASTIANO *& socys Romam ingressus, & in ergastulum coniectus, Neronis congressum spectabat: túmque* Photina *mater eum* Iosepho *fratre, & socys itidem comprehensa, primùm est Neronis execrationem experta, nàm ad eius præsentiam protracta:* Ecquid (*inquit*) huc venistis? *Photina dixit.* Vt Christi diuinitatem, & deitatem credas. *Tunc vnus de satellitibus Imperatori dixit, quomodo* SEBASTIANVS *Dux* Italicæ, *&* VICTOR *eius Præfectus, qui Deos deseruerunt, iam in custodia erant. Tunc omnes coram se perduci imperauit. Quibus in eius præsentia positis, dixit:* Quæ sunt hæc, quæ de vobis audiui? *Sancti dixerunt:* Quidquid de nobis, ô Imperator, audiuisti, verum est. *Ad* Photinam *reuersus dixit:* Et tu, & quæ tecum sunt, aut Christum negate, aut crudeli morte moriemini, *& addidit:* Quo nomine vocaris? *Cui Sancta:* Ego à Domino meo Iesu-Christo *Photina* vocor. Hæ sunt sorores meæ. Ista, quæ post me nata est, *Anatholia*; altera *Photo*; quæ sequitur *Photis*; Quarta *Parasceve*, & vltima *Cyriaca*. Isti sunt filij mei. Ille primogenitus nomine VICTOR, quem etiam *Photinus* nominauit Dominus; iste, qui mecum venit, dicitur *Ioseph. Quibus respondit Nero:* Ita est. Nunc, potiùs supplicia perferre vultis, quàm Nazarenum deserere? *Omnes vno ore dixerunt:* Tormenta quærimus, vt Christum lucremur. *Tunc Imperator illorum iuncturas digitorum, malleo concutere praecepit, in eius continuatione eructatus SS. Martyres ab hora nona ad Duodecimam contusi, demum illæsi, & incolumes steterę.*

De

De alijs varijs suppliciorum generibus adhibitis, à quibus liberi euasêre, conuersa Domina.

Cap. III.

ERGO cùm Neroni satellites Martyrum constantiam protinus retulissent, stupefactus extemplò, eorum manus truncari praecepit. Hinc Photina manus supra incudem apponens, tandiu illas intrepida tenuit, donec satellites in feriendo defatigati, prorsus ab incepto opere desceêre; & sanctæ fœminæ orant dicebat: Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Imperator à ratione alienus, inauditos cruciatus Martyribus inferendos cogitabat; idcirco Viros in tetrum carcerem conijcere, Photinam, & fœminas, in sua domus diuersorio, deauratis iconibus circumsepto ingredi iussit. Ibi lectulos quinque eburneos, sericis ornamentis, & aureis contextos, & alia supellectilia reposuit, & Dominam eius filiam, vt cum propria familia virginum sanctis fœminis adesset, illasque omnibus officijs perhonorificè prosequeretur, diuitias, vestes, & monilia porrigeret, imperauit. Vix igitur Dominam vidit Photina, cùm illam deosculans, dixit: Aue sponsa Christi. Cui Virgo: Dominus tecum, Domina mea, Christi splendor. Post hæc cognitis famularum praecordijs, Dominam, & centum Virgines Beata Photina salutaribus tinxit aquis, & Dominam vocauit Anthusam, quæ protinus per manum Stephanides monilium custodis, omnia, quæ in cubiculo erant, pauperibus distribuit. Nero cui omnia patebant, furnum per septem dies accendi iubens, in eo omnes Martyres, tàm Viros, quàm fœminas, includi iussit. Qui cùm per triduum in furni viscera remanerent, postmodùm alacres, illæsi, & Deum laudantes inuenti sunt. Quod miraculum omnes qui in vrbe erant intelligentes, stupefacti, magnificabant Deum, qui mirabilis est in sanctis suis.

Manus abscindi praecipit.

Conuertitur Anthusa, & eius familia.

Conijciuntur in furnum per triduũ.

De Veneno Martyribus propinato, & de Theocleti Magi conuersione, & alijs cruciatibus.

Cap. IV.

HÆC cùm ad Neronis auditum peruenissent, omnes veneno extinguere destinauit, quod vt efficaciùs conficeretur, Magum quendam Lampadium nomine accersitum, illi vt validam veneficâ contextam arte potionem conficiat, & Martyribus propinet, imperitauit. Magus Imperatoris iussum adimplens, poculum Photinæ prabuit. Cui illa subridens, dixit: Hæc potio, vt agnoscas Dei virtutem, licèt veneno repleta, mihi ad salutem, tibi ad fidem conflata est. Postmodùm omnes de liquore bibentes, & absque læsione remanentes, dixit Lampadius: Si de alio, quod præparabo, poculo biberis, & mortem eludatis, credam. Quo confecto, & à SS. Martyribus hausto, cùm Magus hilari sanitatis splendore omnes prospiceret, ad aquas salutares accessit, & omnes libros magicos comburens, Theocletus in baptismo nominatus, postmodùm ad martyrij palmam imperante Nerone, deuênit. Qui Photinam, & socios neruis contundi, pòst plumbum liquefactum, cum pice mixtum Martyribus propinari, & in eorum aures effundi iussit. Qua cùm Martyrum constantiam non frangerent, illorum corpora in altum suspensa radi; accensis facibus comburi; pòst cinerem aceto mixtum, per eorum nares diffundi præcepit. Quibus omnibus sancti integri steterunt, & laudantes Dominum, Neronis supplicia, & angustias subridebant.

Venenum ebibunt.

Baptizatur Magus.

De aliis cruciatuum generibus à Nerone inflictis, & de Martyrum victoria, Christique visitatione.

CAP. V.

Obcecantur, & in spelaeo secluduntur.

IAMIAM *Nero furoris atrocitate commotus, & bilis ponderositate conuictus, gloriosos Martyres increpans, illorum oculos erui, & sic obcaecatos in foetidum carceris ergastulum, ferocium, & venenatorum animalium plenum includi iubens, vltimam Sanctis poenam credidit inferendam. Ast per Dei misericordiam, & Sanctorum orationem, animalia omnia penitùs ad primum Martyrum ingressum extincta iacuêre; & quod potius est, quod foetor, qui ex hisce immundis cadaueribus adsoles exoriri, prorsus cessauit, in cuius locum odor suauissimus prosiliens, illius spelai antra refecit, & foras egressus, totum carceris ambitum ambrosius ille complebat spiritus. Tunc Christus illis apparens, dixit:* Pax vobis, *& acceptâ* Photinâ, *illam erigens, dixit:* Gaudete quia Ego vobiscum sum. *Qua voce auditâ, omnes visum illicò recipientes, Dominum viderunt, qui super eorum frontes, signum crucis effingens, dixit:* Confortamini filij, & estote strenui. *Quibus dictis euanuit. Tunc ex eorum corporibus squamea fragmenta ceciderunt, quò sani, & incolumes vt antea Martyres, remansêre. Per Trium Mensium, totidémque dierum spacium in ergastulo iacuerunt occlusi, & obliti, donec fortè fortuna, cùm satellites Neronis serum è custodia abducere properassent, apertis crypta horrentis liminibus, Sanctos Martyres, pulchritudine splendidos, fortitudine robustos, & luce oculorum emicante nitentes, stupore conspexêre vesano. Omnia Neroni renuntiant, qui illos iterum ad palaestram prouocans, suis conspectibus adtrahere destinauit. Quos vt vidit, furore concitus, dixit:* Nonnè vobis est notum imperialis iussionis meæ decretum, vt Christi fidem minimè prædicetis in vrbe? Vt quid ergo etiam in vinculis, præcepta contemnitis imperialia? Ego enim seuerissimis Augustam auctoritatem cruciatibus vindicabo. *Sancti respondentes dixerunt:* Quæcunque volueris facito. Nos autem in æternum confitebimur Domino, & Christum verum Deum, & omnium Creatorem prædicabimus.

Christus illis apparuit.

Et ab eo curantur.

Post tres menses ad tribunal ducantur.

De Crucifixione, flagellatione, excoriatione, & morte Sanctorum, & Photina in carcere spiritus emissione.

CAP. VI.

In cruces suspenduntur.

VIX *ad Neronis aures haec verba peruenêre sacrilegas, cùm insaniae furore excandescens, Martyres in Cruces agi collo suspensos per triduum, & his elapsis, plumbatis, & neruis caesos, quousque corpora in frusta diuisa remanerent, impeti praecepit. Vt iussum, factum. Sed satellites Sanctos è crucibus, vsque ad diem Quintum, deponere differentes, cùm ad locum peruenerunt agonis, vix corpora pendentia conspexêre, quando ipsi oculis orbati, in terram cecidêre grauati. Interim* Angelus Dei *descendens de caelo, Martyres è crucibus deposuit, & illaesos reliquit.* Photina verò, *quae Satellites caecos agnouit, oratione facta, illis visum à Domino protinus impetrauit, qui ad Sanctorum pedes prouoluti, & Christum corde confitentes, ad regenerationis lauacrum intrepidi conuenêre. Omnia haec cùm accepisset Nero* Photinam *excoriari iussit, quae in cruciamine repetebat:* Probasti me Domine, & cognouisti me. *Post Sctae foeminae pellis auulsionem, ista in fluuium,* Photina *in siccum puteum proiecta est.* SEBASTIANVS *Dux, &* VICTOR *Praefectus, &* Iosephus *etiam post excoriationem, separatim membrorum compaginem dissolutam, & frusta canibus exposita, abscisis ceruicibus ad balnea vetera, vnusquisque coronam martyrij percepit strenuus.*

Eos Angelus è crucibus deponit. Satellites credunt.

Excoriatur Photina. Coronãtur.

Foeminis

Fæminis etiam mammillas abſcindi iuſſit. Photina *denique ad duas arbores alligata, nec diſcepta, in carcerem incluſa, & à Domino viſitata, tandem ſpiritum illi reddidit inuictum* XIII. Kal. April. *Anno Domini* LXIX.

Hactenus Acta. Nec de illis eſt ambigendum, prout nec de Præfectura VICTORIS apud vrbem *Italicam Hiſpaniæ*, quia licet iſthæc Acta non aperiant, noſtram fuiſſe *Italicam Bæticæ* conuincitur, quia nulla eſt in Orbe vrbs hoc nomine decorata præter *Bæticam*. Item quia etſi hæc probatio deficeret, adeſt locus expreſſus Iuliani Tolet. *in aduerſ. num.* 391. *fol.* 86. iſtam opinionem firmantis, hac ſerie: VICTOR *cognomento* PHOTINVS, *Dux* Italicæ *Ciuitatis Hiſpaniæ* Bæticæ, *filius* Samaritanæ *dictæ* Photinæ :::: *prope Braccaram populos rebelles contra Claudium* (Neronem) *Cæſarem delebat.* Hinc non ſolum Præfecturam apud *Italicam Hiſpaniæ* cognoſces, ſed & aduerſus rebelles *Braccarenſes* victoriam deprehendes, decreto Neronis: & quod potius eſt, quod ibidem bellum agens contra tyrannos, vt Christi miles, etiam aduerſus diabolum victoriam reportauit, nam: *ibi* (proſequitur Iulianus) *adoleſcentem militem, nomine* Victorem *ad fidem conuertit, qui non multo poſt mortem, eiuſdem* VICTORIS Photini *adhuc catechumenus, pro fide Chriſti patitur XII. Menſis Aprilis.* Quo, hæc conuerſio etiam in VICTORIS laudem, & Hiſpaniæ ſplendorem accreſcit. Quo loco aduentum ad Hiſpanias, & Præfecti titulo elicies, de quo videndus Pat. Biu. *ad Dextr. Ann.* 60. *num.* 1. *fol.* 117. vbi & huius Hiſtoriæ ſeriem à *Ieremia* conſcriptam Græcè, laudat, & partem illius exſcribit.

Italica de qua in Actis Bætica eſt.

Victor aliū Victorem conuertit prope Braccarā.

ITALICA. De eius Antiquitate diximus ſupra *Tom.* I. *Die* II. *Februar. fol.* 32. vbi Nummum delineauimus, & *fol.* 34. vbi Geographos de illa loquentes ſubiecimus. Nunc de ſitu cui hodie reſpondeat, à Nobis agendum eſt. Ptolom. illam in Bætica collocat. Plinius, eam Ilipam priùs, pòſt Italicam cognominatam refert. Cui ſubſcripſit Caſaubon, in Not. ad Strabon. vbi loco: *Poſt has* Italica *&* Ilipa *ſuper Bæti*, ſubſtituit: *Poſt has* Italica, *quæ &* Ilipa *ſuper Bæti.* Quaſi *Italica*, & *Ilipa* eadem vrbs fuiſſet. Quidquid ſit, nam de hoc aliò dicemus ſitum huius aut *Ilipa Italica, aut Italica Ilipa*, à pluribus ignorari dixit *Vaſſeus*, nam aliqui *Nieblam*, aliqui *Trianam*, nonnulli *los Campos de Talca*, quaſi *Campi Italicæ*, & cæteri *Seuilla la Vieja*. Ambroſ. Moral. Ludou. Nonn. in ſua Hiſp. c. 27. pro vltima ſententia plenis manibus votum emiſêre. Quibus etiam acceſsêre D. Paul. Spinoſ. *Hiſtor. Hiſpalenſ. lib.* 1. *cap.* 7. & Roder. Car. *in Conuent. Iuridic. Hiſpal. lib.* 3. *cap.* 12. vbi plura de hac *Italicæ* chorographia. Ego iſtis lubens adhereo, quia illarum Regionum Homopolas potiùs ſitus quàm aduenas cognouiſſe credendum eſt. Alibi alia dicemus.

Italicæ ſitus varij.

Hodie.

DVODECIMO KAL. APRILIS.

DIES XXI.

A. *Paſſio SS.* Philemonis, *&* Domnini *Martyrum apud* Carthaginem Spartariam *ſæuiente Diocletiani Imperatoris perſecutione, maximè in Hiſpaniæ circulo, hoc die feliciter illuſtratur.*

B. *Celebris à naſcenti in orbe S. P.* Benedicti *Occidentalis Sphæræ Patriarchæ religionis inſtituto memoria colitur in*

in Hispania. Cuius dies natalis fastus, & festus non tantum apud sui vernulas, sed etiam apud nostros celebritate maxima decoratur, & cultu debito repetitur.

NOTÆ.

A. SANCTI Philemon, & Domninus.] Eorum memoria apud paucos inuenitur Scriptores, sed cùm eorum sint in cœlis nomina scripta, labentis tabulæ albus quid interest? Menol. Græc. h. d. sic ipsorum concelebrat anamnesim: *Sanctorum Martyrum* Philemonis, *&* Domnini *certamen.* Hilraban. die XXX. huius mensis, licet corruptè, sic: *Natale* Domni, *&* Philippoli. Pro *Domnino,* & *Philemone.* Notker. eodem die, etiam corruptè, & addita vrbe, & aliis sociis, sic: *In Thessalonica Ciuitate* Domnini, Philippoli (*pro Philemonis*) *Achaici*, *Palatini.* Alexand. de Peregrin. *Domnini* tantum meminit, omisso *Philemone*, & etiam Maurolyc. Galesin. post *Domninum* adducit *Philepponem*, pro *Philemone.* M R. verius, sic, h. d. *Eodem die Sanctorum Martyram* Philemonis, *&* Domnini. Cum quo conueniunt *M. Lusit.* & *Castellan.* P. Dionys. Vazq. *Hispan.* P. Higuera, sic: *En Cartagena de España los Sanctos Martyres* Philemon, y Domnino, *que padecieron en la persecucion de Dicleciano.* Latine, sic. *Carthagine in Hispania SS. MM.* Philemon, *&* Domninus, *passi in persequutione Maximiani.* Et licet omnes (vno excepto Notkero) vrbis nomen, in qua martyrium compleuêre, subticeant; ad nostræ Hispaniæ gloriam, & locum, & tempus aperuit Flau. Dext. *in Chron. Anno* 300. vbi Pat. Biuar. n.8. sic: *Carthagine Spartaria Sancti* Domninus, *&* Philemon *Martyres.* D. Francisc. Cascal. *Hist. Carthag. discurs. vltim. c.6. fol.*450. *col.*4. sic: *Anno CCC. hic* (Carthagine) *passi sunt Sancti* Philemon, *&* Dovinius *Martyres.* Loco *Domnini,* exscripsit *Dovinius.* Sed vt diximus sic corrigendus est. Eius Acta adhuc latent, quid dicendum, ignoro. Sed ne sine elogio huiusmodi dimittamus anamnesim; en quidquid permisit scriptura.

Martyrologia.

Error aliquorum in nominibus.

Patitur Carthagine Hispania vterque.

ACTA SS. PHILEMONIS, ET DOMNINI Martyrum Carthaginensium; ex Var. Scriptor.

Origo.

PHILEMON, *&* DOMNINVS, *vt credendum est, Ciues* Carthaginenses Spartariæ Hispaniæ, *Christi Domini fidem amplectentes, secundùm eius regulam sedulì vitam, à malo diuertentes, & bonum operantes agebant. Sed impiâ furente Diocletiani Imp. insania, taliter hac increuit per hanc Occidentalem Hispania plagam infectio, ministrante P. Daciano Præside, & Imperatoris sæuitia, vt ferè populi à Christi ascetis breui temporis internallo vacui conspicerentur. Primarias infecit priùs portentosa vrbes crudelitatis epidemia, ideò* Carthaginem Spartariam *peruenit in Christianos ferocitas; contremuit edictorum horrisonis præconiis vniuersa ciuitas. Nec mora, vndique ex domibus, campis, & montibus Satellitum curiosa exquisitio in fætidis carcerum angulis, in profundis Vinculorum ergastulis, quotidie fidelium agmina concludebat. Inter alios apprehendit sæuitia* Philemonem, *&* Domninum, *quos cùm nec vincere, potuit Præsidis verborum lenocinium, nec à veritate diuertere tormentorum laniatio, ad vltimam supplicium damnauit. Quo Martyres inclyti agone superato æternam beatitudinem commeruêre.* XII. Kal. Aprilis, *Anno Domini* CCC. *Impp. Diocletiano, & Maximiano.*

Daciani crudelitas.

Coronantur.

Accipe Lector ipsorum Acta quæ potuerunt compaginari Sanctorum. Nec ad

aliud

aliud potuit extendi ecphrasis, cum necdum adsit locus in antiquitatis diuersorio. Quatenus ad anni consignationem, non est ambigendum fuisse, hoc à *Flau. Dextro* numerato. Nam in contrarium vsque nunc nulla est validior ratio, nec authoritas. Nec est audiendus Notkeri textus *in Thessalonica* passos; quia vt benè appingit P. Biu. *Illud satis conuincit non fuisse in Græcia occisos, quòd Græci ignorent occisionis locum.* Non ergo est credendum, quòd Scriptores, qui Menologium concinnarunt omisissent *Thessalonicam*, si hæc ciuitas fuisset ipsorum Martyrum palæstra. Ideóque cum *Dextro* & Hispanos, & in *Carthagine* Hispaniæ occisos fatendum est. *Annus agnit.* *Notkeri lapsus.*

CARTHAGO Spartaria: aliqua de eius antiquitate in superioribus diximus, nunc ne longius hæc dilatetur notula, cum sequenti antiquæ inscriptionis in lapide epigraphe ad aliud pergemus. Eius meminit Moral. & Grut. *fol.* 923. *num.* 3. sic:

P. SVLPICIVS. P. F. Q. N. COL.
HIC. SITVS. EST. ILLE PROBAT.
IVDICIEIS. MVLTEIS. COGNATEIS.
ATQVE. PRIVIGNEIS.

Alia huiusmodi antiquitatis monumenta de hac peruetusta ciuitate suis locis interseremus in quibus nonnulla ad eruditionem pertinentia referemus.

S. BenedictusAbbas. Eius festiuitas quàm antiqua fuerit in *Hispania* Ecclesiis, peruetusta Breuiaria, & Scriptorum scripta perhibebunt. Non fuit *Benedictus* origine *Hispanus*; fuit ergo *Benedictus Hispanus* corde, Noster amore, & venerationibus Noster. In hac ergo anamnesis ecphrasi nulliter mea se inclinat intentio eius acta conscribere, eius miracula annumerare, eius virtutes recensere, eius prodigia cumulare, vel eius facinora transcribere. B.

Cedite Romani Scriptores, cedite Graij,
Nescio quid maius nascitur Iliade.

Quid in Nostra Sanctissimi Patris regula sit operata; scribemus Hispania, Quos eius viuendi norma apud Nostros fructus ediderit; Quibusve officiis hanc *Ibericam*, Occidentalémque plagam insignuierit. Cætera aliis relinquimus, qui ex professo hanc prouinciam susceperunt illustrandam, vitámque conscribendam. A nascentis ergo religionis *Benedicti* exordio Sanctissimus Patriarcha, *Hispanias* fauoribus cumulauit, mittens aliquos ex suis sodalibus *Toletum* Vrbem Regiam, qui vitæ regulam propagarent, & instituti Sanctissimam normam diffunderent. Huius veritatis est autor S.Max. *in Chron. Ann.* 550. apud Rod. Car. *fol.* 187. *lit.T.* sic: Sanctina *anno D. XLIV. adificarat ad S.Petrum Karadinensem celebre Monasterium, quò Monachos transmiserat* S.P. Benedictus *ex Italia ad Hispanias.* Et postea *anno* 612. apud Car. *fol.* 217. *col.* 2. sic: *Comites missi à* S. Benedicto, *in Hispania sanctissimè quieuerunt.* Iulian. Archipresb. Toletan. *in Chron. Ann.* 545. *num.* 267. sic: *Mittit Sanctus Patriarcha* Benedictus *duodecim Monachos cum Abbate suo, Toletum, qua tunc Sedes Regia Gothorum erat.* De hoc D.D. Prudent. de Sandou. *in fundat. Monast. Karadinens.* §. 1. *fol.* 36. P. Anton. de Yep. *in Chron. tom.* 1. *Cent.* 1. *Ann.* 537. *cap.* 1. *fol.* 87. P. F. Bernard. Briton. *Monarch. Lusitan. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 29. loquens de Monasterio *Lorbanensi* in Lusitania, adducit peruetusti codicis fragmentum MS. Archiui eiusdem cœnobij, ex quo hæc desumpsit verba: *Domus nostra Lorbani constructa fuit, viuente* P. N. Benedicto, *& dicata Sanctis Martyribus Mametio, & Pelagio, illi enim qui venerunt, deferebant reliquias illorum, propter quod assumpserunt illos in Patronos, & fuit dedicata Ecclesia ab illis IV. Kalend. Iunij.* Ex his comprobat *Tepes* primo aduenisse in Hispaniam Monachos *S. Benedicti*, quàm in Galliam. Quo sic explanato item ab antiquissimis temporibus celebrari incepit festiuitas *S. Benedicti*, & ideò in omnibus Hispaniæ Ecclesiis eius officium recitabatur. *Toletanum* eum hoc hymno. *S. Benedictus misit ad Hispanias socios.* *Monachos prius in Hispanias quàm Gallias aduentasse.*

Christe Sanctorum decus, atque virtus, *Hymnus in Breuiarijs Hispaniæ.*
Vita, & forma, via, lux, & actor,

Supplicum vota, paritérque hymnum
Suſcipe clemens.
Qui tuum dudum Benedictum*, ad te*
Attrahens mirè, ſegregaſti mundo:
Vt praua mundi reprobare ducens
Te ſequeretur.
Cuius deuotum animum pueri
Gratiam præſtans fidei valere:
Qua valens mira precibus peregit
Mente fideli.
Dehinc extendens pedem in remotis,
Ardua ſcandens, cruciare malens
Corporis artus, iuuenilis ardet
Caſtus amore.
Imbuit poſt hæc homines Beatus
Regulis arctis animos retundi,
Et iugo ſemper Domini Polorum
Subdere colla.
Huius ô Chriſte meritis precamur;
Arceas iram, tribuas fauorem,
Gratiam præſtans, veniámque nobis
Mitis ad omnes.
Prabe oramus Deus alme Rector,
Vt fides noſtra vitiis reſiſtat
Atque virtutum ſtudiis inſiſtat
Pectore puro.
Gloriam Patri reſonemus omnes:
Et tibi Chriſte Genite ſuperne,
Cum quibus Sanctus ſimul & Creator
Spiritus extat.

Benedictinum ſecundùm Conſuetudinem Congregationis Valliſoletanæ, duos hymnos recenſet, quos omitto, quia proprios, domeſticóſque. Nunc ad Cœnobia, quæ in Hiſpania erecta ſunt, & licèt omnium numerum aſſignare difficillimum videtur, attamen in gratiam tanti Patris in vnum compaginare non abs re erit.

CATALOGVS MONASTERIORVM Ordinis S. P. Benedicti in Hiſpaniarum Circulis extructorum.

I. Monaſterium S. Petri Karidinenſe à Sanctina auia SS. Leandri, Fulgentij, & Iſidori, & Florentinæ. Ann. Dom. D.XXXVII.

Sub quo conſtructa ſunt alia Monachorum eiuſdem ordinis cœnobia huiuſmodi, vt ex P. Yepes *tom.* 1. *Chron. Bened.* liquet. *fol.* 92.

I. Mo

I. Monasterium S. Vincentij Orbanielense à Comite Asure Ferdinandi vnitum Ann. Dom. DCCCXCIII.
II. Monasterium S. Ioannis Burgense, cuius vnio facta reperitur per Dominam Vrracam, & eius filium Anno Domini DCCCC. XIX.
III. Monasterium S. Mariæ Campestre, quod vniuit Miemus Presbyter, Anno Domini, DCCCC. XXVI.
IV. Monasterium S. Andreæ Villaluillense, cuius aggregatio per Dominas Luciam, & Mariam facta fuit, Anno Domini XXXII.
V. Monasterium Sanctorum Petri, & Clementis, vnitum ab Abbate Crescentio Ann. Dom. DCCCC. XLIII.
VI. Monasterium S. Marthæ iuxta fluuium Caueam, aggregatum ab Enecone Abbate. Ann. Dom. DCCCC. XLIX.
VII. Monasterium S. Michaëlis Xauielense, Cuius vnio ad Comitem Ferdinandum pertinet Gundisalui. Ann. DCCCC L.
VIII. Monasterium S. Michaëlis Vallisbonæ ab ipso item Comite extructum eodem Anno.
IX. Monasterium S. Ioannis Vecarense ab ipso Comite vnitum Anno Dom. DCCCC. LXIV.
X. Monasterium Sanctorum Iusti, & Pastoris Pocense ab Comite Garsia Ferdinandi conditum; Anno DCCCC. LXVI.
XI. Monasterium S. Mariæ Rezmondense ab ipso Comite extructum eodem Domini anno.
XII. Monasterium S. Columbæ Sarzosense ab eodem Comite eodem anno vnitum.
XIII. Monasterium S. Martini in Burgis Aquilatensibus, ab ipso Comite eodem aggregatum anno.
XIV. Monasterium Castri Tamaracensis ab eodem Comite ædificatum, eo ipso Domini anno.
XV. Monasterium S. Michaëlis Spinosense ab Comite Didaco Munnij fabricatum Anno Dom. M. XXXIII.
XVI. Monasterium S. Martini Arieguense à Rege D. Ferdinando I. extructum, Anno Dom. M. XXXVI.
XVII. Monasterium S. Torquati iuxta Burgensem vrbem ab ipso D. Rege conditum, Anno Dom. M. XXXIX.
XVIII. Monasterium S. Mametis in Oppido Ara, ab ipso D. Rege ædificatum, Anno Dom. M. XL.
XIX. Monasterium S. Eugeniæ in Villa Castreoli ab eodem D. Rege vnitum, eodem Anno.
XX. Monasterium S. Martini in flumine Cabeæ ab ipso Domino Rege congregatum eodem Anno.
XXI. Monasterium S. Martini Agauiense ab eodem Domino Rege, in Anno Domini conditum M. XLIV.
XXII. Monasterium S. Adriani iuxta Villam Frigidam ab eodem Dom. Rege, Anno M. XLV.
XXIII. Monasterium S. Æmiliani in Via conditum à Domina Apala Anno Domini M. XLV.
XXIV. Monasterium S. Martini apud Villam Vasconem ab eodem Domino Rege Ferdinando I. Anno M. L.
XXV. Monasterium S. Babylæ apud Cerratum ab ipso Domino Rege, Anno Domini M. LIII.
XXVI. Monasterium S. Michaëlis Tamarense ab eodem Domino Rege Anno Domini M. LIII. extructum.
XXVII. Monasterium S. Martini Villa-Vasconum ab ipso conditum Domino Rege, Anno Dom. M. LV.

XXVIII. Monasterium S.Iuliani, & S.Andreæ à Domino Rege Sanctio I. Anno Dom. M. L X V I.

X X I X. Monasterium S. Saluatoris, cuius vnio effecta conspicitur per Arium Presbyterum, An. Dom. M. LXVI.

X X X. Monasterium S. Martini Metuense, ab ipso Domino Rege Sanctio I. extructum, eodem Dom. Anno.

X X X I. Monasterium S. Torquati Finostrosense ab Asuro Asuri, & Domna Iuliana conditum, eodem Anno Domini.

X X X I I. Monasterium S. Mariæ Furonum, in Valleuiridi per Domnam Controdam vnitum, Anno Dom. M. L X X X V.

XXXIII. Monasterium S.Clementis Vlmorum, in Reucabia, ædificatum à Mumnio Presbytero, eodem Dom. Anno.

XXXIV. Monasterium S. Eulaliæ Caforniense, quod vniuit S. Petro Karadinensi, Abbas Placentinus Anno Dom. M. X C V I.

X X X V. Monasterium S. Petri Tutacense ab ipso Abbate extructum eodem Dom. Anno.

XXXVI. Monasterium S. Tyrsi Tutacense ab eodem conditum Abbate eodem Anno Domini.

XXXVII. Monasterium S.Mariæ Fenarense, ædificatum ab Andraquina, & fratribus, eodem Domini Anno.

XXXVIII. Monasterium S. Mariæ Furnulorum, quod aliis fuit temporibus magnificum, exemptum, & locuples; tandem ab Abbate D. Petro Burgense cum annexis vnitum, Anno Domini M. CCCC. XLV.

Nonnulla alia sub S. Petri Karadinensis cœnobia Abbatiatu continebantur, quorum memoria deperiit.

II. Monasterium S. Turibij Lie̾baniense, ab ipso Sanctissimo Abbate conditum ad Annum Domini. D. X L.

III. Monasterium Lorbanense in Lusitania, vt quidam aiunt, à Sancto Martino Dumiense conditum; vt alij, à Discipulis S.Patris Benedicti, Anno Domini D. X L I I.

IV. Monasterinm S. Claudij Legionense in Castella Veteri, item à Discipulis S.P.Benedicti conditum, vt perhibent, licèt postea auctum, ab Aluaro, & Auita, Anno Domini DCCCC. XXVIII.

Hoc cœnobium primos Ordinis S.Benedicti Martyres in Hispania Deo obtulit, Vincentium & X I I. Socios à Suæuis.

V. Monasterium S.Iuliani Agaliense apud Toletum ab Arbanagildo Rege ædificatum, vt ex S.Maximo apparet, Anno Domini D. L X I I. Hæc illa fuit domus (vt inquit Iulianus) sanctitatis officina, quæ per plusquam C C C C. L. annos tot Archiepiscopos Patriarchali Sedi dedit, & tot Sedibus contribuit Episcopos, tot etiam Doctores toti Hispaniæ, & Galliæ Narbonensi, ex qua, velut ex Equo Troiano, tot viri Sanctissimi, doctissimique certatim prodierunt.

Sub cuius regulari moderamine etiam aliquot tempore Gothorum Monasteria militarunt, scilicet:

I. Monasterium Sanctorum Cosmæ, & Damiani, in quo fuit Abbas S. Ildephonsus, vt ex Cyxila liquet, à primis S. P. Benedicti discipulis conditum in suburbio Toleti ad Septemtrionem. Postea à Gloriosissimo, & Catholico Reccaredo Rege, Aldelphio Toletano Præsule instante reædificatum Anno DC. XXXVI.

I I. Monasterium S.Seruandi apud Toletum à temporibus Gothorum extructum, & postea à Domino Alphonso Rege V I. instauratum, & auctum Anno Domini. M. X C V.

I I I. Monasterium S.Petri Toletanum, quod ab exordio fuisse creditur ex Monachis, post ab ipso D.Rege Alphonso instauratum eodem anno, & Sanctimonialibus Benedictinis concessum.

I V. Mona

IV. Monasterium S. Felicis Cauense flumini Tago imminens, vbi sepultus fuit S. Gudila Archidiaconus Toletanus Anno Domini DCLXXX.

V. Monasterium Deibiense, Ibiense, Dubiense, aut Bissense (sic variè legitur) à S. Ildephonso sacris Virginibus, titulo S. Mariæ, conditum in eius Villula suis propriis facultatibus, in quo Virginis imaginem collocauit, Anno Domini DC.XXXXIV.

VI. Monasterium S. Martini Dumiense non procul à Braceara Lusitaniæ vrbe conditum à Sancto Martino Braccarensi Episcopo ad Annum D. LXIII. fuit Sedes Episcopalis, vt diximus.

Construxit etiam Sanctissimus Præsul alia Cœnobia, quorum catalogum suo expressimus loco & hîc breuiter repetemus.

I. Monasterium Maximum ad radices Argæi Montis.

II. Monasterium Tabaniense non longè à Braccara ad latus Occidentale.

III. Monasterium Antoninum, ad Montem Britonensem, juxta Ecclesiam Barbudensem ad Aquilonarem Braccaræ plagam.

IV. Monasterium Victorinum intra ipsam Braccarensem vrbem Sancto Victori dicatum.

V. Monasterium Villarense, inter Braccaram, & Bratiam conditum iuxta litora fluminis Cauadensis.

VI. Monasterium Vargense à Bratia vrbe circiter mille passus distans.

VII. Magnatense Monasterium cuius meminit Acuña, sed de eo nomen tantum.

VIII. Monasterium S. Saluatoris ad Turres, quod fuisse Dumiensis Cœnobij Coloniam, perhibetur.

IX. Monasterium Claudianum, cuius Ecclesia Parochialis S. Claudio dicata est, & adhuc eius memoria perseuerat.

X. Monasterium Cabanense, Sancto Ioanni dicatum, nostro tempore adest.

XI. Monasterium Azonse, hodie in Ecclesia S. Cosmæ deductum visitur apud Vallem Veziam.

VII. Monasterium S. Æmiliani vulgo Cuculense, aut *de la Cogolla* sic vocitatum ad discrimen aliarum Ecclesiarum, quæ monasteria non fuissent; creditur ab ipso Sancto Presbytero extructum, Cuius ædificationem ponit Yepes anno D. LXXIV.

Sub regimine huius Cœnobij plurima Monasteria vnita fuêre temporum Angustiis, in hunc modum:

I. Monasterium S. Michaëlis Pretasense Virginum sacrarum, Anno Domini DCC.LIX. Quod, & eius annexa vniuit Rex Dn. Garsias Anno Domini M.XLIX.

II. Monasterium S. Mametis, & S. Saluatoris Anno Dom. DCCCC.XLV.

III. Monasterium S. Laurentij Masoaense quod fuit vnitum Anno Dom. CM.LXVII.

IV. Monasterium S. Crispinæ, aut Piæ, eodem Anno. DCCCC.LXVII.

V. Monasterium S. Michaëlis Ezquerrense, Anno Dom. DCCCC.LXXIX.

VI. Monasterium S. Cyriaci Virginum Benedictinarum, Anno Dom. DCCCC.XXVII.

VII. Monasterinm Sancti Martini Ferranense. Anno Domini DCC.LXXII.

VIII.

VIII. Monaſterium S. Martini Yhamenſe. An. Dom. DCC. LXXIV.
IX. Monaſterium Sancti Romani Doniſclenſe. Anno Domini DCC. LXXV.
X. Monaſterium SS. Emetherij, & Celedonij Tarancenſe, Anno Domini DCC. LXXVII.
XI. Monaſterium S. Martini Menenſe. Ann. Dom. DCCC.
XII. Monaſterium Sanct. Ioannis Orbananenſe Anno Domini DCCC. LXVII.
XIII. Monaſterium SS. Iuſti, & Paſtoris Orbananēſe: eodem anno.
XIV. Monaſterium S. Felicis Aucenſe, Ann. Dom. DCCC. LXIX.
XV. Monaſterium Sanct. Vincentij Barcenenſe Anno Domini DCCC. XLII.
XVI. Monaſterium SS. Ioannis, & Eugeniæ Barcenenſe, eodem Domini Anno.
XVII. Monaſterium S. Iacobi Azuzenſe ſurſum, & deorſum, eodem Domin. Anno.
XVIII. Monaſterium Sanct. Æmiliani Porcillenſe, Anno Domini DCCCC. XCVIII.
XIX. Monaſterium S. Vincentij Theociſtenſe, Anno Domini DCCC. LXXI.
XX. Monaſterium Sanct. Stephani Sarcidenſe, Anno Domini DCCC. LXXIII.
XXI. Monaſterium Sanct. Martini Maniatenſe, Anno Domini DCCCC. III.
XXII. Monaſterium S. Mariæ Fraxinenſe. Ipſo Dom. Anno.
XXIII. Monaſterium S. Andreæ Turpianum. Eodem Dom. Anno.
XXIV. Monaſterium S. Mariæ Caſierenſe, An. Dom. DCCCC. XIII.
XXV. Monaſterium S. Mariæ Badaranenſe, alias Villæ Gonſalui Ann. DCCCC. XXXII.
XXVI. Monaſterium Sanct. Mariæ Arundinenſe, Anno Domini DCCCC. XXXIV.
XXVII. Monaſterium Sanct. Agathæ Tricenſe, Anno Domini DCCCC. XXXVII.
XXVIII. Monaſterium S. Mariæ ſub Scopulo maiori. Eodem Domini Anno.
XXIX. Monaſterium S. Crucis Pampilonenſe. Ipſo quoque anno.
XXX. Monaſterium S. Æmiliani Feneſtrenſe conditum Anno Domini DCCCC. XXXVIII. & vnitum Anno Domini M. LV.
XXXI. Monaſterium S. Ioannis Baptiſtæ, & S. Æmiliani Bonielienſe, Anno Domini DCCCC. XLVII.
XXXII. Monaſterium S. Clementis Viruieſcenſe. Ipſo Anno Domini.
XXXIII. Monaſterium SS. Victoris, & Facundi Aſlancenſe. Eodem Domini Anno.
XXXIV. Monaſterium S. Tyrſi Virueſcenſe, An. Dom. DCCCC. LIX.
XXXV. Monaſterium Sanct. Sebaſtiani Viruieſcenſe, Anno Domini DCCCC. XCIX.
XXXVI. Monaſterium Sanct. Mariæ Pacuengenſe, Anno Domini DCCCC. XLII.
XXXVII. Monaſterium Sanct. Stephani Sarcedenſe, Anno Domini DCCCC. XLVII.
XXXVIII. Monaſterium S. Mariæ Mardonenſe. Eodem Dom. Anno.
XXXIX. Monaſterium S. Chriſtinæ in Valle Anſurana, Anno Dom. DCCCC. LXVII.
XL. Monaſterium S. Sebaſtiani Tricenſe, à Sanctio vnitum, Anno Domini M. I.

XLI. Mona

XLI. Monasterium Sancti Æmiliani Reuengense, Anno Domini M.VIII.

XLII. Monasterium S. Mariæ in Pago Turriensi, Anno Domini M.XIII.

XLIII. Monasterium S.Petri Villanouense, Anno Dom. M.XIV.

XLIV. Monasterium S. Ioannis Herbiaense, Anno Dom. M.XXV.

XLVI. Monasterium S.Emetherij, & Celedonis, Anno M.XXVII.

XLVII. Monasterium Sanct. Iuliani Montanatense, Anno Domini M.XXVIII.

XLVIII. Monasterium S. Iuliani Aquilianum, Anno Dom. M.XXX.

XLIX. Monasterium S. Vincentij Pinnatense apud Abulam, Anno Domini M.XXXI.

L. Monasterium Sancti Saturnini Ventosense, Anno Domini M.XXXII.

LI. Monasterium Sancti Michaëlis Pampilonense, Anno Domini M.XXXV.

LII. Monasterium Badastanense iuxta Pampilonam. Eodem Anno.

LIII. Monasterium S. Clementis Burebense. Eodem Anno.

LIV. Monasterium Sancti Christophori Tobiacense, Anno Domini M.XL.

LV. Monasterium S. Mariæ in Valle S. Vincentij, Anno Domini M.XLVI.

LVI. Monasterium Sancti Saluatoris Gurendense, Anno Domini M.XLVII.

LVII. Monasterium Sancti Cypriani Castrelense, Anno Domini M.XLVIII.

LVIII. Monasterium Sancti Victoris Hezquiualense, Anno Domini M.XLIX.

LIX. Monasterium S.Mariæ Castrense, eodem Dom. Anno.

LX. Monasterium S. Michaëlis Suacense apud Alabam. Ipsomet Anno.

LXI. Monasterium S.Romani Alabense. Item eodem Anno.

LXII. Monasterium S.Antonij Piperotundense in Bureba, Anno Domini M.LV.

LXIII. Monasterium SS. Æmiliani, & Euphemiæ Lorancense, Anno Domini M.LVIII.

LXIV. Monasterium Sancti Mamethis Obarenense. Eodem Domini Anno.

LXV. Monasterium Sancti Vincentij Ochoistatense, Anno Domini M.LXII.

LXVI. Monasterium S. Mariæ Acutedense. Eodem Domini Anno.

LXVII. Monasterium Sancti Martini Mamillarense. Ipso quoque Anno.

LXVIII. Monasterium Sancti Martini Granonense, Anno Domini M.LXIII.

LXIX. Monasterium Sanct. Thomæ Granonense. Eodem Anno Domini.

LXX. Monasterium S. Michaëlis Granonense. Item ipso Anno.

LXXI. Monasterium S. Æmiliani Fossense, eodem quoque Anno.

LXXII. Monasterium S. Michaëlis Sylense, Anno Domini M.LXIV.

LXXIII. Monasterium Sancti Sebastiani Artablense, Anno Domini M.LXVII.

LXXIV. Monasterium SS. Iusti, & Pastoris Chripianense, Anno Dom. M.LXVIII.

LXXV. Monasterium S. Thomæ apud Ripam Villosam, Anno Dom. M.LXX.

LXXVI.

LXXVI. Monasterium S. Mariæ Ressense, Anno Dom. M. LXXI.
LXXVII. Monasterium S. Martini Ihurierense, apud Durangum, Ann. Dom. M LXXII.
LXXVIII. Monasterium S. Clementis Indeniense, Anno Domini M. LXXIV.
LXXIX. Monasterium S. Mariæ Stibalense, Eodem Dom. Anno.
LXXX. Monasterium S. Mariæ Mardonense, Item eodem Anno.
LXXXI. Monasterium S. Mariæ Balnerense. Ann. Dom. M. LXXV.
LXXXII. Monasterium S. Iacobi Lanchrezense, eodem Anno.
LXXXIII. Monasterium S. Michaëlis Arandiacense, eodem Anno.
LXXXIV. Monasterium S. Saluatoris Bernuesense, eodem Anno.
LXXXVI. Monasterium Sanct. Mariæ Orsalesense, Anno Domini M. LXXVII.
LXXXVII. Monasterium Sanctæ Mariæ Blaconense, Anno Domini M. LXXVIII.
LXXXVIII. Monasterium S. Crucis Bozense, eodem Domini Anno.
LXXXIX. Monasterium S. Asensij. Eodem item Anno.
XC. Monasterium Albianense, iuxta Zigurim, Anno Domini M. LXXX.
XCI. Monasterium S. Andreæ Stigarribanum, eodem Anno.
XCII. Monasterium Sancti Vincentij Hacartense, Anno Domini M. LXXXII.
XCIII. Monasterium S. Mariæ Izpciatense, Anno Dom. M. LXXXIV.
XCIV. Monasterium S. Sebastiani in Valle Folij Castrensis. Eodem Anno.
XCV. Monasterium Sancti Michaëlis Villæfrancæ, Anno Domini M. LXXXV.
XCVI. Monasterium Sanct. Vincentij Alcozarense, Anno Domini M. LXXXVI.
XCVII. Monasterium S. Iacobi Rofayense, eodem Anno.
XCVIII. Monasterium S. Felicis Dabalosense, eodem Anno.
XCIX. Monasterium S. Mariæ Vertebrense, Ann. Dom. M. LXXXVII.
C. Monasterium S. Michaëlis Caycedense. Eodem Anno.
CI. Monasterium Lasartense, Anno Domini M. LXXXIX.
CII. Monasterium Sancti Christophori Ochandense, Anno Dom. M. XC.
CIII. Monasterium Sancti Saluatoris Abonizarense, Anno Domini M. XCII.
CIV. Monasterium Sancti Andreæ Villanouense, Anno Domini M. C.
CV. Monasterium Sancti Clementis Obaldiaense, Anno Domini M. C. XIV.
CVI. Monasterium Sancti Martini Nemorense, Anno Domini M. C. XVI.
CVII. Monasterium Sanctæ Crucis Antosanense, Anno Domini M. C. XXVII.
CVIII. Monasterium Sancti Ioannis Fragenetense, Anno Domini M. C. XXIX.
CIX. Monasterium Sancti Bartholomæi Cassarense, Anno Domini M. C. LXXXI.
CX. Monasterium S. Mariæ Spinense. Eodem Anno.

Omnia hæc cœnobia vnita fuerunt Monasterio Sancti Æmiliani, vt agnoscatur qualis in illis erat temporibus extensa S. P. Benedicti regula; ad alia pergo:

VIII. Monasterium B. Mariæ de Valuanera, Quod ab antiquissimis temporibus conditum coniectat Yepes, & ad Annum Domini D. LXXIV. ipsius scribit

scribit exordium, licèt nullum efficacius demonstret argumentum.

IX. Monasterium Sancti Petri Arlancense non procul à Burgensi Vrbe, quod fuisse conditum à Catholico, & Gloriosissimo Rege Reccaredo ad annum Dom. DXCI.

Sub regimine huius Cœnobij alia exciterunt non inferiora Monasteria, quorum index sit:

1. Monasterium S. Christophori Vallis Lacunæ.
2. Monasterium S. Christophori in Otero de Alios.
3. Monasterium S. Andreæ Bobatanum.
4. Monasterium SS. Ioannis Baptistæ, & Marcelli.
5. Monasterium S. Ioannis Tablatense.
6. Monasterium S. Cyriaci, & Iulitæ.
7. Monasterium S. Romani Tironense.
8. Monasterium S. Mariæ Onnazense.
9. Monasterium S. Petri Larense.
10. Monasterium S. Vincentij Pampliegense, vbi Rex VVamba cucullum Ordinis S. Benedicti induit.
11. Monasterium S. Facundi in Monte Creæensi.
12. Monasterium S. Ioannis Ortense.
13. Monasterium S. Mariæ Tortiellense.
14. Monasterium S. Thomæ Villaricense.
15. Monasterium S. Ioannis Villaricense.
16. Monasterium S. Iuliani Burgense.
17. Monasterium SS. Mamethis, & Eugeniæ, Sanctimonialium.
18. Monasterium S. Mariæ Larense.
19. Monasterium SS. Laurentij, & Eugenij in Gumiele Deizan.
20. Monasterium Chelanense apud Cluniam vrbem.
21. Monasterium SS. Michaëlis, & Mariæ Æseuense.
22. Monasterium SS. Michaëlis, & Marinæ Cluniacense.
23. Monasterium S. Mariæ Burgense.
24. Monasterium S. Iulianæ Cerecense.
25. Monasterium SS. Fausti, & Romani Hortanum.
26. Monasterium S. Ionannis in Valle Arundinum.
27. Monasterium S. Isidori Tabulatense.

X. Monasterium S. Iusti Complutense in Gallæcia à S. Fructuoso Abbate S. Benedicti conditum Anno Dom. DC.XLVI. Qui etiam sequentia extruxit Cœnobia.

1. Monasterium S. Petri Montanum.
2. Monasterium Visumense.
3. Monasterium Feonense.
4. Monasterium Nonense in Bœtica, ministerio S. Benedictæ.

XI. Monasterium S. Romani Ornisgense apud Vrbem Sarabim à Cindasuyntho Gothorum Rege, vt sua, & Recibergæ eius vxoris ossa reciperet, eius fabricam appingit Yepes Anno Dom. DC.XLVI.

XII. Monasterium SS. Petri, & Pauli Prætoriense in vrbe Toleti, à tempore Gothorum, vbi aliquot celebrata conspicimus Concilia, vt P. Yepes contendit tom. 2. ad Ann. DCLIII. Quod postea S. Petri Dominarum cognomen accepit.

XIII. Monasterium Turonium in Braecarensi Diœcesi à S. Fructuoso Episcopo Dumiensi, & Braccarensi conditum, Anno Dom. DCLVI.

XIV. Monasterium Montiolense inter Dumium, & Braccaram, quod etiam construxit S. Fructuosus vt hoc cœnobium illius corpus, cùm vitam denudasset, reciperet. Eodem anno.

XV. Monasterium S. Encratidis Cæsaraugustanum, in quo S. Eugenius III. Episcopus Toletanus, ante Pontificatum cucullum induit, Anno Dom. DCLI. Quod cœnobium etiam tempore Sarracenorum permansit. Postea vnitum fuit Ecclesiæ Oscensi, & Iaccensi.

Monasteria verò quæ olim fuère,& nunc aliquot sunt in Montanis Asturicarum, licèt plura temporum obliuione confusa, hæc sunt:

1. Monasterium S.Petri Villanouense conditum à Dn.Rege Alphonso.
2. Monasterium S. Saluatoris Zeloriense.
3. Monasterium S. Antonini Zeloriense.
4. Monasterium S.Vincentij Ouetense.
5. Monasterium S. Pelagij Ouetense, Sanctimonialium.
6. Monasterium S. Mariæ à Vega Ouetense.
7. Monasterium S. Saluatoris, Cornelianum.
8. Monasterium S. Mariæ Obonense.
9. Monasterinm S. Ioannis Cauriarum.
10. Monasterium S. Mariæ Cabadongense,vbi Rex Pelagius secessit.
11. Monasterium S.Eulaliæ Velamiense, ab ipso Rege extructum.
12. Monasterium S.Crucis Cangense, vbi iacent Rex Fauila,& eius vxor.
13. Monasterium S. Ioannis Prauiense, vbi iacet Rex Silus.
14. Monasterium S.Claudij in territorio Ouetensi.
15. Monasterium S.Georgij apud fluuium Gauna.
16. Monasterium S. Michaëlis Prennanense.
17. Monasterium S. Mariæ sub templo S. Saluatoris Oueti.
18. Monasterium S. Saluatoris Taulense.
19. Monasterium S. Nicolai Gorullense.
20. Monasterium S. Michaëlis Tienense.
21. Monasterium SS.Petri, Iacobi, & Martini Besuliense.
22. Monasterium S.Marinæ iuxta Ecclesiam S.Tyrsi Ouetense.
23. Monasterium S.Ioannis Carauedense.
24. Monasterium S. Eulaliæ prope flumen Lenam.
25. Monasterium S. Michaëlis Præmoniense.
26. Monasterium S. Martini Anonayense.
27. Monasterium S. Ioannis Tebergense.
28. Monasterium S. Michaëlis Treuense.
29. Monasterium S. Bartholomæi Nauense.
30. Monasterium S. Mariæ Villæ-Maioris.
31. Monasterium S. Ioannis Oboniense apud Carrennum.
32. Monasterium S. Martini de Soto.
33. Monasterium S. Mariæ Telonense.
34. Monasterium S. Martini Gurullense.
35. Monasterium S. Ioannis Zenerense.
36. Monasterium S. Adriani Tunonense.
37. Monasterium S. Saluatoris Vallis-Dei.
38. Monasterium S. Andreæ Prauiense.
39. Monasterium S. Saluatoris Perloranum.
40. Monasterium S. Eulaliæ Triongoniense.
41. Monasterium S. Ioannis Baptistæ Molnesense.
42. Monasterium S. Mariæ Hernanum.
43. Monasterium S.Vincentij Fauense.
44. Monasterium S. Ioannis Baptistæ Arguetense.
45. Monasterium Carauiense in territorio Colungæ.
46. Monasterium S. Petri Tebergense.
47. Monasterium S. Michaëlis Lobercesanum.
48. Monasterium S. Saluatoris Ambarense.
49. Monasterium S.Mariæ Erbediarezense.
50. Monasterium S. Ioannis Saberense.
51. Monasterium SS. Petri, & Pauli Tritianum.
52. Monasterium S. Mariæ Arganzanum.
53. Monasterium S. Mariæ Paranadense.
54. Monasterium S. Martini Scamprelonense.
55. Monasterium SS. Petri, & Pauli Casalense.

56. Monaste

56. Monasterium S. Stephani Lauianense.
57. Monasterium S. Ioannis Baptistæ Gigionense.
58. Monasterium S. Ioannis Beygense.
59. Monasterium S. Saluatoris Zebuyonense.
60. Monasterium S. Tyrsi Cangense.
61. Monasterium S. Mariæ Villacibranense.
62. Monasterium Zelono Zalonense.
63. Monasterium S. Mariæ Miudense.
64. Monasterium Pinnarense.
65. Monasterium S. Stephani Mantaronense.
66. Monasterium S. Acisceli Marismortui.
67. Monasterium S. Martini Siloyense.
68. Monasterium S. Michaëlis Barcenanum.
69. Monasterium S. Michaëlis Caneronense.
70. Monasterium S. Saluatoris Marismortui.
71. Monasterium Bergunnonense.
72. Monasterium Termonense.
73. Monasterium S. Michaëlis Lacianum.
74. Monasterium S. Ioannis Villæviridis.
75. Monasterium Sarantesense.
76. Monasterium S. Antonij Villanouense.
77. Monasterium S. Mariæ à Vega Nabiacense.
78. Monasterium S. Martini Ayanense.
79. Monasterium S. Tyrsi Candamonense.
80. Monasterium S. Ioannis Sautense.
81. Monasterium S. Michaëlis Trebesense.
82. Monasterium S. Martini Besulionense.
83. Monasterium S. Michaëlis Canonense.
84. Monasterium S. Martini Mantaresense.

XVI. Monasterium S. Ioannis Pinnatense, vulgò *de la Peña:* In confiniis Aragoniæ, & Nauarræ conditum à SS. *Voto*, & *Felice* Nobilibus Cæsaraugustanis, licèt primò illius asperitatis spelæum lustrauerit Eremitico Ordine *S. Ioannes de Atares:* structum, vt creditur Ann. DCC. XVIII. vbi sepulta sunt XVII. Corpora Regum, & Principum, quorum epitaphia suo loco exscribemus.

XVII. Monasterium SS. *Facundi*, & *Primitiui*, vulgò *de Sahagun:* cuius erectio à tempore Gothorum originem trahit, eiúsque instauratio tēpore Alphonsi III. Castellæ Regis, licet ex peruetusta MS. historia contendat Yepes ab Alphonso I. restitutum fuisse. Sub huius Regij Cœnobij regimine adsunt.

1. Monasterium S. Mariæ Piascacense in Lieuanensi Prouincia. Et in eremitorio huius Monasterij veneratur corpus cuiusdam S. Monachi nomine *Pastoris*, cuius dies, & acta ignorantur.
2. Monasterium S. Saluatoris Nuccense.
3. Monasterium S. Bartholomæi Metimnæcampestre.
4. Monasterium S. Mantij, in oppido eius nominis.

XVIII. Monasterium Samonense S. Iuliani, quod & Abelense dictum est, conditum à Rege Domino Fruela ad annum Dom. DCC. LIX. vt Argerico Abbati Agaliensis cœnobij Toletani, qui Maurorum oppressionem diffugiens, ad Regis Fruelæ auxilium accesserat, succurreret. Credit Yepes primò dictum Agaliense instar illius à quo diuerterat, pòst corrupta voce Abeliense appellatū, & vincente proprij territorij nomenclatura demum Samonense vocitatum, satis meo videri apparentiæ habet coniectatio.

XIX. Monasterium S. Mariæ Amerense, conditum vt creditur à Carolo Magno, ad Annum Domini DCC. LXXVIII. propter insignem victoriam, quam in valle Anglicana reportauit à Mauris.

XX. Monasteriū S. Cucufati in Castro Octauiano, conditū ab ipso Imper. Carolo

Magno ad eundem Domini annum, cùm Cathaloniam à Sarracenorum incursibus liberauit.

XXI. Monasterium S.Petri Arelatense in Cathalonia Diœcesis Hellenensis, conditum auxiliis, & expensis eiusdem Sanctissimi Imperatoris, per Abbatem Castellanum, in quo sunt corpora SS.Martyrum *Abdom*, & *Sennem*.

XXII. Monasterium Sancti Stephani Balneolense in Diœcesi Gerundensi conditum à S.*Emerio*, & *Candida* matre; de quo diximus ad diem XXVII.Ianuarij.

XXIII. Monasterium S.Felicis Guixalense, olim in Castro Brigensi situm, in maris litore constitutum, turribúsque, vallis, & fossatis, atque aliis fortitudinibus circumfultum, in Cathalonia, ab ipso Carolo conditum.

XXIV. Monasterium S.Vincentij Fistolense, cuius domum vniuit Gundesindus Comes Monasterio S.Saluatoris Onnensi anno DCC.XCVI. cum sequentibus cœnobiis, in Montanis Burgensibus.

1. Monasterium S.Mariæ in Villa S.Eulaliæ.
2. Monasterium S. Petri Lencesense.
3. Monasterium S. Martini Sogarconense.
4. Monasterium S. Martini Leucanacense.

XXV. Monasterium S.Petri Puellarum Barcinonense à Dn.Rege Ludouico Galliarum, Imperatoris Caroli Magni filio conditum, post oppugnationem ipsius vrbis ad annum DCCC.I.

XXVI. Monasterium S. Martini Sarasense in Aragonia conditum à Dn. Galindo Azanrizense Aragonum secundo Comite ad Annum Domini DCCC.III.

XXVII. Monasterium S.Benedicti Obarrense sub magnæ rupis radicibus in castro Ripacurtiæ apud ripam fluminis Isabenæ à Comite Dn. Bernardo vt inquit Zurita *lib.1. cap.14.* extructum, anno DCCC.XX. licèt addat, quod ante excidium Sarracenorum fuerat conditum sub regula S. Benedicti.

XXVIII. Monasterium S.Mariæ Vallis positæ iuxta Victoriam, quod fuit Cathedrale cœnobium, à Dn. Rege Alphonso Casto priuilegiis, & reditibus donatum, anno DCCC.IV.

XXIX. Monasterium S. Mariæ Hiraxense à Primaria, & Illustrissima Domina Elione conditum ad Annum DCCC. XV. vt ex Yepes liquet, at Sandoual. anno DCCCC.XXVIII. contendit.

Hic *S.Veremundus* Abbas vitam egit, pôstque Confessor gloriosus ad æternam properauit, die VIII. Martij, vt diximus suo loco.

Sub huius Monasterij regimine fuere complurima non contemnenda cœnobia, quorum catalogus sic se habet:

1. Monasterium S. Saluatoris Yartense Anno Dom. M.XLIV.
2. Monasterium S.Veremundi Oyunicense Anno Dom. M.LII.
3. Monasterium S.Mariæ Arronizense Anno Domini M.LVI.
4. Monasterium S.Clementis Suruslatanum Anno Dom. M.LVIII.
5. Monasterium S.Veremundi Subicacense, Anno Dom. M.LXI.
6. Monasterium S.Veremundi Garayacense. Anno Dom. M.LXI.
7. Monasterium S.Gratiæ Remonense. Anno Domini M.LXII.
8. Monasterium S.Stephani Ecoyense. Anno Domini M.LXIII.
9. Monasterium S.Iusti Muesense eodem Domini Anno.
10. Monasterium S.Petri Arguinanum, eodem Anno.
11. Monasterium S.Petri Yturicurianum, eodem Anno.
12. Monasterium S.Michaëlis Hollense, eodem Anno.
13. Monasterium S.Mariæ Aurensæ. Anno Domini M.LXVI.
14. Monasterium S.Veremundi Ildiense, eodem Anno.

Monasterium S.Veremundi Yarceyrratense. Anno Domini M.LXVI.
Monasterium S.Veremundi Erdoyzanum. Anno Domini M.LXVII.
Monasterium S.Eulaliæ Legardetanum. Anno Domini M.LXVIII.
Monasterium S.Veremundi Alguiuianum. Anno Domini M.LXIX.
Monasterium S.Saluatoris Bellozoaguicense. Eodem Anno.
Monasterium S.Saluatoris Ciricoacense. Eodem Anno.

Monasterium Ezacense Monachorum Anno Domini M. L X X.
Monasterium Ezacense Sanctimonialium. Eodem Anno.
Monasterium Vrriquiariaganum Anno Domini M. L X X I I.
Monasterium S. Petri Aberienense. Eodem Anno.
Monasterium Barreyriense Anno Domini M. L X X I I I.
Monasterium S. Piæ Anno Domini M. L X X X V.
Monasterium S. Iacobi Yrazense Anno Domini M. C. X I.
Monasterium S. Petri Etadarense. Eodem Anno.
Monasterium S. Ioannis Sadasense Anno Domini M. C. X L.
Monasterium Arincanacense Anno Domini M. C. X L I V.
Monasterium Alipianense Anno Domini M. C. L X X X.
Monasterium S. Ioannis Stellense Anno Domini M. C. L X X X V I I.
Monasterium S. Mariæ Elizmendiense Anno Domini M. C C. I I I.
Monasterium S. Petri Dicastellense Anno Domini M. C C. X X V I.
Monasterium S. Mariæ Legardense, vbi est imago Deiparæ illustris.

Extra numerata cœnobia, sub Abbatis Sanctæ Mariæ Hiraxensis iurisdictione fuêre X V I I. Ecclesiæ, quarum catalogum ponit P. Yepes Cent. 4. fol. 387.

Monasterium S. Martini Compostellanum conditum vt aliqui & perperam credunt à Sisenando Episcopo Iriensi, licet de eius antiqua extructione adsint quamplurima monumenta, de eo adest Priuilegium Regis Ordonij ad annum Domini D C C C C. X I I.

Sub huius Monasterij regimine fuêre X X X I I. cœnobia eiusdem ordinis per annexionem, quorum catalogum breuiter exscribemus.

Monasterium Sancti Pelagij eiusdem vrbis, quod *Antealtares* dicitur, Anno D C C C. X X X V.
Monasterium S. Petri Foracense. Eodem Anno.
Monasterium S. Felicis Louionense. Per idem tempus.
Monasterium S. Laurentij Hilicinense in Monte sacro, Anno D C C C C. X I V.
Monasterium S. Sebastiani Hilicinense in ipso Monte, eodem Anno.
Monasterium S. Cypriani Calegonense.
Monasterium S. Iuliani Arozacense, Anno D C C C C. X X X I X.
Monasterium S. Laurentij Carbonariense, Anno D C C C C. X X X V I.
Monasterium S. Isidori Montanum, eodem Anno.
Monasterium S. Michaëlis Concelense, antiquissimum.
Monasterium S. Iuliani Sabardense Anno M. L X X I I.
Monasterium S. Stephani Boyronense Sanctimonialium.
Monasterium S. Marinæ Tostocense, vbi corpus S. Marinæ.
Monasterium S. Martini Ozonense vnitum Anno M. D.
Monasterium S. Martini Corenzanum.
Monasterium S. Mariæ Portorense.
Monasterium S. Iacobi Mensense.
Monasterium S. Antonij Baynasense.
Monasterium S. Iusti Cornadense.
Monasterium S. Martini Candoasense.
Monasterium S. Mariæ Monsonzonense.
Monasterium S. Saluatoris Vergondonense.
Monasterium S. Mariæ Cambrense.
Monasterium S. Antonij Toquense.
Monasterium S. Saluatoris Sinense.
Monasterium S. Eulaliæ Speluncense.
Monasterium S. Clementis Villæ Matthæi.
Monasterium S. Christophori Dormeanense. Virginum sacrarum.
Monasterium S. Cypriani Bribisense.
Monasterium S. Thomæ Montisnigri.
Monasterium S. Mariæ Ancianegense.
Monasterium S. Mariæ Mesiegense.

Monaſteriu m S. Saluatoris Vrdaxenſe in Nauarra.
Monaſterium S. Zachariæ Vrdaſpalenſe in eodem Regno.
Monaſterium S. Saluatoris Legerenſe, hæc tria inuiſit S. Eulogius.

Multa alia Cœnobia olim Benedictino Ordini paruit, quorum proſequi Catalogum Lectori potiùs faſtidium, quàm ſubſidium generabit, ideò ab eorum relatione conſultus abſtinco. Videndus P. F. Anton. Yep. in toto Chronici Benedictini opere, vbi ſuis temporibus vniuſcuiuſque Cœnobij antiquitatem, conditores, & alia ad illorum dotem concernentia, ſubnectit.

VNDECIMO KALEND. APRILIS.

DIES XXII.

A. S. Paulus Sergius *Apoſtolorum Diſcipulus, cum Paulo Apoſtolo Hiſpanias adijt, Hiſpalim, Cordubam, Barcinonam, Cæſarauguſtam, Secontiam viſitat, & fere omnem Prouinciam prædicat, & pòſt Narbonæ Epiſcopatus infulas induens, glorioſo fine quieuit.*

B. Hiſpali depoſitio S. Seuerini, *vnius ex Legatis Concilij Sardicienſis & Subſtituti Euphradæ Hæretico in Agrippinenſi.*

C. S. Epaphroditi *Apoſtolorum Diſcipuli,* Tarraconæ *Epiſcopi à S. Petro electi veneratur memoria, qui ſuæ adimplens miſsionis Officium, cœlum confeſſor illuſtris aſcendit.*

NOTÆ.

Martyrologia. SANCTVS Paulus Sergius.] Is ille eſt Noſter *Paulus Sergius* de quo eſt mentio in Actis Apoſtolicis *c.* 13. & à quo *S. Paulus Apoſtolus* relicto nomine *Sauli*, *Paulus* vocitatus creditur. Beda ſic hoc die: *In Galliis Ciuitate Narbona* Sancti Pauli *Epiſcopi, & Confeſſoris, Diſcipuli Apoſtolorum Chriſti, quem tradunt eumdem ipſum fuiſſe* Sergium Paulum Proconſulem, *Virum prudentem, à quo ipſe Paulus ſortitus eſt nomen, quia ipſe eum fidei Chriſti ſubegerat: quique ab eodem Sancto Apoſtolo, cum ad Hiſpanias prædicandi gratiâ pergeret, apud præfatam vrbem Narbonam relictus, prædicationis officio non ſegniter impleto clarus miraculis coronatus ſepelitur.* Eadem Vſuardus licet *XII. Decemb.* Ado *XI. Kal. Febr.* & hoc die ſic: *In Galliis Ciuitate Narbona: Natale* S. Pauli *Epiſcopi, & Confeſſoris, diſcipuli Apoſtolorum.* Raban. h. d. ſic: *In Arbona ciuitate Natalis* Pauli *Confeſſoris.* Notker. ſic: *Apud Narbonem Ciuitatem, à qua Gallia Narbonenſis nomen aſſumpſit, natiuitas* S. Pauli, *quem Beati Apoſtoli ordinatum eidem vrbi Epiſcopum direxerunt. Qui in eadem regione prædicationis officio non ſegniter impleto clarus miraculis confeſsione Chriſti coronatus ſepelitur.* VVandelbert. *in Ephemer.* hoc die, ſic:

Vndecima Antistes tribuit pia lumina PAVLVS,
Quo iure exultat proprio Narbona Magistro.

Alexand. de Peregrin. in peruetusto Rom. Martyrol. h. d. sic: *in Gallijs ciuitate Narbona* Sancti Pauli *Episcopi, Discipuli Apostolorum, qui à B. Paulo baptizatus, & in Gallias directus, apud Narbonam Episcopali dignitate donatus est.* Eadem Maurolicus. Petr. Cabilonens. *in Topograph.* verb. *Narbon.* sic: *Hic* Paulus *Episcopus, Pauli Apostoli Discipulus prædicat, & totam Gothiam, & Septemtrionem conuertit.* Petr. Galesin. sic: *Narbona Sancti* Pauli *Episcopi, Apostolorum Discipuli qui ab Paulo Apostolo baptizatus, in Galliam missus, Ecclesiæ Narbonensi præfuit, qua sanctè administrata obdormiuit in Domino.* Philipp. Ferrar. *in Topograph.* verb. *Narbo XXII. Martij.* Paulus Sergius *Episcopus I. à Sancto Paulo Apostolo ordinatus.* Andr. Suass. in *Martyrol. Gallic.* sic: *Narbona Metropoli, natalis Sancti* Pauli *Episcopi Apostolorum Discipuli, & Martyris, qui à B. Paulo baptizatus, atque in Galliam adductus, ab ipso cùm in Hispaniam pergeret, illic Episcopus ordinatus fuit, vbi cælestis Magistri præceptis confirmatus, pastoralis vigilantiæ laboribus in Euangelij propagatione tandiu institit, quoad vsque conflata ab impiis persecutione, cùm cæleste Christi regnum, tùm docendo, tùm agendo prædicaret, eo nomine comprehensus, diréque excruciatus, demum ob testimonium, quo verbum Dei constanter perhibuit, extremo affectus supplicio illustrissimum agonem expleuit.* Idem Suass. *tom. 2. XII. Decemb. fol.* 994. Vide pulchrè de prædicatione in Hispania. Omnibus antiquioribus adstipulatur M.R. sic: *Narbona in Gallia natalis Sancti* Pauli *Episcopi Apostolorum Discipuli, quem tradunt fuisse* Sergium Paulum Proconsulem, *qui à B. Apostolo Paulo baptizatus, & cum in Hispaniam pergeret apud Narbonem relictus, ibidem Episcopali dignitate donatus est: vbi prædicationis officio non segniter expleto, clarus miraculis migrauit in cælum.* Cum quo conueniunt suis idiomatibus Martyrol. *Lusitan.* & *Castellanum* P. Dionys. Vazq. *Hispanicum* P. Hieronym. de la Higuera MS. in Biblioth. D. D. Laurentij Ramirez. h.d. sic: *En España San* Sergio Paulo, *disipulo del Apostol. San Pablo, y Companero suyo en el viaje que hiço à España, y boluiendo della para Roma, por Francia, lo dejo por Obispo de Narbona. Este fue aquel gran* Sergio Paulo, *que conuirtio San Pablo a la fee: y quieren algunos decir, que por su respecto San Pablo mudo el nombre de Saulo, en Paulo. Adonde auiendo cumplido muy bien el officio de predicador del Euangelio, esclarecido per muchos, y grandes milagros se partio para el descanso perdurable. Ay autores que dicen auer padecido Martyrio en la ciudad de* Orense, *de adonde fue lleuado su cuerpo a Narbona.* Hactenus *P. Higuera* verba. Quæ latinitate donata, sic: *Hispania Sanctus* Sergius Paulus, *Discipulus S. Pauli Apostoli, & in itinere ad Hispaniam socius, quem Apostolus Romam per Galliam rediens apud Narbonam Episcopum reliquit. Iste est ille magnus* Sergius Paulus, *quem idem Apostolus ad fidem conuertit: & vt aliqui dicunt ab eo Saulus nomen mutuauit, & in Paulum commutauit. Ibidem* Sergius *expleto luculenter Euangelii Prædicatoris munere, miraculis clarus in æternam requiem proficiscitur. Sunt qui dicant, martyrium peregisse in vrbe* Auriensi Hispaniæ, *à qua ad Narbonensem postea eius translatum corpus fuisse coniectant.* De eo antiqua Breuiaria *Tarracone*, & *Compostellæ*. Flau. Dextr. *Ann.* 64. 66. & 72. vbi P. Biu. & Roder. Caro. Petr. Anton. Bent. *lib.* 1. *cap.* 23. *Histor. Valent.* Pujad. *Hist. Catalon. lib.* 4. *cap.* 14. & 15. & *lib.* 6. *cap.* 60. Ludouic. Pons de Icart. *Hist. Tarracon. cap.* 37. Ambros. de Moral. *lib.* 9. *cap.* 11. *fol.* 259. Padill. *Histor. Eccles. Hisp. tom.* 1. *cent.* 1. *cap.* 23. *fol.* 56. Philippo Bergom. *in supplement. Chron. lib.* 8. *Ann.* 70. *fol.* 129. Ioann. Vass. *in Chron. Ann.* 67. Bozins *de Signis Eccles. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 1. *fol.* 123. Petr. de Natal. *in Catal. SS. lib.* 1. *cap.* 60. Ex quibus breuiter acta composuimus.

Breuiaria.

Chronographi.

ACTA S. PAVLI SERGII
Episcopi Narbonensis in Gallia, & Hispania Prædicatoris; ex Varijs Scriptoribus.

PAVLVS SERGIVS *Romanus genere ex nobilissima* Sergiorum *familia oriundus, post primam iuuentutis, & adolescentiæ ætatem, ad altiora Reipublicæ*

Origo.

blica munera obeunda, & prudentiæ ſpecimen, & æconomiæ ſymbolum perduxere. In omnibus verò tàm domeſticis ſe Patrem ſedulum, quàm publicis Ciuem vigilantiſſimum functionibus præbuit, vt ad Proconſulatum Cypri *Senatuſconſulto euehi mereretur. Ibidem prudentiori rerum experimento officium omnium acclamationibus tam prouidè egit, vt à* S. Luca *Euangeliſta* Vir prudens *adhuc Ethnicus vocitaretur.*

Eius elogiũ ex Luca.

Sed cùm Saulus *perueniſſet* Paphum *in Inſula* Cypri *cum Coapoſtolo eius* Barnaba *prædicantes; Inſulam, Euangelici verbi ſemine in omnium cordibus fuſo, perluſtrarunt. Proconſul vt cognouit, quæ de* Chriſto *Apoſtoli loquebantur, deſiderans eorum audire doctrinam, ipſos humaniſſimè ſuſcepit. Sed* Elimas *Iudæus præſtigiis magicis à fide Proconſulem auertere quæritans, Apoſtolis reſiſtebat. Quod* Saulus *præuidens magum oculorum luminibus priuauit, Proconſulem verò doctrina Euangelica imbutum ſalutari chriſmate deliniuit, & aquis baptiſmatis dealbauit.*

Baptizatur.

Ex tunc, vt fertur, Saulus *in* Paulum *agnomen mutauit, exindéque Scriptura ſacra hoc exorditur nomine compellare. Hoc ſic diſpoſito, aliquótque* Paulus Sergius *tranſactis temporibus, relicto officio, & Apoſtoli diſcipulatu ſuſcepto, Prædicatoris Gentium veſtigia ſinchronos indiuiduus inſectabatur. Ideóque* Romam *cum Apoſtolo perrexit, vbi per biennium ſocius carceris extitit.*

Apoſtolum ſequitur.

At dimiſſo poſt illud tempus à Nerone Paulo, *& in* Hiſpanias *pergere, vt pronus erat, ſatageret; relictis quibuſlibet aliis conatibus* Hiſpaniam *adijt, eius luſtrat vrbes, illuſtrat Eccleſias; ſecum* Sergium *deferens, qui cum Apoſtolo omnem Prouinciam ferè prædicans percurrit.*

Hiſpaniam adijt.

Quo prædicationis munere expleto, & debito promiſſionis ſoluto, Paulus *Apoſtolus* in Galliam *deueniens, & apud* Narbonem *quieſcens* Sergium *Epiſcopum* Narbonenſem *elegit, ibidémque vt munia Euangelica perageret, dereliquit.*

In Gallias remeat.

Tunc Sergius *omnem conatum in exemplo vitæ, & prædicationis munere ponens, vrbem, oppida, vicos, & populos perluſtrans, feruentiſſimo fidei zelo verbum Dei Miniſter ſedulus præconizat. In hiſce operis commiſſi functionibus omnem Præſul curam Apoſtolicus expendebat; cùm Neronis in Chriſti aſcetas ſæua bilis excanduit, & occiſis* Petro, *&* Paulo *in eorum diſcipulos condeſcendit. Edicta* ad Galliam *perueniunt, quibus Satellitum turba, quotquot Chriſtiani nominis notula conſignatos agnoſcunt, verberibus affligunt, carceribus mancipant, & tormentis afficiunt.* Sergius (*vt creditur*) *diuino nutu admonitus* in Hiſpaniam *remeat, & in montanis* Empuritanis, *&* Rhodenſibus *latitans, in ſpelunca anguſto foramine per biennium vitam egit, è cuius latebroſo ergaſtuli hiatu deſcendens in mediterranea loca, non ſolum* Empuritanos Rhodios, *&* Tarraconenſes *inuiſit, ſed Hiſpali,* Cordubæ, Cæſaraugustæ, Secontiæ *& alibi prædicat, omnemque ferè regionem perluſtrat, donec placato perſecutionis rigore* Narbonam *rediens, Confeſſor inclytus æternam virtutum coronam pro meritis comparauit* XI. Kalend. Martij.

In Hiſpanias redijt.

Iam ad aliquorum, quæ in huius anamneſis relatione continentur, comprobationem veniamus, vt ſic faciliùs lectorum animos demulcendo ſatisfacere conemur. De *Sergij Pauli* origine Romana non eſt qui ambigat, de quo ſi adhuc ſcrupulus ineſt adeat Fuluium Vrſin. *in ſuis Rom. Familijs in Famil.* Sergia *ſol.* 239. ex Virgilij carmine *lib.* 5. *Æneid.*

Familia Sergia.

Sergeſtuſque domus tenet, à quo Sergia *nomen.*

Liuium *lib.* 44. *Hiſt. Rom.* Plin. *lib.* 7. *cap.* 28. *Hiſtor Natur.* Valer. Max. *lib.* 6. *cap.* 1. De Proconſulatu Cypri, & de conuerſione ab Apoſtolo apud Paphum; Acta Apoſtolor. *cap.* 13. De aduentu cum Paulo ad Hiſpanias (in cuius comprobatione adeſt difficultas) ſic Flau. Dext. Ann. 66. *Paulus Narbonenſis Epiſcopus, qui cum Paulo venit in Hiſpaniam, ibidem prædicat.* Quo loco P. Biu. *Com.* 1. *num.* 1. *fol* 128. in huiuſmodi probationem aliqua adducit laxè, quando fortiora teſtimonia in medium producere debuerat. Nonnulla adduxit, multa omiſit, & plurima ignorauit in hoc. Cuius vt prætermiſſa ſuppleamus (relicta de aduentu Pauli Apoſtoli comprobatione ad diem XXX. Iunij) aliquot abſcondita, & nec ab illo adducta

Sergij aduentus in Hiſpanias probatur.

huius

huius veritatis monimenta proferemus. Sit I. Philipp. Bergom. *in suppl. Chron. lib.8. Ann.44. fol.126. colum.2.* vbi loquens de Paulo Apostolo, sic: *Ibidem quoque multis electis discipulis non multo post in Hispaniam prædicandi gratiâ nauigauit: inde veniens Narbonem multos conuertit, & ibidem* Paulum *Discipulum* Antistitem *dereliquit.* Et rursus *ann.70. fol.129. col.2.* sic: *Paulus quoque Narbonensis Episcopus, & Confessor, quem (vt diximus) Paulus Apostolus ordinatum eidem vrbi destinauit Antistitem: quique cum eodem Apostolo ad Hispanias prædicandi gratiâ perrexerat, & ibidem relictus fuerat.* Ioachim. Perionius *in Hist. Apostol.* post Abdiam Babylon. *Basil. Ann.1552. in fol. cap.2. fol.178.* sic: *Quin etiam* (Paulum) *in Prouinciam Narbonensem venisse reperio, ex Hispania cum Paulo Viro, Sanctissimo, quem Narbona Pontificem præfecerit.* Genebrard. in Chron. Ann.63. *Accepta à Nerone* (Paulus Apostolus) *facultate abeundi quò vellet, transiuit in Hispaniam.* Et postea *Ann.69.* agit de *Paulo Narbone relicto.* Ludouic. Pons de Ycart. in *Hist. Tarracon. cap.37.* asserit se legisse Bullæ copiam Stephani VI. Pontif. Maximi, in qua de huiusmodi S. Pauli cum Sergio in Hispaniam aduentu, hisce verbis: *E San Pablo quedò en Narbona con Sergio predicando, e conuirtiendo infinita gente a la Santa fee Catholica. E pareciendo a San Pablo, que los de Narbona, e de las otras ciudades que alli venian para oirlo estauan firmes en la Santa fee Catholica; con Sergio se partio de* Narbona, *e vino a* España *predicando por todas partes, que pasaua el Euangelio. Y despues de auer consolado la gente que auia conuertido, se bolino a Roma, y pasando per* Narbona *la seganda vez dejo en ella al dho* Sergio *en comendandole toda aquella regio.* Quæ verba Latinè sonant: *Et Sanctus Paulus remansit apud* Narbonem *cum* Sergio *prædicantes, & plurimos ad fidem conuertentes. Et videns Sanctus Paulus, quòd Narbonenses, & cæteri noniter conuersi, qui illuc aduenerant, in fide firmi permanerent, cum* Scergio *ex* Narbone *proficiscens,* in Hispaniam *aduentat, verbum Domini vbique prædicans. Post solatis Christicolis* Romam *reuertitur, & secundò* Narbonem *accedens, ibidem* Sergium (*Antistitem*) *dereliquit, cui omnis prouincia commissa dignoscitur.* Hactenus Ycart, ex Bulla Stephani VI. ad Annum DCCC. LXXXVII. vel circiter. Nam fuit directa *Frodoyno* Episcopo *Barcinonensi*, qui aliquot Ecclesias Tarraconensis Sedis (tunc depopulatas & Narbonensis Ecclesiæ in protectionem redactas) occupauerat. De secundo aduentu in Hispaniam Sancti *Sergij Pauli*, sic Flau. Dext. Ann.76. *Paulus Sergius Hispali, Corduba, Barcinone, Cæsaraugusta, Secontia, & in pluribus alijs Hispaniæ vrbibus prædicat, totámque Hispaniæ Prouinciam peragrat.* Quod credendum est ex assignatione Anni Dextri; post Paulum occisum accidisse, nam Apostolus Anno LXVIII. occubuit, & ideò hunc aduentum *Sergij* ad alium diuersum referendum est. Petr. de Natal. *lib.1. Catal. SS. cap.6.* asserit, quòd Sanctus Apostolus. *Post passionem suam eidem* (Sergio) *per visionem mandauit, vt ad partes Hispaniæ, & Galliæ pergeret ad prædicandum.* Et posteà prope finem: *Indéque* Hispaniam *circumiens prædicauit.* At Hieronym. Pujad. *Histor. Cathal. d. lib.4. cap.14. fol.158.* ex vetustissimo Codice MS. pergameneo qui in Archiuo Ecclesiæ S.Petri Rotensis adseruatur, aliam agnoscens causam, hunc secundum aduentum propter imminentem persecutionem fuisse, fatetur. En verba MS. *Et descendentes ab ipso monte, inuenerunt fontem valdè perspicuum: & ante ipsum montem inuenerunt vnam pulchriorem speluncam, & super ipsam vnum paruum Altare, quod Beatus* Paulus Narbonensis *ædificauerat Episcopus, imminente super eum persecutione Narbonensium, duobus aut ter annis latitans ibidem.* Ex quo suspicatur, & benè, *Pujades*, quod ex illo antro *Sergius* descendens in planum, loca Prouinciæ prædicans visitauerit; addens, quod hodie sub maiori S. Petri Rodensis Altari speluncæ ambitus perseuerat; & Fratrum traditione, & nomine, Spelæum *Sancti Pauli* Narbonensis agnoscitur.

I. Testimonium.

II.

III.

IV. Ex Ecclesia Tarraconensi.

De secundo Aduentu probatio.

V. De MS. Rotensi.

Hæc vt credo in causa fuit, quòd aliquæ Hispaniæ Ecclesiæ antiquitus festum tanti Præsulis celebrabant, vt videre est apud earum Breuiaria. Toletanum S.Isidori hoc die: *S.Pauli Episcopi, sine lectione.* Item Carthaginense. Asturicense die sequenti titulo Papæ, & Martyris, sic: *X. Kal. April. Sancti Sergij Papæ, & Martyris.* Quod de *S. Sergio Paulo* accipiendum est. Primò quia Sanctus Sergius Romanus Pontifex colitur die IX. Septembris, vt ex M.R. liquet. Secundò, nam

Sanctus Sergius Pontifex non Martyr, sed Confessor ab Ecclesia vocitatur. Et licet noster *Sergius* Narbonensis, vt nostra fert opinio, nequaquam Martyr fuerit, attamen Ecclesia *Asturicensis* potuit se cum Gallicana conformare, quæ *Martyrem* ex *Suassayo* fatetur. Nec obstabit titulus *Papa* Sergio assignatus, nam olim Episcopis omnibus hac voce salutabatur, sic Luitprand. in Epist. ad Tractemundum Episcopum Illiberitanum, in principio: *Gratissimum mihi fuit, Beatissime* Papa, *ac Domine multum obseruande, quod Antapodosis nostra, in qua nunc carmine, nunc prosa ludo, tandem ad manus tuas peruenerit.* Idem in Epist. ad Herennium Braccarensem Præsulem *aduers.* 33. apud Ramir. *&* 32. apud Tamayo. In cuius epigraphe, sic: *Sanctissimo Patri, & Eminentissimo* Papæ Herennio, *Meritissimo Braccarensi Archiepiscopo Luitprandus Toletanus Subdiaconus.* Et in vestibulo epistolæ, & in aliis locis. Passerat. in Legic. Lat. verbo Papa, in hæc: *Vox itaque est honorifica, vnde Ecclesiastici Pastores*, Papæ *dicti sunt, tanquam Patres Spirituales, & Viri venerabiles.* Et meo videri consultò *Papa* dicebantur, quia si duobus literis PP. Patres Patriæ extensè appellati fuêre, & nunc duobus literis PP. Patres Pauperum vocitandi erunt. Sed per Synecdochen ad Pontificem Maximum hæc translata vox est. Sed vt ad *Asturicense* redeamus officium, crediderim, illam in Kalendario notam, ad *S. Sergium Paulum* referendam esse. De quo nihil in Breuiario, in Missali hæ tres orationes.

Cur titulo Martyris in Gallia decoratur.

Papa titulus dabatur olim Episcopis.

Orationes in Asturicensi Breuiario & Missali.

ORATIO DE S. SERGIO PAVLO MART.

S*Anctus* Sergius *Domine sua nos intercessione lætificet, & pia semper faciat solemnitate gaudere. Per Dominum.*

ORATIO SACRA.

G*Rata sit tibi Domine nostræ seruitutis oblatio: pro qua Sanctus* Sergius *Martyr interueniat. Per Dominum nostrum.*

POST COMMVNIONEM.

F*Amiliam tuam Deus suauitas illa contingat, & vegetet, qua in Martyre tuo* Sergio *Christi tui bono iugiter odore pascatur. Per Dominum.*

Alia Breuiaria. Itidem Breuiarium Hispalense *Prid. Idus Decembris*, sine lectione. Zamorense *eodem die IX. Lectionum*, sed nihil proprij. Palentinum *eodem die.* Eborense *Idib. Decemb.* Valentinum *Pridie* & Compostellanum, vt dixi, omnia sine Lectionibus.

Annus transitûs. De Anno, quo Sanctus *Sergius Paulus* obdormiuit in Domino, altum silentium inter scriptores, quos viderim. Crediderim ad Annum LXXX. Domini pertigisse. Nam si ad Annum Domini LXXVI. ex *Dextro* Hispaniæ populus peragrabat, & per triennium ex *MS. Rodensi* permansit in specu, quibus additis ad annum LXXVI. fient LXXIX. Post in propria ad annum Ecclesia permanere ad minus credendum est.

Topographia. NARBONA & NARBO, his diuersitatibus inuenitur. *Gallia Narbonensis* oppidum Primarium, cognomento MARTIVM ex eo quod Cæsar ex Martis Legione Colonos deduxerit; ideóque peruetusta Romana Colonia fuit. Cicer. in Orat. pro Fonteio, sic: *Est in eadem Prouincia* Narbo Martius *Colonia nostrorum Ciuium, specula P. R. ac propugnaculum istis ipsis nationibus oppositum, & obiectum.* Hæc ciuitas sita est ad Atacis fluminis ostia. Pompon. Mel. 2. cap. 5. *Atax ex Pyrenæo, monte digressus ex imis fontibus venit, nisi vbi* Narbonam *attingit (nunquam nauigabilis, sed cum hybernis intumuit imbribus, vsque eò solitus insurgere, vt se ipse non capiat.* Eius meminit Lucian. lib. 1. sic:

Elogia.

Mitis

Mitis Atax gaudet latior non ferre carinas.

Eutrop. lib 4. Breu. Rom. Hist. Ann.631. sic, *M. Portio Catone, & Q. Martio Rege Coss. DCXXX. anno, & tertio ab vrbe condita* Narbona *in Gallia* Colonia *deducta est.* Eadem Vellei Patercul. lib. 1. Histor. Rom. licet addat cognomen *Martia.* Fortunat. in Poëmat. ad Gosuintham. sic:

Excipit hinc Narbo, *qui litora plana remordens.*
Mitis Atax Rhodani molliter intrat aquas.

Ausonius Burdegalens. *de Vrbib. Illustr. epigram.* 15. honorifico *Narbonem* prosequitur elogio, in hisce verbis, vt apud Eliam Vinet. *fol.* 207.

Nec tu Martie Narbo *silebere; nomine cuius*
Fusa per immensum quondam Prouincia regnum,
Obtinuit multos domandi iure Colonos.
Insinuant qua se Sequanis Allobroges oris:
Excluduntque Italos Alpina cacumina fines:
Qua Pyrenæis niuibus dirimuntur Iberi,
Qua rapitur praeceps Rhodanus, genitore Lemanno,
Interiúsque premunt Aquitanica rura Cebennæ,
Vsque in Theuthosagos, primæuo nomine Belgas,
Totum Narbo *fuit. Tu Gallia prima, togati*
Nominis attollis Latio Proconsule fasces.
Quis memoret portúsque tuos, montésque, lacúsque?
Quis populos vario discrimine vestis, & oris?
Quodque tibi quondam Pario de marmore Templum
Tantæ molis erat, quantam non sperneret olim
Tarquinius, Catulúsque iterum, postremus, & ille
Aurea qui statuit Capitoli culmina Cæsar?
Te maris Eoi merces, & Hiberica ditant
Æquora: te classes Lybici, Siculique profundi:
Et quidquid vario per flumina, per freta, cursu
Aduehitur. Toto tibi nauigat orbe κατάπλους.

In cuius Illustratione epigrammatis *Elias Vinetus* omnia quæ desiderari poterant eruditiora collegit, quem, & Sidonium Apollinar. *Carm.* 23. vbi Sabar. *fol.* 181. Symphorian. Campeg. *de Monarch. Gallor. lib.* 2. *cap.* 2. Ioann. Chenu Bitur. *in Chronol. Archiep. Gall. verb.* Archiepiscopi Narbonenses, *fol.* 511. Philipp. Cluuer. *in Geograph. lib.* 2. *cap.* 8. & 15. & alios adeat, vt mihi liceat insignem marmoris Romani epigraphem, apud *Narbonem* eruti, prout refert *Vinetus*, & exscripsit *Gruterus* in medium proferre, in qua huius vrbis nomina Lector agnoscet.

T. STATILIO TAVRO. L. CASSIO LONGIN. COSS.
X. KAL. OCTOB. NVMINI AVGVSTI VOTVM SVSCEPTVM.
A PLEBE NARBONIENSIVM. IN PERP.
QVOD BONVM. FAVSTVM. FELIXQVE SIT. IMP. CÆS. D. F. AVGVSTO.
PP. PONT. MAX. TRIB. POT. XXXIV. CONIVGI. LIB. GENTIQVE
EIVS. SENAT. P.Q.R. ET COLON. INCOL. QVÆ COL. IVL. PATERN.
NARB. MART. QVI SE NVM. EIVS. IN PERP. COLENDO
OBLIGAVER. PLEBS. NARB. AR. NARB. IN FORO POSVIT.

Cætera quæ desunt quia prolixiora sunt omittimus, quæ (si quid Lector eruere cupit)

cupit) in Codicibus impreſſis *Vincti* ad Auſonium *num.*107. & Gruteri *fol.*118. perlegere poterit. Ego ad alia pergo.

B. S. Seuerinus. Eius tantum nomen, dies & Annus tranſitus nobis permiſit obliuio. Quis neget Sanctiſſimum Virum apud Deum, & homines acceptum fuiſſe? Apud illum quia ſanctitate conſpicuus gloriam recepit æternam. Apud iſtos, quia aut vitæ ſplendoribus, aut mirabilium fulgoribus, populos illuſtrando cultus debiti præmium accepit. Luitprandus Noſter *in Aduerſ.*168. ſic: Anno DLXV. *quãdo natus eſt Reccaredus Leonigildo, & factus Monachus Benedictinus Leander* XXII. *Martij Sanctus* Seuerinus *Hiſpali moritur.* Poſt huius anamneſis ecphraſim incidi in locum S. Marci Maximi eodem anno *in Chron.* Vbi hæc adinueni verba tribus paraphis diſtincta, quæ valde conueniunt Luitprando, ſic: *Reccaredus, Leonigildo Hiſpali commorante, naſcitur. Leander ibidem fit ex Palatino Monachus Benedictinus.* Seuerianus *hoc anno ſanctè compoſitéque moritur.* Ex quo deprehenduntur, & quod irrepſit mendum in Codicibus *Luitprandi*, & loco *Seueriani*, appoſuerunt *Seuerinum*: & quod iſte *Seuerinus* titulo ſanctitatis donatus, fuit Pater Sanctorum Leandri, Fulgentij, Florentinæ, & Iſidori, licèt corruptâ voce, pro *Seueriano.* De quo licet nuſquam ſanctitatis honore apud Autores appareat, attamen, quia Pater tot Sanctorum fuit, neutiquam expungere ſcripturam curaui. Quem non vt Sanctum Lectoribus expono, ſed vt Sanctorum Patrem appingo.

Error in Codice edito Luitpr.

Elicitur ex Maximo.

C. S. Epaphroditus: Eum fuiſſe Epiſcopum *Tarracinæ* contendunt M. R. hoc die, ſic: *Tarracinæ Sancti* Epaphroditi *Apoſtolorum Diſcipuli, qui à B. Petro Apoſtolo Epiſcopus illius ciuitatis ordinatus fuit.* Vbi Baron. *lit. C.* ſic: *De quo Paul. ad Philip. c.*2. *& 4. Præfectum hunc fuiſſe Eccleſiæ* Tarracinenſi *eſt auctor Metaphraſtes in ſerm. Nat. Apoſtol. die XXIX. Iunij. Doroth. autem in Synopſi ait. Adriæ cum datum Epiſcopum.* Philipp. Ferrar. *in Topograph. SS.* verb. *Tarracina, fol.*122. ſic: *XXII. Martij* Epaphroditus *Epiſcopus I. Apoſtolorum Diſcipulus.* Et in *Cathal. Sanct. Italiæ*, hoc die, *fol.*161. ſic: *Epaphroditus ex LXXII. diſcipulis vnus, ſeu potius Apoſtolorum Diſcipulus, cuius Sanctus Paulus in epiſtola ad Philippenſes cap.*4. *v.*18. *meminit dicens:* Repletus ſum, acceptis ab *Epaphrodito* quæ miſiſtis, odorem ſuauitatis, hoſtiam placentem Deo. *Hanc S. Petrus Apoſtolus, primum* Tarracinæ *Epiſcopum, ordinauit, vbi & colitur. Is in pace quieuiſſe traditur XI. Kalend. Martij.* S. Theodoretus apud Baron. *tom.*2. *Annal. Eccleſ. Ann.*60 *num.*2. exiſtimauit hunc *Epaphroditum* fuiſſe Epiſcopum *Philippenſium*, eo quod S. Paulus vocitet eum ipſorum *Apoſtolum.* Nam tunc temporis hoc nomine *Apoſtoli*, cognoſcebantur *Epiſcopi*, ad quorum ſignificationem triplici vtebantur ſynonimo, videlicet *Epiſcopi, Apoſtoli, & Presbyteri.* Ex quo *Baronius* tot varietatibus implicatus in ſuſpicionem venit *S. Epaphroditum* his tribus inauguratum ciuitatibus fuiſſe Apoſtolum, aut tres fatendum fore *Epaphroditos* concurriſſe, alius *Tarracinæ*, alius *Adriæ*, & Tertius *Philippis.* Quarta nunc opinio eſt, quòd S. Epaphroditus non *Tarracinenſis* Eccleſiæ, in Latio Italiæ, ſed *Tarraconenſis* Eccleſiæ in Coſetania Hiſpaniæ, Præſul fuerit. Hanc ſententiam primus innenit Petr. Galeſin. *in Not. ad Martyrol. die XII. Kalend. Febr. fol.*41. *col.*2. his verbis: *Tarracone. Quæ vrbs Hiſpaniæ nobiliſſima, Scipionum opus eſt. ab ea Prouincia Tarraconenſis nominatur, vulgò.* Il Regno di Aragona. *Primus illius vrbis Epiſcopus fuiſſe traditur Sanctus* Epaphroditus, *cuius Metaphraſtes meminit in vitis Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli.* P. F. Franciſcus Biuar. in luculentioribus Votis ad Dextr. *Ann.*50. *num.*4. *fol.*102. vltra progrediens, ſic affatur: *Petrus Romam (vt credo) obiter viſitans, ſoluit* Tarracone, *vbi* Epaphroditum *conſtituit Epiſcopum, teſte Metaphraſte. Quamquam nonnulli pro* Tarracone, *legant* Tarracinæ, *quæ Italiæ Ciuitas eſt. Cæterùm Petrus Galeſinius Virquidem eruditiſſimus, & Italus, ita legit in Metaphraſte, vt affirmet*, Tarraconam, *non* Tarracinam *in eo haberi; atque eius vrbis* Tarraconenſis *in Hiſpania conſtitutum fuiſſe ab Apoſtolo Epiſcopum* Epaphroditum. *Quæ ſanè lectio vehementer arridet, quia ibi narrat auctor iter Petri Româ in Hiſpaniam:* Et cum Romam (*ait*) reliquiſſet, & Linum Epiſcopum in ea ordinaſſet, venit *Tarraconam*, in qua cùm *Epaphroditum* ordinaſſet Epiſcopum, venit Syrmium Ciuitatem Hiſpaniæ. *Certè Tarracina non eſt in itinere Hiſpaniæ, ſed ad oppoſitam Romæ plagam Orientalem. Accedit quòd Tarracina non inuenitur*

De Epaphrodito.
1. Opin.
2. Opin.
3. Opin.
4. Opin.

uenitur Epaphroditi *memoria, vt cogamur eum Episcopum illius ciuitatis extitisse. Possumus etiam facilè hac lectione conciliare cum Metaphraste Dorotheum, qui in Synopsi eum refert Adera Episcopum; fuit verò Adera, seu Adeba urbs iuxta Tarraconam sita in Ilercaonibus, vt apud Ptolemæum videre est.* Hactenus Biuar. Ego vt vlterius lapidem conuertam, aliqua exigere corollaria censui. I. Quòd si *Epaphroditus* vt asserit Dorotheus *Adria*, seu *Adera* in Macedonia fuisset Episcopus, aut *Philippensium*, vt existimauit *Theodoretus*, proculdubio Græci in Menologio ipsius exprimerent Ecclesiam: hoc(licèt *Epaphroditi* meminerint)omittunt, ergo nec *Adria*, seu *Adera*, aut *Philippensium* Episcopus fuit. Patet ex textu Menologij (à nemine adducto) die VII. Mensis Decembris, sic: *Eodem die commemoratio Sanctorum ex numero LXX. Sosthenis, Apollo, Cepha, Tychici,* Epaphroditi, *Cæsaris, & Onesiphori. Ex his Sosthenes quidem cuius Sanctus Paulus Apostolus meminit, fuit Episcopus Colophonis; Apollo verò cuius & idem Apostolus mentionem facit Episcopus Dyrrachij; Onesiphorus, cuius mentio ab eodem Apostolo facta est, fuit Episcopus Choronea. Hi omnes cum benè rexissent Ecclesias suas, multa pro Christo perpessi, consummati sunt.* En in Menologio de Ecclesia *Epaphroditi* silentium: ergo nulliter in Græcia Episcopatum habuit. Cui non obstat Synonimum *Apostoli* à Paulo datum, vt inquit Theodoretus; quia ibi non de Episcopo Philippensium loquitur, sed de ipsorum nuntio, siue ministro. Verba Pauli sunt: *Necessarium autem existimaui* Epaphroditum *fratrem, & cooperatorem, & commilitonem meum, vestrum autem* Apostolum, *&* ministrum *necessitatis meæ, mittere ad vos.* Quæ verba sonant; vestrum autem *Nuntium &* ministrum *necessitatis meæ.* Quia Philippenses auditâ capturâ Pauli, *Nuntium Epaphroditum* miserunt, vt consolaretur in carcere donis, & obsecrationibus Paulum; & ideò *Apostolus &* minister *necessitatis suæ* vocitatur ab Apostolo Paulo, non quia *Episcopus*, sed quia *Nuntius* & minister. Verbum autem *Apostolus*, Græcè Ἀπόστολος Nuntius, siue missus interpretatur, siue Legatus, vt inquit Ioseph. lib. 20. antiq. cap. 1. *Fadum* (inquit) *Cæsaris procuratorem rogarunt Iudæi vt* Ἀποστόλους (legatos) *sibi ad Cæsarem mittere liceret.* Vidend. Alciat. *in l. Dimissoria* 106. *ff. de Verb. signif.* de quo infinita possent adduci testimonia. Ergo illic non de Episcopo, sed de Nuntio, seu Legato verba intelligenda sunt. II. Corollarium; Antiqui scriptores *Epaphroditum* Hadriæ, Adræ, & Aderæ Episcopum effecerunt, vt extra Dorotheum, Prim. Cabilon. in *Catalog. Discipul. Domin.* circa finem, sic: *Epaphroditus Hadriæ Episcopus.* Petr. de Natalib. *in Catalog. SS. lib. 6. cap.* 100. sic. *Epaphroditus Episcopus Adræ de quo Paul. Philipp. cap. 4.* sed *Hadriarum* duarum vrbium huiusce nominis (quas in Topographia Sanctorum describit Philippus Ferrarius, quia de *Adria*, siue *Adera* sine aspiratione nulla est mentio) monumenta nec minusculum memoriæ prodeunt de *S. Epaphrodito*, ergo nullitèr ipsarum Episcopus fuit. Superest nunc *Tarracina*, de qua nihil amplius excogitari potest, quam quod *à Biuar.* adductum esse cognoscimus. Quibus sic intellectis veniamus ad acta.

I. Corollarium.

Pauli verba interpretantur.

Apostoli nomē quid?

II. Corollarium.

ACTA S. EPAPHRODITI APOSTOLORVM Discipuli, & Episcopi Tarraconensis; ex Var. Script.

EPAPHRODITVS *ex nominis contextura, vt* Suidas *refert, Originem* Græcam *duxit, Christi Euangelium ab Apostolis apud* Philippensem *audiens ciuitatem, eorum assecla effectus est, & apud ipsum commorans vrbem, audita captura* Pauli *à Philippensibus Romam epistolis, & muneribus nuntius sedulus directus est. Ibidem* à Paulo *charitatiuè susceptus, aliquandiu infirmitate penè mortifera detentus, tandem conualescens cum epistola Apostoli iterum ad Philippolim remeauit, Pòst tempore instanti adhuc Romam rediens, & Petro Apostolo adhærens,* ad Hispanias *ipsum comitatur, soluénsque* Tarracone, *Vrbium tunc nostræ regionis celeberrima,* à Petro *illius Episcopus ordinatur, & vlterius progreditur.* Tunc Epaphroditus *vt suo muneri consulat, verbum Dei fidelis seruus dissemi-*

Origo.

In Hispanias cum Petro venit.

Episcopus Tarraconensis.

nat, donec à Domino conuocatus ad æternam peruenit felicitatem X I. Kalend. Aprilis.

Hæc sunt quæ de Sanctissimo Episcopo compaginari acta possunt. De nomine Græco *Epaphroditus* apud Suidam, loquens de alio huius nominis Grammatico. De infirmitate apud Romam locus est expressus Pauli *ad Philipp. cap.* 2. in fine, sic: *Excipite itaque illum* (Epaphroditum) *cum omni gaudio in Domino, & eiusmodi cum honore habetote: quoniam propter opus Christi vsque ad mortem accessit.* Et antè dixerat: *Quoniam quidem omnes vos desiderabat, & mæstus erat, propterea quod audieratis, illum infirmatum. Nam & infirmatus est, vsque ad mortem, sed Deus misertus est eius.* De Anno transitus, altum silentium.

TARRACO. Plurima de eius antiquitate, & nobilitate superius dicta relinquimus, & nonnulla inferius referemus. Nunc nouam, & à nemine adductam epigraphem, in huius inclytæ vrbis ruderibus anno M. DC. XLV. inuentam, dum pro ipsius defensione in hisce Cathaloniæ bellis, profunda effoderet prouidentia militaris ad fortalitij machinam fundamenta. Cuius copia in manus deuênit meas, quam ne fortè pereat, hîc adiungere curaui. Eiusque occulta antiquitatis monimenta, prout ab ipsis accepi, in gratiam huiusce rei eruditorum, patefacere destinaui.

Inscriptio.

D. M. S.
T. AEL. Q. F. C. N.
XII. D. VIII. H.
VOLTVRN. MAT.
CHAR. FIL. PAT.
ET AVVS SILICIERN.
H. SVGGRVND.
MOER. POS.

Suggrundarium sepulchrum, quid? Extensis notulis, sic lego. *Dijs manibus Sacrum. Tito Ælio, Quinti filio, Caij Nepoti, duodecim dierum, octo horarum* (defuncto) *Volturnia mater charissimo filio, Pater, & Auus* Siliciernius, *hoc* Suggrundarium *mærentes posuere.* Sciendum est ad ipsius scholium; quod antiquitùs inter alia genera sepulchrorum, quibus Romana vtebatur gentilitas, aliud fuit infantium, qui quadragesimum non attingebant diem. Horum cadauera neutiquam eremabantur, sed lotis in sepulchrulis, quæ *Suggrundaria* vocitabantur inclusis, vltimum sine pompa Vale recipiebant. Et cùm hic. T. Ælius tantum duodecim dierum, & octo horarum lucem conspiceret, ideo *Suggrundario* monumento donatus est. De huius sepulchri genere Rutil. Gemin. in Astyanactis tragœd. sic: *Melius* Suggrundarium *miser quæreres, quàm sepulchrum.* Quod explicans Fulgent. Placiad. de vocib. antiq. num. 6. sic ait: *Priori tempore* Suggrundaria *antiqui dicebant* sepulchra Infantium, *qui necdum* X L. *dies implessent, qui nec iam busta dici poterant, quia ossa, quæ comburerentur, non erant; nec tanta immanitas cadaueris, quà lucus tumesceret.* Hunc ritum tetigit Kirchman. de Funerib. Rom. lib. 1. cap. 3. in princ. Difficultas huius epigraphes versatur in voce: *Auus Siliciernius.* Quam si me non fallit coniectatio, intelligerem, de Caio Ælio Auo T. Ælij defuncti, iam præ senectute incuruantem. *Silicernius* ergo apud antiquos, senex dicebatur, qui pondere annorum gibbum portans in terram procliuis inspectabatur. Cintius Alimet. in Histor. de Gorg. Leont. sic: *Qui dum iam* Silicernius *fuit, sui finem temporis spectaret, si mors non potuit, tamen infirmitatibus exultabat.* Quem locum elucidans Fulgent. vbi supra num. 7. ait: Silicernios *dici voluerunt* senes, *iam incuruos, quasi iam sepulchrorum suorum* silices *aspicientes.* Hæc deprehendi, alius cogitet.

Silicernius, quis?

DECIMO

DECIMO KALEND. APRILIS.
DIES XXIII.

A. Tarracone Natalis SS. Domitii, Eparchii, Pelagiæ, Aqvilæ, *&* Theodosiæ *Martyrum: qui cùm in eadem vrbe, cuius erant ciues, nomina Christo dedissent, propter eius confessionem, sæuiente Diocletiani, & Maximiani Imperatorum, apud Hispanias persecutionis procellâ, in carcerem coniecti, & plurima passi, tandem ad martyrij palmam strenui pugiles cucurrère.*

B. Apud Legionem Hispaniæ, festum Translationis Sanctorum fratrum Clavdii, Lvpertii, *&* Victorici *Martyrum, quæ instantibus Ferdinando huius nominis secundo Rege, Ioanne Episcopo, & Pelagio Abbate perfecta est, per Iacinthum S. R. E. Legatum, pòst Pontif. Max.*

NOTÆ.

Sancti Domitius, & socij MM.] Eorum memoria inest in *Menolog. Græcor.* hisce verbis hoc die: *Certamen SS. Martyrum* Domitij, Pelagiæ, *&* Aquilæ, Eparchij, *&* Theodosiæ. Martyrolog. Roman. sic: *Item corona Sanctorum Martyrum* Domitij, Pelagiæ, Aquilæ, Eparchij, *&* Theodosiæ. Quo loco passi, vsque nunc ignorabatur, iam Prouinciam, vrbem, & annum aperuit noster Flau. Dextr. *in Chron. Ann.* 300. sic: *Tarracone in Hispania corona Sanctorum Martyrum* Domitij, Pelagiæque, *&* Aquilæ, *&* Theodosiæ. Et licet omittat *Eparchium*, nihil detrahit veritati, quin potiùs exscribentium incuriæ tribuendum est. De eis *in Not.* Rod. Card. *fol.* 103. & P. Biu. *Com.* 2. *num.* 10. *fol.* 331. Item Martyrolog. *Lusitan.* & Castellan. *P. Dionys. Vasq.* & pleniùs *Hispan. MS.* P. Higuera, sic: *En Tarragona los Santos Martyres* Domicio, Pelagia Aquileya, Eparco, y Teodosia, *que consiguieron las coronas de Martyres en la persecucion del Emperador Diocleciano.* Latinè sic: *Tarracone Sancti Martyres* Domitius, Pelagia, Aquila, Eparchius, *&* Theodosia, *qui in persecutione Diocletiani Martyrij coronas perceperant.* Eorum acta sic compaginare visum fuit.

A. *Martyrologia.*

Martyrij locus.

ACTA SS. DOMICII, EPARCHII, Aquilæ Pelagiæ, & Theodosiæ Martyrum; ex Var. Scriptoribus.

Domitivs, Pelagia, Aquila, Eparchius, & Theodosia *No-*

biles (vt credimus) accolæ vrbis Tarraconæ, *& Nobiliores propter fidei veritatem, quam amplectebantur, Nobiliſſimique, propter virtutum, & bonorum operum cumulum, quem in vita vniuſcuiuſque curriculo coacerua ſſe fatendum eſt: interueniente Imperatoris Diocletiani ſanguinolenta in Chri-* *Carcerantur.* *ſti aſcetas perſecutione, propter fidei, & religionis Catholicæ cauſam in carcerem coniecti ſunt. Quorum conſtantiam, cùm nec dimouere Iudex potuiſſet iniquus, protinus ad mortis anguſtiam omnes* *Coronãtur.* *Sanctiſſimos Confeſſores damnauit. Qui ad agonem attracti ſpiritum charitate feruidum Domino tradiderunt.* X. Kalend. April. *Ann.* CCC.

Iuliani error. Iulianus noſter Archipreſbyter Toletanus, non apud *Tarraconam*, ſed in Luſitania prope Braccaram *Brigantiæ*, in loco qui (vt aſſerit) dicitur *Iuliobriga*, paſſos hos Sanctos Martyres autumat, ſic in Chron. num. 140. *In Luſitania prope Braccaram Brigantia, qua quondam Iuliobriga dicta eſt, XXIII. Martij Sancti Martyres* Domitius, Pelagia, Aquila, Theodoſia, & Eparchius, *in Diocletiani perſecutione paſſi.* Sed quidquid dicat *Iulianus*, inconcuſsè *Dextro* parendum eſt, tanquam antiquiori, & meliùs inſtructo; extra quod in hoc loco *Iulianus*, nec vrbem, quæ dicebatur *Iuliobriga*, nominat, niſi *Brigantiam Iuliobrigam* appellet, quæ hoc etiam titulo ab aliquibus conſignatur, ſed perperam, vt ignoranter ſcripſit Pancirol. *in Notit. vtriuſque Imper. cap.* 90. *in Comment. fol.* 180. citans Ptolomæum, in *Iuliobriga non in Luſitania.* quo nullam aliam *Iuliobrigam* inuenies extra regionem Orientalem Aſturiæ in Cantabris, non in Luſitania, nec in Gallæcia. Ideóque illum textum Iuliani corruptiſſimum iudico, & dignum vt emendatione reparetur.

Tarraco. De antiquitatibus huius inclytæ Ciuitatis in ſuperioribus multa appinximus, hoc loco numiſma *Tarraconis* apponemus, ſic:

Numiſma.



Hoc numiſmate vſa fuit hæc Ciuitas poſtquam Auguſtus Imperator eam in coloniam deduxit; Eo delineato ſymbolo Arulæ cum palma deſuper naſcente, ex eo quod in Auguſti ara, de cuius erectione maximè gloriabatur, palmam huiuſmodi proceſſiſſe fatebantur. De quo Quintilian. *lib.* 6. *Inſtit. orat. cap.* 4. meminit, *Auguſti dictũ Tarraconenſibus.* cum faceto Auguſti reſponſo, ſic: *Et Auguſtus nuntiantibus* Tarraconenſibus *palmam in aram eius enatam:* Apparet (*inquit*) quàm ſæpè accendatis. Literæ, quæ in compendium viſuntur Ciuitatis nomen demonſtrant, vt ex Anton. Auguſtin. *Dialog.* 2. & *Dialog.* 7. *in principio*, apparet, ſic: Colonia Victrix Togata Tarraco. Licet aliqui pro *Victrice*, pingant *Veteri*, & pro *Togata*, *Tyr-* *Togata cur?* *renica* ſcribant. De vnaquaque voce adeſt ratio. De *Togata*, in libro Antiquo *Notitiæ Epiſcopat. Hiſpan. Tarraconi* enim *Togata* epitheton tribuitur, vt apud Anton. Auguſt. *De Tyrrhenica* Auſonius *epiſt.* 23. ad Paulin. *num.* 484. ſic:

Tyrrhenica cur?

> *Nunc tibi trans Alpes, & marmoream Pyrennem*
> *Cæſareæ Auguſtæ domus eſt.* Tyrrhenica *propter*
> Tarraco, *& oſtrifero ſuperaddita Barcino ponto.*

Quo loco Elias Vinet. ſic: *Hinc arbitror* Tarraconem *eſſe* Tyrrhenicam *nuncupatam potiùs, quàm quòd à* Tyrrhenis, *ſeu Italis hominibus ſit condita; quo Hiſpanum mare, & Belearicum, etiam* Tyrrhenum *nuncupat, vt* Paulin. ad *Auſon. epiſtol.* 1. *verſ.* 133.

B. Translatio *Sanctorum* Claudij, Lupertij, *&* Victorici *Martyrum.*] Nulli dubium hoſce Martyres, & *Legionenſes* Ciues, & ipſius vrbis Martyres extitiſſe, de quorum agone, Deo permittente, dicemus *III. Kal. Nouembris.* De eorum

Transla

TRANSLATIONE pignorum hac die scripsère Ambros. Moral. *Hist. Hisp. tom. 1. lib. 10. c. 20. fol.* 374. Marieta *lib. 2. Hist. SS. Hispan. lib. 2. c. 23* Lobera *Hist Legionens. cap. 24. fol.* 174 M. Ægid. Gonzal. Dauila Regius Chronograph. *in Theatr. Eccles. Hispan. tom. 1. fol.* 405. & alij plures. Acta verò huiusmodi *Translationis* desumere curauimus ex relatione, in calce Actorum horum Martyrum, descripta in *Legendario MS. Segobiensi*, quod à *Didaco Colmenares* illius vrbis accepimus Historiographo, quæ sunt huiusmodi. *Scriptores.*

ACTA TRANSLATIONIS SACRORVM Corporum SS. Claudij, Lupertij, & Victorici MM. Legionensium. Ex MS. Codice peruetusto.

REGNANTE *in Legione* Veremundo, *Ordonij Regis filio, in Era M. XXXIII. fuit in Corduba, Regum Arabum sede, quidam Rex qui dicebatur Alhagib, homo prudens, strenuus, hilaris, atque largus, ita vt sibi Christianos alliceret, & ipsos Arabibus præferret.* Alhagib *autem interpretatur* supercilium, *quia sicut supercilium defensio est, siue vmbraculum oculorum, sic & ipse dicebatur defensio populorum. Is verò se* ALMANZOR *sonitituis nominari, quod interpretatur* defensus, *eò quod multis victorijs gloriosus se, & suos strenuè defensaret. Hunc ergo Deus erigere decreuit Tyrannum, vt Christianorum Principum corrigeret peccata, quæ exemplo* Veremundi *Regis vitiosi, ita creuerant, vt* VVitizæ *tempora, & peiora experirentur. Nam iste obscænus Rex duas nobiles concubinas habebat, & erant sorores, legem Domini obliuiscens; duásque habuit vxores adhuc viuentes, quarum vnam dimisit, & non contentus incestu, sibi aliam adulterino concubitu copulauit. Tot peccatorum insolentias punire constituens Dominus in virga ferrea, disposuit spiritum* Almanzoris, *vt aciem validißimam instrueret, quâ cæpit* Legionis, *Castellæ, & Nauarræ Prouincias deuastare, ita quòd à Dorio, qui erat limes inter Christianos, & Arabes, vsque ad fluuium* Estolam *omnia dirriperet, in cuius ripa tentoria collocauit. Quod audiens* Veremundus *cum exercitu properauit, & insultum faciens in tentoria* Almanzoris *multos de suo exercitu interfecit. Cum autem esset* Almanzor *magnanimus, atque constans, à proprio solio desiliens, deposito aureo pileo, quem pro corona gestabat, humi resedit iuxta morem Principum gentis suæ. Exercitus autem, qui eum ex animo diligebat, confusionem ferre non sustinens, prælium restaurauit, & fugatis* Veremundi *militibus, vsque ad* Legionis *ianuas peruenerunt. Sed vrgentibus pluuijs hyemalibus* Almanzor *ad propria est reuersus.*

Alhagib, interpretatur supercilium. Almanzor interpretatur Defensus.

Veremundi obscænitas.

Victus Legionem fugit.

ADVENIENTE *ergo verno tempore* Almanzor *iterum exercitum congregauit, & veniens* Legionem, *obsessam firmiter impugnauit.* Veremundus *autem se apud* Ouetum *recepit, morbo podagrico præpeditus. Almanzor autem captioni* Legionis *feruenter insistens, dùm ferè per anni circulum impugnasset, in porta Occidentali prima irruptio facta fuit: Quarta die post hos, secunda irruptio iuxta portam Meridionalem. Tum* Guillelmus Gonsalui *Comes* Gallæciæ, *qui ad defensionem venerat, grauiter ægrotabat, sed audiens murum effractum, ad locum periculi se armatum deferri præcipit, vt mortem videret, antequam excidium ciuitatis. Irruentibúsque Arabibus, idem Comes occiditur, & ciuitas occupatur, &* Almanzor *portas vrbis, opere marmoreo constructas, & arcem præcipuam portæ Orientalis, murum, & cæteras turres fecit destrui à fundamentis; vnâ duntaxat relictâ, quæ esset posteris in memoriam, quòd tales muros, & tantas turres decurtauit. Ecclesias vrbis, & omnia sacra profanauit impius, & crudelis Rex, & cùm Cœnobium SS.* Claudij, Lupertij, & Victorici, *vbi eorum corpora Martyrum in humili iacebant loco, destruere aggrederetur, equo Batico insistens, ad portas Ecclesiæ peruenit, equum stimulans vt per portas ingrederetur effrenis, sed Dei nutu, & Sancto-*

Almanzor Legionem capit.

Miraculum.

rum Martyrum prece, ad primum gressum Ecclesiæ equus crepuit medius, & Almanzorem *in terram proiecit. Quo miraculo perterritus Arabs non solùm profanitatem à se meditatam deiecit, sed mortis piaculo militum audaciam prohibuit; ita quod Basilica, Cœnobium, & Monachi solum ab eius, & militum fuerunt exempti furoribus. Cuius vt in posterum memineretur miraculi, & pietatis, dorsuale cæruleum argento contextum, & Arabico opere fabricatum, ipsi Cœnobio liberaliter concessit: quod peregrinis ad sepulchrum SS. Martyrum, futuris seculis, causa voti conuenientibus illicò demonstratur. Postmodum è viuis sublato* Almanzore, *filius eius* Abimelech *venit* Legionem *valida militum manu, & quæcunque superfuerant in vrbe Regia mœnia, domos, & turres solo aquauit, non audens Cœnobium attingere, ita quòd Dei misericordia, & Sanctorum Martyrum auxilio, illa sanctitatis domus non fuerit profanata. Mortuo* Veremundo *podagrico, successit illi in Regno* Alfonsus *(qui adhuc puerulus sub gubernio Comitis Gallaciæ* Menendi Gonsalui *ex patris placito fuerat) homo pius, nobilis, hilaris, & amabilis, qui mox vt vigesimum annum, vel paulo magis, attigisset,* Legionem *vrbem Regni sedem quæ Maurorum iniuria ad exiguas casas redacta erat, magno sumptu instaurauit. Ecclesiam* S. Ioanni Baptistæ *dicatam, licèt ex luto & latere compactam extruxit; & alia pietatis opera peregit: inter quæ, celebre Concilium quod ab Historiographis in magno habetur pretio, coadunauit, vbi Ecclesiasticis, & Secularibus negotiis medelam legum munimine adhibuit. Huic Monachi miraculum SS. Martyrum in Cœnobio quiescentium, cum* Almanzor *patratum retulêre, ab illo efflagitantes, vt in altiorem locum eorum reliquias erigere dignaretur: sed licet* Alfonsus *petitis animum applicuisset, aut conturbato Regni præpeditus, aut Dei voluntate à proposito alienatus, perficere opus non potuit. Quod Monachi consequi non valuerunt, licet nihilum apud eorum antiquius corda habuissent, vsque ad Eram Millesimam ducentesimam vndecimam, quâ ista sic est effecta translatio.*

Cœnobium à nomine profanatū.

Alphonsus Legionem instaurat.

CVM *Hadrianus Romanus Papa controuersias inter Ecclesiarum Episcopos cognouisset* Hispaniæ, *Legatum suum dimittere constituit, qui auditis vniuscuiusque Præsulis rationibus, illas componere, & Ecclesiasticum statum dirigere procuraſset. Cum isto Legationis munere venit Toletum* Hyacinthus *Cardinalis in Cosmedin, qui postea fuit Papa Romanus, nomine* Cælestinus, *& controuersias componebat, & statum disponebat. His absolutis* Ferdinandus *Legionis Rex Legatum ad suam ciuitatem inuitauit, & postquam Legatus vrbem est ingressus, & Regis experiretur amorem per aliquot temporis ibidem requieuit, donec annuente Rege totam* Legionensem *prouinciam, &* Gallicianam *visitauit, & cognita sanctitate, & miraculis* S. Rodesindi, *cuius corpus in* Cælla-Noua *Monasterio, Auriensis territorij in Gallæcia, iacebat, illum inter Sanctorum nomina collocauit, & canonizauit, quod postmodùm cùm esset Papa confirmauit Romanus. Dum hæc in* Gallæcia *agerentur erat Episcopus Legionensis* Ioannes, *Vir virtutibus, & progenie clarus; & in Cœnobio vbi erant corpora SS. Martyrum* Claudij *& sociorum, erat quidam Abbas* Pelagius *nomine, maximus religionis zelator, & monasticæ disciplinæ obseruator, iste* Ioannem *aggreditur Præsulem, cui miracula ad sepulchrum SS. Martyrum patrata recensens, ab eo lachrymali imbre profusus eleuationem sacrorum corporum ex humili, ad altiorem locum expostulat, quod vt facilius, & solemnius efficeretur, authoritatem Legati citò reuersuri Legionem spectandam proposuit. Annuit* Ioannes *Episcopus, & secum accipiens Abbatem in Regiam accessit, vbi Fernandum Regem inuenit, cui omnia inter se, & Abbatem tractata nuntiauit, ab eo humiliter efflagitans, vt eueniente Legato, de* Translatione *sacrorum Corporum, & in altiorem locum eleuatione cum ipso ageret efficaciter. Quod vt audiuit Rex deuotionis ictu commotus thecas aureas expoliri decreuit, vbi vniuscuiusque Martyris corpus includeretur, vt in maiorem Aram reponeretur. Omnia ergo in perfectionem constituta, adueniente Legato, Rex, quæ decreuerat, Hyacintho patefecit;*

De Translatione tractatur apud Ferdinandū Regem.

Hyacinthus Legatus Rodesindum canonizat.

Efficitur Translatio sacrorum pignorum.

fecit; qui locum sepulchri, Regis præsentia, Procerum, & Populi concursu, adstantibus Petro Compostellano, Ioanne Braccarensi Gonsaluo Ouetensi,∴∴∴, Asturicensi, Stephano Zamorensi, Nauarnne Salmantino, & Ioanne Lucensi, & multis Abbatibus, inuisit; corpora visitauit; miracula probauit; & alia quæ ad perfectionem necessaria cognouit, effecit; & assignato die pro solemnitate Translationis, *quæ fuit* X. Kal. Aprilis *Era* M. CC. XI. *omnium acclamatione, ab ipso Legato perfecta eleuatio fuit. In quorum memoriam; in tabula marmorea iuxta* Aram Maiorem, *simile epitaphium scriptum inuenitur.*

ERA. M. CC. XI. X. KAL. APRILIS.
IACINTVS TEMPORE LEGATIONIS SVÆ.
AD LEGIONENSEM VRBEM VENIENS. AD
PRECES REGIS ILLVSTRIS MEMORIÆ
FREDENANDI.
ET IOANNIS LEGIONENSIS EPISCOPI, ET PELAGI.
ABBATIS S. CLAVDII, ET LEGIONENSIS POPVLI,
CORPORA SANCTORVM MARTYRVM.
CLAVDII. LVPERCII. ET VICTORICI.
DE HVMILI LOCO: QVO CONDITA FVERANT.
COMPOSTELLANO ARCHIEPISCOPO. ET BRACCARENSI. OVETENSI EPISCOPO. ASTORICENSI.
ZAMORENSI. SALMANTINO. ET LVCENSI.
PRÆSENTIBVS. ET DVODECIM ABBATIBVS.
MVLTAQVE CLERICORVM. ET LAICOR. TVRBA.
CIRCVNSTANTE. SVPER ALTARE EIVSDEM
ECCLESIÆ DEVOTE REPOSVIT. CVNCTIS
IBIDEM DONA SVA OFFERENTIBVS. INDVLGENTIA XL. DIERVM CONCESSA. ET SIMILI
MODO OPERE ECCLESIÆ BENEFACIENTIB.
SIMILI MERCEDE CONSTITVTA. QVAM LARGITIONEM PIETATIS PRÆDICTVS LEGATVS
SVMMVM PONTIFICATVM ADEPTVS PROPRIO RESCRIPTO CONFIRMAVIT.

Hactenus MS. Codicis relatio, in qua nonnulla probanda sunt, quæ ad Chronologiam, & Historiam pertinent. Circa istius ecphrasim de VEREMVNDO, qui podagricus dicebatur, PRIMA probatio est. Hunc fuisse ORDONII filium nemo est qui nesciat, huius nominis III. & ipso cognomento II. fuit, vt ex *Roderico Tolet.* & aliis probat Ambros. de Moral. *tom. 3. Hist. Hisp. lib. 17. c. 1.* licet inter vtrumque, Chronologiæ calculus subuertatur. Nam Roder. Tolet. *lib. 5. cap. 13.* isthæc verba præscripsit: *Mortuo itaque Ranimiro* VEREMVNDVS *filius Regis* ORDONII *veniens Legionem, ab omnibus suscipitur, & ad Regni gloriam promouetur, eo quod mortuo Sanctio patruo suo, & Ranimiro consobrino, ad ipsum erat de iure, Regni successio deuoluta, Era Millesima, & regnauit annis XVII.* Hoc computo regnare cœpit *Veremundus* Ann. Dom. DCCCC. LXII. quod à regulis Historiæ abhorret, nā si Ann. Dom. DCCCC. XCV. ex relatione huius *Translationis*, in viuis *Veremundus* erat, aut regnauit plusquam XVII. annos, aut initium regni eius non fuit in Era Millesima, vt inquit *Rodericus*, Ambros. Moralius exactè annum DCCCC. LXXXV. ex diplomatum subscriptionibus probauit, *lib. 16. c. 46.* in illóque fuisse exordium Regni *Veremundi.* A qno anno vsque ad DCCCC. XCIX. in quo mortem obiuit, inuenies XIV. Annos, & additis Tribus in Gallæcia exactis XVII. Regni numerabis. De Anno huius Regis mortis, adhuc in Capella S. Catharinæ V. M. apud S. Isidorum Legionensem dicata, Epitaphij calculus inuisitur, hoc breui pœnitentiæ elogio. *Veremundi Regnum.*

H. R. REX. VEREMVNDVS. ORDONII.
ISTE IN FINE VITÆ SVÆ DIGNAM
DEO POENITENTIAM OBTVLIT.
IN PACE QVIEVIT.
ERA. M. XXXVII.

Quod refert Moral. *lib.* 17. *cap.* 23. & istum sequitur P. Marian. *Hist. Hisp. lib.* 8. *cap.* 10. & ferè omnes Hispani Scriptores; in quibus ad amussim Nostrorum Regum successionem reperies, licet ab aliquibus exteris abstinebis, in quibus confusus ordo dignoscitur.

De successione Almanzor. SECVNDA probatio in Rege Cordubæ ALHAGIB cognomento ALMANZOR inest, de eius obsidione, & vrbis Legionensis diruptione; circa quam videsis Pelagium Episcop Ouetens. *in princip. Chron. fol.* 71. Lucam Tudens. *in Chron.* Moralez, Marian. Lober. & cæteros rerum Hispanicarum Scriptores; præcipue *Roder. Toletan.* qui nominis, & cognominis huius Regis Cordubensis etymon, fere vt in nostra relatione, descripsit.

TERTIA, de Alphonsi Regis successione, & vrbis Legionensis recuperatione, & populatione facta, audi Roder. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 19. Rex autem Aldephonsus reædificauit Legionem. Cui subscribunt cæteri Hispanicarum Rer. Scriptores, præcipuè Ambros. Moral. *lib.* 17. *cap.* 35.

QVARTA, de TRANSLATIONE facta sub Ferdinando Rege, satis liquet ex antiquo illo monumento superiùs à Nobis relato, & probat. Lobera Hist. Legionens. *d. cap.* 24. *fol.* 273. vbi pulchrè. Cætera communia sunt, ideò ad alia pergo.

LEGIO vrbs celebris de qua diximus die XI. huius mensis, & quia te ad diem Natalium Sanctorum missum fecimus, hic Inscriptionem à Moralio, & Gruter. *fol.* 260. *n.* 1. descriptam ponimus, prout illi apposuere.

IMP. CÆSARI
M. AVREL. ANTO-
NINO. PIO. FELI-
CI. AVG. PARTHIC.
MAX. BRIT. MAX.
GERMAN. MAX.
PONTIF. MAX.
TRIB. POT. XVIIII.
COS. IIII. IMP. III.
P. P. PROC.
EQVITES. IN.
HIS. ACTARIVS.
LEG. VII. GEM.
ANT. P. FEL. DE
VOTI. NVMINI.
MAIESTATI. Q. EIVS.

ADDITIO. Diximus suprà in ecphrasi Translationis Alphonsum huius nominis V. vrbem Legionensem à Sarracenis destructam, denuò restaurasse, populasséque & in ea Concilium coadunasse: quod & referunt D. Roder. *d. lib.* 5. *cap.* 9. & Ambros. Moral. *d. lib.* 17. *cap.* 35. qui asserit; eius Acta tanto celebritatis nomine apud Nostros Historiographos circumferri, vt ferè nunquam satis laudata conspiciantur. Eorum copiam se habuisse fatetur, è quibus per synopsim nonnulla delibauit. Nos pro *Eruditorum*, ac de antiquitate benemerentium officio, illa ex Nostro peruetusto MS. Codice pergamineis tabulis exarato, quem ex suprà sæpiùs citata Bibliotheca D. Garsiæ de Loaysa comparauimus, ad pedem (vt aiunt) literæ, transcribemus.

DECRETA

DECRETA ALDEPHONSI
Regis & Geloyræ Reginæ facta in vrbe Legione, sub Era M.LVIII. Kal. Augusti.

In præsentia Regis D. Aldefonsi, & vxoris eius Geloyræ Reginæ, conuenimus apud Legionem, in ipsa Sede S. MARIÆ, omnes Pontifices, Abbates, & Optimates Regni Hispaniæ, & iussu ipsius Regis talia decreta decreuimus, quæ firmiter teneantur futuris temporibus, hîc in Legione, Asturiis, & in Gallæcia.

I. In primis ergo censuimus, vt in omnibus Conciliis, quæ deinceps celebrabuntur, causæ Ecclesiæ priùs iudicentur, iudiciúmque rectum absque falsitate consequantur.

II. Præcipimus etiam, vt quidquid testamentis concessum, & roboratum aliquo in tempore Ecclesia tenuerit, firmiter possideat. Si vero aliqnis inquietare voluerit illud quod concessum est testamentis, quidquid fuerit: testamentum in Concilium adducatur, & à veridicis hominibus, verúmne sit exquiratur: & si verum inuentum fuerit, nullum super eum agatur iudicium, sed quod in eo continetur scriptum, quietè possideat Ecclesia in perpetuum. Si verò Ecclesia aliquid iure tenuerit, & inde testamentum non habuerit, firment ipsum ius cultores Ecclesiæ iuramento, ac deinde possideat perenni æuo. Nec proderit triennium iuri habito, seu testamento. Deo etenim fraudem facit, qui per triennium rem Ecclesiæ rescindit.

III. Decernimus etiam vt nullus contineat seu contendat Abbatis: Abbates suarum diœceseon, siue Monachos, Abbatissas, Sanctimoniales, Refuganos, sed omnes permaneant sub ditione sui Episcopi.

IV. Mandamus adhuc vt nullus audeat aliquid rapere ab Ecclesia. Verum si aliquid infra ciuitatem, cimiterium, per rapinam sumpserit, sacrilegium soluat, & quidquid inde abstulerit, vt rapinam reddat. Si autem extra cimiterium iniustè abstulerit rem Ecclesiæ, reddat eam, & calumpniam cultoribus ipsius Ecclesiæ more terræ.

V. Item decreuimus, vt si fortè aliquis hominem Ecclesiæ occiderit, & per seipsa Ecclesia iustitiam adipisci non potuerit, concedat *Maiorino* Regis vocem Iudicij, diuidántque per medium calumpniam homicidij. *Idem ac hodie dictum Merino.*

VI. Iudicato ergo Ecclesiæ iudicio, acceptáque iustitiâ, agatur causa Regis.

VII. Deinde, causa Populorum.

VIII. Decernimus iterum, vt nullus emat hæreditatem serui Ecclesiæ, seu Regis, vel cuiuslibet hominis. Qui autem emerit perdat eam, & pretium.

IX. Item mandamus, vt homicidia, & causæ omnium ingenuorum hominum Regi integra reddantur.

X. Præcipimus etiam, vt nullus nobilis, siue aliquis de *Benefactoria* emat solare, aut hortum alicuius iunioris, nisi solummodo mediam hæreditatem deforis, & in ipsam medietatem quam emerit, non faciat populationem, vsque in tertiam villam. Iunior vero qui transierit de vna mandatione in aliam, & emerit hæreditatem alterius iunioris, si habitauerit in ea, possideat eam integram: & si noluerit in ea habitare, mutet se in villam ingenuam, vsque in tertiam mandationem, & habeat medietatem præfatæ hæreditatis, excepto solare, & horto. *Hodie dicimus Behetria, vt placet Morallo.*

XI. Et qui acceperit mulierem de mandatione, & fecerit ibi nuptias, seruiat pro ipsa hæreditate mulieris, & habeat illam. Si autem noluerit ibi morari, perdat ipsam hæreditatem. Si vero in hæreditate

tate ingenua nuptias fecerit, habeat hæreditatem mulieris integram.

XII. Item decreuimus, quod ſi aliquis habitans in mandatione, aſſeruerit ſe nec iuniorem, nec filium iunioris eſſe, Maiorinus Regis ipſius mandationis per tres bonos homines, & progenie inquietati, habitantes in ipſa mandatione confirmet iureiurando, eum iuniorem, & iunioris filium eſſe. Quod ſi iuratum fuerit, moretur in ipſa hæreditate iunior, & habeāt illam ſeruiendo pro ea. Si verò in ea habitare noluerit, vadat liber vbi voluerit, cùm Kauallo, & atondo ſuo, dimiſſa integra hæreditate, & bonorum ſuorum medietate.

XIII. Mandamus iterum, vt cuius pater, aut auus ſoliti fuere laborare hæreditates Regis, aut reddere fiſcalia tributa, ſic, & ipſe faciat.

XIV. Præcipimus etiam, vt homo, qui eſt de Benefactoria, cum hominibus, & hæreditatibus ſuis eat liber quocunque voluerit.

XV. Et qui iniuriauerit, aut occiderit *Sayonem* Regis ſoluat D. Solidos.

Hodie dicitur Alguaſil.

XVI. Et qui fregerit ſigillum Regis reddat C. Solidos, & quantum abſtraxerit de ſubſigillo ſoluat vt rapinam, ſi iuratum fuerit ex parte Regis, medium autem calumpniæ Regi, aliud autem medium Domino hæreditatis: & ſi iurare noluerit ex parte Regis, cui mandatum habeat licentiam iurandi, & quantum iurauerit, tantum vt rapinam reddat.

XVII. Item ſi aliquis Sayo pignuram fecerit in mandamiento alterius Sayonis, perſoluat calumniam, quemadmodum ſi non eſſet Sayo, quia vox eius & dominium non valent, niſi in ſuo mandamiento.

XVIII. Illi etiam, qui ſoliti ſunt ire in foſſatum cum Rege, cum Comitibus, cum Maionis, eant ſemper ſolito more.

XIX. Mandamus igitur, vt iterum in Legione, ſeu omnibus cæteris Ciuitatibus, & per omnes Alfores habeant Iudices electos à Rege, qui iudicent cauſas totius Populi.

XX. Et qui aliquem pignorauerit, niſi prius Domino illius conqueſtus fuerit abſque iudicio, reddat in duplum quantum pugnauerit. Et ſi prius factâ querimoniâ aliquem pugnauerit, & aliquid ex pugnora occiderit planè abſque iudicio, reddat in duplum. Et ſi facta fuerit querela ante iudices de ſuſpectione; ille cui ſuſpectum habuerunt, defendat ſe iuramento, & aquâ calidâ per manus eorum noſtrorum hominum. Etſi querimonia vera fuerit, & non per ſuſpectionem, perquirant eam veridici homines. Et ſi non poterit inuenire veritatem exquiſitio, parentur teſtimonia ex vtraque parte, talium hominum, qui videre, & audire; & qui conuictus fuerit, ſoluat more terræ illud, vnde querimonia facta fuerit. Si quis autem aliquis teſtium falſum teſtificaſſe, vel aliquis probatus fuerit falſum iudicaſſe, reddat pro falſitate Regi IX. Solidos monetæ Regis; & illi ex quo falſum protulit teſtimonium, vel falſum iudicauit, quidquid ſuo teſtimonio, vel iudicio perdidit, reddat: in regnum, domúmque illius falſis teſtibus, vel falſus Iudex deſtruantur à fundamentis, & deinceps à nullis recipiatur in teſtimoniis, vel in iudicio, ſed excommunicetur.

XXI. Conſtituimus etiam vt Legionenſis Ciuitas, quæ depopulata fuit à Sarracenis in diebus Patris noſtri Veremundi Regis repopuletur per hos foros ſcriptos, & nunquam violentur iſti fori in perpetuum. Mandamus igitur, vt nullus iunior cuparius aluendanus adueniens Legionem ad morandum, non inde extrahatur.

XXII. Item præcipimus, vt ſeruus incognitus, ſimiliter non extrahatur, nec alicui detur.

XXIII. Seruus verò qui per veridicos homines ſeruus tuus probatus fuerit, tàm de Chriſtianis quam de Agarenis, ſine aliqua contemptione Domino detur ſuo.

XXIV.

XXIV. Clericus vel Laycus non det illi homini rausum, fossataria, aut manneria.

XXV. Si quis homicidium fecerit, & fugere poterit de ciuitate, aut de sua domo, & vsque ad nouem dies captus non fuerit, veniat securus ad domum suam, & vigilet se de suis inimicis, & nihil Sagioni, vel alicui homini pro homicidio quod fecit persoluat. Et si infra nouem dies captus fuerit, & habuerit, vnde integrum homicidium reddere possit, reddat illud. Etsi non habuerit vnde reddat, accipiat Sagio & Dominus eius medietatem substantiæ suæ de mobili; altera vero medietas remaneat vxori eius, & filiis, vel propinquis cum casis, & integra hæreditate.

XXVI. Qui habuerit casam in solare alieno & non habuerit Kauallum, vel asinum, det semel in anno Domino soli decem panes frumenti, & mediam Kannatellam vini, & vinum lumbum bonum, & habeat dominum qualemcunque voluerit, & non vendat suam domum, nec erigat laborem suum coactus. Sed si voluerit ipse sua sponte vendere domum suam, duo Christiani, & duo Iudæi appretient laborem illius, & si voluerit dominus soli dare diffinitum pretium, det etiam, & suo aluaroc. Et si noluerit vendat dominus laboratoribus suis laborem suum cui voluerit.

XXVII. Si verò miles in Legione in solo alterius casam habuerit, bis in anno eat cum domino soli ad iuntam. Ita dico, vt eadem die ad domum suam possit reuerti, & habeat dominum qualemcunque voluerit, & faciat de domo sua sicut supra scriptum est, & vlli domino non det nuncium.

XXVIII. Qui autem cùm equum non habent, & asinos habuerit, bis etiam in anno det domino soli asinos suos, sic tamen vt eadem die possint reuerti ad domum suam, & dominus soli det illi & asinis suis victum, & asinum habeat dominum qualemcunque voluerit, & faciat de domo sua, sicut supra scriptum est. Omnis homo habitantes infrasubscriptos terminos, per S. Martham, per Quintanellas Deuia, de Ceia, per Centumfontes, per villam Auream, per Villam Felicem, & per illas millierias, & per Cascantes, per Villam Villitæ, & per Villar Mazarese, & per Vallem de Ardone, & per S. Iulianum, propter contentiones quas habuerint contra Legionenses, ad Legionem veniant accipere, & facere iudicium: & in tempore belli, & guerræ veniant ad Legionem vigilare illos muros Ciuitatis, & restaurare illos sicut ciues Legionis, & non dent portaticū de omnibus causis, quas ibi vendidere.

XXIX. Omnes habitantes intra muros, & extra, prædictæ vrbis, semper habeant, & teneant vnum forum, & veniant in prima die Quadragesimæ ad Capitulum S. MARIÆ de Regula, & constituant mensuras panis, & vini, & carnis, & pretium laborantium qualiter omnis ciuitas teneat iustitiam in illo tempore anni. Et si aliquis præceptum illud prætererit, quinque solidos monetæ regiæ suo Maiorino Regis det.

XXX. Omnes vinitarij ibi commorantes bis in anno dent suos asinos Maiorino Regis, ita vt possint ipsa die ad domos suas redire, & dent illi & asinis suis victum abunde. Et per vnumcunque annum ipsi vinitarij semel in anno dent VI. denarios Maiorino Regis.

XXXI. Si quis mensuram panis & vini minorauerit VI. Solidos persoluat Maiorino Regis.

XXXIII. Quicumque cibariam suam ad mercatum detulerit, & maquilas Regis, furatus fuerit, reddat eas in duplo.

XXXIV. Omnis morator Ciuitatis vendat cibariam suam in domo sua per rectam mensuram, siue calumpniam.

XXXV.

XXXV. Panateriæ quæ pondus panis falſauerint, in prima vice flagellentur, in ſecunda verò V. ſolidos perſoluant Regis Maiorino.

XXXVI. Omnes Carnicerij cum conſenſu concilij carnem porcinam,vetuecinam, arietinam, vacunam per penſum vendant, & dent prandium concilio, vnà cum Zauazdukes.

XXXVII. Si quis vulnerauerit aliquem, & vulneratus dederit vocem Sagioni Regis; ille qui plagam fecit, perſoluat Sagioni Kannatellam vini, & componat ſe cum vulnerato. Et ſi Sagioni vocem non dederit, nihil illi perſoluat, ſed tantum componat ſe cum illo vulnerato.

XXXVIII. Nulla mulier ducatur inuita Regi, niſi fuerit ancilla eius.

XXXIX. Ad hortum alicuius hominis non vadàt Maiorinus, vel Sagio inuito domino, vt inde aliquid abſtrahat, niſi fuerit ſeruus Regis.

XL. Qui vinatarius non fuerit per forum, vendat vinum ſuum in domo ſua ſicut voluerit per bonam menſuram, & nihil inde habeat Sagio Regis.

XLI. Homo habitans in Legione, & infra prædictos terminos,pro vlla calumpnia non det fidiatorem, niſi in V. Solidos monetæ vrbis, & faciat iuramentum, & aquam calidam permanum bonorum Sacerdotum, vel inquiſitionem per veridicos inquiſitores, ſi ambabus placuerit partibus. Sed ſi accuſatus fuerit feciſſe iam furtum, aut per traëditionem homicidium, aut aliam proditionem, & inde fuerit conuictus, qui talis inuentus fuerit, defendat ſe per iuramentum, & litem cum armis.

XLII. Et mandamus, vt Maiorinus vel Sagio, aut dominus ſoli, vel aliquis ſenior non intret in domum alicuius hominis in Legione commorantis pro vlla calumpnia, nec portas auferat à domo illius.

XLIII. Mulier in Legione non capiatur, nec iudicetur, nec inſidietur, abſente viro ſuo.

XLIV. Panatariæ dent ſingulos argentos Sagioni Regis per vnam quamque hebdomadam.

XLVI. Omnes Macellarij de Legione per vnumquemque annum in tempore vindemiæ dent Sagioni ſingulos vtres bonos, & ſingulas arreldes de ſeuo. Piſcatum maris, & fluminis, & carnes quæ adducuntur ad Legionem ad vendendum non capiantur per vim in aliquo loco à Sagione, vel ab vllo homine; & qui per vim fecerit, perſoluat Concilio V. ſolidos, & Concilium det illi centum flagellas in camiſa, dncens illum per plateam ciuitatis per fullem ad collum eius; ita & de cæteris omnibus rebus, quæ Legioni ad vendendum venerint.

XLVII. Qui mercatum publicum, quod IV. Feria antiquitus agitur perturbauerit cum nudis gladiis, ſcilicet enſibus, & lanceis, IX. Solidos monetæ vrbis perſoluat Sagioni Regis.

XLVIII. Qui in die prædicta mercati à mane vſque ad veſperum aliquem pignorauit, niſi debitorem, aut fidiatorem ſuum, & iſto ſtante mercato, plectetur IX. ſolidis Sagioni Regis, & duplet pignuram illi quæ pignorauit. Et ſi Sagio, aut Maiorinus, ipſa die pignuram fecerit, aut per vim aliquid alicui abſtulerint, flagellet eos Concilium, ſicut ſupra ſcriptum eſt, centum flagellis, & perſoluat Concilio V.Solidos, & nemo ſit auſus ipſa die contradicere Sagioni directum quod Regi pertinet.

XLIX. Quiſquis ex noſtra progenie, vel extranea hanc noſtram conſtitutionem ſciens frangere temptauerit, fracta manu, pede, & ceruice, euulſis oculis, fuſis inteſtinis, percuſſus leprá,vnà cum

gladio

gladio anathematis, in æterna dampnatione cum diabolo, & Angelis eius luat pœnas.

L. Item decreuimus, vt nemo sit ausus in Dominicis diebus, aut præcipuis festiuitatibus facere pignus aduesperescente Sabbatho, vsque in II. Feriam, hora diei primâ, quod si aliquis transgressor exstiterit huius nostræ constitutionis, illicò excommunicetur, & pignus quod fecerit in duplo reddat domino suo, & persoluat Maiorino Regis, & Episcopo terræ illius X L. Solidos monetæ Regis; & si se emendare voluerit tres annos habeat pœnitentiam. Vnum ex illis in exilio, & duobus in domum suam, sicuti præceperit Episcopus suus.

Hactenus Concilium Legionense, cuius seriem à nostratibus diu desideratam Scriptoribus publicam facimus, vt illius seculi hominum bonitatem demireris; qui tantum Quinquaginta contenti legibus tàm Ecclesiasticis, quàm secularibus purissimam agebant vitam.

NONO KALEND. APRILIS. DIES XXIV.

A. *Pentopoli Cyrinaica passio* SS. Theodori *II. Cæsaraugustani Episcopi*, Irenæi *Diaconi*, Serapionis, *&* Ammonij *Lectorum: qui penè vniuersam percurrentes Hispaniam, ad Præsulatus Cæsaraugustani*, Athanasio *è viuis sublato, apicem* Theodorus *accessit. Pòst cùm omnes in oras applicuissent Africanas, vt Christi D.N. veritatem exprimerent*, Cyrenémque *conscenderent, martyrio ceruices Domino obtulerunt.*

B. *In Conuentu S. Mariæ Saliciensi Ordinis S. Francisci, in Carpetania depositio sacrorum pignorum* Sancti Marci *Martyris, qui sub M. Aurelio ad coronam fideliter properauit. Ibidemque anniuersario cultu honorificè veneratur.*

C. *Matriti in cœnobio Sanctimonialium Ordinis S. Bernardi cognomento SS. Sacramenti, corpus* S. Timothei *Martyris, antecedentis socij, & qui cum eo celeberrimum est consequutus agonem.*

NOTÆ.

SANCTI Theodorus, & socij. Horum Sanctorum Martyrum anamnesis apud omnes ferè Martyrologos inuenitur, licet non hoc die sed *XXVI. huiusce Mensis.* Non quia illo agonem pertulêre, sed quoniam ipso *S. Crescens* Epi-

ſcopus *Carthaginenſis* Africæ noſtri ſinchronos, eius ſacra tranſtulit apud Hiſpanos lipſana, vt ſuo loco dicemus. Iſto enim die paſſio Sanctorum *Theodori*, & ſociorum fuit, & ideo in illo Eccleſiæ noſtræ officium colere conſueuerunt. Hoc ſic intellecto ad memoriam pertingamus Mártyrum. Beda, ſic: *Apud Pentapolim Lybiæ* Theodori *Epiſcopi*, Irenæi *Diaconi*, Serapionis, *&* Ammonij *Lectorum*. *Martyrologia.* Vſuardus, Ado, Notkerus, Maurolycus, Alexander de Peregrinis, & Petr. de Natalib. *lib.* 11. *cap. fin. num.* 100. per eadem verba. Petr. Galeſ. addit: *Ij incredibili Christiana virtutis magnitudine cruciamenta pro Christi gloria perpeſſi, martyrij coronam tulerunt*. Prim. Cabilon. & Philipp. Ferrar. *in Tipograph. SS. verb.* Pentapolis. licet ille in tempore Martyrij à veritate diſcedat, cum imperante *Diocletiano* illud, & perperam appingat. Præter Martyrologia adeſt *S. Theodori* memoria in aliquibus *Breuiaria.* Breuiariis Hiſpaniæ, vt in *Compoſtellano* antiquo, h.d. *Cordubenſ.* die X V. Maij, & eodem die *Granatenſe*, in quibus & aliis quæ refert *Biuar.* breuiori calamo percurritur. De eo Caliſt. & Leo Pontif. *in tranſlatione S. Iacobi* Moral. Padill. Mariet. *Chronographi.* Mariana. De omnibus Did. Morill. *hiſt. Cæſaraug. in Fundat. Capella Angelica V.M. de Columna, cap.* 21. *fol.* 179. Carril. *hiſt. S. Valerij in Chronograph. Epiſcop. Cæſaraug. fol.* 223. Ludouic. Lop. *Hiſt. Cæſaraug. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. *fol.* 412. D. Maur. Caſtella. *Hiſt. S. Iacobi lib.* 1. *c.* 23. *fol.* 85. *& lib.* 2. *c.* 9. *fol.* 152. *col.* 2. Ex antiquis Flau. Dext. *Ann.* 71. vbi P. Biu. *fol.* 69. *n.* 5. S. Maxim. *in Hymn. SS. Epiſcop. Cæſaraug. fol.* 230. *col.* 2. Excellentiſſ. D. D. Ioannes Fern. de Velaſco Comeſtab. Caſtellæ *in defenſione aduentus S. Iacobi in Hiſpan. Diſcurſ.* 1. *fol.* 10. Marineus Sicul *de Rebus Hiſp. lib.* 5. Vincent. Bellouac. *in ſpecul. Hiſtor. lib.* 8. *c.* 3. 4. 5. *&* 6. S. Antonin. *in Chron. tom.* 2. *tit.* 17. *c.* 1. §. 2. Ex quibus actorum compaginem coagulabo ſic:

ACTA S. THEODORI, EPISCOPI CÆSARAVGVSTANI, & ſociorum Martyrum; ex Antiq. Breuiar. Hiſpan.

Origo. THEODORVS *natione vt creditur* Græcus, *Diſcipulus & pediſſequus fuit S.* Iacobi Zebedei *filij, & Hiſpaniarum Apoſtoli, qui cum Sanctiſſimo* *In Hiſpaniam venit.* *Magiſtro penè omnes noſtra regionis in Euangelij prædicatione peragrauit ſedulus vrbes. Recedente Apoſtolo ab* Iberis, *cum* Athanaſio I. *Cæſaraugustana Præſule ciuitatis, vt nouum paſceret dogmatibus catholicis gregem magiſtro inſtante remanſit* Theodorus. *Remanet ibidem cum Athanaſio.* *Operis verò commiſſi munera obierunt* Athanaſius *& ſocius, taliter, vt fidei zelo incenſi, & Charitatis feruore inflammati, non ſolùm prouinciam ſuæ ditionis, ſed etiam ferè omnes Hiſpania Euangelicis vocibus colluſtrarunt. At* Iacobo *per martyrium ad cælos aſſumpto, & eius corpore in* Gallæciam *delato, ad ipſius protinus funus (cognito aduentu)* Iriam *flebiles cucurrerunt. Expleto Officio cæteri diſcipuli receſſerunt.* *Cum corpore magiſtri remanet.* Theodorus *autem, vt ſuus in Magiſtrum agnoſceretur amor, corpus vigilantiſſimus cuſtos ſancti Apoſtoli conſeruabat. Sed cùm Dominus maiora illi certamina reſeruaſſet, mortuo* Athanaſio, *Cæſaraugustano, Pontifex illius Eccleſiæ, nemine diſcrepante, illicò deſignatur.* *Cæſaraugustanus Pontifex fit.* *Quo noui muneris onere, vt oues inuiſeret, & Paſtoralis penſum officij compleret, Magiſtri tumulum dereliquit, & Præſulatus* Cæſarauguſtani *thalamum reportauit. Ibidem prout commiſſæ diſpenſationis authoritas exigebat, quod ore, diu, noctúque docuit, operis exhibitione non ceſſauit implere, in vigiliis, in ieiuniis, & demum in charitate non ficta. Ea etiam quæ ad exterioris pertinebant vtilitatem prouiſionis, tanto ſolicitius ſtuduit promouere, quanto ſtatus* Hiſpanienſis *Eccleſiæ, tunc nuper initiatus, & exiguus, poſtea Deo cooperante, vt liquidò apparet, religione inuiolata famoſiſſimus, id videbatur expoſtulare. His, & aliis operis, & exempli functionibus prouinciam catholicis, & veritatis Euangelicæ ſectatoribus ampliauit, Eccleſiam* B. MARIÆ de Columna *à Sanctiſſimo Magiſtro nutu Virgineo, Angelicíſque coadiuuantibus choris extructam, præconio mirabilium cognitam perfecit, Eccleſiaſticíſque* *Baſilicam de Columna perficit.*

miniſtris,

ministris, vt par erat, & illa expetebant tempora, decorauit. Tandem Sanctissimi Præsulis zelus, cuius ardens vis punctim omnia eius viscera inflammabat, vt pro Christi gloria, vniuersos ad sui agnitionem nominis conuocaret, huius æstuans desiderio, Africam *cum* Irenæo *Diacono, &* Serapione, *&* Ammonio *Lectoribus Angelicæ Ecclesiæ, nauigauit, & ad* Cyrenem *deueniens verbum Dei disseminat, & ad* Pentapolim *vrbem accedens à satellitibus captus, vnà cum ascetis, propter Dominum summè dilectum, coronam efficaciter, diúque desideratam cum Ministris inclytus Pontifex gladio comparauit. Anno Domini L X X I. Imperante T. Flauio Vespasiano Aug. & Clemente I. Pont. Maximo.* *Africam nauigat.* *Coronatur.*

Relationem nostram aliquibus comprobabimus fragmentis, quæ ex Historia SS. Apostoli *Iacobi* discipulorum necessariò excerpenda sunt: Omnia vitæ, & mortis breuioribus comprehendunt periodis *Flau.Dexter,*& *S.M.Maximus.* ille *in Chron. Ann.* 71. hisce verbis. *Theodorus II. Cæsaraugustanus Episcopus prædicans in Africana Pentapoli, cum Irenæo Archidiacono suo & Serapione, & Ammonio Lectoribus Martyr fit.* Dixerat antea *ann.* 37.*&* 50 quod venerat in Hispanias cum Apostolo.M.Max. *in Hymn. SS. Præsul. Cæsaraugustanorum. fol.* 223. sic: *Discipulus Iacobi, Episcopus & Martyr.*

En piè sacris adolemus aris
Thura, nardúmque, & solitos odores
Præsulum turbæ, sibi quos Patronos
Vrbs habet ista.
Quos habet patres, fideíque primos
Præsules, istis quoque sub magistris,
Cæsaris floret nimis vrbs, quibúsque
Dedicat ædes.
Nunc Athanasi, laudo te, sacratè:
Téque præstanti Theodore *cantu;*

Postea progreditur ad aliũ, de quo, & de *Athanasio* Sapphicum cum dimidio in laudem mortis consumit ipsorũ, & de *Theodoro*, qui secũdus in numero est, prosequitur.

—sed enim secundum
Sacra per tractus Lybicos ferentem
Clara Cyrene.
Et comes supplex Irenæus *illis,*
Qui Leuitarum caput esse fertur,
Atque Lectores duo, sed necantur
Quatuor ense.
Martij sena quater, alma luce,
Plebs tibi supplex, sociýsque sacris,
Quo die passos memorant, celebrat
Festa quotannis. *Dies agonis.*

Ex cuius vltimi Sapphici ecphrasi, colligitur, ad hunc diem martyrium referendum esse, & non die X X V I. huius Mensis, nam eo die, vt dixi, de translatione corporis è Pentapoli ad Compostellam agendum est.

Quòd *S. Theodorus* in funere Sanctissimi Magistri adesset, ibidémque custos peruigil permaneret, Sampir. Episc. *Asturic. in Chron. Era* 917. *fol.* 60. sic: *In Altari quoque, quod est supra corpus B. Iacobi Apostoli, quod consecratum fuerat à Discipulis eius; quorum nomina sunt hæc, Chrysogonus* Theodorus, *Athanasius,* &c. S. Leo I V. *in Epist. de S. Iacobo*, sic: *Iusto autem salubri consilio, duo clientuli remanserunt ibi ad custodiendum* *De assistentia iuxta corpus Iacobi.*

dum pretiosissimum talentum B. scilicet Iacobi corpus venerandum, quorum vnus dictus est Theodorus, *alter vero Athanasius. Alij vero discipuli, Deo comite, ad prædicandum Hispanias ingressi sunt, vt præmisimus. illi verò discipuli pedissequi, pro reuerentia illius Magistri manserunt*, &c. De aliis consulendi sunt supracitati.

Cæsaraugusta ab Augusto deducta Colonia.

CÆSARAVGVSTA. Ciuitas Regni Aragonum Metropolis, de qua, *die II. fol.* 36. *&* 37. & *die X. fol.* 116. & *die XXIX. Ianuar. fol.* 344. *Tom.* 1. supra diximus, quibus in locis de nominibus SALDVBA, & AGRIPPA, seu AVRIPPA olim inditis disseruimus. Nunc de communi hoc nomine CÆSARAVGVSTA agemus, quam ex ignobili oppido in Coloniam deductam ab Augusto Cæsare indicat huius numismatis figura.

Nummus Augusti.



Hoc numisma in signum deductionis Coloniæ adducit Ludouic. Non. *in sua Hispan. cap.* 82. à Cæsare Augusto cusum, Duum-Viris M. PORCIO, & Cneo Fabio.

S. Pigmenius. Apud *Hispanos* in vrbe *Aquensi*, quæ nunc *Talauera de la Reyna*, in Carpetania dicitur, adest ipsius memoria: sed quia nostri ad *Kalend. Nouembris* ipsius retulerunt agonem, ideò & Nos ad illum diem suspendimus illius anamnesim. Interim vide Luitpr. *in Chron. num.* 131.

B. & C. SS. Marcus, & Timotheus.] Horum Sanctorum Corpora in *Hispania* requiescere constans fama est, vt infra probabimus. *S. Marci* in Monasterio Sanctæ Mariæ *Saliciensi* in Carpetania. Sancti *Timothei* in Monasterio *SS. Sacramenti* Sanctimonialium apud *Matritum*, quod vulgò *Ducis de Vzeda* cognominatur, ex eo quòd ab Excellentissimo Vzedæ Duce, Lermæ filio conditum fuit. At quia amborum pignora regionem glorificant nostram, & vtriusque memoriam insimul veneratur Ecclesia, ne separentur acta, coniunctim conscribere curaui, vt coadunato sermone ab Scriptoribus recitatur. De eis, sic M. R. *h. d.* Romæ *Sanctorum Martyrum* Marci, *&* Timothei, *qui sub Antonino Imperatore martyrio coronati sunt.*

Martyrol. Cum quo concordant Martyrolog. *Lusitan.* & *Castellan.* P. Dionys. Vasq. Hos fuisse restitutos ex veteri MS. Sancti Cyriaci fatetur Baron. *in Mart. lit. A.* Philipp. Ferrar. *in Catal. SS. Ital. h. d. fol.* 163. sic: Marcus, *&* Timotheus *Romæ sub Antonino Imperatore martyrij coronam adepti sunt propter Christum. Cæterùm genus martyrij, vna cum eorum gestis ignoratur.* Scripserunt de eorum martyrio Pius Papa in

Scriptores. *Epistol. ad Iustum Viennens. Episcop. tom.* 3. *Biblioth. Veter. Petr. fol.* 71. Baron. *Annal. Ecclesiast. tom.* 2. *Ann.* 166. *num.* 1. *&* 2. Anton. Gallon. *in vit. S. Praxed. fol.* 75. DD. Petr. Goncal. de Mendoca *Histor. Saliciens. lib.* 4. *cap.* 5. *fol.* 780. Ex quibus hanc colligo ecphrasim.

ACTA SS. MARCI, ET TIMOTHEI Martyrum Romanorum; quorum sacra pignora apud Hispanos conduntur.

De origine Marci altum silentium.

Timothei nobilitas.

MARCVS *cuius generis secundum humanam fuerit existimationem, sub silentio latuit.* Timotheus *verò fuit ex genere nobilissimo Senatorum, filius* B. Pudentis *Senatoris Romani, & frater Sanctorum* Nouati, Praxedis; *&* Pudentianæ. *Iste ergo* Pudens *Pater Sancti* Timothei *creditur, cuius meminit S. Paulus* epistol. 2. ad Timoth. cap. 4. *in fine, quæ scripta est Romæ, vbi aderat* Pudens *Senator. Maiorum firma traditione præscriptum est, domum Pudentis Romæ fuisse primum hospitium* Sancti Petri *Apostolorum Principis, ibique primum Christianos conuenisse ad synaxim, coactam Ecclesiam, vetustissimámque omnium titulum* Pudentis *no-*

mine

mine appellatum. Ergo à Petro *vt creditur* Pudens *Senator Christo in baptismo vestitus, innocentem tunicam vsque ad vitæ coronam immaculatè custodiens Apostolis domum, & viscerum intestina donauit, filios* Nouatum, Timotheum, Praxedem, *& Pudentianam, vt Christum lucrifacerent, exhibuit. Qui ad fidem conuersi post longa annorum curricula Pater, & fratres martyrio coronati sunt. Virtutum, onerum, & munerum superstes remansit* Timotheus, *& vt tantorum hæres facinorum, cum Presbyteri Senatus pauperum Ecclesiæ existeret Romanæ, vna cum* Marco, *Presbytero & socio*, B. Pio *Rom. Pont. à consiliis sedulus vt creditur purpuratus, in Catholica Ecclesia commoda laborabat. Donec M. Aurelius Antoninus Imperator Romanus auitæ superstitionis obseruantissimus, vt collabenti penitus Deorum cultui suppetias ferret, de immolando Dijs eiusmodi per Orbem promulgare videtur edictum; in cuius obseruantia innumeras per vrbem, & orbem Martyres fertur percepisse coronas. Nec sæuitia pepercit insolens sacerdotibus, quinimo Romæ* Marcum, *&* Timotheum *Presbyteros, Ecclesiæque Romanæ Consiliarios, seu potiùs Cardinales pro confessione nominis Christi per varia cruciatuum genera fatigauit, quousque ad coronam Martyres properarunt æternam*, IX Kal. Aprilis, *Anno Domni* CLXVI. *Imperante M. Aurel. Antonino.*

A Petro baptizatur.

Vterque martyrium pertulit.

De Martyrio Sanctorum *Marci*, & *Timothei* extat Sancti Pij Pontificis Maximi epistola ad Iustum Episcopum Viennensem *in Biblioth. Patr. tom.* 3. & apud Baron. *Ann.* 166. *num.* 1. in qua de huiusmodi Sanctorum Martyrum agone sequentia protulit verba.

PIVS EPISCOPVS ROM.
Fratri IVSTO Episcop.

Epistola de martyrio horum SS.

Antequam Romà exisses soror nostra Euprepia (si bene recordaris) titulum domus suæ pauperibus assignauit, vbi nunc cum pauperibus nostris commorantes Missas agimus. De te autem superbeate postquam ad Senatoriam vrbem Viennensem perrexisti, quid factum sit, nosse cupimus; & vt semen Euangelij tam sparseris audire multùm desideramus. Presbyteri illi qui ab Apostolis educati, vsque ad nos peruenerunt, cum quibus simul verbum fidei partiti sumus, à Domino vocati in cubilibus æternis clausi tenentur. Sanctus Timotheus, *&* Marcus *per bonum certamen transierunt. Vide frater, vt illos imiteris sequendo, ne vinculis mundi illigèris. Festina palmam perseuerabilem cum Sanctis Apostolis tenere, quam per multas passiones Paulus suscepit, & Petrus, quibus crux charitatem Christi tollere non potuit. Salutant te Soter, & Eleutherius, digni Presbyteri. Saluta fratres, qui tecum viuunt in Domino. Cherinthus primarcha Satanæ multos auertit à fide. Gratia Christi habitet in corde tuo.*

Hactenus *Pius*: In cuius declaratione, cætera quæ ad elucidationem desiderantur ecphrasi offendemus apud Baron. *num.* 2. sic: *Porrò Timotheum, cuius nuntiat exitum, quem vnà cum aliis Apostolis versatum esse tradit, illum ipsum putamus* Timotheum, *germanum* Nouati, *fratrem* Pudentianæ, *&* Praxedis, *filium verò* Pudentis *Senatoris, atque* Priscillæ, *de quo superius sæpè facta est mentio.* Quem cùm dicat passum esse cum *Marco*, haud dubium est illos eosdem esse, quorum in antiquis Ecclesiasticis tabulis adscriptus habetur Natalis dies XXIV. Martij. Anton. Gallon. Rom. *in Vit. SS. Pudentianæ, & Praxedis fol.* 78. ex authoritate cuiusdam Neotherici dubitat de opinione *Baronij*, quatenus coniectat hunc *Timotheum* fuisse *Pudentiani* filium, sicut *Nouatum*, *Pudentianam*, & *Praxedem*, quos nulliter ad annum CLXVI. peruenire potuisse, autumat. Quia si Apostolorum Petri & Pauli magisterium subierunt, à fortiori tunc temporis iuuentutis, & discretionis limina pertigisse fatendum est. Quibus XV. ad minus annorum ætatem habuisse creditur, at Petrus, & Paulus Anno LXVIII. per crucis, & gladij angustias occubuêre, quo additis ætatis quindecim ad minus annis remanent LIII.

Fratres Thothei.

Dubium de nobilitate eiusdem ex Pudente Senatore.

Natiuitatis S. *Timothei*, qui ad C L X V I. mortis eiusdem supersunt C X I I I. ipsius vitæ, quod *Gallonio* durum ex Neotherico videtur. Cui idem *Gallonius* aliqua respondet non contemptibilia, licet authoritatem *S. Py* in relata epistola, non appingat, qua facilè Neotherico respondere valuisset. Constat ergo ex ea ab Apostolis educatos fuisse in illis verbis: *Presbyteri illi qui ab* Apostolis *educati, vsque ad nos pe ruenerunt.* Ergo & *Timotheus* peruenire potuit. Demum quia ætas C X I I I. annorum, & amplius in aliis Apostolorum inuenitur discipulis, vt in *Calocero Rabbenate*, & aliis. Quod me in admirationem adducit, est, quod in domo *Timothei* primum Christicolis Eucharistiæ Sacramentum à Petro Romæ fuisse propinatum, referat *Baronius*: & quod *Timothei* sacra lipsana post tot annorum c[illegible] ricula in Sacramenti Sanctissimi titulo condecorata domo, Matriti peruenerint, seruentur, & colantur. *Marcúsque* Sanctissimus socius istius in officio, in colle[illegible]io, in munere, & in agone, vnus ex Senatu pauperum fuit, vt refert Pius in alia epistola apud Baron. *d. ann.* 166. *num.* 3. in pauperum S. Francisci domum eius sacra pignora portum recepisse cognoscimus in *Salticiensi* cœnobio. Quid hæc mysteria? O Deus, quam incomprehensibilia sunt iudicia tua! Ad alia pergo. Quibus nitatur fundamentis hæc Sanctorum Martyrum è Roma extractio e[illegible]uiarum, quærit scrupulosa curiositas, en testimonia authentica veritatis. Et primum de *S. Marco* apud D. D. Petrum Gonsalu. de Mendoza *in Histor. Salticiens. lib.* 4. *cap.* 3. *fol.* 762. hisce verbis:

Refellitur.

Testimonii de aduentu Reliquiarum S. Marci in Hispaniam.

IN DEI NOMINE, AMEN.

Nouerint vniuersi, quod anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi M.DC.VII. die verò Quinta Mensis Februarij, Indictione V. Pontificatus autem S. D. N. Pauli diuina prouidentia Papa V. Anno II. coram me Notario publico Apostolico, & testibus infrascriptis, in Aracelitano Conuentu huius Alma vrbis personaliter comparuit Reu. admodum Pater frater Ludouicus à S. Ioanne Euangelista, Prædicator, & S. Theologia professor, Ordinis S. Francisci discalceatorum, & dixit se facere donationem quorundam Martyrum integrorum corporum, & aliarum tàm Martyrum, quàm Virginum Sacrarum Reliquiarum, quas dedit, & libere donauit Reuerendo admodum Patri fratri Ioanni Martinez Prædicatori, Sacra Theologia professori, nec non totius Seraphica Religionis à Secretis, cum potestate, vt eas posset in Hispaniam, aut alias prouincias Serenissimo, & Catholicissimo Regi Philippo III. subiectas, mittere, vel secum ferre, & in Ecclesiis, seu Capellis, & Oratoriis sibi benevisis, liberè, & licitè, ac honorificè collocare, aut quibusque piis personis donare possit. Quorum Sanctorum Martyrum nomina, vnum est B. MARCVS MARTYR. *Quæ quidem corpora integra, & catera Sancta Reliquia fuerunt à me Notario Apostolico propriis manibus è cœmeterio S. Sebastiani extra muros alma Vrbis desumpta, cum licentia, & supplicatione S. D. N. Pauli V. qua supplicatio ab eodem Pontifice, ad instantiam, & requisitionem Excellentissimi Dom. Marchionis de Villena signata fuit, & nomina dictorum Sanctorum Martyrum, & Sanctarum Virginum in suis sepulchris antiquissimis temporibus, cùm ibi sepulta fuerunt, insculpta legi, & vt insculpta fuerunt fideliter scripsi, & annotaui, & postea (vt dictum est) Reu. Pater Frat. Ludouicus à S. Ioanne Euangelista, easdem omnes sacras reliquias, ad eundem finem, & effectum, pro augmento, & fidelium consolatione, & ad augendam eorum deuotionem piè, & religiosè, coram me dicto Notario publico Apostolico dedit, & liberè donauit dicto Reuerendo Patri fratr. Ioanni Martinez qua libera donatio effectum habuit, præsentibus testibus ad hæc vocatis, & rogatis, scilicet R. R. Patribus Frat. Ildephonso de la Paz prædicatore, & Frat. Francisco Morales Sacerdote eiusdem Ordinis. Datis Romæ sub die, Mense, & Anno supradictis. Coram me Francisco de Auendaño Hispano Diœcesis Salmanticensis, Notario publico Apostolico sua Sanctitatis, descripto, & matriculato in hac Romana Curia. In quorum omnium supradictorum fidem me hic subscripsi, & signum Notariatus mei apposui.*

appoſui. Et ego Franciſcus de Auendaño Notarius Apoſtolicus ſua Sanctitatis, & publicus deſcriptus, & matriculatus in hac Romana Curia præſens fui ad omnia ſupradicta, &c.

En Teſtimonium extractionis Sancti Corporis *B. Marci* Martyris. Quod poſteà *P. F. Ioannes Martinez* donauit Conuentui *S. Mariæ Salicienſi* cum aliis reliquiis, quarum catalogum in prædicto donationis inſtrumento referuntur, quod propter prolixitatem, & non ad rem, omiſimus, contenti relatione corporis *S. Marci*, de quo hic quæſtio eſt. Nunc ad probationem extractionis corporis *S. Timothei*, quod aſſeruatur *Matriti* in cœnobio Sacrarum Virginum Ordinis S. Bernardi, titulo *SS. Sacramenti* condecorato. Cuius teſtimonium ſcriptum in pergamineo ſignatum, refrendatum, & pendenti ſigno argenteo, egomet vidi, & propriis manibus extraxi, & exſcripſi de quo tanquam Notarius Apoſtolicus fidem facio, & atteſtor, quod hiſce ſcriptum verbis agnoſcitur. *Teſtimoniũ de aduentu Corporis S. Timothei M. Madridum.*

IN NOMINE D. N. IESV CHRISTI, Amen.

Pateat vbique locorum, & gentium, tenore huius publici inſtrumenti, condita hoc Anno à Mundo redempto M. DC. XIX. *Indictione II. die vero* XX. *Menſis Martij, Pontificatus autem S. D. N. Pauli diuina prouidentia Papæ V. Anno XIV. Quod aliàs S D. N. PP. ſupradictus ob eximium amorem, quo proſequebatur Excellentiſſimum Dom. Ioannem Fernandez Paccecum Marchionem Villenæ, tunc apud eundem Sanctiſſimum, pro Regia Maieſtate Catholica Oratorem; eidem in forma Breuis expedstas literas conceſſit, tenoris videlicet: Dilecto Filio Nobili Viro Ioanni Fernandez Pacceco Marchioni Villenæ*, &c. *Tua in Deum pietas, & religio, ac ſingularis, quam erga Nos, & Sedem Apoſtolicam geris deuotionis affectus promerent, vt pijs votis tuis, quantum cum Deo poſſumus libenter annuimus. Supplicationibus igitur tuo nomine nobis humiliter porrectis, inclinati, tibi Sanctorum, & ſanctarum reliquias, non tamen muro clauſas, vt ex quibuſcumque vrbis Eccleſiis, Monaſterijs, Cœmeterijs, & locis pijs exiſtentibus, necnon ciuitatum Terrarum, & Locorum, vbi te adeſſe contigerit à ſponte dantibus recipere, receptas extrahere, & reuerenter apud te retinere, & ſi tibi placuerit illas, & quaſcumque illarum partes Eccleſiis, Monaſterijs, & alijs locis, necnon etiam, & perſonis pijs, & deuotis vtriuſque ſexus arbitrio tuo elargiri, liberè, & licitè, ſine aliquo conſcientiæ ſcrupulo, aut cenſurarum Eccleſiaſticarum incurſu, poſſis, & valeas autoritate Apoſtolica tenore præſentium, facultatem concedimus, & impartimur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud S.Petrum die V. Septembris Anno Dom. M. D C. VI. Pont. I. Scipio Cobellutius. Loc. † annuli Piſcatoris. Volens igitur Excell. D. Marchio præfatus dictis literis Apoſtolicis vti, cupidus valdè ex ſacris vrbis cœmeterijs SS. MM. reliquias extrahere iuxta facultatem ſibi conceſſam. Nec valens ipſemet perſonaliter ad prædicta vacare grauioribus negotijs detentus, nonnullos viros probos ad extrahendas SS. MM. reliquias ex dictis cœmeterijs ſubrogare cenſuit. Inter quos ſpecificè ſubrogauit ad dictum effectum D. Ioannem Angelum Sanctinum Romanum prout de dicta ſubrogatione conſtat apud me Notarium. Conceſſitque inſuper Excell. Marchio præfatus omnibus ſic ſubrogatis, vt pro ſe ipſis aliquam quantitatem Sanctarum reliquiarum prædictarum extrahere valerent. Quas ipſe ſupradictus conceſſit, & donauit authoritate prædicta. Et cùm dictus D. Ioannes Angelus inter alia SS. Martyrum corpora ex Cœmeterio S. Calixti extra vrbem extraxiſſet corpus integrum* B. TIMOTHEI MARTYRIS, *ac etiam nonnullas partes reliquiarum, illáſque apud ſe donationis titulo, vt ſupra, detinuiſſet, prout conſtat ex mihi Notario*, &c. *Poſt aliquod temporis ſpacium fuit rogatus ab admodum Illuſtri D. Perinello de Perinellis, vt reliquias præfatas, ſibi dono tra-*

dere vellet; ad effectum honorificè collocandi. Et cùm iusta petenti non sit denegandus assensus, ideo præfatus D. Ioannes Angelus ad effectum prædictum donauit, eidem admodum Ill. D. Perinello supradicto, omnia supradicta corpora integra, & reliquias SS. MM. medio donationis instrumento à me Notario rogato ad quod, &c. Et cùm præfatus D. Perinellus adhuc SS. MM. reliquias penes se retinuerit, nec vnquam honorificè collocari curare potuerit, requisitus nunc ab Illustriss. & Excellentiss. Dom. D. Philippo Columna, Duce Poliani, Talcacotij, & Marsorum; Principe Poliani, & Sonnini; Marchione Gauarum, & Atissa; Comite Albæ, Manoppelli, & Ceccani; Barone Vallis Roueti, Carseolorum, Cerri, & Plaisani, ac Magno Regni Neapolitani Comestabulo., &c. vt Reliquias supradictorum SS. Martyrum sibi donare vellet, vt tandem honorificum locum acciperent. Et sciens D Perinellus, eiusdem Excellent. Dom. eximiam pietatem, iustæ petitioni tàm maximi Principis, hilari animo parere constituit. Hinc autem est, quod in mei Notarij. &c. & testium infrascriptorum præsentia personaliter constitutus admodum Ill. D. Perinellus de Perinellis supradictus, qui sponte, &c. omni meliori modo, &c. facultate iam dicta donauit, & donationis titulo cum effectu transmisit, & consignauit eidem Illustriss. & Excellentiss. Principi D. Philippo Columnæ omnia corpora integra, nec non partes Reliquiarum, & ossa omnium supradictorum MM. SS. prout ipsi D. Perinello donata sunt. Quæ quidem reliquiæ Sanctorum me Notario, &c. præsente, ac etiam D. Antonio Gabardo de Ripis Verulanæ diœcesis, & D. Francisco Clarino Romano testibus, ex cœmeterio S. Calixti extra vrbem, ex eorum integris sepulchris, cum NOMINE, PALMA & CRVCE *in quolibet sepulchro repertis, & annotatis extractæ fuerunt, illásque esse Reliquias SS. testor esse ego Notarius, &c. Quam quidem donationem præfatus D. Perinellus fecit eidem Excellent. Principi, &c. dictúsque Excellent. Princeps prædictam donationem acceptauit, Sanctorúmque Martyrum reliquias accepit, adorauit, & gratias egit: & volentes ipsæ partes præfata in scriptis redigere rogauerunt me Notarium, &c. vt de prædictis conderem instrumentum. Actum Romæ in ædibus dicti Excellentiss. Principis prope Basilicam SS. omnium Apostolorum vrbis, præsentibus pro testibus D. Cæsare Lancello, & Reu. Patr. D. Laurentio Campora ad prædicta vocatis, & rogatis. Et quia ego Ioannes Marinus Perusinus publicus, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Notarius, de prædictis rogatus fui, ideò præsens instrumentum, aliena manu scriptum, subscripsi, & publicaui, & meo signo signaui requisitus.*

Hactenus instrumentum. Ast quia prædictus Excellentiss. Princeps de Columna hoc & alia Sanctorum Martyrum Corpora Excellentiss. *D. Duci de Vzeda* donauit, & iste in suo Conuentu SS. Sacramenti Sanctimonialium reposuit, ibidem honorificè seruantur, vt testatur Ieron. Quintan. Hist. *Madridens. fol. 444.*

OCTAVO KAL. APRIL.

DIES XXV.

Annuntiatio Beatissimæ Virginis Genitricis Dei Mariæ Dominæ Nostræ. Cuius festiuitas à nascentis Ecclesiæ exordio apud Hispanos celebri colitur veneratione, repetitur solemnissimo cultu, & affectuoso reiteratur gaudio.

Ierosolymis passio B. IACOBI *Apostoli cognomento* MAIORIS *filij* Aristoboli *cognomento* Zebedæi, *&* Mariæ Salomæ, *qui postquàm à Christo vocatus cum* Ioanne *fratre, illi adhæsit, ab illóque Apostolatu donatus, secretiora mysteriorum fidei cum Petro, & Ioanne tantum munia percipere meruit. Demùm visis Christi miraculis, Passione, Resurrectione, in cœlos Ascensione, & Spiritus-sancti Paracliti aduentu, Galilæam, Samariam, & alias Orientis perlustrans vrbes, verbum Dei prædicans, pòst* Hispanias *aggressus, Occidentalem illam plagam miraculis, & verbo fidei illuminauit, & fidem Apostolus seminauit; donec Ierosolymam reuersus, Iudæorum inuidiâ criminatus ceruices pro fidei obtulit defensione. Cuius sacra pignora à Discipulis in* Hispanias *allata apud* Compostellam *honorificè requiescunt.*

NOTÆ.

FESTVM Annuntiationis B.V.M.] Dies iste, dies magni Nuntij est. Grandis è cœlo hodie ad terras legatio transmittitur. Grandis omnino, & cui à sæculo non est audita similis, neque audietur in posterum. Grandis qui mittitur, Grandis qui mittit, Grandis cui mittitur, Grande negotium, quod legatione tractatur. *Gabriel* vnus ex supremis Principibus, à *Deo* omnium conditore destinatur, ad *Virginem* MARIAM, nobilem, & ex Regali genere ortam. *Negotium* vero quod agitur magnum est, & tali legatione dignissimum. Talem sibi Matrem delegit *Vnigenitus Dei filius*: Cœlestis gloriæ Princeps eam adamauit; *Paranymphus* destinatur ad *Virginem*, vt assensum connubio præbeat. Ab illa ergo opulenta Hierusalem ciuitate, ad pagum nostrum cœlestis Legatus hoc nuntiaturus aduenit. Hoc est quod agitur, ad hoc Angelus ad Virginem mittitur. O felicem Patriam! O fortunatam tali connubio prosapiam! O diem mundo festiuam! perpetuo ritu, tota veneratione colendam; O soror nostra, os de ossibus nostris, & caro de carne nostra, cœlorum Principi nupsit, ad regalis gloriæ fastigium conscendit. Quis non gaudeat? Quis non affectu totus deliquescat? Gaudeat vicus noster tanto hodie subleuatus fastigio. Gaudeat terra nostra tanto sublimata connubio. Lætentur cœli, exultet terra, orbis terrarum, & plenitudo eius, ante conspectum tanti Domini, quia venit diues ad pauperes; potens ad ignobiles, sublimis ad miseros, nostrum nobilitare genus, nostram honorare familiam. Ob huius ergo tanti Omnipotentis facinoris obsequium, ab Apostolorum temporibus, vt inquit P. Anton. Velinghen *in Kalend. Marian. h. d. num. 1. fol.* 154. Bonifac. *in Histor. Virginal. lib. 2. cap. 5.* Hyppol. Marrac. *in Apost. Marian. cap. 1. fol. 18. & 19.* ex B. Alano Rupens. *in Apolog. pro Rosar. B.V. cap. 15.* Idem Marrac. *in Pontif. Marian. in Honor. III. c. 52. fol.* 106. hæc fuit instituta festiuitas, quam ab Illustrissimo nostræ regionis Apostolo, Doctore, Patrono *Iacobo*, tanquam de Virgine Matre benemerenti accepisse nostros fatendum est; quia anno Domini DCLVII. in *Toletano X. Concilio. Canon. 1.* agitur de assignando die huius festiuitatis, quia ab aliquibus retrò sæculis propter Quadragesimæ occurrentiam in Ecclesiarum Hispaniæ officiis, diuersis colebatur diebus. Hanc festiuitatem vario calamo ex nostris Hispanis affectuosa

Mysterium huius festiuitatis.

A Iacobo festiuitas hæc Hispanis, vt creditur, demonstrata.

In Concilio Toletano assignatur dies cultus.

fectuosa doctrina concelebrat plurimorum. Quorum catalogum adhuc MS. consarcinant nonnulli Hispani Scriptores, inter quos Petr. de Leon *in suo de Scriptor. Marian.* & P. F. Ieronymus de S. Ioseph *in sua Bibliot. Marian.* nondum excusis. Huius *Annunciationis* mysterium eleganti carmine descripsit *P. Emanuel Piment.* Lusitaniæ decus, *lib. 2. Poëmat. fol.* 41. Cuius epigrammata quia nobilia, & codex rarus, pro huius diei illustratione, & à Viro Hispano confecta exscribere proposui, sic:

DE ANNVNTIATIONE ANGELICA.

Missus est.

Magna mouens animo, magno demittit Olympo
Aligerum, magnus, qui regit astra Pater.
Magnus, & à Magnis cœlestibus aduolat Ales,
Nuntiáque à Magno Magna Tonante refert.
Virginis in Magna descendit ab æthere sedem,
Et stupet ad Magnum Virginis ille decus.
Expectare aliquid fas est super omnia Magnum:
Tot Magna peragunt cùm noua cœpta manus.
Prome sonos Ales, noua nuntia prome; Quid vrges?
Aligeris Verbum si rapit ista Deum?

Angelus Gabriel.

Numinis imperijs humana negotia tractas;
Aliger aëriâ qui petis ima viâ.
Longum iter emensus nostrum procurris in orbem:
Immensæque sumus nos tibi causa viæ.
Faris; ad affatus miracula mille sequuntur;
Virgo parit: partus non sine flore sui.
Te duce, captiui niueo redimuntur ab Agno,
Sanguinis expensas, quas dabit ille, paras.
Funestum imperium mors importuna tenebat
Imperio mors est, te duce, pulsa suo.
Debemus, verum est, donum immortale mereris:
Pro meritis merces sed datur æqua tuis.
Non magis exoptes, sit pro mercede superba,
Mira quod Augustæ Virginis ora vides.

In Ciuitatem Nazareth.

Antè vno fuerant tantum mihi nomine flores,
Floribus è geminis nunc mihi nomen erit.
Flos est bella Parens, Flos est bellissimus Infans
Bella nimis Genitrix, bellulus ore Puer.
Cedite Pæstani, pulcherrima nomina, flores;
Plus mihi de gemino flore decoris adest.

Ad

Ad Virginem desponsatam Viro.

De desponsata Verbum vult Virgine nasci,
Ne Matrem fœda quis male labe notet.
Tam bene consuluit niuea qui Matris honori,
Maternos titulos prætulit ille suis.

Cui nomen erat Ioseph.

Virginis Augustæ thalamis dignate superbis,
Dauidis antiquo stemmate, clare Senex.
Coniugis exulta thalamis, & dote triumpha;
Nam caret hæc simili, quàm caret illa pari.
Si Natum aspicias, dotésque in coniuge, dices,
Coniuge, vel Nato par mihi nemo fuit.
Inuidiam cœlo facio: si posset, Olympus
Mutasset nostrâ se, suáque astra, domo:
Déque meo fiet, res mira, beatior; æther
Diuitijs discet ditior esse meis.

De domo Dauid.

Occupat immensum ramis felicibus orbem
Regia Dauidico stipite nata domus.
Pro flore Heroas generoso è sanguine, Reges
Famosósque gerit clara per arma duces.
Hos super assurgit sceptro inuidiosus auorum
Iosephus titulis clarior ipse suis.
Non populos regit imperio, rexisse Tonantem,
Et seruasse Deum, gloria summa viro est.

Et nomen Virginis MARIA.

Quod non Amphion, quod non Rodopeius Orpheus
Præstitit, audito nomine Virgo, facis.
Saxa nec Amphion, nec robora transtulit Orpheus,
Nec tenuit lapsus prætereuntis aquæ,
Nominis ad sonitum tractus Polus, & vagus orbis,
Et quotquot nigra sub Styge monstra latent.
Ne quid sit, Virgo, quod non traxisse feraris
Nominis ad sonitum vult Deus ipse trahi.

Et ingressus Angelus ad eam.

Virginis augustæ penetralia sacra Minister
Dum videt, Augustos procidit ante pedes.
Quod facit hic vnus, totus fecisset Olympus,
Nec satis obsequijs totus Olympus erat.
Qui tamen obsequijs vestigia pronus adorat,
Ostendit, quo sit Virgo colenda modo.

Gratia plena.

A Patre Oceano naſcuntur flumina, Virgo:
Larga fluit manibus gratia nata tuis.
Plena per Auguſtos prorumpunt flumina vultus,
Pérque oculos vndant flumina, pérque genas.
In te diues opum Deus inclinauit Olympum,
Eſſet vt ad natos copia larga tuos.
Diues es ô Genitrix, natum me gratia fecit,
Dum tu diues eris, non ego pauper ero.

Turbata eſt.

Dicitur aſpectu Virgo turbata virili,
Tanta verecundi cura pudoris erat.
Aligeris aſſueta choris, diſſueta viriles
Cernere conſpectus, caſta columba timet.
Aliger eſt, Virgo: mentita veſte miniſtrat:
Non venit, vt fallat: quid noua damna times?
Sed cauſam didici, ſuccurris fœmina mundo:
Fœmina non metuit prima, ſecunda timet.

Cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.

Qualia non vidit potiora negotia mundus,
Aliger, & Virgo ſacra latenter agunt.
Abdita ſæclorum tractant myſteria: Virgo
Differt aſſenſus ingenioſa ſuos.
Virgineo melius quo conſulit illa pudori,
Hoc melius Matri conſulit ipſe pudor.
Fidite mortales; lapſus reparabitur orbis,
Suſpenſum quando cauſa pudoris habet.

Ne timeas MARIA.

Diligeris cœlo; quid candida Virgo tremiſcis?
Dulcis, opes dulces quærit amoris, Amor.
Gratia degeneres neſcit generoſa timores,
Numen ſubſternit iam tibi, pone metus.
Nil eſt quod timeas, tutam timor hic facit, illa eſt,
Quæ timida, haud timeat, ſola Pudicitia.

Inueniſti gratiam apud Deum.

Excipis ô quantum, Regina Auguſta! refundes
O quantum, terris de locuplete ſinu!
Prodiga cœleſtes tibi gratia fundit amores,
Prodiga delicias Sidem amica ſuas.
Inſtauratorem ſæclis dabis, impulit oris
Gratia cœleſtes deſeruiſſe choros.

Quæ totum superis prædaris gratia Olympum,
Totum vt prǽderis, gratia præda tua est.

Ecce concipies.

Ter felix summum cui concepisse Tonantem
Fas fuit, & summum cui genuisse Deum.
Quàm noua conceptus forma est, quàm nescia culpæ,
Quàm noua prægnantis gloria, quantus honor!
Cura Parentis abest; non sunt fastidia; nullus
Est dolor, haud gremium dulce fatigat onus.
Non sine delicijs labuntur ab æthere dulces
Deliciæ; hoc hospes deliciosus agit.
Intrat, & ingressus vestigia nulla relinquit:
Exit, & egressus integra claustra beat.
Non est humanus: diuinus at hospes habendus,
Qui venit absque aditu, qui redit absque viâ.

Et paries Filium.

Numinis æterni tibi pignora credit Olympus,
Nemo erit officio par tibi, nemo thoro.
Fas erit amplecti, fas dulcia figere labris
Oscula, Virginei fas dare lactis opem.
Stringere fasciolis fas membra tenerrima, necnon
Numen ad arbitrium ducere Virgo tuum.
Aligeri infantem sub maiestate tremiscant;
Olli arridebis blandior, ille tibi.
Prole sacra exulta Genitrix lætissima, quando
Iam tibi communis cum Patre natus erit.

Vocabis nomen eius
IESVM.

Parturies salua de Virginitate salutem,
Constet vt salua Virgine nata salus.
Nomina testantur, de nomine facta salutis,
Quam grauis in Puero cura salutis erit.
Nomine iam sacro se toti oppignorat orbi;
Et faciet certam sanguinis imbre fidem.

Dixit autem Maria ad Angelum.

Eia, age, responde; reparandus spectat Olympus:
Fœta atauis sperant Tartara, sperat humus.
Blanda miser sperat solatia, lumina cæcus,
Captiuus pretium, vincla soluta reus.
O quantum poteris verbo fecisse vel vno!
Pendet ab arbitrio vitáque, mórsque tuo.

Eſt non viſa prius tàm rara potentia; Verbo
De Styge damnatos ſoluere poſſe reos.

Ecce Ancilla Domini.

Nobile ſeruitium, ſuperis quæ ſeruit, Olympi
Imperio digna eſt, ſceptráque digna gerit.
Induit æternum mortali corpore Verbum,
Eſt thronus æterni Numinis ipſe ſinus.
Non plus maieſtas potis eſt creuiſſe; minores
Seruitio titulos ſed putat eſſe ſuos.
Dum ſibi fortè datum minuit, duplicatur, & inde
(Non aliter poſſet creſcere) creuit honor.

Fiat mihi ſecundum verbum tuum.

Arſit vbi ad formæ miracula Rector Olympi
Verbum ait. Hæc fiat ſi mihi forma, placet.
Huic ſimili fiam, cum verba ſimillima fient:
Verbum, quo Verbum ſim caro, Fiat, erit.
Verbum ergo expectat Verbum: Verbumque viciſſim
Numinis, & ſacræ Virginis ore fluit.
Prodigium ſimile eſt Virgo, Numenque loquuntur,
Vel pariter, ſacro vel ſimul ore ſilent.

Hactenus doctiſſimus, piiſſimus, & in Virginis amorem languens Luſitanus, qui faciliter myſteria cecinit, & feliciter ſacramenta huiuſmodi concinnauit. Sed quia ex Scriptoribus Hiſpanis totum huius diei penſum teramus, C. *Iuuencus* Sanctiſſimus Preſbyter Cæsarobrigenſis Vettoniæ, cuius ſacram poëſim toto orbe commendatam conſpicimus, in huius ſolemnitatis ſymbolum nonnulla illuſtria nobis xenia liberaliter elargietur, *in lib.* 1. *Euangel. Hiſtor.* Qui poſt legationem à Gabriele ad Zachariam Ioannis Patrem factam, ſic exorditur.

B. Iuuencus Hiſpanus de hoc myſterio carmen ſcripſit.

Tunc maiora dehinc idem mandata Miniſter
Detulit ad MARIÆ *demiſſus Virginis aures.*
Hæc deſponſa ſuo per tempora certa propinquo
Abdita virgineis caſtè pubeſcere tectis,
Et ſeruare diem iuſſit permiſſa Parentum.
At quam tranquillum ſermonem Nuntius inſit:
Salue progeniem terris paritura ſalubrem,
Deſine conſpectu mentem turbare verendo;
Nam tua concipient cœleſti viſcera iuſſu
Natum, quem regnare Deus per ſæcula cuncta,
Et propriam credi ſobolem gaudetque, iubétque.
Huic vbi ſub lucem dederis ſit nomen IESVS.
Ad quem Virgo dehinc, pauido ſic incipit ore:
Nullos conceptus fieri ſine coniuge dicunt,
Vnde igitur ſobolem mihi nunc ſperabo venire?
Nuntius hæc contra celeri ſermone profatur:

Virtus

Virtus celsa Dei circumuolitauit obumbrans,
Spiritus & veniet purus, lectissima Virgo,
Ac tibi mox puerum casto sermone iubebit
Magnificum gigni, populis quem credere sanctum
Supremíque Dei natum, vocitare necesse est.
Sic cognata tibi, sterilis, quæ credita cunctis
Zachariæ coniux, mortali germine nuper
Æuo defessis auxit miracula membris.
Sextus adest mensis, parent sic omnia iussis.
Virgo dehinc: Domino famulam nunc esse iubenti,
Vt tua verba sonant cernis seruire paratam.
Nuntius abscedens vacuis se condidit auris.

De hac festiuitate agunt *Græci* in Menologio, *Beda*, *Vsuardus*, *Ado*, *VValdembertus*, *HRabanus*, *Notkerus*, *Felicius Peregrinis*, *Maurolycus*, *Galesinus*, *&* *Ferrarius*, *Petrus Equilin.* & M. R. *Lusitanum*, & *Castellanum*, & omnes ferè Martyrologiorum Scriptores, cum Sanctoralibus. In Antiquo Muzarabum Missali, à *B. Isid.* & aliis Hispaniæ Præsulibus conscripto, hæc Missa habetur.

MISSA IN FESTIVITATE Annuntiationis, quæ dicitur, de la O.B.V. MARIÆ *ex Missal. Muzar.*

ERIGAMVS *quæso fratres charissimi in sublime oculos nostros, visuri gloriam Saluatoris. Quomodo Virginem dignatus, vt concipiat; quomodo remuneratur matrem, vt pariat. Ipse, & munus factus, & filius, qui & infusus confert, quod deerat; & effusus non aufert, quod donarat. Qui nec gerentem honore fraudat; nec genitricem labore contristat. Qui & nascendi abiugat gemitum; & nati consignat affectum. Neque enim fas erat, vt haberet illa suspiria, quæ omnium gaudium pariebat; aut origo exultationis nosceret vim doloris. In recensu peccatoris sermonem credulitas calefecit, indubitatúmque verbum stringit auditus, & ad virtutem Dei spem repromissionis fides secura conglutinat. Sic concepit animus, quod credidit; sic impleuit spiritus quem elegit; vt in Redemptore nostro non distaret hominis veritas, sed potestas. O ineffabilis diuinitatis opera, sic interior portio additæ virtutis sensit augmentum; ne exterior statum integritatis amitteret. Vnigenitus filius Dei in maternis visceribus pariendi viam, nec inuenit, nec reliquit: sic conceptus, atque editus signat Virginis vterum, non resignat. In quo, quantum ad remedium salutis nostræ pertinet, ipsa natura victoria est. Nam aduersarium hominis partus superat, qua cum in conceptione mysterij didicit regnaturum. Talis itaque homo habet vitæ potestatem, qua alios muneratur, qui eam non accepit aliunde, quâ vtitur. Nec mirum est, cùm nascendo, reciperet quos creauit; qui antequam nasceretur, habuit quos redemit.*

ORATIO.

DOMINE *Iesu-Christe, qui ita verbum, caro, factum est, vt & conceptionem tui, virginalis vterus, Altissimi obumbratione susciperet, & ad pariendum te, porta materni corporis non pateret: solemnitatis huius obsequia, propitius suscipe, ac nostrum quoque cor dignatus ingredere. Tibi soli sit peruium, cui soli id esse cupimus preparatum. Vt cum nostrarum men-*

tium puritatem, beneplacitam tibi ipſi feceris, operis tui cuſtos, & perpetuus habitator eſſe digneris.

INLATIO.

DIGNVM, *& iuſtum eſt. Nos tibi Omnipotens Pater gratias agere. Si debitoribus, qui reddere debeant dignatus fueris prorogare, per Ieſum-Chriſtum, filium tuum, Dominum noſtrum; ex te Deo Patre ſine initio natum, tibique indifferenter, atque indemutabiliter coëternum, ac per omnia coæqualem; non adoptione, ſed genere; nec gratiâ, ſed naturâ. Qui in utero ſanctificata, ſancta, ac Virginis clementer illapſus, & ſine ulla ſorde peccati ineffabiliter natus. Vidi virginem, ut matrem ſe diceret, aut virginem, quid eligeret dubitabat. Quia duplex homo in formam hominem ligabat. Includitur intra hominem Deus, cui totus paruus eſt mundus; illic tenebatur utero matris; illic tecti pudoris pulſatur, tumoris inuidia, & ſecura eſt conſcientia. Maternum nomen accepit, & damnum virginitatis neſciuit.* MARIA *quid agis? Elige iam quid voceris. Sic caſtitatis poteſtas obumbrari, nec virginitas aliquando mentiri. Tuus eſt enim uterus, & alienus eſt partus. Nouum denique miraculum vidi in virgine, ut nomen virginitatis non amitteret, nec genitricis ferre pondera didiciſſet. Hæc ſola meruit ferre Deum, poſt cælum, & ſola meruit Virgo inueniri poſt partum. Hæc ſola meruit Deum, & hominem: Deum imperijs ſuis, lacte uberis portat. Hunc diem nobis, quem deuotiſſimè celebremus inſtituit; & homo redimendis hominibus factus, de ſecreto utero virginali immaculatus emicuit. Nuntiatus eſt concipiendus ab Angelo, conceptus fidei ſingularis arcano, & natus ſine ullo peccato. Cuius fuit ſolius ſine corruptione, noua, & inuſitata conceptio, & ſine dolore de matre virgine, inuiolabilis partitudo. Huic ſolùm poßibile fuit ſine ſemine mirabiliter concipi, & ſine corruptione feliciter naſci. Propter quod, eundem Saluatorem noſtrum, Vnigenitum tuum, tecum ſemper, & cum Spiritu-ſancto regnantem, cæli cælorum, & Angelicæ poteſtates ſine ceſſatione conlaudant.* Sanctus, &c.

Hucuſque *Miſſale Muzarabum*, in quo licet aliæ Orationes exiſtant, at quia eadem continent, ac iſtæ, lubenter omiſimus. In *Breuiario* antiquiſſimo *Compoſtellano*, quod vitellinis exaratum foliis in Noſtra Bibliotheca adſeruatur, hæc tantùm hoc die Legenda conſpicitur.

LEGENDA IN FESTIVITATE Annuntiationis B. V. MARIÆ, *ex Breuiar. S. E. Compoſtellanæ.*

NOVVM *quidem Canticum illud, quod ſolis dabitur in Regno Dei cantare virginibus, ipſam Virginum Reginam cantare cum cæteris, imò primam inter cæteras eſſe cantaturam nemo eſt, qui ambigat. Puto autem illam, præter illud, quod ſcilicet, cum omnibus tamen Virginibus, ei ut plus commune erit, dulciori quodam, & elegantiori carmine, lætificaturam eſſe ciuitatem Dei. Cuius iam dulciſonos depromere, vel exprimere modulos, nec ipſarum quidem Virginum ulla, digna inuenitur, quia ſola merito detoranda ſeruabitur, quæ ſola de partu diuino gloriatur. Gloriatur dixerim de partu, non in ſe, ſed in ipſo, quem peperit: qui matrem ſuam ſingulari in cæleſtibus donaturus gloria, ſingulari in terris præuenire curauit & gratia: qua videlicet ineffabiliter, & intacta conciperet, & pareret incorrupta. Porrò Deum huiuſmodi decebat natiuitas, quòd non niſi de Virgine naſceretur. Talis congruebat & virgini partus, ut non pareret niſi Deum. Proinde factor hominum, ut homo fieret, naſciturus de homine, ſibi talem ex omnibus debuit eligere, imò condere Matrem, qualem & ſe decere ſciebat, & ſibi nouerat placituram. Voluit itaque eſſe Virginem, de qua immaculata,*

immacu

immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus. Voluit humilem, de qua mitis, & humilis corde prodiret, harum in se virtutum, nuntium omnibus, saluberrimumque exemplum ostensurus. Dedit ergo Virgini partum, qui etiam ante, & virginitatis spirauerat votum, & humilitatis prærogauerat meritum. Alioquin quomodo Angelus eam in sequentibus Gratia plenam, *pronuntiat, si quidquam vel parum boni, quod ex gratia non esset, habeat? Vt igitur quæ Sanctum Sanctorum conceptura erat, pariter & paritura, sancta esset corpore; accepit donum virginitatis, vt esset & mente, accepit humilitatis. His nimirum Virgo Regia, gemmis ornata virtutum, geminoque mentis pariter, & corporis decore præfulgida, specie sua, & pulchritudine in cœlestibus cognita, cœli ciuium in se prouocauit aspectus, ita vt & Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret, & cœlestem nuncium ad se de supernis educeret. Et hoc est quod nobis hic Euangelista commendat, cùm* Angelum *perhibet à Deo destinatum ad* Virginem. *A Deo inquit ad virginem, id est à Celso ad humilem; à Domino ad ancillam; à Creatore ad creaturam. Quanta dignatio Dei, quanta Virginis excellentia! Currite matres, currite filiæ, currite omnes quæ post Euam, & ex Eua parturimini cum tristitia, & parturitis. Adite virginalem thalamum, ingredimini si potestis pudicum sororis vestræ cubiculum. Ecce enim Deus mittit ad Virginem, ecce affatur Angelus* MARIAM: *apponite aurem parietis, auscultate quid nuntiat ei, si fortè audiatis, vnde consolemini.*

Hactenus *Legenda* Compostellani Breuiarij, quam etiam reposuit aliud eiusdem Apostolicæ Ecclesiæ de Anno 1569. cum hoc titulo: *Bernardus super Missus est.* Hinc colligitur, quod hæc *Legenda* ex Sermone *Bernardi* desumpta est. Sed cuius *Bernardi?* Inter opera Abbatis Claræuallis Sanctissimi hic editus sermo circumfertur: idcirco illius semper creditus, & citatus.

Hæc Legenda ex B. Bernardo Abbate.

IN alio peruetusto *Missali MS.* etiam vitellinis pellibus conscripto apud me adest Prosa, in huius festiuitatis celebrationem, sequentis tenoris.

Mittit ad Virginem
Non quemuis Angelum,
Sed fortitudinem,
Suum Archangelum,
Amator hominis.
Fortem expediat
Pro nobis Nuntium,
Naturæ faciat
Vt præiudicium
In partu Virginis.
Naturam superet
Natus Rex gloriæ,
Regnet, & imperet
Et zima scoriæ
Tollat de medio.
Superbientium
Terat fastigia,
Colla sublimium
Calcans vi propria,
Potens in prælio.

Foras eijciat
Mundanum principem,
Sponsamque faciat
Secum participem
Patris imperij.
Exi, qui mitteris
Hæc dona differe,
Reuela veteris
Velamen literæ,
Virtute nuntij.
Accede, nuntia,
Dic, AVE, *cominus,*
Dic, PLENA GRATIA,
Dic, TECVM DOMINVS,
Et dic, NE TIMEAS,
Virgo suscipias
Dei depositum,
In quo perficias
Casta, propositum,
Et votum teneas.

Audit, & suscipit
Puella Nuntium:
Credit, & concipit,
Et parit Filium
Sed admirabilem.
Consiliarium
Humani generis,
Et Deum fortium,
Et Patrem posteris
In pace stabilem.

Natura premitur
In partu Virginis,
Rex Regum nascitur
Vim celans numinis,
Sed Rector superum.
Qui nobis tribuat
Peccati veniam,
Reatus diluat,
Et donet patriam
In arce syderum. Amen.

Cur Christi Incarnatio hoc die?

Sed nunc aliquas quæstiones circa huius festiuitatis exordium interseremus, & breuiter expediemus, vt muneri pareamus. I. Agitur hoc die, istius mysterij memoria, quia ipso hæc Angelicæ prouenit Annuntiationis emissio, & isto conceptus Dominus creditur, vt ex auctoritate Ecclesiæ probat August. *lib. 4. de Trinit. cap. 5.* his verbis: *Sicut à Maioribus traditum suscipiens Ecclesia custodit auctoritas*, Octauo *enim* Kal. April. *conceptus creditur, quo & passus.* Eadem repetit, *quæst. 56.* S. Ioann. Chrysost. *in c. 1. Lucæ*, vbi rationem reddit cur tali die fuerit conceptus, dicens: *Fuit igitur quando hac Angelus ad* MARIAM *annuntiauit* VIII. Kal. April. *qui & ipse est dies æquinoctialis ad inchoationem lucis. Iam enim detersâ caligine à mundo, lux in mundum adueniebat, sicut* Ioannes *in Epistol.* dicit: Quia tenebræ transierunt, & lumen verum iam lucet. Et post pauca prosequitur: *Conceptus est Dominus Noster* VIII. Kal. April. *Mense* Martio, *qui est dies Pascha, Passionis Domini, & Conceptionis eius.*

Cur in Martio?

SECVNDA *ex* Athanasio in Quæstionibus ad Antiochum eliciemus. Iste quisquis illarum Author est, & B. Athanasio tribuuntur, *in quæst. 17.* sic habet: *Quare XXV. Mensis* Martij *die, in vtero Virginis clausus habitare cœpit Christus, & Deus Noster veniens in terram?* Responsio: *Quia eodem die in mundi principio Deus creauit Adam. Hinc est, quod in hoc ipso Mense, omnes arbores, & herba, animalia item ad proferendum fructum, & ad liberos procreandos commouentur, tanquam à Deo hoc tempore creata sint.* Eadem Vener. *Beda*, Alcuinus *lib. 1. de Diuin. Offic. c. 1.*

Qua hora hæc acta fuêre?

TERTIA, quo tempore huius diei incarnatus fuit Dominus? Azorius *tom. 2. Inst. Moral. lib. 1. c. 17. q. 3.* & 4. docet Christum incarnatum fuisse Feria VI. post mediam noctem. Cui consentit Maximilian. Sandæus *in Mar. Patron. Orat. 3.* vbi latè disserit, quotâ temporis, nocturni, aut diurni horâ, Angelus eam salutatum venerit. De quo etiam plura apud Ludolfum Saxon. *in vit. Christ. 1. p. c. 5.* S. Antonin. *4. p. Summ. tit. 15. c. 9. §. 4.* Adrichom. *in Chron. Ann. Mundi* 3960. Hinc elicies ô tu Catholice, quanto teneatur errore *Matthæus Beroaldus* hæreticus, & damnatus, cuius nomen expressimus vt damnetur, qui *lib. 3. & 4. Chron.* contendit Christum conceptum die XV. Decembris, & natum XV. Septembris.

Error Beroaldi hæretici.

Quãto tempore post desponsationem cum Iosepho?

QVARTA, Quo tempore post Virginis desponsationem cum Iosepho, hæc fuerit facta Annuntiationis Angelicæ expeditio? In varias itur sententias. Petr. Auratus *in Offic. Eccles. de Desponsat. B. V.* Paulo III. Pont. Max. dicato, *in Epistol. Dedicat. data Lutet. Paris. Prid. Kal. April. Ann.* 1546. contendit factam esse desponsationem huiusmodi die XXII. aut XXIII. Ianuarij; ideóque, Annuntiationem factam fuisse colligimus post duos menses à desponsatione. Cedren. *in Chron. Ann. 48. Aug. Imperator.* scribit B. Virginem, sex Mensibus post desponsationem, à Gabriele lætum de salute mundi nuntium accepisse. Euodius in *Epistola*, quam *Lumen* inscripsit, & refertur à Nicephor. *Hist. Eccl. lib. 2. c. 3.* asserit hanc salutationem Angelicam factam esse post quatuor Menses à desponsatione Ioseph. Cui opinioni subscribunt Canis. *de B. Virg. c. 1.* Castro *Hist. Deipar. c. 4. n. 14.* Luc. Pinell. *in Meditat. Virgin. in Hist. de Annuntiat.* Carol. Stengell. *Hist. S. Ioseph. c. 2.* Ioann. Laur. *de Annul. Deipar. fol.* 10.

An festiuitas festũ Christo, an Virgini annumerandum?

QVINTA, An propriè hæc festiuitas B. Virgini, an Christo Domino attituletur? Et quod vtrique promiscuè, & communis festiuitas consignetur, Catholicorum sententia est, vt ex peruetustis Martyrologiis liquet, vbi à multis *Incarnatio Christi*, ab aliis *Annuntiatio Dominica* vocitatur; vt notauit P. Iacob. Gretser. *in Fest. Christ. lib. 2. c. 3. fol* 270. qui pulchrè contra *Hospinianum* hæreticum inuehitur, qui festum *Annuntiationis* hodie in solius Virginis honorem, ac memoriam celebrari, mentitur. Cui commento aduersatur Officium Ecclesiasticum huius diei. Hincque Græci inter *δεσποτικὰς ἑορτὰς*, hoc est, Festa Christo dicata ponunt, *εὐαγγελισμὸν*, seu, vt aliqui appellant *χαιρετισμὸν*, hoc est, diem quo Verbi diuini conceptio Virgini annuntiata fuit, cum illa salutatione AVE GRATIA PLENA. Qui de antiquissimo Hispaniæ cultu testatur.

Hospiniani heretici error.

An hæc festiuitas maior alys.

SEXTA, An inter Christi celebritates, hæc major sit, cum humanæ Redemptionis fuerit exordium? Athanas. *in Sermon. de Incarnat.* asserit hocce festum primarium esse ex Dominicis festis, & prorsus venerandum, vtpotè, quòd pro ordine, & digestione rerum, quæ in Euangeliis de Christo prædicantur, Sacrosanctum habetur, quippè in quo de Filij Dei è cœlis descensu, agitur. Eadem, & sublimiora S. Brun. *in eod. serm.* Durand. *in Ration. Diuin. Off. lib. 7. c. 1. n. 31. & n. 37.* vbi hoc festum, quasi fontem, & originem omnium Christi festorum vocitat. Cui subscribit Rodulf. de Riuo *in Kalend. Eccles. General. h. d.* Franc. Mayro, ab Spinell. *in Mar. Deip. c. 8. n. 14.* citatus, Nouem rationibus docet hanc solemnitatem, omnes Christi cæteras præcellere, quas studio breuitatis omisimus.

Quare illi præfertur Natiuitas.

SEPTIMA, Vt quid cùm sit hæc festiuitas omnibus celebrior, Natiuitas Domini in Ecclesia solemniùs celebratur? Cui quæsito respondet P. Suarez Noster *lib. 2. de Religion c. 3.* his verbis: *Quamuis festum* Incarnationis, *si secundum se spectetur, summæ dignitatis, & lætitiæ inter omnia quæ ad humanitatem Dei pertinent, esse videatur: tamen quoad nos non videtur donum illud perfectè collatum, vsque ad Virginis partum, & ideo quoad exteriorem lætitiam, solemniùs illa* Natiuitatis *festiuitas celebratur, & ob eandem causam festiuitas illa præcipuè ad* Christum, *hæc verò ad* Virginem *referri videtur, vt in Ecclesiastico Officio cernere licet.* Hæc Suarez, à quo Spinell. *vbi supr. n. 16.* Alias plures Quæstiones inserere possemus, veluti de *Miraculis* in huius mysterij perfectione peractis, quæ si Lector perquirere satagit, adeat Coluener. *in Kal. Marian. h. d. fol. 253. n. 7.* Canis. *lib. 3. c. 22.* & Berlaymont. *in Paradis. Pueror. 1. p. c. 4. §. 4.* De *Gaudijs B. Virginis*, quæ apud Pelbertum *in Stellar. lib. 1. p. 6. art. 3. cap. 3.* videbit. Et de tempore, quo Christus in vtero extitit Virginali, quod per CC. LXXVI. dies extitisse fatetur Coluener. *vbi supr. n. 8.* sed omnia breuitatis caussa dimisimus. Sed pro coronide duo tibi Carminum fragmenta è duobus Hispaniæ Nostræ accolis, huius mysterij successum concinentia suppeditabimus. Primum ex Talichristia *Aluari Gomezij* Toletani Codice excuso, sed raro, *lib. 5.* in fine, & *in exordio 6.* Secundum ex *Henrrico Coquo* Gorcomio apud Nostras homopolo ex *Christomachia c. 2.* quod opus cum cæteris Authoris in Nostra Bibliotheca MSS. seruamus. Illius en carmina:

Quæ miracula h. d. euenêre?

Quæ gaudia Virgini accreuêre?

Quot diebus in vtero extitit Christus?

Tempus erat summi promissum munere doni
Quod fuerat; superis quo lux & gratia Regni
Deueniat; miseros & flammâ, & sanguine mersos
Quæ leuet; & turbas squalenti puluere iactas.
Suscitet; & busto maternæ cladis acerbo
Sanguinis ob dulcem, sint fusa piacula, fontem.
Angelus à Domino Gabriel demittitur alto
In Nazaretheos ducturus nuntia campos,
Quæ mare, quæ terras, quæ totum dulciter orbem,
Quem primæua nigro clauserunt crimina ponto,
E luctu ad superi reuocassent gaudia Regni.

Virginis gratia.

Ioseph sponsa Dei Genitrix electa Beato.
Tunc erat: Vna Deo Genitrix quæ digna, paratus
Cui Pater est rerum, quod sit sibi filius; Vna
Nobilior cœlis, cunctisque nitentior astris
Vna, potens vera diffundere gaudia vitæ
Cum pariat, pretiosa, bonis pulcherrima cunctis
Vnica; cui summus potuit, quæ munera natus
Cuncta dedit, mœstos lætantia carmina vultus
Illa legens, populis patria quæ clade peremptis
Promisere Deum, tergenda in crimina natum.
Angelus hancque petit; quòd ad hanc Deus ire volantem
Iusserat, infernæ quod ferret signa ruinæ.
Armáque sub stygijs ventura potentia campis
Paruit, ecce casam simulato corpore lætam

Angeli salutatio.

Introit, ad Dominam loquitur sic: AVE MARIA.
Plenè chara Deo, Dominus tecum altus, & inter
Fœminæum sexum summè es benedicta. *Loquentis*
Vocibus in medijs, turbata est Virgo. Sed vnde,

Turbatur Virgo.

Vnde timor Genitrix? Vnde istum, Sancta, ruborem
Fers roseis tremefacta genis? Audire nouúmne est
Angelicos tibi Virgo sonos? inopináve surgit
Cœlorum vox ista, Parens, cui constat vbique

Quare hæc turbatiet

Æthereos cantare choros, Dominúmque supernas
Excubias læta circumseruare corona?
Quem metuis socium tenuisti, ex ventre, nec vnum,
Sed plures turba numerosáque castra beata.
An quia corpus habet, finitáque membra, creatus
Sicut homo, formámque paues, faciémque virilem?
Virginis est trepidare metu, casúsque loquentis
Vocem horrere viri: sed cur mortalia corpus
Ora timet Domini seruatum numine? curve
Custodita Deo taceas nunc territa Virgo?
Virgo times hominem, quæ vinces tartara, quam nunc
Horridus inferno formidat lusor in antrò?
Ht cur Dira metus? Regi tuà namque voluntas
Si paret magno, Regni en cœlestis origo,
Te sine non charum sacratis mittere verbum
Visceribus voluit vere illustrissima, quis te
Virginitatis ea queat exturbare corona,
Quà venias nitidi super alba cacumina Regni?
Quis tibi, nostra salus furijs agitatus iniquis

Vincula-

Vincula vel fraudem, vel sæua inferre parauit
Vulnera, funestis manibus; si summa potestas
Consensus petit ipsa tuos, & dulcia verba
Quærit, vt his nostra vanescant semina culpæ.
At Virgo stupuit, proprijs quia laudibus hæsit
Lingua pauens, quoniam pudor igneus vltima secum
Verba premit, turbátque; Sacer tunc Nuntius infit:
Vnica turbantes, ô Virgo, ex mente timores
Excute; nam Dominum iam perdita gratia magnum
Iuxta inuenta tibi, quam longis maxima vitæ
Semina per nostros sparsura est viribus agros.
Concipies vtero Sanctum, pariésque Deíque
Natus erit, Natúsque tuus verissimus; illi
Et sedem Deus ipse dabit Dauidis, erítque
Rex terræ, Rectórque poli, regnabit Iacob
Inque domo, regníque eius non tempora finem
Vlla videre valent, sobolem ventura per omnem.
Hic timor, hic labor est, turbantem & casta pudorem
Nunc reuocat, manet alta fides; nam legerat ante
Virginis esse Deum venturum corpore; credit.
Nec se nosse vetat: sed dignam munere tanto
Non putat; atque fides pariter, paritérque timores
Tela alterna rotant; lacerat fides ipsa timorem:
Et timor ipse fidem pugnabat pellere. Tandem
Voluit terga metus; nonque addubitabat in ipsam
Velle venire Deum: sed formam interrogat, vt sit
Hæc paritura, virum quæ ignorat, virgo superna
Per decreta manens, ceu clari natus Amosi
Vidit; & ipsa sibi placidissima. Nuntius atque
Sic fatur: Magni quæ quondam sancta Magistri
Dextera communem vetuit te nosse furorem,
Ignoti immensam faciet tibi Numinis vmbram
Te intactámque, Potens, supera virtute fouebit;
Quod sis sola satis, Sanctus quoque Spiritus almus
Ipse aget, ipse vices, patris qui singula solus
Actificat coniunctus agens; vt tempore mater
Non expectato parias, Dia germina mundo.
Propterea cœlis nomen sibi comparat altum,
Ventris Virgo tui fructus venerandus. Et ecce
Hic tibi promissum mundi ante secula donum
Séque Deúmque dabit: solum tua verba reposcit,

Causa, quia se laudari cognouit.

Promissionis aliene, & propria diffidentia luctatio.

Non dubitat de Dei promissione, sed quo modo, cùm sit Virgo, opus faciendum est.

Isaias filius Amos.

Conceptio Virginis immaculata.

Virginis consensum exposcit Deus.

Consen

Conſenſúmque petit: nam quamuis poſſet habere
Te ſine te Matrem; non te ſine duxit habendam;
Vt nunc ipſe Potens peragat tua iuſſa Patérque
Qui faciet natus, quique olim voce Patentis
Corda trahet, caſto concluſus corpore, nondum
Hoc agat: Hoc iſtâ ſignum tibi præſtat in hora.
Virgo parens, quocumque feras, redeáſve, redibit
Ipſe comes; nec ſolus erit, nam ſumma poteſtas
Cum ſit perſonis tantùm vna eſſentia ternis,
Vnà aderit, genitórque, ſimul quoque Spiritus, atque
Filius ipſe tuæ facient ea conſona menti
Quæ facient; nam mater eris tu, ſponſa, ſimúlque
Filia Patris, Mater Filij, Sponſa Spiritus-ſancti.
Filia, ſub pedibus cœlos habitura decoros.
Et Pater ipſe ſuam (felicia nomina) Natam.
Spiritus & Sponſam, Genitricem Natus eandem
Accipient. Aliúſque preces, aliúſque beatæ
Coniúgis optantes explebit numine voces.
Iuſſa feret natus, Trias & quæcunque parabit
Eſſe velis. Famulum cur iam memoraris iturum
Me Genitrix? Reſponde Deo. Si perdita quando
Eua per illatum peperit fera funera ſenſum,
Tam citius Regina taces? Quod tardius alter
Credit, & ad magnæ dubitauit munera dextræ
Mutus erit, primæ properatum credere matris
Sic fugias tardare ſenis; túque inter vtrumque
Fer medium Genitrix, homines quæ virgo Deúmque
Concilias, mediúmque dabis, quo humana tenebris
Perdita in æthereos exurgant ſemina tractus.
Dixerat. Alma ſinus attollens Virgo *beatos,*
Ecce ANCILLA DEI fiat tua verba ſecundum.
Et ſilet, & clauſum populis patefecit Olympum.
Homo factus eſt.
Tunc fuit ipſe Deus verbo conceptus in ipſo
Virgine. Tunc regi natura eſt noſtra beanti
Sumpta Deo, carnémque tenens æterna propago.

Hactenus *Aluarus Gomezius.* Nunc *Henrrici Coqui* Gorcomij ex MS. Codice carminum, carmina de huiuſmodi loquentia myſterio dabimus, donec ipſius opera publicam conſpiciant lucem. En Carmina:

Angelus aëriis venit delapſus ab auris
Nuntius, atque Patris magni parêre parabat.
Imperio, & primum pedibus talaria nectit
Aurea, quæ ſublimem alis; ſiue æquora ſupra,

Seu

Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.
Tum virgam capit, atque domum mirans Genitricis.
Vt primum alatus tetigit magalia plantis
Prospiciens summa flauum caput extulit vnda.
Continuò petit ipse domum, quâ hic illius arma,
Hic cursus fuit, vt MARIAM *saluere iuberet.*
Quam Pater intactam dederat natoque parentem,
Et sic lætitiâ fundebat pectore vocem:
O MARIA æternum salue mihi maxima Virgo, *Angelus ad Virginẽ.*
Filius Omnipotens solum se virgine dignum
Vociferans, tibi me claro demittit Olympo,
Regnator cœlum, & terras qui numine torquet,
Ipse hæc ferre iubet celeres mandata per auras.
A te principium, tibi desinet, accipe iussa:
O digno coniuncta viro, dum despicis omnes;
O quam te memorem Virgo, nam non tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat; ô Dea certè!
At verò Genitrix aspectu obmutuit alma; *Maria turbatio.*
Arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæsit.
Ille Dei imperium, & chari præcepta Parentis
Edocet, & quæ nunc animo sententia constet.
Ne timeas (*inquit*) tuus ô Regina, quid optes
Explorare labor, mihi iussa capessere fas est. *Angeli satisfactio.*
Tu mihi quodcumque hoc regni, tu sceptra, Deumque
Concilias, tu das epulis accumbere Diuûm.
Aspera iam positis mitescent secula bellis,
Claudentúrque Iani portæ, furor impius intus
Sæua sedens super arma, & centum vinctus ahenis
Post tergum nodis fremet horridus ore cruento.
At contra loquitur Virgo purissima verbum:
Quisquis es(haud credo inuisus cœlestibus) adsum,
ECCE ANCILLA DEI, fiat quod es ore locutus. *Virginis humilitas.*
Alloquere, & Patri defer mea dicta per auras.
Hæc summa est, humilis tu nostri Nuntius esto.
Ille sed in cœlum paribus se sustulit alis,
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum:
Æternumque Vale, nec plura effatus, ad altos
Tendebat muros, sedes vbi fata quietas
Ostendunt, vbi fas sunt regna resurgere Christi.
Frigida vix cœlo noctis discesserat vmbra, *Verbum caro, factũ est.*
Cùm Ros in tenera MARIÆ *gratissimus aluo est.*

Et

Et Deus Omnipotens fœcundis imbribus æther
Virginis in gremium læta descendit, & omnes
Magnus alit Verbum *in pura* caro *Virgine* factum.
Parcite ab vrbe venit; iam parcite carmina Christus.

Plura apud Exteros carmina de hac festiuitate perleges, quæ in eius illustrationem possent adduci; sed quia instituti nostri ea suprema lex sit, nihil ab illis sed à Nostris elicere, idcò omnia hæc missa facimus, ne volumen in immensum crescat.

B. PASSIO S. IACOBI Hispaniarum Apostoli.] Hoc die passum IACOBVM Nostrum communis sententia est, licèt variè apud *Martyrologos* dies consignetur agonis. At quia methodica speculatione hanc prouinciam percurrere conuenit, & de die, & Anno hîc à Nobis agendum est, idcirco Opinantium sententias, in vtraque comprobationis assignatione iungemus, vt Lectori pateat, quid

Dies martyrij quæ?

opinatum, quid vero tenendum sit. Et vt ad *Diem agonis* deueniamus, *Græci* illum constituunt die *XXX. Aprilis*, hac serie: S. *Apostoli* IACOBI, *fratris Ioannis Theologi, qui propter Christianæ fidei confessionem ab Herode Rege securi percussus est.* Sed hæc *Græcorum* opinio, vt notauit Baron. *in Not. ad Martyrolog. Rom. die 25. Iul. lit. A.* de Translatione intelligenda est, ob Quadragesimalium, siue Paschalium solemnitatum officia; prout Ecclesia Latina effecit, quæ festum huiusmodi ad *XXV. Iulij diem* transtulit, vt notauit Calixt. PP. *de Mirac. S. Iacob. lib. 3. cap. 3.* per hæc

Quare festiuitas ad Iulium translata?

verba: *Merito ergo Sancta Ecclesia solemnitatem Passionis* S. IACOBI, *& Vincula S. Petri præfatis diebus* (scilicet 25. Iulij, & Kal. Augusti) *quia si circa Pascha eadem solemnia celebraret, institutum officium aut Paschale, aut Quadragesimale illius diei, scilicet, quâ eadem solemnia euenirent, indignè dimitteret.* Hinc elicies verum passionis diem, nec *pridie Kalend. May*, nec *VIII. Kal. Augusti* euenisse, sed *VIII. Kal. Aprilis*, hoc est *XXV. Martij.* Quod probant ferè omnes, qui de IACOBO Nostro scripserunt; inter quos primas ferat Flau. Dext. *in Chron. Ann. 42.* his verbis: S. IACOBVS *prædicans acerrimè Iudæis succiso capite, ab Herode, recens Ierosolymam reuersus, nobile martyrium* XXV. DIE MARTII *gloriosè pertulit.* Iulian. Petr. *in Aduers. num. 411. fol. 93.* his periodis: *A tempore* S. *Apostoli* IACOBI *Maioris celebrari cœptum est* (festum) *in Hispania* XXV. die Iulij, *& cum ieiunio quidem peruigilij, ac Octaua; cùm tamen ille passus sit* XXV. DIE MARTII, *id est*, VIII. Kalend. Aprilis, *ipso planè die Incarnationis Dominicæ.* Petr. de Natal. *in Cat. SS. lib. 6. cap. 133.* Petr. Gales. h. d. Claud. de Rot. *in Legend. cap. 93 fol. 63.* cui opinioni subscribunt omnes Hispanicarum Rerum Scriptores, quorum nomina prolixum erit referre.

Codicum Rabâni & Notkeri error.

Vnum hîc errorem in Codicibus *Rabâni*, & *Notkeri* propalare licet, vt euidentiam nostræ sententiæ cognoscas, nam cùm supradicti Authores in suis Martyrologiis h. d. de IACOBO Nostro scribere statuissent, & Nostri agonem describere properassent, nescio quâ ratione perducti, *Iacobum* Ierosolymorum Episcopum, cum Nostro confundunt, & ad hanc diem reponunt, cùm postmodum *Kal. Maij* de ipso, & *Philippo* Apostolis Natalem diem ad longum scriptitent.

Reijciendi qui aliter agonem assignant.

Nec sunt audiendi Marian. Scoth. *in Chron. Ætat. 6. Ann. 48. fol. 364. Tom 2. German. Script.* & Göthofrid. Viterb. *in Chron. p. 14. Ann. 44 fol. 326. Tom. 3. Germ. Script.* dicentes S. Apostolum agonem compleuisse *VIII. Kalend. Augusti*, nec qui à Pineda in *Monarch. Eccles. 2. part. lib. 11. cap. 21. § 4. fol. 54.* referuntur, quorum vnus *Kalend. Aprilis*, alius *VIII. Kalend. Iunij* martyrium pertulisse dixere, quia vt superius probauimus, verum diem passionis S. Apostoli, & Patroni Nostri fuisse

Luc. 6. 12. v. 1.

conuincitur *XXV. Martij*, & probatur efficacius; nam cùm ex *B. Luca* deprehendatur occisionem IACOBI, & Petri vincula euenisse tempore azymorum, his verbis: *Occidit autem* IACOBVM *fratrem Ioannis gladio; videns autem quia placeret Iudæis, apposuit, vt apprehenderet & Petrum: erant autem dies Azymorum.* Ergo perperam ad menses Aprilis, Maij, & Iulij mortem distulere prædicti, quos conuincunt etiam Leo III. Pont. Maxim. *in Epistol. de Translat. S. Iacob. fol. 31.* inquiens: *Ab ipsa Passione Christi in reuolutione anni XI. tempore Azymorum* B. IACOBVS

Apostolus

Apostolus capite plexus est. Quod & firmauit, in *ferm. ad Octau. fol.56.* asserens: *Coronatus est autem martyrio* B. IACOBVS *inter Apostolos primus imminente* Paschali *solemnitate, Anno post Passionem Domini circiter Vndecimo*. Denique hanc istam sententiam probauit, & approbauit Vniuersalis Ecclesia, vt patet ex *Breuiar. Roman. Vrbani VIII.* in quo rescissis contrariis opinationibus, *in Lection.6.* ita legitur: *Cum ipse* (IACOBVS) *circa festum* Paschæ, *primus Apostolorum, Ierosolymis, profuso sanguine, testimonium Iesu-Christo dederit*. Ex quibus auctoritatibus liquidò constat fuisse verum diem passionis S. IACOBI Nostri, *VIII. Kalend. Aprilis*, idcircò non est cur in hoc altiùs insistamus. *Ecclesia hanc opinionē probauit.*

AD Passionis ANNVM deuenio, in cuius indagatione, Scriptores tàm Nostri, quàm Exteri, in varias discissi sententias, vix est, quo securum figas pedem. Eorum, vt clarius coniectationes apprehendas, per Annos illas subiiciemus tumultuariè, & absque confutationis onere, donec Nostram suo loco auctoritatibus comprobatam proferamus. *Annus agonis quis?*

ANNO XXXV. passum *Iacobum* Nostrum, hoc est in principio anni Ascensionem Christi sequentis, contendit Barthol. Chassan. *in Catal. Glor. Mund. 3. part. consider. 29.* *Opinio I.*

ANNO XXXVI. agonem Apostolum impleuisse, affirmat Euseb. Cæsariens. *in Chron. Ann.36.* cui videtur adhærere Fascicul. Tempor. *Ann.33.* II.

ANNO XXXVII. fuisse martyrio coronatum Apostolorum Prothomartyrem, cogitauit M. Anton. Sabellic. *lib.1. Ænead.7.* III.

ANNO XLII. succiso capite gloriosè occisum fuisse Hispaniarum Apostolum, scriptum reliquit Flau. Dext. *in Chron. Ann.42.* cui tenaci speculatione cohæret P. Biu. in eius *Not. fol.80. & seqq.* & P. Ioann. Marian. *lib.4. cap.2.* & Tamayo *in eius Vindic. fol.116.* IV.

ANNO XLIII. palæstram proprio sanguine irrigasse Boanergem, suspicatur Ioan. Dadræus *in Not. ad Euseb.* secutus Vasseum *in Chron. Ann.44.* sed perperam, quia Vasseus ad Annum sequentem reiicit. V.

ANNO XLIV. iugula præbuisse mucroni Maiorem Zebedæi filium, fatetur Leo III. Pont. Maxim. *in Epistol. de Translat. S.Iacob d. fol.31.* quem sequuntur Moral. *lib.9. cap.7.* Baron. *tom.1. Ann 44.* & ferè omnes ex Nostris, qui de Apostolo Acta texuere, & Gothofrid. Viterb. *in Chron. Ann.44. fol.326. Tom.3. Script. German.* VI.

ANNO XLV. Laureâ Victoris triumphasse Domini fratrem, scripsit Auctor *Compilationis Chronolog. Tom.2. Script. German. Ann.45. fol.708.* & Mantuan. *in Not. ad Histor. P. Marianæ lib.4. cap.2.* Marian. Scoth. *in Chron. Ætat.6. Ann.48. fol.364. Tom.2. German. Script.* VII.

ANNO XLVI. Vltimo supplicio affectum B. Virginis administrum, asseruit Franciscus Maurolycus Abbas Messanens. *in Martyrolog. die XXVI. Iulij.* Cuius opinionem prosequitur D. Maur. Castell. *Hist. S.Iacob. lib.1. cap.26. fol.97.* VIII.

ANNO XLVII. gladio feriente spiritum exhalasse Regum Hispaniæ vnicum Tutelarem, profatur Rugino *in Chronolog. Ann.47. fol.3. Tom.2. Scriptor. German.* IX.

De his omnibus opinationibus IV. VI. VII. & VIII. efficacioribus fulciuntur argumentis, nam cæteræ nec probabilitatis vestigia præ se ferunt. Ideò illis omissis, Quatuor sequentium fundamenta subiiciemus, vt & opinatoribus suus detur locus, & legentibus quæ sint opinata monstremus.

QVARTA opinio tenet B. IACOBVM occubuisse Anno XLII. quam probat *Dexter* vbi supra his verbis: *Anno XLII. Christi.* S. IACOBVS *prædicans acerrimè Iudæis, succiso capite ab Herode, recens Ierosolymam reuersus nobile martyrium XXV. die Martij gloriosè pertulit*. Istam etiam tenuere *P. Mariana*, & *D. Thom. Tamayo*, quam his argumentis fulciunt. I. Quod *Eo tempore*, quo ab Euangelista asseritur fuisse occisum Apostolum, nondum fames ab *Agabo* prophetata deuenerat, sed tunc temporis prædicta, quia non esset prophetia si tunc iam dilapsa fames, orbis terminos occuparet, ideóque de futuro tempore, non de præsente verba sunt Euangelistæ scrutanda. Ergo si Anno XLII. *Agabus* famem prædixit, & *Quartæ opinionis argumentā.* *I. Argum.*

Eo tempore occidit IACOBVM Herodes, & apposuit apprehendere Petrum; necessariò tempore prædictionis famis occubuisse Apostolum credendum est; non tempore futuræ necessitatis.

II. Argument. II. Nam si absque dubio fatentur vniuersi melioris notæ Doctores, Beatissimum Apostolum occubuisse die XXV. Martij, & nos supra probauimus, vt quid non ad fontem Annorum Lunariorum recurretur, ex Epactarum cyclo depromendorum? Si ergo iuxta Euangelistam in limine Azymorum est Apostoli mors patrata, igitur in Luna 13. aut 14. Martij passionem Apostoli incidisse, necessarium est. Patet, quia Christi Domini crucifixio, anno ætatis suæ XXXIV. in XIV. Luna, die XXV. Martij accidit, quæ fuit Epacta XIX. & Anno sequenti XXXV. fuit Epacta I. correspondens diei XXX. Martij, & tunc Luna XIV. incidit in diem XII. Aprilis, ex quo euacuatur opinio *Chassanai*, Anno XXXVI. sequenti Epacta fuit XII. correspondens diei XIX. Martij, & Luna XIV. incidit in diem I. Aprilis, ideo *Eusebij* opinio non subsistit. Anno XXXVII. fuit Epacta XXIII. correspondens cum suo Nouilunio, diei VIII. Martij, vnde Luna XIV. incidit in diem XXI. Martij, & tunc dies XXV. esset IV. Azymorum, quo non licebat interficere quemquam; hinc *Sabellici* coniectatio euanescit. Anno XXXVIII. fuit Epacta IV. correspondens cum suo Nouilunio diei XXVII. Martij, & tunc Luna XIV. incidit in diem IX. Aprilis. Anno XXXIX. fuit Epacta XV. correspondens cum suo Nouilunio diei XVI. Martij; & tunc Luna XIV. incidit in diem XXIX. Martij. Anno XL. fuit Epacta XXVI. correspondens cum suo Nouilunio diei V. Martij, cuius Luna XIV. incidit in diem XVIII. Martij, & tunc dies XXV. eiusdem erat VII. Azymorum, quo nullus sacratior. Anno XLI. fuit Epacta VII. correspondens cum suo Nouilunio die XXIV. Martij, & sic Luna XIV. incidit in diem VI. Aprilis. Anno XLII. fuit Apacta XVIII. quæ cum suo Nouilunio sita est in die XIII. Martij, & tunc Luna XIV. incidit in diem XXVI. eiusdem Mensis. Hac computatione verificatur dies occisionis IACOBI, quæ cum non posset perfici die Azymorum, quæ hoc Anno fuit die XXVI. Martij, & constans opinio sit, agonem expletum fuisse in limine Azymorum die XXV. ergo hoc Anno, quo fuit vigilia Azymorum ista dies XXV. martyrio coronatum fuisse fatebimur Apostolum. Sed ad sequentes reuertor. Anno XLIII. fuit Epacta XXIX. correspondens cum suo Nouilunio diei II. Martij, vnde Luna XIV. incidit in diem XV. Martij, ex quo *Dadrai* opinio corruit. Anno XLIV. fuit Epacta X. correspondens cum suo Nouilunio diei XXI. Martij, & ita XIV. Luna incidit in diem III. Aprilis, ideóque opinio Leonis III. *Morales*, & aliorum prorsus deficit. Anno XLV. fuit Epacta XXI. correspondens cum suo Nouilunio diei X. Martij, quando Luna XIV. incidit in diem XXIV. Martij, & tunc dies XXV. Martij, & martyrij esset secundus Azymorum, & præcipuus dies Paschatis, quo occisio penitus prohibita. Hinc liquet *Mariani Scoti*, & *Petri Mantuani* computum euanuisse. Anno XLVI. fuit Epacta II. correspondens cum suo Nouilunio diei XXIX. Martij; & tunc Luna XIV. incidit in diem XI. Aprilis, quod est contra *Maurolycum*, & *D. Maurum Castellam*. Anno XLVII. fuit Epacta XIII. respondens cum suo Nouilunio diei XVIII. Martij, & tunc Luna XIV. incidit in diem XXXI. Martij, quo *Reginonis* sententia corruit. Ex huius rationis computatione colligunt *Dextri* asseclæ, martyrium obiisse *Iacobum* die XXV. Martij, Anno XLII.

Lunariorum annorũ per Epactas computatio.

Annus XLII. in cidit die XXV. Martij, vt in illo & nõ in alio fuerit Apostoli passio.

III. Argument. III. Nam ex Constitutione Cathedræ Romanæ Petri deducitur, martyrium IACOBI fuisse Anno XLII. consummatum; quia Petrus illam fundauit Anno XLIV. Probatur: Petrus XXV. annis Romanæ præfuit Ecclesiæ (vt communis habet assertio) Pontifex, & Episcopus Summus; Occisus fuit Petrus Anno LXVIII. die XXIX. Iunij; hæc Annorum Series XXV. intercessêre ex Anno XLIV. à die XVIII. Ianuarij, ergo necessariò, Anno XLIV. fundata dignoscitur Petri Cathedra Romana; quod si ita est, Petrus aufugit ex carcere, post occisum IACOBVM, anno XLII. quia à tempore solutionis à carcere Herodis, vsque ad erectionem Cathedræ Romanæ insumpsit Petrus annum cum dimidio, vt notauit Sophron. *de Peregrinat. Petr. & Paul.* ergo à fortiori si

Cathedra erecta est (vt fuit) anno XLIV. ab exordio Ianuarij, quod solutio Petri fuisset Anno XLII. & hæc post octo dies ab occisione IACOBI. Ergo & iste Anno XLII. interfectus est.

IV. hæc opinio probatur ex veritate Actorum Apostolicorum, vbi in 10. *cap.* agitur de baptismo Cornelij Centurionis, & *cap.* 11. agitur de huius rei notitia apud Iudæam, post prosequitur circa reserationem ostij Euangelij, & publicatio eius facta Ierosolymis, demum subinfert Lucas, multos etiam Antiochiæ credidisse, cognita Cornelij fide Cæsareæ, ex quo dimissus Barnabas Antiochiam peruenit, Saulum è Tarso illuc perduxit, & *annum totum conuersati sunt ibi.* Si ergo vt communis opinio est, Anno XL. Cornelij baptismum perfecit Petrus, post quem intercessere diuulgatio in Iudæa, approbatio apud Ierosolymam, manifestatio credentium apud Antiochiam, & dimissio Barnabæ, quæ omnia vsque ad exordium anni XLI. euenisse ratio temporis expostulat, postmodùm subingreditur annus detentionis Barnabæ apud Antiochiam, vsque ad exordium Anni XLII. quibus à *Luca* absolutis, statim prosequitur Agabi prophetiam, & IACOBI occisionem, ergo hæc Anno XLII. euenit. *IV. Argum.*

HIS Quatuor rationibus contendit *P. Binar.* opinionem IV. *Dextri* probare, cui subscribit D.Thom. Tamay. *in Vindic. Marian. fol.* 116. sed ad VI. Opinionem deueniamus, quæ auctoritate *Leonis III. Pontificis Maximi* nititur, asserentis occisum IACOBVM Apostolum Anno XI. post Christi passionem; quam amplectuntur Moral. *vbi supr. lib. 9. c.* 7. Baronius *Annal. Eccles. tom.* 1. *Ann.* 44. quos conuincit Iodar. *de Aduent. S. Iacob. Discurs.* 4. *c.* 1. *n.* 5. *fol.* 111. *Sexta opinionis Auctoris.*

SEPTIMA opinio quam tuetur *Petr. Mantuanus* aduersus *P. Marianam*, in eo stat, quod contendat IACOBVM nostrum occisum Anno XLV. in cuius rei probationem Sequentia meditatur argumentationum symbola. I. quia in Act. Apostol. *c.* 12. legitur, occisum IACOBVM, comprehensum Petrum, ab Angelo solutum, & Herodis discessum è Ierosolyma Cæsaream, quæ omnia (inquit *Mantuanus*) euenisse vnum post aliud, sine temporis interruptione, aut successiuum dilatione, quod ex Euseb. *lib.* 2. *c.* 9. Niceph. Calixt. *lib.* 2. *c.* 12. in fin. & 13. in princip. S.Ioann. Chrisost. *Homil.* 27. *c.* 13. *sup. Act. Apost.* probare nititur. Quo supposito sic argumentatur. Herodes regnauerat in Iudæa tres annos cùm peruenit in vrbem Cæsaream, vt ex Ioseph. in *Antiq. Iudaic. lib.* 19. *c.* 7. & de *Bell. Iudaic. lib.* 2. *c.* 10. Euseb. *lib.* 2. *c.* 9. Nicephor. *lib.* 2. *c.* 13. liquet; hic tertius annus incidit in Tertium Claudij Imperatoris, vt inquit Iosephus *d. lib.* 19. *c.* 7. in illis verbis: *Tribus deinde annis* (vixit Herodes) *sub Claudio Cæsare.* Hic Tertius Claudij Annus fuit XLV. vt ex *Dione* probat Baron. *Ann.* 45. *tom.* 1. *n.* 1. ergo eueniente successiuè, & statim, post occisionem IACOBI, custodiam Petri, eius liberationem, Herodis discessum, istius miserabili morte, Tertio anno Claudij Cæsaris; à fortiori, annus agonis IACOBI consignandus est XLV. *Septima opinionis argum.* *I.*

II. Nam si Imperatorum anni percurruntur, & vnicuique Principi suus in imperio terminus consignetur à passione Christi ad Iacobæam, necessariò XLV. annus elicitur; sic: Post Christi passionem vixit *Tiberius* IV. annos, XI. Menses, & XXI. dies; *Caligula* vixit III. annos, X. Menses, & VIII. dies; *Claudius* exegerat Tertium annum in imperio cum Herodes occidit IACOBVM, vt suprà probatum, quibus additis tribus mensibus, qui superfuerunt annis Christi, ex eo quod vixerat XXXIII. Annos, & III. Menses, ex Diuo Ignatio in *Epist. ad Trallian.* quæ omnia tempora si coniungas, inuenies occisum IACOBVM, Anno XII. à Christi passione, hoc est XLV. ab eius Natiuitate. *II.*

OCTAVA opinio auctorem habet, post Maurolycum, D. Maurum Castella, qui lato calamo suæ opinionis fundamenta describit, quæ ad sequentia reducuntur. I. Nam inter omnes Scriptores conuenit, quòd ecphrasis (de qua in *c.* 11. *Lucæ*) circa *Agabi* prophetiam famem in vniuerso orbe, prædicentem, facta creditur ante tempora Claudij Imperatoris, quia in textu dicitur, *significabat* (Agabus) *per spiritum famem magnam* futuram, *in vniuerso orbe terrarum, quæ* facta est *sub* Claudio. si ergo futura erat, ergo tunc non erat, quia facta est pòst sub Claudio. Si sub Claudio, quo tempore? Euseb. *Hist. lib.* 2. *c.* 8. asserit euenisse Anno Quarto Claudij, cui *Octaua opinionis fundamenta.* *I.*

ſubſcribunt Oroſius Beda, Palmerius, & alij citati à Mauro, Annus enim Quartus Claudij fuit X L V I. Chriſti, ergo hoc Anno fuit occiſus Apoſtolus. Patet, quia ſi tempore famis apud Ieroſolymam inceptæ, venerunt Barnabas, & Saulus ſubſidia miniſtrare fratribus, & eo tempore, vt inquiunt Euſeb. lib. 2. c. 9. Nicephor. *lib. 2. c. 12.* Caietan. *Comment. in 12. c. Actor.* Ofmeiſter *ibidem*, occiſus eſt IACOBVS; ergo planè elicitur eius agonem fuiſſe Anno X L V I.

II. I I. Quia vt inquit Ioſephus de Antiq. Iud. *lib. 20. c. 3.* hæc ferocius tenuit fames Iudæam, eo tempore quo Caſſius Longinus, Syriam; & Cuſpius Fado Iudæam, ſublato Marſo, regebant, aſt tunc etiam Helena Abyanorum Regina frumentum ingenti ſumptu ex Ægypto comparans, Ieroſolymitanis pauperibus diſtribuit; & hoc etiam fecere Barnabas & Paulus, vt fatetur Nicephor. *d. lib. 2. c. 12.* in initio Quarti anni Claudij, qui fuit X L V I. Chriſti, & proximus mors eſt ſecuta IACOBI, ergo hæc Anno X L V I. perfecta fuit.

III. Fundam. I I I. Nam ſi annos Herodis Agrippæ Iudææ inſumptos numeraueris adVſque eius mortem, agnoſces, annum agonis Apoſtoli noſtri fuiſſe X L V I. quia Ioſeph. *lib. 9. c. 7.* Ant. Iud. expreſsè fatetur, quod vitam finiit annum natus (Herodes ſupra Quinquageſimum, poſtquam regnaſſet per ſeptennium: Quatuor enim annos ſub Caio Cæſare obtinuit Regnum in Philippi Tetrarchia, per triennium cui Quarto demum anno, acceſſit Herodis Tetrarchia; Tribus deinde annis ſub Claudio Cæſare præter iam dictam ditionem in Iudæa quoque regnauit, & Samaria, ſimulque Cæſarea. Hic ergo annus I V. Claudij, quo Agrippa Cæſareæ obiit. fuit verus occiſionis IACOBI annus; ille fuit Chriſti X L V I. ergo & iſte.

IV. Fundam. I V. Quia ſi per annos Cæſarum à Chriſti paſſione computum formemus, inuenitur, Apoſtolum Noſtrum occiſum ad Annum X I I. poſt Chriſti Domini mortem; quod probabitur ſi Annos Cæſaris hoc ordine enumeres. Tiberius vixit poſt Chriſti occaſum, annos I V. Menſes X I. Dies X X I I. Caligula vixit annos I I I. Menſes X. & dies V I I I. Claudius vixit annos I I I. Menſes I I. quos ſi iungas, erunt X. anni, X X I I I. Menſes, & X X X. dies, & omnes X I I. anni, qui additi ad Chriſti annos X X X I I I. & I I I. Menſes, hoc eſt X X X I V. inceptus, erit annus paſſionis IACOBI, annus X L V I.

Hæc ſunt opinantium Scriptorum ſententiæ: aſt nulla meo videri certiùs probatur, quàm Quarta à P. F. Franciſco Biuario feliciter per Annorum Lunariorum Epactas, calculata, cui adhæreo, ita vt non obſtent argumenta in contrarium adducta, cùm omnia ingenij potiùs ſpeculatione ſint, quàm veritatis apice coagulata. Sed quia pleraque in huius rei confirmationem infra Tom. 4. die X X V. Iulij, adducturi ſumus, ideò hæc dicta ſufficiant, & aliquorum Carmina, & Elogia hîc apponere aggrediamur. Primas ferat VValafridus Strabo, qui in *Hiſtor. Apoſtol.* hæc de *Iacobo Noſtro*, Ioannis fratre, carmina profatur:

Hic quoque IACOBVS *cretus genitore vetuſto,*
Delubrum ſancto defendit tegmine celſum,
Qui clamante pio ponti de margine Chriſto,
Linquebat proprium panda cum puppe parentem.
Primitus Hiſpanas *conuertit dogmate Gentes,*
Barbara diuinis conuertens agmina dictis,
Qui priſcos dudum ritus, & lurida fana
Dæmonis horrendi deceptâ fraude colebant.
Plurima hic Præſul patrauit ſigna ſtupenda,
Quæ nunc in chartis ſcribuntur rite quadratis.
Hunc trux Herodes regni Tetrarcha Tyrannus
Percuſſum gladio crudeli morte necauit,
Quem Pater excelſus, qui Sanctos iure triumphat

Vexit

Vexit in ætherias meritis fulgentibus arces.

Subsequatur Robertus Obricius Atrebatensis, qui in *Hymnis SS. lib. 3. hymno 13. fol. 116.* hunc plenis numeris cecinit:

Frater Ioannis, comes indiuulsus IESV
Hic IACOBVS, *habet*
Mansuro Pater æternam cum nomine vitam,
Siue per ora virum,
Quos semel absument perituri incendia mundi,
Siue magis superum,
Qui saturi ambrosia, dulci qui nectare viuunt
Tempore perpetuo.
Quidni auum ducat sine fine volubilis aui,
Qui Patris vnigenæ
Inter præcipuos tres annumeratur amicos?
Quo sine Filiola
Non surgit Iayri; non montis vertice vultus
Induit insolitos
Christus; oliuiferis nec sanguine sudat in hortis,
Proxima fata videns.
Ast vbi diuinos concepit pectore flatus
Corda mouente Deo,
Post Quinquagenas, impleto tempore, luces
Funere ab horrifico
Seruatoris Heri, sedato pectore, fatur
Vir pietate grauis,
Mistus Apostolicæ, tractant dum seria, turbæ.
Erudit hinc Solymos:
Finitimæ accipiunt vitalia dogmata Gentes:
Dat Samaria tibi,
Dant tibi, Diue, manus, bello gens aspera, Iberi:
Diues abis spolijs.
Terrarum spatia emensus, spatia æquoris alti,
Redditus es Solymis:
Vt furor Herodis, gente acclamante nefandâ,
Demetat indigenæ
Inuisum caput: Interea Dominator Olympi
Hoc tibi honoris habet,
Vt bis sex è Principibus, queis cederet Orbis,
Sanguine purpureo
Primus Apostolica, reliquis dux, morte litaris,
Da venerande Pater,

Pastores primi tua prima exempla sequantur,
His quoque temporibus;
Queis verum, pietas, queis sordet auita tyrannis
Vndique Relligio.
Hermogenes laudum si pars non parua tuarum
Nobilis hæreticus
Ore tuo astrictus, satagas peruincere, & huius
Temporis Hermogenes,
Qui fraude, & furijs, qui ferro, & sanguine sæui
Impia bella gerunt.
Hos tu elucratus melioris fraude rapina
Restituas socijs
Nostratum gregibus, qui cœli in pinguia Christum
Pascua consequimur.

Post illum alius sequatur Belga, Catholicus, Nicolaus Oüdaërt in *Ephemerid. Ecclesi.1.p.Mens.Iul.Epigram XXV.* hoc Exasticho Iacobum Nostrum laudat:

Sanguine coniunctus Christo, Zebedæi IACOBVS
Pro Christo Herodis saucius ense cadit.
Ante tamen Christi leges vulgauit in oris,
Quas rigat, aurifluo nobilis amne Tagus.
Gratè vbi adhuc colitur: scit Compostella, *Patroni*
Hesperiæ *miro corpus adepta modo.*

Accedat,& Ioannes Karolus Morellus Campanus,qui in suis *Sacr.Tumul.Epigram.* 18.*fol.*9. hoc in Sarcophago appendit.

Filius hic Tonitru, multis quem clarus IESVS
Dignum spectaclis censuit ante suis.
Hospes habet cineres; Doctrina Hispania *nunquam*
Oblitura pia dogmata ponit opus.
Non autem Iudæa virum, cui linquitur, audit;
Promissa hic CHRISTI *pocula dura bibit.*
Suspendas lætus, tandem tua vota IACOBO,
Præsenti præstat munera plura Deus.

Huc & adueniat Mutius Sfortia Monopolitanus in *Kalend. Rom. Heroico*, siue *Hymnor. lib.2. fol.*114. vbi in S. IACOBVM Nostrum hocce Sapphicum conscribit carmen.

En tibi dignas, IACOBE, *laudes*
Concinit noster chorus, huc adesse
Tu velis, seu te tenet eminentem
Stellifer orbis.
Littus aut dum Callaicum *frequentas,*
Hic preces audis, recipisve vota,
Quæ tibi Europa peregrinus omnis
Soluit, & offert.

E magis

E magis fidis tribus, vnus ipse
Conspicis Christi radiantis alto
Monte, ceu Solem, faciem, niuésque
Vincere vestem.
Ipse & in septum comitaris hortum.
Ast vbi scandens repetiuit astra,
Te Tribus Iudæ, & Samaritis ora
Audijt omnis.
Inde tellurem peragras IBERAM,
Prædicans Christum; rediénsque Idumen,
Iussa ob Herodis, raperis sub atras
Carceris vmbras;
Qui tibi sanctum caput amputauit.
Corpus at lætans hodie reuixit
Propter, Hispanus, *refluas arenas*
Oceanúmque.
Hocque se iactat mage quàm metallis
Auri, & argenti, rutilísve gemmis:
Et tuo, tendit quoties in hostem
Nomine fidit.
O, Eques Christi, sociúmque prime
Martyr, hoc te nos per iter sequamur,
Semper vt nostro Capiti queamus
Viuere iuncti.

Classem Poëtarum sacrorum claudat piissimus **P. Emanuel Pimenta**, qui provt Lusitani melos imbutus, teneros nobis suppeditabit concentus. Is in *Lib. 8. Poëmat. Od.* 4. sic de Nostro verba facit Apostolo:

Prælate letho Principibus sacris
Fuére Christi, qui Ducis assecla:
Vt antesignanus cruentæ
Militiæ rubra signa præfers.
Allecte summo, Diue, Senatui,
Augusta desit ne tibi purpura,
Casus triumphales amictus
Purpureo tibi pingis ostro.
Splendes supremæ fax noua Curiæ:
Marina rubrum nec tibi muricem
Dat concha; de venis profusa
Cæde tibi stola purpurascit.
Ne quid deesset criminis impij,
Dextra beato sanguine polluit

Herodis Herodes propago
Sacrilegi noua parricida :
Fatale monſtrum : cui fera pectora,
Cui Pluto virus mitior inuidet :
Monſtroſa quod cæcis Auerni
Impietas peperit ſub antris :
Quod fouit atro Teſiphone ſinu,
Admouit angues cui cita noxios,
Quod lacte, quod ſæuis papillis
Terribiles aluêre Diræ.
Agrippa, crudâ quid nece Cœlitem
Extinguis : Audax ſacrilegum nefas
Admittis, ardenti ſub orco
Flammiferâ face vindicandum.
Mundo parentem tollis amabilem :
Tutore priuas Heſperiam *ſuo ;*
Agrippa crudelis bis vnâ
Sacrilegâ nece parricida,
Illum ſecuri tollis aheneâ,
Vitam ſepultis qui dare ſueuerat :
Ex orbe Solem tollis, vmbras
Tartareis reuocas tenebris.
Quàm fœta monſtris ſunt tibi pectora ?
Cerno Chymeras pectore in intimo :
Gigantas, Harpyias, Typhæos,
His ſocias noua monſtra monſtris.
Cùm te cadentem Tartarus hauriet,
Plaudente mundo, ciuibus & tuis,
Monſtroſus informi figura,
Terror eris Phlegethontis vmbris.
Palmas Neroni præripis impio,
Sæuire ferro dum prior incipis ;
Diſcrimen hoc ingens duorum :
Diſcipulus Nero, tu Magiſter.

Omitto Baptiſtam Mantuanum, Fortunatum & alios, quorum nomina in Catalogis de Scriptoribus Aduentum *Iacobi* in Hiſpanias affirmantibus, ſubiecêre *Iodar*, & *D. Ioſephus Pellizer* ; Quibus addere potuêre ſupraſcriptos, qui abhinc quinquaginta annos ſcripsêre, & nullus ante me illorum nomina poſuit. Nunc ad elogium ; illud perpulchrè conſarcinauit P. Ioann. Bapt. Maſcul. in *Encom. Sacr. fol.* 327. ſic :

S. IACOBVS

S. IACOBVS APOSTOLVS.

Synop. *Vnà cum Ioanne dictus est à Christo Tonitrui filius: sæpe visus in prælio præsto esse pugnantibus* Hispanis: *superauit, dum viueret, Hermogenem Magum præstigijs insignem. Cum duceretur ad mortem paralyticum obuium sanauit.*

ENCOMION.

Tam eximia virtutis Heroëm,
Iure sibi deposcebat HISPANIA
Nempe grauidam hanc fulminibus belli
Is sibi propriam debuit facere,
qui dictus est Tonitrui filius.
Coruscauit vbique prodigijs;
In Mauros tonuit ingenti fragore,
telis palantes oppressit igneis;
cataphractum etiam egit Equitem;
admisso, & incitato excurrere visus est equo;
Desinat Castores suos Roma iactare,
cum hic Hispanis *equitauit in castris;*
At quid mirum, quòd ei cesserunt arma Maurorum?
cui olim arma Magorum?
Hermogenes præstigias damnauit Styge,
Exarmauit veneno angues, & armauit se anguium prudentia:
Ideo ipsi decus Regni ambitiosè petenti
promissus est cyathus mortis, an vitæ?
vt verè mortifera Circes eluderet pocula.
Denique cum inuicto animi robore duceretur ad mortem,
paralysin obuio sanauit ægroto.
Quàm hic neruosè, ac validè subijt necem,
qui necandus alios solutis esse vetuit neruis?
Felix Natio, cui pro munere immortalis obtigit cinis;
Hinc tantum roboris, ac neruorum præ te fers Victor Hispane.

Plura alia subscribere elogia possemus, sed quia tantùm de passione Nostri Venerabilis Apostoli agere mens fuit, vt omnibus innotescat de *vero die Passionis eius*, ne cum aliquibus exteris, passum XXV. Iulij docentibus, & dicentibus oberrent. Monentes eos, hoc nobis antiquius fuisse, citra Martyrologiorum Scriptores, hoc die, ista subnectere, vt memoria *Vniti Patroni* conseruetur agonis. Vnum hîc addere licet ex Hyppolit. Marraz. *de Apostolis Marian. cap. 5. fol.* 150. quod in magnum IACOBI Nostri gloriæ honorem accrescit. Nam cùm B. V. MARIA morti proxima omnes Apostolos circumstantes videre cuperet, sic Filio locutam Amadæus *in sua Apocalyps. rapt.* 8. tradit: *Fili mi Charissime* IESV, *cuperem, vt adessent Discipuli tui omnes, qui supersunt, & etiam anima* IACOBI, *fratris mei, nuper decollati ab Herode, vt videatur ab Apostolis, præsertim à* Ioanne *fratre suo.* Quod & à Filio obtinuit, vt ipsa aliis Apostolis testata est, dicens:

Anima IACOBI adstitit cum cæteris Apostolis tempore dormitionis MARIÆ, ipsa id impetrante.

Ecce

Ecce inter vos anima Fratris mei IACOBI Zebedæi, *quæ nihil locuta eſt, quia aliud eſt commercium illius, & aliud iſtud.* Hinc colliges quanto MARIA Noſtrum Magiſtrum proſequebatur amore.

SEPTIMO KALEND. APRILIS

DIES XXVI.

A. *Apud* Compoſtellam *tranſlatio* S Theodori *II. Epiſcopi Cæſarauguſtani, qui cum alijs die XXIV. huius menſis agonem Pentapoli cenſummauit, Cuius ſacra lipſana, vt ipſe vltimis decreuerat tabulis* S. Creſcens *Epiſcopus Carthaginis Africanæ collegit, in Hiſpanias adduxit, Compoſtellam adſportauit, & ad latus leuum Sanctiſſimi Apoſtoli collocauit; vbi honorificè requieſcunt.*

B. Syrmij *in Hiſpania Bætica paſſio Sanctorum* Montani *Presbyteri, &* Maximæ *Virginis, qui pro Chriſti confeſſione tenti, ad maris vendas proiecti, ibidem charitatis ardorem non extinguentes, ſed cumulantes, in beatificâ Trinitatis viſione æternum diem feruidi receperunt.*

C. S. Braulius *Epiſcopus* Cæſarauguſtanus, *origine illuſtris, doctrina conſpicuus, ſanctitate celeberrimus, cuius eloquentiam Roma, cuius vitæ candorem vrbes, cuius honeſtatem orbis admiratus eſt. Poſt vitæ compendium, ad æternæ felicitatis impendium Confeſſor inclytus feſtinauit.*

D. *Corduba* S. Eugeniæ *V. & M. quæ propter Sponſi thalamum, & fidei, ſponſioniſque conſtantiam, crudeliſſimis cruciata verberibus, ab huius ſæculi tumulo, ad cæleſtis patriæ thalamum, ceruicibus abſciſſis, feſtinanter acceſſit.*

NOTÆ.

A. TRANSLATIO S. Theodori.] In die tranſitus huius Sanctiſſimi Pontificis, & Martyris, egimus latiori calamo de eius memoria, inferentes, quod licet *hodie* Martyrologi eius anamneſim referant, non quia iſto die paſſus, ſed quia tranſlatus è *Pentapoli* ad *Compoſtellam*. De hac tranſlatione, etſi non titulo tranſlationis, ineſt apud noſtros non ignobilis recordatio. Cuius ecphraſim vt clariori conſarcinemus epilogo, à finalibus vitæ periodis exordiemur.

ACTA

ACTA TRANSLATIONIS S. THEODORI *Episcopi Cæsaraugustani Martyris Pentapoli Compostellam; ex MS. Codicibus, & Var. Script.*

THEODORVS *Cæsaraugustanus II. Præsul*, Pentapoli *vt diximus*, *cum* Irenæo *Diacono*, Serapione, *&* Ammonio *Lectoribus martyrio coronati sunt. Eorum sacra pignora, ne ab Ethnicis illuderentur, aut à feris discerperentur, silentioso noctis opacæ concursu, à Christi cultoribus collecta, lota, odoribus condita, & linteis candidis inuoluta, recondito commodioris loci sarcophago sepulta sunt. Quorum agonem, vt* Crescens *Carthaginis Africanæ Episcopus* Theodoro *synchronos agnouit, præsentiénsque S. Episcopi* Cæsaraugustani *placitum fuisse, vt eius corpus iuxta Sanctissimi Magistri*, Iacobi *Apostoli* Compostellæ *cōderetur sepulchrum, illicò à Christianis* Pentapolitanis *illius efflagitauit exuuias, vt facilius Sancti Martyris, & Præsulis exequeretur affectus. Iusta vero petitioni successit euentus, nam Catholicorum senatus cognito* Crescentis *Episcopi consilio, & Sancti Martyris desiderio, liberaliter pignora Carthaginensi Præsuli destinauit. Crescens honorifico lipsana plausu recepit, & dispositis rebus, quæ ad tanti sanctissimi Viri corporis translationem necessaria videbantur*, Hispanias *personaliter transfretauit.* Iriæ Flauiæ *soluit, & visitatis humiliter Sanctorum* Apostoli, *&* Athanasij *pignoribus, protinus* S. Theodor. *exuuias ad finistrum* Iacobi *latus affectuosis deuotionis lachrymis collocauit. Expletísque officijs, quæ illa ad tanti Præsulis sepulturam tempora laudabiliter expetebāt, recessit. His tribus* Hispania *sideribus in primitiua illa illuxit Ecclesia; quousque tantorum irruptione regnantium, & grandium propagatione hæresum nostra subsit diuersis Arianorum prouincia Regibus; quibus ne Sanctorum lipsana patescerent, abscondita remanserunt, donec penitus obliterata memoria sub alto seculis latuere silentio. Tandem regnante* Alphonso *cognomento* Casto, *diuino auspicante Numine, Trium corpora Sanctorum patefacta*, Compostellæ *in* Gallæcia *sumptuosissimo condita iacent sepulchro, vt nostra vetustatis luculenter perhibent historia. Anno quo hæc executa translatio est, adhuc apud nostros ambigitur.*

A Christianis sepelitur.

Crescens Episcopus lipsana petit.

In Gallæciam defert.

Iuxta Iacobi corpus collocat.

Inuentio pignorum.

Ad huius relationis comprobationem *M. Maximi* hymnus, cuius fragmentum supra retulimus, debitum soluet. Qui postquam de *S. Athanasio* I. Cæsaraugustano Episcopo verba carmine egisset; prosequitur de *Theodoro* II. Præsule ipsius vrbis agonem explicans, & cum ad sepulturæ locum pertingit, sic cecinit, *fol.* 130. *n.* 2.

Hic cubant sacri cineres sepulti,
Quos dolens Crescens *sepelire mandat,*
Hinc leuat Crescens *grauiore causa*
Frater, & hospes.

Vt ad huius Sapphici intelligentiam deueniamus, legenda sunt notata per P. Biu. *ad Dextr. Ann.* 71. *fol.* 179. *n.* 5. vbi Didaci Murill. *in Hist. Cæsaraug.* de huiusmodi carminibus ignorantiam aperit, asserens *S. Crescentem* Episcopum in Africa Carthaginensem, ibidem à S. Petro relictum, vt ex Metaphraste liquet, *S. Theodori* corpus leuasse *in Gallaciam*, ex grauiori causa, hoc est ex præcepto Martyris. Quod apparet verum, si Dextri *eod. ann.* 71. periodum reperiamus, sic: *Nec multo post delatum eius* (Theodori) *corpus ad Hispaniam, vt ipse Theodorus iusserat, prope sepulchrum S. Iacobi iacet.* En à *Crescente* translatio, en S. Præsulis iussio, nunc de toto, & de sepultura iuxta Apostoli latus, S. Leonis Papæ attestatio, in ipsius *de translatione Iacobi epistola*, his verbis: *Inito autem salubri consilio, duo Clientuli remanserunt ibi ad custodiendum pretiosissimum talentum, B. scilicet* Iacobi *corpus venerandum, quorum vnus dictus est* Theodorus, *alter vero Athanasius. Alij vero discipuli, Deo comite, ad prædicandum in Hispanias ingressi sunt, vt præmisimus. Illi duo Discipuli pedissequi pro reuerentia illius Magistri, dum summo cum affectu præfatum sepulchrum peruigiles indefinenter*

Iussu Theodori translata pignora.

Collocantur ad latus Sepulchri S. IACOBI.

ſinenter peruigilarent, innuerunt ſe poſt obitum ſuum à Chriſtianis iuxta Magiſtrum ſuum vnus ad dexteram illius, & alius ad ſiniſtram ſepeliri. Sicque *definito termino vitæ, naturæ debitum perſoluentes, felici exceſſu ſpiritum exhalarunt, cœlóque animas gaudendo intulerunt, quas præceptor non deſerens egregius cœlo, terráque ſecum collocari obtinuit diuinitus, ſtoláque purpurea in ætherea curia cum eiſdem Diſcipulis gaudet ornatus corona, miſeris ſe depoſcentibus inuicto ſuffragio patrocinaturus, auxiliante Domino, & Saluatore noſtro Ieſu Chriſto, cui regnum, & imperium cum Patre, & Sancto Spiritu perenniter manet in ſæcula ſæculorum Amen.* Hoc ipſum ex Caliſto Pont. Max. in libell. *de Tranſlat. S. Iacobi*, apud Vincent. Bellouac. *in Specul. Hiſtor. tom. 4. lib. 8. c. 3. 4. & 5.* ſic: *Alij vero duo Diſcipuli, ſcilicet Athanaſius, &* Theodorus, *vt in epiſtola B. Leonis ſcribitur, iuxta corpus Apoſtoli ſepulti ſunt, vnus ad Dexteram, alius ad ſiniſtram.* Aliqua etiam Hiſpaniæ Breuiaria, & Martyrologia eadem referunt, vt ſcribit Alderete *lib. 2. Hiſp. antiquit. c. 13. fol. 278.* Inter quæ Maurolyc. *die XV. Maij.* agens de ſeptem aliis S. Iacobi Diſcipulis, ſequentia profert ſuccinctè verba: *Duo autem reliqui huius Apoſtoli comites Athanaſius, &* Theodorus *in Hiſpania relicti iuxta Magiſtri ſepulchrum apud* Compoſtellam *tumulati iacent. Ab his primum in Hiſpanijs Chriſtianæ fidei doctrina propagata eſt.* De hoc agunt Moral. *Hiſt. Hiſpan. lib. 9. c. 7.* D. Maur. Caſtell. *Hiſt. S. Iac. lib. 2. c. 9.* & quotquot alij retulimus die XXIV. ſupra.

Topographia.

PENTAPOLIS, vbi *S. Theodorus* martyrium impleuit, quæ & *Cyrene*, ſeu *Cyrenaica* dicitur, hodie SIM. Africæ regio apud Syrtim magnam, & Africam propriè dictam, & Marmaricam, ſic dictam à quinque vrbibus præcipuis, quibus conſtabat, hoc eſt, *Cyrene* primaria, Berenice, Arſinoe, Ptolomaide, & Apollonia. Quarum quatuor litorales, *Cyrene* verò à litore XI. M. P. inter Ptolomaidem, & Apolloniam ſita eſt. Eius meminit Ptolom. *lib. 4. Tab. 3. Africa, cap. 4.* vbi quinque vrbes appingit relatas. Plin. *lib. 5. cap. 5.* ſic: *Cyrenaica, eadem* Pentapolitana *regio, illuſtratur Hammonis oraculo, quod à Cyrenis abeſt CCCC. M. P. fonte Solis, vrbibus maximè quinque: Berenice, Arſinoë, Ptolomaide, Apollonia, ipſa Cyrene.* De illa plura apud *Ortelium*. Hanc vrbem conditam fuiſſe à *Terais* Spartanorum colonis refert Mareſot. *lib. 1. de Orbe Maritim. cap. 43. fol. 281.* ſic: Cyrene *quam* Teræi *Spartanorum Coloni condiderunt.* licet Plinij Scholiaſt. nonniſi à *Batta*, ſeu *Batto* extructam affirmet, ad quod Ouidij in Ibin hæc carmina citat.

De huiuſmodi carminum intelligentia videndi Valerij Andreæ Dreſſelij, & Brocenſis notata, apud Pontanum in Ibin verſ. 541. quos videas, quia elegãter ad propoſitum.

Conditor, vt tardè blæſus cognomine Cyrrhæ
Orbis in innumeris inueniare locis.

Cui ſententiæ adſtipulatur idem *Mareſcotus*, poſtquam primam attulerit ſententiam, ſic: *Malim tamen eius auctorem* Battum, *Teræ verò Caliſtæ, indicante hoc appellatione Teræorum opus, nauale Cyrenes.* Coloniam fuiſſe, & finem imperij Carthaginenſis exprimit Salluſt. *de Bello Iugurthin. fol. 79.* ex impreſſ. Lugdun. ann. 1586. Griphij, ſic: *Igitur ad Catabathmon, qui locus Ægyptum ab Africa diuidit, ſecundo mari prima* Cyrene *eſt* Colonia *Teræõn, ac deinceps duæ Syrtes, interque eas Leptis, deinde Aræ Philenũn, quem locum, Ægyptum verſus, finem imperij habuére Carthaginenſes.* Anton. Auguſt. *Dialog. 6.* Numiſma *Cyrenenſia* producit, vnum ſic:

Nummus Cyrenæ.



In aduerſa parte herba viſitur, craſſo trunco, & foliis apio tenuitate ſimilis. Hæc cornuta effigies, apud *Cyrenem*, vt Græcæ indicant litteræ KYP, hoc eſt, KYPENE, latinè *Cyrene*, tantum à noſtris in K. & P. id eſt: C. & R. diſtans, *Ammonis Iouis Cornuti* ſimilitudinem exhibebat, vt ibidem inquit *Anton. Auguſtin.* ſed quia nulla ad probationem adduxit teſtimonia, excepto quod ibidem eſſet *Iouis Ammonis* fanum, hoc illuſtrare aliquibus propoſui Claſſicorum ſymbolis. Lucan. *lib. 3. Pharſ.* huius Idoli meminit, ſic:

Ammonis cornuti ſimulacrũ.

Non

Non Corniger Ammon
Mittere Marmaricas cessauit in arma cateruas.

Quo loco Philipp. Beroald. *in Not. fol.* 73. in impres. Lugdun. anno 1519. apud Ioan. Marion. hæc subiungit: *Ammon Iupiter in forma* Arietis *in Lybia colitur, constitutus à Baccho, qui Ariete duce fontem sitiens adinuenit.* Sulpit. Verulan. *in not. ad eundem fol.* 110. hæc: *Ammon templum* Iouis *arenosi, qui apud Garamantes in formam* arietis *colitur.* Huius templi structuram, & Iouis effigiem descripsit idem Lucan. *lib.* 9. his versibus.

Ventum erat ad templum Lybicis quod gentibus, vnum
Inculti Garamantes habent; stat Corniger illic
Iupiter, *vt memorant, sed non aut fulmina vibrans,*
Aut similis nostro, sed tortis cornibus Hammon.

Huic cornigero Deo, hæc cornua, vt quid effingeret superstitiosa Gentilitas, qui velit ex proposito edisce re, adeat Lilium Gyrald. *de Diis Gent. Syntagm.* 2. *fol.* 143. in impres. Basileæ per Ioann. Oporin. *ann.* 1547. Apollodor. *lib.* 2. *de Orig. Deor.* Hygin. *de Signor. cælest. histor. lib.* 2. *in Ariete, fol.* 69. in impres. Paris. ann. 1578. per Ioann. Parant. Q. Curtium. Ouid. *lib.* 4. *Metamorph. vers.* 671. Vid. Pontan. *fol.* 184. & alios quos referunt Scribentes passim. Ex quo nata consuetudo est, vt in nummis illius regionis *Iuppiter Ammon*, seu *Hammon* cuderetur. *Cur cornutus?*

B. Sancti Montanus & Maxima.]Famosa, & celebris est eorum anamnesis apud Martyrologos, cum vlx vllus sit qui ipsorum non meminerit, licet tot varietatibus, temporis, locorum, & statuum ecphrasis implicata, vt penè olim nulliter in veritate firmâ, pedem configeres. At eueniente *Fl. Dextri* fragmento, omnia plenè plana remansêre. Antiqua in medium proferamus Martyrologia, *B. Hieronym.* apud Biuar. sic: *Montanus Presbyter, & Maxima Virgo in oppido* Syrmio *passi sunt. Qui dum Christum Dominum viuâ voce confiterentur, ab infidelibus tenti, & vinculis ferreis colligati ambo in Mare mersi sunt.* Hieronymum sequitur Vsuard. sic: *In* Syrmio *Sanctorum Martyrum* Montani *Presbyteri, &* Maximæ *in Mare mersorum.* Petr. Equilin. *lib.* 3. *cap.* 233. citans *Hieronymum*, eius exscripsit verba. Martyrolog. Rom. ab *Alexandro de Peregrinis* confectum iussu Iulij III. Ann. 1553. sic: *In* Syrmio *Sanctorum* Montani *Episcopi, &* Maximæ *in* Mare *mersorum.* Hi omnes sequuti Hieronymum *in Mare* eiectos Martyres profitentur. Beda, Ado, Notkerus, & Martyrologium Romanum à *Baronio* annotatum, *in flumine* mersos confitentur. Plures, & antiquiores, si *Hieronymo* addamus *Dextrum*, sic anno 100. *Syrmij in Hispania Sancti Martyres* Montanus *Presbyter, &* Maxima *clarissimi Christi Martyres.* Pro primâ opinione habemus. Alij sine expressione an in *Mari*, an in *flumine*, de ipsis scribunt: VValdembertus *in suis ephem.* hoc die, sic: *Martyrologia.* *Quæstio an in mari proiecti Martyres, an in flumine?*

Septima Montanum *memorat cum* coniuge *sancta.*

HRaban. sic: *In Syrmio* Montani *Presbyteri, & Maximæ uxoris eius.* Alij in alium deuenerunt scopulum, vt Maurolycus, qui nescio, à quo farraginem Martyrum cum nostris accumulat, sic: *In* Syrmio *Pannonia vrbe Sanctorum* Montani, *Presbyteri*, Demetrij *Diaconi, &* Maximæ *Virginis, tempore Maximiani in* Sauum *fluuium mersorum sub Probo Præside.* Quem sequutus *Galesin.* alios XL. Martyres accrescit, sic: *Syrmij in Pannonia Sanctorum Martyrum* Montani *Presbyteri, Demetry Diaconi*, Maximæ *Virginis, & aliorum* Quadraginta, *qui certamine pro fide confecto, demum præcipites in* Sauum *fluuium, Diocletiano Imperatore, deiecti, cælesti coronâ donantur.* Sed vt agnoscatur, quantum contraxerint errorem *Maurolycus*, & *Galesinus*, sciendum est *Maurolycum* à Petro Cabilonense *in Topographia* hos desumpsisse Martyres, vt est notum, Cabilonensis ergo, verb. *Syrmium*, nulliter de nostris agit, cùm *Maximam* reticeat, sic: *Syrmium ciuitas inferioris Pannonia patria Grastani Imp. Hic* Irenæus *Episcopus, cum* Montano *Presbytero, & Demetrio Diacono, sub Maximiano Imp. & Probo Præfecto apud* Sauum *fluuium Martyres.* Videsne *Maurolyci* *Maurolyci, & Galesinij ferrgo.* *Elicitur error Maurolyci.*

commentum? ausculta: adhuc clarius figmentum deprehendes. Petr. de Natalib. *lib.3. cap.229.* agens de *S. Irenæo* Episcopo *Smiruensi* fatetur, illum passum apud *Syrmium Pannoniæ* tempore *Maximiani*, Præside *Probo*, corpúsque in *Sauum* præcipitatum: pòst, *lib.4. cap.94.* agens de *Pulione* Martyre, in ipsa Maximiani persequutione, Probíque sæuitia, subdit: *Hic enim Præses postquam in Ciuitate Syrmiensi Sanctum* Irenæum *eiusdem vrbis Episcopum, cum Sancto* Montano *Presbytero Smerulensi in flumine mergi fecerat, Sanctúmque* Demetrium *ipsius Ecclesiæ Diaconem decollauerat, peruenit ad ciuitatem Ciuilitanam*, &c. En *Montani* cum *Ireneo*, & *Demetrio* martyrium. En ad *Sauum* fluuium demersio. En apud *Syrmium Pannoniæ* persequutio, at *Maximæ* vxoris *Montani*, aut sociæ, silentium. Ergo quos hoc die *Maurolycus*, & *Galesinus* demonstrant, longè à Nostris fuêre diuersi. His ergo sic explicatis, ad acta agonis, vt noster assignat *Dexter*, deueniamus.

ACTA SS. MONTANI PRESBITERI, & Maximæ Virginis Martyrum; ex Dextro, & alijs.

MONTANVS *apud* Syrmium Bæticæ *in* Hispania *ad Maris limina vrbem, ex Hispanica progenitus (vt creditur) prosapia meritis efflagitantibus, & virtutum cumulis suadentibus, ad Presbyterij munus peruenit venerandum. In quo Deo viuens, & proximo charitatis, & officij opera impartiens, feliciter per arctam salutis viam, ad profunda virtutis cacumina festinauit.* Maxima *quadam nobilis Virgo ipsius Sancti Presbyteri necessaria, quæ & vxor ab aliquibus, sed perperam, habita est*, Montani *vestigia deuotè insequebatur, tanto deuotionis affecta, tanto virtutum habitu, & tanto charitatis effecta; vt sicut in vita fides, ita & in agone corona ipsorum spiritus sine mora coniunxit. Euenit ergo C. Vlpij* Traiani *Hispani ad Imperij Romani administrationem successio; Qui cum superstitiosè Gentilitatis vanas intrepidus veneraretur Deitates, tertiam in Christi persequutionem excitauit, Ecclesiam; protiniùs in Hispanias peruenit edictum; & illicò sæua crudelitas serpebat vbique. Apud* Syrmium Bæticæ *scrupulosa Gentilitas* Montanum, *&* Maximam *comprehendit, ferreisque illigatos catenis, in alto ergastuli hiata sepeliuit, vt horrida spelæi latebrosa caligo, aut vitales ipsorum spiritus suffocaret, aut occasionem ad fidei susceptæ dimissionem, præberet. Incassùm vrgeat humana propensio, si diuina deficit coadunata voluntas, successit rigori constantia* Martyrum, *horrori accreuit cælestis roris nimbus exhalans, quo Sancti fortiter recreati validis Christum vocibus confitentur. Oppositione excreuit Iudicis rigor, & ne aliorum exemplo firmitas maturescat,* Montanum, *&* Maximam *in mare ponderum appensione demergi imperitauit. Quod vt factum, insignes Domino animas Martyres tradiderunt.* VII. Kal. April. *Anno Dom.* C. *Imper. Traiano. Post eorum corpora in litore non procul ab vrbe inuenta, honorifico sunt tumulata sepulchro.*

Presbyter factus.

Maximam Virginem fouet,

Trajani 3. persecutio.

Comprehēduntur.

Coronātur.

Superiùs in huius notæ exordio diximus, quidquid de nostris Martyribus inuenitur, & *Dextri* verba retulimus, quibus fuisse *Hispanæ* synchronos apparebat. Nunc ex *Martyrolog. Hispan. MS. P. Higuer.* anamnesim addemus sic: *En Syrmio, oy* Motril *en la Andalusia, los gloriosos Martyres* Montano *Preste, y* Maxima *Virgen su criada, aunque otros la llaman su muger sin razon, los quales por la confesion de la fed fueron presos, y despues echados al Mar, en tiempo de Trajano Español.* Latinè sic: *Syrmij, hodie* Motril, *in Bætica, SS.* Montanus *Presbyter, &* Maxima *Virgo eius famula, licèt alij vxorem appellent, & perperam. Qui propter fidei confessionem tenti, post in mare demersi sunt tempore Traiani Hispani.* Olim de vtroque recitabatur in *Ecclesia Placentina Hispaniæ*, vt ex eius *Missalis Kalendario* colligitur peruetusto apud me. Duo nobis nunc examinanda supersunt. I. Quod *Syrmium* in quo passi sunt nostri Sancti, *non Pannoniæ*, nec *Italiæ* vrbs fuerit, de quo plura apud *P. Biuar.* cuius ne

Memoria SS. apud Hispanos.

conceptum

conceptum transcribam, omitto. I I. Quod corpora fuissent postmodùm in litore reperta; authores habeo Adonem, sic: *Corpora eorum nono ab vrbe lapide reperta, sepulta sunt.* A quo Notker. & alij. *Corpora sepeliuntur.*

SYRMIVM. Ciuitas fuit antiquissima *Hispaniæ* ad Mare Mediterraneum versùs Africæ latera litoralibus plagis Bæticæ sita. Hic *S. Petrus* Apostolus *B. Epenetum* reliquit Episcopum, vt suo loco dicemus. *Sexifirmum* à *Dextro* sæpissimè vocitatur. Hæc Florian. de Ocampo *Histor. Hispan. lib. 1. cap. 2.* MOTRIL Villalanouano: VELEZMALAGA. Biuar. & aliis FRIGELIANA in Regno Granatæ fuit. Roder. Car. *in Not. ad Dextr. fol. 21.* asserit nullum fuisse in Hispania SYRMIVM, sed *Sexi-Firmium* in Bætica, de quo Plin *lib. 3. cap. 1.* locutum fuisse contendit. Quod proculdubio crediderim, ideóque loco SYRMII, reponendum SEXI-FIRMIVM. Huius correctionis etiam se præbuit auctorem idem Rod. Card. *fol. 53. lit. G.* qui cum Iuliano *in Chron. num. 19.* hanc lectionem tuetur. *Topographia.* *Corrigitur Dextri locus.*

Sanctus Braulius.] Memorabilis, & famigerata de huius Sanctissimi Præsulis anamnesis adest in Nostrorum codicibus Scriptorum. In tanti Pontificis elogiis penè tota resoluitur *Hispaniæ* veterum eruditio, & Neothericorum hyperbolis, vt in eius illustre compaginemus exordio symbolum, *S. Ildephonsus* coætaneus, & synchronus primum nobis accommodet elogium, sic de *Scriptor. Eccles. cap. 12.* Braulio *frater Ioannis in Cæsaraugusta decedentis, adeptus est locum, Vir sicut germanitate coniunctus, ita non minimum ingenio memoratus. Clarus & iste habitus canonibus, & quibusdam opusculis. Scripsit vitam* Æmiliani *cuiusdam Monachi, qui & memoriam huius, & virtutem illius S. Viri suo tenore commendat pariter, & illustrat. Habuit Sacerdotium fermè XX. annis: quibus expletis clausit diem vitæ præsentis. Durabit in regimine temporibus Sisenandi, Cinthilæ, Tulganis, & Cyndasuindi. Regum.* Luitpr. *in Chronolog. num. 78.* sic: *Ineunte anno V. Regis Cindasuinthi XXVI. Martij moritur* S. Braulius *Episcopus Cæsaraugust. vir eximia doctrina, & sanctitatis & de clarissima Gothorum stirpe.* Isidor. Pacens. *in Chronolog. era 669. fol. 4. col. 2.* Huic Synodo inter cæteros *Braulio* Cæsaraugust. Episcopus claruit, &c. L. Marin. Sicul. *lib. 5. de Reb. Hispan.* sic: Braulius *Episcopus Cæsaraugustæ Ciuitatis electus est diuinitus. Nam cum ex multis, quem eligerent in plurimorum sapientium concilio, hærerent: subito flamma super* Brauli *caput, omnibus visa est, quæ innexia cæli connexa petens,* Braulium *Episcopatus dignitate decorandum, cæterisque præferendam significat. Episcopus igitur electus, Religioni Christianæ multùm profuit.* Francisc. Tarraf. *de Reg. Hispan. Ann. 610.* in Suintilla II. sic: Eubraulius *Cæsaraugustanus Episcopus, vir morum comitate, doctrina, & vita Sanctimonia clarus.* Ioann. Vass. *in Chron. Ann. 567.* sic: Sanctum Braulium *Cæsaraugustanum Episcopum, virum multarum linguarum & sacræ Scripturæ peritissimum*: & *Ann. 647.* vbi Ildephonsi verba transcribit. Andr. Schotus *in Bibliothec. Hispan. tom. 2. clas. 10. cap. 1. fol. 188.* sic: S. Braulio *Episcopus fuit Cæsaraugustanus, quam sedem post Ioannem fratrem, tenuit, & Apostolicus Ecclesiastes. Argumento est visa interdùm in concionantis aures columba insusurrare.* P. Ioan. Marin. *lib. 6. cap. 6. Ann. 637.* sic: Braulius *Cæsaraugustanus Episcopus, qui Ioanni fratri in ea Ecclesia successerat, cæteris deserentibus, propter ingenij eruditionisque laudem, litterarum, doctrinæque studia, Concilij actiones rexisse fertur; decreta, legésque sanxisse. Literas ad Honorium, per hæc tempora Roman. Pont. dedit: cùm illi Patres suas actiones probare cuperent. Eas literas ob dictionis elegantiam, sententiarum grauitatem, atque structuræ venustatem, magnam Romæ admirationem excitasse Rodericus Præsul est auctor.* Is *lib. 2. cap. 19.* sic: *Huic Synodo* Braulio *Cæsaraugustanus Episcopus præ cæteris illustris effulsit, atque piam doctrinam Christianis mentibus decenter infudit; cuius & opuscula nunc vsque decenter Ecclesia veneratur. Huius eloquentiam Roma, vrbium mater, & domina per Epistolare eloquium est mirata.* Sed vt Scriptoribus finem imponamus Martyrologiis locum demus. Roman. *h. d.* sic: *Cæsaraugusta in Hispania Sancti Braulij Episcopi, & Confessoris.* Vbi Baron. *lit. H.* & in *Annal. Eccles. tom. 8. Ann. 636. num. 19.* Philipp. Ferr. in Topograph. verb. *Cæsaraugusta, fol. 29.* sic: XXVI. Martij. Braulius *Episcopus, S. Isidori discipulus, indicio ignei globi electus.* Martyr. *Lusitan.* & *Castell.* P. Dionys. Vasq. & *Hispan.* P. Higuer. Breu. peruetusta, & Kalend. *Mart. Hisp. Martij.* *C.* *Scriptores.* *Martyrologia.*

Chronographi. Cæsaraugust. & ex nostr. P. Truxill. *tom.2.Thesaur. Concionat.fol.*786. De eo Ambros. de Moral. *lib.*11. *cap.*58. *fol.*67. & *lib.*12. *cap.*21. *aut* 23. *fol.*129. Basil. Santot. Villeg. & Ribadeneyr. in florib. SS. hoc die. Mariet. *Histor. Sanct. Hisp. lib.*5. *cap.*38. *&* 39. *fol.*126. Padill. *Histor. Eccles. Hispan. tom.*2. *cent.*7. *cap.*28. *fol.*229. D. Martin. Carrill. *Histor. S. Valer. in Catal. Prusul. Cusaraugust. Ann.*624. *fol.*230. Gabriel Pennot. *Hist. Canon. Regul. lib.*2. *cap.*30. *fol.*346. Eius vitam scripserunt *Bartholom. Laurent.* Histriograph. Regn. Aragon. P. Murill. *Hist. Cæsaraug. tom.*1. *cap.*28. *fol.*234. Ludouic. Lop. *Histor. Cusaraugust. tom.*1. *part.*2. *cap.*12. *fol.*472. P. Quintanadueñas *Histor. Sanct. Hispal. h. d. fol.*162. Garibay *lib.*8. *cap.*32. Gualt. *in Chron. Ann.*600. P. Portocarr. *in vit. S. Ildephonsi, cap.*6. *fol.*16. D. Thom. Tamayo de Varg. *in Not. ad Luitprand. fol.*58. Loays. *in Not. ad Concil. IV. & VI. Toletan.* Ex quibus omnibus hæc consarcinate acta disposui.

ACTA S. BRAVLII EPISCOPI Cæsaraugustani Confessoris; ex Var. Scriptoribus.

Origo. BRAVLIVS, *seu* BRAVLIO, *utraque verò contextura conspicitur, ex vrbe* Cæsaraugustana *creditur oriundus, à nobilissima Gothorum Regum prosapia discurrens, vt felicius donis gratiæ, cum naturæ donis, concurrentibus, vtriusque elucesceret compago primoris, & illud Spiritus Domini, ipsi quadraret elogium:* O quàm pulchra est casta generatio cum claritate! *Ab ineunte ergo ætate ad idiomatum varia propensus dialecta, & ad bonarum artium studia, quæ in diuinis & humanis consistunt literis, procliuis, instante Sanctissimo* Ioanne *Cæsaraugustano Præsule, eius germano,* Hispalim *peruenit, vt à Beatissimo Ecclesiæ lumine* Isidoro *quidquid optauerat indole, & literis, adipisceretur. Annuit propositis* Isidor. *& in collegium adscitus* Braulius, *commilitonem inuenit* Ildephonsum, *qui Sancti Magistri mores, doctrinam, & spiritum exhibentes, magnum sibi ab omnibus conciliarunt amorem. Igitur* Braulius *tali Magisterio alitus, & tali consortio allectus, breui temporis interuallo, moribus, literis, & Sanctitate conspicuus impetulanter euasit. Quod agnoscens* Isidorus, *licet Magisterij grauitas contradiceret, attamen amicitiæ vinculum, & propensionis affectus doctissimi animum Præsulis rapiebat, vt eius opera* Braulio *transmitteret, & quæ probanda probaret, aut corrigenda corrigeret, altum de* Braulio *Magister conceptum indicans. His, & aliis virtutum cumulis ab* Isidoro *Archidiaconus* Hispalensis *factus, taliter in munere, & iudicatura se prouidus, & sedulus minister in omnibus gessit, vt* Isidorum *omnes confirmasse sententias* Braulij *protinus, diceretur. Post,* Cæsaraugustam *remeans, à* Ioanne *fratre Archidiaconus electus, mirum in modum feruens* Braulij *doctrina passim enituit, vt non solùm patriæ, sed etiam* Hispaniæ, *&* Galliæ *terminos præoccuparet. Quanto hisce* Isidorus *nuntiis prosequebatur amore* Braulium, *ipsius epistola demonstrant. Hæc post regressum, sic:*

Eius studia. — *Discipulus S. Isidori.* — *Condiscipulus S. Ildephonsi.* — *Archidiaconus Hispalensis fit.* — *Et Cæsaraugustanus.*

In Christo Charissimo, & Dilectissimo filio *Braulioni* Archidiacono. *Isidorus.*

Epistola, absentium solamen. Dum amici literas, Charissime fili, suscipis, eas pro amico amplecti non moreris. Ipsa est enim secunda inter absentes consolatio, vt si non est præsens, qui diligitur pro eo literæ amplexentur. Direximus tibi annulum propter nostrum animum, & pallium pro amicitiarum nostrarum amictu, vnde antiquitas hoc traxit vocabulum. Ora igitur pro me, inspiret tibi Dominus, vt merear adhuc in vita videre te. Et quem mœstificasti abeundo, aliquando iterum lætificies te præsentando.

Quaternio

Quaternionem regularum per Maurentionem Primiclerium direximus. De cætero autem opto tuam ſemper cognoſcere ſalutem; Dilectiſſime mi Domine, & Chariſſime fili.

Item alia, in qua adeſt de contubernij tempore mentio, & Synonymorum remiſſio, ſic:

In Chriſto Chariſſimo, & Dilectiſſimo fratri *Braulioni* Archidiacono.

Iſidorus.

Quia non valeo te frui oculis carnis, perfruar ſaltem alloquiis, vt ipſa amici ſit conſolatio incolumen literis cognoſcere, quem cupio videre. Vtrumque bonum eſſet, ſi liceret: ſed vel mente de te reficiar, ſi corporali obtutu non valeo. Dum pariter fuiſſemus, poſtulaui te, vt mihi Decadam ſextam Sancti Auguſtini tranſmitteres, poſco, vt quoquo modo me cognitum ei facias. Miſimus vobis *Synonymorum* libellum, non pro eo, quod alicuius vtilitatis ſit, ſed quia eum euolueras. Decætero peto, vt dum vita comite portitori ad nos regredi fuerit opportunitas, veſtris nos iubeatis lætificare eloquiis.

Epiſtolis inter ſeſe loquuntur abſentes.

Poſtmodùm è viuis ſublato Ioanne *eius fratre, cùm ad electionem ſucceſſoris* Toletum *concurreret Epiſcopalis Hiſpaniæ cohors ante* IV. *Concilium ipſius vrbis, inter alios* Braulius, *vt Archidiaconus acceßit, ſic diuino Numine permittente. Ad electionis autem opus deuentum, cùm Patrum ſuffragia in vnum concurrere non valerent, ſubitò viſus è cælo dilapſus in globi ignei forma ſplendor, & ſuper capitis* Braulij *comam inſidens, illicò vox pariter intonuit.* Hic eſt ſeruus meus, quem elegi, poſui ſuper eum Spiritum meum. *Quo prænuntio, & miraculo Patres protinus* Braulium *ad Summum Eccleſiæ* Cæſarauguſtanæ *faſtigium euexerunt. Qui in gratiarum actionem populo prædicans, non ſolum Catholicorum ſpiritus demulcebat, & ad virtutum ſemitas inſectandas, direxit, ſed etiam hæreticum quendam variis ſacræ Scripturæ clauſulis confutauit tali ſubtilitate, tanto ſpiritus robore, & verborum efficaciâ, vt Patres, Presbyteros, & Populos in admirationem adduxerit. Quibus dimißis, nouus Pontifex in Patriam, Eccleſiámque rediens, ad muneris penſum humeros applicans, verbo, moribus, & exemplo gregem commiſſum inſtruebat. Fuit omnibus benignus, rebellibus auſterus, & vindex. In veſtitu parcus, in victu ſobrius, in iudicio rectus, in ſermone feruidus, in diſputatione efficax, in ſubuentione largus & in omnium virtutum actionibus indeficiens. Sed quo ipſius conſpiciebatur elegantia, maximè in confutandis hæreſibus, & prædicationibus opere elucescebat; adeo vt cùm ſemel Dei verbum populo patefaceret, Columba ſuper humerum auri dictans eloquia viſa eſt. Interfuit aliquibus* To!etanis *Conciliis, quibus ſubſcripſit, vt in* IV. *LX. Epiſcoporum, ſub Honorio I. Anno III. Siſenandi Regis, Era DCLXXI cui præfuit* S. Iſidorus. *Et in V. Synodo* Toletana, *anno I. Suintillanis Regis. XXXIV. Epiſcoporum, Era DC.LXXIV. in cuius Concilij ordinatione præ cæteris effulſit, & epiſtolam cum decretis Synodi Romam mittens, in magno propter eius doctrinæ ſpecimen, & eruditionis acumen pretio habitus eſt. Item VI. interfuit* Toletano *Concilio XLVIII. Epiſcoporum, Era DCLXXVI. Anno Suintillæ II. in quo etiam canones dirigens, eſt, vt S. placet Ildephonſo, clarus, & illuſtris habitus. Dimiſſo Concilio ad propria repedans, ſedulus Paſtor ſuper gregem noctu, diúque inuigilans, ne erroris Ariani contagij labe macularetur inſudabat. Nec his intentus curis, in aliis, cultus, & ornatus Eccleſiarum deficiebat; quin potiùs omnia prouidens, omnibus occurrebat. Extruxit Baſilicam SS.* Maſſarum, *in qua adhuc* S. Braulij *turris perſeuerat. Nonnulla ſcripſit opuſcula, inter quæ memorantur* Vita S. Æmiliani *Monachi. Vita* S. Ioannis *eius fratris. Vita* S. Iſidori *Magiſtri. Vita* S. Leocadiæ. Prologus *ad*

Epiſcopus Cæſarauguſtanus miraculo eligitur.

Iſai. c. 43. n. 10.

Hæreticum conuincit.

Mores in Præſulatu.

Columba dum prædicat, ad aurem alloqui viſa.

Romæ in magno pretio habitus.

Turris S. Braulij.

Opera quæ scripsit.

Librum Etymologiarum S.Isidori, *Cui nonnullas scripsit Epistolas, Supplementum breue Chronici* S. Marci Maximi *eius decessoris; & aliqua sepulchralia carmina.*

Infirmatur.

Angeli concinentes in eius morte audiuntur.

Moritur.

His, & alijs, virtutum, & doctrinæ operibus illustris, ad vitæ huiusce terminum perueniens, quo ad tot obsequiorum Domino præmia cucurrerat. Ergo morbo correptus, cum de eius vita medio dubitaretur, adstitit Prothasio *Tarraconensi Episcopo, vt illa exposcebant tempora, & alijs Præsulibus, vt morti, & sepulturæ Pontificis infirmi interessent, receptis Ecclesiæ Sacramentis spiritus agonem confortantibus, & itineris futuri pressuram confouentibus, vox Angelorum suauitate diffusa, audita est, inter cuius symbola, hac omnium auribus intonuit:* Surge, & veni amice mi. *Cui* Braulus: Præsto sum Domine. *Quo dicto spiritum Domino commendauit, die* XXVI. Martij. *Anno Domini* DCXLVI. *Regnante in Hispania Cindasuintho. Eius sacratum Corpus fuisse in Ecclesia B.Virginis de Columna, (vbi per multa sæcula quieuit) sepultum creditur.*

Error de prosapia ex Theodorico Rege.

Hæc videri meo genuina est, & verissima *Sancti Braulij* vitæ ecphrasis. Cætera quæ circumferuntur de progenie, neutiquam vllo subsistere valent fundamento historiæ. Nam originem & prosapiam deductam ex *Theodorico*, qui *Seuerianum* genuit, à quo *Theodosia*, quæ *Leouigildo* nupsit, à quibus Sanctus *Hermenegildus* Martyr, & *Reccaredus* Rex, & *Braulius* Episcopus, penitus improbabilem esse, ex nostris deducitur Historiis. Quia licèt hæc opinio originem sumpserit ab exteris authoribus, vt fuère Petr.Cabilonens. *in Topograph. SS.* verb. *Hispalis*, sic: *Hic Hermenigildus frater* Braulij *Cæsaraugustæ Episcopi, & Reccaredi.* Quem vt assolet sequitur Maurolycus *Idib. April.* sic: *Eodem die in Hispania*, Hermenigildus, *Leuigildi filius Visigothorum Rex, Reccaredi, &* Braulij *Cæsaraugustæ Episcopi frater, Sigiberti Regis gener*, &c. tamen quia *P. Quintanadueñas*, & *Ludouicus Lopez* Hispani hanc opinionem recensentes, nullatenus eius improbant errorem, sed relatione contenti ad vlteriora procedunt, necessario hîc refellendam, & exterminandam censuimus; ne alius huiusmodi de cætero ad lapidem offendat. Et quod hoc non sit verum, extra communem Historiæ, & traditionis concursum, solo vnico insurgam argumento. Si *Braulius* fuit frater *Reccaredi*, & *Hermenigildi*, ergo & *Ioannes* antecessor *Braulij*; hoc non subsistit, ergo nec illud. Minor in promptu. *Ioannes* (ex D.Ildephonso, qui ambos cognouit) fuit frater *Brauly*, ergo & *Ioannes* frater *Hermenegildi*, & *Reccaredi.* Nec huic argumento satisfaciet, quod *Ioannes* ex alio Parentum partu fraternitatem contraxerit; quia huic obstabit euasioni, locus ipse à *Quintanadueñas* adductus ex Marineo Siculo, sic: *Tres fratres fuère, Hermenigildus scilicet Martyr, Reccaredus, cuius operâ plures homines ad fidem Catholicam conuersi fuerunt, &* Braulius *Cæsaraugustanus Episcopus.* En solum tres, ergo non *Ioannes*, nec ex Patre, nec ex Matre. Sed adhuc fasciam argumenti stringat textus Ildephonsi, sic: Braulio *frater* Ioannis *in Cæsaraugusta decedentis, adeptus est locum; Sicut Germanitate coniunctus, ita non minimum ingenio memoratus.* En frater *germanitate* coniunctus. Ergo ex vtroque parente. Si linguam calles Latinam, intentum habeo.

Non fuit frater Reccaredi.

Nec frater Leandri.

Huic opinioni successit alia, minus temerè olim inducta, licèt à pluribus antiquis Scriptoribus, rectè, & iure reprobata, & hodie sine tergiuersatione inaudita. Hanc refert idem *P. Quintanad.* & sequitur *Ludouic. Lop.* asserentes *SS. Ioannem, & Braulium* fuisse fratres *Leandri, Fulgenty, Isidori*, & *Florentinæ*, filiorum Ducis *Seueriani*, & *Turturæ*, hoc deducentes ex peruetusto *Breuiario Hispalensi*. A quibus dissentiunt penè omnes Ecclesiasticarum, & Sæcularium rerum Scriptores; Quibus adiicimus *S.M. Max.* qui filios *Seueriani* recensens, nullibi ipsorum filios assignat eosdem, nec *Luitprandus*, qui vnica oratione omnes includens *Aduers.* 242. sic: *Paula de genere clarissimo Gothorum, Mater fuit Theodora, Coniugis Seueriani, Parentum Leandri, Theodoræ, Florentinæ, Fulgenty, & Isidori, qui hoc ordine nati sunt.* En ab hac exclusi progenie *Ioannes*; & *Braulius*. Quod verius est, & rationi congruum; Sanctum *Braulium* eiúsque fratrem fuisse ex Nobilissima Gothorum Regiæ stirpis origine, vt inquit *Luitprandus*, & *Isidorus Pacensis, Sanctorus, Murieta,*

Fuit ex nobili genere ortus.

rieta, *Morales Padilla*, *Mariana*, *& Morillo*, ad cuius sanguinis splendorem, accreuit virtutum honestas quæ proculdubio, vera est, & indeficiens nobilitas. *Gabriel Pennotus* contendit *S. Braulium* fuisse ex Canonibus Regularibus Sancti Augustini, quod si tunc Ecclesia fuisset Canonicorum, crediderim *S. Braulionem*, tanquam ipsius Archidiaconum, etiam habitum induisse. At cùm adhuc lis sub iudice sit, & neminem repererim, qui huiusmodi titulo Præsulem Sanctissimum compellat, ab ipsius indagatione animum, & calamum suspendo. Cætera vt communia relinquo. *Pennoti persuasio erronea.*

CÆSARAVGVSTA. Insignis in Aragonia Vrbs de qua diximus *supra Tom. 1.* & hoc 2. *die XXIV.* huius Mensis, quâ Numisma Augusti-Cæsaris depinximus, vt demonstraremus fuisse in Coloniam Vrbem istam deductam. Hîc de ipsa vrbe, cùm SALDVBA dicebatur, illustre Cæsaraugustanis monimentum, hactenus ignotum, & à me erutum in vrbe *Placentia*, quæ olim *Ambracia* dicebatur, exhibeo; quod in tabula lapidea, in *Via*, quæ *Ampla* vocitatur, cum aliis visitur.

Inscriptio Ciuis Cæsaraugustani.

DIIS LARIB. IBERIC.
PERONIVS. SALDVBENS.
VNVS. EX. LEG. H.C. AD. S. R.
PRO. MAG. ROM. IN. HISP.
AVAR. ELIMINAND.
H. S. E.

In cuius explicatione diu tentus, crederem sic legendum: *Dijs Laribus Ibericis. Peronius* Saldubensis, *vnus ex Legatis Hispaniæ Citerioris, ad Senatum Romanum, pro Magistratum Romanorum in Hispania, auaritiâ eliminandâ. Hic situs est.* Quod si ita est, hinc venit illustrandus locus T. Liuij in exord. *Decad. 5. lib. 3. Tom. 1. Script. Rom. fol. 480. col. 1. lit. G.* vbi de hac Legatione his verbis, agitur. *Hispaniæ deinde vtriusque* LEGATI *aliquot Populorum, in* Senatum *introducti. Ij de* Magistratuûm auaritia Romanorum, *superbiâque conquesti, nixi genibus ab* Senatu *petierunt, ne se socios fœdiùs spoliari, vexarique quàm hostes patiantur.* En cum inscriptione consonantia. En SALDVBÆ auctoritas vrbis, quæ progenuit Ciuem, cui hoc muneris pensum illis seculis mandaretur. Nec de *Batiea* SALDVBA iste Ciuis censendus est, quia ex quo *Laribus Ibericis* se commendauit, proculdubio Iberus fuit. *T. Liuij locus illustratur.*

S. Eugenia.] Eius memoria temporum inglnuie, & bellorum iniuria penitus deperiuit; donec cœlestis ipsius Virginis, & Martyris Sponsus, qui suorum nec capitis capillum decidere, vt obscuretur, permittit, in lapide nomen, & agonem demonstrauit. Ex quo eius commemoratio cœpit vbique diffundi, & in omnium ora circumferri. Et licèt in Martyrologiis antiquis nulla de ea mentio compulsetur, in recentioribus tamen inuenitur: sic ergò Philipp. Ferrar. *in Catal. Generał. SS. hoc die, fol.* 124. Cordubæ *in Hispania Sancta* Eugeniæ *Virginis, & Martyris.* Et in noua *Topograph. verb.* Corduba. De ea agunt Luitprand. *in Chron. num.* 334. sic: *Floret Sancta* Eugenia *Virgo, & Martyr, qua in territorio Cordubensi, vrbe Vtsea (nunc Marmolejos) passa anno DCCCC. XXIII. Patribus Cordubensibus Christianis, decollata est. Christiani Muzarabes, ob memoriam martyrij posuerunt cænotaphium versibus acrostichis.* Extensius *Aduers.* 41. cuius verba infrà dabimus. Iulianique *aduers.* 333. Post hos Ambros. Moral. *Histor. Hispan. tom. 3. lib. 15. cap. 54. fol. 205*, & post opera S. Eulogij, *tom. 4. Hisp. illustrat. fol.* 347. P. F. Thom. Malnend. *tom. 1. Annal. Domin. cent. 1. ann. 1238. cap. 6. fol. 952.* Mariet. *lib. 4. cap. 38. fol. 106.* P. Roa *Histor. SS. Cordubens. h d fol. 67. col. 2.* Baron *in Annal. Eccles. tom. 10. Ann. 923. num. 2.* Amicus noster M. Rus Puerta *Hist. Giennens. 1. part. sæcul. 10. cap. 1. fol. 238.* Ex quibus hoc desumi potest elogium. D. *Martyrologia.* *Scriptores.*

ACTA S. EVGENIÆ, VIRGINIS & Martyris Cordubensis; ex Epitaphio, & alibi.

EVGENIA *ex nobili Gothorum stirpe progenita, & ex Parentibus Catholicis Muzarabum apud* Cordubam *Hispaniæ titulo consignatorum oriunda,* *Prosapia.*

oriunda, à primis infantiæ exordiis, velut lilium domus Dei, inter ſpinas Saracenici dogmatis odorem ſuauitatis virtutum in auras viciniæ rutilans exhalabat.

Educatio.

In cuius via greſſibus conſtanti ſpiritu deambulauit, quovſque ad maiorem producta ætatem, continuis virtutum cumulis, vt feruens Phœnix aromatum ferculum cumulans, in palmæ cacumine meritorum manipulos congregauit. Quibus flante aura diuini Numinis in medio ſedula martyrium inhians, ad rediuiuæ æternæ beatitudinis lumina properauit. Hæc infantiæ, & iuuentutis primordiis æternum Sponſum quæritans, inter lilia caſtitatis bonorum operum gregem depaſcens, ipſius veſtigia ſedula inſectabatur. Sed ille lupus rapax, qui continuis circuit gyris quærens, quem deuoret, vt Virginis caſtitatis agmina compilaret, in Abderhamen *Regis* Cordubæ *ſæuiſſimi viſcera penetrauit, vt in Chriſtianos Muzarabes deſæuiret.*

Perſecutio in Muzarabes.

Quod protinùs impius impleuit Tyrannus, & inter cæteros, qui carcerum ergaſtula præoccuparunt, etiam Eugenia *in vinculis poſita* non minus *ſatellitum eſt experta rigorem. In huius horrido cuſtodiæ ambitu, aliquot* Virgo *conſtans peregit annos, ibidem* S.Pelagium *continuis virtutum exemplis, verborum conſiliis, & operum tractatibus ſolabatur.*

Comprehēditur Virgo.

Donec impleto paſſionis tempore, è carcere educta, & ad Vicenſem *urbem non longè à* Corduba *deducta, ibidem impio ſubiecit collum Martyr inclyta, & excelſa Virgo mucroni,* VII. Kal. Aprilis, *Anno Domini* DCCCCXXIII. *Regnante in Legione* Ordonio II. *Pontificatum obtinente Sergio III. & Imperante in Oriente Conſtantino VIII. Porphyrogeneto, & in Occidente HLudouico IV. Chriſtiani Muzarabes collectum corpus ſepeliere, in cuius ſarcophago hoc Acroſtichum ſepulchrale inſcripſere carmen.*

Sepelitur.

Carmen ſepulchrale.

E::::::::::::::::::ALIS VI VOX QVOQVE NOSTRA.
VICTRIX ET TVRBAS CARNIS POST IRE SOPITAS.
GENV::::::::::::::::::::PERAGENS TRVCVLENTVM.
EXC::::::::::::::::::::::::::::::RISQVE SECVNDA
NOBIS HIC::::::::::::EBIS SVRRIPERE TENTAT.
IN COELO DEHINC MERITA PER SECVLA VIGENS
ADIVNCTA POLLET CVRIÆ SANCTORVM IN ARCE
MERCEDES IPSO RVTVLI SVB SOLE CORVSCAT
AMBIENS SACRI GLORIAM DE MERCE CRVORIS.
REX TRIBVIT CVI CORONAM PER SECLA FVTVRA.
TV ITAQVE NVTIBVS MARTYR NOS MANDA DIVINIS.
IDEM SVB ERA NOVIES CENTVM IVGVLATVR
::::::SEXAGIES ET VNO. SEPTEM DE KAL. APRIL.

Sic inuentum eſt hoc ſepulchrale carmen, vt referunt *Morales*, *Roa*, & *Baronius*, quia cum temporis aſſidua corroſio aliqua carminum verba deturpaſſet, attamen nomen Martyris, diem & annum reſeruauit, vt ex primis verſuûm literis deprehenditur: in quibus, vt vides legitur: EVGENIA MARTYR. Etſi in vltimo R nota deficiat. Cui, vt inquit Morales, dictio *Rurſus* addenda eſt. De ea, ſic Luitprand. *in Chron.* n.334. *Floret Sancta* Eugenia *Virgo, & Martyr, quæ in territorio Cordubenſi, Vrbe Vtica (nunc* Marmolejo) *paſſa eſt anno DCCCC.XXIII. patribus Cordubenſibus Chriſtianis, decollata, & Chriſtiani Muzarabes, ob memoriam martyrij poſuerunt Epitaphium verſibus acroſticis.* Quo in loco D. Thom. Tamay. *fol.* 229. hæc etiam acroſtica Carmina refert. Baſilius, ſeu Blaſius etiam Epiſcopus Toletanus alia in eiuſdem Virginis laudem diſticha conſcripſit, quæ cum ecphraſi martyrij ſubiunxit idem Diaconus Ticinenſis *aduerſ.* 38. & 39. apud Tamayo, & *aduerſ.* 41. & 42. apud D.D.Laur. Ram. ſic: *Ætate parentum meorum Anno Domini DCCCC.XXIII. Martij XXVI. paſſa eſt martyrium Virgo ſanctiſſima* Eugenia, *filia Chriſtianorum Muzarabum in Municipio Vticenſi, quod in Conuentu Cordubenſi vocarunt* Marmolejos, *iuſſu Regis, & Amiramalenis Abderraghamenis ſæuiſſimi Tyranni, fidei Chriſtianæ cauſa, & poſt carceres, & ſupplicia, datis ceruicibus Martyr effecta eſt. Cordubæ, & ſub Blaſio, ſeu Baſilio Toletano Pontifice Martyr eſt honorificè ſepulta cum verſibus acroſtichis in marmore cælatis, & mirificè culta eſt. Et etiam Oneto, Toſeti,* &

Memoria S. V. & Martyr.

Blaſius Epiſcopus Toletanus.

& in Gallacia celebratur. Huius sanctissimæ Virginis, & Martyris Hispanæ reliquiæ delatæ sunt ad varias Hispaniarum partes, vbi conditæ sunt illi Ecclesiæ. In Tabulario S. Iustæ reperi carmen hoc compositum à Domino Blasio Toletano Pontifice, præstantissimo illius sæculi Poëta, quod ijs addam.

Eugenia *hoc posita est tumulo celeberrima Virgo,* *Eius carmen sepulchrale.*
Sanguine, quæ Christi est testificata fidem.
Purpura, quam decorat suffecto sacra colore,
Laurea, & exornat cui duplicata caput:
Multa tulit, sed plura refert ex hoste trophæa,
Virtutes, Lauros Æther & ipse canit.
Miratúsque canet ventura in sæcula Mundus,
Dum steterit tellus pondere fulta suo.
Toletum tibi, Diua potens, tibi Corduba felix
Patria, mensuram porriget vsque decem.
Totáque iam refert Tricensis Ecclesia laudes,
Præcipua indigeti soluet Ibera suæ.
Morte paras vitam, penetras quoque funere cœlos,
Vulneráque ad Superos expediêre viam.
Supplicibus te pande piam; portúmque salutis;
Diua doce miseros, Diua tuere reos.
Quod patimur (si est triste iugum) sit causa salutis;
Blasius hoc Præsul carmine te celebrat.
Toleti memor esto sui, nitidæque tuorum
Maiorum sobolis, iam tua regna tenens.
Eugeniam *sequeris, Pelagi fortissime Martyr,*
Moribus & similes estis, & igne pares.
Efferus Abderamen Almansor credidit ambos
Perdere, vtrumque tamen morte sub Astra rapit
Vos eadem fortasse grauet custodia vinctos
Compede, tum vinclis, tum pietate pares.
Quos ibi sermones seritis de morte ferenda,
Pro pietate semel, próque pudore simul?
Eugenia, *ô Pelagi, tibi sit noua causa coronæ*
Illa necem patiens, te docet esse Virum.
Post eius testare fidem vestigia constans,
Illa tuo capiti serta nec vna locat.
Gaudetis super Astra duo de morte subacta,
Nomine velletis plura tulisse Dei.
Vos rosa, vos decorant candentia lilia testes,
Hinc rubor, hinc candor tempora vestra tegit.
In terris Patria haud similis, tamen vna duobus
Patria communis Regia celsa Dei.

Gaudete,

Gaudete, ô pugiles, memores eſtote clientum,
Quos dubia exercet pugna, grauatque metus.
Præſentes igitur Populis pugnantibus, eſte;
Si nos aſpicitis, vincimus, & fruimur.
Si vincemus, erit palma pars maxima veſtræ;
Gloria noſtra ſimul, gloria veſtra, & erit.

Annus agonis. *Obijt Sanctiſſima Virgo, & Martyr Eugenia VII. Kalend. April. Feria IV. hebdomada dicta in Paſſione; quam poſt duos annos aſſequitur Sanctiſſimus Iuuenis Pelagius, vt creditur natione Gallæcus, qui ducem, & magiſtram habuit ad martyrium Sanctiſſimam* Eugeniam *Era DCCCC. LXI. Anno XII. Abderramenis huius nominis IV. dicti cognomento Almanzoris. Egira verò CCC. XII. Sæuiſſimus fuit hic Imperator, & multas in Chriſtianos edidit ſtrages, ac fidei Chriſtianæ fuit hoſtis infenſiſſimus.* Hactenus *Luitprandus* in Codice D.Thomæ Tamayo. Sed antequam ad vlteriora procedamus inacceſſibilem mihi infert ſextum huius epigrammatis diſtichum à Blaſio compoſitum difficultatem in quo ſic:

Blaſij diſtichũ examinatur.

Totaque iam refert Tricenſis *Eccleſia laudes*
Præcipuæ indigeti ſoluet Ibera *ſua.*

Cùm in his verbis de illa *Sancta Eugenia*, cuius corpus in *Nagera* vrbe requieſcit, videatur loqui; credens pignora *Eugeniæ Cordubenſis* in *Nageram* tranſlata. Quod abhorret temporum ſtructura, & veritatis hiſtoricæ textamen. Nam *Sanctæ Eugeniæ Nagerenſis* corpus Româ allatum fuit, & à *Benedicto VII.* Rom. Pont. tranſmiſſum ad Regem *Garſiam Nauarram*, vulgò *Nagerenſem* ad Annum M.LII. vt teſtantur D.Epiſcop. Sandou. *Hiſtor. Nauarr. & Pampil. fol.*45. P. Yepes *in Chron. Bened. tom.6. Ann.*1052.*cap.*8. *fol.*136.*col.*4. Ainard. Oihenart. *lib.*2. *Notit. vtriuſque Vaſcon. cap.*13. *fol.*304. Ergo Blaſius non potuit hoc diſtichum conſcribere *S.Eugeniæ Nagarenſi*, cùm nondum in vita Pontificis, eius aduenißent ſacra ex Româ lipſana. Qui vt inquit Iulian. *in Chron. num.*519. & Illuſtr. Epiſcopus Turiaſon. *tom.*2. *Primat. Tolet.* 3.*part. cap.*1. §.10.*fol.*579. viuere deſiit anno M.V. penè XLVII. ante tranſlationem corporis *Eugeniæ*. Ex quo duo colligo, aut quòd hoc diſtichum in Blaſij epigrammate ſuppoſititium eſt, aut quòd in originali *Luitprandi* diuerſa oratione confectum erat. Quod etiam confirmari poteſt ex eo, quòd in hexametro ratio poëtica non ſeruatur. Dom. *D. Laurent. Ram. in* ſua editione, ſic legit:

Eugenia Najerenſis quæ?

Carminis error deprehenditur.

Totáque iam refert Parentum Eccleſia laudes
Præcipuè Indigeti ſoluet Ibera ſua.

Hoc ordine adhuc ſcrupulus diluitur, nam *Parentum Eccleſia*, ſi *Cordubæ* referatur, & hiſtoriæ congruit, & rationi adæquat. Tuncque *Ibera* pro tota Hiſpaniæ Prouincia accipitur. Quod me in admirationem rapit eſt amici M.Franciſci Rus Puerta in *Hiſtor. Giennenſi. tom.*1. *ſæcul.*10. *cap.*2. *num.*3. *fol.*242. lapſus in metro, in ſenſu, & in conſtructione, hoc appingens diſtichum, ſic:

Totáque iam refert tricenſes *Eccleſia laudes*
Præcipuè Indigeti ſoluit Ibera *ſuæ.*

Error Rus-Puerta.

Qui poſtea *num.*4. vertens in linguam Hiſpanam illud, aſſerit *tricenſes laudes*, idem eſſe, ac *trinas laudes.* Quis hoc excogitauit? Quóve Grammatico, aut Arithmethico inuenit, hoc numerandi nomen? Abſit ab homine docto. Defectus item in metro adeſt, nam tricenſes, *es*, finalis producitur: & dictio *Eccleſia* habet primam ſyllabam longam, ſicut dictio *refert*, primam breuem. Idem error circa regulas Poëſeos in lectione *Luitprandi* obſeruatur, & prætereа ly *Parentum*, habet primã breuem, & ſic pro duobus Spondæis ponit duos Trochæos, quæ ſanè licentia non habet authorem. In ſenſu tamen iam explicato hiſtoria ſaluari poteſt: ſed verius videtur hoc diſtichum eſſe additicium & peregrinum, nec ſtylo Blaſij conſentaneum.

sentaneum. At vt incepta prosequamur, Iulian. Noster Archypresbyter Toletan. *Aduers.* 333. etiam de *S. Eugenia* meminit. Cuius verba, cum de translatione loquantur, hîc non transcribimus, vt suo tempore collocentur. Tantùm his addam causam, ex qua coniectaui, quod in illo disticho loqueretur Pontifex Toletanus de *S. Eugenia Nagarensi*, vt à quo coniectationem desumpsi explicem; sciendum est *Nageram* ab aliquibus, olim dictam *Tricium*, vt videre est apud Ortelium in *Thes. Geograph.* Ex quo *Tricensis Ecclesia* de Nagarensi in disticho sumenda erit, & fortius si *Iberum* adiiciamus flumen, quod mœnia *Naxara* præterlabitur. Sed lectio *Ramirez* quoad historiam genuina magis videbitur illi qui hoc distichum noluerit explodere. *Tricium olim, Naiera.*

VTICA vicus erat non procul ab vrbe Corduba dissitus, qui postmodum MARMOLEIOS dictus est, vt probat Luitprand. *in Chron. d. n.* 334. & *Aduers.* 421. Iulian. Petr. *Aduers.* 333. à quibus hoc nomen appositum ignoratur. P. Maluend. *d. Ann.* 1238. *cap.* 6. *fol.* 552. refert hunc vicum, vbi hodie celebre Prædicatorum Cœnobium S. Paulo dicatum, à Ferdinando Rege cognomento Sancto, extructum fuit, tempore Sarracenorum Martyrum fuisse carcerem contendit, & locum Lanienæ; de cuius rei veritate sequentia subiicit verba: *Idem Morales præfatam lapideam tabulam, arca lignea, ornatu decenti impositam, picturisque illustratam, in Oratorio Nouitiorum eiusdem* Cordubensis *Monastery condidit, vbi in veneratione habetur. Quocirca ex indicio lapidis inscripti, ex subterraneo specu, ex veteri traditione per manus accepta, nimis exploratum redditur*, locum, *vbi nunc situs est conuentus, olim fuisse* carceris, *&* lanienæ Sanctorum Martyrum. *Qua etiam opinio diuina visione confirmata est: Frater quidam pius, & Religiosus, qui in Ecclesia Altaria visitans, solitus erat pernoctare; nocte quadam cùm post solitas preces in cellam se reciperet, & ante ostium Capituli pertransiret; vidit intus admirabilem quandam lucem, & ingentem Sanctorum multitudinem, qua ibi conuenerat. Eo spectaculo stupefactus, hæsitabat, quidnam illa visio significaret. Cum interim Sancti ei dixerunt:* Nos locum istum sanguine nostro pro Christi fide fuso, rigauimus, & idcircò eum inuisere iuuat, qui nobis cœlestis gloriæ, quâ fruimur initium dedit. *Hanc visionem S. ille Frater Prælatu suis exposuit, qui haud difficulter fidem prabuère, cùm ex alys indicys, tùm ex conceptâ opinione probitatis eiusdem Viri Religiosi.* Hactenus Maluenda. *Martyrum carcer.* *Visio in huius rei comprobationem.*

SEXTO KAL. APRIL.

DIES XXVII.

A. *Barcinone in Hispania Citeriori SS.* PHILETI *Senatoris,* LEDÆ *vxoris,* MACEDONIS, *&* THEOPREPIDIS *filiorum,* AMPHILOCHII *Ducis, &* CRONIDÆ *Commentariensis, cum alijs LIII. socijs, Martyrum, qui Hadriano imperante, propter Christi fidem comprehensi, postquam verborum illecebras respuissent, & ad verberum angustias intrepidi festinassent, potiùs in agone corpora dilaniari, quàm animas apostasiâ maculare maluerunt, ideo victores ad cœli culmina martyrio peruenerunt strenui.*

NOTÆ.

NOTÆ.

Menologium, & Martyrologia.

Vbi passi?

Roman. Martyrol. vt quid reticet LIII. socios?

SANCTI Philetus, & socij. Ipsorum memoria apud *Græcos* hoc die perseuerat, qui in *Menologio* his vtuntur verbis. *Eodem die Sanctorum Martyrum* Phileti *Senatoris*, *&* Lydiæ *vxoris*, *eiusque filiorum* Macedonis, Theoprepidis, Cronidæ *Commentariensis*, & Amphilochij *Ducis*. A quibus Latini in Martyrologio Romano, sic: *Eodem die Sanctorum* Phileti *Senatoris*, Lydiæ *vxoris*, *& filiorum* Macedonis, *&* Theoprepidis: *itemque* Amphilochij *Ducis*, *&* Cronidæ *Commentariensis*, *qui pro Christi confessione cæsi sunt*. Cui consonant Martyrologia *Lusitania*, & *Castella* P. Dionys. Vasq. Et licèt in *Menologio*, & *Martyrologijs* nulla reperiatur de loco martyrij nota, tamen in Chron. Flau. Dextr. *Ann.* 138. *num.* 2. conspicitur, vbi Sancti Martyres agonem pertulêre, sic: *Barcinona in Hispania Sanctus* Philetus *Senator*, *&* Læda vxor *eius*, *& filij eius*, *& alij quinquaginta quinque Martyres.* Inter quos *Amphilochius*, & *Cronida* numerandi sunt. *Martyrolog. Hispan.* P. Higuera MS. sic: *El mesmo dia XXVII. del mes de Março en la Ciudad de Barcelona de España San* Fileto *Senador*, *y* Lidia *su muger*, *y sus hijos* Macedonio, *y* Teoprepides, *y el Capitan* Amphiloquio, *y* Cronide *Commentariense*, *que en la persecucion del Emperador Adriano padecieron Martirio por la confesion de la fee.* Latinè sonant: *Eodem die XXVII. Mensis Martij in Ciuitate Barcinonensi Hispania Sanctus* Philetus *Senator*, *&* Lidia *ipsius vxor*, Macedonius, *&* Teoprepides, *illorum filij*, *&* Amphilochius *Dux*, *&* Cronida *Commentariensis*, *qui in persequutione Imperatoris Hadriani pro fidei confessione martyrium compleuerunt.* De eis P. Biu. *ad Dextr. fol.* 233. *n.* 2. Roder. Car. *fol.* 69. *lit. P.* Et quamuis in *Martyrologio Romano* nulla de quinquaginta tribus Martyribus mentio hoc die insit, taliter quòd *Dextri* clausulam suspectam habere possimus; adhuc eius contexturam veridicam iudico; quia *Græci die XXVIII.* sequenti, hæc verba concipiunt: *Sanctus vero* Philetus, *& qui cum eo erant Christiani, Adriano Imperatore, quotidie Deo ipsi seruientes comprehensi martyrio coronati sunt.* En memoria apud *Græcos* de sociorum passione, quos etsi non numeret, credendum est fuisse totidem, provt *Dexter* recenset. Cui accedit ecphrasis *Martyrologij Romani*, *anni* 1603. in quo die relato, iterum repetit sic: *Item Sanctorum* Phileti *&* sociorum, *qui sub Hadriano Imperatore martyrium susceperunt.* Vbi Baron. *lit. C.* quæ clausula in *Martyrologio Vrbani VIII. Pont. Max.* 1631. expuncta cognoscitur. Quia socij non hoc die scilicet XXVIII. sed XXVII. Martij, adscribendi sunt; licet P. Biu. *ad Dextrum ann.* 42. *num.* 1. *fol.* 90. contendat illam Martyrologij Clausulam Clementis VIII. ad *Philetum* Iacobi discipulum passum *Carthagine Veteri* referendam esse. Horum acta sub silentio sunt; hæc concinnauimus.

ACTA S. PHILETI SENATORIS & aliorum Socior. Martyrum; ex Var. Scriptoribus.

Origo.

Senator.

Adriani persecutio.

PHILETVS *ex nobilissima* Senatorum *stirpe progenitus*, *apud* Barcinonem *Hispania antiquissimam vrbem vitam degens*, *vxorem duxit* Lydiam *ex honestissimis vrbis familijs*, *ex quâ* Macedonium, *&* Teoprepidem *filios recepit. Qui omnes cùm Christi Domini Euangelicam doctrinam profiterentur, bonis operibus insudantes, non tantùm eorum Illustris* Senator *virtutum exercitia prouidus satagebat*, *sed etiam aliorum in Dei cognitionem*, *& veritatis efficaciam animos minister sedulus præparabat. Cuius solicitudinis epicheia* Amphilochium *Ciuitatis* Ducem, *&* Cronidam *Præfecti Commentariensem*, *& quamplurimos militia sectatores ab Idolorum erroribus, ad Trinitatis essentia confessionem perduxit. At fauente*

Imperatoris

Imperatoru Adriani *in Ascetas Christi crudelitatis persecutione*, Barcinonem *edicta peruenère, quibus inuida Gentilium rabies in* Philetum *Senatoru iam munere fungentem, & in eius vxorem, & filios*, Amphilochium *Ducem*, Cronidam *Commentariensem, & in alios* quinquaginta, *& tres Christicolas desæuiens, post carcerum angustias, bonorum proscriptionem,* *Comprehenditur.* *agonum supplicia, verberum flagella, & pœnarum incommoda, pro fidei confessione, vltimo damnati tormento, ad gloriam Martyres peruenerunt æternam. Barcinone* V I. Kalend. Aprilis, *Anno Domini* C. XXXVIII. *Coronatur.* *Imperant. Adriano; Summum Pontificatum obtinente S.Higinio Papa.*

De huius ecphrasis veritate, ad dicta nihil addendum. Tantùm hîc subiicimus, vt eruditorum palatum demulceamus, de *Commentariensis* munere aliqua à *Baronio* in notis hac die prætermissa. Inquit enim *Commentariense* officium in *Commentarienses qui?* Sancto *Cronida*, non *Custos Carceris* designatur, sed esse nomen ordinis, & promotionis in militia Castrensi fatetur. Quod & Nos. Ad cuius veritatis comprobationem post illos à *Baronio* adductos, VVolfgang. Latij verba de *Repub. Rom. lib.4. cap.11. fol.*484. ex impress. Francofurt. ann. 1598. transcribemus, sic: *Commentarienses milites erant, qui in commentarios referebant custodias, & veluti Diaria vigiliarum conficiebant; quamquam Asconius in 3. Cicer. in Verrem, Commentariensem, cum Accenso, & Corniculario confundat*, Iacob. Guther. *de offic. Domus. August. lib.2. cap.13. fol.*321. sic: *Duo sunt genera* Commentariensium: *vnum cui custodia, & exhibitio reorum mandata est, qui carceri præpositus dicitur* in l.carceri, ff.de Cust.reor. *Et* Commentariensis *in Officio Præfecti Prætorij* in l. si fraudem, §. Quoties, ff. de Iur. fisc. Quibus in locis militare munus agnoscitur; ideóque *S. Cronidam* non *Duplex officium.* ex præpositis carcerum, sed notatis militiæ muneri, credendum est honorifico extitisse titulo.

Barcino. Celebre Hispaniæ emporium, de ea egimus suprà multis in locis, vt memorauimus die V I. huius Mensis, fol. 103. ibique Quartam opinionem de conditore, & nominis etymo diximus. Circa quarum opinionum veritatem, aliqua à Nobis compulsanda sunt; & in primis circa opinionem de etymologia abs Herculis Barcæ-Nonæ impositione, multa à Ieronymo Pujad. *Hist. Cathalon. lib.1. cap.24. fol.2. col.3.* referuntur, inter quæ monetam argenteam Alfonsi Regis Aragoniæ in qua Bark. Nona. inuenitur, sic: *Nummus Barcinona.*



Idcirco illam Vrbem Barcinonam, non Barcinonem dicendam esse, tanquam à Barcanona & non à Barcino Pœnorum Duce deductam.

QVINTO KALEND.
APRILIS.
DIES XXVIII.

A. *Apud Carthaginem Veterem Hispaniæ*, S.Phileti, *B.Iacobi Hispaniarum Apostoli, Discipuli, Martyris; qui Ie-*

rosolyma ab ipso Patrono Nostro conuersus, ipsi adhæsit; & illo per martyrium sublato, cum alijs condiscipulis Magistri corpus in Hispaniam, duce Numine, aduexit; & humato apud Flauiam-Iriam sacrato cadauere, cum alijs, Celtiberiæ terminos, ad Pyrenæi vsque prædicauit scopulos, donec Veteri Carthagine tentus, cum alijs martyrio consummauit agonem.

NOTÆ.

A. *Diuersus à Senatore.*

SANCTVS Philetus.] Diuersus à præcedenti. Ille, vt diximus, Martyr cum vxore, & sociis apud *Barcinonem*. Iste Discipulus *Sancti Iacobi* apud *Carthaginem Veterem* martyrio cum aliis coronatus. Eius memoria defecit in Martyrologiis, licet P. Biu. *in Not. ad Dextr. Ann. 42. n. 2. fol. 90.* credat hunc esse *Philetum*, de quo hoc die in *Mart. Rom. Clementis VIII. anni* 1603. vt superiùs diximus, quia ille non *Philetus* noster, sed *Barcinonensis* est, vt probauimus. De hoc apud *Helecam* Episcopum Cæsaraug. *in addit. ad M. Maxim. fol. 234. his verbis: Quem Sanctum Apostolum* (Iacobum) *morientem Hierosolymis viderunt Hermogenes, &* Philetus, *& cum aliis discipulis comitati sunt eius corpus in Naui ad Hispaniam, & post eius appulsum ad Iriam Flauiam Gallaciæ Ciuitatem, Hermogenes ad Italiam se contulit, & in persecutione Neronis prædicans cum aliis occisus est.* Philetus *verò in Hispania mansit, prædicansque per diuersas vrbes vidit SS. Petrum, Paulum, Clementem, & Philemonem ibi prædicantes, tandémque in persecutione eadem* XXVIII. *Martij cum alijs socijs Carthagine Veteri, vrbe Hispaniæ, interfectus est.* Cum his concordat *Martyrologium* P. Higuera, *Hispanicum MS.* hoc die sic: *En* XXVIII. *de Março: San* Phileto *Dicipulo de Santiago, que acompaño su Cuerpo, y en España predicò, y en la persecuçion de Neron Emperador, padecio en Cantauella, o en Carthago Panadès.* Latinè sic: *Quinto Kalend.* April. *Sanctus* Philetus *discipulus B. Iacobi, qui eius comitatus est corpus, & per Hispanias prædicauit, in persecutione Neronis Imperatoris Carthagine Veteri occubuit.* P. Biuar *in Comment. vbi proximè*, inuehitur aduersus *Baronium*, qui in *Annal. Eccles. tom. 1. ann. 59. n. 20.* contendit hunc *Philetum*, comitem fuisse illius *Hermogenis*, qui à fide deuius in apostasiam vterque collapsus est, sic inquiens: *Nam in secunda, quam tunc ad Timotheum scripsit, epistola, de his sic queritur, dicens:* Scis hoc, quòd auersi sunt à me omnes, qui in Asia sunt, ex quibus est *Philegus*, & Hermogenes. *Quinam autem fuerint Hermoneges, &* Philegus, *seu* Philetus (*vtraque enim lectio reperitur*) *nihil certè recipere potuimus, nisi quæ in Apocryphis Apostolorum passionibus leguntur in Iacobo Ioannis fratre: hos nimirum fuisse maleficos; verùm Iacobi operâ ad fidem Christianam esse conuersos. Sed sicut Simon Magus, & ipse aliquando Christianus, sed à Christiana religione deficiens, aduersus Dei Ecclesiam omnia tela conuertit, ita & hos ipsos ex Fidelibus infideles, & è Christianis apostatas factos, maximas in Ecclesiam turbas concitare, & Paulo in omnibus aduersari studuisse credendum est.* Ex quo credendum, Eminentissime Purpurate? Vt non credatur, tuæ ecphrasis verba demonstrant. A quo hæc, Ecclesiasticæ historiæ lumen, accepisti? ab apocryphis Apostolorum passionibus. Et hæc apocrypha commenta sufficiunt tanto Viro ad sic credendum? Absit. Sed ne in apocryphis subsistas, Abdiæ Babyloniæ Episcopi historiam de Iacobo nostro loquentem *lib. 4.* à Iulio Africano traductam, cuius meminit D. Hieronym. *c. 63. de Script. Eccles.* ausculta. *Is cùm* Hermogenis *magi contra* Iacobum *præstigias retulisset, quibus Dæmonum interuentu, & Phileti discipuli arrogantia S. Apostoli veritatis Euangelicæ facem extinguere conaretur; non tantum intentum non obtinuit, imò potiùs delusus, & Philetus conuictus Domino credidit, & Dæmones reuinctum* Hermogenem *Apostolo tradiderunt. Quo viso & ipse pœnitentia ductus*

Philetus venit cum corpore S. Iacobi ad Hispaniã.

Philetus discipulus Iacobi non fuit deuius à fide.

Baronij opinio enervatur.

Authores contra Baronium.

ctus Euangelistam amplectens doctrinam, omnes magica artis codices, & Idoli effigiem à quo oracula acceperat, igni comburenda obtulit. Quo facto (inquit Abdias) *Haec & his similia dicente* Iacobo, *in omnibus obtemperauit* Hermogenes, *& ita cœpit in Dei esse timore perfectus, vt etiam per eum virtutes plurimæ fierent à Domino.* Et licet hæc *Abdiæ* Scripta ab aliquibus apocrypha sint reputata doctis, vt refert Ausbert. Myræus *in Bibliot. de Script. Eccles. c. 7. fol.* 178. Ioachimi Perionij, qui vitas Apostolorum *Iulio III. Pont. Maxim. ann.* 1550. conscripsit, *Abdiæ* fidem, verba feliciter corroborabunt. Nam postquam Hermogenis, & *Phileti* cum *Iacobo* congressus explicuit, & eorum pœnitentiam demonstrauit, *Iacobi*que loquelam nouis conuersis spiritu repetitam, recensuit, concludens ait: *Ita* Hermogenes *eius præceptis paruit, vt perfecta absolutaque virtus, quæ deinceps in eo fuit, ad mira inusitataque opera perueniret.* Et si hæc *Perionij* sententia non sufficit, adhuc maiores totius exceptionis testes adducam: Sanctissimus Pontifex Calixtus II. *in relat. Miracul. S. Iacobi.* Breuiarium Antiquum *Compostellanum*, vbi in principio VI. Lectionis asserit: *Hermogenes verò (relata conuersione* Phileti) *ipse ita vere Christo adhæsit, vt multas virtutes, per illum Dominus postea operaretur.* Breuiarium *Romanum*, etiam de huius *Hermogenis* cõuersione colloquitur. Breuiarium *Abulense, Palentinum*, & fere omnia Hispaniæ, S. Antonin. 1. p. *Hist. tit. 6. c. 7.* D. Maur. Cast. *Hist. S. Iacobi lib. 1. c. 24. fol.* 85. & ferè omnes, qui de aduentu, & *Iacobi* actis scripsêre. His sic cognitis, quid est, quod *Baronius* apocryphæ lectionis verba, vt *Hermogenem*, & *Philetum* apostatas fateretur, inuenerit; & tantorum virorum sententias de ipsorum virtutibus, & miraculosis operationibus loquentes, penitus ignoraret? Sed responsioni vela submittamus, ne aliquod coniectarionis vestigium propalemus. Ergo vt ad inceptum, calamum conuertamus, *Baronij* ex dictis coniectura euanescit. Et quos apostatas *Paulus* ad Timotheum scribens compellat, nequaquam *Iacobi* discipulos manifestat; illos namque *Philegum*, & *Hermogenem* nominat, non *Philetum*; licet vtraque lectione scriptum reperiisse fateatur: Attamen Scholiastes S. Ioann. Chrysostomi *ad Homiliam 3. Epist. Paul. 2. ad Timoth.* 1. contendit ex Varijs tam Græcis, quàm Syriacis, & Latinis legendum esse *Phygellam*, non *Philetum.* & consentiunt *Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus*, & antiquiores, imò & recentiores meliori nota recensiti, cum vulgata, & *Arias-Montano*; vt prolixius dicemus cùm de *Hormogene* agemus: quia non erit nouum duos homines, aut plures, eodem nomine vocitatos, & tamen diuersos reperiri. Duos Simones in Actis inuenimus Apostolicis, alium bonum, & alium perfidum. Duos in Euangelica Iudas lectione comperimus, alium fidum, & alium proditorem. Ergo nec bonus pro perfido, nec perfidus pro bono aceipiendus est, cum netiquam punctuatim aliqua profert de illorum defectione historia. Nec ex eo quod Simon Magus à fide defecit, fas erit dicere sine ratione, aut authoritate defecisse *Philetum.* Nec ex eo quod Simon aduersus Ecclesiam omnia tela conuerterit, credendum est itidem Hermogenem conuertisse. Futilis me hercle in tanto Viro consequentia! Sed ad creditum veritatis *Helecæ* nostri dicta sufficiant, ad acta diuerto.

Calixt. II. P. P. de Phileto iudicium.

Breuiaria Hispania.

Qui fuerint, quos Paulus denotat a fide nominat, ex SS. Patrum sententiis.

ACTA S. PHILETI MARTYRIS, B. IACOBI Discipuli, ex Heleca Cæsaraugustano Præsule, & Breu. Hispan.

PHILETVS *natione, vt dignoscitur,* Græcus; *Hermogeni Mago tempore Apostolorum adhæsit; à quo magica superstitionis ebibens deliria, breui Magistri dogmata comparauit. Quo* Hermogenes *ministrum ad omnia aptissimum procreauit. Sed cùm per hoc tempus* B. Iacobus *Hierosolymam ex* Hispaniæ *prædicatione repedasset, & ibidem assidue verbo Dei operam daret,* Hermogenes, *instantibus Iudæis, ad Apostolum,* Philetum *discipulum misit, vt cum eo disputans Christi diuinitatem euertere conaretur. Quem cùm & scriptura testimonijs, & editis miraculis* Apostolus *confutasset.* Philetus *vera fidei amplexus est Sacramenta, & iam* Apostoli discipulus *ad Hermoge*

Origo.

Hermogeni Mago adhæsit.

Ex Breu. Compostell. Lect. 3.

Disputat cũ Iacobo & conuertitur.

Ab Hermogene Mago catenatur. *Relaxatur à Iacobo, cuius fit diſcipulus.* *Ex Heleca, fol. 224.* *In Hiſpanias venit.* *Prædicat, & comprehenditur.* *Coronatur.*

Hermogenem rediens, fidei veritatem apud illum commendabat. Hermogenes *autem ira percitus magicis* Philetum *artibus vinxit, exprobrans illi, & Chriſti fidem, &* Iacobi *debilem poteſtatem, qui ſoluere illum non poſſet. Quo cognito per* Phileti *puerum,* Iacobus *miſit ad* Philetum *ſuum ſudarium, cuius contactu ſolutus eſt, & ad Apoſtolum accedens illi hæſit; Poſtea (aliquibus euenientibus) itidem* Hermogenes *Apoſtoli prædicatione ad fidem conuerſus eſt. At demum interueniente Sanctiſſimi Magiſtri martyrio, ipſi, & cæteri Diſcipuli corpus deferentes in* Ioppem *deduxerunt, & in* Hiſpaniam *ad* Iriæ Flauiæ *portum peruenientes, ibidem ſacra pignora condiderunt. Quo officij munere peracto,* Philetus *peragratis aliquot Orientalium vrbium* Iberiæ *itineribus verbum Dei diſſeminans, ampliùs Euangelicam per omnes illius Prouinciæ terminos fidem propagauit. In cuius peregrinationis tempore SS. Petrum, Paulum, Clementem, Philemonem, & alios Chriſti Domini Eccleſiaſtes, qui prædicationis negotijs in* Hiſpanias *deuenerant, ſalutauit. Tandem vt à Domino, cuius amore, tot itinera peregerat, repromiſſionis munera perciperet, ſæuiente Claudij Neronis perſecutione apud* Carthaginem Veterem Hiſpaniæ *comprehenſus cum alijs Chriſti Aſcetis martyrium pro fide conſtans, & intrepidus adimpleuit;* V. Kalend. April. *Anno Domini* LXVII. *C. Claudio Nerone Imperante, S. Petro Eccleſiam Catholicam gubernante.*

Antiphona de S. Phileto in Breu. Compoſtellano.

Hæc ſunt, quæ de *S. Phileto* Cathaloniæ in Hiſpania Apoſtolo poſt *Iacobum* totius Hiſpaniæ Patronum dignoſcere potuimus. In re tàm obſcura, & propter vetuſtatem, & propter Scriptorum inopiam, non deſpicienda erit hæc noſtra antiquitatis exploratio. Sed & adhuc tres *antiphonas*, quæ in *II. Nocturno feſti S. Iacobi* in peruetuſto Breuiario Compoſtellano legebántur, de *S. Phileto* loquentes, inſerere hoc loco diſpoſui, vt & *Baronij* reticentiam examines, & noſtræ commemorationis attentionem expendas. ſic ergo Antiphonæ: *Eo namque prædicationi diutina inſiſtente, ac myſterium SS. Trinitatis edocente, credulus* Philetus *effectus eſt.* Antiphona II. *Ait namque* Philetus *(dolos adhuc ruminante Hermogene) poſtula tibi ab Apoſtolo indulgentiam, relicto itinere deuio, & conſequêris Domini gratiam.* Antiphona III. *Audiens hæc ergo* Hermogenes *carens fide, ira commotus, nexuit eum dicens; videbo ſi te ſoluet Iacobus.* Alia in illo Breuiario de *Phileto* expenduntur, quæ prolixitatis impendio, non tranſcribo. Tantum hîc apponam, quod Author *Compilationis Chronographica*, quam *Tom. 2. Germanic. Scriptor.* Ioann. Piſtorius Nidanus affuit *Ann. 44. fol.* 708 agens de Morte IACOBI Noſtri proſequitur: *Cuius corpus per* Hermogenem, *&* PHILETVM *ipſius diſcipulos in* Hiſpaniam *vbi ipſe priùs prædicauerat, tranſlatum eſt.* En in Hiſpania *Philetum*.

Topographia. *A Scipione vaſtatur.* *An Nomen mutauerit.* *Quod non.*

CARTHAGO VETVS. Vrbs fuit vetuſtiſſima in Hiſpaniæ Tarraconenſis Ilercaonibus Populis, cuius meminere Ptolem. *in Geograph. lib. 2. c. 2.* Europ. quam deſtructam credidit Ruſcell. *fol.* 99. Plin. *lib. 3. c. 3. &* Cicer. *pro leg. Agrar.* Illam condidiſſe Pœnos ſuſpicatur *Plinius*, ideò ab eo Carthago Pœnorum vocitatur. Póſtque, ipſam, Scipionem ſolo æquaſſe, & nouis Colonis inductis *Villam-Francam* nominaſſe, Auctor eſt Epiſcopus Gerundenſis *in Paralip. Hiſp.* à quo Ieron. Pujad. *Hiſt. Cathalon. lib. 3. c. 13.* ſed perperàm, quia vt notauit P. F. Franc. Diago *Hiſt. Comit. Barcinon. lib. 2. c. 54. fol.* 117. hoc nomen recentius præſe fert etymon: & addit, quod ante quam hoc oppidum VILLA-FRANCA vocaretur, ex antiquarum Scripturarum Auctographis, elicitur, vocatam fuiſſe TVRRIS DELÆ ſeu *Torre de Dela*. Sed quidquid dicant relati ſupra Scriptores, nec ab Scipione Vrbis depopulatore, eius nomen in *Villam-Francam*; nec in *Turrim-Dela* mutatum, ſequentia fundamenta ſuadent. I. quia *Plinius* qui eius meminit & fuit in viuis poſt Scipionem ſuo proprio ipſam vocabulo nominat; quod haudquaquam feciſſet, ſi ſuo tempore nomen commutaſſet, vt de aliis vrbibus agit, qui primò antiquum, pòſt recentius ſubſcribit. Ergo perperam tempore Scipionis, imò nec Plinij nomen perdidiſſe credendum eſt. II. Quia *Helleca* Epiſcopus Cæſarauguſtanus, qui ecphraſim noſtri PHILETI ſcripſit, pleno ore *Carthaginem Veterem* vocitat, vrbem quâ S. Martyr agonem conſummauit, quod ſi in aliud commutatum nomen

agnoſce

agnoſceret, proculdubio exprimeret Antiſtes, ergo perperam à Gotholanis introductum hocce commentum eſt. Fateor poſt excidium Hiſpaniæ *Turrim-Dela*, & poſt *Villam-Francam* nominatam; ſed hoc, quid ad nominis retentionem, etiam poſt ipſius vrbis excidium? Magna eſt Super ſitum controuerſia, Nunn. *c.* 2. Gatibay *lib.* 5. *c.* 12. Marian. *lib.* 2. *c.* 7. & alij plures credunt hodie dici CANTAVIEXA. Contra quos inſurgunt Gotholani, qui eſſe VILLAFRANCA DE PANADES contendunt, quibus in hoc tanquam accolis credimus. *Situs.*

QVARTO KAL. APRIL.

DIES XXIX.

A, *Acta in Hiſpania Bætica Natalis Sancti Secundi, Militis, & Martyris, qui ſæuiente Seueri Imperatoris perſecutione, comprehenſus pro fide: poſt Præfecti promiſſa munera, poſt Iudicis concuſſas minas, vt Chriſtum deſereret, nec illis permixtus, nec iſtis permotus, tandem ex omnibus victoriam in cœlis, depoſito in terris capite, declamauit.*

NOTÆ.

SANCTVS Secundus.] Pia inter noſtros, *Italóſque*, de huius Sanctiſſimi Martyris palæſtra agonis, controuerſia exoritur. Pro *Italis* ſtetit inter mediæ, & vltimæ ætatis ſcriptores, Brauium. Pro noſtris reuiuiſcit Antiquorum, & primæ ætatis Chronologorum authoritas. Nonnulli ex recentioribus mediam eligentes viam, omnium ſententias, medio Sanctorum diſcriminis maritarunt. Quibus libenter annuimus, vt tantorum *Aſtenſis* vrbis *Italiæ*, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ procerum opinio reſeruetur, & noſtrorum veritas conſeruetur. Hoc ſuppoſito: De Sancto *Secundo Aſtenſi*, ſine expreſſione Prouinciæ, agit *Vſuard.* die XXX. huius menſis, ſic: *Apud Ciuitatem* Aſtenſem *Sancti* Secundi *Martyris.* Maurolyc. ſic: *Apud Ciuitatem* Aſtenſem *ſub Adriano Imperatore, & Sapritio Præfecto Sancti* Secundi *Martyris Militis, à Sancto Calocero in vinculis inſtructi: qui Marcianum Epiſcopum Aſtenſem, & Martyrem ſepelierat.* Petr. de Natal. *in Catal. SS. lib.* 4. *cap.* 12. Hi omnes, vt diximus die ſequenti: Hoc die Petr. Galeſin. ſic: *In vrbe* Aſtenſi *Sancti* Secundi *Martyris, de quo item ſupra. Is à B. Calocero fidei Chriſtianæ initijs inſtructus, ab Sancto Iouita baptizatus, & in pietatis officijs verſatus, pro fidei ſtudio, Sapritij Præfecti iuſſu, pice, & reſina feruenti in capite perfuſus, demum gladio percuſſus cæleſti corona donatur.* Martyr. Rom. ſic: *In vrbe* Aſtenſi *Sancti* Secundi *Martyris.* Ado refert eius Acta *XV. Kalend. Martij.* Philipp. Ferrar. *in Catal. SS. Italiæ, die VI. Aprilis.* Quem verum Natalis *S. Secundi Aſtenſis* Italiæ diem fatetur. Pro *Secundo* Italiæ firmiter contendunt Bornin. Mombrit. *Hiſt. SS. tom.* 2. Claud. de Rot. *in legend. SS. cap.* 53. *fol.* 37. *col.* 3. Baron. Ferrar. Galeſ. Equil. & cæteri Sanctorum Scriptores. Pro *Secundo Hiſpaniæ* ſtrenuè dimicant Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 208. his verbis: Secundus *Aſtenſis floret in Hiſpania, paſſus in* Bætica *prope flumen Tanagrum, alias vocatum Lethem.* Vbi Roder. *Car. fol.* 83. *lit. I.* licèt Noſtrum

A. Controuerſia inter Hiſpanos & Italos.

Martyrologia:

Auctores pro Italo.

Auctores pro Hiſpano.

cum *Italo* confundat. P.Biuar.*n.*8. *fol.*269. Idem Dext.*Ann.*301. ſic : *Aſta in Hiſpania Bætica Sanctus* Secundus *Martyr colitur*. S. Marc. Maxim. *in Chron. Ann.*612. *fol.*220. hac clauſula *celebratur memoria Sancti* Secundi *Aſtenſis* [in Italia &] *in vrbe Aſta Hiſpania paſſi, Coloniâ Romanorum, & ſub Apoſtolicis temporibus Sede Epiſcopali.* Vbi etiam *Roder. Car.lit D.* licet relatum errorem præ ſe ferat. Iulian.Petr. *in Chron. num.*64. ſic : *Aſta in Hiſpania Bætica Sanctus* Secundus *Chriſti Martyr.* His ſic ſuppoſitis, & quod noſtri temporis Scriptores Hiſpaniæ, vt *Roder. Caro* in *Chorograph. Hiſpal. Conuent. lib.*3. *cap.*23. *fol.*122. *col.*1. D.Paul. de Eſpinoſa *Hiſtor. Hiſpal. lib.*2. *cap.*7. *fol.*51. *col.*2. P.Quintanadueñas *Hiſt. SS. Hiſpal fol.*266. Codex officij *SS.Hiſpal.* hoc die, ſententias *Dextri, Maximi,* & *Iuliani* amplectuntur; non eſt cur à tantis viris recedamus, propter antiquorum exterorum placitum; maximè ſi vt probauimus ex media ſententia, hos Sanctos Martyres fuiſſe diuerſos. Ergo manum ad aratrum imponens, meo videri diſcrimen agnoſcitur in aliquibus. I. *in die, & Menſe.* Sancti *Secundi* Aſtenſis Italiæ, vt illa Eccleſia fatetur, dies agnoſcitur Natalis VIII. Idus Aprilis, ſic Ferrar. in Catal. SS. Ital. fol. 181.

Sanctorum Itali, & Hiſpani diſcrimen probatur.

Hac die (inquit) *Natalis S.* Secundi *ab Eccleſia Aſtenſi maxima celebritate colitur, licet M. R. illam IV. Kalend. April. recolat.* II. *in anno.* Italus ſub *Adriano* ad annum C. XXX. vt refert *Baron.* Hiſpanus ſub *Seuero* anno CC. VIII. vt ex *Dextro* liquet. III. *in Prouincia*; ille *Italus*, iſte *Hiſpanus*, ille apud *Aſtam Lyguria*, hic apud *Aſtam Bætica*. Ex quibus diſcrimen facilius agnoſcitur. Et illa nobiliſſima *Italia* ciuitas hos non admirabitur pios congreſſus, ex eo quod cum *Brixienſi* præclariſſima ipſius vrbe prouinciæ propter alterius *Secundi* Martyris proprietatem, adhuc ſub iudice litigatur. Quidquid ergo ſit, in noſtrorum Scriptorum iuuamen, cùm Eccleſiarum Hiſpaniæ intueor officia, in quibus vix aliquis reperietur in vetuſtis Breuiariis, qui *S.Secundi* memoriam non recolat, in coniectationem rapior, ad credendum hunc Sanctiſſimum Martyrem fuiſſe *Hiſpanum*. Sic Tolet. Silicei. Compoſtellan. Abulenſ. Placent. Aſturicenſ. Palent. Carthag. & alia.

Breuiaria Hiſpaniæ.

Quibus ſic præmiſſis, ad eius acta, vt ex *P. Quintanadueñas* comperimus, latina faciemus.

ACTA S. SECVNDI MARTYRIS, Aſtenſis in Hiſpania; ex P. Anton. Quintanadueñas è Soc. Ieſ. Theologo.

Origo.

SECVNDVS *originem ex vrbe* Aſta Bæticæ Hiſpaniæ *Romanorum Colonia, vt creditur, ſumens, Euangelicam agnoſcens doctrinam, relictis antiquæ profeſſionis idololatræ ritibus, ad fontem vitæ prouidus vitam quæritans properauit. Quo, exuta fomitis farragine, ad ſuſceptæ religionis apicem feſtinanter aſcendit; & taliter ſe in doctrina Chriſti ſedulus agnouit diſcipulus, vt breui in agonis cathedra ſtrenuum diuino Numine ſtante magiſtery titulum adquiſiuit.*

Chriſto nomen dedit.

Vrbis Præfectus, qui in Secundo *comperuit Deorum defectionem, & fidei ſuſceptæ agnouit inſtantiam, coram ſe illum adduci rabido furore præcepit. Ille comparuit, quem Iudex nec minis, nec muneribus, vt ad auitam religionem accederet, & nouiter introductam, & receptam reijceret, reducere valuit.*

Ab eo recedere noluit.

Comprehenditur.

At cum Præfectus conſtantiam militis percepiſſet, in profundo carceris ergaſtulo incluſum varijs tormentorum generibus affligebat. Poſt aliquot autem dierum curricula, iterum ad Tribunal Iudicis, eo iubente delatus; vt ipſius contingeret firmitatem; denuò militis animum fatigauit. Sed laborum taliter perpeſſio vires feruoris erexerat, taliter cordis auxerat efficaciam, vt Præfectum in admirationem, & furorem induxerit.

Torquetur.

Excanduit atra Iudicis bilis, & vt tanto libertatis præcipiti conſilio ſatisfaceret, protinùs reſina, picéque feruenti in Sancti martyris caput, & os, perfundi decreuit. Quod vbi factum, nouas Secundus *Creatori laudes concinuit: Sed furente Iudice, ne ſimile in ciues occaſionem ad credendum præberet exemplum, extra Ciuitatem ad flumen* Tanagrum,

grum, *seu* Lethem *conduci permittit, vt ibidem si non resipiscat, abscisso capite pertinacis animi pœnas luat. Illicò conuenit tutrumentis fatalibus satellitum stipata caterua, & arrepto Martyre, ad locum agonis adducto, ibidem per mucronis aciem, Sanctorum Martyrum actes, Martyr intrepidus congmentauit.* IV. Kal. April. *Anno Dom.* C C. VIII. *M. Aurelio Seuero Imper. Zepherino Pont. Maxim. obtinente.* *Damnatur.* *Coronatur.*

Inter tot memorias, quas *Hispaniæ* Officia conglomerant, vna eadémque Collecta recitatur vbique, his scilicet periodis:

ORATIO PRO S. SECVNDO MART. *Collecta ex Breuiarijs Hispaniæ.*

Adesto Domine plebi tuæ, & per intercessionem Sancti SECVNDI *Martyris tui, cuius solemnia celebramus, fac nos tecum sine fine gaudere. Per Dominum.*

Quod olim *Asta* Episcopatus Sedem obtinuerit ex *S. Marc. Max.* vbi suprà, compperimus, quos verò Episcopos habuisset ignoramus. In Codice *M. Maximi* impresso superabundant verba in parenthesi inclusa scilicet. [In Italia &] quæ verba merum commentum est, ideóque expungenda, taliter, quod nullo modo historiæ veritatem sensum faciant, licet Biuar. *in Comm. ad Maxim. fol.* 728. *n.* 24. de hoc silentiosè procedat. *Topographia.*

ASTA. Ciuitas olim Hispaniæ Bæticæ Episcopalis, cognomento REGIA. Hodie inter *Xerez de la Frontera*, & oppidum *Tribugena*, vbi dicitur *Messa de Asta.* De illa mentio est apud Ptolom. *lib.* 2. *Geograph. tab.* 2. *Europ. cap.* 4. Vbi Turdetanorum vrbes recensens, ait: *Nebrissa, Vgia*, Asta, *Corticata.* Plin. *lib.* 3. *cap.* 1. eam Coloniam appellat, sic: *At inter æstuaria Batis oppidum Nebrissa, cognomine Veneria, & Colobona*; Colonia Asta *quæ & Regia dicitur.* Strab. *lib.* 3. sic: *Ad æstuaria autem* Asta, *in quam Turditani conueniunt, sitam supra nauale Insulæ stadijs summum* C. *non multo pluribus.* In cuius notulis Guillielm. Xilandr. *numer.* 5. *fol.* 102. nonnulla. Eius conditorem assignant aliqui fuisse *Arganthonium* Tarthesiorum, & Turdetanorum Regem, ex Roder. Card. *Chorog. lib.* 3. *cap.* 23. Cætera alibi dicemus. *Vbi hodie?* *Conditor?*

TERTIO KAL. APRIL.
DIES XXX.

A. Aurelianis *in Gallia Sancti* Pastoris *Episcopi* Palentini *in Hispania, qui ibidem exulans ex* Eurici *Regis Gothorum Ariani iussu, propter fidei constantiam, euulgatis contra hæreticos, maximè Priscilianistas, aliquot voluminibus, de exilio ad æternum gloriæ postliminium mutatus est.*

NOTÆ.

SANCTVS Pastor.] Variè apud Scriptores Ecclesiasticos de huius sanctissimi Pontificis muneribus, & transitu disceptatur. Alij *Martyrem*, & non *Episcopum* agnoscunt. Alij nec *Martyrem*, nec *Episcopum* fatentur. Alij solùm *Episcopum* nominant. *Scriptorum varietas circa Sācti munera.*

Qui Epiſcopum, & Cõfeſſorem vocant? — Qui ſine titulo nominant? — Qui Martyrem tantum?

nant. In omnibus acta deficiunt. In noſtris breuis eorum radius illuceſcit. Omnium ſcintillas appingemus, vt, Deo duce, ad veritatis apicem pertingamus. Primam offerat lineam Ado *in Martyr.* hoc die, ſic: *Aurelia ciuitate Sancti* Paſtoris *Epiſcopi depoſitio.* Sequitur Maurolyc. ſic: *Aureliani* Paſtoris *Epiſcopi.* Molan. in addit. ad Vſuard. *Aurelianis* Paſtoris *Epiſcopi.* Eadem Alexand. de Peregrin. & Petr. Equilin. *in Catal. SS. lib.* 12. *cap. fin. num.* 104. Petr. Galeſ. ſic: *Aurelia in Gallia* Sancti Paſtoris *Epiſcopi, & Confeſſoris.* Martyrol. Hiſpan. *P. Higuera*, omnes *Epiſcopum*, & *Confeſſorem* efficiunt. Notker. ſublatis titulis, ſic: *Aurelianis depoſitio* Sancti Paſtoris. Cum laurea Martyris, & abſque inſula Præſulis Andr. Suaſſay. *in Martyrol. Gallic.* ſic: *Leodij Sancti* Paſtoris *Martyris.* Sed quidquid ſit, crederem *S. Paſtorem* Epiſcopum fuiſſe, & non Martyrem, & illo vtitur titulo M. R. ſic: *Aurelianis in Gallia* Sancti Paſtoris *Epiſcopi.* Quo conuictus Suaſſ. *tom.* 1. *Martyr. Gallic. fol.* 181. iſta ſcripſit: *Eodem die Aurelijs* Sancti Paſtoris *Epiſcopi, & Confeſſoris, qui ibidem poſt curſus religioſè exacti conſummationem, hominem exuens, ad ſupernorum ciuium conſortium, immortalitatiſque vitæ delicium pertranſiuit.* Philipp. Ferrar. *in Topograph. SS.* verb. *Aurelia. fol.* 17. *col.* 2. His ſic depoſitis, quo iure Noſter fuerit inueſtigemus. *P. Hieron. Rom. de la Higuera* in ſuo toties repetito *Martyrologio Hiſpano*, ſua propria manu conſcripto, quod in Bibliotheca *D. D. Laurentij Ramirez de Prado*, adſeruatur, hæc formalia deſcripſit verba: *En Aurelianes de Francia* San Paſtor *Obiſpo de* Palencia *el qual ſecreè fue deſterrado por la Confeſion de la Fè por mandado de* Eurico *Rey Arriano, a eſta ciudad: don de acabò glorioſamente ſu deſtierro, eſcriuio contra los herejes, y principalmente contra los Priſcilianiſtas.* Latinè ſic: *Aurelianus in Gallia* S. Paſtor *Epiſcopus* Palentinus, *qui vt creditur propter fidei confeſſionem ab* Eurico *Rege* Arriano *ibidem exulauit; vbi exilioglorioſe completo ad cælos euolauit: Scripſit contra hæreticos, maxime Priſcillianiſtas.* Quatenus ad Epiſcopatum iam Petrus Equil. antea dixerat *d. lib.* 11. *c. fin. n.* 104. ſic: Paſtor *Epiſcopus* Palentinus *Aurelianis hoc die claruit.* Non me latet, quod in aliquibus codicibus Equilini, legatur *Palatini* pro *Palentini.* Sed quærere fas erit, quâ hic *Palatinus* eſt Epiſcopatus Prouincia? Qui de Eccleſiaſticis fortè maiorem amplectitur monimentis cognitionem, indicet huius ſedis topotheſiam, nam ego eius nec nomen penitus agnoui. Ergo *Palentinus*, & non *Palatinus* legendum erit. Quo ſic intellecto eius acta taliter concinnabo.

Quo iure Hiſpanus? — An Palatinus, an Palentinus?

ACTA S. PASTORIS, EPISCOPI Palentini, Confeſſoris; ex Var. Scriptor.

Origo. — Contra hæreticos maſtyx. — Creatur Epiſcopus Palentinus. — Scripſit cõtra Priſcilianiſtas. — Eurici perſecutio. — Exulfactus Paſtor.

PASTOR *ex vrbe* Palentia Hiſpaniæ, *vt creditur, oriundus poſt primos infantiæ, & iuuentutis flores, ad ſtudiorum penſa animum (Catholicis inſtructus doctrinis) conuertens, fauente Domino breui ad dogmatum ſacrorum attigit cacumina, tali ſapientia eloquio, vt vix hæreſis Ariana truculentiorem agnoſceret ad eius extirpandos errores inimicum. Quo, illius Eccleſiæ Clerici, vacante Sede, protinus ad eius faſtigium* Paſtorem, *nemine renitente, perduxerunt. Ille verò duplici nominis, & muneris titulo oneratus, vt vtrique prouidè ſatisfaceret, in omnibus* Paſtorem *ſe vigilem præbuit, quòd nec Muneri doctrinis, & exhortationibus, nec Nominis vigilijs, exercitijs, & bonis operibus deficeret. Scripſit aliqua contra hæreticos, maximè Priſcillianiſtas, veritate, & eruditione plena volumina. At ſceptrum Gothorum per fratricidium cùm ſubriperet* Euricus *Ariano dogmate imbutus, protinus in Catholicos deſæuire crudeliter cœpit in Hiſpania, pòſt ad Galliæ partem, Gothis parentem, deueniens, innumeras exercens clades horribili populatione vtriuſque Catholicæ veritatis aſcetas, præcipuè Epiſcopos, Sacerdotes, & Eccleſiæ miniſtros partim martyrio, partim exilio mulctauit. Inter alios, qui hoc pœnæ genere ex propria receſſerunt diœceſi,* S. Paſtor *extitit exulatus;* Galliámque *adueniens, apud* Aureliam *diuerſans, ibidem per varia virtutum ſpecimina, & mirabilium exercitia, ad æternæ repromiſſionis præmia, ad indeficientis gloriæ trophæa Confeſſor inclytus*

clytus properauit. III. Kalend. April. *circa annum Domini* CCCC. LXXII.

Euricus; Sydonio Apollinari, Gregorio Turonensi in locis infra referendis *Eurix*. Ab aliis vt Freculpho *tom. 2. Chron. lib. 2. cap. 17.* Theodoricus appellatus est; incepit regnare anno Domin. CCCC. LXVIII. vt ex *S. M. Maxim.* liquet. Hic contra Ecclesiam Catholicam taliter se gessit in *Gallia*, & in *Hispania*, vt omnia destrueret, omnia combureret & omnia depasceret, sic C. Sollius Sydon. Apollin. *lib. 7. epistol. 6. ad Basilium.* *Eurici Regis Gothorũ persecutio.*

SIDONIVS DOMINO PAPÆ BASILIO.

Sunt nobis munere Dei, nouo nostrorum temporum exemplo, amicitiarum vetera iura, diúque est, quod inuicem diligimus, & ex æquo. Porrò autem, quod ad communem conscientiam pertinet, tu Patronus, quamquam hoc ipsum præsumptuosè arrogantérque loquar. Namque iniquitas mea tanta est, vt mederi de lapsuum eius assiduitate vix etiam tuæ supplicationis efficacia queat. Igitur quia mihi es tàm patrocinio, quàm dilectione bis dominus, pariter, & quod memini probéque polleat igne sensuum, fonte verborum, qui viderim Modaharium ciuem Gothum Arianæ hæreseos iacula vibrantem, quo tu spiritualium testimoniorum mucrone confoderis, seruata tàm cæterorum reuerentia, quàm pace Pontificum: non iniurià tibi defleo, qualiter Ecclesiasticas caulas istius æris lupus, qui peccatis pereuntium saginatur animarum, clandestino morsu, necdùm intellectis dentis arrodat. Namque hostis antiquus, quò facilius insultet balatibus ouium destitutarum, priùs dormitantium incipit ceruicibus imminere pastorum. Neque ego ita mei meminens non sum, vt nequaquam me hunc esse reminiscar, quem longis adhuc abluenda fletibus conscientia premat: cuius stercora tamen (sub ope Christi) quandoque mysticis orationum tuarum rastris ruderabuntur. Sed quoniam supereminet priuati reatus verecundiam publica salus, non verebor, etsi carpat zelum in me fidei, sinister interpres, sub vanitatis inuidia causam prodere veritatis. EVARIX *Rex Gothorum, quod limitem regni sui, rupto, dissolutóque fœdere antiquo, vel tutatur armorum iure, vel promouet: nec nobis peccatoribus hic accusare, nec vobis Sanctis hic discutere permissum est. Quin potius si requiras, ordinis res est, & vt diues hic purpurâ, byssóque veletur, & Lazarus hic vlceribus, & paupertate feriatur. Ordinis res est, vt (dum in hac allegorica versamur Ægypto) Pharao incedat cum diademate, Israelita cum cophino. Sed quod fatendum est præfatum Regem Gothorum, quamquàm sit ob virium merita terribilis, non tàm Romanis mœnibus, quàm legibus Christianis insidiaturum pauesco: tantum (vt ferunt) ori, tantum pectori suo, Catholici mentio nominis acet, vt ambigas ampliùs, ne suæ gentis, an suæ sectæ teneat principatum. Ad hoc armis potens, acer armis, alacer annis hunc solum patitur errorem, quod putat sibi tractatuum, consiliorúmque successum tribui pro religione legitima, quem potiùs assequitur felicitate terrena. Propter quod discite citò Catholici status valetudinem occultam, vt apertam festinetis adhibere medicinam. Diuersi Populi, multóque iam maior numerus ciuitatum (summis Sacerdotibus ipsorum morte truncatis, nec vllis deinceps Episcopis in defunctorum officia suffectis, per quos vtique minorum ordinum ministeria subrogantur) latum spiritualis ruinæ limitem traxit, quam ferè constat sic per singulos dies morientium patrum proficere defectu, vt non solum quoslibet hæreticos præsentium, verumetiam hæresiarchas priorum temporum potuerit inflectere: ita populos Pontificum orbatos excessu, tristis intercisa fidei desperatio premit, nulla in desolatis cura diœcesibus, parochiísque. Videas in Ecclesiis, aut putres* *Eurici pertinacia.* *Strenuitas.* *Sacerdotes persequitur.* *Sedes abrogat, & Ecclesias solo æquat.*

culminum lapsus, aut vuluarum cardinibus auulsis, basilicarum aditum hispidorum veprium fruticibus obstructos. Ipsa (proh dolor!) videas armenta, non modò semipatentibus iacere vestibulis, sed etiam herbosa viridantium altarium latera depasci. Sed iam nec per rusticas solùm solitudo parochias, ipsa insuper vrbanarum Ecclesiarum conuenticula rarescunt. Quid enim fidelibus soluty superest, quando clericalis non modo disciplina, verumetiam memoria perit? Equidem cum Clericus quisque defungitur, si benedictione succidua non accipiat dignitatis hæredem, in illa Ecclesia sacerdotium moritur, non Sacerdos. Atque ita quid spei restare pronuntiet, vbi facit terminus hominis finem religionis? Altius inspicite spiritualium membrorum damna, profectò intelligetis, quanti surripiuntur Episcopi, tantorum vobis populorum fidem periclitaturum. Agite quatenus hæc sit amicitia, concordia principalis, vt Episcopali oratione permissa, populos Galliarum, quos limes Gothicæ sortis incluserit teneamus ex fide, etsi non teneamus ex fœdere. Memor nostri esse. D. PP.

Hactenus *Sydonius* cuius epistolæ tenorem referre curaui, vt & *Eurici* Gothorum Hispaniæque Regem, & feritatis exemplum, & habitu specimen intuearis, & status Ecclesiarum in hisce, & in illis *Galliæ, Hispaniæque* partibus mediteris. Huius miserandæ etiam meminit cladis Gregor. Turonens. *Hist. Franc. lib. 2. cap. 25.* sic: *Huius tempore, &* EVARIX *Rex Gothorum excedens* Hispanum *limitem, grauamen super Christianos intulit persecutionis. Truncabat passim peruersitati sua non consentientes, Clericos carceribus subigebat, Sacerdotes verò alios dabat exilio, alios gladio trucidabat. Nam & ipsos sacrorum templorum aditus, spinis iusserat obserari, scilicet, vt raritas ingrediendi, oblationem faceret fidei.* Ex quo vt ex Chronicis apparet) Sanctos Pontifices ex *Gallia* in *Hispaniam* relegabat, vt Sanctum *Volusianum* Turonensem, & ex *Hispania* in *Galliam*, vt *S. Pastorem.* Et sicut ille exul apud *Sarcinum* in Hispania occubuit, vt inquit Turonensis *lib. 2. cap. 26.* & diximus *die XVIII. Ianuary*, sic *S. Pastor* apud *Aureliam* in Gallia viuere desiit. Anno, meo videri, assignato; nam *Euricus* ad annum CCCC. LXXXII. peruenit.

Cladis Hispaniæ & Galliæ sub Rege Eurico.

Pignora creduntur in Hispanias allata.

Eius Sanctissima pignora (si coniecturis datur locus) crediderim ad *Hispaniam* fuisse translata, & in eius Ecclesia reposita, & postea Sarracenorum excidio à *Palentinis* Christianis ad *Libaniensia* montana, ne in Arabum inciderent manu allata; aut quod verius suspicor à *Sancto Turibio Palentino*, & Conciue *S. Pastoris* ad ipsius *Libaniense* cœnobium adsportata ex Gallia. Ad cuius coniectationis efficaciam, me rapiunt D. Episcop. Pampilon. *in fundat. Cœnob S. Benedicti Castellæ, in Cœnob. SS. Facundi & Primitiui*, §. 59. *fol.* 75. verba; vbi postquam de Monasterio *S. Mariæ Piasca* in *Libaniensi* termino sito, verba fecisset, prosequitur lingua materna, cuius clausulas sic latinitate donatas offerimus: *In quodam eremitorio huius cœnoby S. Mariæ Piascensis iacet Corpus cuiusdam Sancti Monachi, qui olim vitam egerat eremiticam. Quem adhuc oppidani vocitant* S. Pastorem. *Tegitur sub sepulchro in medio eremitory. Annuatim ergo omnia Populorum vicinorum Concilia Litaniarum tempore illuc concurrunt, & facto Sacro discedunt.* Eadem adnotauit P. Yep *in Chron S. Benedict. tom. 4. cent. 5. Ann. 924. cap. 1. fol. 407. col. 3.* Sed non *Monachi* corpus, sed *S. Pastoris* Episcopi *Palentini* extitisse crederem, quia *S. Turibius* cùm *Libaniense* cœnobium construxit, anno, vt creditur, D. XXXVI. nonnullas Sanctorum reliquias illuc attulit, inter quas cùm è Româ per *Gallias* peragrasset, cognita Sanctissimi Episcopi Conciuis morte, quis dubitat eius sacra transtulisse lipsana, secúmque ad *Libaniense* cœnobium inuexisse, vbi requieuerunt cum *S. Turiby*, & aliorum exuuiis. Ex quo in confirmationem huius præsumptionis, lucem accepit M. Maxim. *in Chron. ann. 612. fol. 217.* locus difficilis, in quo hæc Sanctissimus Cæsaraugustanus Antistes verba repetitiuis dictionibus introducit: *Sancti* Turibij *Palentinæ Sedis* Episcopi *ex Monacho Benedictino, cuius anniuersarius dies est Kalend. Nouembris, memoria celebris habetur in monte* Libaniensi; *vbi* corpora, *& Sanctissimi* Monachi Episcopi, *&* Episcopi *iacent.* Quæ vltima periodus (licet aliqui de duobus *Turibys Pallentino*, & *Asturicensi*

Probatur ex Historia Piascensi.

S. M. Maximi periodus elucidatur.

ricensi intellexerint P. Yep. *cent.* 1. *cap.* 3. à quo D. Francisc. de Sandoual *in Apolog. S. Antonini Pallentini, fol.* 31.) mihi altiù intelligenda est, hoc est de *Turibij* corporibus, & *Pastoris*, illius *Monachi*, & *Episcopi Pallentini*, istius *Episcopi Pallentini* tantum, & hoc est dicere: *vbi* corpora *&* *Sanctissimi* Monachi Episcopi (*Pallentini*, & Episcopi (*Pallentini scilicet Pastoris*) iacēt. Hæc cōiectaui, docti videāt. Ex suprà visis corrigendum venit mendum, quod *Iuliani Petri* codici impresso irrepsit in *Chron. numer.* 250. *fol.* 57. vbi loquens de *Sancti Pastoris* morte pro Episcopo *Pallentino*, adest *Valentini* vocabulum; sic: *Pastor Episcopus Valentinus* (repone Pallentinus) *Scriptor nobilis, Aurelianis exul moritur.* Quod euenisse fatetur Anno CCCC. LXXII. Ex quo clariùs nostra sustinebitur opinio. Nec audiendus est P. Biuar. *in Not. ad M. Maxim. Ann.* 526. *numer.* 7. *fol.* 358. qui *Iuliani* errore inescatus, *S. Pastorem* etiam *Valentinum*, & perperam, facit Episcopum. *Error Iuliani, & Biuarij.*

PALLENTIA *aut* PALLANTIA vtroque enim nomine vocitatur, in qua fuit Episcopus S. PASTOR in Pallendonibus *Ciuitas Episcopalis* est. Nam licet in Hispaniæ terminis; duas huius nominis vrbes comperimus, alia in agro *Valentino*, alia in *Pallendonibus*, de illa plura Scolan. *Histor. Valent. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 17. *numer.* 10. De ista D. Francisc. de Sandoual. *vbi supra fol.* 63. Attamen quia illa solo æquata fuit per Pompeianos contra Sertorium, nec vltra reuixit, vt ipse *Scolanus* fatetur: nec demum Sedem agnouit Episcopalem; ideò *S. Pastorem* Præsulem fuisse credendum est, istius *Pallentinæ* in Pallendonibus vrbis, quæ semper, tempore extitit Gothorum, & postea vsque nunc Præsulatus infulâ decorata. Fuisse conditam à *Pallatuo* antiquissimo Hispaniarum Rege, (vt fabulatur Ioann. Annius *Viterbiens. lib.* 12. *cap.* 24. sic: *A* Palatuo *Palentiam conditam fuisse deriuatio nominis est argumento, in qua olim floruit Mineruæ studium, & Gymnasium generale Hispaniæ*) crediderunt *Tarrapha*, & non pauci ex nostris Scriptoribus, quos refert & sequitur D. Francisc. de Sandoual. *in Apolog. pro S. Anton. fol.* 63. Sed hæc commenta; pergo ad fundamenta aliorum dierum, cætera suis locis assuemus. *Topographia.* *A quo condita?*

PRIDIE KALEND.

APRILIS.

DIES XXXI.

A. *Emeritæ Augustæ in Vettonia Natalis Sancti* Renouati *ipsius vrbis Episcopi, cuius illustria in omnium virtutum generibus opera, cuius inclyta in commissi Pastoralis officij oneribus, & honoribus acta, & in hoc sæculo Sanctitatis titulos compararunt, & in illo æterno glorificationis munera promeruerunt.*

NOTÆ.

NOTÆ.

SANCTVS Renouatus.] Etsi huius Sanctissimi Pontificis nulla in *Martyrologijs* adsit memoria, eius non est accipienda defectio propter sanctitatis defectum, sed propter diei, quo vitam exuit, ignorantiam. Titulo hoc honorico celebratur à nostris Scriptoribus, vt in Paulo Diacono *in Vit. Patr. Emeritens. cap. 2. num. 3. & cap. 21. n. 2.*

Scriptores.

Ambros. de Moral. *Histor. Hisp. lib. 12. cap. 22.* P. Mariet. *Histor. SS. Hispan. lib. 5. cap. 42.* Padill. *Histor. Eccles. Hisp. tom. 2. cent. 7. cap. 17. fol. 203.* Barnab. Moren. *Histor. Emerit. lib. 3. cap. 14. fol. 171.* & in *Not. ad Paul. Diacon. cap. 2. num. 3. fol. 12. & cap. 21. num. 2. fol. 63.* D. Thom. Tamay. *in Notis ad eundem, dict. locis*, scilicet *cap. 2. numer. 3. fol. 89. & cap. 21. numer. 2. fol. 115.* & in *Apospasmat.* siue auulsionis codice rerum Emeritens. *fol. 146.* R. P. & Doctiss. M. F. Thom. de Herrer. *in Alphabet. Augustin. lit. R. titul. de Vir. & Fœm. Sanctit. illustr. numer. 2. fol. 372. tom. 2.* sic: *Renouatus (quem per errorem alij appellant Reparatum) Archiepiscopus Emeritensis, Monasterij Cauliniani alumnus, & Abbas, circa annum D. LXXXII. vel potius DC. XX. dicitur claruisse.* Si ergo titulo Sanctitatis decoratur, & vt infra dicemus, inter alios in Ecclesia *S. Eulaliæ* Metropolitas sanctitate insignes, quorum sacra pignora miraculis claruêre, sepultus fuit, vt quid ipsi denegandus cultus? P. Hieronym. Rom. de la Higuera in suo *MS. Martyrolog. Hispano*, ad hunc diem, hæc profert verba: *En la ciudad de Merida Metropoli que fue de la Lusitania* San Renouato, *Monge del Monasterio de Cauliniano, despues Obispo de Merida, Varon de insignes virtudes, y de rara santidad su sancto cuerpo con el de otros santos fue sepultado en la Iglesia de Santa Olalla, obrando N. S. por el y por ellos grandes Milagros, celebrauale este dia fiesta la Iglesia de Plasencia.* Latinè, sic: *Emeritæ Lusitaniæ Metropolis, Sanctus* Renouatus, *Monasterij Cauliniani monachus, pòst ipsius vrbis Episcopus, vir insignium virtutum, & solidæ sanctitatis. Cuius corpus cum aliorum Sanctorum pignoribus in Ecclesia S. Eulaliæ conditum fuit. Ob cuius, eorúmque merita Deus D. N. magna impartitur miracula. Hic dies festus fuit in Ecclesia Placentina.* Eius vitam per compendium scripsit *Paulus Diaconus* Emeritensis, qui vt ille (inquit) amore Christi, & dilectione Sanctissimæ *Eulaliæ* impulsus scripsit, manifesta, retulit, & vera proculdubio veraciter exposuit. Quam consertam ex duobus capitibus referam sic:

Dies festiuitatis.

ACTA B. RENOVATI EPISCOPI *Emeritensis Confessoris; ex Paulo Diacon. Emer.*

Prosapia.

RENOVATVS *natione* Gothus, *generoso stemmate procreatus, familiæ splendore conspicuus, & cunctis virtutibus decoratus, fuit procerus corpore, forma perspicuus, statura decorus, oblata gratus, venusto vultu, decora facie, nimiúmque admirabilis aspectu; sed quamuis extrorsus habitus sui gloria esset decoratus, introrsus pulchrior habebatur, lumine Sancti Spiritus illustratus; multis nimirum artium disciplinis existebat eruditus, multisque virtutum varijs generibus. Erat enim Monachus in cœnobio, cui nomen* Cauliniana, *quod* Emerita *vrbe haud procul sitam fermè millibus octo distat. Pòst* Abbas *ipsius Monasterij mirificus, atque sagaci sollicitudine, vtpotè Vir perspicax, & nimium acris ingenij, multúmque in omni disciplina, ac timore Domini strenuissimus, cunctos illic commorantes Monachos sedulò per bonam conuersationem, & Sancti operis exempla ad supernam patriam prouocaret, cunctúsque grex Pastorem præeuntem arctis semitis, callibúsque prosequerentur cælsis: lupus vorax vnam ei toto adnixa conatus est ore mordaci laniare ouiculam, ita dumtaxat, vt omni*

Forma corporis & animi.

Monachus, & Abbas.

Mores.

omni cætu Sanctæ Congregationis in Domini laudibus persistente, atque regulari tramite in timore Domini degente, quidam monachus ab eorum discrepans sanctissimus moribus, gastrimargiæ, & ebrietati inæstimabiliter incumbens se semetipsum contra dedit: deinde ad maiorem declinans intentum furari quæque potuisset reperire, cœpit; quem dum prædictas Vir Renouatus sæpiùs blandè moneret, nec facilè coërcere valeret; iterum, iterúmque verborum obiurgare increpationibus studuit; sed cùm nec sic ab illecebrosa edacitatis delectatione, atque furti rapacitatísque intentione cessaret; hunc flagris verberari, parsimonijs afficere, ergastulisque tradi, præcepit; sed ille nihilominus pristinis perdurans piaculis, non solum quid à flagitijs minimè cessabat, sed diebus quotidianis semetipsum pollicens antris Auerni tartareis mancipare, magis, magisque festinabat.

Monachi ebrietatem castigat.

Cúmque eum videret S. Abbas tantoperè pessimæ intentionis pergere viam, vt nec tot viribus increpatus, nec toties verberatus emendari voluisset; tactus dolore cordis intrinsecus, dimisit eam abire secundùm desideria cordis eius, ac præcepit ijs qui præerant promptuarijs monasterij, vt quacumque hora vellet ingredi, quæcumque in cellariis optima, quæcumque dulcia reperiret, eum vsque ad vomitum nullus edere, aut bibere prohiberet, etiamsi aliquid adsportare, & abscondere ex more vellet, liberam potestatem haberet, vt plenius dignosceretur postquam gulæ, aut ventri satisfecisset, quidnam postmodum esset acturus. Ille verò monachus gastrimargus iuxta præceptum claustra reserata aperiens, opulentissimi (vt fertur) monasterij cellaria clàm opima penetrauit, custodibus tamen eminùs circumquaque obsitus, callida dissimulatione cernentibus, ignorante illo, ac præstolantibus quidnam ageret: quæque dulcia, & suauia esu, potúque reperisset, eò vsque passim vorabat, bibebátque, quousque mente perdita, vix ambulare valebat; post hæc fercula diuersa furtim subripiens etiam vascula vinaria, quæ vsitato nomine Guillones, aut Flascones appellant, auferebat, & in horto contiguo monasterij inter arbusta frondosa, aut arundineta condensa in loco abditissimo occultabat. Tum deinde cibo iam nimium crapulatus, temulentiáque poculorum satiatus, ad cubitum sternebat, & apponens, quæ furatus erat, quamuis non delectaretur, & nimium onusto ventre ructaret, tamen adhuc edere, & bibere cupiebat; sed dum grauata perquàm aluo lingeret, potiusquàm manducaret, illicò occurrente somnio obdormiebat; tum deinde venientes canes, quæque portauerat, comedebant. Custodes itaque è regione intuentes vascula, quæ detulerat, dormiente illo ad cellaria reuocabant; dúmque hæc multa per temporum spatia peragerentur, & nullus eum aliquando iam emendari crederet: hoc exemplo Pastor, & Saluator bonus de ore leonis eum abstraxit.

Illum ob proteruiam derelinquit.

Monachi ingluuies.

Accidit namque, vt die quadam, more solito, primo diluculo de cellario temulentus exiret, quem vt viderunt ebrium pueri paruuli (qui sub pedagogorum disciplina in scholis literis studebant) hac protinus voce exclamauerunt; Considera iudicium terribile Domini; considera tremendi examinis metuendam sententiam; considera formidandam atque horrendam eius iudicij vltricem seueritatem; considera etiam annos ætatis tuæ, & sic tandem mores commuta in melius, & vel vno die ante mortem tuam corrige vitam tuam, quia nobis infantibus, quæ tu agis non licet agere; quanto magis tibi, qui iam ætate plenus esse cerneris. Cúmque hoc audiret, pudore nimio coopertus erubuit, statimque compunctus est, & eiulatu magno flens cum lachrymis, eleuans oculos suos ad cælum, dixit: Domine Iesv Christe Saluator animarum, qui non vis mortem peccatoris, sed vt reuertatur ab iniquitate, & viuat; te precor, vt corrigas me, & auferas istud ignominiosum opprobrium de facie mea;

Puerorum aduersus eum voces.

Corripitur.

aut certè, ſi tibi placet iam tolle me de hac miſerabili vita, vt ampliùs improperium faciei meæ non audiam. *Quem ſtatim diuina pietas exaudire non diſtulit, ſed de præſenti in eodem loco dolore percutiens vi febrium æſtuare fecit. Nimirùm dexteræ Excelſi immutatio in tantum eum commutauit in melius, vt abhorrens omnes carnales delicias flagranti animo pœnitentiæ remedium mox appeteret, corporu videlicet, cruoriſque Dominici Sacramentum deſideraret. Sed dum antefatus almus Pater putaret eum phreneticæ, aut improba mente id flagitare, pœnitentiam plenariam dare diſtulit, ſed tantumdem ei viaticam gratiam impertiuit, ac tribus diebus totidémque noctibus, lachrymis, &*

Moritur emendatus, & pœnitēs.

confeſſione mirifica ſatiſfecit. Tertio poſt hæc die demigratus è corpore, & VALE *faciens cunctis fratribus, ſic ait:* Cognoſcite quod omnia delicta mihi dimiſſa ſunt, & ecce præ foribus Sanctiſſimi Apoſtoli Petrus, & Paulus, necnon & Beatiſſimus Laurentius Archidiaconus, & Martyr cum innumerabili turba Candidatorum me expectant, cum quibus ad Dominum pergere debeam. *Et hæc dicens migrauit ad Dominum. Sic Sanctiſſimus* Abbas *huius Monachi patientia, & intermiſſione animam Domino lucratus eſt. Poſt ad cœlos tranſla-*

Renouatus Epiſcopus factus.

to Innocentio *Eccleſia* Emeritenſis *Præſule, Sacerdotij culmen cunctis virtutibus decoratus non immerito promeruit. Fuit enim egregius in omnibus operibus ſuis, æquiſſimus, iuſtiſſimus, nimiúmque acris ingenij, & in omnibus diſciplinis Eccleſiaſticis vehementer inſtructus, atque in diui-*

Studiū, & virtutes.

nis voluminibus perquàm exercitatus. Hic dum multis virtutibus coruſcaret ſacra doctrina nonnullos diſcipulos erudiens, ſanctiſſimóque exemplo vitæ ſuæ inſtituens, prudentia videlicet, ſanctitate, patientia, manſuetudine, miſericordia, plurimos tales, qualis extitit, limâ iuſtitiæ, ſequendíque dogmatis prædicatione effecit; cuius doctrina hactenus ratilat, ac refulget Eccleſia in Sole, & Luna. Dein cùm per plurimos annos ir-

Moritur.

reprehenſibiliter rexiſſet Eccleſiam, Angelicis cœtibus copulaturus, omnibúſque cœleſtibus partium ſupernarum Legionibus coniuncturus, mirabiliter artubus reſolutis è corpore egrediens ſuperni regni aulam cum Chriſto ſemper manſurus, & ſine fine regnaturus introire meruit. Pridie Kal. April. *Anno Domini* DC. XXXIII. *Regnante in Hiſpania* Suintila *Gothorum Rege, Pontificatum Maximum obtinente* Honorio. *Eius corpus in*

Eius ſepulchrum.

cellula haud procul ab Altari Sanctiſſimæ Virginis Eulaliæ *cum aliorum Sanctorum corporibus honorificè tumulatum, quieſcit; ad quorum denique veneranda ſepulchra tantam Chriſtus quotidie confert copioſæ charitatis gratiam, vt quocumque fuerit etiam languore afflictus, & quacumque quiſpiam ægritudine conuexatus; ſtatim, vt Diuinum Numen illic toto corde depopoſcerit, omnes à ſe morbos diſcuſſos, omnéſque maculas pulſas diuinitus ſentiens hilaris, ſanúſque ad cupitam per Dei gratiam peruenit ſanitatem.*

Gaſtrimargia quid?

Hactenus *Paulus Diaconus.* In cuius ecphraſis elucidatione inſudarunt *D. Thomas Tamay.* & *Barnab. Moreno*, vterque felici Mineruа; licet vterque nomen *Gaſtrimargia*, à quo & *Gaſtrimargus*, contempſere, fortè illis ſignificatio triuialis; aliis verò obſcura, & imperceptibilis. Sed quod illis defuit in ſcholiis, referam. *Gaſtrimargia*, Græcis Γαστριμαργία. nomen compoſitum eſt ex Γάστηρ, quod ſonat *Guloſus*, & Μάργος, id eſt: *Stolidus*, vt interpretatur Conrad. Geſner. *in Lexic. Græco-Latin.* his dictionibus. Quibus iunctis efficitur nomen compoſitum *Gaſtrimargia*, quod propriè non ingluuies (vt dixit *Paſſeratius*) ſed *Guloſus* ob ventrem inſaniens. Eiuſdem etymologiæ verba refert Scapula *fol.* 299. *& fol.* 1002. in impreſſ. Baſileæ in fol. ann. 1505. apud Sebaſt. Erricpetr. Hac voce vtitur Hieronym. *aduerſ. Ruffin.* apud Rodigin. *lib.* 7. *cap.* 10. ſic: *Tu tamen tam exculta, tam grauis, tam philoſophiæ conſectatrix ciuitas Alexidis ſententia, & ipſa calculum adijcis in* gaſtriſmo, *id eſt ventris indulgentiā.* De hac re plura hoc ſenſu in Ariſtotele *in Ethic.* in quo Γαστρίμαργος, hoc eſt *ventre inſaniens* legitur, in Ariſtoph.

Athen.

Athen. & Plauto. Quod hic adnotare sufficiet, ne sine explanatione locum istum amandemus.

Quod Monasterium, cui *Caulniana* vocabulum iuxta *Emeritam* conditum fuerit, ordinis S. P. Benedicti, & ipsi Patres S. Augustini licet mordicùs fatentur, vt P. F. Ioann. Marq. *in Origin. Eremit. S. August. cap.* 12. §. 8. *num.* 211. hisce verbis: *Et ideo pro certo habeo, Monasterium* S. Nuncti, *&* Caulinianum *fuisse diuersa. Illud Ordinis* S. Augustini, *illud scilicet* Caulinianum *ordinis gloriosi Patriarchæ* S. Benedicti.

Caulinianũ Cœnobium, Benedictinis paruit.

Nunc ad *Ecclesiam Emeritensem* calamum conuertamus, quæ illustris fuit *Lusitaniæ* Metropolis, à nascentis Ecclesiæ exordiis (vt creditur) erecta; tempore *Gothorum* inclyta, sed adueniente *Arabum* excidio, Sedem perdidit, & Pastorem. Quæ in *Compostellam* ex Sedis Apostolicæ placito, translata. Vrbs Augusta (heu temporum fata!) miserabili clade prostrata fuit. Postea in antiquam religionem deueniens, *Ordini S. Iacobi* militari, vulgò de *Spatha* parens, sine illo Metropolitæ honore, absque antiquo Ecclesiæ Cathedralis munere lachrymabiliter iacet. Sed vt promissa soluamus, Præsulum nomina, qui hanc antiquissimam rexere Sedem per ordinem fideliter percontemur, explosis Episcopis à Barnaba Moreno, & Thoma Tamayo introductis, & additis aliquibus prætermissis, & hactenus ab eis cognitis.

Emeritensis Ecclesia Metropolis.

CATALOGVS EPISCOPORVM
Sedis Emeritensis Lusitaniæ Metropolis.

I. MARTIALIS huius nominis I. Emeritensis Episcopus I. ex Vasseo, Moral. *lib.* 9. *cap.* 45. Padill. *tom.* 1. *cent.* 3. *cap.* 10. Ast quia Libellarius, depositus, ad Ann. Dom. CC. LVIII. 258.

II. FELIX huius nominis I. Episcopus Emeritensis II. cui scripsit Sanctus Cyprianus Martyr Episcopus. Epistol. 68. ad Annum CC. LIX. 259.

III. MARCVS huius nominis I. Episcopus Emeritensis III. qui interfuit Concilio Toletano, cum *Marino* ipsius vrbis Episcopo, *Sabino* Hispalensi, *Leontio* Braccarensi, & aliis tempore *Sanct. Melchiadis* Pont. Maxim. ex Luitprando *Aduers.* 18. Errorem contraxit P. Anton. Quintana-Dueñas de SS. Toletan. *Secul.* 4. *in S. Marino*, §. 1. *fol.* 233. vocitans eum *Mausona*, qui à *Marco* ad *Mausonam* Emeritensem CC. LVI. anni & amplius intercessêre. Nam *Mausona* Anno D. LXX. viuere desiit, *Marcus* verò Anno CCC. XIII. Cuius memoriam in suis diptychis *Emeritenses* omisêre *Chronographi*. 313.

IV. LIBERIVS huius nominis I. Episcopus Emeritensis IV. interfuit Conciliis Iliberritano, & Arelatensi. ad Annum CCC. XLVII. 347.

V. FLORENTIVS huius nominis I. Episcopus Emeritensis V. qui fuerat ipsius Ecclesiæ Diaconus, interfuit Synodo Sardicensi, eius memoria ad Anno CCC. XLVIII. 348.

VI. ITHACIVS, siue IDACIVS huius nominis I. Episcopus Emeritensis VI. qui ex Hispania Priscillianistas eiecit, & Cæsaraugustano I. Concilio interfuit. Ad Annum CCC. LXXXI. 381.

Per ferè duo secula pedem figit D. Thomas Tamayo, *ast* Barnabas Moreno *duos sequentes addidit Præsules, etsi in Primi nomine pro* Gelasio *vocet* Potamium.

VII. GELASIVS huius nominis I. Episcopus Emeritensis VII. interfuit

Concilio Braccarenſi ad Annum C C C C. X. vt probauimus contra Morenum in Vit. S.Epitatij *cap.2.fol.163.* 4[illegible]

VIII. S e m p r o n i v s huius nominis I. Epiſcopus Emeritenſis V I I I. qui vt decreta Concilij Calcedonenſis confirmarentur, Synodum Emeritenſem congregauit, eius memoria ad Annum CCCC. LIV. 454

Duos Præſules ſequentes ſub obliuionis cinere reliquére Moreno, *&* Tamayo, *Nos exuto puluere Emeritenſibus reſtituimus.*

IX. A n t o n i n v s huius nominis I. Epiſcopus Emeritenſis I X. qui Paſcentium Manichæum hæreticum, & alios eiuſdem farinæ reos comprehendens, illos ex tota expulit Luſitania, vt inquit Idacius Lamecenſ. *in Chron. Olymp.* 306. *&* 307. ad Annum CCCC. LV. 455

X. E m i l a huius nominis I. Epiſcopus Emeritenſis X. interfuit Conciliis Toletano, & Valentino, quorum decreta refert Luitprand. *in Aduerſ. n.*86. *&* 87. Ann. D. X L I. 541

XI. P a v l v s huius nominis I. Epiſcopus Emeritenſis X I. Græcus origine, & profeſſione Medicus, virtutibus clarus ad vltimam peruênit ſenectutem, obiit Anno Dom. D. L X V I I I. 568

XII. S. F i d e l i s huius nominis I. Epiſcopus Emeritenſis X I I. conſobrinus Pauli, qui poſt patrata inſignia miracula, Eccleſiam opulentiſſimè ditatam, Baſilicam *S. Eulaliæ* novè conſtructam, & domum Epiſcopalem à fundamentis erectam, ad Dominum Confeſſor celebris properauit, Anno Domini D. L X X I. 571

XIII. S. M a s o n a, aliàs M a v s o n a huius nominis I. Epiſcopus Emeritenſis X I I I. Magnus fidei defenſor, qui interfuit duobus Conciliis Toletanis, tandem virtutibus, & miraculis inſignis obdormiuit in Domino Anno Dom. D C. V. 605.

XIV. S. I n n o c e n t i v s huius nominis I. Epiſcopus Emeritenſis XIV Vir, & ſancta ſimplicitate, re, & nomine innocens, & operum celeberrimus patrator mirabilium, qui Gundemari Regis decreto interfuit, Ann. Dom. D C. X. 61[illegible].

XV. S. R e n o v a t v s huius nominis I. Epiſcopus Emeritenſis X V. Monachus Benedictinus, cuius hoc die recolimus trophæum, obiit Anno Domini D C. X X X I I. 632.

XVI. S t e p h a n v s huius nominis I. Epiſcopus Emeritenſis X V I. interfuit V. Concilio Toletano, vt probat Moreno, non enim I V. vt minus ſcitè Tamayo. Anno Domini D C. X X X V. 635.

XVII. O r e n t i v s, ſiue O r o n t i v s huius nominis I. Epiſcopus Emeritenſis X V I I. interfuit V I. & V I I. Conciliis Toletanis, cúmque etiam V I I I. interfuiſſe contendit Tamayo. Eius memoria ad Annum D C. L I X. 659.

XVIII. P r o f i c i v s huius nominis I. Epiſcopus Emeritenſis X V I I I. qui tempore Regis Receſuinthi II. Emeritenſem Synodum congregauit. Anno Domini D C. L X V I. 666.

XIX. F e s t v s huius nominis I. Epiſcopus Emeritenſis X I X. de quo in Epiſtola Regis Egicæ, de qua Tamayo. Anno D C. L X X V. 675

XX. S t e p h a n v s huius nomini II. Epiſcopus Emeritenſis X X. interfuit Conciliis X I I. X I I I. & X I V. Toletanis, eius memoria ad Annum D C. L X X X I V. 684.

XXI. Zenon huius nominis I. Episcopus Emeritensis XXI. cuius nomen adhuc in literis desideratur publicis, credit *Moreno*, nescio cui MS. illum reiicit *Tamayo*, idcirco in eius diptychis deficit: in his Nostris apponimus, quia attestationi tanti Decurionis Emeritensis in hoc deferendum duximus. Anno DC. LXXXV. 685.

XXII. Maximvs, huius nominis I. Episcopus Emeritensis XXII. interfuit XV. & XVI. Conciliis Toletanis. Ad Annum DC. XC. III. 693.

Hoc tempore Emerita *vrbs, & totius Hispaniæ vtriusque Prouinciæ Sarracenis paruêre. Post quarum ruinam sequentes tantùm inuenimus Emeritenses Antistites.*

XXIII. Arivlphvs huius nominis I. Episcopus Emeritensis XXIII. qui Regulam Fidei Synodi Cordubensis, missis literis comprobauit, ad Annum Domini DCCC. LXII. 862.

XXIV. Landvs huius nominis I. Episcopus Emeritensis XXIV. qui B.Magni Eremitæ ad Fauces in diœcesi Placentina commorantis, Acta pro eius canonizatione probauit, ad Ann.DCCC. LXXVII. 877.

XXV. Andreas huius nominis I. Episcopus Emeritensis XXV. qui interfuit cuidam Synodo Toletan. ad Annum DCCCC. X. 910.

Hactenus Catalogus *Emeritensium Antistitum*, quem integrum, & Annorum calculis aptatum offerimus, vt in posterum de hac re haud ambigas. Ast quia de *Zenone* Emeritensi Pontifice haud dubites en MS. Epigramma, quo eius memoria, & Præsulatus infula noscitur. In quo etiam parces nimiis Poëtæ licentiis.

Zenonis Episcopi memoria.

Soluerit antiquas moles antiqua vetustas,
Et lapsum senio grande dehiscit opus:
Perdideratque vsum via iam suspensa per amnem,
Sed liberum cursum, pónsque negabat iter.
Gothorum Eruigij *potentis tempore Regis*
Quo deditas terras præcipit ille coli.
Magnanimum studuit factis extendere nomen,
Et veterum titulis addere Salla *suum.*
Nam postquam eximijs renouauit mœnibus vrbem,
Non miracla magis ille patrare finit.
Arcus construxit, penitus fundauit in vndis,
Et murum, Autoris opera vicit opes.
Necnon, & patriæ tantum fabricare munimen,
Summi Sacerdotis Zenonis *egit amor.*
Emerita vrbs felix mansura in sæcula longa,
Arte nouata Ducis, Præsulis, & studio.

Topographia.

Ex hoc Epigrammatis contextu *Barnabas Moreno* elicit fuisse Episcopum Emeritensem *Zenonem* qui in reficiendis pontis, & mœnium *Emeritensium* scissuris plurimum insumpsit.

EMERITA AVGVSTA. Ciuitas Epiſcopalis tempore Romanorum, & Gothorum, quo celebris, & ſplendida, ad fluuium *Anam*, cuius mœnia præterlabitur, fuit ſitu peramœno prædita, media inter *Pacem-Auguſtam*, & *Metellinum*; ab *Olyſippone* in ortum XXXVII. M.P. ab *Hiſpali* XXXIII. in Boream, à *Toleto* ad XLV. diſſita. Famigerata ab Scriptoribus, de qua Prudentius in Periſteph. *in hymn. de S.Eulal.Virg. & Martyr.Emerit.*

Nunc locus EMERITA *eſt tumulo*
Clara Colonia Vettoniæ,
Quam memorabilis amnis Ana
Præterit, & viridante rapax
Gurgite mœnia pulchra lauat.

Hodie dicitur MERIDA, quæ poſt Hiſpaniæ excidium, ſic eius pulchritudinem, & ſplendorem amiſit, vt abſque Metropoli, & antiqua auctoritate periaceat. De ea alibi dicemus; vt hic detur locus Inſcriptioni Gothicæ, quam, dum hæc ſcriberem, inuenit cæmentariorum ligo, dum ipſi parietinam extruere conarentur propter peſtem, quæ per Bæticas ſerpebat vrbes. Reperta ergo eſt Inſcriptio hæc, die *X. Maij hoc Anno M. D C. L.* in marmoreo lapide, qui ſuper arcam lateritiam exonerans iſtius ora tegebat. Intus humani oſſa cadaueris limpidiſſima, & ſuaueolentia, ita vt Sancti alicuius pignora reputarentur. Iſthæc inſcriptionis ſeries.

Inſcriptio Gothica nuper inuenta.

A. ☧ ω.
†. SATVRNINVS PENITENS.
FAMVLVS DEI QVI IN HOC
SECVLO MVNDAM TRAN-
SEGIT VITAM VIXIT ANN.
PLVSMINVS XXVIII ACCEP
TA POENITENTIA REQVI
EVIT IN PACE SVB DXVII
KAL IANVARIAS ERA
DCXXVI.

Circa huius Inſcriptionis intelligentiam, multa, & erudita ſcripta ſunt tunc temporis. Aſt Nos primi in arenam deſcendimus, cuius epigraphen variis antiquitatis monimentis illuſtrauimus, quæ quia in manibus eruditorum teruntur, hîc repetere nolumus, fortè alio in loco ſubiiciemus. Poſt me eandem illuſtrauit *D. Garſias de Salcedo Coronel* Iacobæus Eques, & inter eruditiores eruditiſſimus, cuius profundam in illuſtrandis Scriptoribus, ipſius opera doctrinam produnt. Quanto ergo Numine, quantóve felici omine, homo ad hæc natus

tus prouinciam nactus fuit, liuentium muta ora proloquantur in posterum; nam omnia patefacere, sic destinat, ac si faciat. Sed finem Mensi MARTIO imponamus, in cuius ecphrasi tot Sanctorum Hispanorum agmina compulsauimus, Quorum

Tanto munere gaudeamus omnes,
Qui cæli super astra nos Patronos
Tot confidimus inclytos habere,
Quorum Oratio *quod petit meretur.*
His si seruitium fidele cures
Hispania *mater, mihi colenda,*
Totis viribus exhibere; iugis
Te per grandia facta, pax sequetur.
Nam quamuis miser, atque criminosus
Sim, credo tandem hoc labore paruo,
Sanctorum *meritis, diu petitam*
Extemplò veniam à Deo mereri.
Sancta gloria magna Trinitati
Sit per secula cuncta, laus, potestas,
Virtus vna, salus perennis, nósque
Nostrorum prece Cœlitum coronet.
Amen.

VValfrid. Strab. in Hymn. de SS.

APRILIS.

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
quæ in Anamnesi Sanctorum Mensis MARTII continentur.

Origo

Cordubæ

Felix

Scrupulos

Vbi

Matronalia

Pascha-

Conditio

F I N I S.

MENSIS
APRILIS
MARTYROLOGIVM HISPANVM.

INDEX

Sanctorum & Festorum quæ in Mense Aprili continentur per dierum cursum.

SANCTO

SANCTORVM NOMINA
quorum Acta exprimuntur in Mense APRILI; Alphabeticè.

INDEX

INDEX
Chorographicus Sanctorum huius Mensis Aprilis.

APRILIS

APRILIS

VETVSTISSIMI Anni exordium; nam ab eo Annus principium florum parturitione capiebat, quos

—— & semina rerum

Omnia tellurem fruges aperiret & ANNVM.

vt inquit Bapt. Mantuan. *in Fast. Sacr. fol.* 28. Celebris Mensis ob decorem, admirabilis ob pulchritudinem, memorabilis ob venustatem; ideóque Anni splendor, temporis specimen, & Mensium corona dictus; in quem conspirat & cœli clementia, & Naturæ benignitas.

Huius floridissimi Mensis Etymon variè vsurpatur, aliqui dicunt APRILEM cum aspiratione legendum, quasi APHRILEM, à spuma, quam Græci ἀφρὸν vocant, vnde orta Venus creditur, vt referunt Plutarch. *in Numa Pomp. fol.* 23. *col.* 3. Macrob. *Saturnal. lib.* 1. *c.* 12. & Ouid. *lib.* 4. *Fastor.* qui Romulum Annum in decem Mensibus constituentem, primos Patri, & Matri dicatos, fatetur: *Etymon Mensis. I. Opinio.*

Ille suos semper Venerem, Martémque parentes
Dixit: & emeruit vocis habere fidem.
Néve secuturi possent nescire nepotes,
Tempora Dis generis continuata dedit.
Sed Veneris mensem Graio sermone notatum
Auguror: à spumis est Dea dicta maris.

Quibus subscribunt Varr. *de Ling. Lat. lib.* 5. Isidor. Nost. *lib.* 5. *Origin. c.* 32. A quibus Alex. ab Alexandr. *Genial. Dier. lib.* 3 *cap.* 24. Lil. Girard. *de Mensib. cap.* 3. Guillelm. Stuch. *de sacrif. Gent. fol.* 18. Rossin. *de Roman. Antiquit. lib.* 4. *c.* 8. D. Carol. Neapol. *in Not ad Fast.* Ouid. *lib.* 4. *n.* 15.

Opinio II. probat non à Venere, seu Ἀφροδίτης etymon deductum, sed ab *Aperiendo* extractum, quasi eo Mense, omnia aperiantur. Audi Macrobium *d. lib.* 1. *cap.* 12. primam opinionem refellentem, & istam II. amplexantem. *Sed Cincius in eo libro, quem de* Fastis *reliquit, ait, imperitè quosdam opinari,* APRILEM *Mensem antiquos à* Venere *dixisse, cùm nullus dies festus, nullúmque sacrificium insigne* Veneri *per hunc* Mensem *à maioribus institutum sit: sed ne in carminibus quidem* Saliorum Veneris *vlla, vt cæterorum cœlestium, laus celebretur.* Cincio *enim* Varro *consentit, affirmans nomen* Veneris *ne sub Regibus quidem apud* Romanos *vel* Latinum, *vel* Græcum *fuisse, & ideo non potuisse* Mensem à Venere *nominari: sed cùm ferè ante Æquinoctium vernum, triste sit cœlum, & nubibus obductum, sed & mare nauigantibus clausum, terræ etiam ipsæ aut aquâ, aut pruinâ, aut niuibus contegantur, eáque omnia verno hoc mense aperiantur, arbores quoque, nec minus cætera quæ continet terra aperire se in germen incipiant, ab his omnibus Mensem* APRILEM *dici, meritò credendum, quasi* APERILEM. Hanc quoque sententiam tenuit Ouid. *d. lib.* 4. vbi D. Carol. *num.* 30. *II. Opinio verior.*

Nam quia Ver aperit *tunc* omnia, *densáque cedit*
Frigoris asperitas, fœtáque terra patet;

APRILEM *memorant ab* aperto *tempore dictum.*

Eadem teſtatur Cenſorin. *de Die Natal. c.22. fol.* 164. vbi Henrric. Lindembrog. *in Not. fol.* 167. & Plutarch. *in Numa. fol.* 23. A quibus *Lil. Girald. Alex. ab Alexandr. Roßinus*, & *Manut.* quos congerit *Stuchius*, & alij relati.

III. Opinio. Ioannes Goropius Becanus *in Chronijs*, relatus à Roſſino *d. cap.* 12. opinatur APRILEM hunc Menſem dictum fuiſſe à *Cymbo* OPERIL, & per ſyncopem OPRIL, quòd inter eos Menſes, qui tellurem recludunt, ſit excellentiſſimus. Sed quo ſenſu hæc ſententia tenenda ſit, Criticis relinquo.

Menſis II. Anni ex Romulo. & quare? Ex *Romuli* conſtitutione hic *Menſis*, inter alios Decem Anni, quos tantùm ſubſignauit, SECVNDVS agnoſcitur, eâ nimirum ratione, vt doctioribus placet: Quia *Romulus* vel altiori prudentiâ, vel certi Numinis prouidentiâ ſuffultus, ſic Anni primos ordinauit Menſes, vt cùm *Martium* Marti dicaret, Deo plerumquè hominum necatori, SECVNDVM hoc eſt APRILEM *Veneri* conſecraret, quæ vim *Martis*, quaſi benefica deliniret: ſic *Roßin.* & cæteri Menſium Scriptores.

Nomina Menſiū ex varijs dialectis. QVATENVS ad varia à Gentibus NOMINA huiuſmodi Menſi appoſita (vt inſtituto pareamus) eorum dialecta recenſere compellimur, hincque ea deſcribere par erit: Hebræi NISAN; ſicut & Syri; licet alij contendant IIAR vt notauit Conſtantius Felicius *in Prolegom. Menſ. April. fol.* 120. Chaldæi, & Ægyptij PACHON; Abiſſini TIQNIT; Athenienſes THARGELION; Macedones XANTHICOS; Cypri APOGONICOS; Perſæ ADAPHAS; Arabes, & Sarraceni RABIV II. Attici, & Lacedæmones HECATOMBEVS; Germani tempore Caroli Magni OSTERMONAT; Alemani, & Belgæ APRIL; Cymbri FAREMANET; Galli AVRIL; Itali APRILE, ſicut & Angli; Hiſpani ABRIL. His cognitis ad Faſtos tàm Latinorum, quàm Græcorum pergo.

I. KALENDIS APRILIS. Hoc die apud Græcos & Latinos celebri pompâ *Veneri* Sacra fiebant, quæ illi APATVRIA, iſti VERNALIA vocitabant, vt in *Veter. Roman. Kalendar.* à Nicol. Reuſner. in *Miſcellan. Menologic.* editum reperitur De quibus ſacrificiis, vt ex more, per ordinem agamus, primò Latina, ſiue Romana, pòſt Græca illuſtrabimus.

Vernalia Sacraque? VERNALIA ſacrificia peragebantur, hoc die, Veneri Tutelari huius Menſis, à Matronis, ſertis myrteis, redimitis, quibus Sacris mos erat hiſce mulieribus in honorem Veneris cum floribus, & myrto lauari. Ita Ouid. *d. lib.*4. vbi & cauſam huius litationis agnoſces:

Ritè Deam colitis Latiæ, Matreſque, Nurúſque
Et vos queis vitta longáque veſtis abeſt.
Aurea marmoreo redimicula demite collo,
Nunc alij flores, nunc noua danda roſa eſt.
Vos quòque ſub viridi myrto iubet illa lauari:
Cauſáque cur iubeat, diſcite, certá ſubeſt.
Littore ſiccabat rorantes rore capillos,
Viderunt Satyri, turba proterua, Deam.
Senſit, & oppoſita texit ſua corpora myrto,
Tuta fuit facto, voſque referre iubet.

Hanc eandem rationem, & ſacrificandi morem videſis apud Plutarch. *in Numa*, Roſinum, & Carolum de Neapol. *fol.*164. *n.*36.

Fortuna Virilis quæ? ITEM hodie à Virginibus viro maturis, thure ſacrificium fiebat FORTVNÆ VIRILI, vt vitia beneficio Deæ muliebria viros laterent, cum matrimonio copularentur, ſic Ouid. *d. lib.*4.

Vt tegat hoc, celétque viros FORTVNA VIRILIS
Præſtat, & hoc paruo thure rogata facit.

Eius Sacra. De hoc etiam ſacrificio meminêre Lil. Gyrald. *ſyntagm.* 16. & *ſyntagm.* 17. vbi ſolemnia

lemnia huius litationis, & ceremonias describit. Eius Templum ad Tyberim à Seruio Tullio extructum.

DEMVM Veneri VERTICORDIÆ hisce Kalendis sacrificia fiebant, vt animos ab illicito amore auerteret. Eius ædes in Via Salaria, extra Portam Collinam. Dicta fuit VERTICORDIA, si credimus Lactantio Cælio Planiad. *in Not. ad Papin. Stat. lib. 5. Thebaid. vers. 65.* qui de ea agens inquit: *Habet enim* Venus *ignes, nunc cupiditatis, nunc odij, secundùm fidem sacrorum, vel precationum* Veneris VERTICORDIÆ *præcipuè; quæ rogatur vt amores iniiciat, rursum vt auferat. Si enim potestas est dandi, nihilominus est ius tollendi, & amore sublato, aut naturaliter odium residet, aut immittitur*, vt Virgil. *lib. 4. Æneid 479.* — *Venus Verticordia.*

Quæ mihi reddat eum, vel eo me soluat, amantem.

Causam, quâ Templum, & sacra condita à Romanis fuêre refert Valer. Max. *lib. 8. c. 15.* Lil. Gyrald. Rossin. & alij.

APATVRIA Venus, cui Athenienses hoc etiam die litabant, dicta fuit, à verbo ἀπατάω, quod est *fallo* siue *decipio*. Causam recensent Eusebius *de Temporibus Ann. 4080* & Suid. verb. ἀπατούρια. qui sic inquit: *Bellum erat* Atheniensibus *aduersus* Bœotios *de* Cœlenis *vico, qui in confinijs erat.* Xantus *enim Bœotius* Thymœten *Athenensium Regem prouocauit, quo recusante* Melanthius Messenius *à Periclymeno Nelei filio generis originem ducens, imperij causa pugnare suscinuit. Quare cum singulari certamine pugnarent, quidam hircina nigra pelle indutus post* Xanthi *terga* Melantho *apparuit: ipsum igitur iniquum facere dixit, quòd cum comite veniret, quo dicto respicientem* Xanthum *interfecit. Vnde & festum* ἀπατούρια, *hoc est* deceptoria *cognominata fuit.* Hactenus Suidas. — *Apaturia festa apud Græcos, quæ.*

HVIVS festiuitatis solemnitas QVATVOR complebat dies, suis diuersis nominibus vocitatos, prout variis celebritatibus addictos. I. δόρπια appellabant, eo quòd sodales ad vesperam in vnum coacti epularentur. II. ἀνάῤῥυσιν, à *sacrificando*: Nam *Ioui sodali*, & Palladi sacra faciebant. III. κουρεῶτιν, id est *Puellarem* vocabant, quod scilicet pueros, & puellas, id est κούρους, & κούρας sodalitati adscriberent. IV. Dies ἐπίβδα dictus est, hoc est *Quarta*, seu *vltima* feriarum dies. De quibus videndi Hesychius, Suidas, & Robert. Constantin. *in Lex. Græc. tom. 1.* verb. ἐπίβδα *fol. 574.* & Constant. Felic. *in Prolegom. Martyrol. fol. 121.* — *IV. Dies eorúmque nomina.*

ITEM apud ipsos THARGELIA Sacra Apollini, & Dianæ erant dicata, à quibus & Mensis iste & THARGELION est dictus. In eo DVOS homines immolabant, vnum pro maribus, alterum pro fœminis, quos Φαρμακοὺς, id est *Medicos* vocitabant, & saginatos in custodia publica adseruabant. Sic Lyl. Gyrald. *Syntagm. 17.* Videsis Robert. Constant. *in Lexic Græc.* verb. Θαργήλια. *fol. 713.* vbi plura, & Cæl. Rodigin. *Lect. Antiq. lib. 17. c. 30.* — *Thargelia festa quæ.*

IV. NON. APRIL. in *Veteri Romano Kalendario* legitur: DIES ÆGYPTIACVS, post: QVIRINI DEI NATALIS. Quæ hæc festa nondum diuino; nisi primum, de Deo DIE, quem Ægyptij prout Æthiopes adorabant, vt inquit Girald. *Syntagm. 1.* intelligatur. Secundum de QVIRINO Deo siue Marte, siue Romulo, quorum fortè iste Natalis Dies fuisse dignoscitur. — II. *Dies Ægyptiacus quis? Natalis Quirini.*

III. NON. APRIL. Apud Athenienses Sacra *Mineruæ* reponitur in eodem *Vet. Rom. Kal.* Horum Sacrorum solemnia mactatione taurorum, & agnorum perficiebantur, vt inquit Alex. ab Alex. *Dier. Gen. lib. 3. c. 12.* vbi Tiraquel. *fol. 155. lit. F.* qui hoc ex Homero probat. Lil. Gyrald. *syntagm. 17.* — III. *Mineruæ sacrificia.*

PRID. NON. APRIL. Apud Romanos celebris Magnæ Deorum Matri Solemnitas, quæ MEGALESIA, vocabatur, extitit. De hisce Ludis T. Liu. *lib. 29. Hist. Rom.* sic in correctioribus: Pertulêre Deam Pridie Nonas Aprilis, isque dies festus fuit: populus frequens dona Deæ in Palatium tulit, lectisterniúmque, & ludi, fuêreque MEGALESIA appellata. De his ergo plura in numeris Ouidianis, vbi postmodum causam referens, prosequitur. — IV. *Megalesia Sacra quæ.*

Institeram, quare primi MEGALESIA *ludi*
Vrbe forent nostrâ; cùm Dea (sensit enim)

Illa Deos (inquit) peperit; cessere parenti,
Principiumque dati Mater honoris habet.

Multa de illis videsis apud Girald. *syntagm.* 4. & 17. Rossin. *Antiquit. Roman. lib.* 5. *c.* 13. vbi ad amussim, de antiquitate, origine, forma, & diuersitate agit.

VI. VIII. *Idus April.* Consecrationis Templi FORTVNÆ PVBLICÆ in Colle Quirinali annuabatur anamnesis, quam Ouidius hisce describsit verbis:

Fortuna publica consecratio.

Postera cùm cælo motis Pallantias astris
Fulserit, & niueos Luna leuarit equos;
Qui dicet, Quondam sacrata est Colle Quirini
Hac FORTVNA *die* PVBLICA, *verus erit.*

Hinc notabis duo fuisse Templa Romæ FORTVNÆ PVBLICÆ dicata ex Ouidio: Aliud hoc die, Alterum VIII. Kal. Iun. De ista dedicatione adest fragmentum apud Gruter. *Inscript. Antiquar. fol.* 135 *n.* 1. vbi post notas illas, Q. R. C. F. quæ sonant: *Quando Rex comitiauit fas.* statim sequebantur sub die VIII. Kal. Iun. hæ notulæ: FORTVN. PVBLIC. PR. IN COLL. id est, *Fortuna Publica Primigenia in Colle.* Hinc fit, vt hoc die Consecratio Fortunæ Publicæ; VIII. Kal. Iunias Fortunæ Primigeniæ, quarum ædes in Colle Quirinali, constructæ fuere, vt ex *Topographis* Romæ vrbis liquet.

Diuersa à Fortuna Primigenia.

Lustratio vrbis quibus instrumentis fiebat.

APVD Athenienses CIVITATIS LVSTRATIO in Veteri Romano Kalendario consignatur. De vrbium lustratione apud Romanos plura diximus in *Prolegomen. February fol.* 10. *Tom.* 1. Hic vnum addendum duximus, scilicet, quibus instrumentis hæc vrbiũ lustratio perficiebatur. Guillel. Stuch. *de Sacrif. Gent. fol.* 78. *col.* 2. asserit, quod hæc lustratio, aut aquâ, aut theda, aut sulphure fiebat, de quo plurima exempla refert. Sicque hisce instrumentis Græcos vsos fuisse, quis ambiget?

VII. VII. ID. APRIL. Consignatur à Veter. Kal. Rom. celebratio Natalis Castoris, & Pollucis apud Romanos. De huius Natiuitatis fabellis plura si desideras, lege Mithologicos, & præcipue Girald. *syntagm.* 5. qui *Dioscuria*, id est festum Castorum appingit, sed quæ ista fuerint, me latet.

Natalis Castoris & Pollucis.

VIII. VI. ID. APRIL. Ludi ob Victoriam Cæsaris agebantur, quos his verbis obsignauit *Vet. Kal. Rom.* Ludi ob *Iubam* Mauritaniæ Regem à *Cæsare* deuictum Ann. V. C. DCC. V. de hoc Ouid.

Victoria Cæsaris.

Tertia lux, memini, ludis erit: hac mihi quidam
Spectanti senior, continuúsque loco,
Hæc, ait, illa dies Lybicis quâ Cæsar *in oris*
Perfida magnanimi contudit arma Iubæ.

De hac Victoria Appian. Alex. *de Bell. Ciuil. lib.* 2. hæc verba profert: *At* IVBA *cum Petreio, vbi didicerunt quæ acciderant, nullam videntes reliquam, aut fugam, aut salutem, in cœnaculo mutuis conciderunt vulneribus. Regnum Mauritaniæ* CÆSAR *tributarium P. R. reddidit; eique Salustium Crispum præfecit.* Et paulo pòst agens de Triumphis Cæsaris, prosequitur: *Alium Triumphum* Africanum, *de* Afris, *qui Scipionem bello iuuerant: in quo* IVBÆ *filius Iuba Historicus infans etiam tum traductus est.* Maiora si desideras lege Plutarchum, Dionem, Paterculum, & Suetonium.

IX. V. ID. APRIL. in *Vet. Kal. Rom.* apponuntur: CEREALIA, & Ludi Circenses in honorem CERERIS. Et licet de hisce Ludis hoc die Rossin. *d. lib.* 4. *c.* 12. subdubitet, Ouidij ecphrasim ausculta:

Cerealia sacra quæ?

Proxima victricem cùm Romam inspexerit Eos;
Et dederit Phœbo stella fugata locum;
CIRCVS *erit pompâ celeber, numeróque Deorum,*
Primáque ventosis palma petetur equis.
Hinc CERERIS *Ludi.*

Formam

Formam Sacrorum hoc die, describit Girald. *syntagm.* 17. dicens, quòd Sacerdotes Deæ in vestibus albis, cum lampadibus, & tædis accensis, mactatâ porcâ Sacrum peragebant. Luculento carmine Virgil. *lib.* 1. *Georg. vers.* 338. vbi P. Ioann. Ludou. de la Cerda *fol.* 255. sed nihilominus Rossino adhæreo, circa diem horum Ludorum, vt statim dicam. *Qua vicli-mæ?*

IV. ID. APRIL. Dies ater in *Vet. Kal. Rom.* At P. Mascul. *in Fast. Roman. & Græc. Aprilis ante Encomia SS. fol.* 147 asserit hodie Romæ dabantur Ludi CIRCENSES, soli dicati. Forte sic, quia cum isti Ludi per Nouem dies peragerentur, ab hoc initium sumpsisse, quis negabit? X. *Ludi Circenses Soli.*

PRID. ID. APRIL. Ludi CEREALES per dies Octo, ob Magnam Matrem Romam aduectam. Sic in omnibus Kalendariis. Die IX. supra diximus de *Sacris Cereris*, nunc de Ludis agemus. Ergo CEREALES Ludi haudquaquam Romæ inuenti, sed Græciæ, quos *Eleusinos* vocitabant. In his enim Matronæ luctum CERERIS ob raptam *Proserpinam* repræsentantes, facibus accensis, quotannis prodibant. In eorum pompa signa Deorum, & ouum producebant. Ludorum ergo tempore homines in toga candida, mulieres in veste alba Ludos, & Sacra spectabant. Causam refert Alex. ab Alex. *Dier. Genial. lib.* 6. *c.* 19. Vt tunc Diis gratum esse censerent, *si à latis, nec funere pollutis celebrarentur.* XII. *Ludi Cereales, à quibus?* *Eorū pompa: & quare in vestibus albis?*

Mos etiam in hisce Ludis fuit obseruatus, scilicet, vt nemo ante noctem epuletur, quinimo & omnes à Venere, & Vino abstineant. Causam refert Iul. Cæs. Scalig. *lib.* 1. *Polit. c.* 32. dicens: *Cererem extremâ affectam fame, ac nihilo secius pertinacius ieiunium perpetuantem, solus* Vesper *flexerit, persuaseritque vt cibum caperet.* Exhibebantur CEREALIBVS certamina Equestria, vt inquit Dio *lib.* 47. Et missilia, hoc est nuces, cicer, & alia dabantur, & aspergebantur in vulgus, ab his, qui Ludos exhibebant, ad plausum, & Populi fauorem captandum. Plura legito de hisce Ludis apud Stuch. in *Antiquitat. Conuiuial. lib.* 1. *c.* 33. *fol.* 130. *col.* 2. vbi de *Cænis Cerealibus* ad longum scripsit. *Ante noctē cur nō epulabantur.* *Cœna Cereales.*

IDIB. APRIL. Celebris fuit ob sacra IOVI victori, & Libertati fieri consueta. Horum sacrificiorum causam, aliqui referunt, inductam propter Templa Romæ consecrata, testis est Ouid. XIII. *Ioui Victori sacra.*

Occupat APRILEIS IDVS *cognomine* VICTOR
IVPITER, *hac illi sunt data Templa die.*
Hac quoque, ni fallor, populo dignissima nostro
ATRIA *Libertas cœpit habere sua.*

Duo hic sacra cognoscimus: Aliud IOVI VICTORI; Aliud LIBERTATI. De Primo, agit Tit. Liu. *Hist. Rom. lib.* 10. Vbi Q. Fabium Maximum Rullianum aduersus Samnites, Anno CCCC. LVIII. quo Consulatum accepit, dimicantem scribens, ibidem Templum IOVI vouisse fatetur. En eius verba: *Ipse* Ædem IOVI VICTORI, *spoliáque hostium cùm vouisset, ad Castra* Samnitum *perrexit.* Quam Ædem in Palatino Monte constructam refert P. Victor in X. Vrbis Regione. De quo multa apud Lil. Gyrald. *Syntagm.* 2. & *Vet. Rom. Kalendar.* quo Anno V. C. DLV. fuisse constructam. *A quo institutæ.*

NVNC de Templo LIBERTATIS quod Tiberius Gracchus dedicauit, postmodùm Asinius Pollio reparauit, & atrium Bibliothecâ poliuit. Sueton. *lib.* 2. *in August.* S. Isidor. *de Origin.* inquiens: Multa à multis extructa sunt. *Primus Romæ bibliothecas publicauit* Pollio *Græcas, & Latinas, additis Auctorum imaginibus in atrio, quod de manubiis magnificentissimum extruxit.* Et quod hoc ATRIVM Isidori sit illius, quo ædes Libertatis, audi Ouid. *de Tristib. lib.* 3. *Eleg.* 1. *Libertatis ædes.* *Prima Bibliotheca Romæ.*

Nec me quæ doctis patuerunt prima libellis
ATRIA *Libertas tangere passa sua est.*

Huius ATRII Libertatis meminit Tit. Liu. *lib.* 43. quod constructum creditur in XIII. Regione vt notauit Carol. de Neapol. *ad Fast. lib.* 4. *n.* 173. *fol.* 191. *Atrium Libertatis, vbi?*

De more apponendi IMAGINES Scriptorum in *Bibliothecis*, à *Pollione* primùm inuento, insignis est locus Martial. *lib.* 9. *in programmate ad I. Epigram.* Sic solutâ

Imagines in Bibliothecis Scriptorũ. oratione: *Qui* IMAGINEM *meam ponere in* Bibliotheca *ſua voluit*. poſt in Carmine, ſic:

Hoc tibi ſub noſtrâ breue carmen IMAGINE *viuat:*
Quam non obſcuris iungis, Auite, viris.

Quam conſuetudinem etiam probarunt Cicer.*lib.4.ad Attic.Epiſt.9.*Plin.*lib.35.c.2.* Senec.*lib.2.de Tranquil.Vit.c.9.*Plin. Iun. *lib.4. Epiſt.28.* Iuuenal. *Satyr.2.* Sueton. *in Tiber. c.70.* Euſeb. *in Hiſt. Eccleſ. lib.2. c.18. & alij plurimi ab* Heraldo *citati.*

XV. XVII. KAL. MAII. Numa inſtituit ſacra, quæ FORDICIDIA dicebantur,
Fordicidia ſacra quæ? & à quo instituta. eo quod, tellus iam ob nimiam ſiccitatem, iam ob plurimam pluuiam, paſſim ſterilis redderetur, quo periculo certus Rex, *Faunum* conſulens, ab illó accepit, placandam *Deam Tellurem* eſſe duabus hoſtiis, quas vna tantum iuuenca daret. Aſt, cum ænigma hoc à nemine intelligeretur, illud *Ægeria* Nympha eſt de *Boue grauida*, quam vocabant FORDAM, interpretata. Huius ecphraſis fabulam plurimis ſcripſit *Ouidius* carminibus quorum relationem exprimere, inutile. Venio ad illius hoc die Sacrorum feſta:

Tertia poſt Veneris cùm lux ſurrexerit Idus,
Pontifices FORDA *Sacra litate boue.*
FORDA *ferens* BOS *eſt, fœcundáque dicta ferendo:*
Hinc etiam fœtus nomen habere putant.
Nunc grauidum pecus eſt: grauida quoque ſemine terra:
Telluri *plena, victima plena datur.*
Pars cadit arce Iouis: Terdenas *Curia* vaccas
Accipit, & largo ſparſa cruore madet.

Ritus. Mos erat, vt in vnaquaque Curia vrbis, vna bos grauida, ſeu prægnans immolaretur, & cùm in Vrbe eſſent XXX. Curiæ, ideò Terdenæ vaccæ mactabantur hoc die, vt in vltimo diſticho innuit Naſo, & notant D.Carol.de Neapol.*n.179.*Roſſin. *d.c.8.* Lil. Gyrald. *ſyntagm.17.* Et etiam in *Capitolio* ſacra fiebant hæc.

Etymon. DICTA hæc Sacra fuere FORDICIDIA, à cæſa FORDA, id eſt mactata BOVE grauida, quam HORDAM dixere antiqui, per ἀρχαϊκῶς, pro FORDAM. Varr.*de ling.lat. lib.5.* adſit: FORDICIDIA *à fordis bobus*, BOS *forda, quæ fert in ventre: quòd eâ die publicè immolantur boues prægnantes in Curijs.Et lib.2. de re Ruſtic.* dixerat: *Quæ ſterilis eſt vacca, Taura appellata; quæ prægnans,* HORDA; *ab ea in Faſtis dies* HORDICIDIA *nominatur, quòd tunc* HORDÆ *boues immolantur.* Hinc elicies, quòd BOS HORDA, eadem ac FORDA; nam litera H, paſſim pro F, & è conuerſo per ἀρχαϊκῶς aſſumitur.

Vituli execti cremabantur, à quo? vt quid? HOC etiam die poſt immolationem harum Boũm in Curiis accedebat *Virgo Veſtalis Maxima*, & quos ex FORDARVM Sacrificuli extrahebant vitulos ventre cremabat, quorum cineres in *Templo* ſeruabantur *Veſtæ*, vt inde ſuffimen fieret, quo in *Palilibus* purgaretur populus, vt ita refert Ouid.

Aſt vbi viſceribus vitulos rapuere miniſtri,
ſectáque fumoſis exta dedere focis;
Igne cremat vitulos, quæ natu Maxima Virgo *eſt*
Luce Palis *populos purget vt ille cinis.*

De his *Palilijs* agemus infra ad *XI. Kal. Maij*, vbi de origine, munere, ritubus, & etymo omnia breuiter congeremus: nunc ad Faſtos Romanos pergo.

XVI. XVI.KAL. MAII in vetuſtiſſimo Kalendario Romano legitur: *Octauius Auguſtus, Imperator ſalutatus eſt.* Quod & cecinit Ouid. his Carminibus.

Acclamatio Augusti Imperatoris. *Hanc quondam Cytherea diem properantius ire*
Iuſſit, & æthereos præcipitauit equos;
Vt titulum imperij *quàm primùm luce ſequenti*

AVGVSTO

AVGVSTO *iuueni prospera bella darent.*

De hacce AVGVSTI Octauiani inauguratione ad Imperium scribit Dio Cass. *Hist.Rom. lib.*52. & Rossin. *d. c.*8. & Neapol. *n.*188.

XV. KAL. MAII. addit Ouidius *suculas* vesperi occidere Ægypto, vt notauit eius scholiastes, D. Carol. de Neapol. *n.*169. Verba Nasonis sunt: XVII.

Sed iam præteritas, vbi quartus Lucifer Idus
Respicit, hac Hyades *Dorida nocte tenent.*

Sucula, stella eadem ac Hyades.

De his SVCVLIS ista Plin.*lib.*18.*Hist.Natur.c.*26. XV. Kal.*Maij,Ægypto* SVCVLÆ *occidunt vesperi;* sydus *vehemens,& terrâ,marique turbidum.* Hæc stella eadem est, ac *Hyades*, vt notauit *Tullius Tiro* discipulus, & libertus *Ciceronis* apud A. Gell. *Noct. Atticar.lib.*13.*c.*9. cuius opinionem redarguit Ioseph.Scalig.*in Not.ad Manil.lib.*5. *Astronom. fol.*257. quem videas, vt aliqua notes.

XIV. KAL. MAII. Duo sacra appingunt Fasti. I. EQVIRIA in *Circo Maximo*, de quibus egimus *Tom.*1.*in Fastis Februar.fol.*9. & *Tom.*2.*in Fast.Martij ad* III. *Idus* ipsius. Hodie Ouid. XVIII.

Tertia post Hyadas *cum lux erit orta remotas,*
Carcere partitos Circus *habebit* EQVOS.

Equiria in Circo.

II. Sacrum hoc die peragebatur *Cereri*, vt à combustione liberaret fruges. Huius ridiculi sacrificij ritum ausculta. Colligebantur quamplures vulpes,& eas in Circo cum stipulis ardentibus in cauda appensis, dimittebant, donec comburerentur, quo more,& Dea mulcebatur, & plebs læta vulpium combustione ridebat. Caussam promittit hoc carmine docere *Naso*. *Vulpium combustio.*

Cur igitur missæ iunctis ardentia tædis
Terga ferant VVLPES, *causa docenda mihi est.*

Sed quia in huius ritûs reddenda caussa Poëta per plura diuagatur carmina, breui eam solutâ exscribemus oratione. Fuit etenim quidam rusticus *Carseolanus*, qui vulpem laqueo implicitam deprehendens, eam inuoluit stipulâ, &, accenso igne dimisit. Quæ cùm aufugeret, & inter maturas fruges volutaretur, omnes adussit. Hinc mos exortus, vt hoc die, singulis annis, *Cereri* cum vulpibus in *Circo*, stipulas accensas ad caudam deferentibus, litaretur. *Caussa.*

XIII. KAL. MAII. Vltimus CEREALIVM Ludorum, qui cum incœperint PRID. ID. APRIL. per VIII. dies, hunc esse vltimum constat. Hoc etiam ex Veteribus Kalendariis elicitur, maximè ex illo Constantini Magni, in quo hæc notantur à die XII. Aprilis ad XIX. XIX. *Cerealium finis.*

XII. LVDI CEREALICI.
XIII. LVDI. S. L.
XIV. LVDI C
XV. LVDI E
XVI. LVDI R
XVII. LVDI E
XVIII. LVDI A
XIX. LVDI L

Hinc *Lil.Girald. Stuchius, Rossinus*, & D.*Carolus de Neapolis* contendunt, quod licet in hisce VIII. diebus aliqua diuersa peragerentur Romæ sacra, non ex hoc CEREALIA intermittebantur.

XII. KAL. MAII. In nonnullis Kalendariis vetustioribus leguntur hæc verba. XII. QVIRINALIA & AGONIA, vt apud Reusnerum in *Miscellaneis.* In aliis tantum AGONIA, vt apud Rossinum *lib.*4.*cap.*4. Quæ fuerint hæc sacra nondum diuino, nam si de AGONALIBVS sermo, eorum festiuitas ad XII. *Kal. Iunij* reiicitur à Nasone *lib.*5. *Fastorum*, vbi plura dicemus. Ast hîc AGONIA referuntur, non AGONALIA, ideo inter ipsa diuersam originem, & causam intercessisse suspicor. Ansam itidem præbuit *Festus*, qui agens de colle *Quirinali* hæc verba profatur: QVIRINALIS *collis, qui nunc dicitur, olim* AGON *appellabatur, antequam* XX. *Agonia sacra quæ*

in eum commigrarent Sabini, *Curibus venientes post fœdus inter* Romulum, *&* Tatium *ictum, à quo hanc appellationem sortitus est.* Et *lib.* 20. *de verb. signif.* verb. *Agonium.*

Agonius Mons. asserit: AGONIA *sacrificia, quæ fiebant in Monte, hinc Roma mons* Quirinalis AGONIUS, *& Collina porta* AGONENSIS. Hinc elicies ista sacra conuenire cum *Veteribus Kalendariis*, vbi QUIRINALIA, & AGONIA vocantur, aut quia in QUIRINALI monte, qui AGONIUS etiam est dictus, aut quia AGONIO Deo rebus

Agonius Deus. agendis præsidenti, litabatur. *Lil. Girald.* de his meminit in *Mens. April. & syntagm.* 17. his verbis: AGONIA *quidem priora* Ianuario *Mense fiebant, altera verò* APRILI. Videsis Rossin. *lib.* 1. *Antiq. Roman. cap.* 6. & Stuch. de *Sacrif. Gent. fol.* 8. 31. *&* 75.

XXI. XI. KAL. MAII. In Veteribus Kalendariis PARILIA, siue PALILIA adnotantur Sacra, quamuis Ouidius die antecedenti fuisse peracta contendat. Quæ

Parilia, siue Palilia sacra, quæ? hæc fuissent Sacra, ab etymo primùm ausculta ex *Festo* his clausulis: PALES *dicebatur Dea* Pastorum, *cuius festa* PALILIA *dicebatur, vel vt alij volunt, dicta* PARILIA, *quoniam pro partu pecoris eidem sacra fiebant.* Rituum formam descripsit perbellè Ouidius, cuius carmina referre compellor huiusmodi:

> *I, pete virginea populus suffimen ab ara,*
> *Vesta dabit, Vestæ munere purus eris.*
> *Sanguis equi suffimen erit, vitulique fauilla,*
> *Tertia res duræ culmen inane fabæ;* (*Ritus.*)
> *Pastor oues saturas ad prima crepuscula lustret,*
> *Vnda prius spargat, virgáque verrat humum,*
> *Frondibus, & fixis decorentur ouilia ramis,*
> *Et tegat ornatas longa corona fores.*
> *Cærulei fiant puro de sulphure fumi,*
> *Tactáque fumanti sulphure balet ouis.*
> *Vre mares oleas, tædumque, herbasque Sabinas;*
> *Et crepet in mediis laurus adusta focis.*
> *Libáque de milio milij fiscella sequatur:*
> *Rustica præcipue est hoc Dea læta cibo.*
> *Adde dapes mulctramque suas; dapidúsque refectus*
> *Syluicolam tepido lacte precare Palem.*

Cœna, & saltatio per ignes. Hisce peractis ritibus, ad Orationem Deæ veniebant Pastores, post aquâ aspersi, opiparè cænantes, ad ignem paratum ex stipulis accedebant, quos ter transilire piaculum erat. Caussas horum rituum *septem* recenset *Ouidius*, apud quem eas vi-

Tempus institutionis. dere poteris. An isthæc sacra à *Romulo* inuenta, an ante Vrbem conditam, instituta, subdubitat Dionys. Halicarn. *lib.* 1. Ast Plutarch. *in Romul.* & Tibull. *lib.* 2. *eleg.* 5. ante Vrbem constituta contendunt.

Natalis Romæ. Hoc etiam die ROMÆ *Natalem* solemni pompa auspicabantur, vt referunt Plutarch. *in Romul. fol.* 10. Plinius, Solinus, & alij qui de Origine Vrbis scripsere. Hinc prohibitum, ne hoc die hostia mactaretur. Ast Dio Cass. *lib.* 43. scribit, etiam

I. Cæsar de Hispanis triumphat. hoc die de HISPANIS *Iulium Cæsarem* triumphasse, ideo à Senatu hunc honorem fuisse decretum, vt Diis sacrificaret in *Palilibus.*

Parilia priuata quæ? PARILIA quoque priuata sacra fuere, quæ à *puerperis* obseruabantur. Audi Festum: PARILIA *sibi obseruanda indicant* priuatim *ipsæ quoque* puerperæ *domi in stratis.* Hinc *Rossinus* colligit, diuersum esse etymon PALILIÆ, & PARILIÆ ad primum sacra *Pastorum*, ad secundum *Puerperarum* referenda, vocum disparitas persuadet.

Vinalia I. Veneri sacra. IX. KAL. MAII. In omnibus Kalendariis sacra VINALIA. I. peragi *Veneri*, II. *Ioui* mense *Augusto.* Etlicet circa hæc I. & II. sacra, an *Veneri*, an *Ioui* hoc mense litarentur,

litarentur, dubium maximum apud Scriptores sit, attamen Scaligero *in Not. ad Festum* adhæremus. VENERI ergo hoc Mense Romani hortos dicabant. De his sacris, nec obliuiscitur *Poëta Tomitanus.*

—Idem VINALIA *dicam;*
Vna tamen media est inter vtramque dies.

Hæc sacra VENERALIA dicuntur à Plutarcho in *Quæst. Rom.* 45. vbi cur his sacris multum vini effunditur è Templo Veneris, quæritat; & secundam rationem assignans, prosequitur: *Nam hoc signo monebant* FESTOS *dies* sobriè, *non per* ebrietatem *debere agitari. Quòd Dij magis delectentur nimium merum effundentibus, quam bibentibus.* Quod est notandum à Catholicis, quos in hoc seuerè reprehendit B. Ambros. *de Elia, & Ieiun. c.*17. *Vinum è templo Veneris effundebatur, & quare?*

HOC etiam die Meretrices Sacra Veneri Erycinæ faciebant; quæ in eius Templum aduentantes, oblatis floreis munusculis, cuncta expetebant à Dea, quibus populo placerent. De illis, Ouidius multa. *Meretricia sacra.*

VII. KAL. MAII. Conuenit apud omnes, hoc die Sacra ROBIGO Deo fieri, quæ ROBIGALIA dicebantur. de his Varr. *lib.*5. *de Ling. Lat. & de Re Rust. lib.* 1. *c.* 1. Fest. *d. c.* 20. *de Verb. Signif.* vbi etymon adduxit, sic: ROBIGALIA dies festus VII. Kal. Maij, quo ROBIGO Deo suo, quem putabant rubiginem auertere, sacrificabant. Hæc sacra instituit Numa Pompilius, vt Plin. *lib.* 18. *Hist. Natur. c.* 29. notat, his verbis: ROBIGALIA Numa constituit, Anno Regni sui XI. quæ nunc aguntur ad VII. Kal. Maij, quoniam tunc ferè segetes rubigo occupat. Horum sacrorum ritus peragebantur *Oue*, & *cane*, quorum exta cum thure, & vino Deo offerri mos erat, sic Naso: XXV. *Robigalia sacra quæ? Etymon. Institutio.*

Thura focis, vinúmque dedit, fibrásque bidentis,
Turpiáque obscena vidimus exta canis. *Quâ hostiâ.*

Catulum lactentem esse debebat, cuius exta in sacrificio petebantur, vt ex Columella notauit D. Carol. Neapol. *ad Fast. n.* 276. his carminibus:

Hinc mala RVBIGO *virides ne torreat herbas*
Sanguine lactentis CATVLI *placatur, & extis.*

HOC item die apud Græcos ex *Veter. Rom. Kal.* Sacra PLYNTERIA peragebantur Cereri. de quibus hæc Pollux *lib.* 8. notauit: *In* PLYNTERIIS à Solone *permissum triaiurare Numina*, ἱκέσιον, Καθάρσιον, & Ἐξακεστήριον. *quæ sunt Iouis agnomina;* hoc est *Supplicem, Expiatorem, & Depulsorem.* Xenophon *lib.* 1. *Hellicon.* refert, in hisce Sacris Mineruæ templum claudi solere, & aliquod omnino fieri piaculum in summa necessitate. De his Lil. Girald. *syntag.* 17. *Plynteria sacra apud Græcos, quæ?*

V. KAL. MAII. In aliquibus Kalendariis peruetustis consignantur hoc die LATINÆ FERIÆ. De eis Tit. Liu. *Hist. Rom. lib.* 21. Varro *de Ling. Lat. lib.* 5. hæc adnectit: *similiter* LATINÆ FERIÆ *dies conceptiuus, dictus à* Latinis *populis, quibus ex* Albano *monte ex sacris carnem petere fuit ius cum Romanis, à quibus Latinis,* LATINÆ *dictæ.* At Dionysij Halicarnassei *lib.* 4. *Hist. Rom.* verba transcribere, vt omnia de hisce FERIIS agnoscas, placuit. *Tarquinius (inquit) designare templum statuit* Romanis, Latinisque *commune, atque* Hernicis, *&* Volscis, *eis quidem, qui in societatem adscripti erant, vt conuenientes quotannis in designatum locum nundinarentur, vnáque vescerentur, ac de communibus extis partem quique eorum caperent: gratè autem suscipientibus rem omnibus, locum designauit, vbi conuentum facerent, in medio maximè earum gentium positum, montem celsum, qui* Albanorum *superstat vrbi, in quo nundinas quotannis agi, & inducias esse omnibus erga omnes lege statuit, sacrificiáque perfici communia* LATIALI IOVI, *epulas idem quoque statuens, quas exhibere oporteret ad sacrificia vnamquamque vrbem, & quam partem vnamquomque accipere. Has autem solemnitates & sacrificia* Romani *vsque ad hæc nostra tempora perficiunt,* LATINAS FERIAS *vocantes.* Vide Girald. *synt.* 2. XXVII. *Latinæ feriæ, quæ? Etymon. Caussa institutionis.*

IV. KAL. MAII. Plinius *lib.* 18. *Hist. Natur. cap.* 29. hoc die FLORALIA Sacra oraculo Sybillæ Anno V. C. D. XVI. à Romanis instituta contendit. Ouidius, XXVIII. *Floralia sacra, quæ?*

Exit

Exit & in Maias feſtum FLORALE *Kalendas,*
Tunc repetam, nunc me grandius vrget opus.

Et Nos infra *VI. Non. Maij*, quo die & *Ouidius* de illis ſcribere promittit, provt & cæteri.

XXIX. PRIDIE KAL. MAII. Sacra fiebant VESTÆ PALATINÆ, non illa ſolemniſſima, quæ *Veſtalia* dicebantur, & incidunt in diem *VI. Id. Iun.* ſed alia ob tranſlationem ignis ſacri in domum *Palatinam*, vide D. Carol. *n.* 287.

Veſta Palaina ſacra.

En Catholice Lector Gentilium nugas, en Ethnicorum deliria; quibus opponimus *Sanctorum Noſtrorum* inſignia facinora, illuſtria exempla, & feſtorum ſolemnia, vt illis exploſis, ad veritatis Chriſtianæ ſpecimina conuerſus, Deum mirabilem in Sanctis ſuis fatearis.

KALENDIS APRIL.

DIES I.

A. S. Theſiphons *B. Iacobi Diſcipulus*, Lectórque *ab eo ordinatus, pòſt à* S. Petro *Epiſcopus factus in* Hiſpanias *remiſſus* Vergeliæ, Baſtæ, Oſcæ *vrbibus & alibi Euangelium Chriſti diſſeminat, opinatur adhuc vbi eius glorioſum agonem conſummauit.*

B. In Dalmatia *illuſtris obſeruat memoria Martyrium* S. Vennantij *Epiſcopi* Toletani, *cuius corpus à Ioanne P. M. IV. in oratorio ſui nominis apud Baptiſterium Conſtantini in omnium Maxima Lateranenſi Rom. Eccleſia tranſlatum, adſeruatur.*

NOTÆ.

A. SANCTVS Teſiphon.] Frater *S. Cæcilij* Illiberitani, diſcipulus *S. P. N. Iacobi Zebedæi*, eiúſque *Lector*, pòſt vnus ex Epiſcopis à *S. Petro* Apoſtolo conſecratus, & ad *Hiſpanias* remiſſus, cuius prædicationis voce *Hiſpania* lucem Religionis agnouit. Eius memoria ab Eccleſia renouatur Catholica ſingulis annis, vnà cum cæteris *B. Iacobi* diſcipulis tumultuariè die *XV. Maij*. Hiſpana vt ſingulari Apoſtolo in hunc diem. Sic *Granatenſis in Kalend.* Annual. *Kalend. Aprilis* Theſiphontis *Epiſcopi, Diſcipuli S. Iacobi, M. Dupl. I. Claſſ.* Philipp. Ferrar. *in General. Cathal. SS. h. d. fol.* 132. his verbis: *Granata in Hiſpania* Theſiphonis *Epiſcopi, & Diſcipulorum eius.* Martyrol. Hiſpan. *MS. P. Higuera*, h. d. ſimiliter hac periodo latinitate donata: *In Monte Ilipulitano, prope Illiberim* S. Theſiphontis *Diſcipuli B. Iacobi Maioris, Apoſtoli, Prædicatoris, & Hiſpaniæ Patroni, & Sociorum eius, Diſcipulorúmque* SS. Maximi, Lupercij, & Muſitani, *qui in calce ardenti immiſſi ab Aloto Proconſule concremati fuere pro fidei confeſſione.* Omnia prius coniunxerat Flau. Dext. Noſter *in Chron.* in variis locis. *Ann.* 37. loquens de Aduentu S. Iacobi, ſic: *Multos etiam Diſcipulos præcipuos autem numero XII. more Apoſtolico in Hiſpaniam ſecum portat: ſcilicet* Theſiphontem,

Martyrologia.

Iſcium,

Isicium, Calecerum, Lectores. Postea *Ann.*43.*&* 54. *n.*5. cuius verba postea dabimus. *Scriptores.*
De *S.Tesiphonte* scripserunt post Baron.*in Not.ad diem XV.Maij.* Vincent. Bellouacens.*tom.*3 *specul.Histor.lib.*8.*c.*6.*fol.*274.in nouis.Alderet.*in Antiquit.Hisp.lib.*2.*c.*13.
D.Maur.Castell.*Hist.S. Iacob. lib.*21 *cap.*16. Luc. Marin. Sicul. *lib.*5. *de Reb. Hispan.*
P.Marieta *Hist.SS.Hispan.lib.*1.*c.*14. Moral. Padilla, & fere omnes qui generaliter,
vel specificè Historias Vrbium Hispaniæ edidêre, quorum nomina recensere,
magnam fuisset prouinciam suscipere. Ex *Breuiarijs*, nullo dempto, omnia perlegito. Ab illis, Nostrisque Scriptoribus acta separatim formanda censui, & à suo *Breuiaria.*
tantus Præsul ne cadat symbolo, sequens compagino flosculum.

ACTA S. TESIPHONTIS EPISCOPI & Martyris in Hispania. Ex Varijs.

TESIPHONS *ex* Arabum *progenie ortus, unà cum* Cœcilio *fratre* *Origo.*
Hierosolymam aduentauit, tempore quo CHRISTVS-IESVS, *vt mundum*
redimeret, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem
hominum factus, Patri obediens vsque ad mortem, Crucem subiuit. Cuius miracula in vita, & in morte peracta cum intueretur, discipulis eius adhærens
(creditur) mysterijs Ascensionis Dominicæ, & S. Spiritus aduentui interfuisse.
Pòst B. Iacobo Zebedæi *filio cessit, eiúsque comes indiuiduus effectus, ab* *Adhæret Iacobo Zebedæo.*
eóque ad Lectoratus *ordinem ascitus, & in XII. Discipulorum eius, (quos*
more Apostolico præcipuos elegerat) numerum adscriptus, ad opus prædicationis cum Magistro Apostolico Hispanias *adiit. Ibidem peragrando insigniores illius Occidui Orbis vrbes, verbúmque Euangelicum seminando, Apostolum est fideliter comitatus. At cum apud* Cæsaraugustam *Iacobus à B.* *Adijt Hispanias.*
Virgine Maria *fuisset visitatus & de exigua in* Hispaniæ *ambitu, collecta*
messe confortatus, post ibidem erectam Ecclesiam, quam nunc de Columnæ
dicitur, Hierosolymam est reuersus. Illum insequitur Tesiphons, *vbi de Magistri martyrio testis extitit ocularis. Qui cum cæteris condiscipulis corpus* *Reuertitur Ierosolymam.*
sanctissimum, nocte præ timore Iudæorum arripiens, Angelo Domini comitante in Ioppem *ad litus maris peruenit. Sed inter socios quò viam arriperent, hæsitatum, ecce nutu Dei affuit eis parata nauis. Qui gaudentes intrantes in eam, portantes alumnum Nostri Saluatoris, erectis velis, simul*
cum prosperis ventis, cum magna tranquillitate nauigantes super vndas *Corpus Iacobi cum alijs in Galleciam traxit.*
maris, collaudantes clementiam Domini, Iriæ *peruenerunt ad portum. Ibi*
præ gaudio cecinerunt hunc Dauidicum versum. In mari viæ tuæ, & semitæ
tuæ in aquis multis. *Egressus ergo* Tesiphons *& cæteri sodales corpus*
Apostolicum in quoddam prædiolum nomine Liberum donum, *distant à*
præfata vrbe VIII. Mill. tumularunt. Quò, post vastissimi Idoli ibidem reperti direptionem, arcuatam construentes domunculam, sepulchrum Apostolicis exuuijs lapideum mirabiliter præpararunt. Demum humato corpore sacro Tesiphons *cum sex alijs alumnis Romam adijt, vt B. Petro Apostolorum*
Principi, & Catholicæ Ecclesiæ capiti de gestis Hispaniæ *certiorem faceret.* *Romam pergit, vbi Episcopus ordinatur.*
Quem & socios Petrus *benignè suscipiens, Episcopos ordinant, ob fidem Catholicæ institutionis tradendam* Hispanis *destinat. Quorum prophetatio*
gloriosa & nostris vrbibus iam vicina, ea nos gaudiorum innouat cultu, quæ
miraculorum est acta profectu. Nam dimisso Tesiphonte *& socijs ad* Hispanias, *cum ad Ciuitatem* Accitanam *venissent, & in huius vrbis conuiuitatem escarum emi parum aliquid præcepissent, agunt asseclæ præcepta*
sibi, quæ iussa sunt. Sed ecce subito dum Idolis homines sacrificare conspiciunt;
agnitis perfidis religionis patulo cultu, feruido cursu vsque ad fluuium perfidorum turba prosequitur. Sed pons illic antiqua mole constructus dat vtrisque partibus terminum. Nam ad instar antiquæ historiæ, cum transfretauit *Pons Accitanus corruit.*
Israël mare Rubrum, salutis iter porrigens; sic nunc fugientibus Discipulis
Beatorum pons ipse subitò, miraculo intercedente dissoluitur, & fugientes
Sanctorum populos saluans; persequentes prorsus perfidos labiles mergit in vndas.

vndas. Illic ad transitum Israelis vnda maris diuiditur: hic ad saluandos Christi *famulos ingentis molis constructura resoluitur. Illic marinis solis fluctibus persequentes intereunt: hic persecutorum cunei dissoluta pontis mole in fluminis alueo demerguntur. Illic Ægiptij cum curribus suffocantur: hic perditi cum lapidibus submerguntur. Illic Israelita demersis hostibus in profundum, Deo laudis Canticum promunt: hic simili lætitia liberatorum populus gratulatus hymnum Domino proclamauit. Post hæc dimissis Præsulibus* Tesiphons *Baticam maritimam perlustrans per vrbes* Vergim, Bastam, *&* Oscam *prædicans, diuini seminis grana efficaciter porrigebat. Continuò Fidelium concursus extitit plurimus, qui doctrinam Sancti Præsulis ebibens, multiplici properatione ad vitæ cælestis lauacrum cateruatim perenniter festinabat. Omnes feruenti Vir Dei amplexabatur amore, singulos Pater spiritualis vnanimi confortabatur eloquio. Illorum vlcera Medicus cœlestis putrida humaniter resecabat. Quo mirabili exordio innumeram Christo progeniem sedulus parturiuit. Splendebat per illius regionis terminos* Tesiphontis *insignis dogmatis facula. Nam eruditione præditus singularia pro fide dicitur scripsisse volumina. Exemplis vitæ populos ad Euangelium allectos, sublimi prouidentia componebat, & inimitabili charitate cohonestabat. Hisce religionis progressibus S. Pontifex gregem lucratum pascebat assiduus, cùm in vrbem* Illiberitanam, *quâ eius Sanctissimus frater* Cæcilius *sedem fixerat, & Præsulatus infulas induerat, fidei causa deuenisset; nam ibidem Synodum indictam esse dignouit, cui interesse aliquos ex vicinioribus* Iacobi *discipulis erat decretum. At cum iam inter Gentilium turbas de nouo religionis progressu, & augmento diuagarentur rumores, &* Alotus *vrbis Iudex congregatum cognouit cœtum, omnes in eo consistentes comprehendens, cum Dijs litare præciperet, illique Deum solum venerari promitterent, bonis omnibus spoliauit, &* Tesiphontem *flammis exustum, ad coronæ æternæ præmium per agonis inclyti brauium absque intermissione remisit* .Kalend. Aprilis, *Anno Domini* LVII. *Imperante Claud. Tiber, Nerone.*

Per Baticam literalem prædicat. — *S. Præsulis officia.* — *Comprehenditur.* — *Coronatur.*

Hæc sunt acta, quæ ex antiquis Ecclesiæ Hispanicæ monumentis, & Scriptoribus probatæ fidei elicere potuit curiosa prospectio. In eorum intelligentia aliqua admonenda sunt, videlicet, *De Nomine*, nam alij *Thesiphont*, vt *Isidorus* in Muzarabi Breuiario. Alij *Tesiphon*, vt Flan. Dext. *ann.* 54. *num.* 5. & pleraque Breuiaria. Alij *Ctesiphon*, vt Philipp. Ferrar. *in Nou. Topograph. SS. verb.* Abdera. *fol.* 1. & *Chthesiphon*, vt Petr. Cabilonens. *in antiq. Topograph. SS. verb.* Almeria. *fol.* 97. dubitatur, Sed Dextri opinionem amplector. D.Franc. Vermudez de Pedraza *in Histor. Granat.* magna, 1. *part. cap.* 6. *fol.* 52. & cum eo non contemnendæ auctoritatis Scriptores, contendit *Tesiphontem* ideo hoc nomine vocitatum, quia cum fuisset à natiuitate cæcus, à Christo Domino visum accepit; nam *Tesiphon*, idem significat, quod *Homo lucis*. Vbi etiam affirmat fraternitatem *Cæcily*, & originem *Arabicam*. Cui assertioni opponunt nonnulli, non *Arabem* fuisse, sed *Hispanum*, sed huic difficultati *die I. February* suprà fecimus satis. *De Prædicatione* Dext. *ann.* 54. his verb. *Tesiphon in Batica vrbe Vergilia, Basta, Osca, in alijsque vrbibus prima iecit religionis Christiana fundamenta.* Petrus Cabilonens. sic: *Verga Ciuitas Hispania. Hic* Chthesiphon *Episcopus, Iacobi Apostoli discipulus, præfuit.* Eadem Philipp. Ferrar. *in Topograph.* licet *Abderitanum* faciat Episcopum. *De Morte apud Illiberim*, Pedraza, Alderete, Biuarius, & alij. Vbi annum, & diem consignant. Cætera, quæ de illo dicenda indiuidualiter erant, nunc sub silentioso iacent obsequio, donec effusis tenebris in lucem prodeant.

De Nomine scriptura, Quæstio. — *Nominis etymon.* — *Hispanis prædicat.*

Verge. Ciuitas antiqua *Hispania* in saltibus, quos *Alpujarras* dicimus, vt placet *Vermudez*. P. Biuar. *fol.* 111. *num.* 5. de huius vrbis situ dimidiam paginæ columnam consumpsit. Et demum credit esse *VVerza* cuius caput nunc est *Almeria*, licet eam Vermudez Beria nominet. *Cabilonensis*, à quo *Ferrarius*, qui in *Abdera* Episcopatum habuisse conscribunt, locorum topothesia euacuati à vero Præsulatus oppido deuiarunt.

Verge Topographia.

Basta.

BASTA. Ciuitas etiam litoralis Bæticæ, hodie BAZA. Vt pluribus probant Antiquarij Nostri. Hinc etiam BASTITANIA, & BATISTANIA dicta, & Populi illius Regionis BATISTANI, vt ex duplici Inscriptione, quam refert Beut. *Histor. Valent. lib. 1. cap. 23.* inuentam in *Tauris Guisandi*, elicitur sic : *Topographia.*

BELLVM. CÆSARIS. ET PATRIÆ. MAGNA
EXPARTE CONFECTVM SEXT. ET. GNE.
MAGNI. POMPEI. EILIIS. HIC. IN. AGRO
BATESTANORVM.

Alia alibi dicemus, vbi aliam Inscriptionem transcribemus, vt vtraque vtaris. B.

S. VENNANTIVS *Episcopus*. Hic à nonnullis TONANTIVS, à plerisque CONANTIVS, appellatur. In Antiquis martyrologiis, hoc die, constanter *Veanantius* vocitatur. *Bedæ, Vsuardi, Adonis, Notkeri*, & *Maurolyci*, sic: *Eodem die* S. Vennantij *Episcopi, & Martyris*. Eadem *Alexand. de Peregrin. Constant. Felic.* & Roman. *Gregorij XIII. Clementis* VIII. & *Vrbani VIII.* à quibus Castellan. *Patr. Dionys. Vasq.* & Lusitan. *Societat.* IESV, & Hispan. *MS. P. Higaera*, & *Petr. Galesin*. Petrus Equilin. *in Catal. SS. lib. 11. cap. fin. num. 106.* In quorum commemoratione, nec locus martyrij, nec Sedis nomen apponitur, vt etiam agnouit Baron. *in Not. lit. B.* Attantæ caliginis inuolucrum *S. Marc. Maxim.* & *Iulianus* Nostri diuersis periodis referarunt; vt infra suis in locis appingemus. De hoc Sanctissimo Præsule præter martyrologia agunt ex Nostris Ambros. de Moral. *Histor. Hisp. lib. 12. cap. 8.* D. Thom. Tamayo *in Veritat. Dextr. Nouit. 7. n. XXXV.* Illustriss. Episcop. Turiasonens. *in Primat. Tolet. 2. part. cap. 1. §. 3. fol. 396.* D. D. Garf. de Loaysa, & *D. Francisc. de Padilla* citati à Roder. Caro *in Not. ad Chron. S. M. Maxim. ann. 640. lit. C.* & nouissimè Biuar. *in eisdem Not. Ann. 600. num. 1. & 3. fol. 705.* ex quibus sequentia conscripsimus acta. *Martyrologia.* *Scriptores.*

ACTA S. VENNANTII EPISCOPI Toletani & Martyris; ex Varijs.

VENNANTIVS *ciuis* Toletanis *à primis infantia exordijs, literis, & virtutibus deditus, in adolescentia, & maturiori annorum ætate celebres sæculo spirauit odores. Nam cùm mundi illecebras, propter vitæ securioris, & æternæ beatitudinis caucam, præcordialiter despexisset, & in monastica institutionis tabulam oculos conuertisset spiritus, ne in fluctuantium sæculi vndarum deperiret procellis, funem arripiens, ad religionis portum, haud naufragus, prosperitate deuenit. Ergo in percelebri illo, apud Regiam vrbem SS. Cosmæ, & Damiani* Agaliensi *cœnobio cucullum, spectante populo, humiliter induens, taliter puriorum vitæ normam, virtutibus præeuntibus, impleuisse dignoscitur, vt illud doctrinæ musæum, probitatis depositum, & sanctitatis cœnobium, quod primò illum conspexerat nouitium, breui* Vennantium *coluit Abbatem. Hic selectiorum dogmatis manipulos colligens, & exemplaribus progressibus monachos ditans, ad perfectissimum monastica eruditionis apicem se, & suos deduxisse refertur. Tantum in vno conspexit ciuitas honestatis exemplar, quantum in cæteris fratribus communiter demirabatur ectypum. Quo factum, vt ad cælos sublato* Adelphio *Toletano Præsule, (in cuius laudes allectus* Vennantius *illam percelebrem composuit homiliam, quæ falsò adscribitur* S. Petro *cognomento* Chrysologo) *de successore deligendo tractatur, quem ex* Agaliensi *Pantheone non dubitabatur eruendum, sed super quem ex tantis emeritis caderet albus hæsitabatur lapillus. Tantum erat apud omnes meritum Cœnobitas. At disponente Numine, & expetente Abbatis nomine,* Vennantius *omnium assensu ad Patriarchale solium inauguratus accessit. Oneris, & honoris pensum breuissimo peregit circulo, nam cùm* in Galliam Narbonensem, *negotijs instantibus*, Pannoniásque *perlustraturus, abiisset, apud* Dalmatiam *Martyr effectus æternam remunerationem promeruit.* Kalend. Aprilis, *Anno Domini* DCVII. *Regnante in Hispania, & Gallia Narbonensi* *Origo.* *Indoles.* *Fit Monachus.* *Eligitur Episcopus Toletanus.* *Coronatur.*

Liuua *S. Regis Reccaredi filio, Sedem Apoſtolicam moderante* S.Gregorio Magno *Eccleſiæ Doctore, & Hiſpan. Protectore. Corpus Sanctiſsimi Præſulis, & Martyris requieuit in* Dalmatia *ad annum vſque* DC. XL. *quo* Ioannes IV. *Pont. Maxim. natione* Dalmata *cum aliorum exuuijs tranſtulit ſacrum* Vennantij *corpus in* Lateranenſem *Baſilicam, in oratorio, quod dicitur*, S.Vennantij *apud Baptiſterium Conſtantini, vbi in apſide imago ipſius S.Martyris muſiuo compacta opere demonſtratur. Carmen ſepulchrale MS.* reperi, ſic:

EPITAPHIVM S. VENNANTII, Epiſcopi Tolet.

Toleti *naſcens*, Adelphi *dogmata ſuxi:*
Agalienſis *Aba, Præſul, & vrbis eram.*
Gallos luſtro, Dalmatiæ *pòſt ſanguine fuſo:*
Martyrij lauro, & chlamide cinctus abi.

Præſulatus ergo munere, Fructuoſum *quendam Procerem* Palatinum, *ex Regio ſemine oriundum, Vrbe* Toleto *natum, & nutritum, ſic ſanctis cohortationibus ab illius ſeculi illecebris, & Aulica libertatis fallacijs extraxit, vt breui cucullum indueret; qui poſtmodum multorum Monachorum Pater, & plurium Cænobiorum per totius* Hiſpaniæ *circulum extructor extitit, & Magiſter; donec ad* Dumienſis, *&* Braccarenſis *Sedes Eccleſiarum Pontifex inauguratus, obdormiuit in Domino* XVI. Kal. Maij. *Cuius Natalis dies in Eccleſia Catholica albo numeratur lapillo.*

Hæc ſunt acta, quæ ex Noſtris excerpere potui, alia adhuc ſub ſilentio, ſed temporum labilitate prorumpent. Sed vt ad ipſorum comprobationem perueniamus, aliqua elucidationem expectant. PRIMVM *de Origine Vennantij.* De quo Martyrologiùm *MS. Hiſpanum P. Higuera* ſic Hiſpanicè: *En Dalmacia* S.Venancio *Obiſpo, y Martir natural de* TOLEDO. Latinè: *Dalmatia* S. Vennantius *Toletanus indigena.* Quod deſumpſit ex. S.M Maxim. *in Chron. ann.*598. *fol.*213. vbi *Vennantium* vocitat *Toletanum.* Cuius originem omiſerunt *Tamayo,* & *Illuſtriſſ. Turiaſonenſis.* Quintana-Dueñas, *fol.*277. *in SS.Toletan.* qui eum Gallum facit, & perperam.

Origo probatur.

SECVNDVM *de Monachatu, Abbatiatúque.* Pro quo reſpondeant S. Maxim. *ann.*602. his verbis: *Vennantio S.Martyri, Abbati SS. MM. Coſmæ, & Damiani.* Iulian. Petr. *in Chron. num.*312. ſic: *Adelphio ſuccedit in Sede Toletana* Conantius, *vel* Vennantius, *qui fuit Abbas SS.MM.Coſmæ, & Damiani.* Sequuntur Caro, *D Thom. Tamay.* & *Primat. Tolet.* Videſis Biuar. *in Not. ad Max. Ann.*600. *num.* 1. & 3.

Item Monachatus.

Tertium de Homilia S.Pontifici Adelphio ſcripta. Omnes relati, & *S.Max.* ſpecialiter ſic loquens de S.Adelphio: *In cuius laudem* Vennant. Toletan. *compoſuit homiliam, quæ incipit:* Habet hoc Adelphi Antiſtitis ſanctus animus: *quæ falsò adſcribi ſolet Petro Rauennati cognomento Chryſologo.* A quo omnes ſupra relati. Biuar. *ad Maxim. Ann.*598. *num.*11. *fol.*702.

Scripſit homiliam Adelphio Toletano.

Quartum de tranſitu ad Galliam, Pannonias, & martyrio in Dalmatia. S.M. Max. *ann.*602. ſic: *Vennantius Epiſcopus Toletanus dùm negotiorum causâ, ad Pannonias, Galliámque Narbonenſem pergeret, fit Martyr glorioſus I. die Aprilis.* Expreſſiùs Iulian. *in Chron. num.*93. his verbis: *Floret memoria* S.Vennantij *Epiſcopi Toletani, in Dalmatia paſſi I. Aprilis.* Nec implicat quòd in edito Codice referatur S. Viri memoria ad annum CC. XCI. Quia proprius locus eſt, *numer.*393. vt in MS. ſed ſublata lit.3. cùm remanerent 93. ideò ſuperiùs interlineata eſt clauſula, ſine offenſione veritatis. Et patet, nam cùm illo ſæculo nullus reperiatur Toletan. Antiſtes, hoc inſignitus nomine, quouſque *ad annum* 598. vſque *ad* 602. At quid *Iulianus*, tantam erat anticipationem ſuffecturus? Etiam de eo agit S. Maxim. *ad ann.*612.

Galliæ adijt.

ann.612.fol.218. vt de eius insigni doctrina, meminit. Biuar. *in Not. ad Maxim. Ann.600. num.3.fol.706.*

QVINTVM, *de Translatione sacri corporis, in Lateranensem Basilicam.* Videndus Baron. *in Not. ad Martyrol. Roman. lit. B.* vbi huiusmodi translationis anamnesim refert, ex monimentis SS. Ecclesiæ Lateranensis. *Translatio.*

DALMATIA. Illyridis pars, versus Macedoniam, ex *Ptolemæo, Strabone,* & *Plinio* scribit Petr. Ranzan. *in sua Hungar. Ind.3.* Martin. Cromer. *de Reb. Polon. c.2.* refert DALMATAS & Illiricos ab initio, cùm à *Turri Babylonica* in vniuersum orbem terrarum Coloniæ deducerentur, cum *Ionibus, Æolibus, Hellinibus*, siue *Græcis*, ac cæterâ Helisæ, & Iauani, siue Ionis posteritate, consedisse, illicque per Sclauoniam aduenisse, vrbésque condidisse. Appian. Alexandrin. *in Illiric.* ex recensioue *Henrici Stephani, fol.761.* credidit DALMATAS ab vrbe eorum munitissima cui nomen DELMINIVM vocitatos. Christianam Fidem sunt DALMATÆ amplexati circa annum DCCC. LX. vti refert idem Cromer. *lib.3. cap.1.* Hinc datur intelligere S. VENNANTIVM Nostrum martyrio ab ipsis coronatum, ob Euangelij prædicationem, cùm eo sæculo adhuc Christo nomina non dedisse, ex annorum colligitur intercapedine. *Situs.* *Origo.* *Nomen.* *Fides.*

QVARTO NON. APRILIS.

DIES II.

A. *Apud Oppidum* Muros *in Gallæcia in populis* Tamaricis S. Theodori *Monachi, cuius vita sanctissima, exemplis, & doctrinis admirationem conciliauit, miraculis, & prodigijs venerationem, & cultum promeruit.*

B. *In* Cantabria *Hispaniæ prope vrbem* Victoriæ *depositio* S. Theodosiæ *Virginis, & Martyris* Cæsariensis; *Cuius sacra lipsana, illuc allata honorificè coluntur.*

C. Hispaniæ *commemoratio* S. Francisci de Paula, *Ordinis Minimorum Patriarchæ, cuius Natalis dies in nostra prouincia solemni colitur cultu, cuius Ordinis institutum in nostra extensum regione illustres doctrina, & sanctitate Viros sine intermissione parturijt.*

NOTÆ.

SANCTVS THEODORVS *Monachus.*] De plurimis huius nominis Diuis agunt Martyrologiorum Scriptores, sed nullus de hoc meminit *Gallæco*, nec apud quemquam eius memoria innotescit, præter Luitprand. qui *in aduers. num.24.* apud D. D. Laur. Ram. *& num.23.* apud D. Thom. Tamayo, hac, eius anamnesim, recitat periodo: *Muris, oppido in Gallæcia,* *Luitprandi assertio.*

lecta, in populis Tamaricis (Clamerianis legit Tamayo) *ubi ex mari, exundantique flumine fiebat peninsula, de qua Plin. lib. 4. cap. 20.* S. Theodorus *Monachus cultus est, vita, miraculisque clarus II. Aprilis.* Quisnè fuerit, nec aperit *Luitprandus*, nec ex nostris Chronicis aliquid elicere temporum inuolucra permittunt. Sed si vti coniectationibus in tam caligantis nodi supercilio fas esset, crederem in editis Luitprandi *Aduersarijs* irrepsisse mendum; & loco *II. Aprilis*, legendum *XXII. Aprilis.* Quo facilius ad veritatis terminum perueniretur. Nam die *XXII. Aprilis*, adest apud Græcos in Menologio hæc clausula: *Sancti Patris Nostri* Theodori *Sycotæ ex* Galatia *temporibus Iustiniani Senioris. Eius dies festus celebratur in templo S. M. Magni Georgij.* Quam sequuntur omnia successiuè Martyrologia ad illum diem. Subscribunt Sym. Metaphrast. Lypoman. Sur. Grasl. & alij Scriptores SS. Ex quo, si verum amamus, desumitur, hunc Sanctissimum Monachum non *Gallæcum*, sed *Galatam*, non ex *Gallæcia*, sed ex *Galatia* originem trahere, vt ex actis à relatis probatæ fidei Scriptoribus, exscriptis apparet. Nec huic meo cogitatui aduersantur verba *Luitprandi*, in quibus nihil de origine, nihil de assistentia apud *Muros*, sed tantum de cultu inuenies; En periodus: *Muris oppido in Gallæcia* S. Theodorus *Monachus cultus est, vita & miraculis clarus.* Quis neget posse ibidem coli, aut propter singularem reliquiam, aut propter Basilicam ibidem suo nomini dicatam, aut alia peculiari ratione, de qua memoria deperiuit. Qua occasione suffulti oppidani, antiquitus ad venerationem tanti Monachi deuenere, fortè *die II. Aprilis*, vt etiam eius memoriam olim recolebat Ecclesia *Compostellana* ad diem *XXIV. Martij* sine lectionibus. Quibus ne defraudentur accolæ, si fortè denuò cultum reuiuiscere valuerint, illas breui compendio colligere curaui.

Non quia Gallæcus Theodorus.

Sed quia veneratus in Gallæcia.

ACTA S. THEODORI MONACHI.
Ex Georgio eius Discipulo Presbytero.

Parentes.

Theodorus *ex lasciuo concubitu Parentes habuit*, Cosmam *equestri gloria insignitum, & Sycæorum Iudicem destinatum, &* Mariam *feminam pulcherrimam, in diuersorio quæstum proprio corpore cum matre* Elpidia, *& sorore* Despenia *facientem. Hanc cùm intueretur Cosmas in stabulo, illius amore captus, expetiuit, de cuius congressu grauida effecta* Maria, *noctu, stellam mirabili fulgore splendentem, suum è cælo in vterum descendentem, inuisens, timore perterrita*, Cosmæ *visum aperit, & alys Sanctis Viris, à quibus de futuro mirabili fœtu admonita, à quæstu turpi discedens, tempore opportuno puerum eleganti forma est enixa, cui in sacro fonte* Theodori *nomen imposuit. Agens sextam ætatis annum Infans, Constantinopolim dimitti, vt militiæ adscriptus educaretur, curatur à matre, sed* S. Georgio *ei apparente, à proposito resipuit. Quo illum literis erudiendum cuidam* Stephano *incomparabili Viro tradidit, à quo Sanctus puer exempla heroïca ebibens, diuino inflammatus spiritu, vitam præceptoris æmulari cœpit. Ad templum* S. Georgio *sacrum in monte scholis vicino orationis gratia frequenter pergebat. Cuius vigilias cùm mater ægrè tulisset, nec ab illis asperioribus dimouere verbis, & crudelibus abducere Sanctum puerum potuisset verberibus, illum ad lectica calcem indignata firmiter alligauit. Sed nocte illa S. Martyr* Georgius, *cuius limina pius puer frequentare cupiebat; matri stricto gladio minabundus apparuit, mortem ni soluerit puerum, se illaturam affirmans. Quò filio solato, in templum iter arripiens* Theodorus, *infestus illi dæmon occurrebat frequenter, & dolis, terriculamentisque pium, à pio opere puerum auertere nitebatur. At Christi Martyr, Sathana in fugam verso, tutelarem sæpè sæpius infantulo se præbuit acerrimum. Post, duodecimum cùm attigisset annum in basilica* S. Gemelli *Martyris in oratione tota nocte transacta, viso Rege manu Militum maxima constipato, qui ad pugnam, vt perfectam in cælesti militia consequatur coronam, compulit, ex quo ardentius omnibus pietatis operibus incumbere cœpit.*

Matris visio.

Literis imbuendus datur, Sancto Georgio disponente.

Dæmonibus infestus.

cæpit. Totum psalterium didicit, Ecclesias feruentius visitabat, Sanctorum memorias percolebat, eorum limina, & exuuias perquirebat assiduus.

Ad Glycerium *omnimoda sanctitate Virum*, Trapesas *vsque peruenit, inuisendum, à quo susceptus benignè, cum alacri deuotione benedictionem expectat. Sed* Glycerius *adolescentis gratiam diuinitus intuens infusam, vt pro sterilitate ad Dominum effundat preces monet. Paruit* Theodorus *& continuò cælum nubibus repente obductum imbrem terræ protulit salutarem.*

Orat pro imbre, & pluuiam cõsequitur.

Postea spretis domus maternæ illecebris ad Arcam Syluam, *quò domus erat Dianæ, in cuius latebris absque mortis periculo accedere, ingredíque non licebat, peruenit, ingreditur, lustrat nemus, & Dei auxilio incolumis ad proprium regreditur oratorium. Ibidem iam annorum pubescentia stimulante, diu in aqua gelida perseuerans proprios motus Carnis contrarijs cauterijs sollicitè medicabat. Dæmonem oleo, & signo crucis clamantem, ejulantémque è corpore iuuenis, Patris interpellatione, deiecit, quo magnam nominis adquisiuit celebritatem; quam vt declinaret in desertum aufugiens, speluncam subfodiens, ibidem per biennium ardens lucerna sub modio peregrè latitauit.*

Obsessum liberat.

At à Diacono mulieribus sub iureiurando detectus, & vlcerum, ob squaloris tugurium, plenus inuentus, essi reluctanter ad matris domum deductus, curatus, & à sordibus absolusus est. Quod agnoscens Theodosius *Anastasiopolis Antistes, data salutatione, iuuenem Lectorem declarauit, & tertio abhinc die, omnibus insigniuit ordinibus, cùm vix annum* XVIII. *attingeret. Illicò peragratis Hierosolyma, nostræ salutis monumentis, apud Iordanem in Monasterio* B. V. M. *dicato, cui* Chuzoba *vocabulum monasticæ religionis habitum suscipiens, in proprios reuersus lares ad* S. Georgij *oratorium, vigilijs, precibus, & ieiunijs, vitam transigere destinauit.*

Presbyter ordinatur, & fit Monachus.

Hic plurimos suscepit discipulos, quos Christianam eruditionem edocent, miraculis intercedentibus, vitæ normam illis sedulò demonstrabat. Hic ferrea lorica domans corpus, & mira parsimonia deuincens appetitus, ad perfectissimam vitæ peruenit altitudinem, taliter, quòd eius sanctitate allectæ illius solitudinis feræ propiùs extiterint familiares.

Feras emollicet.

Creuit sanctitatis opinio, & Discipulorum augebatur concursus, ideóque nouum construere, & amplius curauit Cænobium, in cuius fabrica insignia monachi conspexere miracula; nam solo verbo saxum miræ magnitudinis ita commouit, vt ad illius imperium, quocumque vellet se transferret: sic currum calce viua onustum ab incendio liberauit; & alia plurima exegit, quæ latiori calamo prosequitur Georgius.

Cænobium miraculis construit.

Monasterio cõstructo, & Theodosio *Anastasiopolitano Episcopo defuncto, ad infulas tanti culminis inuitus est euectus, quas tot, tantisque virtutibus adornauit, vt nouus quidam pietatis, ac iustitiæ Sol videretur exortus. Stimulabat vehementer eius animum cupiditas in loca sacra reuertẽdi, quo vt peruénit, incredibi amore solitudinis captus, statuit, relicta Cathedra, diutinis ibidem rebus, ab omni humano consortio segregatus, sedulò vacare: Sed nocturna visione à Georgio Martyre increpatus, patriam ad sacri muneris functionem remeare coactus est.*

Episcopus eligitur.

Vndecimum iam annum, in ea dignitate, eximia cum laude exegerat, cùm rursus solitariæ vitæ desiderio inflammatus, importunè, opportunéque Episcopales à se honores remouere conatur, ac tandem voti compos factus, rursus se totum in humili fratrum obsequio, diuinis laudibus, noctu, diúque celebrandis efficaciter consecrauit. Inibique magis, ac magis in dies tot virtutum cumulos aggregauit, vt etiam prioris vitæ, sanctitati quamuis eximia, obscuritatem quandam adferre videretur. Demum bonis operibus cumulatus, solutis mortalitatis vinculis, lætus regna cælorum conscendit XXII. Aprilis, *Anno Domini* DCXIII. *Imperante* Heraclio, *Summum Pontificatum obtinente* Bonifacio IV. *S. Pontifice. Tanti Archimandritæ memoria* Hispanias *vsque occupans, ad Oppidum* Muros *in* Gallæciæ *Populis* Tamaricis *perueniens, ibidem honorifico cultu fuit sine intermissione iubilo.*

Ab Episcopatu se abdicat.

Hæc ex actis, in epitomam reduxi, cætera qui accuratiùs perlegere voluerit, adeat *Metaphrastem, Lipomanum*, aut *Surium*, & Hispanico sermone Basilium Sanctorum *tom. 1. flor. SS. fol.* 284.

Topographia. TAMARICI POPVLI. Illos iuxta *Nerios* consignat Pompon. Mela *lib. 3. cap. 1.* dicens: *Sunt iuxta Turrim Augusti titulo memorabilem: catera super*, TAMARICI, *Neriique incolunt eo tractu vltimi.* Ab fluuio TAMARI vocitatos contendunt Hermol. Barbar. & Pintian. *in Not. ad Mell.* ille *fol.* 24. iste *fol.* 70. D. Maur. Castell. *Hist. Compostell. lib. 2. cap. 5.* qui Compostellam in hisce consignat Populis. Fluminaque P. Mela *Sars*, & *Tamarim* vocat, hodie illud SAR; istud TAMBRE nuncupatur. Illam Augusti Turrim, quæ hodie *Torre de Este* dicitur, contigua fuit, éstque Populis istis, & portionem, quam extra fluuium TAMARIM, ad vsque mare, ab Oriente, conspectamus, & dixere *Trans-Tamarim*, hodie etiam & Nos patrio idiomate TRASTAMARA nuncupamus: NERII verò, quos *Mela* vltimos illius Regionis Populos, iuxta TAMARICOS consignat, hodie dicuntur accolæ *del Cabo de Finis Terra.* Hinc elicies situm vtriusque Populi, vt ad cognitionem Regionis, qua S. Monachus cultum accepit.

Nomen proprium hoc anno.

B. S. THEODOSIA *Virgo, & Martyr Cæsariensis.*] Hæc Sanctissima Virgo & Martyr à nonnullis *Theodora* vocitatur, sed perperam, vt pulchrè adnotauit Baron. *in scintillis ad M. R. h. d. lit. E.* & Annal. Eccles. *tom. 2. ann. 306. n. 1.* Qui contendit vnam fuisse *Theodosiam* Palæstinam, & Cappadocem, argumentis meo videri efficacissimis. De illa agunt Menologium, sic: *Eodem die S. Virginis* Theodoræ *qua ex vrbe Tyro originem ducens, cum XVII. annum ageret, Vrbano Præsidi Palastina oblata, & Christi fidem liberè professa, ac flagris cæsa, in mare deiecta, Deo ipsi spiritum reddidit.* Martyrologia Bedæ, Adonis, Vsuardi, Notkeri, Rabani, Maurolyci, Alexandri de Peregrin. Constantij Felic. Equilin. *in Catal. SS. lib. 4. c. 25.* & aliorum. Eius memoriam recolunt Flau. Dext. *in Chron. ann.* 430. vbi P. Biuar. *n. 10. fol.* 452. Roder. Car. *fol. 155. lit. P.* P. F. Ioan. Mariet. *Hist. SS. Hispan. lib. 4. c. 66. fol.* 114. Martyrol. Roman. hoc elogio: *Ibidem passio* S. Theodosiæ *Virginis Tyria, qua in eadem persecutione, cùm Sanctos Confessores ante tribunal stantes publicè salutasset, atque rogasset, vt cùm ad Dominum peruenissent, sui recordarentur, à militibus tenta, & ad Vrbanum Præsidem ducta, eius iussu lateribus, & mammis ad interiora vsquè dilaniatis, in mare tandem proijcitur.* Eadem suis idiomatibus Martyrol. Castellan. *P. Vazq.* Lusitan. *Soc. Iesu*, & Hispanum *P. Higuera.* Eius acta scripsère Euseb. *Histor. Eccles. lib. 8. c. 17.* Mombrit. *tom. 2. fol.* 328. Lepolæo *tom. 2. fol.* 25. Breuiarium *Asturicense*, siue Legendarium MS. peruetustis literis exaratum apud me hæc antiquiora profert.

Vna eadémque Palæstina, & Cappadox.

Martyrologia.

Scriptores.

ACTA S. THEODOSIÆ, VIRGINIS & Martyris Cæsariensis Palæstina, cuius corpus in Hispania apud Saluam-Terram, quiescit; *Ex Vetusto Legendario MS. Astur.*

IN illis diebus *sub Diocletiano apud* Cæsaream Palæstinæ *facta est magna Gentilium commotio aduersus Christi membra, & in eos qui eius mandata sectantes, sæcularium Principum decreta, Deo, & rationi aduersantia parui faciebant. Euênit quòd reuiuiscente Diocletiani, & Maximiani persecutionis procella, qua aliquantulum per illius termini circulum conquiescebat*, Vrbano *commouente Præside Palestina, plurimos fidei cultores in carcerem detrudi decreuit insatiabilis Iudicis rabies, vt aut Idolis sacrificia offerre, aut per cruciatuum ugenet, ad mortis angustias deuenturos, iactabat. Christum fatebantur intrepidi, quos immanis catena circundabat, & horridum custodiebat ergastulum. Ibidem in parentum domo erat Virgo, nomine* Theodosia *nobilissimo Tyriorum genere orta, annorum XVIII. parentibus vnica, Deo consecrata, & elegantis speciei fæmina. Dignum quippe erat in tali fabrica Christi palatium fabricari. Hac igitur, cognito immanissimi Præsidis facinore, haud timida, quinpotius Tyranni posthabitis rigoribus,*

Persecutio contra fideles in Palæstina sub Vrbano Præside.

Prosapia Virginis.

ribus, parentibus insciis, ad Martyres in carcere reclusos constanti deliberatione refugit, eisque se coniunxit, & vt pro ea ad Dominum rogarent vehementius orauit. Quod cùm facerent, facta est vox de cælo dicens: Ego eam oleo Athletæ perungo, meóque spiritu confirmo ad vincendas omnes trucidationes. Insonuit verbum in toto carceris angulo, & custodes perterriti in locum, quo Sanctorum cætus orabat, confluentes, & de successu inquirentes, Virginem tanquam nefas quoddam, & impium facinus aggressam, arripientes, ad Præsidem cum vociferatione deducunt. Apud quem sistens, & Psalmos frequenter ruminans, liberè, ac prudenter ad omnia interrogata respondit. Extemplò verò Vrbanus quasi mente captus, & animi furore maximè efferatus in illam grauiora exerceri tormenta indixit. Post hæc stipite capillis suspensa, inter cætera dixit ad circumstantes: Væ qui vult dominus dici, & super se dominum non habere. Væ qui saturari vult, & esurienti non porrigit. Væ qui vult calefieri, & nudos non vestit. Væ qui requiescere vult, & alios requiescere non sinit. Væ qui suum aliquid dicit, cum omnia à Deo acceperit. Hæc, & alia igitur dicent Virgo, cùm nuda staret, nubes niuea apparuit, & illicò eius corpusculum verberibus deformatum, velauit. Vrbano autem minante se atrocia supplicia illaturum, si non à proposita confessionis discederet consilio, exultans Virgo respondit: Exurge Vrbane, nullum de parato mihi prandio ferculum fraudes. Tunc Præses, acriora tormenta, quæ latera, mammásque, ad interiora vsque ossa dilanient, inferenda præscribit. Omnia quasi non sentiens pertulit cruciamina Virgo, quia anima eius in corona tota pendebat. Post in lupanar producendam decreuit, vt sic per corruptionem violentam, ab sponso, quem summè ardebat, Christo discederet. Sed illa Præsidis ignorantiam redarguens, verba hæc intrepida fulminauit. Amator castitatis in vultibus habitat honestis. Frustra mihi minaris corruptionem, quia non potest caro corrumpi, nisi mens fuerit antea corrupta. Quo audito Vrbanus: Rebellem Virginem (inquit) in angustam heronem coarctate, & eius collo grauissimum saxum alligate, eámque in mare præcipitate. Quod cum factum fuisset, ab Angelis ad terram reducta est; saxúmque quod ei ad collum pependerat in manibus reportans. Infremebat Tyrannus, & obtuso corde miraculum respiciens, illam sub carcerali custodia dimittendam curauit. Post hæc in Amphitheatrum deducta, cum in cælum manibus extensis respiceret, ecce Leopardus, & Togala ferociter ad prædam properantes, ipsam rabidis morsibus impetere cupiebant. Sed, ô Dei benignitas! illicò ad virginem accedentes, insolita lenitatis signa monstrantes nihil illam læserunt, quin feræ ad pedes Martyris prouoluta, Virginem à satellitum feritate custodiebant. Donec in dimidio noctis silentio, reseratis Amphitheatri valuis, illas sine offensione cuiuspiam in montis densitatem dimisit Virgo Beata. Protinùs à carnificibus, actum spectantibus, tenta, & in domum Præsidis reducta, ne tantis illustraretur victoriis, iussa est iugulum mucroni præbere. Tandem illicò ad locum damnatorum deducta est, & dum decollaretur, visa est de ore eius exire columba, auri splendore pulchrior ad cælum conscendens. Eadem vero nocte, Parentibus suis, cum magno choro Virginum apparuit induta cyclade niuea, crucem auream in manibus, & coronam in capite gestans. Quæ parentibus solamina præbens, dixit: Ecce qualis est gloria, vnde me fraudare volebatis. Quo dicto disparuit, vt cum Christo eius Sponso regnet per æterna sæculorum sæcula, Amen.

Capitur.

Torquetur.

Nubes cooperit eius corpus.

In lupanar coniicitur.

Feris obiicitur.

Coronatur.

Parentibus apparet.

Eius martyrium euenisse circumfertur II. die Mensis Xanthici id est ad IV. Nonas Aprilis, in ipso die Dominico, & in ipso festo Resurrectionis SALVATORIS Nostri, anno CCC. VI. Constantio, & Galerio Cæs. Marcello Papa Pontificatum obtinente. Sacra Virginis, & Martyris pignora Theodosiæ in eadem vrbe quieuêre, donec post C. XXIV. annum in Hispanias translata fuêre, & ad Oppidum Saluam-Terram Cantabriæ transportata, & honorifico tumulo recondita, Oppidanorum circumiacentium veneratione coluntur.

Corporis Translatio in Cantabriam.

Probatur Translatio.

En acta, ex quibus duo elucidanda sunt, vt nostri instituti regulam comprobemus, & de promissis rationem reddamus. PRIMVM *de translatione reliquiarum S Theodosia.* De qua audiendus Flau. Dext. qui in *Chron. ann.*430. hæc habet formalia verba: *Eodem tempore ullata ad Hispanias reliquia sacra Virginis* Theodosiæ ad Cæsaream Palestinæ, *passa sub Maximiano, & ad oppidum haud ignobile Cantabria dictum* Saluam terram *cum maximo honore deuecta.* Ex quo, liquet hæc sacta pignora abhinc M. C C. annis in *Hispanias* translata, Nostri Regni cultum merito vetustatis honore præ se ferunt. SECVNDVM, *de illorum perseuerantia agendum est.*

Conseruatio sacrorũ pignorum in Cantabria.

Cui faciat satis P.F.Ioann.de Mariet. *d.lib.*4. *c.*66. *fol.* 111. *col.* 3. his verbis in Latinum versis, sic: *Prope vrbem Victoriam supra rupem inter Saluam-Terram, & Oppidum S. Crucis de Campeza conditur corpus cuiusdam Diua cognomento* Theodosiæ. *De qua nec vllam inueni historiam. Die* 11. *Aprilis agit Vsuardus in suo Martyrologio de quadam eius nominis Diua; & huius regionis Oppidani eodem die festum huic Nostra celebrant, tali veneratione, vt vix vllus deficiet pagus, qui cum vmbella processionaliter, & Letaniis, vt Deus per ipsius merita Diua, omnium necessitatibus occurrat, absit.* Et in Topograph. *vrb.* Hispan. *lib.* 22. *fol.* 52. *col.* 3. sic loquens de vrbe Victoria: *Etiam in territorio huius vrbis Victoria conditum adest corpus* S.Theodosiæ *Virginis, & Martyris, & in die eius Natalis ad ipsius Virginis sepulchrum populorum maxima procedit caterna.* In eius Ecclesia, antiqua, ante paucos annos confracta, tabula erat depicta, in cuius calce hoc erat distichon literis vetustissimis exaratum.

Inscriptio vetusta in Tabula antiqua.

Hoc sub sarcophago sistit Theodosia *Virgo,*
Quam de Cæsaria attulit alma fides.

Adhuc apud totius *Cantabria, Guipuzcua,* & *Alaua* accolas, eius Sanctissimæ Martyris, & Virginis memoria in pretio est, taliter quòd ad eius Basilicam quotidianis supplicationibus peregrinetur, & die eius festiuitatis concursus maximus votiua veneratione conspiciatur.

Topographia.

SALVA-TERRA Oppidum est in *Alaua* termino apud *Cantabros* ab Ecclesia *S.Theodosia* V I. M. P. distans, ab vrbe Victoria X V I. M. P. antiquitatis magnitudinem præ se fert, ex eo, quòd à *Dextro* proprio nomine vocitatur. Antiqui eius nomen haud agnouere.

C. S. FRANCISCVS DE PAVLA *Minimorum Patriarcha.*] Hispanam illustrauit Ecclesiam tanto illustrium cœnobiorum apparatu, & singulari insignium Ascetarum conspectu. Quos etsi *Minimos* nomine intueris, solidos religione, excelsos sanctitate, & maximos doctrina comperies, & hoc tali gradu, vt de illis locutus Augustinus *serm.* 35. *de Verb. Dom.* videatur, sic: *Quando vni ex* Minimis *meis fecistis, mihi fecistis.* Minimi *ergo qui sunt Christi. Hi illi sunt, qui omnia sua dimiserunt, & secuti sunt eum, & quidquid habuerunt, pauperibus distribuerunt, vt Deo, sine seculari compede expediti seruirent. Hi sunt* Minimi. *Quare* Minimi? *Quia humiles, quia non elati, non superbi. Appendite* Minimos *istos, & graue inuenietis pondus.* Eorum institutum initium sumpsit *S.Francisco Paulano* agente, ex anno M. C C C C. X X X V.

Minimorũ Religionem instituit.

Apud nostros, prima illos recepit Malaca vrbs, quò illustre Cœnobium, Catholicis Regibus, Ferdiuando, & Elisabetha fauentibus, & fouentibus extructum agnoscitur anno M. C C C C. X C I I. Post, taliter sanctimonia Patrum increuit, vt latè diffusa totius regionis terminos occuparit. Sed quantum debeat Hispania *Francisco, eiúsque alumnis,* pro me, & pro illis loquantur historiæ. P. F. Franc. Lanouius in *Chron. Minim. ann.* 1487. *fol.* 22. pro omnibus, sic: *Neque enim dubium cuiquam esse potest, ex communi, & constantissima traditione; obsessa hoc anno* Malacâ, *cum ancipiti Marte, Christiani, & Mauri in hoc tempus certassent, & res nostrorum inclinare viderentur, vt iam de soluenda obsidione consilium iniretur, adfuisse duos è Minimis (eos nonnulli fuisse conyciunt* R.P.Bernardinum à Cropolatu, *&* Damianum Esperuierum) *à B. P. submissos, vt eius nomine certum de Victoria nuntium* Ferdinando (*is erat eius nominis V. cognomento Catholicus*)*. Regi darent, & pellendos è tota Hispania Mauros recepto Granatensi regno, inte quatuor, aut quinque annos edicerent.* Quod postea euenit. Nam *Malaca* in potestatem Regis deuenit, & pòst *Granatensis* ditio, ex quarum successibus incepit hæc Minimorũ religio *De Victoria* vocitari, & eius Alumni *Victoriani.*

Quare Victoriani à Nostris nũcupentur.

Victoriani, vt apud noſtros vulgaris compellatio eſt. Ergo quot cœlo dimiſerit inſignes Viros Hiſpanos & per martyrij palmam, & per confeſſionis trophæum? Audi R. P. Dominicum Grauinam *in Voce Turtur. 2. p. c. 28. fol.* 107. his verbis loquentem: *Occurrunt hinc duo Martyres illuſtres* F. Abundantius, & F. Bernardinus Buyl *huius ſancti Instituti* (Minimorum) *in Hiſpania fundatores, & à Mauris infidelibus occiſi, quorum corpora hoc anno M. D C. XIII. poſt C V II. annos à martyrio, in campo integra cum proprijs indumentis, ſigniſque martyrij, ab agricola, diuina reuelatione admonito, & Epiſcopo Guadix aſſiſtente, ſolemni proceſſione, reperta ſunt, & in Parochiali Eccleſia ſolemniter tumulata, vbi ſignis quoque coruſcant.* Eadem laurea (proſequitur) redimiti procedunt *F. Andreas de Mora, & Didacus de Verdegio* Hiſpani à Mauris in odium fidei in regno Granatenſi interempti. In quo etiam alios ſeptem fratres Minimos pro fide occiſos commemorat ex *Iayme in Chron. fol.* 355. §. 367. Similiter de F. *Petro Cuiellart* Hiſpano, qui ob confeſſionem fidei necatus, victor triumphauit, Chriſti Domini paſſionem imitatus, & de *F. Ioanne Vegel* lapidibus obruto, luculentiſſimè meminit. Quorum acta, & ſucceſſus inuenies apud Montoya noſtrum, & Lanouium Gallum in Chron. Minim. *De SS. Confeſſoribus Hiſpanis*, licet in albo Beatorum nondum deſcriptis, longum Catalogum inuenies apud ipſos, Grauinámque. Qui *P. F. Franciſcum Binet* Barcinonenſem, qui ex Montſerratis cœnobio, ipſo *S. Franciſco* approbante, in Minimorum clientelam ſuſceptus, & S. Patriarchæ Confeſſarius effectus, & poſt eum in Generalem inauguratus, plenus operibus eximiis in pace quieuit *F. Antonium Delozrates* Hiſpanum, qui adeò pœnitentiæ, & catnis mortificationi intendit, vt nedum miraculis, ſed & diuinis viſionibus meruerit illuſtrari. *P. F. Ambroſium à IESV*, Valentinum, qui ſui Parentis viuum extitit exemplar. Hic Confeſſarius *B. Ludouici Beltrandi* fuit, quem à pueritia ſanctis moribus informauit: cui prophetico ſpiritu prædixit, Religioſum fore in familia *S. Dominici*, non de familia Minimorum, ad quam adſcribi ſummoperè optabat, & hanc eſſe Dei voluntatem. *P. F. Gaſparem Bonum* etiam Valentinum, illiúſque Prouinciæ Præfectum, cuius ſanctitatem cuncti conclamant. *PP. FF. Petrum de Aſſumptione* Maioticenſem, *Simonem de Palatio*, *Antonium de los Reyes*, *Bernardum Cabañas*, *Didacum Barbutum* Granatenſem, *Ioannem de S. MARIA* Aſtenſem, *P. Simonem Garcia*, *Bartholomæum Martinez*, *Bernardum Bonellum* Epiſcopum Gerundenſem, *Alphonſum de Villa-Maior*, & alios Sanctiſſimos Viros recenſent. Demus Virginitati locum. Innumeras huius Inſtituti ſanctiſſimi *Sorores* Hiſpanas recenſent Chronicorum Scriptores: aliquas & Nos appingemus, vt tantæ pudicitiæ lilia, temporum ſiccitate haud obliterentur. Primatum obtineat *Sor Franciſca de Andujar*, quæ taliter ſanctitatis opinione reſplenduit, vt apud illius, & noſtri ſeculi religioſos in magno eſt pretio habita. Eius veſtigia *Sor Maria de Andujar* illius germana primiceria, & Virginum dux ſanctitatis honore perſpicua. *Sor Maria de Montenegro* Illiturgitana, vitæ puritate & aſperitate inſignis, quæ apud Hiſpanos ſpeculum proponitur pœnitentiæ. *Sor Maria de Arze* quæ excellentis pietatis, & rerum ſpiritualium magiſterio erudita, æterna memoria apud noſtros iuſtificata diſceſſit. *Beatrix de Ribera* fœmina pietate clariſſima, cuius memoria & in benedictione erit, & in ſuo ordine VI. Kal. Septembr. recenſebitur. Has ſequitur *Sor Gratia* Valentina, & in vita, & in morte miraculis clara, quæ cum aliis Virginibus Hiſpanis huius Inſtituti ſequuntur Agnum quocumque ierit. *Sic Martyres* (inquit Grauina) *Confeſſores, & Virgines peperit Altiſſimo hæc Sancta Religio, vt nequaquam Minima ſit, etſi Minimam ſe humiliter fateatur.* Demum Paſtores, & Doctores Hiſpanos fœcundiſſimos produxit, quorum anamneſim apud illius Inſtituti Scriptores reperies. Hîc tantùm tres commemorare libuit ob egregiam virtutum, doctrinæ, & humanitatis apud me circunſpectionem, & inſignem apud omnes venerationem. Primas ferat *P. F. Franciſcus Tamayo* inſignis apud Curiales Hiſpanos Eccleſiaſtes. RR. PP. FF. *Ioannes Ponze de Leon* Regis Noſtri Philippi IV. Catholici Prædicator, & *Ioannes Dauila*, Supremæ S. Inquiſitionis Congregationis, & Conſilij Qualificatores eximij, de quibus plura dicerem, ni maiora innoteſcerent.

Viri Religione & martyrio inſignes, Hiſpani.

Confeſſores Hiſpani.

Sanctimoniales Hiſpanæ.

Regij Eccleſiaſtes amicitia deuincti.

Sed ne in floſculis Hiſpanis tota ſic teratur oratio, ad Sanctiſſimum Patriarcham.

cham: Minimorum verborum lintrem reducamus, vt Martyrologiorum sententias recensentes ad acta ipsius sedulò calamum conuertamus. Ergo Sanctissimus Pater anno M. D. XIX. in Catalogum Sanctorum per *Leonem X.* Pontificem Maximum, relatus est, & eius festum hoc die ab omnibus obseruari, ex quo itidem de eo agunt, Molan. in Addit. ad Vsuard. hoc die, sic: *In Galliæ agro Turonensi* S. Francisci de Paula *Calabriæ oppido, Ordinis Minimorum fundatoris.* Eadem ferè Maurolyc. Galesin. Constant. Felic. Martyrol. Roman. Gregorij XIII. Clementis VIII. Vrbani VIII. Lusitanum Soc. Ies. Castellanum P. Dionys. Vazquez. Fasti Mariani *fol.* 171. Christiani Bachot. *fol.* 329. vbi hoc distichon:

Catalogo SS. adscribitur.

Martyrologia.

Mittitur è cælo, Calabri rapuêre, tenet nunc
Francia. Mirantur Gallia, Paula, Polus.

Kalendar. Marian. *fol.* 184. Martyrol. Gallic. Andr. Sauss. *fol.* 186. hoc encomio: *Turonis felix ad æterna transitio* S. Francisci de Paula *Confessoris; qui Ordinis Fratrum Minimorum Patriarcha, Ecclesiam stupenda vitæ sanctimonia, miráque apud Deum gratia, magnificè illustrando, sobole etiam, quam reliquit, copiosa fœcundauit, ope multiplici suffulsit, beneficiis locupletauit perpetuis.* De eo etiam præter *Montoyam* Nostrum, *Lanouium, Grauinam*, & relata Martyrologia, Raphael Volaterran. in *Antropolog. fol.* 637. ex edit. Gryphiana ann. 1552. vbi Ordinem hunc *de* IESV-MARIA cognominari fatetur. Thom. Bozius *de sign. Eccles. tom.* 1. *lib.* 11. *sign.* 48. *c.* 6. *fol.* 459. & *tom.* 2. *lib.* 15. *sign.* 61. *cap.* 5. *fol.* 110. *&* 112. & *sign.* 65. *cap.* 9. *fol.* 124. Hyppolit. Marrac. *in Fundator. Marian. c.* 31. *fol.* 270. Nec in Chronicis defuit tanti Taumathurgi memoria, Achil. Gassar. *in Chron. ann.* 1470. sic: *Ordo Minimorum Iesu-Mariæ inchoatur à Francisco Paulano Calabro.* Genebrard. *in Chron. ann.* 1471. *fol.* 701. Iacob. Gordon *in Chronic. ann.* 1473. *fol.* 399. & *ann* 1506. *fol.* 410. Petr. Opmer. *in Chron. Orb. Vniuers. ann.* 1458. *fol.* 418. Iacob. Gaulter. *in Chron. secul.* 16. *fol.* 734. Eius acta scripsêre Sur. *tom.* 2. Dauid Romeon, Zachar. Lippeloous, Cornel. Grass. & Philipp. Ferrar. Hispanicè Sanctorus, Millan, Villegas, Ribadeneyra Nostri. Item P. Truxill. *tom.* 2. *Thesaur. Concion. fol* .... In quibus ad longum, & in Bulla canonizationis apud Lanouium *fol.* 84. miranda intueri, & stupenda conspicere poterit, qui longiora desiderat. Sed vt instituto pareamus ex *Ferrarij* epitome in *Catal. SS. Italiæ, h. d. fol.* 175. hæc collegimus.

Scriptores.

Chronographi.

ACTA S. FRANCISCI PAVLANI
Minimorum Patriarchæ ex Philippo Ferrario.

Patria.

FRANCISCVS *Paulæ Calabriæ oppido humili loco, ex voto Parentum, qui diu prole caruerant, natus, sicque nominatus, quod* S. Francisci *precibus conceptus esset. Adhuc puer diuino ardore succensus in eremo annos VI. vitam asperam, sed cælestibus meditationibus suauem duxit. Cum verò, famâ virtutum eius peruagante, multi ad eum studio pietatis concurrerent, vt multis prodesset, Ecclesiam propè* Paulam *prima Ordinis sui fundamenta iaciens, ædificauit. Mira inter loquendum gratia præditus erat. Perpetuò Virginitatem, & humilitatem sic adamauit, vt se Minimum omnium diceret, ac suos* Minimos *appellari voluerit. Rudi vestitu, & nudis pedibus incedens, humi cubabat. Cibum semel in die duntaxat, & post Solis occasum, pane, & aqua, quibus aliquando aliquid ex ijs, quibus in* Quadragesima *vesci licet, adiungebat, contentus capiebat. Fratrésque, vt non, nisi Quadragesimalibus escis, quouis tempore, vterentur, quarto voto obstrinxit. Multis miraculis claruit. Quorum in primis, illud celebre fuit, quod* Siciliæ *fretum, à nautis reiectus, pallio super fluctibus strato, cum socio transmisit. Memorandum id quoque, cùm ardentes carbones nudis manibus acceptos aliquot præsentibus sine læsione aliquando teneret. Spiritu prophetico multa etiam futura prædixit. In ijs Turcarum in* Salentinos *aduentum,* Hydrunti *expugnationem, & liberationem,* Malacæ, & Granatæ captionem. *A Ludouico XI. Galliarum Rege accitus, in Galliam profectus*

In Eremum secessit.

Minimos suos vocauit.

Instituti exordia.

Miraculis claruit.

magno

magno in honore habitus est. Vbi Turonis XCI. annum agens anno Salutis M. D. VII. *migrauit ad Dominum. Corpus per dies XI. insepultum manens, & incorruptum suauem efflauit odorem. Illum Leo X. Pont. Max. ad Regis Galliæ, & aliorum preces in Sanctorum numero Kal. Maij anno Domini M. D. XIX. adscripsit. Ad cuius tumulum hoc scripsit* Carolus Morellus *sepulchrale carmen.* Galliæ adit. Moritur.

Paruulus in terris effectus, conditur intus,
Vt bene factus homo iusserat ante Deus:
Hic Minimorum *Auctor: miraris fortè superbi*
Phidiacâ tumuli marmora sculpta manu?
Rex magnum in cœlo Gallorum *condit honestè,*
Tam humili puluis sat foret exiguus.
Ne rapias, Calaber; *qui cunctis nascitur, Orbis*
Illi omnis tumulus, gloria prima tua est.

Hæc, licet breui Compendio, quoad acta. In Antiquo Breuiario, quo eius Sanctissimi Patris Officium recitabatur proprium, hunc inueni hymnum, Sapphicis textaminibus compactum, quem in deuotionis gratiam subiicere curaui. *Hymni ex Antiq. Breuiar.*

HYMNVS S. FRANCISCI PAVLANI, ex eius Officio.

AD MATVTINAS.

Brutio natus Pater hic beatus:
Paula, *quem mundo peperit ruente,*
Quemque miraclis retinet coruscum
Gallica tellus.
Maluit terris humilis videri
Rebus in cunctis, Minimusque dici,
Celsus, vt tandem superûm cateruis
Esset Olympi.
Hinc suos omnes Minimos *vocari*
Censuit fratres, humiles vt essent,
Ac Beatorum valeant & ipsi
Cœtibus addi.
Hic pius, iustus fuit, & pudicus
Abstinens, prudens, humilis, benignus,
Regis æterni teneris ab annis
Iussa sequendo.
Vita iam cuius celebris per Orbem
Extitit signis redimita miris,
Quandiu sacros vegetauit eius
Spiritus artus.
Ad suum demum tumulum frequenter
Languidis cunctis tribuit medelam,

Sæpè

Sepè confert, & miſeris rogatus
Dona ſalutis.
Hinc vident cæci, graditúrque rectè
Claudus, auditum capit atque ſurdus;
Mortui ſurgunt; recipítque mutus
Organa vocis.

Alios hymnos, & Epigrammata ſcripsêre Ioann. Baptiſt. Maſcul. *lib.* 10. *Lyricor. Od.*37.*&* 38.*fol.*399. & alij quorum catalogum recenſere potiùs faſtidium, quàm deuotionem generaret. Ad Cœnobia, quæ hodie apud *Hiſpanias* obtinet huius Inſtituti Ordo, vt moris eſt noſtri, pergo.

RELATIO MONASTERIORVM in Hiſpania Ordinis Sanctiſsimi Minimorum à S. P. F. Paulano inſtituti.

1. *Malacenſe* quod ædificare promiſerant Reges Catholici *Ferdinandus*, & *Iſabella*, tempore quo de captione iſtius vrbis, & Regni Granatenſis, à *S. Franciſco Paulanǫ* per eorum aſſeclas repromiſſio facta fuit. Sicque hoc Monaſterium, titulo *S. Mariæ de Victoria*, ſexto lapide à *Malaca*, iuſſu Regis, in perpetuum Sarracenicæ gentis expulſæ monimentum, & memoriam, primum extructum eſt, Anno M. CCCC. XCII.
2. *Illiturgitanum* auſpiciis *D. Petri de Luzena*, & *Mariæ Alphonſi* coniugis, qui Minimos taliter ſunt fauoribus proſecuti, vt ex tenuibus primordiis in Eremitorio S. Elenæ introductos mox celebris domus eſt excitata anno 1495.
3. *Mneſthæenſe*, ſeu *Portus S. Mariæ* in Bætica, quod opera, & auxiliis Excellentiſſimi Viri *D. Ioannis de la Cerda* tunc Comitis. *Methymnæ cæli*, & eius Nobiliſſimæ conſortis *D. Mentiæ Manuelæ* perfectum eſt, anno M. D. II.
4. *Aſtygitanum* in Bætica, cuius fundamina munificis impenſis erexere *D. Franciſcus de Aguilar* Cordubenſis, & *Eluira Pontia Legionenſis*, cum prærogatiua, quod Capitulum Prouinciale in ipſo congregetur Cœnobio: id originem ſumpſit, anno M. D. VI.
5. *Cordubenſe* fidelium Ciuium eleemoſynis conditum, in loco vbi antiquitus fuerat, illud tot Sanctarum Martyrum Cordubenſium Pantheon, dictum à S. Eulogio Noſtro *Cuteclarenſe*. Anno M. D. X. perfectum.
6. *Barcinonenſe* quod hoc eodem anno, aliqui conditum referunt, beneficio cuiuſdam Nobilis Viri militum Ductoris, licet Lanouius ad annum M. D. LXX. reiiciat.
6. *Granatenſe* Ciuium votis, & expenſis, curante, ante obitum, Magno Duce per emphaſim, *Gonſalno Fernandez à Corduba*, conſummatum, quod poſt Maurorum expulſionem, tertium fuiſſe ibidem conditum numeratur, Anno Domini M. D. X V.
8. *Hiſpalenſe* quod ex opulentiſſimis Ciuium eleemoſynis, in quibus illa magnifica ſplendet vrbs, inceptum, ad ſuburbium *Traianenſe*, ſeu *Trianenſe*, proſecutum, anno M. D. XXIV.
9. *Toletanum* in planitie vrbis Regiæ, quæ *La Vega* dicitur, vbi peruetuſtum Emeritorium *S. Bartholomæo* Apoſtolo dicatum extiterat, decręto *Caroli V. Regis Hiſpaniæ*, & conſenſu Ciuitatis inchoatum, & omnium eleemoſynis Ciuium, quorum pietas ab incunabulis innoteſcit, proſecutum, tandem munificentiâ *D. Didaci de Vargas*, Imperatori Carolo à Secretis, & *Annæ Manrrique* coniugis, mirificè perfectum Anno Domini M. D. XXV.

10. *Valentinum* quod procurante *D. Fernando Aragonio*, & eius sorore *D. Iulia* in eremitorio *S. Sebastiano* Martyri dicato, beneuolos habuit progressus, & fœcundissima accepit incrementa, Anno M. D. XXXIII.

11. *Aitense* seu *Xerezanum* quod, postquam Monialium huius accepisset Ciuitas Instituti conuentum, primum agnouit lapidem, Ciuium ordinatione, & assensu, anno M. D. XLIII.

12. *Vallisoletanum* in Ecclesia *S. Rochi* extra pontem iuxta *Pisoricam* inceptum, prosecutum, consummatum Anno M. D. XLIV.

13. *Arahalense* in Bætica agri *Hispalensis* opus manificum *D. Ioannis Tellez Xiron* Vrenæ Comitis, & apud Cæsarem Carolum sacri cubiculi Præfecti & Maioris Oeconomi & *D. Mariæ de la Cueua* eius vxoris quod inchoatum Anno M. D. XLV.

14. *Biaziense* in Bætica, erectum Oppidanorum suffragiis, & *P. Francisci Baeza* istius ordinis Prouincialis, & illius vrbis accolæ auspiciis ad annum M. D. LI.

15. *Salmanticense* in Vettonia antiqua, quod studiorum occasione illic desiderabatur, originem sumpsit Anno M. D. LIV. licet M. Ægidius Gonzalez Dauila in Historia Salmant. *lib.* 3. *cap.* 24. non nisi ad annum M. D. LVI. eius apponat exordium.

16. *Populationis Cazallæ* vulgo *Puebla de Cazalla*, ditionis *Vrsaonensis*, quæ illius vrbis Ducibus paret, *D. Ioannes Tellez Xiron*, illinc insigne conditum monasterium exponit, quod originem sumpsit anno M. D. LV.

17. *Archidonense* in eadem ditione *Vrsaonensi* auspiciis, & pecunia eiusdem *D. Ioannis Tellez Giron*, in Eremitorio *S. Catherinæ V. & M.* dicato, constructum, anno M. D. LVI.

18. *Noalegense* non longè à *Granata* inceptum hoc eodem anno, instante Nobilis fœminæ *D. Mentiæ de Salcedo*, Imperatricis Isabellæ à sacro quæ fuerat cubiculo, deuotione.

19. *Vbetense* Patrum Minimorum sedulitate confectum, & *D. Roderici Manrrique de Venabides*, Comitis *S. Stephani* fratris, impensis perfectum, anno M. D. LVII.

20. *Anthemense* à Nostris *Azalcazar*, Hispalensis Diœcesis, primò à Patribus constructum, anno M. D. LVIII. post à *D. Ferdinando de Medina* auctum, & politum.

21. *Loxense* in Bætica, licèt aliis perperam *Lorense*, industria suorum ante aliquot annos erectum, deuotione postmodùm *D. Francisci Maldonado Zagra* locupletatum anno M. D. LIX.

22. *Vtriculanum* in agro *Hispalensi* opere P. *Petri de Melgar* Prouincialis, & aliquorum Nobilium auspiciis perfectum ann. M. D. LXI.

23. *Matritense* in Carpetania *Toletanæ* Diœcesis, primò Fratrum impendio, protegente *Isabella Valesia*, quam *de la Paz* dixère, Regina; post D. Cassandræ de Grimaldo, Stephani Lomellini Genuensis, coniugis, maiori auctum capella; Anno M. D. LXI.

24. *Altapense* in Bætica, ab D. M. Centurion, ipsius Oppidi Marchione I. extructum, Ann. M. D. LXII.

25. *Camarenense*, iuxta Oppidum *Camarena* in Carpetania, opibus *Alphonsi Rodriguez* & eius vxoris *Mariæ Gomez* Agricolarum, Ann. M. D. LXII. conditum.

26. *Conilense*, ab Excell. *D. Alfonso Perez de Guzman*, Duce Metynæ Sydoniorum à fundamentis perfectum, Anno M. D. LXVII.

27. *Almontense* Hispalensis diœcesis, *D. Petri de Gaona*, istius Ciuitatis Canonic. expensis fundatum, Anno M. D. LXV.

28. *Barcinonense*, ab ipsis Patribus primùm ad Crucem Truncatorum, viâ Perpinnianensi, pòst, viâ S. Petri constructum, Anno M. D. LXX.

29. *Perpinnianense* in Cathalonia, studio *R. P. Petri Valdesij* ædificatum ad Annum M. D. LXXV.

30. *Cæsaraugustanum* in Aragonia, fauentibus *D. Ioanne de Vrrea* Comite Arandensi & aliis extructum, Anno M. D. LXXVI.
31. *Alcalaense Gazulorum* in tractu Hispalensi ab Excell. D. Fernando Enriquez de Ribera, eius oppidi Dynastâ elaboratum & opibus auctum. Ann. M. D. LXXVII.
32. *Complutense* in Carpetania, primum à fratribus erectum, post à *D. Bartholomæo Santoyo*, auctum, & intra vrbem translatum, anno Domini M. D. LXXVIII.
33. *Methymnense* Sydoniorum in Bætica, ab Excell. *D. Alfonso Perez de Guzman*, ipsius Oppidi Toparcha, Ann. M. D. LXXIX.
34. *Vergense*, seu *Motril* in Bætica ab *Alfonso de Contreras*, & *Anna Gutierrez* coniugum auctum. Ann. M. D. LXXX.
35. *Fraxinense*, seu *Fresneda* in Aragonia, cuius Fundator *D. Iosephus de Sesè* agnoscitur. Ann. M. D. LXXX.
36. *Sexense*, seu *Almuñecar* in Bætica, ab ipsismet Patribus constructum & elaboratum Anno M. D. LXXXII.
37. *Burgense* in Castella, ope, operâ, & opibus *D. Franciscæ Perez* coniugis olim *Ferdinandi de Castro*, Anno M. D. LXXXII.
38. *Scemenense*, vulgò *Ximena* Diœcesis Gaditanæ, ab ipsis fratribus extructum & auctum Ann. M. D. LXXXIII.
39. Maioricense in Belearibus, cuius locum ab Insulanis donatum noscimus, & à Fratribus auctum. Ann. M. D. LXXXIV.
40. Onoba-lustariense, vulgò, *Gnelua*, Diœcesis Hispalensis, ab ipsis Fratribus erectum, & extructum, Ann. M. D. LXXXVIII.
41. Egabrense, vulgò *Cabra*, Diœcesis Cordubensis, beneficio Excell. *D. Franciscæ Fernandez de Cordoua*, Suessæ Ducissæ Anno M. D. LXXXIX.
42. *Hispalense* Collegium, opera, & subsidiis D. Annæ Mariæ de Leyua erectum Anno M. D. LXXXIX.
43. *Cernariense* in Cathalonia, vulgò *Cernera* à Fratribus ipsis non sine controuersia constructum Ann. M. D. XCI.
44. *Segobiense* in Areuacis, ab ipsis Patribus conditum Anno Domini M. D. XCI.
45. *Fontanum* in Aragonia, ab *D. Carolo Fernando de Heredia*, & D. Catharina Balthasara de Luna extructum Ann. M. D. XCV.
46. *Mancerense* Diœcesis Abulensis, ab ipsis Fratribus extructum Anno M. DC. II.
47. *Populense* Ducis Gandiæ apud Valentinos, à Patribus ipsis conflatum. Ann. M. DC. III.
48. *Turrisfcemenense*, vulgò *Torre Ximena*, Diœcesis Giennensis, à D. Isabella de Guiral dotatum, Anno M. DC. IV.
50. *Saldanense*, vulgò *Saldaña* Legionensis Diœcesis, ope *D. Martini de Cardenas* ædificatum, Anno M. DC. VI.
51. *Albalatense* in Cathalonia, beneficio *D. Alfonsi de Espes*, & *D. Annæ de Luna* eius vxoris conditum Ann. M. DC. X.
52. *Gerundense* in Cathalonia, ope *D. Francisci Aymerici* Canonici, & Ecclesiæ Præcentoris constructum, Ann. M. DC. XI.
53. *Pontonense*, vulgò *de Don Gonzalo* Cordubensis Diœcesis, liberalitate Excell. D. Ioannæ Enriquez de Ribera, Marchionissæ de Pliego Ann. M. DC. XVII.
54. *Aiamontense* Collegium in Bætica, ab ipsis extructum Fratribus Anno M. DC. XXIV.
55. *Vlyssipponense* in Lusitania, à Patribus ex Bætica transmissis inceptum Anno M. DC. XXVIII.
56. *Athanagiense* in Cathalonia, ab ipsis Fratribus erectum Anno M. DC. XXIX.

57. Der

57. *Dertosense* etiam in Cathalonia, ab Patribus quoque ipsis constructum Ann. M. DC. XXIX.

Hucusque P. Lanouius in suo *Chronico Minimorum* Cœnobia tantæ Religionis scripsit, quæ, quia plura etiam *Monialium* reperiuntur extructa, maximam eorum pietatem præ se ferunt. Hinc notare congruum erit, quanta *Hispanos* meos teneat charitatis, & Religionis instantia, cùm videas non solùm tot Institutionum, & Ordinum Patriarchas progignere, verùm etiam aliorum filios, charitate fouere, opibus adiuuare, & singularibus beneficiis alere, & excitare, semper, & vbique in votis esse.

TERTIO NON. APRIL.

DIES III.

A. *Natalis SS. VV. & MM.* Agapis, *&* Chioniæ *sororum S. V. M.* Irenes, *quæ cum* Illiberi *in Hispania ortæ* Thessalonicam *transfretarent, vbi sæua Diocletiani Imp. in Christicolas incendebatur crudelitas, ibidem comprehensæ, & quia nec Christum negabant, nec sacrificia Idolis offerebant, maceratæ, in focum eiectæ, à flammis intactæ, orantes animas Domino obtulerunt.*

B. *In* Gallia *honorifico celebratur cultu transitus* B. Bernardi *Archiepiscopi* Toletani, *qui virtutibus clarus, & operibus heroicis insignis, hoc die obdormiuit in Domino.*

NOTÆ.

SANCTÆ AGAPES & CHIONIA.] Earum agonem à pluribus sæculis recensitum cognosco, sed à paucis *Hispanas* agnosco. Tempus, quod abscondita manifestat, & manifesta abscondit, similium est auctor miraculorum. In mei instituti probationem, *R. P. F. Petri à S. Cæcilio* Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum excalceati, de his SS. Antiquitatibus benemeriti, ecphrasim MS. Hispano sermone compactam pro his SS. Virginibus, lectoribus Latinam subiiciam, vt nemo his fraudetur operibus. Sic ergo R. Pater: *Originem* Agapis, & Chionia *ab vrbe traxerunt* Illiberitana, *vt ex* Eutrando *in fragmentis n.* 177. *apparet, de* S. Irene *earum sorore, loquente; cuius festum* die V. *istius* Mensis *recolitur, vbi eius verba referam. Quæ meum animum induxerunt, vt earum Virginum festiuitatem inter proprias istius vrbis (Granatæ) reponerem. De illis* Sim. Metaphrast. *à* Surio *tom. 2. b. d.* relatus, *affirmat, quod illæ suam referebant originem ab vrbe* Saloniche, *quam Græci, & Latini* Thessalonicam *vocitant, illustri, & antiqua opinione apud Macedones famigeratam, inter Græciæ prouincias. Quod, ex nominibus elicitur, cum haud dubio græca signentur, & in eorum idiomate, primæ* Charitas, *secundæ* Niuea *vocabulum designetur. De eis meminere Ven.* Beda, Ado, Vsuardus, *& ferè omnes Martyrologiorum scriptores;* Romanum *eius appingit hoc die festum;* Menologium *die XVI. licet ex agonum actis haud constet de tali martyrio in huiusmodi diebus.* Card. Baron. *in Not. fatetur, huius varietatis causam*

A.

Origo.

Nomina Græca.

Martyrologia.

ignorares; quia eadem acta (quæ ad literam refert Metaphrastes,*à quo* Lyppom.& Sur. *ille tom. 3. iste 2.) cum de agone* S. Irenis *earum sororis, quem post aliquot euenisse dies, agant,concludunt*: Consummata est in Consulatu Diocletiani IX. Maximiani autem VIII.Kalendis Aprilis. *Quorum Consulatuum annus correspondet, cum anno Christi* CCCIV. *Item de eis Nicephor.Calixt.*Hist. Eccles. *lib.7. c.14. S. Adelelm.* lib. de Laud.Virginitat.*c.26.Episcop.Equil.*Catal.*SS.lib.2.c.2. & lib.4 c.27.Iacob. de Voragin.* Hist.Lombard.legend.7.*Georg.VVicell.à Franc. Harao relatus in* Vit. SS. die XXV. Decemb. *Iacob. Gordon.* Chronol. ann. 304. *Abb. Mont-Arag.* Annal. Eccles. lib.2. ann.304. *Abraham. Bzou.* Hist. Eccles. *lib.4. ann.*304. *n.*8. & alij.

Scriptores.

*Circa locum,quo passæ sint inter auctores variatur.*M.R.*affirmat apud* Salonicham, *vt ex his constat verbis*: Thessalonicæ passio SS. VV. *Agapis, & Chionæ* sub Diocletiano Imperatore; quæ cum Christum negare nollent, primo in carcere maceratæ, posteà in ignem missæ, sed à flammis intactæ, ibi oratione ad Dominum fusa, animas reddiderunt. *Eadem Fatetur* Eutrandus *supra, & alia Martyrologia; quod etiam firmatur ex titulo in Actis earum martyrij apposito, sic*: Martyrium SS. *Agapis, Chionæ, & Irenes* quæ apud Thessalonicam passæ sunt. Simeon Metaphr. *in actis* S.Anastasiæ *videtur asserere,quod apud* Aquileiam *(tunc vrbem maximam, post titulo Patriarchatus illustrem, nunc ferè desertam in* Venetorum *dominio)martyrium complevisse, ibidémque ex* Diocletiani *decreto comprehensas*, Cum de Martyribus (*inquiunt acta*) multa animo agitasset, & in dubio eius adhuc esset animus, & simul vt proficisceretur in Macedoniam,à quibusdam publicis vrgeretur negotiis:cum Dulcitio Præfecto earum mandasset examinationem, eas oportere punire, præcepit. *Eadem credunt* S.Aldelmus, & *alij. Episcop.* Equilin. *contendit arenam Romæ fuisse, vt ex principio capituli, quo de eis agit,sic*: Agapes, Chiona, & Hirenes Virgines passæ sunt in Vrbe,tempore Diocletiani,sub Comite Sinnio. *De his tribus sententiis potius secundæ adhærerem,ni Virgines,quas in actis* S. Anastasiæ *conspicimus, diuersas à Nostris crederem, licet in nominum contextura pares, vt ex rationibus infra* die V. *huius* Mensis *apparebit. Ideo primam sententiam amplector, tanquam communiorem, & ab omnibus Martyrologiis approbatam.*

Locus agonis.

De tribus sententijs secunda veriori,si Nostris conueniret.

I. Opinioni adhæret.

Hactenus ad rem *R. P. F. Petrus à S. Cæcilio* cuius vitæ puritas, & doctrinæ paritas omnium nostri temporis animos, ad se absque violentia perducit. Sed ne absque lapide in aggerem Mercurij triuium transcendamus, aliqua huic doctissimæ addemus relationi. Pro sententia communi facit Vetustissimum R. M. à *Baronio* desideratum, quod Antuerpiæ ann. 1613: *Heribert. Rosvveydus* edidit, his verbis h. d. *Thessalonica, Virginum Agapes, & Chioniæ.* Eadem HRaban. *Kal. April.* apud Canis. *fol.* 704. *t.6.* Notker. *h. d. fol.*801. *d. t. 6.* Nec his aduersantur *Philippi Ferrarij* verba in *Catal. SS.Italiæ die V. April. fol.* 180. quibus contendit probare, has sanctas Virgines apud *Aquileiam* agonem impleuisse, innixus actis *S. Anastasiæ* à *Metaph.* & *Anthol. Græcor.* cui fauent S. Antonin. *in Hist.*1. *p.tit.*18.*c.*1. Bonin. Mombrit. *tom.*1.*SS.* & Tabulæ Eccles. *Aquileiens.* in qua earum festiuitas colitur. Quia vt ipse fatetur longè à Nostris illæ diuersæ sunt & ratione loci,& annorum computo. *Aquileienses* sub *Decio*,vt è Metaphraste colligit. *Thessalonicenses* sub *Maximiano*,vt deducit ex Rom. Mart.& aliis. Quo *P. F. Petri à S. Cæcilio* firmatur coniectatio. Quarum acta cum communia sint cum vitæ relatione *S.Irenes*, illa ad *diem V.*huius *Mensis* consultò reiicimus, ne verborum multiplicatione fastidium concitemus.

Nostra diuersa ab Aquileiensibus.

B. B. BERNARDVS *Archiepiscopus Toletanus.*] Illustri apud *Gallos* sanctitatis honore veneratus; insigni apud *Benedictinos* beatitudinis titulo cultus, & venerabili apud *Hispanos* magnitudinis symbolo vocitatus. Omnium elogia concinnet calamus, vt singulorum vocibus delectetur curiositas. *Galli* vt suum conclamitent Filium,*Benedictini*, vt proprium extollant Patrem, *Hispani* vt inclytum vociferentur Antistitem. Pro illis loquatur Andr.Suassay in *Martyrol. Gallic. in Supplem. die II. huius Mensis fol.* 1102.his verbis: *Ipso die, felix ad superna migratio* S. Bernardi *Toletani Primatis, patriâ Aquitani, cuius epinicion legitur in die eius ordinationis XIV. Kal. Ianuarij. Hic Beatissimus Antistes in Ecclesia S.Mariæ de Mexquita sepultus est condigno honore.* Idem; *die XIX. Decembris* prolixè S. Præsulis encomia recenset, *tom.*2. *fol.*

Martyrologia.

*fol.*1019. Pro Monachis insonent Arnald. VVion in *Lign: Vit. lib.*3. Martyrol. Monast. *fol.* 124. sic: *Toleti,* S. Bernardi *primi eiusdem ciuitatis Archiepiscopi, beneplacitis Deo actibus gloriosi, cuius corpus in Ecclesia, quam de Mezquita ad titulum B. Virginis consecrarat, obtinuit, cunctis flentibus, sepulturam, acclamantibus vniuersis: Cur nos Pater deseris desolatos.* Breuiùs Hugo Menard. *in Mart. Benedict. fol.* 28. Concisiùs, Philipp. Ferrar. *in Gener. Catal. SS. fol.* 134. Pro Nostris in voces diffundantur Historiographi. Iulian. Petr. *in Chron n.* 558. 607. 608. 609. 612. 613. 629. Qui vt fatetur *in Aduersar. num. fin.* Vitam SS. Præsulis scripsit. Archiep. D. Roder. Xim. *Hist. Hisp. lib.* 6. *cap.* 24. Blas. Ortiz. *de Templ. Toletan. c.* 3. *&* 4. *fol.* 17. P. Ioann. Marian. *lib.* 9. *cap.* 16. Petr. de Alcozer *Hist. Tolet. lib.* 1. *c.* 67. Franc. Pisa *Hist. Tolet. lib.* 3. *c.* 20. Morales, Sandoual, Yepes, & ferè omnes Hispaniæ Scriptores, quorum longum esset Catalogum contexere. Acta diffusè, & luculenter compaginauit Illustr. Episcop. Turiason. *tom.* 2. *Primat. Tolet.* 4. *p.* §. 1. *cap.* 1. *fol.* 605. De quo & de aliis, relationis epitomem assuemus. *Scriptores.*

ACTA B. BERNARDI I. ARCHIEPISCOPI Toletani; ex Varijs Scriptoribus Gall. & Hispan.

BERNARDVS *ex honesto genere natus, in territorio* Agennensi, *oppido quod* Sauiat, *in Aquitania fuit. Patrem habuit* Guillelmum, *& Matrem* Neimiram. *Iuuenis militiam exercuit, ætate adulta, in S. Orentij Auxitano cœnobio, ad Sacerdotis cucullati morem, detonsus est; excellenti colendæ pietatis studio accensus. Inde ad* Hugonem *Abbatem* Cluniacensem, *eius accitu migrauit, cum quo laudabilem vitam per aliquot annos egit. At cum Rex* Alphonsus VI. *Castellæ, vellet SS.* Facundi, *&* Primitiui *monasterium ampliare, misit ad Venerabilem* Hugonem, *vt ei Virum prouidum, & religiosum mitteret, qui in prædicto monasterio Abbatis officio fungeretur; & sicut in Gallijs* Cluniacense *præcellebat, ita & istud omnibus cœnobijs eiusdem Ordinis in* Hispaniis *præsideret. Annuit Hugo Regis desiderijs, &* Bernardum, *quem ob sanctitatis meritum, charum habebat, cum alijs monachis destinauit. Qui mox veniens, factus Abbas* S. Facundi, *omnibus se exhibuit amabilem, & benignum.* *Patria, & Parentes.* *Miles.* *Monachus.* *In Hispanias venit, & fit Abbas S. Facundi.*

Per id tempus Alfonsus VI. *suprà memoratus vrbem* Toletum *obsidebat, & post aliquot obsidionis tempora, vastatis satis, arbustis, vineis, & hortis vrbi vicinis, omnem Sarracenis auxilij spem penitus interclusit. Demum, cum obsessi amplius, nec illam retinere defecta victualium valuissent, nec continuis resistere irruptionibus, virium imbecillitate potuissent, ad pactiones deuentum. Traditur Regia Ciuitas die Dominico* XXV. Maij, *natali* S. Vrbani *Pont. Era* M. C. XXIII. *Anno Christi* M. LXXXV. *post* CCCLXVI. *à captiuitate, cum his conditionibus*: vt Mauri qui remanere vellent Toleti, id consequi possent liberè, & tutè, & qui aliò se conferre mallent, discederent: Quòd Mezquîta maior pro Sarracenis remaneret: Christiani, qui habitare Toleti vellent, idem tributum Alfonso soluerent, quod Regibus Mauris soluere consueuissent: Quòd Regi essent tres portæ, & arces Ciuitatis. *Sicque* Alfonsus *adepto præsidio, & Ciuitatis Dominio, ibidem statuit Regni sui thronum, donec securum præsidium stabiliret, gentem fide confirmaret, & electionis populus praualeret. Illius anni residuum vsque ad* XV. Kal. Ianuarij *Serenissimus Princeps in componendis ad noua vrbis statum competentibus consumpsit rebus. Quo die & anno* M. LXXXV. *ad Ecclesiasticum ordinem stabiliendum animum applicuit, & ideò conuocauit Regni totius Episcopos, Abbates, Viros Religiosos, & statuum Proceres, Palatinósque & XIX. Mensis* Decembris. *omnes in vrbe Regia conuenerunt, & habito diligenti tractatu, super Pontificis electione, Nostrum* B. Bernardum *communiter, & concorditer in* Archiepiscopum *elegerunt. Illicò Alfonsus* Bernardum *accersiri iubet, vt de populo sibi commisso pro vt temporis opportunitas expetebat, curam ageret.* *Toletum obsidetur.* *Deditur his conditionibus.* *Eligitur Archiepiscopus Toletanus.*

S. Vir qui Benedicti regulam ad vnguem adimplebat, nequaquam honoris oblati acceptare valuit stipendium, donec licentiam ab Hugone Cluniacensi Abbate, eiusque Prælato efficaciter consequeretur. Dequo Venerabilis Abbas factus certior, licet de S. Præsulis obedientia, & modestia admiraretur, non solum illi facultatem impartitur, verùm in virtute sanctæ obedientiæ, districtissimè præcipit, vt oblatum honorem, & onus commissum sine intermissione suscipiat. Paruit Bernardus Deo, Regi, & Abbati, & ad fastigium tantæ Sedis euectus, illicò de ordine Ecclesiastico componendo curauit.

Hugonis præceptum de acceptãdo munere.

Catholico erat populo tunc assignata Basilica, quà & Præsulis Sedes, in D. Mariæ Æde, quæ de Alficen dicebatur. At Alfonso Legionem properante, quò alta Reipublicæ cura rapiebant, euenit, vt exquo Mauri Templum in vrbe maximum obtinebant, atque in eo rebus diuinis ex superstitione eius gentis vacabant, iguomiaiosum id nomini Christiano visum fuisset, fœdúmque appareret, & quòd capta vrbe, religionis hostes augustiori vterentur Templo, consilio cum Regina Constantia inito, cum Militum manu Archiepiscopus per noctem Sarracenorum Mezquitam occupare constituit.

Mezquitã Mauris adimit.

A fabris, qui comitabantur conuulsa ianua; publica opera Mahumetanæ superstitionis sordibus loco repurgato, Altaria ex ritu Christiano erigit; in summa Templi turre æs campanum constitutum, quo ad rem diuinam procurandam proxima sunt luce conuocati fideles. Repentina re commoti Barbarorum animi, atque ex suæ religionis contumelia in furorem acti, vix retineri potuerunt, quin ad arma cuncurrerent. Sed Deo auspice omnia in concordiam redacta, & Basilica in Christianorum gubernatione cessit, & Alfonsi Regis fides conseruata de Maurorum voluntate, & assensu quieuit. Cuius rei ecphrasis, vt vulgaris reticetur. De qua & Nos suprà, die XXIV. Ianuarij egentes de festiuitate S. MARIÆ DE PACE, quæ etiam adhuc in tanti beneficij memoriam cultu debito perseuerat.

Sarracenorum ira sedatur.

Sedatis Maurorum animis, & Rege in omnium gratiam adscito; Gregorius VII. Romanus Pontifex ad petitionem Regis Alfonsi, Richardum Abbatem S. Victoris Massiliensem in Hispanias dimisit, vt istius regionis Ecclesias, tot persecutionibus perturbatas, Ecclesiastico componeret moderamine. Qui, minus prudenter officium peragens legationis, cæpit irregulariter se habere. Quod vt vidit, B. Bernardus per maris, & terræ pericula se Rom. Pont. conspectui præsentauit, & (Gregorio VII. viam vniuersæ carnis ingresso) inuenit Vrbanum II. in Sede Apostolica substitutum. A quo gratanter, & benignè susceptus, consecrationem, pallium, & priuilegium obtinuit, & Apostolicæ Sedis benedictione suscepta, per Tolosam rediens, ibidem cum Episcopis Gothicæ Galliæ, & Narbonensi Archiepiscopo, Concilium celebrauit. Inde per Pyrenæum Hispanias adiens, omnium Ecclesiarum regionis curam gessit.

Romam adijt, & ab Vrbano II. consecratur, & pallium accipit.

Demum Concilium apud Toletum indixit, & præsente Rege & Palatinis, interuenientibus plurimis Episcopis, & Clericis, die Sanctorum Crispini, & Crispiniani VIII. Kalend. Nouembris in honore B. MARIÆ semper Virginis, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum, ac S. Crucis, Beatique Stephani Protomartyris, Toletanam Ecclesiam solemnissimo dedicauit applausu, & in Maiori Altari, multas, & pretiosas reliquias Sanctorum, quas à Sede attulerat Apostolica, & quas Rex, & Regina de suis, & Patrum suorum thesauris obtulerant, collocauit.

Toletanam Ecclesiam consecrat.

De mutando Officio Gothico, & Romano substituendo agebatur inter Richardum, Bernardum, & Reginam, quibus, & si simulatè, fauebat Alfonsus. Tentatum id aliquantoties erat, neque tamen successerat. Validissimè Nostri Antiquum suorum Præsulum Isidori, Leandri, Iuliani, Eugenij, & Ildephonsi Officium defensabant. Pro Romano Legatus, Archiepiscopus, Regina, & sub silentio Rex, suffragabantur. Ex eo, contentio orta, quum nec publica armatorum palestra, nec ignis miraculosa euidentia dissoluit, nam, & si pro Nostris victoria fuerat decantata, præualuit Regis decretum, contra Legis placitum, sicque obliterato, & antiquato Nostrorum Officio Ecclesiastico,

Romanum Officium, excluso Gothico, suscipitur.

fiastico, Romanum *in* Hispania *sedem fixit. Ex quo facto in prouerbium, apud Hispanos abyt:* Regum arbitrio, leges versari. *Hoc sic adepto, ad alia Archipraesul manum extendit.* Burgis, *pro ordinando Ecclesiarum statu, synodum indixit: altam Legioni, in qua* Raynerus *S. R. E. Cardinalis, &* Hispaniae *Legatus, loco* Richardi, *interfuit, vbi decreta pro Ecclesiastica disciplina, & pro morum correctione stabilita, & demum* Gallici *characteres in publicis tabulis, loco* Gothicarum *literarum, subštituti sunt. Quo deinceps ablegatis proprys, ad alienas deuentum formulas.* Item Gallici characteres in Scripturis.

His peractis propriam Sedem, vt magnifico ampliaret cultu, conuenientibus ministris impleuit; siquidem XXIV. Canonicos *elegit maiores, &* VI. minores *cum dignitatum officys, qui omnes sub regula S. Augustini degebant, proprio nomine* Canonicorum Regularium *illis imposito. Inter quos omnia cum Archiepiscopo communia; nam mensa aequalis, bona & onera aequaliter respectiuè ad munia vniuscuiusque erant.* Post XXX. Portionarios *ad chori, & muneris sacri auctoritatem designauit. Qua omnia* Alfonsus *intuens, & eorum penuriam agnoscens, vt ipsorum necessitatibus subueniret, populos, molendina, vineas, Ciuitatis decimas, & totius territorij, tam de pane, vino, molendinis, furnis, officinis, quam de omnibus iuribus horreorum, numismatum, balneorum, hortorum, piscariarum, canalium, & aliorum, quorum Catalogus in priuilegio Regio inuenitur, illis impertiuit.* Ministros in Ecclesia assignauit. Alfonsi liberalitas ad Ministros S. E. Toletanae.

Eisdem diebus Vrbanus II. *tactus dolore cordis, eo quòd ab Agarenis* Hierosolymitana *ciuitas tenebatur, personaliter verbum Crucis capit, omnibus praedicare. Nam Pontifex* Claro-Monti *in* Gallia *Concilium ad hoc, indixit, cui* Bernardus *interfuit,* Vrbanóque *adstitit; Ecclesiam Maioris Monasterij in Turonibus* VI. Id. Martij, *& Basilicam S. Saturnini apud Tolosates* IX. Kalend. Iunij, *Anno* M. XCVI. *dedicauit, & acceptâ à Principibus Christianis* Hierosolymitanâ *expeditione, Orbis Christianus in belli sacri apparatu totus erat; equi, arma, tela, saga, tympanorum crepitus, tubarum clangor, nihil praeter ea, exaudiebatur; maria, terra, agri, oppida permixtione gentium omnium, & belli rumoribus personabant. Inter tot orbis Principes, qui Cruce signatâ ad belli pensum indictis humiliter accurrebant,* B. Bernardus *composito suae Ecclesiae statu, Cruce sumptâ ad sacrum bellum profectus est. Vix vrbe discesserat, cùm Clerici, quos in Ecclesia instituerat, an hominis externi inuidiâ, an reditus desperatione, collatis suffragijs nouum Praesulem in* Bernardi *locum, raptim substituerunt: quo cognito* Toletum *redijt, pulsis, qui nefarij consilij auctores fuerant, Sacerdotibus; ex* S. Facundi *coenobio euocatos Monachos illorum loco substituit. Quo, sic rebus compositis, propositi tenax, aut voto adstrictus, denuò iter arripuit. Ergo Romam delatus ab* Vrbano *à voto absolutus, in propria redire iussus, & imposita lege, vt ijs sumptibus, & pecunia, quam in bellum sacrum comparârat,* Tarraconam *instaurandam curaret. Omnia impleuit Praesul Sanctissimus, sicut à Pontifice imperata sunt. Ex hac vltima per* Gallias *migratione, dicitur aduexisse* Toletum, *illos praecipua eruditionis, & sanctitatis laude Viros, quos honoribus in praesenti, & opimis Sacerdotijs auctos, virtus consequenti tempore ad maiora prouexit.* S. Gerardus, *qui ex Primiclerio Toletano, fuit Bracharensis Antistes.* S. Petrus *Toletanus Archiepiscopus, mox Vxamensis Episcopus. Vtrumque, vita sanctitas, & animi candor, caelestium numero inseruit. Item alius* Bernardus *qui fuit, Seguntinus, ac deinde Compostellanus Praesul. Alius* Petrus *Archidiaconus Toletanus, ac pòst Segobiensis Pontifex. Item alius* Petrus *Palentinus Episcopus.* Hieronymus *Valentinus, pòst Zamorensis: Item alius* Bernardus *Zamorensis,* Raymundus *primò Vxamensis, deinde Toletanus, &* Burdinus *Conimbricensis, demum Braccarensis, qui in fine Pseudopapa orbem Christianum importunè turbauit dissidio.* Expeditio Ierosolymitana. Monachos, loco clericorum in Ecclesia infert. Crucem assumit & ab Vrbano absoluitur. Socios sanctitate & dignitatibus insignes.

Compositis ergo Pastoralis curae negotijs, ad arma pro fide deueniens, & pro temporali Ecclesiae Toletanae, *cui praeficiebatur, statu decertans; cognito,* Complutum capit.

quòd Complutum *oppidum in* Carpetanis, *ad eiusdem Patriarchalis ditionem pertinebat Ecclesia, illicò illi obsidionem parauit, donec fame affecti incolæ Sarraceni, relicto castro,* S.Bernardo *per deuia aufugientes, iterum oppidum reliquerunt Episcopo, qui Ecclesiæ illud adscribens, adhuc in* Toletanis *possessionibus numeratur. In cuius obsidione illud obseruandum est, ut tanti Viri sanctitudo innotescat, quod cùm iuxta* Castri Complutensis *collem, assilante milite, pro victoria in oratione ad Deum preces effunderet, subitò in aere* Crux *rutilans cunctis videntibus apparuit, in signum sequentis trophæi; ex quo tempore adusque præsens* Crucis Collis *cognominatur, propter sequentem triumphum. Igitur post deuictas vniuersas diuersorum Præsulum lites, maximè quas cum* Didaco Gelmirezio *Compostellano Præsule habuit, quæ circa sua Ecclesiæ priuilegia oriebantur, contractis varijs in Hispania Synodis, in quarum consessibus præsidebat euigilans, sepultóque apud suos corpore* Alphonsi *Regis strenui, virtutibus plenus, & bonis operibus felix,* Toleti *post XLIV. Pontificatus oneris annum, spiritum Domino commendauit* III. die Aprilis, *Era* M. C. LX. VI. *Cuius corpus in S.Andreæ Sacello, Maioris Basilicæ sepultum, hoc sepulchrali titulo, veneratur.*

Crux in aëre visitur. *Moritur.*

OBIIT DNS. BERNARDVS I. ARCHIEP. TOL.
HISPAN. PRIMAS. POSTQVAM CIVITAS
TOLETANA
FVIT CAPTA PER ILLVSTREM REG.
DN. ALPHONSVM
DIE III. APRIL.
ERA M. C. LXVI.

Annus Transitûs variè calculatus.

Non me latet, apud aliquos summæ auctoritatis Viros, circa tempus transitûs, & exuuiarum collocationem, in varias itum esse sententias. Nam *Iulian. Nost. in Chron. num.*629. de morte S. Præsulis agens, ait: *Gaudet Ciuitas Toletana liberata longa obsidione Maurorum, precibus S.Pontificis Bernardi, qui obijt Toleti M.C.XXV. die V. Februarij. D.Thom. Tamayo in Verit. Dextr. in Dipth. Tolet. Pref. n.LX.fol.* 129. aliter, id est ad Annum antecedentem *Iuliani*, mortem *B.Bernardi* appingit, sic: *Eius electio fuit anno M. LXXXVI. eius confirmatio ab Vrbano II. P. R. anno M. LXXXVIII. & cum sedem prudenter, & religiosè moderaretur; moritur III. die Aprilis, Anno M. C. XXIV. & in sacrario Toletano sepelitur, vt ex eius inscriptione patet.* Quo loco error deprehenditur, nam in numero Eræ apud *Tamayo* inueniuntur literæ transuersæ, sic: *Era CIƆ. C. LXIV.* qua contextura, Annus erit M. C. XXIV. At vt inspexit tumulum Blas. Ortiz. *de Templ. Tolet. cap.* 24. *fol.*61. à quo exscripsit *Francisc. Pisa lib.*4.*c.*3. distinctè sic legitur Era: *M.C.LXVI.* in quarum literarum inuersione facilis fuit error. Maior disceptatio erit cum *Iuliano*, qui S. Viri pedissequus extitit, & familiaris, & à fortiori de die mortis, & anno instructior iudicandus est. Cuius sententiæ adhærerem extemplò, ni eius opera edita, à proposito meam reuocarent sententiam, propter illorum innumeros, quos passim inspectamus, errores, & in dubio pro inscriptione à Pisa enuntiata, standum est. Cui fauet peruetustum epitaphium in meo MS. in hæc verba vbi, sicut & alibi sæpè, poëseos regulæ negliguntur.

AD TVMVLVM BERNARDI, I.
Archiepisc. Toletani, Hispaniarum Primatis.

Epitaphiũ sepulchrale.

Quis tumulo hoc tegitur? Præsul venerabilis almus,
Inclytus ingenio, moribus ingenuus:
Nomine Bernardus, *Gallus origine, & Abbas*
In Facundino celebre Cœnobio.

Vrbis

Vrbis Toletanæ primus in ordine Præsul,
Occidui Primas Orbis, & Vrbis erat.
Templa Deo, templis monachos, monachis dedit Aras,
Nequitiæ lapsum, iustitiæque locum.
Noluit esse suis Dominus; studuit Pater esse;
Semper in aduersis murus, & arma suis.
Moritur: heu quartos mors secuit omnibus artus!
Heu quantum nobis fata tulêre decus!
Obijt Sanctissimus Pontifex III. Nonis Aprilis, sub
Era M. C. L X V I. sepelitur in Æde Toletana.

De translatione corporis ad cœnobium *S. Facundi* contendunt Scriptores Benedictini, inter quos primas fert, illius inclyti Monasterij traditio, quam induxit illud breue, licèt haud intellectum carmen: *Error Monachorum S. Facundi detegitur.*

PRIMVS BERNARDVS FVIT HIC PRIMAS VENERANDVS.

Quæ verba potiùs dignitatem, quàm sepulturam aperiunt. Nec *D. D. Prudentio de Sandoual* Benedictinorum Fratrum arridet opinio, imò ipse contrariam sequutus *in Vit. Alfons. 7. fol.* 143. *&* 154. ab eorum assertione discedit. Ast pro traditione Monachorum, stat Archidiacon. del Alcor *in Histor. Palent.* & Iulian. Petri *Aduers. num.* 418. *fol.* 97. his verbis: *Corpus* BERNARDI *Toletani sicut ipse testamento cauerat, ex Ecclesia* Toletana *Maiori, vbi depositum fuerat, ad Monasterium* SS. Facundi, *&* Primitiui *translatum est.* Sed quid tenendum? Ego pro Ecclesia Toletana iudicarem. Videmus passim in hisce *Iuliani Aduersarys* tot glossematum ineptias, quòd potiùs ferrum, quàm illas deglutire, compelleremur. *Nec alterius suadet opinio.*

NONNVLLA scripsisse B. Præsulem *Opuscula* Iulianus ipse fatetur, quæ adhuc sub blattis delitescunt, quorum Catalogum referre placuit, vt si ad alicuius manus deuenerint, agnoscat auctorem.

I. Sermo Vnicus in morte S. Gerardi Archiepiscopi Braccarensis. *Opuscula ab eo scripta.*
II. Sermo Vnicus super Canticum B. M. V. incipit: *Magnificat.*
III. Sermones V. super *Salue Regina*, attributi Bernardo Claraualli.
IV. Illustrationes super Epistolam B. Iacobi, quam probauit esse à Zebedeo conscriptam Iudæis per Hispaniam dispersis.

De hisce Opusculis videsis Iulian. *in Chron. num.* 603. 607. *&* 608. *&* in Aduers. *num.* 414. *fol.* 97. Qui etiam asserit, quod S. Vir *erat* B. Virgini *deuotissimus, qui faciebat celebrare festum* IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS *eius, quod prædicauit in Hispania* S. IACOBVS, *& incœpit ab Apostolis, hoc in Concilio decernentibus.* Quinimò, vt prosequitur Archipresbyter, *obtinuit à P. R. Vrbano II. vt in omnibus Ecclesiis Hispaniæ, curreret singulis diebus, Officium Paruum B. M. V. post alia officia Maiora Breuiariorum.* Et demum concludit, quòd ipse BERNARDVS, *cantu musico accentuauit hymnos, Aue Maris stella; Quem terra, pontus, æthera; & Salue Regina.* Ex quibus laudabilibus operibus in Virginem Matrem S. Præsulis deprehendes affectum. Nam sicut eius Sanctissimus decessor *Ildephonsus* Sabbathinum Officium in Virginis instituerat honorem, vt inquit Pelbart. *in Stellar. lib.* 1. *p.* 4. *cap.* 2. Ioann. Ægidius *in Scal. Cæli.* Augustin. VVichmans *in Sabbathism. Marian. cap.* 2. *fol.* 10. ita ipse voluit, quòd idem *Officium* post horas recitaretur vbique. Hinc ego intelligerem, quæ ab Scriptoribus circunferuntur, dicentibus, *Vrbanum II.* in Concilio *Claro-Montano*, cui interfuit BERNARDVS Noster, *Sabbathinum Officium* instituisse, vt referunt Ieronym. Rubeus *Histor. Rauennat. lib.* 5. Arnald. VVion *in Lign. Vit. lib.* 5. Rutil. *in Magnificat, lib.* 22. *Dub.* 7. VVichm. *in Sabbathism. Marian. cap.* 2. *fol.* 11. Hyppolit. Marrazz. *in Marian. c.* 61. Ferreol-Locrius *in Mar. August. lib.* 7. *cap.* 3. quòd à Pontifice cognita petitione BERNARDI Nostri, non solum *Ecclesiis Hispaniæ* Officium recitandum indixit, vt efflagitarat Antistes, sed *vt res illa difficillima* (inquit VVichmans) *inchoanda optatum* *Deuotio in Deiparam Virginem.* *Officium Sabbathinum instituit S. Ildephonsus.* *Restituit Bernardus in Concilio Claramontano, indicente Vrbano II.*

posset

poſſet conſequi effectum, Dei-Genitricis *precibus annuens, vt cæleſte Numen ſibi redderet propitium, de Patrum ſtatuit ſententiâ, vt* Officium Dei-Genitricis, *à Clero potiſſimùm, omnibúſque Chriſtianis, ſi non quotidie, ſaltem diebus* Sabbathinis, *dignè eidem Virgini perſolueretur.* Ex quo colligit, & optimè, *VVichmans*, quòd illud *Officium* iam erat in vſu, ſaltem in aliquibus Prouinciis vt in *Hiſpania*, ex conſtitutione *Ildephonſi*; ergo illic non inuentio, ſed reſtauratio cenſenda eſt: & hæc annuente BERNARDO Noſtro, pro ſuis Eccleſiis, & præcipuè pro *Toletana*, quâ illud ſuperioribus ſeculis *S. Ildephonſus*, tanta Virginis acclamatione inſtituerat. Quod in tantæ Eccleſiæ ſplendorem dictum ſufficiat.

Quæ Concilia congregauerit in Hiſpania? CIRCA Concilia, quæ indixit in Hiſpania, duo referuntur ab Illuſtriſſ. Turiaſonenſi Epiſcopo, ſcilicet LEGIONENSE, *in Primat. Tolet. 2. tom. 4. part. c. 1. §. 4. fol. 620.* & CARRIONENSE, *in eodem cap. 1. §. 11. fol. 660.* De primo hæc in *Hiſtor. Compoſtell. MS.* & in Codice meo *Conciliorum MS.* poſt Hiſpaniæ excidium congregatorum, quem inter MSS. Bibliothecæ *D. Garſ. de Loayſa* accepi; referuntur:

De Concilio apud Legionem celebrando.

Legionēſe. *Non poſt multum temporis* BERNARDVS *Toletana Sedis Archiepiſcopus, & S. R. Sedis Legatus*, Didaco Compoſtellano *Pontifici has ſubſequentes literas direxit, & vt ad Concilium, quod* LEGIONE, *XV. Kalend. Nouembr. celebraturus erat, veniret.*

> BERNARDVS *Dei gratia* Toletanæ *Sedis Archiepiſcopus, & S. R. Sedis Legatus; Dilecto fratri, & Coepiſcopo* D. Didaco *Compoſtellano, ſempiternam beatitudinem. Nouerit dilectio veſtra, me cum Rege, & Regina de communi pace locutum fuiſſe. Sed quoniam inter eos nullam concordiam, Rege renuente facere potuimus*, Concilium Legione *XV. Kalend. Nouembris, celebrare decreuimus: cui dilectionem veſtram intereſſe volumus, atque præcipimus. Valde enim in eo Nobis neceſſarius eris, nec vlla occaſione optamus, vt præſentiam veſtram prædicta Synodo ſubtrahatis. Valete.*
>
> *Abbates verò, atque Præpoſitos veſtræ diœceſis vobiſcum adducere mandamus.*

Crederem hoc *Concilium* intermiſſum ingruentibus Regni perturbationibus, quibus Regis Aragonum *Alphonſi*, & *Vrracæ* Caſtellæ Reginæ coniugum diſcordiæ anſam præbuere, prout ex relatione *Hiſtor. Compoſtellanæ MS.* & mei *Codicis MS.* liquet, vbi hæc continentur verba:

De Concilio celebrando in Palentia.

Concilium Palentinū, inſtante Compoſtellano. BERNARDVS Toletanus Archiepiſcopus, & S. R. E. Legatus Burgos venit: quem B. Iacobi Epiſcopus adiit, & eius Reuerendã Paternitatem obſecrauit, vt de ſtatu Eccleſiæ, quæ funditus euertebatur, & de pacis reformatione tractaret. Tunc Venerabiliſſimus Pater illi acquieſcens, aduocauit Epiſcopos, qui intererant, ſcilicet, Aurienſem, Onetenſem, Mindonienſem, cum quibus Archiepiſcopus, & S. Iacobi Epiſcopus diutius colloquentes, Eccleſiæ iura penitus violata, Hiſpaniam Aragonenſi tyrannide vndique deuaſtatam, atque deſolatam, vnâ doluerunt. Sed quoniam ingruenti diſcordiæ tumultu, hæc pleniùs ſtabilire, in præſentiarum, tempus non exigebat, tùm quia complures Hiſpaniarum Pontifices deerant, placuit eis tantæ rei diffinitionem producere, & in futuro generaliter Concilium celebrare, atque omnes Hiſpaniarum Pontifices, Abbates, Duces, Principes, Comites, cæteríque Primates, VIII. diebus ante venturam feſtiuitatem Omnium Sanctorum, in PALENTIAM vrbem poſſent conuenire; & cauſam Regis, & Reginæ ſubtiliùs indagare, diœceſes, villas, manſiones, agros, vineas, quæ in hoc diſcordiæ tempore amiſerat, Sedibus, & Monaſteriis reddere. Quæ res Reginæ, omnibúſque Hiſpaniæ Principibus ſupra modum placuit.

De Concilio Palentiæ celebrato, & de reditu Compostellæ Episcopi.

ANNO M. C. XIV. Dominicæ Incarnationis, BERNARDVS Toletanus Archiepiscopus, & S. R. E. Legatus, Synodale Collegium VIII. Kalend. Nouembris PALENTIÆ celebrauit, & de Hispaniarum oppressionibus, atque angustiis, & de Ecclesiarum subuersionibus, atque calamitatibus, pleniùs pertractauit. *Gallæciæ* quidem Pontifices interfuerunt, sed Ecclesiæ B. Iacobi Episcopus, cuius consilio, atque suggestione, prædictus Archiepiscopus Concilium celebrare disposuerat, vrgente discordiæ tumultu, prædicto Concilio interesse non potuit, difficillimâ causâ obsistente, detentus. Ipse namque præteritæ æstatis tempore, coadunato vndique exercitu, ad debellandum Aragonensem Campaniam adierat. Quod si iterum partes illas adire præsumpserat, oportebat, aut militum cohortes, ad se protegendum, & muniendum illuc secum ducere; quod temporum qualitas, assiduique laboris exercitium fieri prohibebat: aut proditorum flagitiosa rabies, quod relatu abusiuum est, in Christum Domini mittere manum, nihilominus vereretur. Porrò perniciosa manus bellorum temporibus, prædæ, diuitiarúmque cupiditate incitata in omne nefas ruere non perhorrescit. Prædictus tamen Episcopus ad Generalem Synodum iter aggrediens Triamcastellam peruênit. Verùm enim verò Comes R. necnon Comes M. compluresque Gallæciæ Optimates, illum adeuntes, quatenus ab incepto labore desisteret hortantur, & deprecantur dicentes: *Scimus equidem, Venerabilissime Pater, si Campaniæ partes absque armata manus clypeo, adire præsumpseris, & te à truculenta hostium violentia grauiter inquietari, aut, vt veriùs profiteamur, cuilibet prodenti captione dehonorari, & Gallæciam multiplici discordia impugnatione opprimi: Nos quoque te absente in salutis nostra dispendia ruere, haud ambiguum est. Tua interest, curam, & solicitudinem Nostrûm, totiúsque* Gallæciæ *gerere. Eapropter hortamur, & consulimus, vt ab incepto resipiscas; & quod potissimum est, tibi, nobisque omnibus prouideas. Quod si nobis obsistere volueris, antequam ab alijs, quod in certissimis est, dedecoreris, aut capiaris, ne tantum quid temerariè aggrediaris, à nobis captus teneberis. Melius est enim tibi discessus licentiam à nobis inhiberi, quàm improuido fauore, ad tantum præcipitium, tibi assensum adhiberi.* Igitur Episcopus his atque aliis, acquiescens, duos de Clericis suis ad prædictum Concilium direxit, qui illius absentiam datis literis referrent.

Non affuit Compostellanus, & quare.

Comitum Gallæcorum persuasio.

DE CONCILIO PALENTIÆ.

In prædicto PALENTIÆ *Concilio*, BERNARDVS *Toletanus Archiepiscopus, &* S. R. E. *Legatus, vnà cum plerisque Hispaniarum Episcopis, Abbatibus, pro modo, & tempore, iustitia examinationem salubrius edisceendo; rapinas, incendia, cades, ceterásque Hispaniæ calamitates de die in diem, crebriùs ingruere, doluit, communicatis autem omnium consiliis, ineffabilem Dei misericordiam, omnes humillima deuotione, quatenus, tot, tantisque malis, remedio maturius impendere dignaretur, expostulauêre. Demùm Ecclesiarum subuersiones, diuina, & humana audacius temerata ingemiscentes, consulere, releuare, tantisque calamitatibus, Deo opitulante, finem imponere solicitè curarunt.*

Quid actū in Concilio.

Lucensis *quoque* Ecclesiæ, *de cuius inquietatione sermo in publicum ventilatus est, paterna consolationis auxilium, non distulére. Illa namque immdudum* Tutore *priuata, & penè* Pastore *viduata, maximis procellis, vtputà bellorum tempore, impellebatur.* Petrus *quippè eiusdem Ecclesiæ* Episcopus, *totus superna beatitudini inhians, & ab huiusmodi cura immunis, tanti culminis solicitudinem ferre recusabat.* Lucensis Ecclesiæ *honorem protegere, animarum curam gerere, multis diuersisque negotys insudare, sicut necessarium erat, nequibat: praterea illum agrimonia vexabat, nec amplius ad id officij satis esse poterat. Ea propter prædicta* Ecclesia *patrocinio viduata, procellarum impulsu valdè inquietabatur, & maximè*

De consilio tuēdo Præsule in Ecclesia Lucensi tractatur.

maximè Comitis R. *dominio subiugata, opprimebatur. Quapropter* Generali Collegio *sancitum est, quandoquidem praedictus* Lucensis *Ecclesiae* Episcopus *regiminis curam ferre penitus renuebat, quoniam Pontificis ministerium implere nullatenus poterat, ne Ecclesia fundotenus extirparetur, alium, qui &* Ecclesiam *à morsibus hiantium protegeret, & curam animarum gereret canonicè in* Episcopum *promoueri. Igitur* Lucensis *Ecclesiae* Clerici *Archiepiscopum adeuntes, quatenus Matris suae desolationi consuleret, eorum petitioni condescendat misericorditer exposcunt. Ipse verò praefatus summae Religionis Vir, vt tanto labori desisteret, aliúsque qui, quod ipse nullo modo implere poterat, & Ecclesiam protegeret, & Pastoris officium teneret, in Episcopum eligeretur, summopere precibus impetrare laborauit. A supradictis itaque* Lucensis Ecclesiae, *caeterisque venerabilibus personis*, Petrus *Regina Vrraca* Capellanus *designatur Praesul, & summo affectu exposcitur. Deinde ad* Lucensem *vrbem ad Episcopatum promouendus mittitur. Ipse equidem Archiepiscopus super illius electione, atque consecratione*, Didaco Compostellano *Archiepiscopo*, Alfonso *Tudensi*, Didaco *Auriensi*, Munioni *Mindoniensi, has literas direxit.*

Clerici Lucenses Episcopum petunt.

Eligitur Petrus Reginae Capellanus.

De Scrutinio, & Consecratione Lucensis electi.

Epistola ad Episcopos pro consecratione electi.

Bernardvs Dei gratia Toletanae Sedis Archiepiscopus, & S. R. E. Legatus, Dilectis in Christo Fratribus, atque Coëpiscopis, *D. Didaco* Compostellano, *D. Munioni* Mindoniensi, *D. Alfonso* Tudensi, *D. Didaco* Auriensi, coelestis Regni aditum. Vestrae Fraternitati notum fieri volumus, *Lucensis* Ecclesiae Clerum, & populum Dominicum, *Petrum* Capellanum Reginae, sicut accepimus, sibi in Pastorem elegisse. Sed vtrùm electio canonica fuerit, quia ignoramus, vobis charitatiuè praecipimus, atque praecipiendo rogamus, quatenus rem diligentius perquiratis. Quod si electionem canonicam inueneritis, quia Braccarensis, quamdiù S. R. E. inobediens (sicut nostis) atque rebellis extiterit, ab Episcopali suspensus officio, neminem consecrare potest, aut cum Domino Compostellano vice nostra fungente, benedicere studete, aut nobiscum vestris literis ipsum proculdubio consecrandum dirigite. *Mauritio*, dùm in hac malitia perseuerauerit, nullus Episcopus, nullus Braccarensis Prouinciae Abbas, sed nec Clericus, nec Laicus (vt dignum est) obedientiam exhibeat. Valete.

De Consecratione Lucensis electi.

Consecratio.

Visis *autem literis his, de eius electione promptissima indagine consulitur, & quoniam canonicè fuerat facta, consecratio non differtur. Fungente igitur* Didaco *B. Iacobi Episcopo, vice Archiepiscopi*, Lucensis *Ecclesiae electus, in Ecclesia B. Iacobi, VII. Kalend. Maij, praesentibus* Didaco *Auriensi*, Munio *Mindoniensi Episcopis, in Episcopum consecratur, &* Lucensi *Ecclesiae Pastor destinatur.*

De Excommunicatione Mauricij Braccarensis Archiepiscopi.

Mauritius Braccarensis auctoritate Papae excommunicatur.

Post haec in eodem Generali Collegio *supradictus Archiepiscopus* Toletanus, *monitratis literis D. Papae pro excommunicatione* Mauricij Braccarensis, *aduersus Sedem Apostolicam rebellis, decreto firmatum fuit, vt ad* Didacum *Compostellanum eius dirigeretur executio, prout factum est, & ideò illum his literis compellauit:*

Bernardvs Dei gratia Toletanae Sedis Archiepiscopus, & S. R. E.

S. R. E. Legatus, Dilecto in Christo fratri, & Coëpiscopo *D. Didaco* Compostellano, supernis ciuibus feliciter copulari. Magno mentis affectu, multo animi desiderio, vestram, si fieri posset, optarem videre amicitiam, de communi vtilitate huius Regni maximè perturbati, vobiscum loquuturus. Sed quoniam tanta est perturbatio, quod mutuo visu præsentialiter fraudamur, iungat charitas, & Epistola, quos separat corporis absentia. Nouerit igitur dilectio vestra *Mauricium Braccarensem*, quoniam de inuasione *Legionensis* Ecclesiæ satisfacere noluit, & exinde à Nobis ab vtroque Officio suspensus, Episcopale, & sacerdotale officium imprudenter celebrare præsumpsit, subiectas à Domino Papa accepisse literas: *Inter querelas alias, quæ de te ad Sedem Apostolicam delata sunt,* Legionensis *Ecclesiæ inuasio, & contritio nos grauiùs contristauit. Super qua ex nostris literis monitus, & à Vicario Nostro* Bernardo Toletano *ad Concilium euocatus, & venire, & satisfacere contempsisti. Ad hæc pro huius nequitia, & inobedientia, per eum, tam à sacerdotali, quàm ab Episcopali officio interdictus, eadem officia celebrare pertinaciter præsumpsisti. Nos igitur, auctore Deo, tantum nequitiæ, & superbiæ facinus vlciscentes, & eadem tibi officia, & Braccarensis Ecclesiæ obedientiam interdicimus, donec resipiscens obedias, & pleniùs satisfacias. Dat. Laterani XIV. Kal. Maij. Indiction. VII.* Precamur igitur amicitiam vestram, quatenus omnibus Suffraganeis *Braccarensis* Ecclesiæ Episcopis, has ostendatis literas, & ne prædicto *Mauritio*, secundùm iussionem Domini Papæ obedientiam exhibeant, admoneatis. Has quoque literas Portugallensium Infantissæ, nostri gratia, pro nostro amore, destinate. Valete.

Executio commissionis Compostellano.

De Concilio Palentiæ annuente D. Papa celebrato.

Acceperat D. Bernardus Toletanus *Archiepiscopus literas à D. Papa pro indicando* Concilio, *vt illo malis ingruentibus, quæ* Hispania *experiebatur, Patrum consilio, mederetur, quas pro Actorum in Generali* Collegio *confirmatione demonstrans, illas in publicum legendas direxit, quarum hæc series dignoscitur:*

Literæ Pontificia pro confirmatione Concilij.

Paschalis Episcopus Seruus seruorum Dei. Venerabilibus Fratribus Bernardo *Primati*, & cæteris Episcopis, & Principibus *Hispaniæ*, salutem, & Apostolicam benedictionem. Regionum vestrarum calamitates, Ecclesiarum subuersiones, cædes, rapinas, incendia dolemus apud vos plura fieri, quàm à Nobis valeant enarrari. Quamobrem prudentiam vestram literis præsentibus commonemus, vt tantorum malorum remedia communicatis consiliis requiratis. Nos quidem, opitulante Deo, quanto maturius potuerimus Apostolicæ Sedis Legatum ad vos mittere deliberabimus. Interim prouidâ nobis diuinitus facultate paci publicæ prouidere curetis in congregatione Pontificum, & quid in ea canonicè actum, suum in posterum Apostolica auctoritate sortiatur effectum. Illos sanè Proceres, siue milites, qui honores, obedientias, villas, & cætera bona Ecclesiastica inuaserunt, & occupant, nisi ab eadem inuasione desistant, ab Ecclesiæ consortio remouemus. Vniuersarum etiam partium incentores, per quos bella apud vos, & flagitia cætera perpetrantur, nisi ab hac malignitate desistant, excommunicationi subiicimus. Pax nostra, & Salus nostra Dominus, pacem vestram, & salutem vestram misericorditer operetur. Dat. Laterani XVIII. Kalend. Maij.

De fine Concilij Palentiæ, & litteris Toletani ad Compostellanum Episcopum.

Postquam *de rebus plurimis actum fuit in* Concilio Palentiæ, *Eccle-*

Concilij dissolutio.

siæ fauorem, & Regni quietem cernentibus dissoluta Patrum, & Procerum Congregatio est, & Toletanus, *vt* Compostellani *amicitiam insinuaret, vocatis Clericis, illos benigne amplexatus, has literas* Compostellano *directas, tradidit:*

Compostellano scribit. BERNARDVS Toletanæ Sedis Archiepiscopus, & Dei gratia S. R. E. Legatus, *Didaco* Compostellanensis Ecclesiæ Pontifici, salutem, & benedictionem. Legatos quos nobis misistis vidimus dicentes: Quòd Concilio quod *Palentiæ* præcipuè vestro consilio celebrauimus, interesse nequistis, ineuitabili necessitate detentus. Verum quia solatium, & auxilium, & consilium vestrum nobis subtraxistis, vt verum vobis fateamur, molestè tulimus. Sed propter pristinam amicitiam, quæ inter me, & vos diu existit, & interuentu vestrorum Clericorum patimur, ac vobis indulgemus.

His capitulis finiuntur Acta huius *Palentini Concily* in meis *MSS. Codicibus*, de quo haud meminit *Illustriss. Turiasonens.* Eius Acta inserere volui, quia recondita, & minime communia; & quia ex illis pluta edifcent Hispanicarum rerum Scriptores, hactenus à nullo, vt crederem, cogitata. Hincque supplebis diptychon Ecclesiæ *Lucensis* à M. Ægidio Gonzal. *Tom. 3. Theatr. Eccles. fol.* 180. conscriptum, *Catalogum Episcoporũ Lucensium ex hoc Concilio supplebis.* vbi post *Petrum* Episcopum *Lucensem*, per LII. annos Sedem vacasse contendit; nam vt ex isto *Concilio* patet, *Petro* successit alius *Petrus* Reginæ Vrracæ Capellanus; quo LII. annorum implebitur intercapedo. Aliud etiam *Concilium* apud *Palentiam* fuit congregatum tempore Regis Alfonsi VII. sub *Raymundo* Archiepiscopo Toletano Era M. C. LXVII. post Nostri S. Præsulis excessum, quod etiam MS. apud me, cuius decreta, aliò dabimus, vbi multa notatu digna, antiquitatum amator inspectabit, & Nos hæc nostra scripta hisce thesauris pro bono Ecclesiæ, & Reipublicæ Christianæ fulgore ditabimus.

Concilium Carrionense, in quo actum de retentione bonorum Ecclesiæ Compostellanæ. CIRCA Concilium CARRIONENSE nequaquam eius Acta sumus adepti, licet ex aliquibus literis BERNARDI Nostri, & aliis *Paschalis Papæ* deprehendatur, quòd in ea Synodo causa fuerit ventilata contra *Gundisaluum* Episcopum *Mindoniensem*, ex eo quod, duos Archipresbyteratus cum dimidio, contra ius S. E. *Compostellana* violenter retineret, & idcirco vocatus ad *Synodum* venire distulerit, super quibus sequentes literas *Mindoniensi* direxit Episcopo.

Gonsaluum Episcopum Mindoniẽsem interpellat, vt restituat bona Ecclesiæ Compostellanæ. BERNARDVS *Dei gratia* Toletanæ *Sedis Archiepiscopus, & S. R. E. Legatus, charissimo suo Domino* G. Mindoniensi *Episcopo, salutem. Quod ad* CARIONENSE Concilium *fraternitas tua se præsentare nequiuerit per nuntios tuos ægrimonia tua necessitatem cognouimus. In quo quidem* Concilio, *inter cæteras quæ aduersus te ortæ sunt, querimonias, Ecclesia* S.Iacobi *in auribus nostris grauem super te querelam peregit: quod duos videlicet* Archipresbyteratus, *& dimidium, quos iuris præfati* Apostoli, *quondam fuisse constat, violenter vsurpas. Quocirca tibi libenter per obedientiam præcipimus, vt quidquid præfata Ecclesia legitimis scriptis habuisse perhibetur, sicut in Priuilegio Romano continetur, omni alia ambage postposita, reddere non recuses; ne fortè Romani Priuilegij transgressor anathematis gladio feriaris. Postremo his præfata Ecclesia restitutis, venerabilem Fratrem, & Coepiscopum* Didacum *interpellabimus, quatenus vel ea, vel alia Fraternitati tuæ in descendendo nostro interuentu, ad tempus tibi conferat: Vale. Dat. Legione II. Non. Februarij. Era M. C. XI. Hic* Era pro Anno sumitur: quam si dissoluis nondum BERNARDVS Toletanus erat Antistes, imò nec capta Toletum.

Hoc etiam asseritur in literis *Paschalis* cum prædicto *G. Mindoniensi* Episcopo loquens: *Et quia* (inquit) *iudicium Legati Nostri Toletani Archiepiscopi, quod apud* CARRIONEM, *nuper in* Concilio *edixerat, contemnens.* Et in alio Diplomate quo de eadem causa agitur, prosequitur Pontifex: *Literas dilectionis tuæ breues omnino recipimus, in quibus præter causam, quæ inter Ecclesiam* S.Iacobi, *& Mindunensis agitur, nihil aliud de statu nobis* Hispaniarum *dicere voluisti. Cumque te in eisdem* Concilium *apud* CARRIONEM *celebrasse dixeris, nihil de rebus in eodem* Concilio *gestis, præter*

præfatam

præfatam causam intimare curasti. Toto cælo aberrauit *D Didac. Castejon*, qui in *Primat.Tolet.d.fol.*660.asserit BERNARDVM in III. Concilio CARRIONENSI dissolutum fuisse coniugium *Alfonsi*,& *Vrraca* Regum; quia vt ex ipsius *Concilij Actis apud me MSS.*nil tale actum,liquet;nec tempore Nostri Præsulis coadunatum,sed *Raymundi* successoris,disponente *Humberto* S. R. E. Legato, & patet ex ipso Diplomate ad marginem exscripto circa concordiam inter Toletanum & Segobiensem Præsules,quam factam fuisse in hoc III. Concilio Era M. C. LXVIII. profitetur *lit.B.*eum iam BERNARDVS vitâ nudatus ab Era M. C. LXVI. mortalitatis debitum exoluisset.

Error Episcopi Turiasonensis.

QVATENVS ad functiones in *Gallia Aquitanica* ab ipso tanquam Primate confectas BERNARDO; auctor est idem *Paschalis* Pontifex Max. in alio Diplomate,hac serie: *Lator præsentium A. conqueritur se ex longo tempore suis prosecutionibus aggrauatum, & in* Concilio *nuper apud* TOLOSAM *habito*, Te illic præsidente, *iniuste excommunicatum.* De Consecratione Ecclesiæ S.Saturnini Guillelm.Catell. *Hist.Comit.Tolos.lib.*12.*c.*13. De alia Ecclesiæ Turonensis,Andr.Saussay. *in Martyr. Gallic. tom.*2. *die* 19. *Decembr. fol.*1020. Videsis Iulian. *in Chron. n.*609.

Præfuit Concilio Toletano, & alijs.

CIRCA Reædificationem vrbis Tarraconensis: supra hoc *II. Tom. die VI. Martij quæst.*5.*in Vit. S.Oldegarij* aliqua diximus;sed in hanc Notam, Lectorem remisimus.Illic diximus,quanto controuersiæ stimulo agitentur *Castellani*, & *Gotholani* Scriptores circa verum huius Reædificationis auctorem. Pro B. Oldegario stare diximus Petr.Anton.Beut.*Hist.Valent.d.c.*17. P. F. Francisc.Diag. *lib.*2.*c.*101. Pons Icart.*Hist.Tarrac.c.*26.Pro BERNARDO Nostro stant Auct.Indic.*Ann.*1077. his verbis: BERNARDVS *Toletanus Archiepiscopus, quem rebus sacris in* Hispaniarum *prouincijs Gregorius* VII. *Pontif. Maxim.præfecerat, & omnium Antistitum* PRIMARIVM *constituerat*, TOLOSÆ Concilium *celebrat, cui adsidere Narbonensis Archiepiscopus, & Gallia-Gothica Episcopi. Mox Ecclesia* TARRACONENSI *instauranda præfuit, eóque administro,*TARRACONENSE, *& Toletanum Templum dedicatione consecrantur.* D.Didac.Castejon *in Primat.Tolet.* 2.*t.c.*2.§.3.*fol.*615. Sed ne in Authorum testificatione tantummodo insistamus, *Paschalis II. Pont. Max.* literas, ne occasione Ierosolymitani itineris Occidentalis depopularetur Ecclesia,Clericis, & Laicis, per *Hispanias* constitutis, directas, & in meo MS. Codice *de Primatu Toletano* exaratas, ausculta.

Quis Tarraconem reædificauit?
An B. Oldegarius?
An B. Bernardus?

PASCHALIS *Episcopus, Seruus seruorum Dei,Clericis,& Laicis,* Aldefonsi *Regnum habitantibus, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Magnum vestræ salutis dispendium facitis, quòd Apostolicæ Sedis præceptis obedire contemnitis.Scripsimus enim vobis,præterito tēpore,ne* Ierosolymitanæ *expeditionis occasione,partes vestras desereretis, quæ Maurorum,& Moabitarum quotidianis incursibus impugnentur.Non parum enim in discessu vestro illorum tyrannidem Occidentalibus partibus formidamus. Quare Nos partium vestrarum, tàm Clericos, quàm Laicos, quos videre potuimus, à* Ierosolymitana *profectione desistere, & ad patriam suam redire præcipimus, prout* Vrbanus *prædecessor Noster præceperat* BERNARDO *Archiepiscopo* Toletano *huiusmodi expeditionem adeunti, voto in reparatione* Tarraconensis Vrbis, *&* Ecclesiæ *commutato. Latores quoque præsentium, Munionem & Didacum, & Nunonem cum sequacibus suis à Nobis coactis redire sciatis. Vnde etiam vestræ dilectioni præcipimus, ne quis eos pro reditu hoc infamare, aut calumnijs aliquibus præsumat impetere. Vobis ergo omnibus, ita ratâ præceptione præcipimus, vt in vestris partibus persistentes Moabitas, & Mauros totis viribus impugnetis; ibi, largiente Deo, vestras pœnitentias peragatis: ibi Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Apostolicæ eorum Ecclesiæ remissionem,& gratiam percipiatis. Datum Laterani, VIII. Kalend. Aprilis.*

Pro Toletano est assertio Papæ.

Reparatio Tarraconensis Ecclesiæ & Vrbis indicta Bernardo.

En ex huius Diplomatis serie, quo pacto BERNARDVS Noster ab incepta Ierosolymitani belli expeditione discesserit, quam causam etiam expressè retulit Iulian. *in Chron. n.*609. & post eum *Mariana, Castejon*, Sandoual *in Fundat. Sahaguntin.Cænob.*§.23. Andr.Saussay *in Martyrol.Gallic. die* 19. *Decembr.* & Nos in *Vit. Mart. Hisp. April.*

Scriptoribus probatur.

S. Epitatij c. 2. fol. 157. Et quo quiſque onere à voti abſolutione redimitus, euaſerit: ſcilicet *ob reparationem* Tarraconenſis *Vrbis & Eccleſiæ*, Ergo perperam à Gotholanis aſſeritur ſcriptoribus, *Oldegarium* fuiſſe illius Vrbis reparationis auctorem. Huius difficultatis apicem P. F. Anton. Vincent. Domenec *Hiſtor. SS. Cathalon. lib. 2. fol. 77. col.* 3. præſentiens, mediam eligens viam, aſſeruit, quod licet à Pontifice fuiſſet onus BERNARDO iniunctum, pro voti redemptione, de reſtauranda *Tarraconenſi* vrbe, illud, aut Sarracenorum congreſſibus præpeditus, non potuit perficere; aut eſto quod his deficientibus, ad veram reparationem deueniſſet, hæc haud diu ſtetit, quin Agareni deinceps illius populationem aliquantotius exiſtere permiſiſſent. Quibus *Vincentij* rationibus facilè cohærerem, ſi altera Iuliani Petr. *d. n* 609. reſponderet: Nam vt ex eo liquet, proculdubio BERNARDVM Noſtrum, poſt reparationem vrbis, ibidem Concilium congregaſſe contendit. Ergo cum effectu S. Antiſtes ad reædificationem deuenit. Secunda, de breui poſtmodùm depopulatione, à Sarracenis exercita, fortè animum meum raperet, ad illud credendum, nì auctoritas auctographi Barcinonenſis, ab ipſo *Vincentio* allati, dicentis ex capite *Raymundi Berengarij*, ipſius vrbis Comitis: *Trado Eccleſiæ Sedis* Tarraconenſis, *quæ in honorem* B. Teclæ *olim fundata fuit, & tibi* Oldegario, *tuiſque ſucceſſoribus Pontificibus, qui eandem Eccleſiam rexerint, ipſam Ciuitatem* Tarraconæ, *quæ diu per multos annos ſub deſtructione, & heremo, abſque cultore, & incolatu tranſiit.* Si hæc ita, vt fatetur Comes, quo pacto reparationem à BERNARDO factam fatebimur, cum *per multos annos, ſub deſtructione, & heremo, abſque cultore, & incolatu tranſierit?* Nihilominus crederem diſtinctioni vltimæ *Vincentij*, ne detur diſcrepantia in rebus ab vtroque S. Præſule *Oldegario*, & BERNARDO feliciſſimè geſtis.

Capit Complutum. QVATENVS ad captionem COMPLVTI à S. Præſule peractam; Iulian. Petr. *Aduerſ. n. 92. fol. 24.* in hæc verba prorumpit: *Dum* D. BERNARDVS *die* S. CRVCIS *Anno* M. C. XVIII. *Menſe* Maio, *vehementer vrgeret Mauros* ALCALÆ *poſita in collibus, apparuit* CRVX *in aere ſplendidiſſima; Maurique dilapſi ſunt metu, & dies hic* Toletanis *ſolemnis fuit.* Quod & referunt P. Ioann. Marian. *lib. 10. Hiſt. Hiſpan. cap.* 14. D. Didac. Caſtej. *in Prim. Tolet. 4. p. cap. 32. §. 1. fol. 939. & alij.*

Origo controuerſiarũ inter Bernardum & Didacum Compoſtellanum. DENIQVE diximus, quomodo plures cum aliis Præſulibus Hiſpaniæ, maximè DIDACO *Gilmirezio* Compoſtellano Præſule, lites ſedauerit. De quibus Iulianus Petr. *in Chron. num.* 613. hæc verba profatur: BERNARDVS *multas contentiones cum* Didaco Gelmirez *Primo Compoſtellano Archiepiſcopo habuit.* Doct. Petr. Salaz. de Mendoza *in Hiſt. MS. Præſulum Toletan.* D. Didac. Turiaſon. *in Prim. Tolet. 4. p. cap. 1. §. 5. fol.* 626. qui originem huiuſmodi litium, ob prætentionem *Compoſtellani*, circa aggregationem Oppidorum ad *Emeritenſem* diœceſim pertinentium, & Regali fiſco applicatorum Apoſtolicæ propriæ Eccleſiæ, cui propoſitioni ſeſe BERNARDVM oppoſuiſſe fatetur. Hincque *Didacum*, intentione fruſtratum, ad maiora ſpiritum erigentem *Concilium* apud *Compoſtellam* indicaſſe, *Salmanticenſem*, cæteróſque Gallæciæ Epiſcopos conuocaſſe, hæc Scripturæ pagina perſuadet.

INCIPIVNT LITERÆ TOLETANI ad Compoſtellanum de interdictione Concilij.

BERNARDVS *Dei gratia* Toletanæ *Sedis Archiepiſcopus, & S. R. E. Legatus, Dilecto in Chriſto fratri Coëpiſcopo* D. Didaco, *ſalutem. Veſtræ dilectionis literas, nobis delegatas vidimus, in quibus vos mediante Quadrugeſima,* Compoſtellæ Concilium *celebrare diſpoſuiſſe, & conſecratum noſtrum,* Salmantinum *ſcilicet Epiſcopum aduocaſſe, nobis innotuiſtis. Miramur vnde admodum ſuper veſtra calliditatis ſenſu, tam præſumptuosè vos agere; præſertim cùm vos ignarum non credimus, literas* D. P. Calixti, *Archiepiſcopis per* Hiſpanias *conſtitutis, atque Epiſcopis, Abbatibus, & Præpoſitis, Clericali etiam ordini, atque Laicis, generaliter deſtinatis vidiſſe,*

Concilium Compoſtellanum indictum.

vidisse, in quibus nec vestri, nec alterius personam excipit, vt mihi tanquam Romanæ sedis Legato, *& Romani Pontificis* Vicario, *obedientiam, & reuerentiam exhiberent: & vocati ad* synodum, *vt quæ emendanda essent, nostri consilio emendarentur, vnanimiter accederent. Contra huiusmodi institutionis auctoritatem, hactenus nullum à* D. Papa *decretum, huic auctoritati contrarium recepimus. Videtur enim Nobis, vos contra Sanctorum Patrum definitiones, & venerandarum legum Sanctiones, agitare, & sacrorum Canonum præcepta violenter quassare: quia quod vestrum non est, nec etiam ad vos pertinet, in Nostræ* Legationis *catalogo, non iussus, non rogatus præsumitis vsurpare. Vnde ex parte B. Petri Apostolorum Principis, vobis interdicimus, vt absque Nostri consilio, nostráque iussione præcedente,* Generalem. Synodum, *nullo modo celebrare præsumatis. Episcopis denique & Abbatibus* Braccarensis *Ecclesiæ ditioni subditis, nostræ societati participare volentibus, ne vestræ intersint* Synodo *omnino prohibemus. Quia vestris in scriptis vos, & Ecclesiam vestram nos grauasse, & iniuriasse de* Salmanticensis *Episcopi consecratione nobis imponitis, nostra conscientia, vt in aliquo vobis iniuriam fecissemus, nequaquam accusat. Quod enim fecimus Romanorum Pontificum auctoritate, Domni scilicet* Vrbani, *&* Paschalis; *nec non* Gelasij, *& Domini* Calixti, *qui totius Orbis Christianitati modò præsides, egimus. Qui inter cætera priuilegio suo Nobis misso, & dato inseruit, sic affirmans:* Illarum etiam ciuitatum diœceses, quæ Sarracenis inuadentibus, Metropolitanos proprios perdiderunt, vestræ ditioni eo tenore subiicimus, vt quoad sine propriis extiterint Metropolitanis, tibi, vt proprio, subiaceant, & obediant. *Hac verò auctoritate fulti dictum Episcopum, quia nostræ potestatis erat, nullam vobis, nec Ecclesiæ vestræ iniuriam facientes, ad Pontificij honorem sublimauimus. Constat nimirum, vos multo maiorem Nobis iniuriam intulisse, qui dum nostrum vos fingebatis amicum, Nostræ Ecclesiæ dignitatem, & honorem totis viribus, clam, & furtiuè imminuere, & subripere, & si posse inesset, auferre operam dedistis. Vnde super etiam* Abulensem *Episcopum, iuri Ecclesiæ Nostræ deditum contra fas, & contra legem consecrastis, cuius electionem sortilegam, non canonicè à Clericis, imò ab ineruditissimis Laicis actam refutauimus, & canonicè quassauimus. Omnibus etiam patet, quantam in hoc sustinuimus iniuriam. Proinde vestræ suggerimus & suggerendo præcipimus strenuitati, vt de his omnibus Nobis satisfacturus, Dominica I. post Octauas Paschæ* Legionem *veniatis, & pro* Primatu *obedientiam, quam sacri Canones Metropolitanis* Primatibus *suis exhibere præcipiunt, Nobis exhibeatis. Si autem statuto die, ad Nos venire contempseritis, proculdubio sciatis Nos canonicam in vos extorquere sententiam. Vale.*

Verba Pontificis.

Primatus vitetur titulo.

His literis (inquit Compostellana Historia MS.) ampulosis, & arrogantia, atque garrulitate plenis, Dominus Compostellanus, à tramite veritatis non deuians, & iustitiæ, & rationis regulam solicitè obseruans, huiusmodi literis, humilibus, & rationabilibus, more probi, & sapientis Viri respondit:

INCIPIVNT LITERÆ COMPOSTELLANI ad Toletanum de Responsione interdictionis, & aliorum sibi ab illo obiectorum.

FRATRI *in Christo dilecto Domino* BERNARDO *Dei gratiâ* Toletanæ *Sedis Archiepiscopo, & S. R. E. Legato,* DIDACVS *diuino nutu* Compostellanæ *Sedis Archiepiscopus, & eiusdem S. R. E. Legatus, quæ agenda subtilius inspicere, & inspecta solicitius, & firmius obseruare.*

Literis vestræ prudentiæ diligenter inspectis; quanto inconstantiæ atque leuitatis vento vestri sensus maturitas agitetur, euidentissimè deprehendimus. Camerarius siquidem vester Domnus P.Cluniacensis Monachus, *quasdam Nobis ex vestra parte literas, quas adhuc habemus, nuper detulit. In quibus continebatur, quod quidquid ex vestra parte nobis promitteret, & adstrueret, pro certo haberemus. Ipse autem inter cætera, quæ coram* D.Regina, *& coram* D.Munione Villabriensi *Episcopo ex vestra parte Nobis nuntiauit, & promisit, duo præcipuè ipsis præsentibus affirmauit. Vos scilicet de* Salmantini *Episcopi consecratione minus canonica, iustè, & canonicè Nobis velle satisfacere, & ipsum* Salamantinum, *ad faciendam Nobis debitam professionem, vel dictantem, vel delegantem venturum esse. Cuius delegationis dulcedine, & etiam Domni* B. nepotis vestri, *qui cum Capellano D.Papæ in vestram curiam venerat precibus, sed maximè vestri amore persuasi, inducias ipsi consecrato de facta interdictione, vsque ad festum S.Stephani concessimus. Nunc autem alias longè ab illis literis diuersas, & omninò contrarias, à vestro Nuntio suscepimus. In quibus manifestè apparet, vos non solum malè actorum nondum pœnitere, verumetiam ipsa malè acta importunè velle defendere. Quod quantum sit vestræ persona, & dictu, & facto absurdum, & regulæ iustitiæ omninò contrarium, etiam minus eruditis, clarius luce manifestum est. Vnde super vestra prudentia, quæ & Nostram Legationem sumpto D.Papæ edicto, turbare totis nisibus contendit; & Nostræ Dignitatis iura vsurpare non desinit, non irrationabiliter demiramur: Cùm vos non solùm de collata Nobis Archiepiscopatus dignitate, verumetiam de Nostra* Legationis *confirmatione, per D.Papæ literas, dudùm Nobis delegatas, sæpenumero certi facti sitis. Miramur etiam, quâ fronte de* Auilensis *Episcopi consecratione, cuius Nos redarguitis, mutire audeatis; cùm & ipse Nostræ Ecclesiæ Suffraganeus sit, & ipsius electio à Nouem Episcopis, necnon à Romano Cardinale* Bernardo, *qui Ecclesiæ Romanæ Legatus ad vos venerat, canonicè discussa, canonica inuenta sit, & ab omnibus canonicè approbata. His præmissis, pauca vobis de Interdictione nostri Concilij, non ampulotè, nec irrationabiliter respondemus. Cùm Romanorum Pontificum* D.Vrbani, D.Paschalis, D.Calixti *priuilegijs, & auctoritatibus Nos, & Ecclesiam nostram ab omnium Prælatorum ditionibus, solius D.Papæ ditione excepta, absolutos, & omninò liberos esse constet; Nos neque vt* Primati, *neque vt* Legato, *neque vt* Archiepiscopo, *vobis obedituros esse, proculdubio noueritis. Ad hæc vestra memoriæ suggerimus, quod ad colloquium inter nos, & vos D.Regina mediatrice, apud* Legionem *determinato tempore, constitutum eramus ituri, & pacem, atque pristinam amicitiam, sapientum consilio nobiscum reformaturi; sed auditis literarum vestrarum ampullis, & falsis imposturis, nec vestrum colloquium adire, nec vobiscum vllam amicitiam reformare statuimus, nisi prius de* Salamantini *Episcopi consecratione, & de cæteris iniurijs, quæ patenter sunt nobis, satisfacere studueritis. Harum autem nugarum, & imposturarum culpam, non vobis, qui tantæ discretionis, & tantæ perspicacitatis antehac esse solebatis, sed vestris Consiliarijs, vestram grauitatem ad illicita per ambitionem, impellentibus, meritò imponimus. Præterea vestræ discretioni suggerimus, & BB. Apostolorum Petri, & Pauli auctoritate, necnon ex parte D.Calixti Papæ suggerendo præcipimus, ne nostram Legationem, aut Nostri Archiepiscopatus dignitatem conturbare, aut vsurpare amplius præsumatis.*

Diligentia Compostellani apud Papam. Eodem ferè tempore (inquit *MS.Historia Compostellana*) quod *D.Didac. Gelmirezius* supradictas literas ad *Toletanũ* direxit, Legatos suos Romã destinauit D.Papæ Calixto, super ipso Toletano conquesturus, quod suæ Dignitatis terminos in *Salmantini* consecratione, contra sacrorum Canonum decreta, vsurparet; & in subtractione *Colimbriensis*, & aliorum Episcoporum, atque Abbatum patenter, & manifestè iniuriasset. Cùm ergo *Dìdacus* ipse cautè sæpè suas res ageret, & *Calixtus*

lixtus Compostellanæ Ecclesiæ amore deuinctus, & illius Sedem totis nisibus extollere constituisset, facilè *Compostellani* querimoniæ series Pontificis animum, ad omnia *Compostellano* conferenda promouit, ita vt, & *Concilij* prosecutionem, & *Salmantini* consecrationem ratas, inaudito Toletani Præsulis voto, incunctanter habuerit. Hisce Pontificiis fauoribus suffultus *Compostellanus* ad vlteriora *Concily* progressus, illud ad finem perduxit, cuius tenorem suo loco dabimus. BERNARDVS verò Pontificis decretis patens, tanquam obedientiæ filius, amplius à negotio subsistens, suæ Ecclesiæ terminos perlustrabat.

PER idem tempus Vrraca Regina aduersus *Didacum* Compostellanum, ob aliqua castella S.E. Compostellanæ, ad se perperam pertinere dicens, exurgens, illum carceri retinens mancipatum, nec à custodia exire, etiam castellis acceptis, permittens, in omnium Præsulum Hispaniæ indignationem incidit. Quod vt agnouit *Calixtus* Pontifex, ad Nostrum direxit literas BERNARDVM, vt Reginam commoneat, quatenus *Compostellanum* à vinculis absoluat, & castella *S. Iacobo* sine intermissione restituat, vt ex literis huiusmodi clariùs innotescet. *Regina Vrraca Didacum Compostellanum carceri mancipat.*

CALIXTVS *Episcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabili Fratri* BERNARDO *Toletano Archiepiscopo, Apostolicæ Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Egregiæ memoriæ* Aldefonsi *Regis filiam* Vracam *Reginam, manus suas ad nonum, & pessimum facinus extendisse audiuimus, & vehementius contristati sumus. Significatum Nobis est siquidem, quòd charissimum fratrem nostrum* Didacum *Compostellanæ Ecclesiæ Archiepiscopum, & Nostrum etiam in quibusdam prouincys Legatum, dolo, & proditione quadam ceperit, eùmque Castella Ecclesiæ eum honoribus in illius dare potestatem coegerit; neque tamen sic, cum à captione dimiserit. Quod profectò piaculum nullatenus est à Dei Ecclesia tolerãdum. Nostis enim à Domino de Sacerdotibus dictum:* Qui vos spernit, me spernit. *Et*, qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. *Præsentibus ergo literis Fraternitati tuæ præcipimus, vt eandem Reginam, remota dilatione commoneas, quatenus prædictum Fratrem nostrum, liberum omnino dimittat; castella, & honores Ecclesiæ cum sua integritate restituat, & de tanta præsumptione, Deo, eiúsque Ecclesiæ satisfaciat. Quod nisi infra quadraginta dies, post commonitionem tuam adimpleuerit, Fraternitas tua connocatu alys Fratribus, & Coepiscopis in eam, & in fautores eius excommunicationis sententiam proferat, & in tota eius terra diuina omnia Officia, præter infantium baptisma, & morientium pœnitentias, interdicat; donec quod tam pessimè factum est, Ecclesiæ iudicio plenariè corrigatur. Dat. Melfiæ Non. Octobr.* *Pontificis litera ad Bernardum pro solutione Didaci.*

Huius occasione Diplomatis BERNARDVS, & sibi *Compostellani* amicitiam conciliauit, & Reginæ rigorem aduersus detentum in custodia *Didacum* emolliuit, ita vt in concordiam redactis *Vrracâ*, & Præsule, haudquaquam ad Pontificis præceptum opus fuerit deuenire cruentum. Et licèt qui Historiam Regum Hispaniæ, & præcipuè huius Reginæ texuêre, nihil de huius rei relatione loquantur, hoc in *MS. Historia Compostellana* perlegitur, vbi Pontificis diplomata ad Reginam, Hispanos Præsules, & ad ipsum Didacum referuntur. *Amicitia inter Bernardum, & Didacum conciliatur.*

CÆTERA quæ in Actis continentur circa ademptionem Mezquitæ Maioris, diximus *Tom. 1. die 24. Ianuary*, & circa Officium Gothicum expulsum, Romaníque introductionem nihil tam notum, ideò ad vlteriora progredimur.

TOLETVM. Vrbs celebris de qua diximus *supra Tom. 1. die I. fol. 13.* & *die XXIII. Ianuar. fol. 261.* & *die XXIII. Februar. fol. 232.* & hoc *I. Tom die VIII. Marty*, vbi & eius antiquitatem, nominis etymon, conditorem, Coloniæ titulum, & elogium scripsimus; nunc vt tantæ Vrbis magnitudinem veneremur, vestigiis Illustriss. Turiason. *in Primat. Tolet. 1. part. cap. 13. fol. 293.* inhærentes, asserere compellimur (apud illam primos eruditionis latices ebibi) hanc vrbem tantùm in Hispania *Flamines Primos*, qui ab Ethnicis *Archiflamines* dicebantur, habuisse, quod ex Inscriptione apud *Laminium* antiquam vrbem Hispaniæ inuentâ cognoscitur, sic: *Archiflaminis in Vrbe Toleto tantum inuenti.*

L. TERENTIVS. GN. POMP. F.P.P.
BASSINO. TOLETANO.
QVÆSTORI. Q.Q. ÆDILI. PRIMO
FLAMINI. PERPETVO
TOLETI.
ET TOT. HISP. QVOD. HIC. TERM.
ET VIAM. R. C.

Alia Inſcriptio cõfirmati. In huius *Toletani Archiflaminis* comprobationem, itidem refert aliam Inſcriptionem antiquam, quam ex *Cyriaco Anconitano* ſe deduxiſſe fatetur, eámque *Hiſpanam* fecit, quam Nos latinitate donatam damus:

GENIO SANCTO. IN. VRBE. POLLA.
M. AVREL. CL. POMPEIANVS.
P. FLAMEN. D. TOLETANVS. DD. AVGG.
MIL. LEG. VIII. ANTONIANÆ.
AVG. DESIGN. COS. SVFF. IDIB. IAN.
IMP. D.N. ANTON. IV. ET. BALB. II.
COSS.

Dubitatur de his Inſcriptionibus. Vbi litera D. poſt vocem FLAMEN, proculdubio de DIALI intelligenda eſt. Quod & ego dicerem, ſi hoc ſic ſcriptum in Inſcriptione inueniretur. Nam *Gruterus*, qui has Inſcriptiones collegit, hanc iſtam *Pompeiani* ſubiecit, *Pag. C. VIII. num.* 1. nec talis *Flaminis Toletani* apud illum inuenitur veſtigium: quo datur intelligi, aut quòd *Gruteri* diuerſa ab illa eſt *Cyriaci*, aut quòd illud gloſſema recepit Inſcriptio.

PRIDIE NON. APRIL.

DIES IV.

A. BARCINONE *in Hiſpania Tarraconenſi* S. VICTORIS *ipſius vrbis Epiſcopi, qui pro religione ſuſcepta, & gregis defenſione, à Gentilibus impetitus, & occiſus, ad æternam beatitudinem Martyr intrepidus properauit.*

B. HISPALI *in Betica*, S. ISIDORI *ipſius vrbis Epiſcopi, & Hiſpaniarum Doctoris, & Magiſtri; qui poſt Leandrum fratrem infulas induens, ad Catholicæ fidei reparationem in Gothis, animum ſcriptis applicuit egregijs; quibus ætatem patriæ, deſcriptiones temporum, ſacrorum iura, Sacerdotum munia, Reipublicæ diſciplinam, Rei familiaris œconomiam, Sedium, Regionum, & Locorum topographiam, omnium Diuinarum, Humanarúmque rerum nomina, genera, officia, & cauſas, Patrum obitus, illuſtrium Scriptorum exordia, limpidiſſimo eloquentiæ flumine aperuit. Acephalorum hæreſim, diuinarum Scripturarum iaculis, & Patrum teſtimonijs, ſtrenua libertate proſtrauit, vt Synodalia geſta,*

coram

coram eo Hispali acta, in quibus contra Gregorium prædicta hæresis Antesignanum, Catholicam asseruit veritatem, ex professo declarant. Tandem virtutibus plenus, miraculis clarus, & coronis redimitus æternam est Confessor celebris repromissionem adeptus.

C. *In Oppido* VILLA-SANDINO *Diœcesis Burgensis in Hispania, depositio sacrati Capitis* S. AMBROSII, *Episcopi Mediolanensis, & Vniuersalis Ecclesiæ Doctoris, quod publica veneratione colitur, & honorifica custodia seruatur.*

NOTÆ.

SANCTVS VICTOR Episcopus Martyr.] Nostri S. Pontificis memoria apud antiquos Martyrologiorum Scriptores sub silentio prætermissa, vix nobis de se, vt instituto pareamus, reliquit recommendationis vestigia. Sed, ô bone Deus? inter vetustatis nebulas, lucem etsi minutam, ne tanti Viri palæstra deperiret agonis, interposito veritatis sidere, demonstrauit. De eo Philipp. Ferrar. h. d. *in Cat. General. fol.* 138. hæc verba connectit: *Barcinone in Hispania* S. Victoris *Episcopi, & Martyris sub Claudio.* Item Ieronym. Paul. *in Catal. Episcop. Barcinon. n.* 1. licet confundat *Lucium*, & VICTOREM, eúmque contra *Arianos* perperam scripsisse subiiciat. Damian. Goësius *in sua Hispan.* Episcopologia *Sedis Barcinonensis MSS.* à *Michaële Pujades, Petro Carboncllio, Francisco Tarrafa*, & aliis. Separatim eius Acta scripsêre P.F. Anton. Vincent. Domenec *Histor. SS. Cathalon. lib.* 2. *fol.* 89. Ieronym. Pujad. *Hist. Cathalon. lib.* 4. *cap.* 11. *fol.* 155. P.F. Francisc. Diago *Hist. Comit. Barcinonens. lib.* 1. *cap.* 6. *fol.* 18. *col.* 3. licet duo hi posteriores *diem Natalis* Nostri S. Præsulis ad *XIV. huius Mensis* reiiciant; fortè typographi incuriâ: nam cùm ipsi ex *Vincentij Domenec* ecphrasi, Acta, & anamnesim excerpserint, & ille hoc die consignet agonem; proculdubio credendum est, aut ipsos deceptos, aut in prælo errorem irrepsisse. Acta ex omnium supradictorum relationibus, & melioribus coniectationibus exponemus, vt faciliori compendio, ad veritatis apicem attingamus.

A. — *Scriptores.* — *Error in die.*

ACTA S. VICTORIS BARCINONENSIS Episcopi, & Martyris; ex Domenec, & aliis.

VICTOR *cuius fuerit originis ignoratur; fuisse ab ipsa Ciuitate* Barcinonensi *oriundum, ipsius Acta facinorum persuadent. Nam cùm primum Præsulem vrbs opulenta cognouisset* Ætherium S. IACOBI *Discipulum apud* Chersonesum *iuxta* Valentiam, *Anno Christi* LX. *passum, cui successit in Sede* Theodosius, *post quem, vt noscitur,* VICTOR *inauguratus, proculdubio* Petri *Apostoli decreto haudquaquam* Barcinonem *suspicatur dimissus. Erat enim iam* Barcinonensis *Ecclesia duobus Præsulibus præeuntibus fidelium multiplicatione copiosa, & Sacerdotum numerositate pergrandis, ideo alienum quærere Pastorem, interuenientibus emeritis Sacerdotibus proprijs, creditu difficile, quis ignorat? Ergo, meâ sententiâ,* VICTOREM, *post* Theodosij *decessoris excursum, ad infulas tantæ Sedis, Cleri, & Populi suffragijs designatum aduenisse credemus; & idcirco non ex aduenis, sed ex accolis electum fateri compellimur, circumstantijs huiusmodi*

Origo. — *Barcinonensis Ecclesia augmentum.* — *Eligitur Episcopus.*

huiusmodi

iusmodi concurrentibus. Ad Præsulatus etenim apicem adscitus, Ecclesiam suam, gregémque dirigere, & ad pietatis perfectionem perducere, sic constituit, vt laniantium canum morsibus, contra Christi vnitatem insurgentium sese opponeret, & oues suas à rapacium luporum liberaret ingluuie.

Ebionitarum hæresis origo. *Excreuerat enim, eo tempore, Diabolo impulsore, hæresum nefanda dogmata, inter quæ, post* Ierosolymitanum *excidium,* Ebion *scelestissimus emersit impostor, cui adiunctus* Elxai Ossenorum *antiqui erroris facilè princeps, & adunatis cæteris eius farinæ nebulonibus, ex omnium accessione, vnum corpus componentes, omne turpitudinis, & impietatis prodigium superantes, ex pluribus portentis singulare sunt monstrum pertinaciter effigiati. Istorum quippe immanitatum compago, primùm Asiam, post infestauit Europam, dum* Ebion *Romam adiens tot errorum virus, in vrbis angulo temerarius euomit. Nec defuere qui hæresiarchæ pestiferam assequerentur doctrinam, quorum pars altera* Hispanias *frequentans,* *In Hispanias aduentant haretici.* *aut è* Gallia *dilapsa, aut è* Græcia *nauibus aduecta* Barcinonem, *horribilis epidemiæ cœpit seminare contagium.* VICTOR *super gregem Dominicum euigilabat assiduus, & auditis hæreticorum erroribus, primùm sermonibus, post scriptis, eorum insolentiam repressit,* *Contra illos scribit S. Episcopus.* *Christi veritatem extulit, & fidei consonantiam Scripturæ sacræ testimonijs, strenuâ libertate, monstrauit. Hæreticorum caterua delusa conspicitur, & cùm eorum proprium sit per omne nefas ruere, idcirco ex* VICTORIS *disputatione deuicti, tanta aduersus illum fuere verecundiâ, & furore constricti, vt Gentilium societate coniuncti, S. Præsulem è viuis subducere destinassent.* *Illi insidiantur hæretici.* *Huic sacrilego facinori tempus occasionem exegit, cuius instantia ne præterlaberetur errori,* VICTOREM *martyrio coronatum (postquam in munere aliquot annos peregisset Antistes Catholicus, & strenuus Christianæ Religionis defensor,) ad cœlestem patriam, Angelicis comitatum choris, infamis Gentilium, & Hæreticorum in vnum coadunata manus emisit,* *Coronatur.* *Pridie Non. Aprilis circa Annum Domini* C. X. *imperante* Trajano, *& Petri cathedram obtinente Anacleto.*

Hæc sunt Acta genuina, quæ apud *Gotholanos* Scriptores circumferuntur, cùm tantùm traditioni innitantur, facilè temporum intercapedine defluunt, & aliqua supponuntur, vel introducuntur, prorsus à veritate aliena, aut nebulonum commentis, aut piorum, illa magis consentanea iudicantium, credulitate. Ast quod ab auctoribus *Gotholanis* scriptum inuenimus, prorsus subsistere non valet, sequentibus rationibus liquidò probabimus.

Error in Anno agenis. *Probatur* I. PRIMO, asserunt *Victorem* decessorem habuisse *Theodosium*; quod probo. Sed *Theodosius* viuere desiit post Annum Christi *Centesimum*, vt probauimus supra *Tom.* I. *die* 27. *Ianuar. fol.*309. ergo perperam *Gotholanorum* traditioni deferemus dicenti, *Theodosium* occubuisse ad Annum Salutis X L. & VICTOREM eius successorem ad X L V I I.

II. SECVNDO, referunt occisum VICTOREM tempore *Claudij* Imperatoris, quod ab Historiæ veritate abhorret, nam si *Ætherius I. Barcinonensis* Episcopus in viuis erat tempore *Neronis*, quo pacto, Noster qui ab eo Secundus, & in ordine Tertius fuit Præsul illius vrbis, potuit tempora *Claudij* Barcinonensis peringere Antistes.

III. TERTIO, eadem dicenda sunt assertioni, de remissione *à S. Petro* facta, de VICTORE ad Præsulatum *Barcinonensem* Romã. Quia si *Theodosius* ab Anno Christi *Sexagesimo* ad *Centesimum*, illius Ecclesiæ infulas induit, & *Petrus* per martyrium Anno L X I X. sublatus est, haudquaquam remissioni locus erit, post mortem *Theodosij*.

Ebionitarum hæresis à quibus compacta. CIRCA *Ebionitarum* hæresim Baron. *Annal. Eccles. Tom.* I. *Ann.*74. *num.*6. plura coniunxit, ex Epiphan. *hæres.*19. & 30. & *n.*7. asserit, quòd in vnum coëuntibus Samaritis, Iudæis, Ossenis, Nazaræis, Cherinthianis, Carpocratianis, & aliis, quos *Ebion* simul iungens, vnum ex his corpus componens, omne turpitudinis, & impietatis prodigium superauit. Epiphan. *d. hær.*30. refert eum primò Asiam

Asiam perturbasse, post *Romam* concessisse. Hinc credi potest *Barcinonem* eorum aliquot discipulos aduenasse, qui S. Præsulem, ascitis Gentilibus martyrio coronarunt.

BARCINO. Illius etymon à BARCA Herculis NONA, ex numo *Alfonsi* Aragoniæ Regis supra hoc *Tom.* 2. *die* 27. *Martij*, *lit. A.* demonstrauimus. Nunc probabimus huius etymologiæ originem, non à BARCA-NONA, sed à BARCINONE Pœnorum Duce trahere, ex quo dicta BARCINO. Eruditissimus D.Anton. August. *Dialog.* 8. hæc asserit: *Quæ de* BARCA-NONA *fabulantur, ob vetustatem veráne sint, scire non possumus, Carthaginensium potius fuisse credam* Coloniam, *à simili* BARCINONIS *cognomento, Ducis Carthaginis, & quia* Punica BARCINO, *Ausonio est ad Paulinum.* Et *Dialog.* 9. *in fin.* aliquas inscriptiones refert, quibus PERMITTENTE ORDINE BARCINONENSIVM, inuenitur. Hinc colligit ex vera Romanæ eruditionis orthographiâ, BARCINONEM potius quam BARCA-NONAM scribendum esse. *An Barca-Nona, an Barcinona dicenda?* *D. Antonij Augustini sententia.*

S. ISIDORVS Episcopus, & Doctor Hispaniæ.] Magnus ille Præsul Vrbis Romulæ, Orbis Hispanici Doctor, & Catholicæ fidei Magister sese nobis offert, in quo natura omnem vicit pingendi artem, nam in labellis, & genis rosas, lilia in ceruicibus expressit, quibus accurrentes apes, vt mella componerent, fecerunt, ne sola Græcia de suo Nestore iactaret, quòd ex eius ore melle dulcior manaret oratio; nec soli Romæ suus videretur Cethegus, medulla Suadæ, flos illibatus populi; nec vnum Mediolanum suum demiraretur Ambrosium, cuius eloquia super mel omnium ori. Apem se ostendit *Isidorus*, ab apum examine dulcoratus in cunis, ita vt aculeo grandæuus insectaretur Religionis fucos; hæresum fumos, & tyrannidum Summos. Eius memoriam obliuio perhorruit, ne tantopondere præpedita, eius natura ab aliis distraheretur facinoribus. Hinc apud omnes Martyrologiorum Scriptores seruata commemoratio est, prout ex *Vsuard. Galesin. Bellin. Maurolyc. Peregrin. Constantio Fellic.* & aliis, à quibus *Martyrolog. Rom.* h. d. *Castellanum* P. Vasq. *Lusitanum* S. I. *Hispanum* MS. P. Higuera, *Monasticum*, VVionis, & Hugonis Menardi, & *Capuanum* Monachi, elicere licet. Hispaniæ peruetusta Breuiaria ferè omnia, inter quæ apud me *Hispalense*, *Toletanum*, *Placentinum*, *Segobrense*, *Salmanticense*, *Zamorense*, *Seguntinum*, *Abulense*, *Compostellanum*, *Cordubense*, *Illiberitanum*, *Burgense*, *Palentinum*, *Pampilonense*, *Cæsaraugustanum*, *Asturicense* MS. *Turiasonense*, *Dominicanum*, *Benedictinum*, & alia plura, in quorum aliquorum Officiis isti Hymni. *Martyrologia.* *Breuiaria.*

AD VESPERAS
HYMNVS.

Congaudeat Ecclesia
Et Præsulis solemnia,
Confessoris ISIDORI
Honore colat celebri.
Qui velut Solis radius,
Demptis prorsus hæresibus,
Et deuotus martyrio,
Dogmate fulsit vario.
Hispaniarum populis,
Diuinæ legis regulis,
Et Romanorum moribus
Inuigilabat sedulus.

In

In Clericorum commodis,
Et pauperum ſubſidijs,
Legum lator clariſſimus
Hic inhærebat arctius.

AD LAVDES

HYMNVS.

Magne Doctor Isidore,
Nos de hoc diro carcere,
Fac Poli reddi ſolio,
Placato Dei Filio.
Per te Confeſſor inclyte,
Ouans chorus Eccleſiæ,
Et caterua fidelium
Conlaudat Chriſtum Dominum.
Ieſu-Chriſte Rex gloriæ
Vota ſeruorum ſuſcipe,
Huius Doctoris precibus,
Nobis faue propitius.
Da peccatorum veniam,
Præſta Sanctorum gloriam,
Vt tanti Patris meritis
Cæli fruamur gaudijs.

Scriptores Sanctorum. Poſt *Breuiaria* ex Scriptoribus Sanctorum veniunt Petr. de Natal. *in Catal. SS. lib.*4. *cap.*30. Petr. Cabilon. *in Topograph. SS.* verb. *Hiſpalis.* Philipp. Ferrar. *in Topograph. Sacr. eod.* verb. *fol.*61. *col.*2. Truxill. *in Theſaur. Concionat.* 2. *part. fol.*824. Mariet. Hiſtor. *SS. Hiſp. lib.*5. *cap.*23. Sur. *tom.*2. vbi *P. Brouuer. Ribadeneyra, Villeg. Sanctorus, Millan, Lucius, Cayraſco, Vega*, & alij *Flor. SS.* Scriptores. *Scriptores Eccleſiaſtici.* Ex Scriptoribus Eccleſiaſticis S. Ildephonſ. *cap.*9. Honor. Auguſtodun. *lib.*3. *cap.*40. Sixtus Senenſis, *Trithemius, Bellarminus*, & *Poſſeuinus*. *Chronologi.* Ex Chronologis Iſidor. Pacenſ. *in Chron. Er.*650. S. Marc. Maxim. *Ann.*562. Luitprand. *Ann.*610. Iulian. *in Chron. num.*16. & *num.*378. Gualter. *Chron. Ann.*610. Luc. Tudenſ. *in Chron. Era* 640. Sigebert. Gemblac. *Ioan. Vaſſ.* & *Philipp. Bergomenſ.* cum cæteris recentioribus. Ex Hiſtoricis Franciſc. Tarraf. *in Siſebuto.* Marin. Sicul. *lib.*5. *de Reb. Hiſp.* Ambroſ. Moral. *lib.*12. *cap.*2. P. Marian. *lib.*6. *cap.*7. Baron. *Ann.*614. 619. 636. *Hiſtorici.* Omnéſque Hiſtoriographi qui de *Rebus Hiſpaniæ* ſcripsêre ſeparatim, aut de Vrbibus ſingulariter, veluti *Morgado, Eſpinoſa*, & *Caro* de *Hiſpali, Alcozer, Piſa*, & *Caſtejon* de *Toleto, Beuter, Scolano*, & *Diágo* de *Valencia*, Caſcales de *Murcia*, Lobera de *Legione*, Vargas de *Emerita*, Roa de *Malaca*, Rus-Puerta *de Giennio*, & alij innumeri quorum catalogum prolixum, & ſcribenti, & legentibus. *Qui eius vitam ſeparatim ſcripſere.* Eius acta concinnauêre *Sanct. Braulio, Redemptus* eius Diſcipulus, *Ioannes de Robles* Canonicus Regularis Salmanticenſis, quæ publica fecit *Ann.*1525. Anton. Nebriſſenſis edita *Ann.*1528. Sandoual. *in Regula S. Leandr.* & Roderic. Yepes *in Vit. S. Florentin.* denique P. Anton. Quintana-Dueñ. *Hiſtor. SS. Hiſpalenſ. fol.* 247. Ex quibus omnibus, & aliis, ſuis in locis referendis hoc Actorvm Symbolum connectemus.

ACTA

ACTA S. ISIDORI, HISPALENSIS Episcopi, & Hispaniæ Doctoris; ex Varijs.

Origo, & Parentes.

ISIDORVS illustrissimo satus sanguine, Patrem habuit Seuerianum, & Theodoram Matrem, Carthaginensis Prouinciæ in Hispania Dynastas, qui cùm pro fide apud Hispalim existerent relegati, ISIDORVM vltimam à Deo prolem feliciter acceperunt. Quibus è viuis sublatis ISIDORVS adhuc infans sub fratrum Leandri, & Florentinæ educatione remansit. Hæc infantuli spiritum deprehendens, & in eo supra naturam specimen perscrutata, nam aliquando, ISIDORVM è cuna erectum super aeris diafaneitatem euolare, aliquando monstra deformia manibus extinguere, videns, omnem curam, præsaga futuri, in eius educatione præposuit. Indicium eius sapientiæ fuit apum examen, in cunis circum os volitans Infantis, vt Florentina soror eius, quæ suis id spectaculum oculis vsurpauit, recensuit. Nec incredibile videtur, cum simile quid de SS. Ambrosio Mediolanensi Archiepiscopo, & Nostro Dominico Ordinis Prædicatorum Fundatore referatur, in quibus omnibus examen apum, singularis fuit ipsorum eloquentiæ prognosticon.

Educatur à Leandro & Florentina.

Apum examen ad eius os confluens.

Studijs applicatur.

SIMVL ac infantia cunis excessit, sèque nucibus, bullâque pueritiæ abdicauit, mox à Leandro literarum studijs est admotus. In his quamuis & volens, & libens omnis esset, totóque pectore ad ponenda bonarum literarum rudimenta incumberet, tamen vt esse exordia scientiarum solent difficilia, maximam sensit in his addiscendis repugnantiam. Quamobrem discendi desperatione, ob ingenij tarditatem, supremum literis Vale dicere decreuit. Ista cùm versaret in animo consilia, putealis fortè marmoris adspectu, qui funis vsu, attritúque erat excauatus, monitus quantæ vires diuturnæ consuetudinis essent, vincique posse naturam arte, constantia, & labore, pedem retulit, & seriò ad scientias condicendas incubuit. In his porrò tantum improbo labore profecit, vt nec in diuinis, nec humanis literis, imo nec in idiomatis Latino, Græco, Hebræo (quæ ille probissimè callebat, vt vel è multis doctissimis eius libris, super rara, variáque materia scriptis, quibus luculentum, & ingenij, & sapientiæ suæ specimen dedit, & Catholicam Ecclesiam illustrauit) non habuerit æuo suo, vel parem, vel supparem.

Ab studijs recedere decreuit.

Literas prosequitur, eiúsque profectus.

IN Cœnobio Hispalensi, vbi germanus Leander primùm fuerat Abbas, cucullum induisse dicitur, quo tanquam perfectionis speculum, & eruditionis oraculum splenduisse dignoscitur, maximè eo tempore quo SS. Leandro, & Fulgentio fratribus à Leouigildo Rege Ariano, in exilium actis, ipse sese hæreticis fortiter opposuit, quibuscum adeò feruidè disputauit, adeò sapienter refellit, adeò eloquenter potentérque conuicit, vt cùm argumentis ab eo propositis respondere nequirent, eum morti destinarent. Alexandrino nimirum modo Gordios soluere nodos conati sunt, eo quòd ægerrimè ferrent, à iuuenculo, qualis tunc Isidorus erat, sese superari. Et haud dubium crudele facinus perpetrassent, atque innocuo mucrones sanguine satiassent, nisi Deus illud perficere vetuisset. Is enim ad maiora seruauit ISIDORVM. Cui multum contulit Leandri fratris, vel industria, vel prudentia, qui (iam enim ab exilio redierat) illum tunc iuuenem in disputando aduersus Arianos præferuidum frænauit, vtque ab hostium insidijs tutum præstaret, intra conclaue, sublata prorsus vagandi potestate, continuit. Ex hac custodia & si à Reccaredo nepote sæpe sæpius Leander impeteretur, non ante liberatus fuit, quàm fratre defuncto, à Rege successor ei est subrogatus. Hic enim cùm desideraret Episcopatum Catholico aliquo Doctore aduersus hæreses communire, ISIDORVM designauit.

Fit Monachus.

Contra hæreticos congressus.

Illum morti tradere curant.

A Leandro in cellula custoditur.

Cognita per Gregorium Vniuersalis Ecclesiæ Præsulem electione, illam non solum probauit, sed illi pallium, & Sedis Apostolicæ per Hispanias Legati literas dimisit.

Episcopus Hispalensis eligitur.

SIMVL sacrâ redimitus mitra suo cœpit officio fungi, incredibile memo-

ratu eſt, quantas omnigenæ virtutis faces protulerit. Erat eius prorſus admiranda ſubmiſſio, charitas, benignitas, comitas, modeſtia, patientia, & manſuetudo. Erat aduerſus pauperes liberaliſſimus, comis erga diuites, fortis aduerſus impios proceres; pijſſimus in templo; in prauorum reformatione morum peruigil; in conſeruanda Eccleſiaſtica diſciplina conſtans; omnibus blandus, durus ſoli ſibi, rigidúſque cenſor. Cæterum cum probè ISIDORVS Noſter omnis Reipublicæ bene conſtitutæ fundamentum niti iuuentute bonis literis, & moribus imbuta; intelligerétque inanem omnem eſſe curam, niſi à primis annis ceræ inſtar, ad omnem pietatis partem pueri formarentur, Collegia aliquot Hiſpali conſtituit, non ſolum ſuæ diœceſeos, ſed & aliarum iuuentibus, virtute, ſapientiáque imbuendis. Huc ergo frequens omninò iuuentus confluxit, quam ſuis ille claſſibus diſtribuit, pulcherrimiſque monitis inſtruxit, & quid quiſque diſceret, præſcripſit. Habebat, & ipſe S. Præſul ſuas docendi vices, quibus quaſi Gymnaſiarcha ſublimiora quæque myſteria explicabat. Vnde tanquam ex Arce ſapientiæ, & velut ex equo Troiano plurimi prodiere virtutibus, doctrináque inſignes, inter quos Ildephonſus, & Braulius, cenſi.

Eius mores.

Collegia inſtituit.

POST hæc ISIDORVS Romam vſque peregrinatus dicitur à S. Gregorio Papa euocatus, magnis Romanæ Curiæ, & Vrbis plauſibus exceptus, vbi poſtquam negotiorum pondera ſoluit, & à Pontifice dimitteretur, in Hiſpaniam redux, fœmina in eius Hiſpalim ingreſſu ob populi frequentiam, & turbarum compreſſionem ſuffocata, ſpiritum reddidit, & Prouinciam nimia ſiccitate arentem, pluuiarúmque ſitientem ſuis precibus irrigauit. Succeſſerat VViterico Gundemarus in Regno Gothorum, qui IV. Toletanum Concilium indicere curarat, cui præfuit ISIDORVS, & Hiſpalenſi II. in quibus grauiſſima ſemper fuit eius auctoritas in confirmandis Catholicæ fidei dogmatibus, eruncandis hæreſeon plantarijs, reformandiſque Catholicorum moribus. Cæterum in Hiſpalenſi Synodo Gregorium quendam Syrum Epiſcopum, Acephalorum errore corruptum, & ab hæreſi conuicit, & ad fidem conuertit. Cuius & aliorum huius fidei Catholicæ dogma recipientium inuidia obcæcati cæterorum hæreticorum cætus Arianorum, ISIDORVM inſidiis quærunt, & comprehenſum Cæſario, ab Heraclio Imperatore populos Imperio in Hiſpania ſubiectos, moderanti, tradunt, qui Malacam S. Præſulem relegant, in eius Sede Gordianum ſubſtituunt. Quo impio facinore per Siſebutum tunc Gothorum Regem Catholicum audito, & S. Virum ad propria reſtituit, & iniquitatis auctores ſeuerè puniuit.

Romam pergit.

Miracula in reditu.

Concilijs præfuit.

Exulat.

ALTERI Concilio præfuit Toletano, quo Conciliorum ordo, & Regum Gothorum electio inpoſterum obſeruanda ſtatuta fuit, Monachis Regulas, & Diuino Officio formulam edixêre Patres. Quorum Canonum ISIDORVS normam ſuis fidelibus præſcribere conſtituens, Monachorum regulam, cuius rigorem temperauit, ſcripſit, vt accuratius obſeruaretur. Compoſuit & reformauit Eccleſiaſticum Miſſæ officium, ſicut alias preces à Clericis dici ſolitas, quo ſcilicet per omnem Hiſpaniam eadem precandi methodus ſeruaretur, quam omnes Eccleſiaſtici Præſules, & Cœnobiorum Abbates totis niſibus acceperunt. Breuiarium etiam, & Miſſale concinnauit, quod ab eo nomen obtinuit, dictúmque primum, Officium Iſidorianum, poſt Toletanum, & adhuc Muzarabe; Quo vtuntur in Eccleſia Toletana ſacello ab Eminentiſſimo D. D. F. Franciſco Ximenez de Ciſneros S. R. E. Cardinali, Archiepiſcopo Toletano, & in ſupremo S. Inquiſitionis conſilio Præſide, conſtructo, Duodecim Capellani, à Capitulo Toletano nominandi.

Inſtituta in Concilio Toletano.

Breuiarium Iſidorianũ.

S. ISIDORI Opuſcula, ex commemoratione S. Braulij Epiſc. Cæſarauguſtani.

ISIDORVS floruit tempore Mauritij Imperatoris, & Reccaredi Regis, in quodam ſibi antiquitas vindicauit, imò noſtrum tempus antiquitatis in

eo scientiam imaginauit. Vir in omni locutionis genere formatus, vt imperito, doctóque secundùm qualitatem sermonis existeret aptus, congrua verò opportunitate loci, incomparabili eloquentia clarus. Iam verò quantus sapientiâ fuerit, ex eius diuersis studijs, & elaboratis Opusculis *perfacilè prudens Lector intelligere poterit. Denique de his quæ ad notitiam nostram venerunt, ista commemoraui. Edidit* Libros Differentiarum II. *in quibus subtili discretione, ea quæ confusè vsu proferuntur, sensu discreuit.* Proœmiorum Lib. I. *in quo quid, quisque liber sancta contineat Scripturæ, breui subnotatione distinxit.* De Ortu, & Obitu Patrum Lib. I. *in quo eorum gestu, dignitatem, & mortem eorum, atque sepulturam sententiali breuitate subnotauit. Ad germanum suum* Fulgentium *Episcopum Astigitanum*, Officiorum Lib. II. *in quibus originem Officiorum, cur vnumquodque in Ecclesia Dei agatur, interprete stylo, non sine Maiorum auctoritate elicuit.* Synonymorum Lib. II. *quibus ad consolationem animæ, & ad spem percipiendæ veniæ, intercedente rationis exhortatione erexit.* De Natura Rerum ad Sisebutum Regem Lib. I. *in quo tàm de Ecclesiasticorum Doctorum, quàm etiam Philosophorum indagine, obscura quædam de elementis absoluit.* De Numeris Lib. I. *in quo Arithmeticam propter numeros Ecclesiasticis Scripturis insertos, ex parte tetigit disciplinam.* De Nominibus Legis, & Euangeliorum Lib. I. *in quo ostendit, quid memoratæ personæ mysterialiter significent.* De Hæresibus Lib. I. *in quo Maiorum secutus exempla, breuitate quâ potuit, diffusa collegit.* Sententiarum Lib. III. *quos floribus, ex libris Gregorij Papæ Moralibus, decorauit.* Chronicorum *à principio Mundi, vsque ad tempus suum* Lib. I. *nimia breuitate collectum.* Contra Iudæos, *postulante* Florentinâ *germanâ proposito Virgine*, Lib. II. *in quibus omnia quæ fides Catholica credit, ex Legis, & Prophetarum testimonijs approbauit.* De Viris Illustribus Lib. I. *cui Nos ista subiunximus.* Monasticæ Regulæ Lib. I. *quem pro patria vsu, & inualidorum animis decentissimè temperauit.* De Origine Gothorum, *& Regno* Suæuorum, *ac etiam* VVandalorum *Historia*, Lib. I. Quæstionum Lib. II. *quos qui legit, Veterum tractatorum multam supellectilem recognoscet.* Etymologiarum *codicem, nimia magnitudine distinctum, ab eo titulis, non libris; qui rogatu meo fecit, quamuis imperfectum ipse reliquerit; ego in* XX. Lib. *diuisi. Quod opus omnimodo Philosophiæ conueniens, quisquis crebra meditatione perlegerit, non ignotus Diuinarum, Humanarumque Rerum scientiâ meritò erit. Ibi redundans diuersarum artium elegantia, ibi quæcunque ferè sciri debent restricta collegit. Sunt & alia eius Viri multa* Opuscula, *& in Ecclesia Dei multo cum ornamento inscripta, quem Deus post tot defectus* Hispaniæ, *nouissimis temporibus suscitans, credo ad restauranda antiquorum monumenta, ne vsquequaque rusticitate veterasceremus, quasi quandam posuit distinam: cui non immeritò illud Philosophicum à nobis aptatur:* Nos (*inquit*) in nostra vrbe peregrinantes, errantésque tanquam hospites, Tui Libri quasi domum reduxerunt, vt possimus aliquando, qui, & vbi essemus, agnoscere. *Tu ætatem patriæ, tu descriptiones temporum, tu sacra iura, tu Sacerdotum, tu domesticam, publicámque disciplinam, tu Sedium, Regionum, Locorum, tu omnium Diuinarum, Humanarúmque rerum nomina, genera, officia, & causas aperuisti. Quo verò flumine eloquentiæ, & quot iaculis diuinarum Scripturarum, seu Patrum testimonijs Acephalitarum hæresim confoderit, Synodalia gesta coram eo Hispali acta declarant. In qua contra* Gregorium *præfatæ hæresis Antistitem, eam asseruit veritatem.*

Post *suprà à* S. Braulio *Libros relatos, etiam* S. Isidoro *Nostro Hispalensi nuncupantur sequentes, quorum compago in vnum collecta, iam edita circumfertur.* De Mundi contemptu *Lib. I.* De Forma bene viuendi, *Lib. I.* Exhortatio ad pœnitentiam prosâ, & versu *Lib. I.* Commentaria super Genesim, Exodum, Leuiticum, Numeros, Deuteronomium, Iosuam, Iudices, Reges, Esdram, & Cantica. De Natiuitate Christi

Differentiarum Lib. II.
Proemiorum Lib. I.
De Obitu Patrum Lib. I.
Officiorum Lib. II.
Synonymorum Lib. II.
De Natura Rerum Lib. I.
De Numeris Lib. I.
De Nominibus Lib. I.
De Heresibus Lib. I.
Sententiarum Lib. III.
Chronicorum Lib. I.
Contra Iudæos Lib. II.
De Viris Illustr. Lib. I.
Regula Monach. Lib. I.
De Origine Gothor. Lib. I.
Quæstionum Lib. II.
Etymologiarum Lib. XX.
Elogium S. Braulionis.
De Mundi contemptu Lib. I.
De Forma viuendi Lib. I.
Exhortatio ad pœnitentiam Lib. I.
Commentaria in sacram Scripturam.

De Natiuitate Chriſti Lib. I. De Vocatione Gentium Lib. I. De Virtutibus, & vitijs Lib. I.

Chriſti *Lib. I.* De Vocatione Gentium *Lib. I.* De Vitiis, & Virtutibus *Lib. I.* Epiſtolarum *Lib. I. Alia deſiderantur, videlicet:* Commentaria *quæ ſcripſit in cæteros Libros Veteris, & Noui Teſtamenti.* Expoſitio Sacramentorum ſecretiorum. De Sanctiſſima Trinitate. De Dogmatibus Eccleſiaſticis. De Aſtronomia. De Coſmographia. De Corpore, Sanguinéque D. N. IESV Chriſti. Liber Canonum. Forma celebrandi Concilia. Item Liber Tituli Bibliothecæ, *quem hic damus ex MS.*

De Titulis Bibliothecæ. Ex MS. Codice.

INCIPIT TITVLVS BIBLIOTHECÆ
à D. Iſidoro editus.

Per multos libros geſtant hæc ſcrinia noſtra.
Qui cupis hæc lege, ſi tua vota libent.
Tolle hic ſegnitiem, depone faſtidia mentis.
Crede mihi frater, doctior inde redis.
An dices fortè: Quid iam mihi iſta neceſſe eſt?
Quod mediter ſtudij nil ſupereſſe mihi.
Explicui Hiſtorias, & percurri omnia legis
Verba. Hæc ſi dicis; iam nihil ipſe ſapis.

Item alius Titulus.

Sunt hic plura ſacra, ſunt & mundalia plura:
Ex his quæ placent carmina tolle, lege.
Prata vide plena ſpinis, & copia floris:
Si non vis ſpinas ſumere, ſume roſas.

In Hieronymum.

Hieronyme *Interpres, varijs doctiſſime linguis,*
Te Bethleem celebrat, te totus concinit Orbis:
Te quoque noſtra promet tuis Bibliotheca Libris.

In Auguſtinum.

Mentitur, Auguſtine, *qui te totum legiſſe fatetur,*
Aut qui cuncta tua Lector habere poteſt.
Namque voluminibus mille Auguſtine *refulges:*
Teſtantur Libri, quod loquor ipſe, tui.
Quamuis multorum placeat prudentia Libris,
Si Auguſtinus *adeſt, ſufficit ipſe tibi.*

In Hilarium.

Gallia me genitum, me Pictauis ore tonanti
Doctorem Hilarium *miſit alumna ſuum.*

In Ambroſium.

Ambroſius *Doctor, ſigniſque inſignis, & Hymnis*
Enitet hic titulis, enitet eloquijs.

In Cyprianum.

Clarior eloquio cunctis Cypriane *refulges*
Tu modò Doctor eras: Tu modò Martyr & es.

In

In Ioannem Chrysostomum.

Nomine Ioannes Chrysostomus *inde vocatus,*
Quod notum promit aurea lingua melos.
Constantinopolis, me Præceptore refulget:
Et celebror libris Doctor vbique meis.
Composui mores, Virtutum præmia dixi:
Et docui miseros crimina flere reos.

In Gregorium.

Quantum Augustino *pollet te* Hyppona *Magistro:*
Tantum Roma *suo Præsule* Gregorio.

In Leandrum.

Non satis antiquis Doctoribus impar haberis,
Leander *vates, hoc tua scripta docent.*

In Origenem.

Ille ego Origenes *Doctor verissimus olim,*
Quem primum fidei Græcia clara dedit.
Celsius eram meritis, & clarus copia fandi
Præreptus subito, lingua nocente fui.
Condere, si credes, studium tot millia Librûm
Quot Legio nostros ducit in arma viros.
Nulla meos vnquam tetigit blasphemia sensus;
Sed vigil & prudens totus ab hoste fui.
Sola mihi casum Periarchon *dicta dederunt,*
His me congestum tela proterua premunt.

Item Titulus Pigmentarij.

Decastichon.

Quicquid Arabs aris, quidquid fert Indus odoris,
Quidquid Idumæi peruehit vnda maris,
Cynamomum, myrrham, folium, Casiámque nitentem
Balsama, thus, calamum, Choriciúmque crocum,
Hæc possunt magnorum pigmentaria Regum
Et domus immensis proflua diuitijs.
Nos vilis fruimur pratorum germinis herbis,
Quas humiles valles, celsáque iuga ferunt.
Ergo Pieridum montes nunc rura valete
Nam multis curis munera vestra placent.

Item Titulus Scriptorij ad Librarium.

Qui calamo certare cupit cum mortua pelle,
Si placet, hic veniat, hic sua bella gerat.
Qui vagus hic fuerit mediâ Librarius horâ,
Eius tunc terga tria flagella premant.

Non patitur quemquam coram ſe Scriba loquentem.
Non eſt hic quod agas, Garrule, perge foras.

Alia innumera ſcripſit tam carmine, quàm ſolutâ oratione Beatiſſimus Præſul, quæ nondum ad noſtram peruenere notitiam; tempus quod publica abſcondit, & occulta manifeſtat, Dei miſeratione, Orbem tantis ditabit continuò theſauris.

De Obitu S. ISIDORI Hiſpalenſis Epiſcopi à Redempto Presbytero, recenſito.

VISVM *eſt mihi, vt tuæ Sanctitati breuiter exponerem, qualiter bonæ recordationis Dominus meus* ISIDORVS *Hiſpalenſis Eccleſiæ Metropolitanus Epiſcopus pœnitentiam acceperit, ſuámque confeſſionem erga Dominum, vel homines habuerit; vel quo modo de hoc ſeculo ad cœlum migrauerit, fideli prænotationis meæ ſtylo, tuæ dilectioni noteſcere. Quæ res me primùm compulit pro hac ſollicitudine, quam ex amore in eum offertus veſtræ charitati agere. Deinde quia omnia ſupprimere nequeo, quod de eo pauca de multis colligere potui, te orante dicere cogor.*

Mortem ſuam præſciuit.

Dum finem ſuum, neſcio quâ ſorte, iam proſpiceret, & fatigatum corpus ægritudine aſſidua, ſubtiliter anima naturâ præuideret, tantam eleemoſynam quotidianis diebus, per ſex penè Menſes, ſeu amplius, plus quam erat ſolitus pauperibus erogauit, vt Oriente Sole vſque in veſperum, multis illis in accipiendam maneret ſubſtantiam. Poſt hæc vulnere percuſſus eſt, ita vt, dum febris in corpore conualeſceret, & cibum reijceret debilitatus ſtomachus, ad pœnitentiam conualeret; atque ſuos Coëpiſcopos Ioannem *ſcilicet, &* Aparcium *mox adeſſe faceret præſentes.*

In Eccleſiã S. Vincentij defertur.

Et dum à cellula ſua ad Baſilicam S. Vincentij Martyris *adduceretur, cuncta agmina pauperum, Clericorum, Religioſorum omnium, cunctarúmque huius Ciuitatis plebium eum vocibus, & magno vlulatu eum ſuſceperunt: vt ſi ferreum poſſideret quiſquam pectus, ſolueretur mox in lachrymas, & in lamentum totus. Et dum in prædicti* Martyris *Baſilica, iuxta Altaris cancellum, in medio poneretur choro, mulierum turbas longiùs ſtare præcepit: vt in accipiendo ipſe pœnitentiam, virorum tantum, non illarum, circa eum cerneretur præſentia.*

Pœnitentiã accipit.

Et dum à prædictis Sacerdotibus, ab vno cilicium, ab altero ſuper ſe mitti expoſceret cinerem, expandens manus ad cœlum, ita exorſus eſt, dicens: Tu Deus, qui noſti corda hominum, & Publicano longè poſito, dum pectus percuteret ſuum, dimitti peccata dignatus es: qui Lazarum dormientem de monumento, poſt reſolutionem carnis die quarta dignatus es reſuſcitare, & vt Abrahæ Patriarchæ ſinus eum reciperet, voluiſti;

Eius Oratio, ſiue Confeſſio.

ſuſcipe in hac hora confeſſionem meam; & peccata quæ innumerabiliter contraxi, ab oculis differ tuis: non reminiſcaris mala mea, & iuuentutis delicta ne memineris. Tu Domine non poſuiſti pœnitentiam iuſtis, qui non peccauerunt tibi: ſed mihi peccatori, qui peccaui ſuper numerum arenæ maris. Non inueniat in me antiquus hoſtis quod puniat. Tu ſcis, quia poſtquam infelix ad onus iſtud, potius quam ad honorem, in hanc ſanctam Eccleſiam indignè perueni, peccare nunquam finiui, ſed, vt iniquè agerem, laboraui. Et quia tu dixiſti: In quacumque hora peccator à viis ſuis reuerterit, omnes iniquitates ſuas traderes obliuioni,

Ezech. 18.

huius præcepti memor ſum tui. Clamo vtique cum ſpe, & fiducia ad te, cuius cœlos aſpicere non ſum dignus præ multitudine peccatorum, quæ conuerſantur in me. Adeſto, & ſuſcipe orationem meam, & mihi peccatori dona veniam poſtulatam. Quod ſi cœli non ſunt mundi in conſpectu tuo, quanto magis ego homo, qui bibi, quaſi aquas, iniquitatem, & ſumpſi vt coloſtra, peccatum?

His

His *igitur consummatis, corpus, & sanguinem Domini cum profundo gemitu cordis; indignum se iudicans, ab ipsis suscepit Pontificibus. Deinde eorumdem Sacerdotum, & quicumque de clero erant, Ciuium, cunctarumque plebium veniam precabatur, dicens: Deprecor* vos Sanctissimi Domini mei Sacerdotes, sanctámque congregationem Clericorum, & Populi, vt pro me infelici, & pleno omni sorde peccati, ad Dominum vestra porrigatur oratio, vt qui meo merito, Dei non sum dignus impetrare clementiam, intercessu vestro merear consequi meorum veniam delictorum. Dimittite mihi, obsecro, indigno, quod in vnumquemque vestrûm commisi: si quem contempsi odio, si quem reieci impiè charitatis consortio, si quem maculaui consilio, si quem læsi irascendo; dimittite nunc petenti, imò & pœnitenti. *Et dum vna voce omnes pro eo indulgentiam postulassent, & vnicuique debiti sui vincula, vel chirographa condonassent, circunstantes iterum admonuit dicens:* Sanctissimi Domini mei Episcopi, & omnes qui adsunt, rogo, & obsecro, vt charitatem inuicem exhibeatis, non reddentes malum pro malo, nec velitis esse susurrones in populo. Non inueniat in vobis hostis antiquus, quod puniat; non reperiat à vobis relictum lupus rapax, quem auferat; sed potius ereptam ab ore lupi ouem, pastor suis humeris congaudens reportet ad hanc caulam. *Igitur post hanc confessionem, vel orationem, residuam egenis, & pauperibus mox dari iussit pecuniam. Cui tamen fideli sit dubium, vt non statim dimisso omni facinore associaretur societatibus Angelorum? Interea se ab omnibus osculari studuit, dicens:* Si ex toto corde dimiseritis ea, quæ in vos aduersa, vel praua, vsque hactenus intuli, dimittet vobis Creator omnipotens omnia delicta vestra: ita vt sacri fontis vnda, quam hodie deuotus est populus percepturus, sit vobis in remissionem peccatorum; & hoc osculum inter me, & vos maneat in testimonium futurorum. *Completis his omnibus, ad cellulam reductus est, & post diem Confessionis, vel pœnitentiæ* Quartum, *Pastoralem iugiter curam, & finem suum consummauit in pace, Amen.* Pridie Nonas Aprilis, *Luna* XIX. *Era* DC.¹LXXIV. *Illius sacrum Corpus debitum meruit sepulturæ honorem in Basilica SS. Virginum, & Martyrum Hispalensium* Iustæ, & Ruffinæ, *in quâ miraculis clarens honorificè asseruatum extitit, ad vsque Hispaniæ excidium, quo Catholici Gothi, ne sacra pignora in Agarenorum sacrilegas deuenirent manus, ad* Italicam *vrbem*, Hispali *proximam lachrymis ardentibus condidêre. Donec eius Translationem, ipso inspirante,* SS. Ordonius, & Aluitus *Episcopi, tempore subsequente, mirabiliter perfecêre. Ad eius sarcophagum* S. Ildephõsus *hoc posuisse sepulchrale Carmen longæua prodidit antiquitas.*

Populum monet.

Vniuersos ad virtuti dirigit.

Omnibus Vale dixit.

Moritur.

Sepelitur.

Carmen sepulchrale S. Ildephõsi.

Mens penetrat cœlos, hac Corpus dormit in vrna,
Dulce decus Gentis Dux ISIDORE *tuæ.*
Quæ tibi Discipulus sacrat, præsume Magister,
Qui fuit exilij pársque, coméſque tui.
Carmina sume libens, & quem tu viuus amasti,
Post tua securus fata, Magister, ama.
Ora pro nobis miseris clarissime Doctor,
O decus Hesperiæ, Religionis honor.
Da rogo te facilem, te desine, quæso, rogari,
Téque vocant populi, Discipulúsque vocat.
Quem variæ cingunt curæ, quem densa pericla.
Infestant, cœli fac statione frui.

Ex alio eiuſdem S. Ildephonſi *Carmine Sepulchrali dignoſcitur* S. ISIDORVM *fuiſſe ſepultum inter* S.Leandrum, *&* Florentinam *fratres, vt patet ex illo, ſic:*

Aliud eiuſdem.

CRVX *hæc alma gerit geminorum Corpora fratrum*
Leandrum, Iſidorum *pariterque ex ordine Vatum,*
Tertia Florentina *ſoror, deuota perennis;*
O quàm compoſitè concors hæc digna quieſcit,
ISIDORVS *medius diſiungit membra priorum.*
Hi quales fuerint, libris inquirito Lector:
Cognoſces & eos benè cuncta fuiſſe loquutos,
In quibus hic recubat Fulgentius: *inſpice Tres hos*
Spe certa, plenóſque fide, ſuper omnia charos,
Dogmatibus cernes horum creuiſſe fideles,
Ac reddi Domino, quos impia iura tenebant:
Atque viros credas ſublimes viuere ſemper,
Aſpicies puros; ſurſum contende videre.

Ergò poſt S. Præſulis occaſum, in magna habitus veneratione eius memoria fuit, vt innuit S.Ildephonſus, *& Patres Concilij VIII. Toletani fatentur, & quot eius res geſtas ſcripſere.*

Regi Alfonſo VI. captionem Toleti prædicit.

REGIBVS Hiſpaniæ *poſt eius excidium ſtrenuiſſimè fauit, vt antiqua Noſtratium monumenta ſuadent.* Alfonſus VI. *cùm vrbem* Toletum *vndique milite cinctam haberet, nec vlterius in eius captione progredi valuiſſet, innumeris difficultatibus conſtrictus, caſtra mouere decreuit.* Aſt *nocte media* ISIDORVS *apparuit* Cypriano *Legionenſi Eccleſiæ Epiſcopo, cui dixit, quod Regem moneret, ne à propoſito deſiſteret, quatenus ille ſuum auxilium Regi præbere promittebat. Quo dicto, Rex ſubſiſtens, vrbem protinus, omnibus etiam demirantibus, cœpit. Eadem* Alfonſo VII. *cognomento* Imperatori *eueniſſe in captione vrbis* Beatienſis *dicitur: nam cùm illam copioſis agminibus obſideret, & propoſitum ad effectum perducere non quiuiſſet, aut militiæ moleſtiâ, aut Sarracenorum ſtrenuitate copioſâ, vrbem obſidio leuare conſtituit. Verum* S. ISIDORVS *Regi apparuit, & vt die ſequenti prælium iniret præcepit, promittens ſeſe eius commilitonem adfuturum. Paruit exhortationi fideliter* Imperator, *& collatis ſignis, Præſulis patrocinio, cœleſtem victoriam reportauit. Nec his inferius fuit ſubſidium, quod à B. Viro* Alfonſus IX. *in* Emeritenſis *Vrbis captione recepit. Nam cùm Aggarenos multo milite conſtipatos aggrederetur, & ob Sarracenorum multitudinem, in peius ruerent noſtri, tunc in eorum ſubſidium* B. IACOBVS *Hiſpaniæ Dux acerrimus, &* ISIDORVS *Regum Caſtellæ Tutela, è cœlo delapſi, albis infulis induti, Catholicos confirmare Iſmaelitas perterrere viriliter occeperunt; donec hoſtes pugnâ confracti, ceſſere.* Ferdinandus *cognomento* Sanctus, *cùm item* Hiſpalim *vrbem obſeſſam teneret, eidem S. Præſul apparuit, & de victoria, eo auxiliante, certiorem Regem fecit, quapropter, captâ vrbe,* S.Iſidoro *in diuiſione agrorum* Hiſpalenſium, *ſuam* quoque *partem Rex* Sanctus *attribuit. Incredibile eſt, quanta illi referat Hiſpania, vel ſi eius dum viueret Acta conſpicias, vel ſi ipſius poſt tranſitum ſubſidia perſcruteris. Primo ſeculo Noſtros, imò & exteros erudiuit, Gothos in fidei Catholicæ rudimentis inſtruxit, Orbem tot librorum voluminibus edocuit, Eccleſiam inſignis facinoribus illuſtrauit, nam ſanctitate clarus, prophetia illuſtris, eleemoſynis munificus, hoſpitalitate magnificus, corde pacificus, ſententijs verax, pro tribunali iuſtus, ſermonibus feruidus, in animarum adquiſitione cupidus, in conſilijs prouidus, in*

Alphonſo VII. Beacenſis.

Alphonſo IX. Emeritenſis.

Ferdinando Sancto Hiſpalenſis.

Elogium.

actionibus

actionibus humilis, in mensa parcus, in oratione deuotus, honestate purus, in fides, Ecclesiæ, & veritatis defensione ad mortem vsque paratus, in omnibus virtutibus sublimis, pauperum pater, orphanorum, & viduarum asylus, afflictorum solatium, piorum subuentio, Hispaniarum Doctor, & hæreticorum malleus, nullo extitit contradictore. In Nostro seculo Regibus subsidio fuit, Ducibus in bellis auxiliis fauit, Ecclesiasticos, vt Martinum Legionensem, *& alios erudiuit. Populos eius opem petentes ob terræ siccitatem, salutaribus pluuiis confortauit. Ægris variis longioribus affectis sanitatem restituit, & famelicorum eius subuentionem implorantium famem expleuit. Hinc viuus, & mortuus* ISIDORVS *omnium causas suscipit, & illo mystagogo ad aras æterni Regis inducimur* IESV *Christi D.N. qui cum Patre & Spiritu-Sancto regnat in secula. Amen.* *Martinum Legionensem erudiuit.*

Hæc sunt puriora, & ACTA genuina. Nonnulla ab aliquibus Scriptoribus Nostris inter eius res gestas interseruntur, quæ aut confusionem, aut incredulitatem præ se ferunt; & ne criticus me illas ignorasse murmurillet, illa breuiter subiiciemus.

PRIMVM. Nam Lucas Tudens. *in Miracul. S.Isidor.* à quo *Breuiar. Segobiens.* peruetustum *Lect.* 2. asserunt, quòd auditâ famâ *Gregorij* nocte Natalis Domini in Ecclesia Hispalensi, primâ Lectione perlectâ, extra Ecclesiam egressus, in paruissimo tempore Romam deuenit, & B.Gregorium in Matutinis inuenit: quo viso *B.Gregorius* nimiùm lætus protinus agnouit eum, & Deo gratias agens amplexatus est eum; & quòd post Euangelicam Lectionem, Vale faciens, ab Ecclesia egressus, *Hispalim* in ipsa nocte rediit, vbi Clericos matutinas laudes reperit celebrantes. Cuius relationis compago merum videtur commentum, ita vt doctis non arrideat, prout notauit P. Quintana-Dueñ. *Histor. SS. Hispal. fol.*150. & ferè omnes qui de hac re scriptitarunt. Et haudquaquam credibile fit, tàm insigne facinus Antiquiores *Braulium*, & *Ildephonsum* reticere. *An verè peregrinatio Romam in nocte Natiuitatis, facta sit?*

SECVNDVM, Ab aliquibus affirmatur, quod S.ISIDORI tempore, *Mahumethes* ille nefandissimus Pseudo-propheta ex Lybia *Cordubam* venerit, vt suam spurcissimam, detestandámque Sectam ibidem prædicaret. Quod vbi S.Antistes comperit, milites suos ad illum comprehendendum miserat, sed à Diabolo, cuius filius erat, monitus, fugiens in Africam reuertitur. Quæ opinio licèt plures agnoscat patronos, scilicet S. Marc. Maxim. *in Chron. Ann.*606. Luitprand. *in Chron. An.*627. *numer.* 3. *&* 615. *numer.* 21. Luc. Tudens. *in Chron. in Rege Sisebut.* Chron. General. Alfonsi Sapient. 2. *part. cap.*40. VVarner. *in Fascicul. Tempor. Ann.*31. *Heracl. Imp.* Alphons. de Spin. *in Fortalic. Fid. fol.*219. Ioann. Vass. *in Chron. Ann.*605. Iacob.Bled. *Hist. Maur. lib.*1. *cap.*15. P.Ant.Quintana-Dueñ. *Hist. SS. Hispal. fol.*152. quibus adhærent *Breuiaria* antiqua *Eborense*, & *Zamoranum*; Attamen eorum vagam, & sine apice veritatis extructam clamitant Ambros. Moral. *Histor. Hisp. lib.*12. *cap.*14. D.Francisc. Padill. *Histor. Eccles. Hisp. tom.*2. *cent.*7. *cap.*22. P. Ioann. Marian. *Hist. Hispan. lib.*6. *cap.*3. Roderic. Caro *in Not. ad Maxim. in Chron. Ann.*606. *lit.N. fol.*215. *col.*2. D.Thom. Tamayo *in Not. ad Luitpr. fol.*29. P. Higuera *in eiusmet Not. num.*3. *fol.*302. P.Biuar. *in Not. ad Max. in Chron. Ann.*606. *num.*2. *fol.*715. licèt horum Scriptorum literam elucident, haudquaquam eorum opinionem sequuntur, quinimò mordicùs illam referunt, nec approbant. Hinc ab illa discedimus, quousque maiora veritatis monumenta capiamus. *An Mahumetes in Hispaniam deuenerit?*

TERTIVM, Quòd non desint *Scriptores*, & *Breuiaria* dicentia, S. ISIDORVM eo tempore, quo in *Basilica S.Vincentij* pro recipienda pœnitentia, populum composita oratione monuisse, inter alia *Hispaniæ excidium prophetasse* contendunt. Auctores sunt Luc. Tudens. *in Chron. lib.*3. à quo Baron. *tom.*8. *Ann.*636. Caietan. Abb. *Histor. S.Isidor. fol.*15. Bleda *Histor. Maur. lib.*2. *cap.*1. Marian. *lib.*6. *cap.*7. D.Laurent. Ramir. *in Not. ad Luit. num.*188. *fol.*390. vbi à *M. Ægidio Gonzal. Dauila*, Regio Historiographo, exaratâ vetustissimis characteribus in membrana peruetusta, ISIDORI verba prophetica hæc accepisse fatetur: *An Hispaniæ excidium prædixerit?*

VÆ TIBI HISPANIA, BIS PERDITA,
TERTIO PERDENDA PROPTER MALAS NVPTIAS.

Quod

Quod ſi euênit, vt quid *Redemptus* eius familiaris, & Archidiaconus, qui minima S.Præſulis verba in illo actu prolapſa recenſuit, huius rei tam inſignis, & futuris temporibus vtilis obliuiſceretur incautus? Sed quia huius opinionis diſcrepantia pateſcat, inter alios conuenit Scriptores, his carminibus præloquutum S.Virum, in *Concilio Toletano:*

An in Concilio Toletano illud prophetauerit?

Sydus honeſtatis, lux morum, Sol probitatis,
Hæc ait in Synodo Toleti, *Vir ſacer ille*
Iſidorus, *per quem floruit alma fides:*
Si ſeruaueritis, quæ vobis præcipiuntur,
Seruabit Chriſtus vos in amore ſuo.
Frumentum dabit, ac oleum, dabit optima quæque,
Si purâ mente complaceatis ei.
Si neglexeritis ea, non impunè feretis,
Cum rectè praua puniat acta Deus.
Inde cadent Gothi bellis, & barbarus hoſtis
Vos premet innumera clade, timore, fame.
Tunc conuertimini, tunc crimina plangite veſtra,
Et ſtatim Dominus auxiliator erit.
Gloria maior erit vobis; & gratia Chriſti
Extollet Gothos, vberiore bono.

Omnis prophetia, quibus conſtet?

Quia ſi verba hæc conferas, potiùs ad ſcientiam ſanctam, quam *Salomon* Prudentiam vocitat, quàm ad prophetiam referenda ſunt. *Eſt enim iſta ænigmatibus inuoluta, &* (vt inqnit Ieronym. *lib.5. Comment. in Iſai. cap.16. tom.4. fol.49.*) *& præciſis ſententÿs dum de alio loquitur, tranſit ad aliud; ne ſi ordinem Scripturæ conſeruet, non ſit Vaticinium, ſed narratio.* Neque enim *ſimplex à Prophetis Hiſtoria* (idem Ieronymus dixit *in Proœm. Comment. ad Iſai. lib.18. tom.4. fol.214.*) *& geſtorum ordo narratur, ſed ænigmatum plena ſunt omnia: aliúdque in verbis ſonat, aliud tenetur in ſenſibus.*

An carmina vaticinium ſapiant? an potius admonitio prudentialis, fuerit?

Hoc conſtito, an iſta carmina Prophetiam nominabis, an potiùs Doctoris, & Sancti Præſulis prudentialem monitionem, qua populum ad rectè viuendum, à peccatis abſtinendum inducit, ita quòd ſi à malo non auerterint ſupplicia, bella, fames, & his ſimilia illos affligent; ſi bona egerint, & fuerint conuerſi, Deus illos extollet vberiore bono, tu tibi conſule. In hoc ſemper Eccleſiæ placitis adhærebo. Et licèt his rationibus poſſet aliquis hanc non fuiſſe prophetiam aſſerere: attamen tu pro communi ſententia ſta, vt ego ſto. Magis ad *vaticinium* accedunt quædam carmina, quæ in *Codice apud me MS.* & Gothicis literis exarato vetuſtiſſimo, Hiſtoriarum *Roderici Ximeny* Archiepiſcopi Toletani, *in Proœmio Hiſtoriæ Romanæ*, quo de Hiſpanorum obliuione circa eorum calamitates pertractat, dicens: *Vt diſcat* Hiſpania, *quæ Dei miſericordiam perfunctoriè vix attendit, à tot tempeſtatibus iam reſpirans, quantum debeat diuinæ gratiæ inclinare: ſed*

Hiſpaniæ mores tempore Archiepiſcopi Roderici Toletani.

proh dolor! nec præterita memoratur, nec quæ accedere poterunt, pertimeſcit. Principes etenim, & Potentes volitu, & libitis inuoluuntur; & perturbato ordine rationis eneruant iudicÿ veritatem, & procuratis iniurÿs conſuetudines violenter pro iuſtitia inducuntur; & in partes iuſtitiæ aduocati id iuſtum iudicant, quod aures mulceant præſidentis, & à ſummi iudicis intuitu alieni, oculos ſuos in terram ſtatuunt declinare: nec eſt qui pauperi condeſcendat, niſi familiari debito inducatur: etiam peruetuſtis literis in margine ſcripta viſuntur, quibus *excidium Hiſpanum* iterum compulſatur, hac ſerie:

Aliud Anonymi vaticiniū.

Ad te conuertor meretrix Hiſpania *mundi,*
Terra ferax, mendica tamen, ſibi conſiliari
Neſcia, te ferient Superi virtute dolores,

Et

Et quia seruatrix non est Hispania legis,
Et sine lege suos submittit nutibus actus,
Felleus est potus, quem magna Babel dedit illi.
Et quia bos asino coniunctus arabit in illa
Sub asini dirè pedibus calcata peribit.

Cuius sint hæc carmina, nec exscriptor aperit, nec Nos authorem detegere potuimus: Hoc scio, quod Reges Hispaniæ (vt inquit Ægid. Zamorensis *de Antiquit. Hispan. lib. 6. §.2.* strenuitate vicerunt Regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt imperium ignis, effugauerunt aciem gladij, & fortes facti sunt in bello.

Regum Hispanorum elogium.

QVARTVM, Nam etiam communiter asseritur, præcipuè in peruetustis Hispaniæ *Breuiarijs*, scilicet *Abulensi, Compostellano, Segantino, Turiasonensi, Oscensi, Cæsaraugustano*, & aliis, quod *S. Gregorius*, cognitâ ISIDORI sapientiâ, & eruditione, coacto *Romæ Concilio Generali*, illum *Romam* euocauerit, cuius directione Pontifex synodi acta feliciter expleuerit. Nam licet *Romam* S. Antistes contenderit, nequaquam apud antiquos, & melioris notæ Scriptores, de hac ad *Concilium* euocatione, mentio est, vt perpulchrè notarunt Ambros. Moral. *lib. 12. c. 21.* Marian. *lib. 6. cap. 7.* Padill. *Cent. 7. c. 22.* in quibus causam genuinam eius itineris *Romam* perpendes.

An Romã ad Conciliũ euocatus, accederit?

QVINTVM, Quia etiam nonnulli contendunt S. Antistitem duplicem *lucernam* fabricasse, tali naturæ studio, quòd inperpetuum ardentem, haudquaquam extinctioni obnoxiam esse concrederent. Et licèt de hisce lucernis in sepulchris inuentis, multa apud humaniorum literarum scriptores selecta comperies, de quibus exempla apud Pancirol. *Rer. Memorab. tit. 35.* vbi Henrric. Salmuth. *in Not. fol. 124.* tamen, cùm illæ aliquod chimicum sapiant, vt inquit Petrus Crinit. *de Honest. Disciplin. lib. 7. c. 13.* non sunt in consequentiam trahendæ. Quoad nostram attinet opinionem, proculdubio Ambrosij Moral. *d. c. 21.* sententiæ adhæreo, negantis illas à S. Præsule coagulatas fuisse lucernas.

An lucernas perpetuas fabricauerit?

HIS sic delibatis, venio ad verisimilium probationem, vt Actorum ecphrasis ab omni calumniâ libera, Criticorum morsus effugiat. QVATENVS ad eius *natiuitatem* apud *Hispalim*, dum Pater ibidem in exilio persisteret; audi M. Maxim. *in Chron. Ann. 562.* dicentem: ISIDORVS Hispali, *Seueriano Patri exuli nascitur.* Eadem Luitprand. *Aduersar. n. 226.* Iacob. Breul. *in Vit. S. Isidor.* Conueniunt *Ribadeneyra* & cæteri Scriptores, quos refert Quintana-Dueñ. *Histor. SS. Hispal. fol. 160.* D. Paul. de Spinos. *Hist. Hispalens. lib. 2. c. 21.*

De eius Natiuitate apud Hispalim probatio.

CIRCA eius *Monachatum* duplex est sententia. *Arnald. VVion*, & Hugo Menardus in *Martyrologijs Monast.* illum inter Sanctos *Benedictini Ordinis* constituunt. Illos sequuntur *Melchior Hirtopius, Bugianus*, & alij relati à Quintanâ-Dueñ. *vbi supra fol. 161.* De quo celebrem scripsit dissertationem Constantin. Abb. Caëtan. *5. p. Sacrar. Concertat.* quam retulit *in Vit. S. Isidor. fol. 18.* P. F. Anton. de Yep. *in Chron. Benedictin. tom. 2. Ann. 600.* hunc negat Monachatum, sed perperam, cùm hoc ex traditione, & Cœnobiorum fundatione communiter agnoscatur.

De eius Monachatu.

QVOAD *exilium Hispali Malacam*: Anthores habeo Luitprand. *in Chron. Anno 616.* his verbis: *Extruso per vim* Isidoro, *Episcopo Hispalensi, Viro Sanctissimo, doctissimóque Gordinus in Sede Hispalensi introducitur.* S. Isidorus Malacæ *exulat.* Testem omni exceptione maiorem ad hoc aduoco ipsum *S. Ildephonsum Toletanum* Antistitem, qui adhuc puerulus in hoc *Malacitano* exilio S. ISIDORVM Magistrum habuit, vt ipsemet in *Carmine Sepulchrali* suprà relato fatetur *disticb. 2.* sic:

De eius exilio Malacam.

Quæ tibi Discipulus sacrat præsume Magister,
Qui fuit exilij *pársque, c[illegible]nésque* tui.

Quod distichon explicans Iulian. Petr. Noster *in Lib. Carm. fol. 152.* prosequitur: *Quod hic dicit in exilium missum* S. ISIDORVM, *clarum est ab hæreticis Arianis Sede pulsum, aliquantulum* Malacæ *moratum fuisse, donec operâ Regis* Sisebuti, *restitutus est.* Qui antea ipse dixerat *in Chron. n. 323. fol. 70.* agens de *Ildephonsi* discipulatu: *Ildephonsus,*

phonsus, qui natus est Toleti Era 644. *Decem annorum mittitur ad* S. ISIDORVM, *qui quidem* ISIDORVS *pulsus à Sede* Hispalensi, *traditur* Cæsario *Patricio*. Quod & probant D. Thom. Tamayo *in Not. ad Luitpr. d. Ann.* 616. *fol.* 38. P. Portocarrer. *in Vit. S. Ildephonsi c.* 6. P. Martin. de Roa *Hist. Malacit. c.* 12. *fol.* 4c. Quintana-Dueñas *Hist. SS. Hispal. fol.* 151. & in Histor. *SS. Toletan. fol.* 296.

Eius Legatio. QVATENVS ad titulum *Legati per Hispanias*: sic apud omnia vetusta Hispaniæ *Breuiaria* superiùs recensita; quibus fauent Luc. Tudens. *in Chron.* Iacob. Breul. *Epistol. ad Martan.* Cæs. Baron. *Ann.* 636. his verbis: *Diuersis fulsit miraculorum signis, primaria dignitate florens, & Romani Papa* in Hispania *vices gerens*. Quibus adhærent P. Quintana-Duennas. *d. fol.* 151. D. Paul. de Spinos. *d. lib.* 2. *c.* 21.

An Bonifacius VIII. illum inter Doctores Ecclesiæ voluerit consignare? QVOD sit *Hispaniæ Doctor*, nulli dubium. In eo stat palæstra; *An Bonifacius VIII. aliquando de illo inter* Doctores Ecclesiæ Catholicæ *consignando tractauerit?* Cui quæsito, adest Luitprandi *in aduers. n.* 169. *apud. Tamay.* responsum affirmatiuum huiusmodi: *Parum abfuit, quod Bonifacius Papa poneret pro* Doctore IV. *loco S. Ambrosij* ISIDORVM *Hispalensem Episcopum*. Cui suffragantur verba P. Ioann. Marian. *d. lib.* 6. *c.* 7. dicentia: *Sunt qui scribant*, Bonifacio VIII. *Romano Pontifice deliberante de iis, qui* Doctorum Ecclesiæ *nomine, & numero essent cohonestandi; fuisse qui Ambrosio* ISIDORVM *præferendum, aut Quatuor certè alijs* Quintum *adijciendum iudicarent. Opinioni fidem tanti Viri eruditio facit, in omni literarum genere excellentis: & quoniam in eo numero* DVO *Patres* Italici *generis sunt, nullus ex Occidente.*

Qui eum Doctorem dixerint? Et meritò quidèm Magnum ISIDORVM inter Principes Vniuersalis Ecclesiæ *Doctores* posse connumerari, omnium ætatum Scriptorum sententiæ suadent. Ait S. Leo IV. Pont. Max. *apud Gratian. c. de libello* 20. *dist.* qui æquè ISIDORVM Nostrum, ac *Ieronymum, & Augustinum*, Doctorem & sanctum vocitat, his verbis: *Si illorum quorum meministis, dicta* Ieronymi, Augustini, ISIDORI, *ac cæterorum similium* SANCTORVM DOCTORVM, *reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda, ac promulganda, vel ad Apostolicam Sedem referenda.* Eodem titulo vtuntur *Patres Concilij Toletani VIII.* dicentes, & affirmantes: *Nostri quoque seculi* DOCTOR *egregius Ecclesiæ Catholicæ nouissimum decus, præcedentibus ætate postremus, doctrina comparatione non infimus, & (quod maius est) iam seculorum finitorum doctissimus, atque cum reuerentia nominandus.* Omnis Ecclesia Hispaniæ *in Hymno ad Laud.* olim cani solito, sic:

Magne DOCTOR ISIDORE
Nos de hoc diro carcere,
Fac Poli reddi solio,
Placato Dei Filio.

Simili etiam titulo vtitur Andr. Scoth. *in Biblioth. Hispan. tom.* 2. *class.* 1. *c.* 3. *fol.* 183. De quo solemnem texuit dissertationem Constantin. Abb. Caëtan. 5. *p. sacrar. Concertat.* relatam in *Vit. S. Isidor. fol.* 23. Videsis de hoc Ambros. Moral. *d. lib.* 12. *cap.* 21.

Anni obitus probatio. CIRCA *Anni obitum S. Præsulis*; variè illum consignatum reperio. Luc. Tudens. *in Chron. lib.* 3. *in princip.* contendit vitâ functum Era DC. LXXX. quæ incidit in DC. XLII. Annum Christi; & hoc proculdubio commentum est, nam *Redemptus* eius Discipulus, & Archidiaconus, qui præsens fuit, illum occubuisse fatetur Era DC. LXXIV. hoc est Anno Domini DC. XXXVI. Et mathematicè patet; nam si *Isidorus Noster*, vt ex omnibus liquet Martyrologiis, è viuis sublatus fuit *Pridie Nonas Aprilis*, illo Anno DC. XXXVI. ex *Cyclis Paschalibus*,

Ex Cyclo Paschali. Pascha fuit *Pridie Kalendas Aprilis*, hoc est die XXXI. Martij, ita vt Baptismum catechumenorum fuisse dignoscitur Sabbatho antecedenti, vt moris erat, quo die S. Vir ad Basilicam S. Vincentij fuit pro pœnitentia explenda delatus, vt ex B. Præsulis oratione à *Redempto* relata patescit, ibi: *Ita vt sacri fontis vnda, quam* HODIE *deuotus est populus percepturus.* Quod si postmodùm per *quatuor dies* in viuis fuit, vt inquit ipse *Redemptus*, clarè colligitur vitam exuisse ISIDORVM die *Quinto* à pœnitentia, siue post *Quartum* diem Confessionis, hoc est, *IV. Aprilis:*

ex

ex quibus liquet præcisè, illo Anno ad Superos euolasse. Ita hoc computum facit Constant. Abb. Caietan. *5. part. Sacrar. Concertat.* & in *Vit. S. Isidor. fol.* 38. Item probatur: Nam constito, ISIDORVM feliciter migrasse *die VI. Aprilis*, & Concilium *Toletanum VI.* congregatum dicitur, ineunte *Ianuario* Anni Christi DC. XXXVII. & iam illi interfuisse dignoscitur *Honoratum* ISIDORI successorem, ergo iam præcedenti anno S. Præsul vitam cum morte commutauerat. Hinc causam deprehendes, ob quam *S. Ildephonsus* omiserit *Chintilanum* inter memorias Regum, quos agnouit S. ISIDORVS: nam cùm Rex iste fuisset electus post obitum S. Antistitis, licèt regnum inceperit eodem ipso anno DC. XXXVI. optimè *Chintilanum* omisit. Nec est discrepantia cum *S. Braulio*, qui dixerat decessisse S. Doctorem sub *Chintilano*, nam eius verba intelligenda sunt, de decessu sub eodem anno, quo *Chintilanus* Gothorum est Princeps electus.

Ex congregatione Concily VI. Tolet.

QVATENVS *ad Sepulturam*, alia se offert quæstionis scintilla. Quidam Donatus Puniellus *in Chron. Eccles. S. Stephan. Bononiens.* referens *Anonymum Benedictinum* Monachum *in Chron. MS.* ab eo condito ad Annum salutis M. C. LXXX. asserit, ISIDORVM *Hispalensem Præsulem, Româ Hispanias redeuntem, Bononiæ mortem oppetysse* XIV. *Mensis Aprilis, atque illius corpus in Oratorio SS. Petri, & Pauli, Ecclesiæ S. Stephani Monachorum nigrorum, in arca honorifica sepultum. Postmodum die XVI. Septembris circa Annum Christi* M. C. XLI. *ab Henrrico Bononiæ Episcopo, inuentum recognitum, veneratúmque fuisse.* Horum ecphrasim sequentes *Leand. Albertus, Cherubinus, Ghirardacius*, Carol. Sigon. *de Episcop. Bononiens. lib. 1. An. 616. fol.* 142. Arnaldius VVion. *in Lign. Vit. lib. 2. cap.* 24. nullo, de veritatis apice, habito examine, obtusis oculis amplexati errorem huiusmodi, in tale cecidere commentum. Quod vt notauit Ferdinand. Vghellius *in Ital. Sacr. tom. 2. tit. 1. de Archiep. Bonon. num. 20. fol.* 11. agens de *Petro* illius Ecclesiæ Episcopo, prosequitur: *Eiusdémque temporibus* Bononiæ *decessit* S. Isidorus *Episcopus* Siciliæ. *Qua vera narratione refellitur error Sigony, aliorúmque qui arbitrati sunt* ISIDORVM *Hispalensem*, Bononiæ *fato functum fuisse.* Hinc elicies quanto deceptionis inuolucro laborent opera Scriptorum, qui haud perpensis Historicorum propriorum voluminibus, ad similes auctorandum quisquilias rapiuntur. Huius rei veritatem agnouit *Vghellius* ex Constantino Caietano *d. 5. part. Sacrar. Concertat.* & in *Vit. S. Isidor. fol.* 45. Sed quia isthæc sententia communis est, non est cur probationibus Lectorem oneremus. Vnum hìc adnotare libuit, scilicet quòd *Isidorus*, de quo meminere *Vghellius*, & *Caietanus*, qui fuit Episcopus *Siciliæ*, & *Bononiæ* decessit, supremum diem impleuit *die XV. Ianuary* vt scribunt VVion in *Martyrol. Monast.* & Hugo Menardus, *Constantius Felicius*, & Philippus Ferrarius in *General. Catal. SS. fol.* 29. qui etiam eum *S. Gregory* Synchronon fecere; hincque *Bononienses* nominis homonymia decepti, suum *Isidorum* Episcopi Siculi vice, *Hispalensem* notarunt, & crediderunt, maximè cùm hoc illis esset in rem.

An mortuus, & sepultus apud Bononiam Italiæ?

Isidorus Episcopus Siculus S. Gregorio Synchronos.

QVOAD *apparitiones* S. ISIDORI pro recuperandis vrbibus *Toleto, Beatia, Emerita*, & *Hispali*, earum ecphrasim breui calculo percurremus. De Vrbe *Toletana*, audi Athanas. Lobera *in Histor. Legionens. cap. 29. fol.* 295. his verbis disserentem: Cyprianus *Episcopus* Legionensis, *erat tunc Vir Venerabilis, pius, prudens, & in omnibus bonis operibus instructus, qui maximo Diuum* ISIDORVM *prosequebatur amore. Cùm ergo annorum sarcinam iam expellere desiderasset, vt Christo adhæreret, coram Sanctissimi Præsulis theca prouolutus, oratione diffusâ*, ISIDORVM *imprecabatur, vt suis meritis à Domino, eius carnis solutionem, impetraret. Nocte sequenti S. Confessor* Cypriano *apparens, suam deprecationem à Deo admissam, in cuius rei veritatem, pro signo quatenus die sequenti vnus ex eius famulis Toleto Legionem aduenturum, referens, quo pacto* Alfonsus *Rex vrbem ab obsidione liberam relinquere constituisset; quod in graue Religionis Catholicæ damnum esset futurum, & idcircò illi præcipiebat, quòd protinus audito famuli nuntio, Regi scribat, haudquaquam obsidionem soluat, imò persistat, nam Dominus illi intra quindecim dies vrbem tradere constituit, ipso* Isidoro *ad Regis latus strenuè dimicante. Quo dicto disparuit, & die altero, nuntius aduênit, qui Regis propositum patefecit. Hoc cognito* Cyprianus *epistolam Regi scripsit, & quotquot ab ore* B. ISIDORI *perceperat, propalauit, eámque cum eius Archi-*

Apparitio pro recuperando Toleto.

diacono Toletum *dimisit. Ad castra Archidiaconus aduenit, eo tempore, quo iam castra erigebantur, & traditâ* Alfonso *Epistolâ, lectâque protinus castra subsistere decreuit, & die à S. Doctore assignato* Alfonsus Toletum *est ingressus.* Hactenus Athanasius.

Pro Beatia. De BEACIA, Ambrosium Moral. *d. lib.* 12. *cap.* 21. *fol.* 128. ausculta. *Obsidione cinctam urbem* Beatiam *habebat* Alfonsus Vrracæ *filius, sed cognitis exercitûs incommodis, & pranotata Sarracenorum multitudine, qui in subsidium vrbem ingrediebantur, rem tàm difficilem, & arduum facinus dimittere, & die sequenti militem extrahere decreuit. Ergo dum nocte media silentium omnia teneret, Regi* ISIDORVS *apparuit, & ad operis prosecutionem admonuit, & vt prælium die sequenti committeret, promittens se in eius subsidium aduenturum, donec illum vrbe relinqueret potitum. Annuit* Alfonsus, *& die elucescente collatis signis Sarracenos aggreditur, quos breui profligauit, & vrbem accepit. Ob cuius victoriæ memoriam* Alfonsus *Cathedralem ibidem erexit* Basilicam, *quam* S. ISIDORI *nomini dedicauit*, Legionéque *confraternitatem, in cuius diei festo confratrum Oeconomus defert sacrum vexillum, quod* ISIDORIANVM *dicitur, & fuit victoria* Beacensis *præmium.* Hæc Morales.

Pro Emerita. De EMERITA, Lucam Tudensem *in Chron. Era* 1255. à quo Barnab. Moren. *Histor. Emeritens. lib.* 4. *cap.* 11. *fol.* 226. attende: *Rex* Aldefonsus *vt erat fortis, & animosus, fecit exercitum suum de nocte contra Sarracenos flumen* Guadiana *transire. Fixerant Sarraceni tentoria iuxta Castrum* Alhange, *& viderunt primo mane nostrorum acies paratas ad bellum, & ipsi ordinauerunt acies suas ad prælium properantes. Fuit Dominus cum Rege* Aldefonso, *& populo Christiano, & in congressione ipsius belli, tanta Sarracenorum millia prostrata sunt, quòd multa barbarorum oppida remanserunt vacua, omnibus habitatoribus eorum extinctis in ipso bello*; Abenenfuth *autem* Rex *barbarorum fugit grauiter vulneratus. Si quidem in ipso bello visibiliter apparuit* S. IACOBVS *cum multitudine militum albatorum, qui in Sarracenos in manu valida prosternebant.* Beatus *etiam Confessor* ISIDORVS *quibusdam apparuit* Zamoræ, *antequam* Emerita *caperetur, & bellum fieret, & dixit eis se ad auxilium* Aldefonsi *Regis cum Sanctorum exercitu properare, & quod sibi dictam traderet ciuitatem, & de Sarracenis campalem præberet triumphum.* Hucvsque Tudensis.

Pro Hispali. De HISPALI, Officium in Hispalensi Ecclesia cani solitum in eius *Dedicationis die*, cuius ecphrasim supra hoc *Tom.* 2. *die X I. Martij* dedimus, audi: *Cum* Ferdinandus *Castella, & Legionis Rex, qui ob virtutum præstantiam* Sancti *cognomen est adeptus, magnam Bæticæ partem, in suam ditionem recepisset*, HISPALIM *eius Prouinciæ principem vrbem, magnis ex* Hispania *contractis copijs, obsedit, ad eam expeditionem, per visionem à* S. ISIDORO, *vt fertur incitatus. Quòd scilicet Sanctissimus Præsul suam Ecclesiam tot seculis iam ab infidelibus profanatam, Christo restituendam curaret.* Quod & notauit P. Pineda *in Memor.* 3. *part. cap.* 9. *fol.* 158. & in *Process. Summar. pro Canonization. S. Regis, Roma edito Ann.* 1638. *num.* 8. *fol.* 81.

Apparitio B. Martino Legionensi. DE *Apparitione*, & *eruditione S. Martino Legionensi* facta, eius ACTA, quæ supra *Tom.* 1. *die X I. Februar. fol* 101. dedimus, intuere, vbi hæc: *Nam cùm quadam nocte, pro huiusmodi causa, Dominum oraret, in somnijs B. vidit* ISIDORVM, *librum in manibus gestantem, qui dixit ei:* Accipe volumen istud, & comede illud, sic tibi scientiam, & Scripturarum intelligentiam Dominus dabit, vtere illâ, vt à te feliciter erudiantur fideles. *Excusabat se* Martinus, *ex eo quod ille die ieiunaret. Cui* ISIDORVS *respondens ait:* Minimè à ieiunij merito frustraberis. Hoc tibi ad literas addiscendas opus est. ISIDORVS huius loci tutela sum. Dei placitum adimple, vt studio tantopere fruaris concupito. *Annuit lætabundus, & alacer* Martinus, *& volumine deglutito, recessit* ISIDORVS, *cuius libri comestione, sic in diuina scientia inflammatus remansit, vt facilè omnes Theologos illius superaret ætatis.* Conueniunt Alphons. Vener. *in Enchirid. Temp. fol.* 40. Luc. Tud. *in Præfat. ad Chron.* P. Marian. *lib.* 11. *cap.* 16. Ambros. Moral. *lib.* 12. *cap.* 23. Mariet. *lib.* 6. *cap.* 5. Truxill. *in Thes. Concionat.* 2. *part. fol.* 661. Gabriel. Pennot. *Histor. Can. Regul. lib.* 2. *cap.* 31. §. 5. *fol.* 350. Athanas. Lober. *Histor. Legion.* 2. *part. cap.* 32. *fol.* 311.

QVIBVS sic delibatis, pro coronide, CONFESSIONEM Sanctissimi, & celeberrimi Præsulis ISIDORI tibi offerimus, quam MS. in Codice Gothico, inter

inter D. Garsiæ de Loaysa monimenta accepimus, & quia tanti Viri agnoscatur pietas, & quia eruditorum desideriis obsequamur.

INCIPIT ORATIO, SIVE CONFESSIO Beati ISIDORI *Episcopi Hispalensis, & Doctoris.*

Confessio S. Isidori.

Svccvrre mihi Domine Deus meus, antequam moriar, antequam mors me præueniat, antequam tartara me rapiant, antequam flamma me comburat, antequam tenebræ me inuoluant. Subueni mihi priusquam ad tormenta properem, priusquam à gehennæ ignibus deuorer, priusquam sine termino crucier. Reus enim iudicij tui timore terreor, pauore peccati iram tuam formido; immanitate sceleris examen tuum trepidans, conscientiâ metuo. Si enim iustus vix saluabitur, ego impius, vbi ero? Quid faciam, dum venerit tremenda hora iudicij? Cùm examen venerit, quid respondeam? Quid ero dicturus cùm ante tribunal Christi fuero præsentatus? Væ diem illum, quando peccaui; væ diem illum, qnando transgressus sum. Vtinam non illuxisset mihi; vtinam non esset super me ortus; vtinam non apparuisset super me. O dies detestanda: O dies abominanda: O dies penitus nec dicenda! quæ me in hoc seculo protulit; quæ mihi claustra partus aperuit; quæ ortus mei ostia reserauit. Dies illa à luce in tenebras permutetur, profunda illa caligo confundat, æterna illa cæcitas obruat, amittat temporis statum, omni memoriâ extinguatur, nullidigna seculi memoretur. Melius mihi fuerat non esse ortum, non fuisse genitum, melius non esse in seculo procreatum, quàm æternos perpeti cruciatus. Optabam à peccati nexu resolui; cupiebam à consuetudine mala retrahi; desiderabam à vitio recedere, sed difficile est peccandi consuetudinem vincere. Prauus vsus vix aboletur, assidua consuetudo in naturam vertitur vitij, animus sceleribus deditus, ab his diuelli neutiquam potest. Tanta sunt mea vitia, vt vix euelli possint: vix credo peccata mea vllo spatio temporis exolescere. Vltro me miserum ante vitiaui; spontaneo dudum studio me pollui, propriâ voluntate meâ me maculaui. Bonus eram, spontaneè ad peccatum dilapsus sum. Vigili curâ à fratre, & germana fui educatus, sed facili errore à meis concupiscentiis conuictus sum. Liber eram, spontaneè factus sum debitor mortis. Infelix ego peccatum sponte mihi prius ipse paraui; ego prius occasionem peccandi amplexus sum; nunc peccandi vsu adstrictus teneor: mala consuetudine me sibi grauiter implicauit: longa consuetudo in me vim sibi, & legem fecit: peccandi consuetudine, etiam quando nescio, sic delinquo: peccandi vsui, non optando incurro malum. Volo agere bonum, sed desideria consueta non sinunt. Prauo vsui contraire nitor, sed carnis desiderio grauor. Ad iustitiam me amor erigit, sed ad peccatum consuetudo constringit. Flete me cœlum, & terra: lugete me omnes creaturæ: ingemisce super me vniuersum genus, & omne, quo praeuales, vsu, super me lamentum effunde. Peccaui enim crudeliter, lapsus sum fortiter, cecidi grauiter, corrui miserabiliter: nullum enim inuenitur peccatum, cuius sordibus non sim coinquinatus: nullus est enim morbus vitiorum, à quo non contraxerim contagium: nulla sordium sentina extitit, quæ in me miserum non confluxerit. Probrosus, sceleratus, flagiriosus, cunctis obrutus vitiis, innumerabiliter frequentaui impudicitiam fœditatis. Vt bene viuerem, vltro promisi: quod pollicitus sum, nunquam seruaui. Semper ad peccatum redij, semper delicta mea iteraui: prioribus sceleribus semper deteriora iunxi; nunquam in melius mutaui mores, nunquam à malis meis factis veraciter recessi, plurimos etiam maculaui me perdens; plurimos prauis moribus meis,

meis, in iniquitatem peruerti, scelere meo multæ animæ perierunt, quia cum sim Pastor ouibus scabiem tergere non impingere tenebar. Exemplis vitæ meæ subuersi sunt multi, quia dum Parentis munere fungor, filios subuertere prauis meis speciminibus satago. Ego multis causa malorum fui, quia dum diuini præconis onere gaudeo, omnium delicta increpare compellor, & heu mihi: quia tacui. Per me multorum propositum maculatum est, quia dum Episcopali infula induor, errantium ouium vestigia, ne pereat quæuis, insequi, & reducere cogor; sed heu mihi! nam steti. Per me nomen maculatum est sanctitatis, quia dum Ecclesiæ ministerio fruor, & ad sancta sanctorum accedo, nomen, & officium temerè polluo. Obsecra pro me plebs omnis sanctorum, si fortè misereatur mihi Deus, si forte recipiat me, si fortè deleat peccata mea, si fortè auferat iniquitates meas, si fortè misericordiam præstet mihi. Iratus est super me nimis, quia creuerunt versiones meæ, quia multiplicatæ sunt præuaricationes meæ. Ideo implorate pro me Dei Omnipotentis misericordiam, omnes chori Beatorum. Intercedite pro me omnis multitudo Electorum; ne infundat Omnipotens Deus super me iram indignationis suæ, propter multitudinem iniquitatum mearum. Væ mihi! Domine, quia consumptus sum; væ mihi! quia deficit anima mea. Cur infelix natus sum? Cur in hanc miseram vitam proiectus sum? Vtquid miser hanc lucem vidi? Vt quid misero mihi huius vitæ ortus occurrit? Parce Domine, parce dolori meo, parce quæso mœrori meo; da veniam, da indulgentiam. Heu mihi infelici! heu mihi misero! in tantis peccatis præcipitato. Quis miserebitur mihi? Quis consolabitur me, nisi tu Redemptor animarum? Miserere mei, quia est in tempestatibus anima mea. Vbi es custos hominum? Vbi es animarum Redemptor? Vbi es ô pastor bone? Cur spreuisti me? Cur auertisti faciem tuam à me? Vt quid longè factus es consolator animæ meæ? Reuertere iam Deus meus, & non obliuiscaris in finem, non me in perpetuum deseras, non me in potestate dæmonum derelinquas. Licèt enim offensa sit grauis; tu tamen clemens, tu patiens, tu multùm misericors. Nullum relinquis, nullum spernis, nullum detestaris, nullum recusas à misericordia tua; sed vltrò offers clementiam; peccantes expectas vt redeant. Quanti enim scelerati, quanti luxuriis dediti, quanti concupiscentiis seculi saginati, bonitate tua ad indulgentiam peruenerunt? Multis non merentibus gratis peccata donasti. Ostende igitur in me clementiam tuam, pateat mihi venia, pateat indulgentia non abneges vni, quod plurimis es largitus. Scelera mea non defendo, peccata mea non vindico: displicet mihi quòd male feci, displicet mihi quòd peccaui: offensam fateor, errorem confiteor, culpam agnosco, vocem confessionis aperio. Suscipe, quæso, vocem confitentis, attende vocem deprecantis, & peccatoris queritatum ad te clamantis. Peccaui Domine Deus, peccaui, miserere mei, parce malis meis, ignosce peccatis meis, dele omnes culpas meas. Si enim iniquitates obseruaueris
Psalm.129. Domine, quis sustinebit. Ad examen tuum, nec iustitia iusti secura est. Quis enim iustus, qui se audeat dicere sine peccato? Quis præsumat contra te aliquid de iustitia? Nullus enim hominum absque peccato; nullus est mundus à delicto. Ecce inter Sanctos nullus immaculatus. Ecce qui seruiunt Deo, non fuerunt stabiles, & in Angelis reperta est prauitas. Astra, munda non sunt coram te. Cœli non sunt mundi in conspectu tuo: quanto magis ego abominabilis, & putredo, & filius hominis, vermis, qui hausi, quasi gurgites, peccata; & bibi quasi aquas, iniquitates. Qui habitò in domo lutea, qui commoror in puluere, qui terrenum habeo fundamentum. Memorare Domine, quæ sit mea substantia: memento quia terra sum; memento quia puluis sum,

ſum,& cinis. Operi manuum tuarum porriges dexteram. Conſule infirmæ materiæ, ſuccurre humanæ fragilitati. Patent tibi vulnera mea, coram te ægritudo mea;tu vides, quantum ſauciatus ſum, & languidus;medicinam,quâ ſaner, tribue:medelam, quâ curer, impende: refice infectum vitiis, reforma corruptum peccatis; extingue in me flammam concupiſcentiæ, iacula ignita diaboli vltrà me non penetrent,& non exardeſcant in me vlterius. Tu enim ſcis tempeſtationes, quas fero;tu ſcis fluctus, quos patior;tu noſti tempeſtates quibus percutior, vbi lapſus ſum, vbi defluxerim, vbi infelix demerſus ſum, tu ſcis. Incurri enim negligens in ruinam: corrui incautus in turpitudinis foueam: decidi in cœnum flagitiorum, deſcendi in profundum malorum. Eripe animam meam ab inferis: erue me de immaniſſima abyſſo; non me concludat profundum, non mihi deneget exitum. Ecce dies metuendus iam imminet; iam vltimus dies appropinquat; inſtant limites vitæ,nihil ſupereſt mihi præter ſepulchrum. Parce mihi antequam eam; munda me antequam ab hac vita egrediar; ſolue priuſquam moriar peccatorum vincula, Sancta Trinitas, qui viuis, & regnas in vnitate Deitatis, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Vnus tantum illam edidit ex MS. Codice Bibliothecæ Cœnobij Sublacenſis Conſtantinus Abb. Caietanus *in Vit. S.Iſidor. fol.* 103. ſed non integram, ſed mutilam, & in eſſentia actionum, educationis, & munerum, diminutam. Et omnibus ſuis partibus abſolutam offerimus.

Hispalis Vrbs celebris Hiſpaniæ de qua egimus *Tom.* 1. die *II. fol.* 36. die *IV. fol.* 66. die *XX. fol.* 200. *Ianuarij*;& die *XXIII. fol.* 225. & die *XXVII. fol.* 285. *Februarij*, vbi eius aliquot exordia retulimus,quibus pro nunc contentus ad alia pergo. *Vrbis elogia.*

Translatio Capitis S.Ambroſij.] Celebris apud *Burgenſes* huius *Translationis* ſolemnitas, in Oppido eius diœceſis, cui *Villa-Sandino* vocabulum, perſeuerat. De ea ſcripſit M. Ægid. Gonzal. Dauila Regius Chronographus *Tom.* 3. *Theatr. Eccleſ. Hiſpan. fol.* 15. his verbis: *In Eccleſia S. Mariæ de Villa-Sandino cuſtoditur caput* S. Ambrosii, *Eccleſiæ Doctoris, cum alijs reliquijs, de quibus fidem agit* D. Franciſcus Pacheco S. R. E. *Cardinalis, &* Archiepiſcopus Burgenſis, *ſequenti autographo:* C. *Relatio M. Ægidij Gonzalez Dauila.*

Hoc eſt *tranſſumptum benè, & fideliter extractum, correctum, & concordatum cuiuſdam facultatis à* D. D. Franciſco Paccieco à Toleto, S. R. E. *Cardinali, tituli S. Crucis in Ieruſalem, datæ, & expeditæ ad fauorem Eccleſiæ S. Mariæ Oppidi de* Villa-Sandino, *circa approbationem Reliquiarum, in dicta Eccleſia exiſtentium, maximè circa* Caput *glorioſiſſimi Doctoris Eccleſiæ* Ambrosii, *cuius facultatis relatio eſt tenoris ſequentis.* *Teſtimonium Notariorum.*

Nos D. Franciſcus Paccieco, à Toleto, S. R. E. Presbyter Cardinalis tituli S. Crucis in Ieruſalem, & Archiepiſcopus Burgenſis. Cùm enim ad noſtram perueniſſet notitiam, quod in Eccleſia *B. Mariæ de Villa-Sandino*, noſtræ diœceſis reconduntur aliquæ Reliquiæ, videlicet Caput S. Ambrosii, & aliud alterius Diui ſine titulo, & os integrum *S. Cyriaci*, & aliud ſine titulo,quæ quidem Reliquiæ abſque debita veneratione, vt tantis debetur ſacroſanctis particulis exiſtunt, cupientes quod res ſacræ, & diuinæ prout opus eſt honorificè cuſtodiantur,& venerentur, per præſentes in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis præcipimus, & mandamus, quatenus prædicta ſacra lipſana loco debito decenti, & reuerenti reponantur, vt à fidelibus intueantur, & venerentur, quibus ex facultate à BB. Petro, & Paulo Nobis conceſſa, centum dies Indulgentiæ, & peccatorum remiſſionis, die Natiuitatis B. V. M. illa viſitantibus, & deuotè pro fidei exaltatione, pro principum Chriſtianorum pace, hæreſúmque extirpatione quinquies Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam recitantibus, concedimus. In cuius rei teſtimonium præſentes literas, noſtra manu ſignatas, ſigillóque munitas, & ab in- *Caput ſtra naturgyum alys lipſanis.* *Indulgentia conceſſa per Cardinalem.*

frascripto Notario subscriptas dari iussimus. Datis apud Burgos die VII. Februarij, Anno Domini M. D. LXXVIII. *Franciscus Cardinalis Burgensis.* Mandato Illustriss. eius Dominat. *Ioannes Baptista Hernandez Notarius.*

Quod supradictum Transsumptum, *ab originali extractum, correctum, & concordatum, quod originale eidem Ecclesiæ reddidi, cum originali concordat, de quo fidem ego Notarius infrascriptus facio, cuius extractioni, correctioni, & concordationi testes adfuere Ioannes Diaz & Ioannes Christophori, & Ego Notarius idem Transsumptum signaui, & subscripsi. Franciscus Lopij Notar. Publ. & Apostol.*

Fides Notarij.

Et ego idem Notarius fidem facio, quatenus coram me tanquam tali Notario comparuere Licentiati Petrus Morate *Vicarius, &* Petrus Alfonsus de Herrera *S. Officij Commissarius, & ambo Parochi locorum vnitorum, & prauio iuramento dixerunt; quod* CAPVT S. AMBROSII *intra capsam deauratam inclusum, Episcopi effigiem habentem, idem esse, quod obtulit eidem Ecclesiæ* Ludouicus Ossorius *Alcantarensis Ordinis Eques, & Peraleda Commendatarius, de quo olim intra effigiei mitram authenticum erat testimonium, quod incuria Ecclesiæ seruientium, creditur deperditum, super quibus Actu in Audientia Episcopali* Burgensi *confectis, sese missos faciebant. Et ego præfatus Notarius has declarationes, vnà cum ipsismet testibus subscripsi, Datu apud* Villam-Sandinum *die X. Decembris Anno Domini M. DC. XLIX. Lic. Petrus Morate. Lic. Petrus Alfonsus de Herrera. Francius Lupi Notarius.*

Depositio testium.

Quis obtulit Reliquias.

Hactenus *M. Ægidius Gonzalez*, qui huiusmodi authenticum transsumptum mihi remisit, & inter aliqua instrumenta de hoc loquentia, apud me adseruatur.

Quid tenendum circa hanc Translationem.

CIRCA huius Translationis veritatem, iudicium suspendimus, multa à Dòmini prouidentia exequuntur, quæ conceptum nostrum excedunt, & suis inscrutabilibus dispositionibus potuit fieri, quod hæc illustris Reliquia, oppidum incognitum ditaret, omisso Mediolano. Quidquid sit, maiora expeterem monumenta, & fundamenta.

POSTEA cognito per huius oppidi Ciues, à me proposito dubio, sequentem auctographum, totius authoritatis publicæ robore vallatum, emisère.

NOS *Officiales, & Vicarij Generales totius diœcesis* Burgensis, *ex nominatione Illustrissimi Domini* D. Francisci Manso de Zuñiga, *Archiepiscopi Burgensis, Regijque Consiliarij, &c. Siquidem quia Nobis, & omnibus patet, & notum est, quatenus* Vrbanus PP. VIII. *felicis recordationis per suum Romæ Breue expeditum, S. R. E. Cardinalium placito, præceperit, ne alia festa, nisi illa in Breui præscripta, à fidelibus obseruari in Ecclesia Vniuersali compellerentur, exceptis festiuitatibus Sanctorum, quorum vnaquæuis Prouincia, Vrbs, vel Oppidum elegerit in Patronos, & quia huius facultatis virtute à Sanctissimo concessæ, Oppidum de* VILLASANDINO *huius diœcesis, nobis supplicari fecit, quatenus in illius Ecclesia à multis temporibus caput* S. AMBROSII *Ecclesiæ Doctoris, & Mediolanensis Episcopi, custodiri, hincque Patronum Oppidi Publicè ab incolis prauio voto Sanctissimum Præsulem acclamatum, illi licentiam concedere dignaremur, vt in posterum eius sancti Doctoris festiuitas de præcepto consignaretur, votumque probaretur. Nos qui ipsius Cleri, & Populi religionem, pietatem, & cultum debitâ gratificatione notanimus, per præsentes votum huiusmodi confirmantes, declaramus diem* S. AMBROSII *Ecclesiæ Doctoris, cuius* CAPVT *in dicta Ecclesia honorificè conditur, pro dicto Oppido tantum, esse, & debere obseruari de præcepto, tanquam de Patrono, ita quòd in illo Sacrum audire, ab omni labore abstinere, prout in diebus Dominicis, & de præcepto fieri consueuit, Oppidi accolæ de cætero teneantur, prædicti Breuis auctoritate submixi, quâ illis vti licentiam inuiolabiliter impartimur. Dat. Burgis die* VI. Martij, *Anno Domini* M. DC. XLVI. Licent. D. Petrus Manso, de Zuñiga. *Mandato Dom. Archiepiscop.* B. Ioannes de Sarachoga, Landa.

Huius

Huius auctographi auctoritas proculdubio plurimùm fidem Oppidanorum auget, quâ & Nos suffulti, interim quod aliud in contrarium non apparet, sententiæ illorum adhæremus.

VILLA-SANDINO. Oppidum Diœcesis Burgensis in Veteri Castella, inter Carrionem, & Burgim Metropolim situm, ab vnoquoque oppido per fere XVI. P. M. dissitum.

NONIS APRILIS.

DIES V.

A. S. Irenes *V. & M.* Illiberi *in Hispania orta, quæ cum* Thessalonicam *transfretaret, & magnam sacrorum librorum copiam deferret, abscondêretque; ex quo Diocletiani Imperatoris immane de huiusmodi libris edendis edictum fluxerat: ideò comprehensa, in carcerem detrusa, nec libros propalare, nec Idolis immolare suasa, Dulcetij Præsidis bilis excandens igni comburi, iussa, spiritum, constantiâ emissum, & cor amore saucium æterno obtulit Sponso.*

B. Valentiæ *in Hispania Citeriori celebris est memoria* S. Vincentij Ferrer. *Ordinis Prædicatorum; qui* Hispanicæ *ditionis egregius extitit Ecclesiastes, & in omni bonorum studio insignis, doctrina excultus, & miraculis clarus ad Dominum Confessor properauit illustris.*

NOTÆ.

SANCTA IRENES *Virgo, & Martyr eximia.*] Eius memoriam descripsere Martyrologi hoc eodem die. Vetustissimum Martyrologium à *Rusvveido* excusum, sic: *Thessalonica*, S. Irenes *Virginis.* Extensiùs Beda, sic: *Thessalonica, Natale* S. Hyrenis *Virginis, quæ post tolerantiam carceris, sagitta percussa est à Sisinio Comite, sub quo, & sorores eius simul* Agapes, & Chionia *martyrium compleuerunt.*] VValdembertus hoc carmine. A. *Martyrologia.*

Nonis Virgo pia de morte refulget Irenes.

Eadem ferè Ado, Vsuardus, Maurolyc. Const. Felic. Alexand. de Peregrin. Galesin. & alij. Rabanus addit, *quæ à prædicto Præfecto licet in ignem mitterentur, tamen illæsa ab eo, exorantes Dominum, spiritum reddiderunt.* B. Notkèr. diffusiùs pergens, prosequitur: *Quas omnes, cùm Dulcitius prædecessor eius in obscurissimam cellam coquendi vasis refertam, inclusisset, sed post eas ardentissimâ concupiscentiâ deperisset, clanculo ingressus in eam, per totam noctem cum ollis, caccabis, ac caldarijs volutatus, atque à Sanctarum Virginum illusione defraudatus, cùm primùm à familia, vel familiaribus suis pro hac turpitudine abominabilis haberetur, Imperatorium Palatium petens, vt*

vel ibi suarum iniuriarum vltionem mereretur, propter intolerabilem fœditatem, quam oculis clausis non agnoscebat, & inde expulsus, de reliquo omni honore est priuatus. At in Roman. Martyr. hæc reticentur; cum quo conueniunt *Castellan.* P. Vasquez *Lusitan.* PP. S. I. *Hispan.* P. Higuer. MS. & Petr. Equil. *in Catal. SS. lib. 4. cap. 27.* Ferrar. in *Topograph.* verb. *Thessalonica, fol. 124. col. 2.* Menologium Græcorum illam ad diem XVI. huius mensis refert, sic: *Sanctarum mulierum Irenæ,* Agapæ & Chioniæ *quæ sub Diocletiano Imperatore, propter Christi confessionem passæ fuat, quo tempore Chrysogonus Martyr ab eodem Imperatore gladio percussus est.* Hæc in *Martyrologijs*, licèt, vt postea dicemus, adsit in actis confusio, propter duplicem nominum huiusmodi Martyrum relationem. De eis agunt *Metaphrastes*, à quo *Lyppoman.* è quibus *Surius, Cornel. Graff. Syluan. Razz.* de *SS. Mulierib. illustr. tom 2. fol. 91. col. 2.* Philipp. Ferrar. *in Catal. SS. Italiæ, hoc die fol. 180.* Acta tanquam puriora, & synceriora exscribemus ex *Simeone* metaphraste & *Luitprando* aduersariis in hunc modum.

Scriptores.

ACTA S. IRENES, ET SORORVM *Virginum, & Martyr. Ex Metaphraste, & Luitprando.*

Origo. IRENE, CHIONIA & AGAPIS *Nobiles Sorores, ex Græca origine* Thessalonicæ *oriundæ, & apud vrbem* Illiberitanam *in* Hispania *(vt creditur) natæ fuat. Cum igitur persecutio à Maximiano Imperatore aduersus Christianos illata esset, mulieres illæ, quæ virtutibus seipsas ornauerant, Euangelicis legibus obedientes, propter summam in Deum charitatem, & cælestium bonorum spem, Patrisque Abrahæ factum imitantes,* patriam, cognationem, facultatésque omnes reliquerunt, ac persecutores fugiendo, quemadmodum Christus præcepit, altum quemdam montem petierunt, *ibique diutinis precibus operam dabant: & corpus quidem ipsum ad montis celsitatem contulerunt, earum verò animus in cælo ipso versabatur. Cùm autem in eo loco fuissent comprehensæ, ad eum, qui persecutionis auctor erat, Magistratum ductæ sunt, vt reliqua diuina præcepta exequentes, & ad mortem vsque suam in Christum charitatem seruantes, immortalitatis coronam assequerentur. Vna quidem è tribus illis præcepti perfectionem posidens, & Deum ex toto animo diligens, & proximum sicut seipsam, Sancto Apostolo diceate:* Finis præcepti est charitas: *meritò* AGAPE *dicebatur. Hoc enim nomine Græci* Charitatem *appellant. Altera purum, ac splendidum baptismatis nitorem seruans, itavt de ipsa Propheticum illud dici posset:* Lauabis me, & super niuem dealbabor: *à niue nomen accepit:* CHIONIA *enim vocabatur. Tertia Saluatoris, & Dei nostri donum, hoc est, pacem in se habeas, & in omnes exercens, quemadmodum Dominus dixit:* Pacem meam do vobis: *ideò perpulchre* IRENE *compellabatur, à pace nomen accipiens. Has tres fœminas cùm ad se ductas, & ita affectas Magistratus vidisset, vt Dijs sacrificia offerre nollent, igne cremandas esse decreuit, vt per ignem exigui temporis, igni subiectos, Diabolum, omnémque dæmonum cateruam, ipsius Diaboli exercitum, qui sub cælo est, superantes, incorruptam gloriæ coronam adipisci, ac Deum ipsum, à quo gratia eis collata est, cum Angelis perpetuò collaudare possent. Quæ verò ab illis gesta sunt, ea breuiter narrabimus. Post martyrium igitur* Agapis, & Chioniæ *aliarúmque sociarum, quas igni tradendas* Dulcetius *Præses decreuit, cùm rursus* S. IRENE *ad ipsum ducta fuisset,* Dulcitius *sic ipsam affatus est:* Tuæ insaniæ propositum, ex his, quæ facis, manifestè apparet, quæ *tot membranas, libros, tabellas, codicillos, & paginas Scripturarum, quæ sunt impiorum Christianorum, qui vnquam fuerunt, ad hodiernam vsque diem seruare voluisti:* Quæ cùm prolata essent, ea cognouisti, quamuis quotidie negaueris, vos eiusmodi scripta

Matth. 10. Genes. 12. E patria fugiunt. Comprehenduntur. 1. Tit. 1. Agape, hoc est Charitas. Psalm. 50. Chionia, id est, Puritas. Ioan. 14. Irene, id est Pax. Irene coram Præside ducitur.

scripta possidere, non contenta neque sororum tuarum pœna, neque mortis metum præ oculis habens. Quamobrem tibi pœnam afferri necesse est. Sed alienum tamen non videtur, etiam nunc benignitatis partem aliquam tibi condonari, vt si volueris nunc saltem Deos agnoscere, impunis, atque ab omni supplicio, periculoque libera esse possis. Quid igitur dicis? Faciésne quod Imperatores nostri, & Cæsares iusserunt? Num parata es sacrificiis vesci, & Diis immolare? *Cui Irene:* Minimè per Deum illum Omnipotentem, qui creauit cœlum, & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt. Summa enim illius ignis sempiterni pœna proposita his est, qui IESVM Dei Verbum negauerint. *Dulcitius verò:* Quisnam tibi auctor fuit, vt *membranas istas, & scripturas ad hodiernum vsque diem custodires?* Illc (*inquit Irene*) Deus Omnipotens, qui iussit nos ad mortem vsque eum diligere, qua de causa non ausæ sumus eum prodere; sed maluimus, aut viuentes comburi, aut quæcumque alia nobis acciderint, perpeti, quam *talia scripta* prodere. *Tum Præses:* Quisnam (*inquit*) conscius erat hæc in domo illa esse, in qua habitabas? *Respondit Irene:* Hæc vidit Deus Omnipotens, qui omnia scit, prætereà nemo. Nostros enim homines inimicis peiores duximus, ne fortè nos deserrent. Itaque nulli hæc ostendimus. *Præses inquit:* Superiore anno, cum edictum illud tale, ac pium iussum Dominorum Imperatorum, ac Cæsarum, primò fuit diuulgatum, vbinam vos latuistis? *Ad hæc Irene:* Illic, vbi Deus voluit. In montibus (scit Deus) sub dio fuimus. *Præses verò:* Apud quem vixistis? *Illa inquit:* Sub dio, aliàs in aliis montibus versantes. *At Præses:* Quinam erant, qui vobis panem suppeditabant? *Respondit Irene:* Deus, qui omnibus escam suppeditat. *Tum Præses:* Erátne Parer vester harum rerum conscius? *At Irene:* Minimè per Deum Omnipotentem conscius erat ille, qui ne nouit quidem hæc omninò. *Præses ait:* Quis igitur vestrorum vicinorum id nouerat? *Cui Irene:* Vicinos interroga, & loca inquire, vel eos qui norunt vbi nos eramus. *Præses dixit:* Postquam è monte reuersæ fuistis, vt tu dicis, legebatísne scripta ista, præsenti aliquo? *Irene inquit:* Domi nostræ erant, neque audebamus illa efferre, quamobrem magnoperè angebamur, quod non poteramus nocte, ac die illis operam dare, sicut à principio consueueramus, vsque ad annum superiorem quo illa occulrauimus. *Dulcetius Præses dicit:* Sorores quidem tuæ pœnas nostro iussu decretas exoluernnt: te verò, etsi anteaquam *aufugisses, propterea quod scripta, & membranas istas occultaueras, mortis pœna tibi decreta fuerat;* non tamen eodem modo, iubeo è vita sic repentè discedere: verùm per satellites ipsos, & Zosimum publicum carnificem in lupanari nudam statui præcipio, è palatio singulis diebus panem vnum sumentem, satellitibus ipsis non permittentibus te illinc discedere.

Sacras Scripturas petit Iudex.

Aufugerat Irene.

Cum igitur Satellites, & Zosimus publicus minister præsto essent, Illud (*inquit Præses*) vobis notum sit, quod si mihi significatum fuerit, vel horæ alicuius momēto, istam ex eo loco motam fuisse, in quo esse iussimus, tunc vos supremæ pœnæ subiecti eritis. Scripta verò ipsa à scriniis, & arculis Irenes proferantur. *Cùm igitur, quemadmodum à Præside iussi fuerant, eam illi ad publicum lupanar duxissent, & propter Spiritus-Sancti gratiam, quæ ipsam protegebat, & vniuersorum Domino Deo puram, atque intactam seruabat, ne vnus quidem ad eam accedere, vel turpe aliquid in eam facere, aut dicere ausus fuisset, Sanctissimam illam fœminam Dulcitius Præses reuocauit, & ante Tribunal sisti iussam, sic affatus est:* Nunquid in eadem adhuc remeritate persistis? *Irene inquit:* Minimè temeritas, sed Dei pietas est, in qua persisto. *Cui respondit Dulcetius Præses:* Er ex priore tuo responso, manifestè ostendisti re

Ad lupanar ducitur.

Imperatorum

Imperatorum iussui nolle æquo animo parêre,& nunc quoque in eadem arrogantia persistentem te video : quare dignam pœnam persolues. *Cumque chartam petijsset, sententiam hanc contra ipsam scripsit:* Quoniam IRENE Imperatorum iussui parêre, Diisque immolare noluit; quinimò nunc quoque in Christianorum ordine, ac religione perseuerat : hac de causa, vt antea duas eius sorores, ita, & ipsam viuentem nunc comburi iubeo. *Hac sententia cùm à Præside lata fuisset, milites* Irenem *comprehensam, in quendam sublimem locum duxerunt, vbi & eius Sorores antea martyrium passæ fuerant. Cum autem magnum rogum accendissent, iusserunt ipsam in eum conscendere. Itaque Sancta* Irene *Psalmos canens, & Dei gloriam celebrans, in rogum se coniecit : atque ita consummata est, in Consulatu Diocletiani Augusti* IX. *Maximiani autem Augusti* VIII. *Kal.* April. *Regnante in sæcula Christo Iesu D.N.cum quo Patri est gloria, Sanctóque Spiritui in sæcula sæculorum. Amen.*

In eam sententiam profert.

In rogum iniecta coronatur.

Hactenus acta puriora, & sinceriora, vt ex *Baronio* notat *Mosander.* in addit. ad *Sur.* h. die *fol.* 2. *tom.* 3. Quæ illustrauit R. P. F. Petrus à S. Cæcilio in *memorialibus MS. Sanctorum Granatensium*, à quo huiusmodi Scholia accepi, & ne sub silentio lateant, & cuilibet suos rependamus operum fructus ad literam latinitate donauimus, sic:

Scholia ad Acta ex MS. R. P. F. Petri à S. Cæcilio.

Etsi in relatione SS. *Agapis*, & *Chioniæ*, nonnulla de *S. Irene* earum sorore contexuimus, cum acta trium fere sint communia; nunc ex proposito de ista, verba indiuidualiter facere, vt opus exposcit, & ad introducendam eius in hac *Ecclesia Granatensi* festiuitatem, necesse habuimus. Ergo S. IRENE ex vrbe *Illiberitana* processit, vt refert *Eutrandus in fragment. n.* 177. hisce verbis : *Irene Virgo detulit ex Hispania Thessalonicam multitudinem magnam librorum sacrorum* (*fuit enim, vt creditur* Illiberritana) *& abscondit, Anno* CCCIV. *Thessalonicæ passa est, V. Aprilis.* Quod fuisset hæc Sancta Virgo *Illiberritana*, & ex eo eius sorores, liquet. Nec huic aduersatur (vt aliquis præsumpserat) quod in Actis dicitur : *Tales fuerunt tres illæ Sanctæ fœminæ, quæ ex vrbe Thessalonica originem ducebant.* Nam diuersè accipiuntur Origo, & Natalis. Ex eisdem percipitur actis euidenter, ipsas non *Thessalonicæ* natas, vbi martyrium compleuisse dignoscitur, cùm verba actorum contraria affirment, sic: *Cum igitur persecutio à Maximiano Imperatore aduersus Christianos illata esset, mulieres illæ quæ virtutibus seipsas ornauerant, Euangelicis legibus obedientes, propter summam in Deum charitatem, & cælestium bonorum spem, Patrísque Abraham factum imitantes*, patriam, cognationem, facultatésque omnes reliquerunt: *ac persecutores fugiendo, quemadmodum Christus præcepit, altum quendam montem petierunt.* Ergo si Patriam, cognatos, & facultates, fugiendo reliquerunt, & *Thessalonica* comprehensæ fuerunt, liquido patet, ab alio loco ad illum confugisse. SECVNDO colligitur, ex eisdem verbis, quòd quando in carcerem coniectæ fuerunt, contra *Macedoniam*, vbi est *Thessalonica*, progrediebantur; non ex illa in Occidentem veniebant; & ideò aut ex *Hispania*, aut ex aliis Occidentalium Prouinciis diffugiebant. Quod patet; Nam, vt (ex Scriptoribus, qui Diocletiani, & Maximiani acta scripsere) colligitur, Maximianum, & Diocletianum persecutionem contra Ecclesiam excitasse communi nomine fatendum est; at non vniuersaliter communi titulo desæuiebant. Quia Diocletianus, qui erat natione Sclauus ex Dalmatiæ prouincia, frequenter Italiam, Græciam, aut aliam Orientalem lustrabat prouinciam, vbi per se, vel per ministros suæ crudelitatis, Christianos comprimere satagebat. Maximianus autem, qui fuit natione Hungarus, omnes prouincias Germaniæ, Flandriæ, Galliæ, Hispaniæ, & aliquot Africæ partes, quas à Diocletiano acceperat in Imperij ingressu, crudeliter percurrebat, inter multos Iacob. Gordon. *in Chron. ad ann.* 284. adsit : *Diocletianus tandem integro, & pacato potitur Imperio, ac Romam veniens, socium Imperij fecit M. Aurel. Valer. Maximianum* (*qui Hercaleus appellari voluit*) *commilitonem, & ex Pannonia oriundum, cui Occidentem commisit.* Eadem *Niceph. Calixt. lib.* 7. *Hist. Ecclef. c.* 17. & alij plerique. Et licèt hæc tàm vniformia non accederent testimonia, sufficeret ipsa persecutionis euidentia à Maximiano protracta, cuius sæuitia non aliò, quàm in Occidente pensum crudelitatis

E qua vrbe orta?

Non fuisse Thessalonicenses ex Actis probatur.

I.

II.

delitatis exercuit. At cùm acta fateantur, Maximianum intulisse persecutionem contra Christianos,absque dubio credẽdum est,eam in sui districtus circulo excitasse nec de eo est ambigendum;sui ergo districtûs titulus erat Occidens;ergo quando hæ Sanctæ Sorores metu persecutorum patriam deserentes, & libros sacros deferentes, cognationem, & facultates despicientes in interiora diffugerant, & montium cacumina elegerant, ex ipsa actorum litera ex Occidente, Maximiani portione, ad Orientem Diocletiani partem cucurrere. Quæ considerationes taliter *Eutrando* fauent, vt illis probatis, eius sententia absque controuersia procedit.

His accedit, quod cùm acta relata sint à *Baronio*, & aliis Scriptoribus, vt vera, & pura laudata, ad quid Nostrarum, cum aliis, quarum memoria in actis *S. Anastasia* inueniuntur, martyrium confundunt? Sed quia communis apud omnes fit error, vt ipsum diluam, cuius sequar vestigia ignoro; ex quo vt nodum confusum soluam, vtrarumque Sanctarum discrimen referam. I. Quia *Simeon Metaphrastes*, qui Nostrarum, & *Aquileiensium* acta concinnauit, tanquam de diuersis earum agonem contexuit, quia non est verisimile tantum Scriptorem, duplicem actorum se velle producere literam, si *Nostræ*, & *Aquileienses* ipsissimæ fuissent. I I. Nam in tempore etiam agonis differunt; quia *Aquileienses* martyrium compleuerunt anno C C. L X X X V I I I. vt docet *Iacob. de Voragin. legend.* 167. post tres menses à passione *S. Chrysogoni*, & tempore *S. Anastasia*, vt ex ipsius actis liquet: At *Illiberitana* Nostræ lauream meruerunt, vt ex ipsa *Baronij* sententia constat, anno C C C. I V. ideò differunt in tempore ferè per X V I. annos communes. I I I. In causa quoque adest discrimen, nam Primæ solùm ex causa fidei, & Idolorum contemptu ad præmia conuolarunt æterna. Nostræ extra fidei amorem, & Deorum horrorem, etiam pro non tradendis sacris Scripturis, quas ex *Hispania* detulerant, passæ ex actis dignoscitur. Et vt hoc clariùs innotescat, sciendum est, Diocletianum, & Maximianum vltimam excitasse persecutionem in fine anni C C C. I I. vel in principio sequentis, vt ex *D. August. lib.* 8. *de Ciuit. cap.* 51. Paul. Oros. *lib.* 7. *cap.* 27. Euseb. *lib.* 8. *cap.* 3. Baron. *in Annal.* & aliis, quos numerat Iacob. Gordon. *Cent.* 4. *Ann.* 304. apparet. Et licèt in aliis persecutionibus ante prædictum annum, commotis, ab iisdem Tyrannis, plurimos Christi Athletas comperimus, attamen nulla in edictis de sacris libris comburendis, nisi in hac vltima, mentio fuit. Causam præbuit *Concilij Illiberritani* notitia, in quo fuit decretum, ne Christiani cum Idololatris communicarent; quo etiam interdicuntur apostasia, Idolorum sacrificia, publicorum ludorum confessio, & alia, quæ ignauiam in fidei proposito generarent. Huius Concilij paginam, ne in manus perueniret fidelium, & metu pœnæ in decretis indictæ à proposito conseruandæ fidei haud abstinerent, colligere curauit sæuientium malitia. Et ideo apud *Illiberim* potior fuit Principum crudelitas, tanquam occasio huius decreti; nam illic fides pleniori calculo seruabatur, vt indicant ipsius prima verba Concilij: *Assantibus Diaconibus, & omni plebe.* Istæ ergo Sanctæ Virgines, & aliæ quatuor Sodales (quas, credo, fuisse de illis Deo dicatis, quarum mentio est in ipsius Concilij *can.* 3.) fuere, vt auguror, in carcerem iniectæ à Præfecto Maximiani apud *Illiberim*, à quo aufugientes, & *Thessalonicam* transfretantes, illic à Dulcetio denuò comprehensæ sunt. Quod ex actorum verbis infertur, sic: *Sorores quidem tua pœnas nostro iussu decretas exoluerunt: te verò etsi antequam* aufugisses, *propterea quòd scripta, & membranas istas occultaueras, mortis pœna tibi decreta fuerat; non tamen eodem modo iubeo è vita sic repentè discedere.* Quæ captura non *Thessalonica*, sed *Illiberi* facta dignoscitur, ex quo maior huic vrbi gloria præparatur. Sed ad discrimina calamum conuertamus. IV. in loco agonis, nam Primæ apud *Aquileiam*, vt patet ex actis S. Anastasiæ; Nostræ in *Thessalonica*, vt ex Titulo actorum apud *Simeonem*; quod amplectitur *Martyrologium Romanum*, & alij Scriptores. V. in Iudicibus, seu Præfectis, nam Primæ ex iussu *Sisiny*, cui Diocletianus causam remisit; Nostræ ex decreto *Dulcitij*, vt in actis visitur. V I. in ordine, successu, & in circunstantiis capturæ: de Primis stupenda narrantur; de secundis nec modus captionis refertur. V I I. & vltimum (omissis aliis, quæ longum tractatum

Diuersæ sunt ab illis, de quibus agunt Acta S. Anastasia.

I. Discrimen.

II. Differentia.

III. Discrepantia.

IV. Distantia.

V. Differentia.

VI.

VII.

ctatum redderent) in genere agonis diſcrimen eſt ; nam licet in aliquo aſſimilentur, vt in martyrio duarum *Agapinm*, & *Chioniarum*, quas ignis abſumpſit ; & in lupanari, quod vtraque *Irene* luſtrauit, attamen in reditu ex illo diuerſitas eſt. Prima miniſterio *Angelorum* : Secunda ex mandato *Præſidis*. Prima miraculosè in montem rapitur ; Secunda à ſatellitibus in montem conducitur ad agonis certamen. Prima inuiſibilis Præfecto, qui eam libidinosè quæritat, redditur in ergaſtulo ; Secunda à Dulcitio nec ſollicitatur. Prima ab ictu ſagittæ à milite emiſſæ animam Deo obtulit; Secunda ab igne conſumpta defecit. Primæ corpus honorificè à *S. Anaſtaſia* collectum, & delibutum vnguentis, vt moris erat, inter ſuarum lipſana collocauit ſororum ; Secundæ corpus in cineres conuerſum eſt, ne quis illud colligeret, aut oſſa lauaret, in actis apparet. Quibus ſic prælibatis, quæ inter vtraſque coniunctio ? Quæ ratio erit illas confundere ? Nulla prorſus. Quas ſi Scriptores prolixiùs delibaſſent, fortè intantum non caderent errorem, & præcipuè *Baronius*, qui intelligens diſcrimen in actis, vanis verbulis ad erroris curationem eſt vſus. Ex hac confuſione à nemine in lucem redacta, proceſſit, illa in Martyrologiis repetita, & in Scriptoribus coadunata.

Baronij lapſus.

Opponuntur Duo.

His ſic coagulatis notulis, duo ab aliquibus obiecta propoſuere, quibus ſatisfacere non incongruum mihi viſum eſt. I. Quòd inueriſimile videtur fuiſſe duplicem ternarium Sanctarum eiuſdem nominis, eorúmque extraneorum. II. quod abſque fundamento eſt, illas Hiſpanas facere ; cùm nomina verò Græca ſint. *Ad Primum* reſpondeo, non videri inſolitum, iis, qui Eccleſiaſtica euoluunt monumenta, quòd hoc duplex Sanctarum ternarium inueniatur, quia in Martyrologio Romano *die VIII. Decembris* celebris eſt memoria *SS. Claudij, Nicoſtrati, Simphoriani, Caſtorij, & Simplicij*, Romæ paſſorum, tempore Diocletiani: & in ipſo Martyrologio *die VII. Iulij*, idem quinarium Sanctorum eiuſdem nominis reperitur, in eadem vrbe paſſorum, & addit Baron. (*in Not. ad 7. Iulij lit. A.*) *Diuerſi omninò ſunt hi, ab illis Martyribus, qui iiſdem nominibus ſunt appellati, agitúrque Natalis eorum inferiùs ad VI. Id. Nouembr. prout diuerſa ipſorum acta declarant.* Nec in nominum inſolita nuncupatione adhærendum eſt, quia ſi hodie extranea cenſentur, tunc communia fortè fuiſſe fatendum eſt ; vt noſtro æuo *Maria*, *Elizabeth*, & *Catharina* : Quinpotius nam *Agape*, Charitas ; *Chionia*, Fides ; *Irene*, Spes, Græco vocabulo ſignificantur ; & inter Latinos *Fides*, *Spes*, & *Charitas* Virgines fuiſſe, nemo eſt qui ambigat ; ergo eadem inter Græcos nomina fuiſſe credendum eſt. *Ad Secundam* obiectionem reſpondeo ; quòd etſi nomina ſint Græca non ex hoc colligitur, quod Natale nō fuiſſet *Hiſpanum*; nam de *Agape Hiſpana* muliere nobili, & famoſa, refert Iulian. Archipreſbyter *in Chron. ann. 364. num. 171. Mantius Hæreticus Gnoſticus venit in Hiſpaniam. Hic hæreticus decepit Helpidij vxorem, & Agapem, & alias fœminas.* S. Iren. *lib. 1. contr. hæreſ. cap. 8. & 9.* S. Hieronym. *in cap 64. Iſai.* Euſeb Hiſt. *lib. 4. cap. 10.* Dextr. *in Chron. ann. 169.* & alij antiqui Scriptores : Idem S. Hieronym. *in epiſt. ad Cteſiphon. aduerſ. Pelagian.* his verbis : *In Hiſpania* Agape *Elpidium, mulier virum, cæcum cæca duxit in foueam.* De ea ſcribunt Seuer. Sulpit. *Hiſtor. Sacr. lib. 2.* Baron. *Ann. 381. numer. 99. & 115. tom. 4.* Padill. *Hiſtor. Eccleſ. tom. 1. cent. 4. cap. 58.* De nomine IRENE Hiſpana, nota eſt *Sancta Irenes Virgo Luſitana*, cuius mentio eſt in M. R. *die XX. Octobr.* De qua Baron. *in Not.* Vaſſ. *in Chron. ann. 653.* Reſend. *in Breuiar. Eborenſ.* Villeg. *in Flor. SS. Hiſp.* Truxill. *in Theſ. Concion. tom. 2.* Padill. *tom. 2. cent. 7. c. 38.* Emanuël Far. de Souſſ. *in Epitom. Hiſtor. Portugalenſ. 2. part. cap. 5. num. 23.* Quibus, obiectionibus facio ſatis.

I. Argumento reſpondetur.

II. Obiectioni ſit ſatis.

Hactenus R. P. F. à S. Cæcilio, cui etſi addere ſuperuacaneum erit, attamen, vt ex nobis aliquod prodeat ſymbolum, nonnulla in confirmationem addemus ; & primum ſit, circa comprobationem Natalium apud *Illiberim*, vrbem *Hiſpaniæ*, quod patet ex peruetuſto carmine in meo codice carminum MS. vbi hæc perlegitur Elegia.

Nomina & Natales ex Illiberi probantur hoc vetuſto diſticho.

De SSS. Sororibus Illiberitanis Irene, Agape, & Chionia, Theſſalonicæ paſſis, & combuſtis.

Tres

Tres nobis natas Græco de semine præbet
Martyres Illiberis, qualibet arcta fide.
Spes IRENE, AGAPIS *charitas*, CHIONA *est fidei vox*,
Vtraque sic Græcè, sic vnaquæque valet.
Ad patrios, patria neglecta, intrepidè Lares
Properat assiduâ, trina corona, viâ.
Sistitur à sæuo concors sororia turma
Præfecto, à Christo ignea busta capit.

Probatur diuersas esse ab Aquileiensibus.

Circa diuersitatem Nostrarum Virginum ab *Aquileiensibus*, audiendus est Philip. Ferrar. *in Catal. SS. Italiæ h. d. fol.* 180. in Annotat. sic: *Mart. Roman. Vsuard. & Adon. secutum, Virgines has Thessalonicæ passas refert: sed ex earum actis à Metaphr. & Græcis in Anthologio relatis, ex actis S. Anastasiæ Martyris, ex S. Antonino in Hist. 1. part. tit. 8. cap. 1. Bonin. Mombrit. tom. 1. & Tabul. Eccles. Aquileiensis, quæ illas hoc die celebrat, apud Aquileam passas apparet. Fortè aliæ Virgines huius nominis (vt fieri potuit) Thessalonicæ passæ sunt. Rursus circa diem discrimen est. Nam Mart. Rom. cum Vsuard. & Adon. die III. Aprilis agit. Græci die XVI. eiusdem. Tabula Aquil. Eccles. hac die: Cùm itaque illæ Thessalonicæ passæ sint, sub Maxim. Galerio, ex Metaphrast. hæ verò Aquileiæ sub Decio, ex act. S. Anastasiæ, diuersas esse oportet.* Ferè eadem, licèt concisiùs, in Catal. Gener. *SS. h. d. fol.* 140. etsi hic, circa Imperatoris nomen hallucinetur. De paritate nominis. B. IRENE soror *S. Damasi* Pontificis Romani, natione *Hispani*, augeant exempla, & alia quamplura quæ passim circumferuntur; atque dicta sufficient.

Topographia.

THESSALONICA. Ciuitas est Archiescopalis Macedoniæ, ad vltimum Thermaici sinus recessum; olim, & nunc florentissima, & maximum emporium, quod mercatores ex omnibus penè nationibus frequentant. Hodie SALONICHI. Turcas, Hebræos, & Christianos amplectens.

ILLIBERIS olim vrbs celeberrima in *Turdetanis Hispaniæ Bæticæ*, quam hodie GRANADA vocant. De qua plura diximus *Tom. 1. die II. Ianuar. fol.* 54. & 55.

Duplex vrbs.

Quatenus ad *Illiberim* attinet, duas fuisse in Hispania huius nominis vrbes, alteram in *Bætica*, alteram in *Citeriore*, compertum est. Hanc *Caucoliberim*, hodie COLIBRE vocitant, de vna quauis suis in locis ad amussim agemus.

B.

S. VINCENTIVS FERRER. Iste est ille felix Hispaniæ fulgor, Valentiæ lumen, Orbis prodigium, Ordinis Dominicani exemplar, & Cœlitum gloria.

Elogia.

Qui ab ineunte ætate (vt cum Saussayo *in Martyrol. Gallic. tom. 1. fol.* 190. loquar) *mundi illecebras declinans, in religionem se Deo dicauit, susceptóque S. Dominici habitu, vt religiosæ vitæ exercitatione, sic Theologiæ scientia progressus, multis Euangelij causa, Dei inspiratione, peragratis prouincijs, spiritu Angelico præditus, signisque & prodigijs coruscans, circiter triginta millia Iudæorum, ac Maurorum ad Christum conuertit: Ex Christianis perditis, supra centum millia, ad meliorem frugem sua prædicatione reuocauit: In hoc vtique admirabilis, quod dum materna semper, & vbique lingua vteretur, omnes eius sermonem ex quauis natione perciperent.* Illum ergo Sanctitatis culmen, prædicationis apicem, & charitatis facem vocitat F. Anton. Senens. *in Chron. Domin. ann.* 1400. *fol.* 216. Eius elogia concinnat Bzou. *tom.* 15. *ad eund. ann.* & alij quamplures.

Martyrologia.

De eo est mentio in Martyrologiis Molani *in Not. ad Vsuard* sic: *Item apud Venetiam Britanniæ* B. Vincentij Valentini, *cognomento* Ferrarij *Confessoris, Ordinis Prædicatorum, sanctitate, doctrina, miraculisque clarissimi. Hic supra triginta millia Iudæorum, ac Maurorum ad Christum conuertit.* Eadem ferè Maurolyc. Alexand. de Peregrin. Const. Fellic. Philipp. Ferr. Cabilonens. & alij plerique. Omnibus his adiungenda Martyrologia Dominicanum, Romanum, *Castellanum* P. Dionys. Vasq. *Lusitan.* PP. Societ. IESV. *Hispan.* P. Higuer. *MS.*

Fasti.

Item Fasti Marianus Belinghen *fol.* 188. Sodalitatis Marianæ *Antuerp.* 1637. *fol.* 178. Gallicus Bachot. *fol.* 341. Belgicus Miræi, *fol.* 173. Capuanus, Monachi, *fol.* 481. Idem Miræus *in Bibliothec. Eccles. cap.* 451. *fol.* 264.

Scriptores.

Ipsius acta scripsêre *Petrus Ransanus*, Panor-

mitamus, *anno* 1454. iubente Martiale Auribello, Magiſtro ordinis; Saluius Caſſeta Magiſter Generalis XXXII. Poſt eos Ioannes Antonius Flaminius, Forocornelienſ. *lib.5. de Illuſtr. Vir. Ordin. Prædicat.* S. Antonin. Archiep. Florent. 3. *p. tit.* 23. *c.*8. Leand. Albert. *de Vir. illuſtr. Ordin. Præd. lib.* 1. F. Vincent. Iuſtin. Antiſt. *ex proceſſu Canonizationis collecta, typis anno* 1575. Petrus Equilin. *in Cat. SS. Additor. cap.* 3. *fol.* 239. Claud. de Rota in *Legend. SS. legend.* 203. *fol.* 141. P. F. Thom. Truxill. *in Theſ. Prædic. tom.* 2. *fol.* 584. Maldonad. *in Vit. SS. fol.* 91. F. Franciſc. Diago *in integro opere duobus libris diſtincto, Barcinone* 1600. D. Alphonſ. Caſtill. Solorzano *in ſacrar. Valent.* cap. 2. *fol.* 9. Valent. 1635. Ex Rauſano, Surius, Lipoloſſis, Cæſar de Graſſis, Millan, Vega, Villegas, & Ribadeneyra in floribus Sanctorum. Ab illis Mariet. *Hiſt. SS. Hiſpan. lib.* 11. per totum. Bzou. *tom.* 15. *Ann. Eccleſ.* qui Bullam Canonizationis ſubiunxit.

Hiſtorici. Item ex Hiſtoricis eius magnalia conſcripſère Trithem. *de Vir. illuſtr. fol.* 349. Marin. Sicul. *de Re. Hiſp. lib.* 5. Alphonſ. Vener. *Hiſt. temp. fol.* 146. Platin. *in Vit. Calixti III.* Ioann. à Glan. *in eod. fol.* 427. Illeſc. *in eod. fol.* 65. *tom.* 2. *c.* 15. Chacon. in *eod. tom.* 2. *fol.* 324. Matth. Palmer. *in Chron.* Genebrard. Gordon. Gaulter. & alij *ad ann.* 1418. & 1455. Gaſp. Scholan. *Hiſt. Val. tom.* 1. *lib.* 5. *c.* 18. F. Franc. Diag. *Hiſt. Ordin. Prædic. Aragon. lib.* 2. *c.* 50. *fol.* 165. Vaſſ. Marian. Volaterr. Ægid. Gonzalez, & propè innumeri.

Breuiaria. Item ex omnibus *Breuiarijs antiquis Hiſpaniæ* eius acta colliguntur, taliter quod nulla fuerit Eccleſia, in qua eius non recitaretur Officium. Eius acta ex peruetuſto meo MS. Legendario abhinc CC. ann. exſcripto, & in nouem Lectiones diſtributo, tanquam nondum typis data, de Antiquitatibus benemeritis exponere curaui.

ACTA S. VINCENTII FERRERII CONFESSORIS, de ordine Prædicatorum; ex antiquo Legend. MS.

Lectio I.

Origo. B. VINCENTIVS ex Valentia *clariſſima* Hiſpaniæ *ciuitate oriundus, ex* Ferrariorum *antiqua, honeſtáque familia eius natiuitas originem duxit.* *Proſapia.* *Parentes itaque eius honeſtiſſima vita, ac religioſa, cùm ætatem iuuenilem tranſiſſent, atque ad maturiorem ætatem deueniſſent, hunc tàm inſignem filium, in ipſa ſenecta habere meruerunt. Quantus autem, aut qualis fuiſſet* Vincentius *suo futurus, duplici indicio Matri exiſtenti grauidæ oſtenſum eſt.* *Matrem adhuc in vtero non grauauit.* Vnum *fuit, quod cùm antea ſingulos filios, quos genuerat non ſine magna moleſtia vtero geſtaſſet;* Vincentio *tamen grauida nihil moleſtiæ ei inferebatur, imò tanta erat in ea agilitas, tantúmque corporis robur, quantum ſi non eſſet grauida, habuiſſet.* Alterum *fuit, quòd exiſtens eodem filio grauida, tanquam voces canis latrantis ex ſuo vtero ſæpius emitti, audiuit.* *Latrauit vt canis in vtero.* *Cúmque à nonnullis, qui Deo ſeruiebant, præſertim ab Epiſcopo Valentino peteret, quid ſibi velint huiuſcemodi latratus? reſponſum eſt ei, nihil aliud illud fore, niſi quòd eſſet quendam infantem paritura, qui ſuo tempore eſſet futurus verbi Dei prædicator, tam doctrina, quàm vitæ integritate, ac fama celebritate, in toto Orbe terrarum clariſſimus.*

Lectio II.

Educatio. *Nato deinde infante, ac quodam diuino præſagio, ei nomine impoſito, quemadmodum parum moleſtiæ Matri dederat, tempore, quo eo grauida tenebatur; ſic & quamdiu eum, infantem educauit. Poſtquam verò attigit ætatem, qua literis, & moribus informari potuit, mirum in modum breui tempore clarus euaſit, tàm morum elegantia, quàm peritia literarum. Erat ſiquidem in eo magna, & admiranda religio, atque à primæua ætate circa Dei Eccleſiam, quam ſæpè, & ſæpius frequentabat, ineffabilis deuotio;*

in

in tantum, quod inter sæculares Valentiæ,*nemo inueniebatur, qui eo aut sæpiùs Ecclesiarum limina visitasset, aut auidiùs prædicatorum doctrinam audisset, aut crebriùs ieiunasset, aut qui Dei laudibus, hymnis, & orationibus frequentiùs vacasset. Illud eximiè obseruabat, quòd improborum hominum conuersationem, tanquam pestem fugiebat; probos verò, & eos, qui virtutibus præditi habebantur, tanquam vitæ suæ Magistros permaximè imitabatur. Pauperibus sese misericordissimum exhibebat, & ob hoc ipsum, non solùm domum parentum introducebat, verum etiam rebus, quibus poterat, eos refici frequentiùs faciebat. Sed cùm ista sibi parua viderentur, partem substantiæ, quæ ei contingebat, à parentibus sibi traditam, & concessam, totam pauperibus in triduo erogauit.*

In pauperes munificus.

Lectio III.

Postea cælesti rore perfusus, decimum octauum agens annum, elegit viuere sub regula, & institutis Fratrum Prædicatorum, suscepitque eorum habitum, non sine vehementissima omnium gratulatione. Eratque nomen eius in Ciuitate Valentia *celeberrimum, ob quod arbitrabantur Prædicatorum ordinem, vt postea claruit, tàm insignis adolescentis virtutibus, plurimùm esse decorandum. Recepto igitur habitu, singulariter legere studuit B. Dominici gesta, vt videlicet, illa in primis intelligeret, in quibus suum ducem esset imitaturus. Itaque inter alia, exemplo Patriarchæ sui, dedit operam sanctarum Scripturarum lectioni, & Theologicæ facultati, vt talibus armis munitus, posset, opportuno tempore, Euangelium* Christi *longè, latéque diffundere. Missus deinde* Ileridam, *in qua vrbe, per illud tempus florebant publica liberalium artium studia, tanta eruditione, ac tàm celebri nomine claruit, quòd vicesimum octauum agens annum, fuit Theologorum collegio connumeratus. Posthac fuit à Fratribus* Valentiam *reuocatus; móxque manifestè viderunt in eo adimpleri ea, quæ ab adolescentia sua ex Dei milite sperauerant. Cæpit enim in ipsa vrbe seminare doctrinam, quam antea hauserat, ad quam audiendum, docti pariter, & indocti, vndique auidissimè concurrebant; & non solùm Christi fideles, sed & infideles.*

Ordinem Prædicatorum ingreditur.

Ileridam studiorum causa proficiscitur.

Valentiam reuocatur.

Lectio IV.

Factum est autem, vt per id tempus veniret Valentiam Benedictus *Papa* XIII. *Qui cùm mirificas ipsius* Vincentij *virtutes videret, ac eximia Sanctitatis nomen,* Valentiæ *Episcopum eum creare decreuit; ipse autem oblatam dignitatem accipere recusauit; tùm quia se esse ad talis dignitatis honorem, indignum existimabat; tùm quia & longè maiora, & vtiliora animo cogitabat. Nec solùm* Valentiæ *Ecclesiæ, verumetiam multarum aliarum Ecclesiarum Dei Episcopatus, eidem ab eodem Pontifice oblatos viriliter recusauit: Sed quod maius est; quadam die Papa, parato rubeo pileo, conuocatísque cunctis Patribus, qui eius curiam sequebantur, voluit eum Cardinalium collegio connumerare. Quam quoque dignitatem, eisdem de causis nequaquam admisit: verùm fugere non potuit, quominùs duos annos, ipsum Pontificem sequeretur, essétque Confessor eius, & Magister Apostolici Palatij. Demum cum esset triginta, & octo annorum, apud* Auenionensem *Galliarum egregiam ciuitatem, ei grauissimis febribus occupato,* Christus Iesus *mira quadam claritate coruscans apparuit; mittens eum ad euangelizandum, per vniuersas Occidentis regiones: Voluítque, vt inter alia, quæ esset prædicaturus, extremi iudicij diem esse nostris temporibus propinquum nuntiaret: Et post multa, quibus eum consolatus est, & instruxit, extendens manum, tetigit leniter eius maxillam in signum singularis familiaritatis. Tandem discessit ab eo Christus, & surrexit è lectulo sanus, ac illicò sese accinxit, vt Christi legationem diligenter exequeretur.*

Dignitates oblatas respuit.

Iesus illi apparet, & in Occidentales vrbes ministrum dimisit.

Lectio V.

Eius peregrinationes pro prædicationis munere obeundo.

Itaque cœpit euangelizans iter arripere. Nullus fuit ferè locus in Galliis, *& in* Hispaniis, *vbi esset hominum habitatio, in quibus verbum Dei cum multa, ac mirabili populorum deuotione, attentione, & sequela, non seminauerit. Peruenit quoque* Ianuam, *ac circuiuit multas* Italiam, *voluit ad* Barbaros *proficisci, & fecisset quidem, nisi nuntius quidam cum literis à Rege Ioanne Hispaniarum Magnifico, velociter missus, ob causam plurimùm Regi ipsi, & toti eius regno necessariam, in* Hispaniam *reuocasset. Denique cùm per huiusmodi necessitatem in* Hispaniam *deuenisset, postquam verò fructum ibi vberrimum animarum, Deo deuotius obtulisset, & omnium causarum negocia, paci, & tranquillitati submitteret, decreuit quoque in ipsas* Insulas Balleares, *qua nostro tempore* Maiorica, *&* Minorica *nuncupantur transcendere. Nec prætermisit* Angliam, Hiberniam, Scotiam, *quæ sunt Insulæ* Galliæ, *atque in Oceano mari sita. Rex præterea* Granatæ, *quæ est Sarracenorum regio, missis ad eum Legatis, petyt, vt ad suum regnum proficisceretur, vt ab eo Christi Euangelium prædicari audiret, nihil obstante, quòd Mahometi secta prohibebat. Cúmque* Vincentius *habita fide publica* Granatam *ingressus fidem Christi doceret, & iam magna multitudo Sarracenorum esset baptismum suscepturа; nonnulli ex eorum Satrapis, Regi comminati sunt regni amissionem subsecuturam, nisi* Vincentius *ex* Granata *discederet. Quamobrem ipse necessitate coactus, inde recessit, & ad docendos Christianos populos se conuertit, vt antea faciebat.*

In Hispanias reuertatur.

A Granatensi Rege vocatur pro suscipienda fide.

Lectio VI.

Temporis diurni & nocturni distributio.

In huius mundi decursu, in quo Octuaginta annos consumpsit, vita eius talis Ordo fuit. Nocturnæ quieti solùm quinque horas tribuebat, reliquam noctis partem, aut Dei laudibus, & orationibus, aut sanctarum Scripturarum lectionibus occupabat. Quotidie prædicabat, postquam Missam celebrauerat; Ab eo die, quo Prædicatorum religionis ordinem professus est, vsque ad vitæ suæ terminum, ab esu carnium abstinuit: nunquam nisi vno ferculo vsus est, quod tamen non multo studio paratum volebat, sed prout religiosi viri statui conueniens videbatur. Vinum multa aqua mixtum semper bibebat, & nunquam super tertiam vicem bibere visus est, quando in mensa reficiebatur. Quadraginta & duos annos continuos, præter Dominicos dies ieiunauit, sextis tamen, quartisque ferijs, solùm panem cum aqua potu ab adolescentia, sine intermissione comedit. Ob quæ ieiunia, tanquam alteri Danieli, sibi concessit Deus, vt etiam spiritu prophetiæ mirabiliter claruisset. Nunquam nisi indutus, & super furmentorum, aut palearum, aut huiuscemodi rerum straminibus, aut vili sacco, modica lana pleno, dormire consueuit: Et si aliquando nobilibus domibus receptus esset, & ei lectus magnificè pararetur, potius humi, quàm in ipso lecto quiescebat.

A carne abstinuit.

Quadraginta annos ieiunauit.

Lectio VII.

Mortificationes.

Illud quoque à prima adolescentia feruare studuit, quod singulis noctibus, quibusdam funiculis ad hoc ipsum per artem dispositis, corpus proprium flagellabat, & si fortè ob alicuius ægritudinis impedimentum, id facere nequiuisset, à suis socijs id ipsum fieri volebat, eos per IESVM-CHRISTVM *obtestans, ne quid dubitarent; sed eum in memoriam Dominicæ passionis, validis ictibus cadendo flagellarent. Quoties Missam celebrabat, ante Corporis, Sanguinisque Dominici susceptionem, vberrimè lachrymabatur, tantáque erat ei dulcedo in lachrymando, vt à lachrymis cessare molestissimam sibi videretur; in eis vero perdurare iucundissimum illi foret.*

Eratque

Erátque tantæ mansuetudinis, vt nemo eum nisi contra vitia iratum videret. Fuit enim in vitiorum reprehensione, terribilis; in suscipiendis ad eum concurrentibus, humilis; in exhortandis peccatoribus, alacer; in corripiendis, seuerus. In tolerandis autem laboribus erat in eo magna, & supra corporis vires patientia. Auctoritas eius tantum apud Principes valuit, quod à multis ex eis, pro magnis causis, & rebus, & etiam pro regni discriminationibus, nihil factum est, nisi illud, quod ex eius sententia, diiudicatum, ac diffinitum erat.

Moret.

Lectio VIII.

Quis autem fructus doctrinæ eius extiterit, aut quantus, sequentia probando manifestant. Nam ex Christianis hominibus, qui tanquam perditi, & obstinati in manifestis flagitiis, ab omnibus habebantur, supra centum millia ad publicam pœnitentiam conuertit. Contra Iudæos *acutus, copiosus, acerque disputator fuit. Propter quæ in diuersis* Hispaniæ *locis, supra viginti quinque millia ex eis baptizari fecit. Nec minus de* Sarracenis, *quorum in* Hispaniis *magna est copia, super* Octo millia *ad vera fidei cognitionem, & ad sacri baptismatis susceptionem reduxit. Nulla ciuitas, nullúsque locus fuit, vbi ciues capitalibus odij inimicitiis discordes comparerent, à quibus prius discedere voluerit, quàm eos pacatos, concordésque reliquerit. Fuerunt præterea ignitis eius sermonibus, & suasionibus multa hospitalia, & multa sacra Ædes, multique pontes, pro fluuiorum transitu, multis in locis constructi. Hæc autem omnia sine multorum miraculorum coruscatione, nequaquam facere potuisset. Fuit autem imprimis ei donum linguæ concessum. Nam cum apud diuersarum linguarum populos, sua materna lingua prædicasset, à singulis tamen distinctè, ac perspicuè, singula eius verba intelligebantur, perinde ac si in eorum terris natus esset. Nec de hoc quisquam admirari debet, quia Vir in omnibus Apostolicus, Apostolorum priuilegijs meruerit adornari, quorum vita, actus, & virtutes, per eum, tanquam per alium Gentium Doctorem, vltimis in istis temporibus mirabiliter præfulsère. Siquidem fuerunt mortui suscitati ab eo, muti, surdi, cæci, leprosi, paralytici, ac ferè infiniti homines diuersorum generum ægritudinibus laborantes, Sanctarum eius manuum impositione plenissimè fuerunt curati, & pristinæ sanitati restituti, & donati. Sed ex sexaginta sex hominibus immundos spiritus per Crucis signaculum effugauit; & plura alia, & maiora fecit, quæ si omnia ad plenè scribi deberent, tempus per prius credo deficeret, quàm copia laudationis.*

C. Mill. Christianos perditos conuertit.

XXV. Mill. Iudæos baptizari fecit. Item VIII. M. Maurorum.

Donum linguarum vt Apostoli habuit.

Miracula.

Lectio IX.

Tandem cùm tempus veniret, in quo laborum suorum Sanctorum mercedem promissam caperet, post annos ætatis suæ septuaginta & octo, duos reliquos annos ad vitæ terminum finiendum superstites in Britannia minori *commoratus est. Et quamuis ob ipsam senectam, ac potius, cibique parcitatem, vigilias, ieiunia, carnis macerationem, cæterósque labores, corpus eius sic extenuatum esset, vt sine baculi sustentaculo, nullo pacto incedere posset, tamen verbum Dei prædicare nunquam destitit, nec consueta exercitia prætermisit. Erátque omnibus* Britonibus *amabilis, venerabilis, laudabilis, gratus, charus, & benignus, ac omnium orphanorum, pupillorum, viduarum, & pauperum director, defensor, consultor, omniúmque aliorum Pater habebatur. Existens autem in vrbe* Venetensi *post adquisitum in ea maximum fructum, persuasus à socijs, ex ea vrbe recedere constituit; verùm cùm media nocte iter arripuisset, & ipso itinere reliquam noctis partem consumpsisset, tandem illucescente die ante portas memoratæ vrbis* Venetis *se esse cùm aduertisset, Dei voluntatem intelligens ad fratres conuersus ait:*

Exercitia in vltima senectute.

Discessus & recessus ad Veneta.

Reuertamur filij mei in ciuitatem vnde media nocte diſceſſimus. Hic enim locus eſt, vbi poſt paucos dies ad Deum ſum migraturus. *Itaque ingreſſus ciuitatem, illicò grauiſſimis febribus occupatur. Receptis deinde Sacramentis Eccleſiaſticis, confortatiſque ſingulis ad eum concurrentibus, nec non hora mortis eius prædicta, atque in hymnis, & fide Christi perſeuerans, tandem latus in cœlum oculos erexit, extenſiſque manibus, & in modum orationis iunctis, felici ſomno quieſcens, migrauit ad Chriſtum, & exilij huius miſerias relinquendo ſpiritum cœlo reddidit*, Nonis Aprilis, *Anno Incarnationis Dominicæ* M. CCCC. XIX. *Feria* IV. *ante Dominicam Palmarum. Quo tempore ex ipſo corpore mira odoris emanans fragrantia, diutiùs perdurauit. Præſtante Domino Noſtro* IESV-CHRISTO, *cui cum Patre, & Spiritu Sancto eſt laus, & honor, virtus, & poteſtas, imperium, & gloria, per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.*

Sacramentis vallatur.

Moritur.

Hactenus acta; qui extenſiora deſiderat, adeat *Surium*, in cuius codice libros quatuor à *Petro Rauſano* Epiſcopo *Nuxerino* conſcriptos inueniet, inquibus nihil inueniet, quod non appetat. Scripſit Sanctiſſimus nonnulla opuſcula, quorum mentio eſt apud *Trithem.* & *Mireum*, vbi ſuprà, licet de Aliquibus dubitet *Vincent. Iuſtinian. Auſtiſtius*, qui aliquot eius opera euulgauit, *Valentia Ann.* 1591. vbi genuinus operum catalogus exponit, in hunc modum.

Opuſcula quæ S. Vit ſcripſit.

I. *Tractatus de Vita Spirituali in XVII. capitibus diſtributus.*

II. *Tractatus Conſolatorius in fidei tentationibus, tria cap. amplectens.*

III. *Epiſtola aliquot ad diuerſos, in quibus ſuffragium in electione Regis Aragonum, & ſententia pro Infante Ferdinando.*

IV. *Orationes eius variæ, & Liturgia, quibus vtebatur ad ægros, & obſeſſos curandos, & liberandos, animaſque ex Purgatorio extrahendas, & alia huiuſmodi pia opuſcula.*

V. *Opus ſuppoſititiorum à Flaminio, Rauſano, & Auctore Clypei Thomiſtarum quæſt.* 23. *allegatum.*

VI. *Opuſculum pro iuuandis concionatoribus extractum ex ſacris Biblijs, per ſingulas temporis, & Sanctorum ſolemnitates progrediens, quæ ſacra Scriptura loca à Geneſi, vſque ad Apocalypſim, huic, illiue Sancto; huic, aut illi feſtiuitati accommodari in concionibus poſſint, enumerat. Cuius autographum, argento, & eius imagine ornatum in Sacrario Piſani Monaſtery ſeruatur.*

¶. *De Tribus Sermonum voluminibus dubitat, quin potius credit à Diſcipulis fuiſſe curſim ceptis, non à Vincentio editis, licet Infans Martinus ipſe promitteret Conciones offerre.*

In antiquis ordinis Prædicatorum *Breuiarijs* adſunt illuſtres de Sanctiſſimo Patre, quorum ecphraſis, ne temporum labilitate depereat, hîc ſubnectere curabo.

HYMNVS AD VESPERAS.

Mente iucunda iubilent fideles;
Vocibus, hymnis reſonent canentes,
Nam datus mundo nouus eſt precator
Ante Tonantem.
Alme Vincenti *veneranda cuius*
Hæc dies totum colitur per orbem;
Quas tibi cantat chorus hic fidelis,
Accipe laudes.
Rite mox annis teneris peractis
Prædicatorum ſitiens adiſti

Ordinem

Ordinem, seruans documenta patrûm,
Mente pudica.
Tactus è cœlis operam dedisti,
Literis sacris vtriusque legis,
Quas docens verbo fidei replesti
Lumine mundum.
Inde feruenter citò iam propinquum
Sæculi finem fore, nunciasti,
Vt Deum gentes timeant patenter
Vociferando.
Angelus alter penitus fuisti,
Ille qui cœli medium volabat,
Nuncians cunctis populis, & linguis
Iudicis horam.
Lingua quæ sancta populos docebas,
Rebus, & signis varijs probatas;
Languidis reddens, cruce, sanitatis
Robora membris.
Inter electos modò collocaris;
Semper in cælo meritò triumphans,
Fulgidis sertis redimitus omni
Tempore sæcli.

AD MATVTINVM.

LVmen in terris populi fidelis,
Ciuis & cœli modò factus alti,
Acta Vincenti *tua continentes*
Dirige voces.
Flore primæuo nitidæ iuuentæ
Eligens puræ documenta vitæ,
Ordinis magnum imitans Parentem
Prædicatorum.
Luce doctrinæ rutilans serenæ,
Ambitum terræ, pelagique lustrans,
Semper ardenti resonando sacrum
Pectore Verbum.
Dùm viam cunctis referas salutis,
Orbis occasum canis, & propinquum,
Iure te clarum genus reddit omne
Prodigiorum.

Hanc velut Solis radius cadentis,
Conditus terra Britonum *remota,*
Pulchrior regnis Oriens supernis
Æthera scandis.
Angelis septus, decoratus astris,
Doctor, & Virgo geminis coronis,
Inter illustres animas refulges
Munere Christi.

AD LAVDES.

M*Agne* Vincenti, *noua lux Olympi,*
Noctis obscuras tenebras resolue,
Vt tuas puro modulemus omnes
Carmine laudes.
Sydus extremæ Venetensis *oræ,*
Et Valentiæ *decus vrbis almæ,*
Ordinis sacri nitor es, & aui
Gloria nostri.
Cuius instructi monitis, Hebræi
Vnà cum Mauris, veteri relicta
Lege, diuinis reuocantur vndis
Mente fideli.
Signa quæ multis patuere terris,
Te probant amplis meritis refertum,
Ac Viris celsis fore comparandum
Temporis acti.
Dæmonum sæuos reprimis furores,
Pellis & morbos miseratus omnes,
Sæpe defunctos reuocas in auras
Lucis amœnas.
Inde post claræ monimenta vitæ,
Ad Poli regnum, Superûmque cœtum
Lætus ascendis, capiens perennes
Victor honores.

Plura alia de Sanctissimo *Vincentio* colligere poteram carmina, sed consultò omittere visum est, ne prolixiori calamo lectores suspendamus, quando tanti Viri fama, per vniuersos Orbis circulos circumfertur.

VENETVM, seu VENETIA, hodie *Vannes* Ciuitas Episcopalis, antiqua *Galliæ Celticæ* maritima, inter vrbes Armoricas *Britanniæ* minoris non ignobilis, de qua vide Philipp. Ferrar. in Geograph.

OCTAVO

OCTAVO IDVS APRIL.

DIES VI.

A. S. Prudentius *Episcopus* Trecensis *in Gallia, natione* Hispanus, *qui cum à Sarracenis è patrio expulsus solo extitisset*, Gallias *adijt*, *& apud* Augustam Trecarum *pedem figens, ibidem religionis zelo eximius, & Sacra Scripturæ scientia illustris apparens, mirificis clarens virtutibus spiritum Deo reddidit.*

B. Carthagine *in Africa* S. Marcellini *Tribuni Notariorum ex urbe* Toleto Hispaniæ *orti Natalis innouatur, qui* SS. Hieronymo *&* Augustino *familiaritate coniunctus, & pòst fraudibus Donatistarum hæreticorum obtruncatus*, Martyr *intrepidus cælos ingreditur.*

C. *Apud* Gallæciam *in Cœnobio* S. Petri Montium *depositio* S. Vrbani *ipsius Monasterij* Abbatis, *cuius sanctitatis opinio, vt inter sacrata* S. Gennadij *Asturicensis Episcopi pignora, eius exuuiæ reponerentur, veraciter promeruit.*

D. Hispali *solemnitas translationis* S. Leandri *ipsius vrbis Episcopi, quo die festum quatuor dignitatum gloriosè antiquitus agebatur.*

NOTÆ.

SANCTVS PRVDENTIVS. Illustris apud *Gallos* Præsul, adhuc incognitus apud *Hispanos* filius. Illinc sanctitate excultus; isthinc natiuitate nec agnitus. *Gallos* ex *Hispania* perlustrans, *Trecensis Ecclesiæ* infulas induens, illos doctrina, & exemplis imbuit; istam sanctitatis illustrauit honore. Eius memoriam repetunt Maurolyc. h. d. Constant. Felic. Philip. Ferrar. *in Gener. Catal. SS. fol.* 140. qui ex *Democare* refert, fuisse XXXVIII. *Trecarum* Episcopum. Idem in Topograph. *SS. fol.* 127. *col.* 2. Andr: Sauss. *in Mart. Gallic. tom.* 1. *fol.* 192. ex quo eius acta referam, tanquam ab origine cognitionis tanti Viri, Sanctissimíque Præsulis. A. Martyrologia.

ACTA S. PRVDENTII HISPANI, Trecarum Ecclesiæ in Gallia Episcopi.

PRVDENTIVS *originem* ex Hispania *sumens, diuinis ornamentis praditus, maximéque religionis zelo, & doctrinarum sacrarum scientia illustris, cùm in* Galliam *à Sarracenis expulsus perfugisset, omnium amorem,* Origo. In Gallias migrat.

&

& admirationem inſe traxit. Vnde defuncto Adalberto Trecenſi *Præſule,*
conſonis Cleri, ac Populi votis, apud quos tum degens claruerat, in illius lo-
Epiſcopus Trecarum eligitur. *cum Antiſtes electus, atque ordinatus eſt. Quo ſuſcepto onere, ſicut lucerna*
ſupra candelabrum euecta, hanc Eccleſiam, imò & Galliam *vniuerſam,*
Sanctiſsimæ vitæ exemplis, diuinaque ſapientiæ fulgoribus irradiauit. Epiſ-
Mores. *coporum ſui temporis decus, atque delicium, puræ fidei vindex, atque vni-*
cum ſacræ Sophiæ oraculum fuit. Ex qua exiſtimatione ductus Guenilo *Se-*
Libros hæreticorum examinat, & refellit. *nonenſis Metropolita librum* Ioannis Scoti, *erroribus Origenianis, Gotheſ-*
calcique nuperi hæretici delirijs ſcatentem, examinandum, ac refellendum
tranſmiſit, quem ipſe, pro data ſibi diuinitus ſapientia, aculeatis rationibus,
validiſque auctoratum præſidijs, maximè verò Hieronymi; Auguſtini, Ful-
gentij, atque Gregorij Sanctiſsimorum Patrum teſtimonijs confutauit. Pia
Concilijs aliquibus interfuit. *etiam* Pöemata *in Chriſti laudem ſcripſit. Synodis Pariſienſi, & ſueſſonenſi,*
reſtituendæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudio, atque ſopiendæ diſcordiæ, ferẽn-
daque pacis amore, ſumma cum Eccleſiæ vtilitate interfuit. His cùm clare-
ret meritis Sanctus Antiſtes à Leone IV. *Pontifice Maximo, reſcriptis*
Conſecrat Monaſterium Ademarenſe. *etiam honoratus eſt Apoſtolicis: cuius Papæ iuſſu, Ademarenſe cœnobium re-*
cens conſtructum in Sanctæ Trinitatis honorem, Apoſtolorúmque Petri, &
Pauli, ac Sancti Leonis Papæ Magni memoriam, conſecrauit. Multa alia
exegit in Præſulatu, tum officij Pontificalis, tum vitæ, tum doctrinæ præcla-
ra facinora; demúmque, cùm Eccleſiam, diù, ac feliciter adminiſtraſſet, die-
bus, & pijs fœnoribus plenus, ad æternam conſcendit beatitudinem. Cuius
Moritur. *corpus ob grata Deo ſeruitutis teſtimonium, gloriaque qua potitur cœleſtis*
crebreſcentia inſignia, dudum è tumulo elatum, & in capſula collocatum
in maiori Eccleſia Trecenſi *honorificè adſeruatur, vbi ex auita deuotione,*
Cultus. *ac diœceſana lege, hodie beata eius memoria ſub celebri Officio percolitur.*
Obiit die VI. Aprilis circa Annum DCCC. LXIV.

En acta ex *Sauſſayo*: Nonnulla quæ in eis referuntur patent ex Baron. *tom.* 10.
Annal. Eccleſ. Ann. 847. *fol.* 55. in Rom. vbi loquens de *Leone IV.* S. P. hæc annectit:
Ne verò quid prætermittamus de rebus ab eodem Pontifice hoc anno geſtis, reperitur ab
Conſecratio Cœnobij Ademarenſis. *eo ſcripta Epiſtola ad* Prudentium *Epiſcopum Trecaſsinum, de conſecrando ab eo Mo-*
naſterio, quod conſtruxerat Ademarus Monachus, déque reliquijs Sanctorum, ab Vrbe
miſsis; monétque vt Sanctæ Trinitati dedicetur in nomine Sanctorum Apoſtolorum Petri,
& Pauli, atque Sancti Leonis Papæ. De aſſiſtentia in Synodo *Sueſſonenſi*, vbi fuit ele-
Aſſiſtentia in Synodo Sueſſonenſi. ctus Iudex in cauſa inter *Hincmarum* Archiepiſcopum Rhemenſem, & ſuos cle-
ricos, patet ex ipſa *Synodo*, quæ extat *tom.* 3. *Concil. Venetijs. fol.* 885. de qua Baron.
tom. 10. *Ann.* 853. *Act.* 1. *fol.* 89. quæ omnia ſingulariter Flodoard. *Hiſt. Eccleſ.*
Rhemenſ. lib. 3. *c.* 11. *fol.* 114. ſcripſit, qui c. 21. aſſerit *Hincmarum* Noſtro PRVDEN-
Hincmari Epiſtola ad S. Prudentium. TIO Trecaſſino ſcripſiſſe epiſtolam, quâ *queritur, quare ſibi præſentiam ſuam ſub-*
trahat, ſignificans ſe ab eo conſilium quærere velle, de ſtatu, & compreſsione Gotheſ-
calci, *intimans quod de ipſo actum, vel iudicatum fuerat in Synodo, quo eum recluſum te-*
nebat iudicio, & quia multis modis eum conuerti tentauerit, & de moribus, ac ſuperbia
ipſius: & ſi in in Cœna Domini, vel in Paſcha debeat illum admittere ad audiendum
ſacrum Officium, vel accipiendam communionem: Et quid ſibi videatur de ſententia Eze-
Ezech. c. 18. chielis Prophetæ, *quâ dicitur:* In quacunque die ceciderit iuſtus, omnes iuſtitiæ
eius in obliuione tradentur: & quacumque die peccator conuerſus fuerit, omnes
iniquitates eius tradentur obliuioni. *Sed & de conſuetudine Cœnæ Domini celebran-*
dæ. Item pro Eccleſijs Sedis Rhemenſis in ipſius diœceſis ſitis, quas ille aliter tractabat,
quàm Epiſcopali conueniret æquitati: vt de his & alijs, quæ de ipſo audiebat ſimul loque-
rentur, exhortans, vt alterutrum ſe inſtruerent, & Domino mutuò commendarent. Quo
loco Georgius Colueneriusin *Additionibus, & Scholijs ad Hiſtor. Flodoardi d. c.* 21.
fol. 107. hæc proſequitur: PRVDENTIVS Trecaſſinus. *Hic in Catalogo Trecenſium*
Quo Anno obijt? *Epiſcoporũ eſt* XXXVII. *Obijt circa annum* DCCC. LXIV. *vt eſt in Promptuario ſacra-*
rum Antiquitatum Trecaſſinæ diœceſis, auctore ſeu collectore Nicolao Camuzat. *Fe-*
ſtum peragitur nouem Lectionibus VI. Aprilis. *Extat in eodem Promptuario Sermo eiuſ-*
dem hoc titulo: Sermo B. PRVDENTII Epiſcopi Trecenſis de Vita, & Morte

B.V.

B. V. Mauræ. *Scripsit quoque* Librum, *quo eruditè confutat libellum Origenianis, & Pelagianis erroribus refertum, quem* Ioannes Scotus *concinnauerat ex* Gothescalci *Orbacensis Monachi scriptis.* Quibus agnosces & anni obitum, & eruditionis opinionem Nostri Præsulis. *Quæ scripsit.*

TRECÆ. Vrbs antiqua in Gallia Belgica, quam & aliàs AVGVSTOMANA dixere, & in Campania Trecassium Metropolis amplissima, & munitissima, eámque ad Sequanam intermeantem esse inter Senones, & Lingones. Hodie dicitur TROYES. Eius situm descripsit Philipp. Ferrar. *in Topograph. fol.* 127. *col.* 2. Robert. *in Gall. Christian.* & alij. *Topographia.*

S. MARCELLINVS.] Admirabilis inter Catholicæ veritatis patres, huius sanctissimi Martyris memoria fuit; & horribile apud hæreticæ prauitatis *Donati* asseclas, istius Clarissimi *Tribuni* extitit nomen. Illi encomiis, eius solertiam, in coniungendis ad disputationem Episcopis vtriusque factionis, extollunt; Isti opprobriis, eius clara facinora lacerant. Sed frustra lucis radios verberat, qui opposita cæcitatis angustia, haud illius valet radios intueri fulgoris. *Romanum Martyr.* hæc de eius sanctitate commemorat: *Carthagine* S. Marcellini *Martyris, qui ob Catholicæ fidei defensionem, ab hæreticis occisus est.* Quorum verborum ecphrasim mutauit Philipp. Ferrar. *in Topograph. SS.* verb. *Carthago. fol.* 33. *col.* 2. Martyr. Castell. *P. Vazq. Societ. Ies.* Lusit. Agunt de eo, vt de vero Martyre S. Hierony. *lib.* 3. *contra Pelagian.* sic: *Marcellinus sub inuidia tyrannidis Heracliana, ab hæreticis innocens occisus est.* D. August. variis in locis. Paul. Oros. *lib....* *c.* 42. Possid. *in vit. S. August. c.* 12. F. Ludouic. ab Angel. *in ead. vit. lib.* 5. *c.* 13. *fol.* 177. *col.* 2. Ado in Chron. *ann.* 420. *fol.* 160. S. Marcus Maxim. *in Chron. Ann.* 432. vbi Roder. Car. *lit. O. fol.* 160. Eius acta à nemine (quod sciam) in compage redacta esse, videntur, quia nullus, qui de Sanctorum actis scripsere, ea in vnum congesta typis mandauit, quò sic ex diuersis illa conscribere non renuo. B. *Martyrologia.* *Scriptores.*

ACTA S. MARCELLINI TRIBVNI *Notariorum apud Carthaginem passi.*

MARCELLINVS *ex nobili* Toletanorum *origine oriundus, Catholicam fidem professus, omnium bonarum literarum, ab infantia amore flagrabat. Patriam relinquens, clarissimis suffixus natalibus, aulam Cæsaris inter Palatinos, vitam, vt ageret, concupiuit. Ab Honorio tam propter originis, & patria affectum, quam propter indolis spectabilis ornatum, honorifico receptus vultu, affabilique amplexatus affatu, vt Curia sequeretur examina commendauit. Aliquot ibidem annos in tam fatigabilis laboris pistrino consumens, tandem eius interpellantibus virtutibus ad Notariorum Tribunatus honorem,* Honorio *auctorante, peruenit. Magna fuit quippè huiusmodi Officij & dignitas, & auctoritas, ex eo colligitur, quòd similes* Tribuni *ad suprema ferè & Religionis, & Reipublica negotia electi, supremum obibant Imperij apud Prouinciales fastigium. Quos & aliquando* Comites *dictitatos, & secretorum Principis Primiceros fuisse dignoscitur. Ad hunc honorem nec eligebantur, nisi qui egregij, & in quibus reprehensionis vitium nequisset inueniri. Talis ergo Noster fuit* Marcellinus *prouectus; & talis in munere periculosissimo (propter secretiora Principum munia) inuentus, vt onere sublimis, & honore humilis, exercitij pensum omnibus amabilis, nulli nocens, mirabiliter continuaret.* *Origo.* *Patriam deserit.* *Tribunus Notariorũ ab Honorio Imp. efficitur.*

Per id tempus Donatistarum *turbulenta lues Africanas defatigabat Ecclesias, contra cuius serpentis epidemia iteratos errores* B. Augustinus *insurgens, aliquantisper eorum continuit, disceptationibus validis, inundationem; donec, cum non posset* Collatio *publica fieri (in quam omnes Religionis, & Reipublica quietem conferebant) inter Catholicos, & Donatistas, propter istorum licentiam, & nimiam peruicaciam,* Augustinus *cum populo egit Africano, vt ab Imperatore* Honorio *auxilium expeteret, quo posset illa non minus desiderata, quam vtilis disputatio, ad finem perduci debitum, & effectum.* *Donatistarum dissturbium.*

S. Vir Carthaginem mittitur.

Impp. rescriptum.

Periculosus Africæ status.

S. Viri ad hæreticos persuasio.

Collectio Episcoporũ apud Carthaginem.

Edictum pro sedando tumultu.

Concordia Catholicorum.

ctum. Tunc Catholicus Imperator à latere suo Virum præclarum, nobilem, & spectabilem, Tribunum Notariorum Marcellinum Hispanum *ex vrbe* Toleto *ortum, vt Donatistas ad Collationem cogat, Carthaginem commissione emisit huiusmodi:* Impp. Honorius, & Theodos. AA. Marcellino suo Sal. Ea, quæ circa Catholicam fidem, vel olim ordinauit antiquitas, vel Parentum Nostrorum auctoritas religiosa constituit, vel Nostra Serenitas roborauit, nouella superstitione summota, integra, & inuiolata custodire præcipimus. Dat. IV. Id. Octob. Rau. Varane V.C. Cons.

Perrexit in Africam Marcellinus, *& inueniens, quod Africam totam Donatistarum furor inuaserat, nec prædicari à Catholicis veritas, contra suum patiebantur errorem, quin potius violentis aggressionibus, latrocinationibus, itinerum obsidentibus, rapinis, ignibus, cædibus cuncta vastantes, deterrerent omnia; ad Collationem indicendam* (Augustini, *& populi suasionibus) animum libenter applicuit. Conuocata ergo per edicta Collatio est. Ad eam aggredi* Maximianistæ (*ramus præcisus à reliquis Donatistis*) *properabant, sed ab Episcopis Catholicis repulsi*, quia (*verba sunt Augustini*), cupientes exiguitatem suam, nomine saltem certaminis consolari, & ideo videri aliquid apud eos, quibus contemptibiles erant, quia inire nobiscum finerentur examen: interpellantes eos, & libellum dantes, prouocantésque contempsimus. Magis enim de certamine nomen desiderabant, quàm formidabant in certamine superari: nec sperabant victoriæ gloriam, sed famam requirebant Collationis, quia multitudinis non habebant. *Constat insuper* Marcellinum, *quo demulceret refractarios Donatistas, suo edicto, quo eos vocauit, sine iussione Imperatoris, reddidisse Basilicas Donatistis, qui pollicerentur se venturos. Insuper, & illud indulgendum esse putauit, vt eodem edicto illis concederet*, vt quem vellent eligerent sibi Iudicem, qui cum ipso præficeretur ad iudicandum: *sed & iuramento pollicitus est*, se iudicaturum, quod veritas suasisset; *aliáque quamplura adiecit, quibus eodem edicto eos est exhortatus ad mutuo cum Catholicis conferendum, vt ex ipsis Actis apparet. Præstitum quoque ab eo, & illud fuit humanitatis Officium, vt per* Tractorias *eosdem conuocauerit literas, quibus sic vocatis, publicæ concederentur vecturæ, atque omnia necessaria ad commeatum abunde satis impederentur. Quæ* Tractoriæ *literæ ad Primates fuêre missæ, & de his ad singulos peruenisse testatur Augustinus.*

Sic igitur conuocati Africani Episcopi, ex Donatistis tot ex illis Carthaginem *ingrediuntur cum tanta speciosi agminis pompa, vt tam magnæ Ciuitatis oculos in se, intentionémque conuerterent. Ex parte verò Catholicorum, ad euitandam ostentationem non vnà simul, vt Donatistæ, sed seorsim singuli, quotquot venerant, in Vrbem ingressi sunt. Cùm igitur vtraque pars Carthaginem conuenisset; antequam vno consessu colligerentur*, Marcellinus *aliud ipsis præsentibus promulgauit edictum, quo inter alia, qui locus habendo conuentui deligendus esset, pars vtraque decerneret, eos admonuit. Sic igitur communi consensu electæ sunt* Thermæ Gargilianæ, *locus amplus, lucidus, ac refrigerans calores æstiuos, in ipsius Carthaginensis Vrbis meditullio constitutus. Eodem quoque cauit* Marcellinus *edicto, ad tumultum ex numerositate oboriri solitum auertendum:* Vt ex vnaquaque parte decem & octo deligerentur, omnes numero triginta & sex, qui sessionis locum ingrederentur: quorum officia ita inter se partita essent, vt ex illo cuiusque partis numero decem & octo Episcoporum, septem deputarentur ad disputandum; totidem, cùm opus esset, ad consulendum; quatuor reliqui, qui Actis conscribendis, atque custodiendis præessent. *Renuerunt autem primo loco id se facturos Donatistæ, petentes suis omnibus locum Synodi patere debere. Catholici verò, se in omnibus* Marcellino *parituros literis professi sunt. Cùm enim eodem edicto* Marcellinus *eos omnes* admo-

admonuiſſet, vt pars vtraque ſcriptis proderet, vtrùm placerent, quæ edicto continebantur: Catholici non ſolum edicto parituros ſeſe reſcripſerunt, ſed, & yſdem ſuis ipſorum literis ad omnem præſtandam gratiam Donatiſtis ſe ipſos obligauere; & quod amplius eſt, quia in iiſdem literis (*inquit Auguſtinus*) etiam ſe obſtrinxerunt, & polliciti ſunt: Quod ſi in parte Donati veritas eis demonſtraretur Eccleſiæ, non ſe illic Epiſcopalem honorem quæſituros, ſed conſilium eorum ſecuturos pro ſalute Chriſtiana. Si autem in ſua communione potiùs veritas oſtenderetur Eccleſiæ, honores Epiſcopales eis non ſe negaturos: & hoc à ſe fieri bono pacis, vt intelligerent ij, quibus hoc præſtaretur, quod in eis Catholici non Chriſtianam conſecrationem, ſed humanum deteſtarentur errorem. Quod ſi plebs duos in vna Eccleſia Epiſcopos ferre non poſſet, vtriſque de medio recedentibus, ſinguli conſtituerentur Epiſcopi, ab eis Epiſcopis ordinandi, qui in ſuis plebibus ſinguli inuenirentur. *Quæ omnia ſic prudenter Catholici conſtituerunt, vt in ipſo ingreſſu delinirent efferatos illorum animos, atque ſic ad piè, ſanctèque cauſam tractandam præcociter inducerent.*

Auguſt. in Breuil. c. 3. & 4.

Pòſt, ſeparatas alias ab his dederunt ad Marcellinum *Catholici literas, quibus ſignificarunt ſe acquieſcere in hoc etiam Donatiſtis, vt ipſi omnes in locum conuentui præſtitutum ingrederentur; cùm ſe tamen mandatis eius parere dicerent paratos; vt non amplius quàm decem & octo, in locum ſint ingreſſuri. Hæc & alia ex vna, & altera Epiſcoporum parte agitata ſunt, quæ apud* D. Auguſtinum *in ſuo huius* Collationis *Breuiculo continentur; cuius ecphraſim in medium deducere neceſſum fuit, tanquam* S. Marcellini Martyris Noſtri *princeps, & perſpicua Actorum pars. Ergo antequam mutuæ Collationis comitia inirentur, cùm* Marcellinus (*vt diximus*) *edicto vtrique parti ſignificaſſet, vt quæ ad futuram Collationem pacificè agendam conducerent, ſcriptis proderent: qui ex parte Catholicorum erant Antiſtites, in vnum conuenientes, quid facto opus eſſet, inter ſe priuata coitione decreuerunt. Quid de hoc fuit ſancitum pulchrè apud Auguſtinum deſcribitur, vbi etiam Epiſtola Collationalis Catholicorum ad* Marcellinum, *cuius hic titulus,* Honorabili, ac Dilectiſſimo Filio, Viro Clariſſimo, ac Spectabili Tribuno, & Notario MARCELLINO, Aurelius, Siluanus, & Vniuerſi Epiſcopi Catholici, *inuenitur.*

Idem c. 4.

Catholicorum conformitas.

Catholicorum petitio.

Idem de Geſt. cum Emerito.

Poſthac verò acceptis à Catholicis hiſce, & alijs literis Marcellinus, *necnon, quæ reſponderant Donatiſtæ; nouo rurſus promulgato edicto, ea omnia, quæ pars vtraque reſcripſerat, populo ſignificanda curauit, eo nimirum conſilio, quo ſequens populus Donatiſtas, probè ſciret, quas honeſtas, & minimè recuſandas Catholici conditiones pacis obtuliſſent: nè ſi illi dura obſtinatione reſilirent, ipſi in tranſuerſum cum eis penitus agerentur. Die autem, ad collationem habendam, conſtituta adueniente, omnes in locum conuentus, in ipſas* Thermas Gargilianas *ingreſſi ſunt Epiſcopi Donatiſtæ, inter quos primum locum tenuit* Primianus *Epiſcopus* Carthaginenſis *partis Donatiſtarum. At qualis hic, quámque ad ineundam concordiam malè paratus acceſſerit, ex illis accipe, quòd cùm conuentus primùm à Catholicis fuit de Collatione facienda, iſta protulit ore rotundo turgida verba:* Indignum eſt, vt in vnum conueniant filij Martyrum, & progenies Traditorum. *Hæc tum ipſe. Primum namque hic locum inter ſeptem illos ad diſputandum delectos tenuit, prærogatiua ſedis: inter quos etiam nominatus habetur* Emeritus *Epiſcopus Cæſareæ Mauritaniæ, eiuſdem partis Donatiſtarum. Tertius ex eis* Gaudentius *Epiſcopus Tamugadenſis. Quartus* Petilianus *huius erroris diſertiſſimus: de cæteris non liquet; ſicut nec de Catholicis, exceptis* Aurelio *Carthaginenſi,* Alipio *Tagaſtenſi, &* Auguſtino *Hypponenſi Epiſcopis. Locum ingreſſi, ſic ad conceſſum diſpoſiti ſunt, vt ex Catholicis, & Donatiſtis ſeptem hinc, & ſeptem inde, qui pro cauſa omnium loquerentur. Electi ſunt alij ſeptem hinc, & ſeptem inde, cum quibus, vbi opus erat, conſilium per-*

Collationis ſeſſio.

Epiſcopi Donatiſtarum qui?

Catholicorum qui?

Forma Collationis.

tractarent. Electi ſunt quatuor hinc, & quatuor inde, qui geſtis conſcribendis cuſtodes eſſent, ne infalſatum aliquid, ab aliquo diceretur. Dati ſunt etiam à nobis, & ab ipſis Notarij quatuor hinc, & inde quatuor, vt bini cum exceptoribus Marcellini *Iudicis alternarent; ne aliquis noſtrûm ſe dixiſſe aliquid cauſaretur, quod non fuiſſet exceptum. Huic tanta diligentia, & illud additum eſt, vt Nos, & ipſi, quemadmodum, & ipſe* Marcellinus *Iudex, verbis noſtris ſubſcriberemus; ne quiſquam diceret, in illis Geſtis aliquid vel poſtea fuiſſe corruptum.*

Collatione factâ nihil actum.

Igitur poſt vtriuſque factionis Epiſcopos, in locum Collationis paratum, eſt Marcellinus *Tribunus Notariorum, & Iudex ingreſſus, qui nulliter Sedis ſua locum accepit, donec Catholicos (Donatiſta ſedere cum ipſis, quos credebant impios, noluerunt) Sedentes conſpexit Epiſcopos. Sed quid hoc die Collationis, & ſequentibus ſingulis actum eſt, ex rebus geſtis à Notarijs S. Auguſtinus ſumma breuitate compendium exſcripſit, quod Breuiculum nominauit, apud quem, nam extra noſtri inſtituti contextum eſt, lectorem remittimus. Poſt varia inter vtriuſque factionis certamina, in quibus Donatiſta falſitatis conuicti, conſumptis tribus Collationibus,* Marcellinus *Catholicè ſententiam, dixit, & ſic perfecta, & confecta Collationum acta, omni fide munita, in publicis iuſſit conſeruari archiuis, ad perpetuam rerum memoriam, fidem factura poſteris, quid inter vtramque partem fuiſſet eiuſmodi congreſſu tranſactum. Et vt Honorio omnia factitata innoteſcerent, tranſſumptum omnium actorum authenticum, exploſa tarditate remiſit. Interim Donatiſta, etſi omni probatione; & ratione deſtituti, conuicti, & condemnati fuere, nulliter* Marcellini *acquieuêre iudicio, quinpotiùs ab eius appellantes ſententia, ipſum à Catholicis corruptum fuiſſe impudicis ſermonibus calumniabantur, & alia determinationi opponebant, & falſa, & nullitatibus plena. Sed fruſtra omne ab illis tentatum, nam* Marcellinus *quidquid* Carthagine, *toto hoc labore, atque ſtudio peregerat, ad finem tandem perducere & fiducialiter adimplere propoſuit; quod vt faciliùs perficeret, ab Imperatore ſimile potuit impetrare reſcriptum:* Impp. Honorius, & Theodoſius AA. Seleuco PF. P. Caſſatis, quæ pragmatici, vel adnotatione manus noſtræ potuerint impetrari; & manentibus his, quæ etiam dudum ſuper hoc diffinita ſunt, & veterum Principum ſanctione ſeruata; niſi ex die prolatæ legis omnes Donatiſtæ tam Sacerdotes, quàm Clerici, laicíſque, Catholicis, quæ ſacrilegè deſciuere, reddiderint: tum Illuſtres ſingillatim pœnæ nomine fiſco noſtro auri pondo quinquaginta cogantur inferre: Spectabiles auri pondo XL. Senatores auri pondo XXX. Clariſſimi auri pondo XX. Sacerdotales auri pondo XXX. Principales auri pondo XX. Decuriones auri pondo V. Negotiatores auri pondo V. Plebei auri pondo V. Circumcelliones argenti pondo X. Qui niſi à conductoribus, ſub quibus commanent, vel procuratoribus executori exigendi fuerint præſentati, ipſi teneantur ad pœnam: ita vt nec Domus noſtræ homines ab huiuſmodi cenſura habeantur immunes. Vxores quoque eorum maritalis ſegregatim mulcta conſtringat. Eos enim quos nequaquam illata damna correxerint, facultatum omnium publicatio ſubſequetur. Seruos etiam Dominorum admonitio, vel Colonos verberum crebrior ictus à praua religione reuocabit, ni malint ipſi ad prædicta diſpendia (etiam ſi ſint Catholici) retineri. Clerici verò, miniſtríque eorum, ac pernicioſiſſimi Sacerdotales ablati de Africano ſolo, quod ritu ſacrilego polluerunt, in exilium viritim ad ſingulas quaſque regiones ſub idonea proſecutione mittantur: Eccleſiis eorum, vel conuenticulis, prædiíſque (ſi qua in eorum Eccleſias hæreticorum largitas praua contulit) proprietati, poteſtatíque Catholicæ (ſicut iamdudum ſtatuimus) vindicatis. Dat. III Kal. Februar. Rauenn. Honor. IX. & Theodoſ. V. AA. Coſs. *Sed cùm Hareticorum audacia edicta Caſarum reſpuiſſet, & nullatenus paritioni aſſenſum*

Conuicti Donatiſta appellant.

Impp. reſcriptũ confirmans ſententiam S. Viri.

Alia de eodem reſcripta.

sum praberet, grauiora hinc inde fuere promulgata rescripta, ab ipsis Catholicis Imperatoribus Iuliano Proconsuli Africæ *directa*. * * L. 54. ut. s. lib. 16. Cod.Theodos.

Sed vt ad Nostrum reuertamur Marcellinum, *sciendum est, tanto aduersus illum odio arsisse Donatistas, vt ad internecionem vsque eius conquiescere non valuissent. Occasionem prabuit illorum simulationi, & hareticorum inuidia* Heracliana *tyrannis, cuius originem* Paulus Orosius *Noster, & finem hisce prosequitur verbis*: Heraclianus interea Africæ Comes missus, cùm idem Atalus vmbram gestaret Imperij, Africam strenuè aduersum iudices ab eo missos tutatus, Consulatum assecutus est: quo elatus supercilio, Sabinum domesticum suum, virum ingenio callidum, industriáque solertem, & sapientem nominandum, si animi vires, tranquillis studiis accommodauisset, generum allegit: cum quo quorumdam periculorum suspiciones cùm patitur, fecit. Atque aliquandiu Africana annona extra ordinem retenta, ipse tandem cum immensa, certè temporibus nostris, satis incredibili classe nauium Romam contendit: nam habuisse tum tria millia septingentas naues dicitur; quem numerum ne apud Xerxem quidem præclarum illum Persarum Regem, nec Alexandrum Magnum, vel quemquam alium Regem fuisse ferunt. Is simul, vt cum agmine militum ad vrbem pergens litore egressus esset, occursu Comitis Marini territus, & in fugam versus, arrepta naui, solus Carthaginem rediit, atque ibi continuò militari manu interfectus est. Sabinus gener eius Constantinopolim fugit, vnde post aliquantum temporis retractus, exilióque damnatus. *Marino hac feliciter concludente, & in Africam aduersùs rebelles traijciente, omnia in pacem reducta sunt. At cùm Donatistarum infatigibilis furor animos in* Marcellinum *impulisset, opportunitate arrepta, illum, vt studiosum tyrannidis* Heraclianæ *coram* Marino *calumniantes, ad extremum vitæ periculum perduxerunt. Quo audito Marinus* (incertum zelo stimulatus, an auro corruptus) *in vitam illius innocentissimam desæuiens, hareticorum conaminibus* Sanctissimum Marcellinum *vita temporali priuauit, & ille ad æternam conscendens, illustri coronatus laurea Martyris in Ecclesia Militanti sortitus est nomen, die* VI. Aprilis, *Anno Domini* CCCC. XIII. *sub Innocentio Pont. Maximo; Impp. Honorio, & Theodosio.*

Heracliana Tyrannus.

Donatistarum in S. Virum calumnia.

Coronatur.

Igitur post illius gloriosum agonem, voluit Deus famam Martyris inclyti, & gloriam accidentalem, duplici pœnarum ordine præcauere: Nam Donatista, qui crediderant, vnà cum S. Marcellino, *se extinguere, & abolere potuisse, qua eo præsente confecta essent aduersus ipsos, Acta publica, non eis ita euenit, vt putauerant, quia* Honorius *cognita Martyris morte, omnia ab eo gesta, farta, tecta, atque firmiter in perpetuum custodita, voluit, huiusmodi ad* Iulianum *Africa Proconsulem rescripto*: Notione, & solicitudine *Marcellini* spectabilis memoriæ Viri contra Donatistas gesta sunt, quæ translata in publica monumenta habere volumus perpetim firmitatem. Neque enim morte Cognitoris perire debet publica fides. Dat. III. Kal. Sept. Constant. & Constante Coss. *Secundum, nam taliter* Honorio, *Christianóque Senatui, Marini temeritas in morte Martyris displicuit, quod licèt ipse Marinus Dux, ingentem sine sanguine retulisset victoriam, Africámque Romano restituisset Imperio, ipsam denique Rempublicam à sauissimo liberasset tyranno, pro quibus omnibus insigne deberet consequi aut præmium, aut triumphum, nihil acceperit; quin potiùs continuò ex Africa reuocatus, Romámque reuersus, omnibus priuatus, militia exutus, in ordinem redactus, ad pœnitentiam pro expiando graui scelere duntaxat fuit in vita relictus; sed & fuisset vindice legum gladio, truncatus capite, nisi indecens visum esset, sanguine sontis, insontis Martyris vlcisci sanguinem.*

Hæreticorũ fraus detecta.

Imperialia decreta pro sententia Martyris.

Marinus exauctoratur ob Martyriũ S. Viro illatum.

En quæ potui ex variis Acta colligere. Ad quorum exornationem, duo nobis

Originis Toletanæ probatio.

se offerunt comprobanda. PRIMVM *de Origine Toletana Hispaniæ.* Ad cuius probationis exordium in testem voco S. Marc. Maxim. *in Chron. Ann.*432. *fol.* 160. qui distinctis, & puris clausulis, in hæc verba prorumpit: S. MARCELLINVS *domo* TOLETANVS, *Tribunus prius, VI. Aprilis, propter fidem Catholicam Carthagine patitur.* Quo loco breui glossulam compendio Roder. Caro *lit.* O. contexuit: prolixiorem P. Biu. *ad Maxim. fol.* 102. *num.* 4. & P. Quintana-Dueñas *Hist. SS. Tolet. fol.* 245. In eius confirmationem breue, licet corruptum in meo MS. peruetusto Carminum, hoc pomi delibare epigramma.

AD TVMVLVM S. MARCELLINI
Tribuni Notariorum, Martyris Toletani.

Carmen vetustum, de patria, & alijs S. Martyris.

Marcellinus *ego patrios cum immittere Lares*
Constitui iuuenis celse Tolete *tuos,*
Romanas secutus opes, Palatináque regna
Imperij Honorij *Cæsaris ergo mei;*
Tribunus, *secreta meis concredita suxi*
Tabulis Imperij, Nobilis officio.
Cognitor in causa Fidei Carthaginis *alta*
Mœnia conspexi, cuncta peregit amor.
Vltimò per Nostros artus tunc inuida ferrum
Heresis immisit; obruor ecce fidus.

Quantam carmina antiquitatem redoleant, ex ipsis, & characteribus in codice expressis dignoscitur. SECVNDVM *quod ad illustrationem spectat circa nomen, &*

Quid Tribunus Notariorum?

Officium TRIBVNI NOTARIORVM *versatur.* De quo aliqua apud Baron. *in Not. ad hunc diem, lit. E.* & *tom.* 5. *Annal. Eccles. Ann.*411. *fol.* 318. Præter illic adducta sciendum est, quod etiam dicebantur *Præpositi Notarijs Principis* vt ex Zosimo *lib.* 5. *Hist. Rom. fol.* 815. inter diuersos, his verbis liquet: *Delecto ad hanc legationem Basilio, qui genere* Hispanus *erat, Præsidísque Prouinciæ dignitatem adeptus; comitem ei se Ioannes adiunxit* Præpositus *aliquando* Notariis Principis, *quos* Tribunos *vocant.* Sed melius legitur apud Freder. Silburg. *in Not. fol.* 961. sic: *Notarijs Principis (quem Tribunum vocant) aliquando Præpositus.* De hoc plura apud Iacob. Guth. *de Officijs, Dom. August. lib.* 3. *cap.* 9. *fol.* 486. Ioan. Sauar. *in Not. ad Epist.* 9. *lib.* 5. Sidon. Apollinar. *fol.* 342. Francisc. Iuret. *in Not. ad Epist.* 37. *lib.* 5.

Quid Cognitor?

Symmach. *fol.* 69. Cætera communia sunt, ad alia pergo. DE *Titulo* COGNITORIS, *S. Marcellino attributo, & qualis fuerit?* En Baronij verba, quibus de functione huius *Cognitoris*, agens, ait; *tom.* 5. *Annal. Eccles. Ann.*411. *fol.* 318. sic: *Nempe agere quæ ad pacem, & quietum congressum pertinent, curaréque ne quid tumultuariè, vel inordinatè inter conferentes, mutuò Episcopos ageretur, néve quid per vim, dolúmve malum, ab altera partium molıretur; vtque in omnibus pacta conuenta, sarta tecta conseruarentur: in quibus ritè disponendis, eidem interloquendi facultas esset, nec quidem pro animi arbitrio, sed quod ipsa iustitia postulasset; atque demum cuius alterutrius partis potiora iura essent, pronunciare.* De *Cognitoris* nomine apud Iurisprudentes multa congessit Guther. *d. tract. de Offic. Dom. Aug. lib.* 1. *cap.* 25. *fol.* 99. *& seq.*

Quare Collatio, hæc dicta, & non Concilium.

Sed cur hæc Congregatio Episcoporum maximè in caussa fidei COLLATIO *appelletur; & non* CONCILIVM, *aut* SYNODVS *quæret aliquis?* Cui faciat satis Baron. *vbi supr. fol.* 313. *num.* 3. hisce verbis: *Quod autem conuentus ille appellatus inuenitur* COLLATIO *non* CONCILIVM; *inde accidit, quod in vno consessu non vocati sunt hæretici, vel schismatici, tanquam rei ab Ecclesia iudicandi, sed vt fratres ad vnitatem Ecclesiæ, cognitis causæ meritis, attrahendi.* De Anno, & reliquis videndus idem Cardinalis; qui prolixè omnia coaceruat.

TOLETVM. De hac Regia, Imperialique vrbe egimus *I. & XXIII. diebus Ianuarij*; vbi de eius antiquitate, & conditoribus verba fecimus; nunc de honoribus Romanorum tempore attributis agemus. Æuo Vespasiani, quo C. Plinius suos de Naturali Historia libros contexuit, ipsique Imperatori dicauit, iam TOLETVM, clarior ciuitas agnoscebatur, cùm eam *Caput Carpetaniæ* ipse cognominet *lib. 3. c. 3.* à quo Ludou. Non. *c. 59.* Quid noui? si ipsa in *Carpetanorum* meditullio consistat. Rassis Arabs *Cubile Cæsaru Augusts* fuisse, ex Iulian. Nostr. *Aduers.* 109. conclamitat. Ipsam effecisse Coloniam cum IVRE LATII, Augustum Cæsarem, affirmat Goltz. *in Hist. Aug. fol. 102. lit. C.* his verbis: *Bello iam confecto Augustus, veteranos, emeritósque missione donauit, Oppidúmque ijs ad Anam fluuium in Lusitania, condere iussit; Coloniámque de suo nomine Augustam, ab ipsorum missione Emeritam cognominauit. Auctores habeo, qui eodem tempore Augustobrigam in Palendonibus, in Areuacis Augustam Nouam, itidem* TOLETVM *Colonias, omnésque Militares deductas, & Iure Latij Veteris donatas scribant.* Quod & antea dixerat Nost. Iulian. *Aduers. 109.* rationem assignans: *Quam* Augustus *fecit Coloniam, quia ibi erat Præses, qui ius dicebat, cunctis Hispaniæ populis, erátque vt caput totius Prouinciæ, propter eius fortitudinem, & ibi seruabantur thesauri tributorum, & vectigalium Populi Romani.* Aliquot numismata suis locis effigiabimus; nunc dicta sufficiant. *Toleti progressus* *Colonia ex Goltzio.*

S. VRBANVS ABBAS.] Hæc duo nomina tantum agnoscunt Illustres de rebus Ordinis S. Benedicti Scriptores, *D. D. Prudentius de Sandoual* Episcopus Tudensis, & Pampilonensis, *F. Antonius de Yepes, Aubertus Miræus*, & *Hugo Menardus*. Nam eius acta, quo tempore vixerit, vel cuius locum in Abbatia impleuerit, omnes præteriit. Nos qui post illos currimus, facilè aliquid inuentis addemus. Elogia ab ipsis recensita exscribemus, pòst libenter nostrum subiiciemus Symbolum. Igitur Hug. Menard. in *Mart. Bened. h. d. fol. 29.* sic: *In Hispania B. Vrbani Abbatis.* Et *lib. 2. Obseruat. ad idem Martyrol. fol. 532.* sic: *Fuit Abbas Monasterij S. Petri de Monte, in Hispania, Miræus in Chron. Benedict. & D. Anton. de Yepes Cent. 2. Chron. Gen. S. Bened.* D. D. Prudent. de Sandou. *in Fundat. Monast. S. Petri de Montes, §. 14. fol. 31.* describens Ecclesiam huius antiquissimi cœnobij, sic: *In eadem Capella visitur sepulchrum S. Gennadij; & in opposito latere Templi arca conspicitur marmorea, similis illius S. Gennadij, in qua adest corpus* S. VRBANI *Abbatis ipsius Monasterij, qui tanta fuit sanctitate præditus, vt S. Gennadio, sepulchro, honoribus, & cultu similis habitus sit. Quo vixit anno, quóve anno quieuerit ignoratur.* P. F. Anton. de Yep. *in Chron. Benedictin. tom. 2. cent. 2. Ann. 646. c. 3. fol. 182. col. 4.* indigitans, quot sanctissimos numerat illud *S. Petri de Montes* cœnobium Abbates, prosequitur. *Etiam in memoriam venit* S. VRBANVS *Abbas huius domus, cuius antiquis temporibus tanta sanctitatis æstimatio fuit, vt in Monasterio S. Iacobi de Peñalua, vbi quiescit S. Gennadij corpus, etiam huiusmodi S. Abbatis lipsana requiescant, æquali Capella, coæqualíque veneratione.* Et vt vides nullus eius acta perspexerit, ego breui compendio ea publica faciam, deducta ex hymno in meo perantiquo *Codice MS.* exarato, in cuius ecphrasi aliquid ad temporis rationem, & Abbatiatus successionem desumitur, quod vt innotescat, hæc explananda censui. C. *Martyrologia.* *Historici.*

ACTA B. VRBANI ABBATIS, Confessoris, Ordinis S. Benedicti; ex Hymno MS. & alijs.

VRBANVS *ex* Gallæciæ *regno (vt creditur) oriundus, post iuuentutis, & adolescentiæ annos, vt Deo opportunius deseruiret, in* Montana Complutensis *Eremi, vbi celebre inuisebatur* Agegiense *cœnobium, humili velocitate transcendit. Ibidem, vt illa ferebant tempora, quibus nullus extra virtutum pondera, fauor proficiebat, non faciliter tributus ingressus, sed probato spiritu, an ex Deo fuerit, post quatuor, aut quinque dies, difficultatem patienter portans, & in proposito persistens, ad hospitum cellam, vt hospitibus aduenientibus deseruiret, & peregrinis stramina, aquámque pedibus mi-* *Origo* *Fit Monachus.*

Exercitia antequam cucullum indueret.

niſtraret, deductus eſt. Poſtea, paucis diebus in hoc exercitationis munere conſumptis, in nouitiorum cellam tranſlatus, et ſenior Monachus eſt deputatus, qui ad eius animam lucrandam aptior inuentus eſt. Hic ſuper eum curiotè omnino intendens, ſolicitè quærebat, ſi re vera Deum præ oculis haberet, ſi in opere conſtituto obedienter, & ſi in iuſſionibus, & opprobrijs pacifico ſe gerebat ſpiritu. Omnia ſecundùm regulam in Vrbano *ſpeculabatur præfectus, quo poſt duorum menſium circulum, lecta regula per ordinem, & perſeuerantia promiſſa, in ſupradictam cellam eſt Nouitiorum reductus, vbi in omni patientia probatus, iterum lecta regula poſt ſex menſium excurſum, habita ſecum deliberatione, promittens omnia cuſtodire, & ſingula ſibi imperata ſeruare, in Monachorum congregationem adſcriptus eſt.*

Mores.

Sic ſpretis mundi illecebris, Patria, Parentibus, bonis ſæculi, & omnibus commoditatibus vitæ, vt faciliùs nudus nudum Chriſtum inſequeretur, ad opus nouum toto pectore aſſumptum, animum reuerenter applicuit, in cuius exercitationis operatione taliter virtutum odores, inter illius ſcabroſi montis cacumina, ſpirauit; vt S. Gennadius, *qui tunc temporis in ipſo cœnobio vitam tranſigebat Angelicam, maioris ſeceſſus, & perfectionis ſpiritu, & deſiderio, interiora* Bergedenſis *deſerti ſpelæa rimari ſatagebat, habita Sanctiſſimi Abbatis* Arandiſeli *licentia, vt, ſelectis duodecim diſcipulis, in illos profundi deſerti meatus conſcenderet, Noſtrum Sanctiſſimum, inter alios,* Vrbanum *ſocium deligeret.*

Socius S. Gennadij.

Ergo Gennadius *cum* Vrbano, *& ſocijs,* Aquilinos *ſuperans montes, in peruetuſtum* S. Fructuoſi *Monaſterium, in vetuſtatem redactum, pene obliuioni deditum, vepribus, & denſiſſimis ſyluis opertum, magníſque arboribus immenſitate annorum adumbratum, auxiliante Domino, & ardore opitulante, peruenit.*

S. Fructuoſi cœnobium reparatur.

Illic cum ſocijs locum vbi ſteterunt tanti Præſulis pedes reſtaurauit, ædificia extruxit, vineas, & pomares plantauit, horta, & omnia quæ ad Monaſterij vſum viſa ſunt pertinentia compoſuit. Ibidem Venerabilis Vrbanus *Sancti* Gennadij *ſui Abbatis veſtigia in perfectiori vitæ tramite inſequendo laborabat, quo inſignes virtutum aceruos colligens, ad maiorem ſanctitudinis meſſem, iteratis exercitationibus, inhiabat. Eo tempore* S. Gennadius *Principum ordine, Cleri, & Populi ſuffragijs ad* Aſturicenſem *regendam Eccleſiam auocatus, in eius locum Venerabilis* Fortis *eius diſcipulus, Abbas ſufficitur.*

Fit Abbas.

Quo ad ipſam infulam (propter S. Gennadij *renunciationem) Prælaturæ ſuffecto, Noſter Beatiſſimus, & Sanctiſſimus* Vrbanus *ad* Abbatiatus *onera ſubeunda, petentibus Monachis, & inſtantibus fratribus, reluctanter acceſſit. Quo in munere taliter ſe geſſit, vt multas animas per bonam conuerſationem erudiret, & cœnobiali ritu, cunctis fratribus rectæ vitæ conſtitueret ſpecimen. Populi concurſus frequentes, zelo domus Domini, deuitans, abditiſſimam eremi diſciplinam omnibus demonſtrauit. Demum annorum plenus, & bonorum operum redundans, reuelato ſibi vitæ termino, eóque appropinquante, nuntiato fratribus, illis flentibus, ipſe exultans, & ad mortem compoſitus,*

Moritur.

pœnitentia legitimè accepta, manus ad orationem expandens, ſuum immaculatum, & ſanctum Domino tradidit ſpiritum VI. die Aprilis. *Eius ſanctum corpus, iuxta* S. Gennadij *Præceptoris lipſana, in arca collocatum marmorea, in S. Iacobi Penaluenſi cœnobio ab ipſis extructo, adhuc honorificè requieſcit.*

Acta hæc *S. Abbatis* excerpſi, non, vt dixi, ex monimentis Scriptorum illuſtrium Ordinis S. Benedicti, ſed ex *Hymno* antiquiſſimo, in *Codice MS.* meo *Carminum*, literis vetuſtiſſimis exarato, &, vt illa ferebant tempora haud bene compoſito, quem & ad probationem Actorum, & ad Annorum computum inſerere libuit, huiuſmodi.

PRO S. VRBANO ABBATE BENEDICT. *in Cœnobio S. Petri Montium Bergidensi.*

HYMNVS.

SVmme cœlorum Pater, atque Rector,
Auctor, & summa bonitatis ipse,
Quas tibi laudes ferimus canentes
Accipe clemens.
En tibi nostrum ferimus Vrbanum,
Qui patrum normas imitando sacras
Montis acerbi vada, laude plenus
Quæritat audax.
Ipse pro Christo patriam, parentes,
Rura, cognatos, genus, & caducam
Gloriam mundi, simul obstinaces
Proijcit auras.
Iste Gennadio *sequitur Abbati*
Cuius obtutus animo reparat,
Cuius affectus subito recondit,
Illius vmbra.
Compluti *montes patrios reuisens.*
Fortis ad sortem fidei relatus,
Istius nomen vidit ipse Astur
Præsulis albo.
Cuius euentu patitur VRBANVS,
Rector, Atque Abbas fieri, reluctans
Illius domus, celebrísque amœna
Petro dicata.
Victor in duro validus duello,
Omne calcauit tenerum pericli,
Hostis atrocis rabiem subegit
Fomite lucis.
Eius ad summam, reuelante, vita
Christo, peruenit placidam senectam,
Mortis occasum, meruítque sancta
Scandere regna.

Ex cuius hymni relatione patent, quæ apud Scriptores Benedictinos, sub silentio erant. Nam de tempore, quo vixerit, constat, quia fuisse *S. Gennadij* Synchronum liquet. Item de successore Episcopi *Fortis*: Vbi duo attendenda sunt. I. Quod *S. Gennadius* post Abbatiatus honorem, successorem habuit *Fortem* in Abbatia, & Episcopatu. II. Quod post electionem *Fortis* ad Episcopatum *Asturicensem*, per dimissionem *S. Gennadij*, successit in Abbatiatu *S. Vrbanus*. Demum

Fortis successit Gennadio in Abbatiatu, & Episcopatu.

notandum est circa annorum computum, quod *S. Gennadius* ad cœlos migrauit vt ex *D. D. Prudentio* coniectatur circa Eram DCCCCLVII. aut LVIII. hoc est, Anno Christi DCCCC. XIX. aut XX. Si verò superuixit *S. Vrbanus* Noster, à fortiori post illos annos, eius connumerandus est transitus. Ego ad annum Christi DCCCC. XXX. vel circiter appingerem. In re dubia decem anni nec augent, nec minuunt fidem.

Annus mortis inquiritur.

D. TRANSLATIO S. LEANDRI.] Huius festiuitatis memoria refertur in antiquo *Breuiario Hispalensi*, quatuor dignitatum titulo, *Ann.* 1528. in quo nulla Lectio præter Orationem Communem, quam infrà dabimus. In alio, *ann.* 1612. & Nouissimo, *ann.* 1630. nulla adest huius Translationis anamnesis. Quæ tantam, & illustrissimam compulissent Ecclesiam, vt hanc memoriam ex Tabulis amandassent sacris, penitus ignoro. Non enim credendum est hoc absque causa factum; at si sine ea; ad quid tanti Præsulis memoria prætermittitur? *Memorias* (cum S. Augustin. *lib.* 20. *contr. Faust. cap.* 21. Hispalense Capitulum interpello) *Nostrorum concelebremus religiosa solemnitate Martyrum* (& Confessorum) *& ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consociemur, atque Orationibus adiuuemur.* In illo igitur antiquo Breuiario Hispalensi, Sic Titulus: *Translatio S. Leandri. Est festum IV. Dignitatum. Omnia dicuntur de Communi vnius Confessoris, Pontificis, & Doctoris, excepta Oratione huiusmodi:*

Hæc non est in vsu in Ecclesia Hispalensi.

Oratio in die Translationis.

Deus, à quo beatitudo perennis, & remuneratio largitur electis: da nobis misericordiam tuam, vt B. Leandri Confessoris tui, atque Pontificis intercessio gloriosa vitæ præsentis suffragia, & æterna nobis obtineant præmia peroptata. Per Dom. N. I. C.

Hactenus *Breuiarium*. Ex quo loco, ad quem hæc fuerit facta translatio, nec illud *Breuiarium* aperit, nec *Scriptores* aliqui manifestant; ideo relatione contentus, ad alia lubens pergo.

SEPTIMO IDVS APRIL.

DIES VII.

A. Apud Castrum Alquezarense in Celtiberia, Translatio Sacrorum pignorum S. Victoriani Abbatis Asanensis, ex S. Ruffinæ supra Ainsam, inter Oscam, & Vrgellum Sacello, adstipulante Sanctio Rege Aragoniæ.

B. Pampilonæ in Vasconibus Hispaniæ celebris Dedicationis Cathedralis Ecclesiæ festiuitas, quæ honorifico reiteratur affectu, & plausibili annuatur elogio.

NOTÆ.

A. TRANSLATIO *S. Victoriani.*] De huius festiuitatis anamnesi agunt *Kalendaria* aliqua vetustissima *Regni Aragoniæ*, hacce notula: *VII. Idus Aprilis, Translatio S. Victoriani ad Montem-Aragonum.* Licèt die sequenti eius memoriam appingant

Kalendaria.

appingant nonnulla *Breuiaria* Diœcesis *Oscensis*, & *Iaccensis*. Eis verbis: *Reliquia eius* (S. Victoriani) *timore Abderramen Regis Paganorum fuerunt translata ad S. Ruffinam supra Ainsam, vbi per* C C. L X. *annos manserunt. Sed diuina misericordia operante, timore Paganorum sublato, Dominus Sanctius Rex Aragonum, & Pampilonensium ad Castrum Alquezar posuit* V I. *Idus Aprilis in Octaua Paschæ, Anno ab Incarnatione* M. L X X X V I I I. *unde translata sunt ad Monasterium Montis-Aragonum prope Oscam, vbi nunc caput cum toto corpore, dempto brachio honorificè habentur. Ibidem plures inuocatur, dum notabilis vrget necessitas, & regulariter petitum obtinetur; est enim quasi fons aquarum tẽpore sterili.* In moderniori Breuiario edito per *D. D. Petrum Augustinum*, anno M. D. XLVII. in *Lect.* 6. ista habentur. *Postea verò timore Paganorum Hispaniam inuadentium, ad S. Ruffinam supra Ainsam, eius reliquia sunt delatæ. Deinde verò anno M.* L X X X V I I I. *iussu Sanctij Regis Aragonum, ad Castrum de Alquezar sunt delatæ; & demum ad Monasterium Montis-Aragonum sunt translatæ, vbi nunc caput, cum toto corpore, dempto brachio, honorificè habentur.* Huius Translationis successum describit Franc. Didac. de Ainf. *Histor. Oscens. lib.* 2. *cap.* 40. *fol.* 310. à quo P. Bolland. *tom.* 1. *in Act. SS. die* X I I. *Ianuar. fol.* 742. hisce verbis, latinitate donatis.

Breuiaria.

Scriptores.

ACTA TRANSLATIONIS SACRARVM exuuiarum S. Victoriani Abbat. ex Aynsa.

MINIME' *mirum videri cuiquam debet, huius* S. Viri corpus, *in cœnobio proprio* S. Victoriani *non adseruari. Est id quidem antiquissimum omnium, quæ in tota Aragonia extant, monasterium. Nam* S. Ioannis Pinnatensis *extruxit* Garsias Ximenius *Rex I. Suprarbis, etsi antea, illic* *SS. Viri* Otho, & Felix *iam anno* D C C. *habitarint. Monasterium S. Mariæ* Oënse *opus est Comitis* Raymundi *de* Ripagorza, *an.* DCCCCVIII. *quamquam credantur, ex non omnino certis coniecturis, olim illic Abbates fuisse, ac Monach.* Montis-Aragonum *Cœnobium erexit, dotauitque Rex* Sanctius, *cùm ad obsidionẽ* Oscanæ *vrbis se pararet an.* M.LXXXIX. Rotense *Alphonsus II. Aragoniæ Rex, anno* M. C. L I I. Veruelæ, Petrus Atarez, *Dominus Borja, anno* M. C. L V I I I. *At* Monasterium S. Victoriani, *antiquitus S. Martini de* Sarasa *dictum, extructum fuit à Rege* Geselaico *Gotho anno* C C C C X L I I. & S. Victorianus *ad cœlos conscendit anno* D. L X. *tempore Gothorum.*

Monasterium S. Victoriani antiquissimum in Aragonia.

Quando constructũ.

At quando in peccatorum vltionem, vniuersa à Mauris vastata, euersáque est Hispania; *Catholici rabiem fugientes Barbarorum, secum corpora Sanctorum abstulerunt, quæ in varijs adseruabantur, colebantúrque Ecclesijs, vt ab iniurijs, ludibrijsque Maurorum ea subtraherent, quemadmodum patet ex variarum Ecclesiarum monumentis*, Toletanæ, Hispalensis, Cæsaraugustanæ, Valentinæ, Complutensis, *aliarúmque; ita ergo* S. Victoriani *aliò aduectum corpus, donec* Montis-Aragonum *cœnobio donatum est. Nam illius fundator* Sanctius *Rex, Sanctique filius* Petrus, *illius Sancti Abbatis exuuias ad exercitum deportari curarunt, atque eius ope illustres de Barbaris victorias retulerunt; vti Nostrates historia testantur. In æde* Montis-Aragonum *cœnobij Sancto sacellum* Victoriano *sacrum, in quo obsidio, expugnatióque* Oscanæ *vrbis depicta est, inque medio exercitus, arca corporis ipsius* S. Victoriani.

A quo Rege facta Translatio?

Eadem in antiquis Ecclesiarum Breuiariis *habentur, circa translationem pignorum sacrorum ex* S. Ruffinæ *supra* Ainsam *Oratorio ad* Alquezarense *Castrum, à quo ad Cœnobium* Montis-Aragonum, *adstipulante prædicto Sanctio Rege Anno* M. L X X X I X. *Gloriantur quidem Monachi* S. Victoriani, *penes se ipsius Abbatis Sanctissimi exuuias seruari, arca argentea antiquissima inclusas, cui hæc insculpta epigraphe cernitur:* HIC IACET TOTVM CORPVS INTEGRVM D. VICTORIANI, PRÆTER BRACHIVM. *Ista ergo nunquam aperitur arca. At quando quispiam*

Quò translata pignora.

Prodigium in Cœnobio S. Victoriani.

quiſpiam ex eo cœtu moriturus eſt, præmonet eos Sanctus triplici ictu arcam quatiens. Ea igitur admonitione excitati Monachi ardentius ſeſe virtuti dedunt, ac ſi ſingulis mors eſſet denuntiata, tandémque anno euoluto, vnus è toto numero moritur. Sed an hoc corpus S. Victoriani *ſit, an alterius, eiuſdem nominis, fortè* Martyris, *vt eum* Zurita *appellitat, certò ſtatuere non poſſum. Fortaſsis vtrobique partes aliquæ eius reliquiarum ſeruantur. An hoc ſit, Deus nouit. Nobis in dubio, nihil certum eſt definire, ſi quid Lector certius deprehenderit, decernat quod æquum ſibi videbitur. Sanè cum* Philippus II. *Hiſpaniarum Rex variorum reliquias Sanctorum* Margaretæ *dandas vndique colligeret, aliquæ ei* S. Victoriani *oblatæ ſunt ex* Montis-Aragonum *cœnobio allatæ. Obſecramus Sanctum Christi Confeſſorem, vt in hac vita cœleſtium gratiarum copiam nobis impetret, ac deinde gloriam ſempiternam. Amen.*

De huiuſmodi Tranſlatione, & aliarum reliquiarum, quas ab antiquiſſimis temporibus, hoc adſeruat Regale cœnobium, adeſt authenticum exemplar in libro, cui titulus, *Lumen domus*, qui in ipſo conſeruatur cœnobio, & *fol* 126. hæc inſcripta ſunt verba.

*Quoniam audiuimus, ſæpè etiam vidimus, multa dari obliuioni propter diſceſſum teſtium, ac longitudinem temporis, placuit viris ſapientiſsimis, vt res geſtas literis denotarent; ſicque poſteris ſuis, cuiuſque rei memoriam, quo modo fuit, quo tempore extitit, relinquerent. Vnde Domino Bernardo Archiepiſcopo Toletano, & D. Petro Pampilonenſi Epiſcopo, & Rhotenſium Epiſcopo Raymundo Dalmachij, necnon Epiſcopo Iaccetenſi Petro, & Vrgellenſi Epiſcopo Bernardo, & Domino Sanctio Regi, & Petro filio ſuo, & cæteris Viris Religioſis viſum eſt, & iuſtiſsimum, vt tranſlatio reliquiarum foret ſcripta, videlicet: De ſepulchro Domini. ¶ De Pane Cœnæ Domini. * De Lapide præſepij, in quo Dominus iacuit. † De Ligno Sanctiſsimæ Crucis. † De Pannis in quibus Dominus Noſter fuit inuolutus in præſepio. † De Lapidibus, quos Dominus Noſter noluit conuertere in panem ad tentationem diaboli, quando ieiunauit in monte.. † De Lacte, & Capillis B. M. V. † De Sepulchro B. M. V. † De S. Petro Apoſtolo. † De S.* Iacobo Zebedæo. *† De S. Bartholomeo Apoſtolo. † De S. Andrea Apoſtolo. † De S. Stephano. † De S. Vincentio. † De S Laurentio. † Duo Corpora SS. Innocentium. † De Sepulchro Lazari. † De S. Saturnino. † De SS. Fabiano, & Sebaſtiano. † De S. Clemente PP. M. † De S. Chriſtophoro. † De S. Maurino. † De S. Germano. † De S. Albino. † De S. Cypriano. † De S. Aſciſclo. † De S. Dominico. † De S. Columbario. † De SS. Chryſanto, & Daria. † De S. Torquato. † De S. Pelagio. † De S. Fauleſio. † De S. Galeſterio. †* De S. Victoriano Capvt, et totvm corpvs, dempto Brachio dextro. *† De S. Martino Epiſcopo Turonenſi vna tibia. † De S. Nicolao. † De S. Sabino. † De S. Æmyliano. † De S. Engratia totum caput. † De S. Dorothea.*

Circa nomen, & reliquias *S. Dominici*, ne aliquis errore labatur, ſciendum eſt, non de *S. Dominico* Patriarcha, qui nondum in viuis erat, ſed de alio huius nominis, fortè *Sarraceno Cordubenſi.* Idem de capite *S. Encratidis*, quod apud *Cæſaraugustam* conditum, veneratur. Rationem reddit Iriart. *lib.* 3. *cap.* 25. *fol.* 442. Hîc pro coronide ſubiiciendum cenſui, dubium, quod occaſione immerſionis ſacrorum, in aqua, pignorum *S. Victoriani*, tempore ſiccitatis, vt moris erat, excitatum eſt, de quo ſic apud ſacram Rituum Congregationem Romanam, interrogatum eſt: *Doctor Michael Caberni, Canonicus Eccleſiæ Barbaſtrenſis ſupplicat humiliter Sacræ Rituûm Congregationi, vt dignetur illi declarare, infraſcriptum dubium: An liceat lignum Sanctiſsimæ Crucis, & Reliquias Sanctorum, ad impetrandam aquam tempore ſiccitatis, & ſterilitatis, in aquam immergi, aut madeſieri?* Cui per Sacram Congregationem reſponſum fuit, ſequenti tenore: *Die Sabbathi XIX. Ianuarij. M. DC. XIX. Nullo modo licere, ſub prætextu cuiuſuis conſuetudinis, imò verius, abuſus, lignum Sanctiſsimæ Crucis, ac Sanctorum reliquias, ad impetrandam à Deo pluuiam*

Non licet Crucem nec Reliquias SS. in aquã immergere ob impetrãdam aquam tẽpore ſiccitatis.

uiam tempore siccitatis, in aquam immergere, aut madefacere, censuit Sacrorum Rituum Congregatio. A. Mar. Episcop. Ost. Cardin. Gall. Locus † *sigilli. Petr. Ciammarecon. Secret. Congregat.* Ex qua responsione veniunt respuendi cæteri ritus, quos vana in hisce casibus introduxit consuetudo, vel potiùs abusus, circa Sanctorum tempore siccitatis affectum, quem non vanæ obsides, & aliæ fideiussionum formulæ manifestant, nec rorem adquirunt congruentem, sed cor contritum, & humiliatum, rescissis peccaminum contuberniis, quod Dominus interuentione Sanctorum, non despicit, imò oculis intuetur benignitatis.

DEDICATIO S. ECCLESIÆ PAMPILONENSIS.] A quo hæc facta fuerit nondum didici, nam eius *Breuiarium* antiquum hactenus adeptus sum; Quatenus ad eiusmodi Ecclesiæ originem attinet, crediderim (cum D.Prudent. de Sandou. eiusdem vrbis Episcopo, in *Hist. Pampil. fol.4. col.3.*) à B. Apostolo Hispaniarum *Iacobo* erectam fuisse, & licet non materiali fabrica, attamen Euangelij prædicatione, quam vrbem inuisisse fatetur *Aulus Halus* Poëta Burdegalens. Ciuis Tolet. *in libr. de Aduent. S.Iacobi* in Hispaniam, quem ex *MS. Codice* peruetusto typis editum, & notis à me illustratum, Literatorum Reipublicæ obtuli. *Flau. Dext.* & cum eo *Sandoual*, & traditio ipsius Ecclesiæ confitentur *S.Saturninum* primum fuisse illius vrbis, regionísque ad conuersionem fidei Ministrum, operà *S.Honesti* ipsius vrbis accolæ, qui *Firmum* Senatorem, & alios ad religionem Catholicam adducens, pòst interueniente *S. Saturnino* primos erectionis Ecclesiæ lapides iecit. Quidquid sit plurimum antiquitatis præ se fert illius vrbis annosa structura, & opulentiæ vetustas, quò à fortiori, secundùm *Sardicense* decretum, Episcopalis Cathedra erat erigenda. Quin vltra? de hac est memoria in *III. Toletana Synodo*, vbi eius Episcopus interfuit; & in diuisione Episcopatuum à *Constantino*, & *VVambane* perfecta, sic de huiusmodi Cathedra agitur: *Pampilona hæc teneat: De Cobello vsque ad Mustellam; de Lotica, vsque Tallam: de Illustella vsque Nampiam; de Esparga vsque Ostrual.* Plura scitu digna congessit *Sandoualius* cui libens adhæreo, nunc de eius Episcopis agemus.

S.Iacobus primus prædicauit Pãpilonæ.

Pòst S. Saturninum.

Episcopum habuit à tempore Constãtini.

CATALOGVS EPISCOPORVM S. ECCLESIÆ Pampilonensis in Nauarra.

I. S.SATVRNINVS huius nominis I. Episcopus Pampilonensis I. Discipulus S.Petri, Hispanias lustrat, Toletum inuisit, Pampilonenses prædicat, & demum Tolosæ agonem compleuit anno Domini C. XII. 112.

II. S.HONESTVS I. Episcopus Pampilon. II. Ciuis Pampilonæ, Discipulus S.Saturnini, & eius in conuersione minister. LXXVI. 76.

III. S.FIRMINVS I. Episcopus Pampilonens. III. Ciuis Pampilonæ, Discipulus SS.Honesti, & Saturnini, qui primò patriam, pòst Galliam lustrans Ambiani patitur Anno Domini LXXX. 80.

IV. S.VALENS I. Episcopus Pampilonens. IV. martyrio coronatur anno 300. ex Dextro die 21. Maij. *Hic Episcopus* D.Prudent. de Sandoual *subsistit, & in Episcopis* Pampilonensibus *lacunam infert, quam prout potuimus impleuimus.* 300.

V. S.PACIANVS I. Episcopus Pampilon. V. (vt adest memoria) cuius anamnesis apud ipsos celebris fuit ciues, tempore S.Hieronymi, de qua est mentio in Iuliano Nostro in *Aduers. num.21. fol.6.* Vitam agebat ad Domini Ann. CCC. XC. vel circiter. 390.

VI. LILIOLVS I. Episcopus Pampilon. VI. interfuit III. Concilio Toletano, vbi hæresis fuit Ariana damnata. Item interfuit Synodo Cæsaraugustanæ I. Anno Domini D. XCII. 592.

VII. IOANNES I. Episcopus Pampilon. VII. interfuit Toleti Gundemari decreto, anno DC. X. & in Egarensi anno DC. XIV. 614.

VIII. ATILLA I. Episcopus Pampilon. VIII. interfuit XIII. Concilio Toletano per Vincemalum eius Diaconum, anno DC. LXXXIII. 683.

IX. S.MARTIANVS I. Episcopus Pampilon. IX. misit ad Concilium Toleta-

num

numX V I. prædictum Diaconum Vincemalum qui subscripsit anno DC. XCIII. 693.

X. Atillinus I. Episcopus Pampilon. X. interfuit Concilio V Vambanes Toleti celebrato, quo Episcopalium Sedium terminus distribuitur, anno DC. XC V. 695.

X I. S.Babylas I. Episcopus Pampilon. XI. Maurorum gladio apud Odonem Carpentaniæ Martyr occubuit ad ann. DCC. X V. 715.

Hispania à Mauris occupatur, quorum excidio pene omne sacratum, & Ecclesiasticum corruit, donec tempore Sanctij Sanctij *inuenitur memoria* Oppilonis *Episcopi qui consecrauit Ecclesiam SS. Petri, & Pauli de* Vsuum *olim* Ausonium, *ex quo memoriam Præsulum prosequemur.*

XII. Oppilo I. Episcopus Pampilon. X I I. consecrauit Monasterium Ausoniense in Nauarra anno Domini DCCC. X X I X. 829.

X I I I. Vvilesindus I. Episcopus Pampilonens. X I I I. qui S. Eulogij Cordubensis Martyris, electi Archiepiscopi Toletani synchronos, ad annum D C C C. X L I I. 842.

X I V. Scemenius, seu Ximenus I. Episcopus Pampilon. X I V. creditur ex Monacho Legerensi. Interfuit donationi factæ SS. Nunilloni, & Allodiæ per Regem Garciam Eneconem, eius memoria vsque ad annum D C C C C. X I V. 914.

X V. Basillus I. Episcopus Pampilon. X V. Vir eximiæ Sanctitatis, quem Rex D. Sanctius Garsiæ Magistrum vocitat, eius memoria ad ann. DCCCC. XXIV. 924.

X V I. Bivas I. Episcopus Pampilon. X V I. licèt D. Prudent. *fol.* 22. Hist. Pampilon. de eius dubitet in fula.

XVII. Valentinus I. Episcopus Pampilon. XVII. quem pari modo D. Prudent. respuit, licèt Garibayus contradicat.

XVIII. Galindus I. Episcopus Pampilon. X V I I I. qui interfuit donationi Regis Sanctij Maioris factæ Monasterio Ausonensi; de quo adest altera donatio SS. Nunilloni, & Allodiæ, quam die X V I I I. huius Mensis appingemus, ad annum D C C C C. L X I I. eius memoria. 962.

X I X. Blasius I. Episcopus Pampilon. X I X. subscripsit donationi factæ Monasterio S. Æmylliani, per Regem Garsiam, & Scemenam eius coniugem ad annum D C C C C. X C V I. 996.

X X. Sisebutus I. Episcopus Pampilonensis X X. Qui fuit Monachus, & Abbas S. Æmylliani, & Notarius Priuilegiorum Regis ad Ann. D C C C C. X C V I. 996.

X X I. Scemenus I I. Episcopus Pampilon. X X I. ex Garibayo, quem respuit Sandoual: eius memoria ad ann. M. X I I. 1012.

XXII. Sanctius I. Episcopus Pampilon. XXII. Vir reuera *Magnus* qui prima in Ecclesiæ istius restauratione fundamenta iecit, & ideo (etsi ad Præsulatus apicem nondum deuenerat, sed in Monasterio *Legerensi* Abbatis decoratur titulo) animum Regis *Sanctij Maioris*, erexit, vt Regnum, regionémque iam è Maurorum faucibus ereptam, antiquo reduceret splendori. Ex quo Rex conuocatis Episcopis, & Proceribus, habito consessu, & de antiqua Episcopatuum, Ecclesiarúmque auctoritate, instructione perspecta, huiusmodi decretum fecit omnibus intimari.

CHARTA ORDINATIONIS REGIS SANCTII Nauarræ pro restauratione Ecclesiæ Pampilonensis.

Sub nomine Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis, qui vnus Deus est manens in Trinitate personarum, vnáque inseparabilis Deitas in vnitate substantia Patris

Patris videlicet, & Filij, & Spiritus Sancti. Ego Sanctius *Dei gratia, ab misericordia eius praueniente*, Rex Pampilonensium, atque Aragonensium, *seu* Leonensium, *diuina inspiratione compunctus; videns desolationem, atque destructionem* Pampilonensis *Ecclesiæ, quæ à barbaris Nationibus penè destructa, suisque possessionibus, ac priuilegijs desolata erat; maximè condolui. Ad honorem igitur, & gloriam Domini Nostri* IESV-CHRISTI, *ac Gloriosæ semper Virginis* MARIÆ *Genitricis eiusdem, cum consilio, & auctoritate filiorum meorum* Garsiæ, *&* Ranimiri, *atque omnium Principum meorum assensu, præcipuè Domno* Sanctio Pampilonensi *Episcopo, religiosissimo Viro, Magistro meo, me sæpius ad hoc instigante, & commonente, quæcumque exalienata, vel extraneata à peruersis hominibus, ab eadem Ecclesia fuerant, prout melius potui à sapientibus viris Regni mei, cum magna adiuratione, perquirere feci, & exquisita omnia in potestate præfati Episcopi restitui. In primis verò ipsam Villam de* Pampilona, *ab omni prorsus seruitio regali liberam, omnibúsque modis, ab omni suggilatione Regali ingenuam, cum omnibus suis terminis, ac pertinentijs, quam Domnus Rex* Sanctius *Auus meus cognomine* Abarca, *Sanctique Stephani Castrum, cum suis villis, vel suis Ecclesijs, atque terminis, suisque cunctis pertinentijs, Deo, & S. Mariæ, absque vlla contradictione, ac mala voce, pro redemptione omnium peccatorum suorum, donauerat; prædicto iam Episcopo, bona, ac spontanea voluntate reddidi, atque in perpetuam possessionem* S. MARIÆ, *pro remissione delictorum meorum concessi. Similiter enim Monasterium* S. Ioannis *Orioli*, S. Saluatoris *Leiorensis*, S. Mariæ *Irasecensis*, S. Martini *de Alnelda*, S. Æmylliani *de Vergegio*, S. Saluatoris *de Onia*, S. Petri *de Cardenia, quæ per negligentiam, & sæui etiam persecutoris destructa fuerant, suis possessionibus, & regulis restaurani. Insuper hæc omnia concedo* S. MARIÆ *medietatem montis, qui dicitur* Iaguilz, *& medietatem montis, qui dicitur* Oyarzaual, *& in omnibus montibus, & Syluis de* Belate, *in subtus in illa medietate Regis, homines* S. Mariæ, *vbi voluerint, & potuerint, liberam habeant potestatem succidendi ligna, & arbores pro quocumque opere necesse habuerint. Exitus denique in anteriori parte Ciuitatis deserta huius* S. Mariæ, *vsque ad summitatem de Serra de* Ezcaba, *liberi, & integri sint sine alicuius communitate. Ex alia verò parte* sub Zantum, & Caszantum, *vsque ad terminum de* Orqueyen *(excepta Regis Defesa) commune cum alijs villis, tam in pascendo pascuis, quàm etiam in faciendis lignis, quin etiam iumenta, armenta* S. MARIÆ, *& pecora in omnibus partibus quibuscumque contingere potuerit, ad pascendum licentiam, vel potestatem habeant liberam. Hinc Ecclesiam S. Stephani de* Ezchaua *cum terris, vineis, & lignaribus, vel suis subtectionibus omnibus. In* Mendiolorri *vna serna subtus villam, & vinea: in* Azella, *vnius molendini integri cum sua medietate, de tota illa aqua, & vna terra de* Cicur, *& de* Azeilla, *omnes decimas, quæ Ecclesiæ pertinent integras in varrio de* Zaharrij *vinea, in* Vadoyztayn *vna terra, in suburbio de* Vhart *in villa, quæ dicitur* Alzuza *vinea, & in eadem* Vhart *in molendino Regis, qui dicitur de* Athea, ij. *Vices ad molendinum, quas* Sanctius *supradictus Rex dedit, scilicet die V. Fer. cum sua nocte ad XV. dies. Tunc etiam decreuit dando de decima salis de salinis de* Ellica *per singulos annos tres* Kaf. *confirmauit. In* Longuida *Monasterium* S. Petri, *quod est super ripam cuiusdam fluminis* Sazaro, *quod dedit Rex* Sanctius Garsceanis *cum coniuge sua* Tota Aznari *cum omnibus suis adiacentijs, & cum terris in villa, quæ dicitur* Vlli, *iuxta* Ossella, *quæ ad Regem pertinebant, & cum vineis similiter in* Arbonias, *atque cum ipsa villa quam nuncupant* Ausoni, *quæ est iuxta ipsum Monasterium, in ea quantum ad Regem pertinet integrum cum terris, & vineis, hortis, & molendinis, montibus, fontibus, vel suis terminis omnibus* S. Mariæ *restitui. In* Ossella *in villa, quæ dicitur* Vndussue *vna vinea. Item in* Longuida *Monasterium* S. Saluatoris *cum*

ſua decima, quæ nuncupatur Lizurrieta, qui habet proprium montem, terras, & vna vinea, & cum ſua villa quæ vocatur Ayzpe Vlzur cum omnibus, quæ illis pertinent, & cum alia Eccleſia, quæ dicitur S.Cæcilia cum omnibus ſuis terminis, & villa quæ dicitur Agara, quæ eſt iuxta pedem montis de Yga, integram cum ſuis pertinentiis. In ſuburbio de Munarrizqueta, Eccleſiam S.Romani, cum omnibus quæ pertinent ad eum. In Vrbiayz in villa, quæ dicitur Bizarreta vnde palatium cum terris, vineis, & horto, iuxta villam quæ dicitur Artazcozt, fluuium Arga, Monaſterium quod dicitur Arzaualceta, cum ſua hæreditate quam habet, & deinceps habuerit, & cum Eccleſiis de Orindoyn, & de Artazu. In Albor de Ygayri in villa quæ dicitur Eitzi, vinea. In Aczquien, villa quæ dicitur Abarzuza integra cum Eccleſia ſua, & ſuo Monaſterio, quod dicitur Yranzò cum ſuis decimis in Vrranci, & in Legarda, vel omnibus quæ pertinent ad illud Monaſterium, S.Gemma ſimiliter cum omnibus ſuis pertinentiis. Monaſterium S.Chriſtophori, iuxta villam quæ dicitur Ancinz, & Rigum de Ega, cum omni ſua pertinentia; atque Monaſterium quod dicitur Pezuelas cum Eccleſiis de Priepo, & Ijdone, & de Oyone, cum omnibus tertiis Eccleſiarum de Berroza, quæ dicitur Gozpena. In Carcaras Eccleſiam S.Mariæ, cum ſua pertinentia, & ſua hæreditate.

Diœceſis Pampilonenſis antiqui termini.

TERMINI huius Epiſcopatus ſunt ſine vlla dubitatione, ſicut ego ab antiquis, & ſapientibus viris in veritate probaui, & nunc tenet Domnus Sanctius prædictus Epiſcopus, eiuſque Anteceſſores tenuerunt. De Occidentis parte ſicuti ipſa penna Puni Caſtri, & penna de Marannione diuiduntur vſque ad Hiberum flumen, & quemadmodum ipſe Hiberus diuidit vſque ad flumen, quod dicitur Gallicum, & à Gallico flumine, vſque ad villam quæ dicitur Caleones, intus ſtantibus villis, videlicet Murello, & Augurio, Caſtelmaneo, Eliſo, Sarracaſtello, Toloſana, & valle de Oſella, cum tota Extrematura. Et ex alia parte ſicut diuidit vallis de Aragone, vſque Copello in ipſa valle, infra terminum huius Epiſcopatus, ſtante cum valle de Pintano, & villa quæ dicitur de Aſſo, & Lerbes. Atque Monaſterium S.Saluatoris de Imaoz, quæ manet in Diœceſi huius Sedis. Ex alia parte tota vallis de Roncal, & de Serezazo, atque Aezcoa, & vallis de Erro vſque ad Capellam S.Saluatoris, quæ dicitur Caroli Magni, & à Capella Caroli vſque ad portum de Belate, vſque ad S.Sebaſtianum, quæ eſt ſitum ſuper ripam Maris Oceani, cum vallibus ſubſcriptis, ſcilicet, Lerin, Oiarzun, Lauayen, Veraſtegui, Araynz, Larraum, Araria, Ozcue, Ernani, Seyar, Titiar, Yraigui, Goyaz, Errerzil, Leitza, Areſo, Egozqueta, Ezcurra, Olarumbe, Ymaoz, Aulia, Ianſarras, cum omnibus ſupradictis vallibus, & tota Ypuzcoa. Ex alia igitur parte tota vallis de Araquil, quod dicitur S.Mariæ Zamarzes, & cum ſua Eccleſia S.Michaëlis de Excels; cum eorum pertinentiis, atque Burunda, vſque ad Eznate, & vſque ad S.Adrianum, & à S.Adriano vſque ad flumen, quod dicitur Vidaſo, & aliud flumen, quod dicitur Deua, & de Deua vſque ad Gorziza. Ex alia adhuc Occidentis parte ſicut diuidit vallis de Oluine. Similiter tota vallis quæ Ameſcoa vocatur, verum, vt non alius niſi Epiſcopus Pampilonenſis habeat licentiam, & poteſtatem conſecrandi eiuſdem Epiſcopatus Eccleſias, & Preſbyteros, & omne Epiſcopale implere officium. Idem verò Epiſcopus Pampilonenſis ponat ſuos Clericos per omnes Eccleſias cum conſilio Archiepiſcopi ſui, quos meliores habere potuerit, & nullus Clericus teneat Eccleſiam in toto Epiſcopatu niſi per manum Epiſcopi, & Clerici donent de omnibus decimis, quas acceperint à parrochianis ſuis, tertias, ſine fraude, Epiſcopo, abſque vlla contradictione hominum. Hæc omnia, quæ ſupraſcripta ſunt, ad prædicti loci ſeruitium, & honorem pertinent, qui præcedentes Noſtri Reges, vel alij, alia Epiſcopis per ſe dederunt, alia reſtituerunt, cum omnibus terris, vineis, molendinis, hortis, pomiferis, pratis, paludibus, montibus,

fontibus,

fontibus, pascuis, exitis, & introitis confirmauerunt ingenuè, & liberè, absque vllius sæcularis hominis imperio, in prædicta Ecclesia potestate, vel suarum ibidem Deo seruientium mansura in perpetuum decreuerunt, laudo, & confirmo. Si quis tamen præsentium, vel futurorum hoc inaliquo violare, & confringere testamentum temptauerit, iniuriam fecerit, decem persoluat libras auri, & hoc testamentum inuiolatum, atque indisscussum valeat permanere. Facta Charta Era M. X L V. Regnante Rege Sanctio *in* Pampilona, *& in* Aragone, *& in tota* Castella, &c.

Hæc donatio licet tunc temporis plenum non accepisset effectum, siquidem Ecclesiæ *Pampilonensis* Sedes adhuc in *Legerensi* residebat cœnobio, vbi Episcopi aderant, & illinc suæ Diœcesis terminos noscitur moderari, attamen postea anno M. XXIII. *Concilium* indictum fuit apud *Pampilonam*, cui ferè omnes regionis Episcopi, Abbates, & Proceres interfuère; ibidémque pleniùs de restauratione Sedis Episcopalis, Diœcesis assignatione, & Prælati eligendi munere actum est, vt ex Regali priuilegio liquet, quod est huiusmodi.

Sedes Pampilonensis in Legerensi Cænobio erat.

PRIVILEGIVM REGALE, SIMVL & Pontificale, ob honorem S. MARIÆ *Sedis* Pampilonensis, *necnon & Cænobij* S. Saluatoris Legerensis, *decretum à Clarissimo Rege* Sanctio *in Pampilonensi Concilio III. Kalendas Octobris.*

EGO SANCTIVS *clementissima Omnipotentis dignatione Rex. Licet nemini Sanctorum Regum merear adæquari; desinere tamen erubesco, eos in aliquo sanctitatis, iustitiaque facto nolle imitari; præsertim cùm illud tempus adsit congruum, quod si profecto apparebit (vt aiunt mihi Pontifices) opus iustum, & idoneum. Promulgatum enimverò est, quòd quamplurimæ Sedes Episcoporum deserta, & sine nomine iacent, multitudine prædatorum, & paucitate defensorum, & nullus fortaßè status, vel honor maneret modò Episcopalium Sedium, nisi eas ab ingruentia vastatorum, bonorum Regum, & Principum retraxisset auxilium. Proinde concessa mihi, diuina subueniente potentia, securitate de hostibus; quamuis diuinis beneficijs, nihil æquale possim recompensare, neque id donum comparare, quod receptum habeo Creatoris largitate; congregans autem Præsules Ecclesiarum, & Catholicos Viros, Concilium ad celebrandum, secundum præcepta Canonum, conari decreui pro cælesti præstitu* Iruniensem *Sedem restaurare, & sanctam istam Ecclesiam præcepi sponso idoneo maritare. Proh dolor! vna enim de illis est hæc Sedes, quæ pene sunt sine nomine, vel quæ omnis honoris mutilata, videntur ingloria. Grassante quippe barbarorum nequitia, peßimè quoque istius gentis sæuiente perfidia, facta est sine tutore misera, omnium bonorum indiga, & sine merito vidua. Quapropter grata mente, sana sponte, placido consensu meæ Coniugis Dominæ* Maiore *Reginæ, communi affectu nostrorum filiorum, vel consilio Episcoporum, atque Abbatum, siue omnium Seniorum, iuxta præcepta Canonum, & decreta Sanctorum Patrum, dantes tertiam partem cunctarum frugum decimarum, & reddentes sui oneris suas diœceses, scilicet villas, Ecclesias, domos, necnon & hæreditates terrarum, & vinearum, quæ olim dignoscebantur in eius potestate consistere, concedo illam dominatui* S. Saluatoris, *posthac perpetim credituram pertinere, & tibi Domino meo, & Magistro* Sanctio *Abbati, & Episcopo, vt, Deo iuuante, eam cum nostro auxilio renoues, & restaures, & Canonicum Ordinem ibidem constituas, & disponas qualiter vbi inde ab æquissimo recompensatore, & iusto iudice Domino mereamur criminum nostrorum in die retributionis remedium adquirere. Post nostrum verò obitum hæc ne vlterius, vt nunc vsque Sancta Ecclesia*

pro indignis periclitetur Rectoribus, ne vel à nobis inchoatus renouaturus Epiſcopatus exhareditetur potius Eccleſiaſticus ſtatus, hactenus noſtra in patria ignorantia caligine offuſcatus renouetur, & melioretur, ſiue regularis ordo ab anteceſſoribus Regibus, ſcilicet meis parentibus, & ab Epiſcopis, & Abbatibus in cœnobio Legerenſi ad honorem S. Saluatoris, *& Sanctarum Martyrum, & Virginum, conſtitutus continendo conſeruetur, & confirmetur, exinde propagando per Monaſteria Regni noſtri dilatetur, regali auctoritate pracipimus ſequentibus Regibus, vt Sancta Matris huius pralibata Eccleſia* Iruníenſis *futuros Epiſcopos, Rectores, & Gubernatores de prafato Cœnobio cum electione comprouincialium Epiſcoporum, cum ſabore omnium Seniorum, & militum vigilantiſsima cura pracipiant ordine de regulari eligere egregios Sponſos, prudentiſsimos Viros, bona operationis, ſedulitate probatiſsimos, ſacerdotalis, & pontificalis honoris digniſsimos, qui cum totius populi praconio, aſſerentes eos idoneos eſſe, ſint ad Epiſcopalem ſublimitatem commodi; vt potè, bonitate largiſsimi, affabilitate mitiſsimi, humiles, amabiles, deſiderabiles, probabiles, celebres, oratores, benefactores, concordes, miſericordes, pij, iuſti, manſueti, benigni, pacifici, caſtiſsimi, Sanctiſsimi: ſint praterea bene inſtructi ad Eccleſiaſtica officia, Pſalmiſta, Compotiſta, Cantores, Lectores, & fide ſancta pleni. Ergo magnipendenda Epiſcoporum, caterorúmque ordinum, quos ſupra nominauimus electione, & Regali decreto, omniúmque tandem ſabore quicumque adquiſiuerint, conſecrentur, & confeſtim ordinentur, & in Epiſcopatus ſublimentur, & Pontificali adornati infula, atque mytra dealbati mundiſsima, Antiſtites in cathedra conlocentur. Si quidem priùs voueant, atque promittant, animo puro, & corde vero, Deo, & Sancta* MARIÆ *ſempérque Virgini, cuius glorioſo nomine eſt vocitata Mater eorum Eccleſia, atque omnibus Sanctis, cunctis audientibus:* ſe fidem Catholicam ſanctæ Trinitatis,& Vnitatis,ſcilicet,Patris,& Filij,& Spiritus ſancti credituros, obſeruaturos, & firmiter prædicaturos. *Promittant praterea ſecundum inſtituta Canonum*, catechizare, baptizare, & cunctum ordinem Chriſtianitatis dare,& Diaconos, atque Presbyteros, cunctóſque gradus Eccleſiaſticos ſine pretio ordinare, peccata caſtigare, plebem ad pœnitentiam conuocare, infirmos, & carcere clauſos viſitare, pauperibus eleemoſynam dare, diſcordes ad concordiam reuocare,miſeris ſubuenire,querelantes audire,piè, iuſtè, ſobriè, & caſtè viuere,& terras, atque mandationes ad eorum diœceſes pertinentes, aſſiduè perquirere, & vt non ceſſent clamare apud Reges, & Principes, quarumcumque violentiarum Sancta Eccleſia fuerit fraudata. *Item promittant, & voueant Regi, cuius donatione hunc receperint honorem*, fidem integram, & ſine fraude ſeruare; & ſuo Metropolitano obtemperare, atque obedire, & ſicut diſcipuli ſuo Magiſtro ſeruire. *Ad hac verò concludant in votis, quòd ſint ſolliciti ſecundùm rectas horas dierum, ac noctium, diuinum in ſuis Eccleſiis ſanctis celebrare officium; & cunctas eis oues commiſſas, in quantum valuerint, à faucibus luporum rapacium liberare, & ſeruare. Et quicumque futurorum Regum noſtrorum tranſgredientes, & deuiantes ab hoc Regali, ſimul & Pontificali decreto temptauerint diſſoluere hanc ſcripturam, in praſenti ſeculo Omnipotens Deus, qui eſt iuſtus, & Regum Rex diſſoluat, & diuidat regalem honorem, & potentiam regni eorum, détque illis ſe deligentibus; & in futuro ſeparati à conſortio omnium Chriſtianorum non interpellante pro eis Beata ſempérque Virgine* MARIA*, cum omnibus Sanctis, participentur ſocietatem cum Dathan, & Abiron, & Iuda traditore in inferno inferiori, luentes pœnas perpetui incendij, ſine fine, & per aterna ſecula ſeculorum, Amen. Ego verò ſupradictus Sanctius, qui hanc Chartam Epiſcopalis, & Cœnobialis honoris ſcribere mandaui, intercedente glorioſa, & Beatiſsima* MARIA *cum omnibus ſanctis, iuſtis, & electis Dei, merear remiſsionem peccatorum meorum conſequi, & caleſti in regno feliciter cum Chriſto latari, Amen. Facta charta, & confirmata*

firmata in præsentia Episcoporum, Abbatum, & Potestatum, & totius Populi congregati in Pampilonensi Concilio, currente ERA LXI. *post M. Die III. Kal. Octobris, Regnante supradicto Sanctio serenissimo Rege in Pampilona, in Aragonia, in Subrarbe, & in Ripacorza, in omni Gasconia, in Alaua, in cuncta Castella, in Asturias, in Legione, siue Asturica, imperante diuina clementia D. N. Iesu-Christi, qui viuit, & regnat per omnia secula seculorum, Amen.*

Post istius Concilij decretum, cùm per Sedem Apostolicam, huiusmodi restauratio hactenus non esset confirmata, tempore Sanctij Ramirez suum effectum sortita est, interueniente auctoritate Hugonis Candidi S. R. E. Cardinalis, & in Hispaniarum regnis Legati, necnon Alexandri II. Pont. Max. decreto, vt patet ex priuilegio istius Sanctij Ramirez XIV. Kalend. Maij, Era M. C. VIII. hoc est Anno Domini M. LXX. quod refert, vt supradicta, D. D. Prudent. Sand. Histor. Pampilonens. fol. 39. Quibus prælibatis, & restaurationis huiusmodi Sedis initiis recensitis, ad Episcoporum Catalogum deuenio.

SANCTIVS ergo Episcopus supradictus post insignia religionis munera, Præsulatus onera, & regni gubernatione obsequia, ad Dominum emigrauit VII. Kal. April. Era M. LXII. id est Anno Domini M. XXIV. 1024.

XXIII. SANCTIVS II. Episcopus Pampilon. XXIII. qui & Naiarensis, fuit Abbas S. Æmylliani, & ad Episcopatus cathedram à Rege compulsus accessit, vt indicant verba relati priuilegij Sanctij Ramirez, sic: *Post obitum cuius* (Sanctij Maioris) *legerensem Ecclesiam rexit Sanctius Abbas, atque Episcopus, cognomento Minor, multis temporibus. Qui licet diu, multúmque repugnauerit, post nimias reluctationes, Dei tamen miseratione, cogente Rege ad Episcopatus sublimitatem est deductus.* Quin, & ipse in subscriptionibus, hæc perpetuò reluctatio repetebat, hisce verbis: *Ego Sanctius Pampilon. atque Naialens. Episcopus sub præfati Regis imperio pulsus, & culmine fultus, exaraui.* Demum moritur die XXVIII. Ianuarij Anno M. L. 1050.

XXIV. IOANNES II. Episcopus Pampilonens. XXIV. de cuius memoria adsunt quamplurimæ donationes: hic fuit primus qui in subscriptionibus *Episcopus Nauarrensium* fuit vocitatus. Eius memoria ad Ann. M. LXVIII. 1068.

XXV. FORTVNIVS I. Episcopus Pampilon. XXV. primò Alauensis, iterum ad suam restitutus Alauensem Ecclesiam, ad eundem annum. 1068.

XXVI. BLASIVS II. Episcopus Pampilon. XXVI. qui fuerat Monachus Legerensis, eius memoria ad annum M. LXXVI. 1076.

XXVII. GARSIAS I. Episcopus Pampilon. XXVII. simúlque Iaccensis in Aragonia, fuit frater Regis Sanctij Ramirez, quem propter manuum iniectionem in Ecclesiæ bonis, obiurgabat; donec pius Rex pœnitentia publica peracta in Ecclesia Rothensis, ab ea meruit absolui. Episcopi memoria ad annum M. LXXXIV. 1084.

XXVIII. D. PETRVS I. Episcopus Pampilonens. XXVIII. qui & Rothensis, fuit & natione Gallus, ad istam Sedem reluctanter, ex cœnobio S. Pontij Tomerensis sublimatus, illico Ecclesiam Pampilonensem restituit, & in Canonicorum Regularium S. Augustini ordinem transtulit. Anno M. XCVI. interfuit Concilio Claro-Montano cum Bernardo Toletano, apud Gallos. Eius memoria ad Annum M. C. XV. Restaurauit Ecclesiam, in cuius antiquæ portis hæc leguntur carmina: 1115.

Virginis Ecclesiam Præsul Sanctissimus olim
Hanc rexit, sede Petrus *in ista fecit & ædem,*
Ex quo, sancta pia domus est incepta MARIÆ.
Tempus protentum fert anno milléque centum,
Ex incarnati de Virgine tempore Christi.

XXIX. GVILLELMVS Gaston I. Episcopus Pampilon. XXIX. Vir eximiæ strenuitatis, & virtutis, interfuit obsidionibus Cæsaraugustæ, Tutellæ, & Tirasonæ; eius memoria ad annum M. C. XXII. 1122.

XXX. D. SANCTIVS de Rosas III. Episcopus Pampilon. XXX. fuit Hispanus ex Aragonia; hic primus suam consecrauit Ecclesiam, & in Pyrenæis ad locum, vbi Caroli Magni Capella inuisitur, quem Roncesvalles vocant, Hospitium peregrinis Compostellam commeantibus celebre extruxit; eius memoria ad Ann. M. C. XLVIII. 1148.

XXXI. D. LVPVS I. Episcopus, Pampilonens. XXXI. Nobilis Nauarrus, & nobilior virtutibus, impetrauit à Celestino II. P. M. confirmationem omnium bonorum Ecclesiæ; & propter nonnullas parochias litigauit cum Episcopo Cæsaraugustano, quorum litem diremit Hyacinthus S. R. E. Cardinalis; eius memoria ad Ann. M. C. LXV. 1165.

XXXII. VIVIANVS I. Episcopus Pampilon. XXXII. natione Gallus, impetrauit ab Alexandro III. Pont. Max. confirmationem sententiæ inter antecessorem, & Episcopum Cæsaraugustanum. Eius memoria ad ann. M. C. LXVI. 1166.

XXXIII. D. PETRVS Parisiensis II. Episcopus Pampilon. XXXIII. origine Nauarrus, pietate insignis, omnibus munificus, erexit cœnobium Yranzu; diuisit bona inter Canonicos, & dignitatem, propter illorum susurrationes, quæ antea communia erant. Dotauit festiuitatem S. Firmini Antecessoris in eius die, & ipsius reliquiam ab Ambianensi impetrauit Episcopo, quæ honorificè seruatur. E vita discessit XIII. die Iunij, Anno M. C. XCIII. 1193.

XXXIV. D. MARTINVS de Tafalla I. Episcopus Pampilon. XXXIV. ex ipso regno oriundus, primus electus ab ipsis Canonicis, eius vita breuis, eius possessio turbida, & ideò apud Curiam obiit Romanam, Anno M. C. XCIV. 1194.

XXXV. D. GARSIAS II. Episcopus Pampilonens. XXXV. ex Castella originem trahens, Vir religione sublimis, & pietate magnificus, qui Regem Sanctium, cognomento Sapientem, in necessitate constitutum extrema donauit LX. mill. solidorum, propter quod illi palatium contulit Pampilonense. Moritur die XVI. Maij, Anno Domini M. CC. V. 1205.

XXXVI. D. IOANNES de Tarazona III. Episcopus Pampilon. XXXVI. ex Tarasonensi vrbe oriundus, licèt apud Nauarros natus, instituit in Ecclesia Primicerij, seu Cantoris dignitatem, profectus Romam ibidem mortem inuenit, die II. Septembris, Anno Domini M. CC. XI. 1211.

XXXVII. D. SPERAGVS I. Episcopus Pampilon. XXXVII. Regali ex progenie Gallorum ortus, de quo haud memoria reperitur, nisi in donatione à Rege Petro facta, anno Domini 1212. Postea ad Tarraconensis Sedis Archiepiscopatum translatus est anno Domini M. CC. XIV. 1214.

XXXVIII.

XXXVIII. D. Gvillelmvs II. Episcopus Pampilonens. XXXVIII. Gallus origine, qui taliter in conseruanda Ecclesiastica libertate, se gessit, vt Sanctium cognomento Fortem, qui illam dedecorare cupiebat, ab Ecclesia eiiceret, & imposito in Episcopatus Ecclesiis interdicto Ecclesiastico, & anathemate, aliò creditur diuersari. 1219.

XXXIX. D. Ioannes huius nominis IV. Episcopus Pampilonensis XXXIX. de quo haud mentio est in auctographis Ecclesiæ.

XL. D. Remigivs huius nominis I. Episcopus Pampilonensis XL. Infans Nauarræ, obiit Ann. M. CC. XXIX. 1229.

XLI. D. Petrvs huius nominis III. Episcopus Pampilonensis XLI. qui mortuo sine liberis Theobaldum Regem hæredem salutauit. Ann. M. CC. XXXVIII. 1238.

XLII. D. Petrvs huius nominis IV. cognomento *Cazelax*, Episcopus Pampilonensis XLII. Ecclesiam suis redditibus restituit, obiit Ann. M. CC. LXVI. 1266.

XLIII. D. Armengavdvs huius nominis I. Episcopus Pampilonensis XLIII. bella inter ciues sedauit, & moritur Ann. M. CC. LXXVII. 1277.

XLIV. D. Michael huius nominis I. cognomento *Sanchez* Episcopus Pampilonensis XLIV. statutum instituit, obiit Ann. M. CC. LXXXVI. 1286.

XLV. D. Michael huius nominis II. cognomento *Perez de Legaria*, Episcopus Pampilonensis XLV. Synodum indixit. Obiit Ann. M. CCC. IV. 1304.

XLVI. D. Arnaldvs huius nominis I. cognomento de *Puyana* Episcopus Pampilonensis XLVI. duas Synodos fecit. Obiit Anno M. CCC. XVI. 1316.

XLVII. D. Scemenvs huius nominis II. cognomento *Garcia*, Episcopus Pampilonensis XLVII. parumper vixit, obiit Anno M. CCC. XVII. 1317.

XLVIII. D. Arnaldvs huius nominis II. cognomento *Barbacano*, Episcopus Pampilonensis XLVIII. multa extruxit. Obiit Anno M. CCC. LVI. 1356.

XLIX. D. Michael huius nominis III. cognomento *Sanchez de Asiayn*, Episcopus Pampilonensis XLIX. Synodum apud Stellam contraxit. Obiit M. CCC. LXIV. 1364.

L. D. Bernardvs huius nominis I. cognomento *Folcaut*, Episcopus Pampilonensis L. fuit Episcopus Oscensis. Obiit Ananiæ Ann. M. CCC. LXXVII. 1377.

LI. D. Martinvs huius nominis II. cognomento *Zalba*, Episcopus Pampilonensis LI. Cardinalis creatur. Obiit Anno M. CCCC. III. 1403.

LII. D. Michael huius nominis IV. cognomento *Zalba*, Episcopus Pampilonensis LII. Cardinalis effectus, moritur Ann. M. CCCC. VI. 1406.

LIII. D. Lancellotvs huius nominis I. cognomento *Nauarra*, Episcopus Pampilonens. LIII. Patriarcha Alexandrinus, obiit Ann. M. CCCC. XX. 1420.

LIV. D. Sanctivs huius nominis IV. cognomento *Oteyza*, Episcopus Pampilonensis LIV. qui partem Ecclesiæ extruxit. Obiit Ann. M. CCCC. XXV. 1425.

LV. D. Martinvs huius nominis III. cognomento *Peralta*, Episcopus Pampilonensis LV. fuit tutor Regis Caroli, obiit Anno M. CCCC. LVI. 1456.

LVI. D. Bessarion, huius nominis I. Epiſcopus Pampilon. LVI. Græcus origine, Archiepiſcopus Nicenus, & Cardinalis. Ann. M.CCCC.LXII. 1462.

LVII. D. Nicolavs huius nominis I. cognomento *Echauarri* Epiſcopus Pampilonenſis LVII. ob renuntiationem Beſſarionis accepit Sedem, moritur Ann. M.CCCC.LXIX. 1469.

LVIII. D. Alfonsvs huius nominis I. cognomento *Carrillo* Epiſcopus Pampilonenſis LVIII. Synodum in Stella contraxit, & obiit Ann. M.CCCC.XCI. 1491.

LIX. D. Valentinvs huius nominis I. cognomento *Borgia*, qui etiam *Cæſar* vocatus fuit, Epiſcopus Pampilonenſis LIX. Cardinalis S. R. E. plures Eccleſias à patre Alexandro VI. Pont. Max. in Hiſpania, & Italia accepit, ſed ille omnes dimiſit Anno M.CCCC.XCII. & militiam inſequutus, Italiæ dominium; ſeu Cæſar ambiens, tandem nihil: occubuit Anno M.D.V. cuius ſarcophago appendit licentioſa cruditio hoc carmen.

Aut nihil, aut Cæſar *vult dici* Borgia: *quidni?*
Cum ſimul & Cæſar *poſſit & eſſe* nihil. 1492.

LX. D. Antoniotvs huius nominis I. Epiſcopus Pampilon. LX. in commendam habuit Sedem, & Synodum contraxit, obiit Anno M.D.VII. 1507.

LXI. D. Faccivs huius nominis I. Epiſcopus Pampilonenſis LXI. Cardinalis, & Commendatarius, poſt multos tumultus, obiit Anno M.D.X. 1510.

LXII. D. Amanevs huius nominis I. cognomento *Labrit*, Epiſcopus Pampilonenſis LXII. Cardinalis, & Regis frater, eius tempore Regnum Nauarræ Regi Catholico reſtitutum, acceſſit Caſtellæ Regibus. Obiit Cardin. Ann. M.D.XXI. 1521.

LXIII. D. Alexander huius nominis I. cognomento *Cæſarinus*, Epiſcopus Pampilonenſis Commendatarius LXIII. Cardinalis, contraxit Synodum, & ad Ann. M.D.XXXVII. ad Conchenſem Sedem tranſlatus eſt. 1537.

LXIV. D. Ioannes huius nominis V. cognomento *Remia*, Epiſcopus Pampilonenſis LXIV. fuit primus à Regibus nominatus, obiit Anno M.D.XXXIX. 1539.

LXV. D. Petrvs huius nominis V. cognomento *Pacheco*, Epiſcopus Pampilon. LXV. ex Ciuitatenſi, pòſt tranſlatus ad Seguntinum. Obiit Ann. M.D.LX. fuit S. R. E. Cardinalis, & annus tranſlationis fuit, M.D.XLV. 1545.

LXVI. D. Antonivs huius nominis I. cognomento *Fonſeca*, Epiſcopus Pampilonenſ. LXVI. Conſilij Præſes effectus Sedem dimiſit, Ann. M.D.L. quo obiit. 1550.

LXVII. D. Alvarvs huius nominis I. cognomento *Moſcoſo*, Epiſcopus Pampilonenſ. LXVII. contraxit Synodum, ad Zamorenſem tranſlatus Ann. M.D.LXI. 1561.

LXVIII. D. Dinacvs huius nominis I. cognomento *Ramirez*, Epiſcopus Pampilonenſ. LXVIII. interfuit Concilio Tridentino, & Synodo Cæſarauguſtanæ, obiit Ann. M.D.LXXIII. 1573.

LXIX. D. Antonivs huius nominis II. cognomento *Manrrique*, Epiſcopus Pampilonenſis LXIX. Synodum contraxit, & obiit Ann. M.D.LXXVIII. 1578.

LXX. D. Petrvs huius nominis VI. cognomento *Fuente*, Epiſcopus Pampilonenſis LXX. recepit Moniales S. Thereſiæ, & obiit Anno M.D.LXXXVII. 1587.

LXXI.

LXXI. D. Bernardus huius nominis II. cognomento *Sandoual*, Episcopus Pampilon. LXXI. ex Ciuitatensi, postmodùm ad Giennensem translatus est Ann. M. D. XCV. post ad Toletanam Sedem, Cardinalis S. R. E. 1589.

LXXII. D. Antonius huius nominis III. cognomento *Zapata*, Episcopus Pampilon. LXXII. Cardinalis translatus ad Sedem Burgensem, Ann. M. DC. I. 1601.

LXXIII. D. F. Matthęus huius nominis I. cognomento *de Burgos*, Episcopus Pampilon. LXXIII. ex Ordine Minorum, hinc translatus ad Seguntinum, Ann. M. DC. VI. 1606.

LXXIV. D. Antonius huius nominis IV. cognomento *Venegas*, Episcopus Pampilon. LXXIV. ex Canonico Toletano, pòst translatus est ad Seguntinum, Ann. M. DC. XI. 1611.

LXXV. D. F. Prudentius huius nominis I. cognomento *Sandoual*, Episcopus Pampilon. LXXV. Chronographus Regius, & Episcopus Tudensis, obiit Ann. M. DC. XX. 1620.

LXXVI. D. Franciscus huius nominis I. cognomento *Mendoza*, Episcopus Pampilonensis LXXVI. ex Episcopo Salmantino, qui Anno M. DC. XXII. ad Malacitanam, post ad Placentinam translatus, illa dimissa, Administrator Toletanæ pro Sereniss. Cardinali Infante Ferdinando vocatus, Matriti occubuit Ann. M. DC. XXII. 1622.

LXXVII. D. Christophorus huius nominis I. cognomento *Lobera*, Episcopus Pampilon. LXXVII. ex Oxomensi, translatus ad Sedem Cordubensem Anno M. DC. XXV. obiit Placentinus, & electus Compostellanus. 1625.

LXXVIII. D. F. Ioseph. huius nominis I. cognomento *Gonzalez* Episcopus Pampilonensis LXXVIII. ex Palentino, post translatus ad Sedem Compostellanam, ad Annum M. DC. XXVII. 1627.

LXXIX. D. Petrus huius nominis VII. cognomento *Zorrilla*, Episcopus Pampilonensis LXXIX. ex Pacensi, obiit Ann. M. DC. XXXVIII. 1638.

LXXX. D. Ioannes huius nominis VI. cognomento *Queipo de Llanos* Episcopus Pampilon. LXXX. ex Præside Vallisoletano. Ann. M. DC. XLVII. 1647.

LXXXI. D. Ioannes huius nominis VII. cognomento *Piñeiro* Episcopus Pampilon. LXXXI. ex Calagurritano, obiit Ann. M. DC. XLVII. 1647.

LXXXII. D. Franciscus huius nominis II. cognomento *Alarcon* adhuc in viuis est.

SEXTO IDVS APRIL.

DIES VIII.

A. Carthagine *in Hispania*, *Martyrium* S. Concessæ *Virginis apud omnes celebre*, *quo constanter pro Christi numine*, *& pro fidei nomine coronas duplices adepta est.*

Comi

B. Comi *in Italia Natalis* S.Amantii, *Theodosij Iunioris Imperatoris* Hispani *ex sorore, nepotis; ipsius vrbis Episcopi; Qui virtutibus, & miraculis clarus, ad Dominum illustris peruenit Confessor.*

C. Brixiæ *in Italia celebris*, S.Philastrii *eiusdem Ecclesiæ Episcopi, Confessoris, Origine* Hispani, *Translationis festiuitas annuatur, qua & Patroni, Doctorisque monita, & Pontificie merita anniuersario renouantur obsequio.*

NOTÆ.

Martyrologia. Sancta Concessa.] huius gloriosæ Virginis, & Martyris memoria adest in sacris penè omnibus Tabulis, & taliter concisè, vt tantùm *Concessa* nomen, & vrbis referatur. Sic Beda: *Et in Carthagine Concessa.* Eadem Alexand. Peregrin. Petr. Galesin. Martyrol. Roman. Gregor. XIII. Clement. VIII. & Vrbani VIII. quibus assentiunt, *Castell.* P.Dionys. Vasq. *Lusitan.* Societat. Iesv, & *Hispan. MS.* P.Higuera hisce verbis: *En Cartagena de España Santa Concessa Virgen, y Martir en la persecucion del Emperador Diocletiano.* Latinè, sic: *Carthagine in Hispania S. Concessa Virginis, & Martyris, in persecutione Imperatoris Diocletiani.* *Error Maurolyci.* Errorem passus est Maurolycus, qui vt virum, inter viros, miscet Sanctissimam fœminam, sic: *Item SS. Concessi, Ammonij, & Successi.* A quo extraxerit horum Martyrum nomina, non liquet, nam nullus est qui eorum meminerit. Præter relatos de ea scribunt L. Flau. Dext. Noster *in Chron. ann.* 300. vbi P.Biuar. *Comment.* 2. *n.* 11. *fol.* 331. & *ann.* 301. vbi Roder. Car. *lit. P. fol.* 103. P. F. Alphons. de Varg. *Histor. B. M. V. Hortor. Eliocratensi*, §. 3. *fol.* 12. *col.* 2. *Scriptores.* Ex quibus huiusmodi acta compagino.

ACTA S. CONCESSÆ VIRGINIS & Martyris Hispana apud Carthaginem Spartariam; ex varijs.

Origo. Concessa *Virgo Nobilis* Hispana *ex vrbe* Carthaginensi, *cognomento* Spartaria, *oriunda, Christi fidem amplectens, sub* Felicis *(vt creditur) ipsius vrbis* Episcopi *auspicijs; sauiente Diocletiani, eiúsque satellitum aduersus Dei Ecclesiam, eiúsque membra persecutione, qua, nec Sacra debitum immunitatis honorem callebant, nec vlla erat absque horrore virginitas, absque periculo vrbanitas, & absque subterfugio strennitas, animo Christum fatens, & ore, ad quacumque, pro ipso, sustinenda parabatur opprobria.* *Fides.* *Sed adueniente furore Gentilium, quo diabolica quaritabat calliditas Christi asseclas, in quos per tormentorum acerbitatem exultaret infamis, Sanctissimam cum alijs* Concessam *Virginem apprehendit.* *Custodia.* *Nil ab ea nisi fidem fateri, & Christum Deum confiteri potuit sagax iudicum tergiuersatio elicere contumacium, ideò ad mortem vsque Virgo damnata,* *Martyriũ.* *& Virginitatis, & Martyrij palmam duplicem adepta est.* VI. Idus Aprilis, *Anno Domini* CCC. *Marcellino Pont. Maxim. & Diocletiano Imper. Ecclesiam, & imperium gubernantibus.*

Originis probatio. De Origine Hispana *S.Concessa*, præter *P.Higuera Martyrologium MS.Hispaniæ*, adsunt verba Dextri, huiusmodi: *Carthagine Hispania* S.Concessa *Martyr egregia.*

P.Vargas,

P. Vargas, sic: *S. Concessa patitur Carthagine Martyr illustris, quæ in Kalendario colitur die VIII. Aprilis.* Notandum est, quòd illic enumerat omnes Sanctos Martyres, & Confessores, quos *Carthago Spartaria* in omni produxit æuo, ideò licèt tantum omnem *Carthaginis* expresserit, de nostra secundum subiectam materiam; verba sunt illius intelligenda. *P. Biuar.* & *Roder. Car.* etiam Nostram agnoscunt Martyrem. Quo martyrij genere Virgo gloriosa compleuerit agonem, nullus ex antiquis, & neothericis aperit; quicumque ille fuisset, ad sponsi nuptias duplici corona peruenit. Cuius sanctitati, & martyrio sic aliquando lusit Aul. Hal. *in meo MS.*

PRO S. CONCESSA VIRG. ET MART. CARTHAG. Hispaniæ distychon Elegiacum.

CONCESSA *en Virgo numerum* Carthaginis *auget*
Martyrum, & Christo pulchra trophæa parat.
Despexit constanter sæpè tyrannidis arma;
Quo Christum quærens, Numen adiuit ouans.
Felix Hispaniæ globus, tot diuite gleba
Conspicuus, tantis sic redimitus aris.

CARTHAGO SPARTARIA. De eius situ primò dictum est, die XV. Ianuarij, vbi de conditore primam retulimus sententiam. Nunc ad secundam deuenimus. *II. Opinio de cõditore.* Appian. Alexand. *de Bello Hisp.* ex Saguntinæ vrbis excidio *Hannibalem* extruxisse *Carthaginem* autumat *Spartaciam*; his verbis: *Cum autem vrbem ad mare sitam, atque in agro fertili, habitatoribus vacuam esse nollet; eam Coloniam Carthaginensium fecit, quam hodie* Carthaginem Sparthagenam *ecce appellari.* Hanc opinionem amplectitur S. Isidor. Noster *lib. 15. Origin. cap. 1.* Ludouic. Non. *in sua Hispan. cap. 66.* ex Plinio *lib. 3. cap. 3.* vbi *Pœnorum opus* fuisse, perhibet. Quam respuit Causabon. *in Not. ad Strabon. fol. 72. col. 2.* Alias suis locis appingemus.

S. AMANTIVS *Episcopus III. Comensis.*] De ipso sic Galesin. h. d. *Nouocomi* S. Amantij Episcopi, & *Confessoris, qui Leone I. Pontifice, Episcopalium virtutum, & Sanctimoniæ laude florens obdormiuit in Domino.* B. Martyrolog. Roman. sic: *Apud Comum* S. Amantij *Episcopi, & Confessoris.* *Martyrologia.* Quo loco Baronius, itidem addit; *Præcessit hic Sanctum Abundium, eius ciuitatis Episcopum; successit autem S. Felici, qui vixit temporibus Sancti Ambrosij, cuius ad eum extat epistola.* De eo etiam meminere Martyr. *Castell.* P. Dionys. Vasq. & *Lusitan.* PP. Societat. IESV. Ejus memoria extat apud Mombrit. *tom. 1. SS. fol. 1.* in vita S. Abundij. Philipp. Ferrar. *in Topographⁱ. SS.* *Scriptores.* verb. Comum *fol. 38. col. 2.* & in *Catal. SS. Italiæ, fol. 184. & 185.* A quo acta licet breuissima petemus.

ACTA S. AMANTII, EPISCOPI & Confessoris apud Comenses in Italia, Hispani; ex Mombritio, & Philippo Ferrario.

AMANTIVS Theodosij Iunioris *origine* Hispani *Imperatoris ex sorore Nepos*, Cantuariæ *in Anglia natus, post primos adolescentiæ flores,* *Prosapia.* *quos in bonis virtutum, & doctrinæ odoribus, feliciter expenderat,* Comum *in* Italia *veniens, Sanctóque Prouino adhærens Episcopo, apud illum, recondita sanctitatis thesauros, & interioris sapientiæ radios paulatim, Numine disponente, dissoluit. Eius eximiam doctrinam, & probatissimos, mores* *Ex Anglia Comum venit.* *cùm introspiceret Præsul, de ipso successore deligendo, totis viribus pro Ecclesiæ quiete tractauit. Quod vt factum, mox, illo defuncto,* Amantius *Fit Episcopus.* *ad* Comensis *Ecclesiæ infulas, de onere satis iam instructus, suffragijs intercedentibus,*

cedentibus, acceſſit. Sed cùm apud illum efficax inuiſendi fuerat Romanæ urbis Eccleſias, & SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli viſitandi limina, deſiderio aſſiduaret deuotio, aut voti, aut oneris cauſa, Romam profectus, optatum munus reuerenter adimplens, nonnullas ipſorum SS. Apoſtolorum reliquias Comum *deferens, in Templo in eorum honorem excitato, quod poſtea* S. Abundij *cognominatum eſt, honorificè condidit. Eo tempore Leo I. Apoſtolatus ſummum tenebat apicem, Auguſtúſque, eius æquiuocus, Imperij monarchiam regebat, Anatholius Conſtantinopolitanæ vrbis præſidebat Cathedræ, Nicetas induebat Aquileienſem infulam, & Anaſtaſius Theſſalonicenſis fulgebat Epiſcopus. Tunc* Abundius *iſtius vrbis e regius inc la, diuina gratia prouidente, Italiam transfretauit,* Comúmque *adijt, non Sybillini, aut marini litoris, ſed quod vicinia grati, & piſcoſi lacus inundat, & amœnat. Hic Græco, & Latino lepòre affabilis, ac ſanctitatis titulis illuſtris* S. Amantij *factus eſt familiaris, quos mutuus affectus alterni fœderis, tanto amore conuexuit, ut foret ambiguum, vter horum, alterum magis diligeret. Ita tamen temperies erat ambobus, vt Paſtorales faſces excellerent, & deuota onus ad nutum Paſtoris militares. Multam concordiam tantum ex duce, tantum ex milite Reſpublica Sanctæ Eccleſia ſuſcepit, multáque incommoda declinauit. Sic eorum vita iucunda, laudabilis, & ſaluturis, notis, & ignotis fuit; vt ij præſentia religionis, illi ſola fama proficerent. Dum tanta concordia alterna dilectionis fruerentur,* Amantium *contigit ægrotare, & extremis vitæ propinquare, & cùm vltimum diem ſibi adeſſe præſentiret, extemplò accerſiuit* Abundium, *velut Elias, Eliſæum, quem Dei prouidentia, & teſtium præſentia Pontifex ordinauit Pontificem ſuæ gubernationis dignum ſuperſtitem. Quo impleto, & morbi corruptione pulſante, alacris, & cupiens diſſolui, vt Chriſti ſui faciem proſpiceret, glorioſum placidè ſpiritum exhalauit,* V I. Idus Aprilis, *Anno Domini* C CCC. LX.

Romam pergit.

Abundium ſecum retinet.

Ægrotat.

Moritur.

De origine Hiſpana *S. Amantij*, non eſt cur dubitetur: nam ſi vt acta declarant, & tabulæ *Comenſis* Eccleſiæ fatentur, vt refert *Ferrarius*; Sanctiſſimum Virum fuiſſe ex *Theodoſij* Iunioris ſorore genitum, ergo Mater *Amantij*, & *Theodoſius* iunior fratres fuere: ſi fratres, ergo & filij Arcadij, & Nepotes Theodoſij Magni, quem Hiſpanum fuiſſe, nemo eſt qui ignoret. Ex qua de tribus ſororibus Theodoſij Iunioris, Pulcheria, Flacilla, & Martina proceſſerit, hucuſque non noui; apud acta *Comenſia* fides eſto.

Probatur origo.

Circa anteceſſorem *S. Amantij* extat ambiguitas. *Baronius*, vt diximus, prædeceſſorem adſignat *S. Felicem*, cui S. Ambroſius ſcripſit. *Tabulæ Comenſes*, à quibus *Ferrarius* in *Sanctis Italiæ*, *fol.* 184. *S. Prouinum* appingunt. Cui ſententiæ ſtandum eſt? Adhuc pro Eccleſiæ monumentis ſubſcriberem, cùm videam *Baronium*, certum haud vllum teſtem producere. De *S. Amantio* in antiquo Officio extat hic hymnus.

Quis eius Deceſſor.

EX BREVIARIO ANTIQVO S. ECCLESIÆ Comenſis pro Sancto Amantio Epiſcopo.

HYMNVS.

Magna quidem tum gratia
Comenſem intrat Patriam,
Cum Beatus Amantius
Hanc regebat Eccleſiam.
Hic iam ſuccedens tertius
Præſul Almus Amantius,

Beneuolus,

Beneuolus, vt decuit,
Pastoris Sedem tenuit.
Viuendique iam terminum
Ingrediens, Abundio
Gregis committit regimen
Hostis ne oues perderet.
Sit laus Patri pro munere
De tanto Sancto Præsule
Prolique, cum Paraclito,
Vni, Trinóque Imperio.

Inter Sanctos istius Vrbis Præsules, ordo Successionis est. I. S. Felix. II. S. Prouinus III. *S. Amantius.* Ex qua numerorum adsignatione colligitur *Baronium* à veritate computi deuiasse, sicque pro actis iudicandum erit.

COMVM, aut si mauis *Nouocomum*, Insubriæ antiqua Ciuitas Episcopalis, hodie COMO: Nobilis ac opulenta, rebúsque necessariis ad vsum hominum habens. Colonos in re facienda solertes admodùm, & industrios, agrum à meridie peramœnum, & fertilem, ab altera parte lacum Larium, hæc Leandr. Albert. *in sua Ital. tit. de Lombardia, fol.* 649. Ab *Orobijs* gentibus montanis conditam, refert Tristan. Calch. *Histor. Mediolanens. lib.* 1. *fol.* 5. Cor. Alexand. ortam à Græcis dicit, & nominis etymon à montibus traxisse, in quibus degunt. Trogus tamen, vna cum cæteris Ciuitatibus trans Padum, à Gallis id oppidum conditum dicit. Strabo autem, sic: *Comum deuastatum à Rhetijs, Pompeius Strabo Magni pater colonis eò deductis restituit: deinde Scipio tribus hominum millibus; postremò Cæsar quingentis millibus auxit, quos Ciuitate donatos* Nouo-Comenses *vocauit, & oppidum* NOVVM-COMVN. De ipsa, eiúsque antiquis marmoribus, inscriptionibus, & Viris illustribus legendi relati, & Raphael. Volaterran. *lib.* 4. *Geograph. tit. Regio Transpadana, fol.* 87. *Geographia.*

TRANSLATIO S. PHILASTRII *Episcopi Brixiensis Hispani.* Recolitur huius festiuitatis memoria apud *Brixienses*, nam apud *Hispanos* altum silentium vbique. Petr. Gales. hoc die, sic: *Brixiæ, Inuentio S. Philastrij Episcopi, & Confessoris.* Et in Notis, sic: *De qua* Rambertus, *Brixiæ Ep. XII. scribit historiam.* Philipp. Ferrar. *in Catal. Gener. SS. fol.* 143. sic: *Brixiæ Inuentio S. Philastri Episcopi.* Qui in Notis asserit, quòd hæc translatio, non hac die, sed sequenti, ex *Tabulis Brixiensibus* colitur; de qua citat Lambertum Episcopum, quem Rambertum appellauit Galesinius. Iste pleniori notitia; ille errore supino. Acta Translationis ab ipso Ramberto scripta, à nobis exscripta hæc sunt: C. *Martyrologia.*

ACTA INVENTIONIS, ET TRANSLATIONIS S. Philastrij Hispani Episcop. Brixiens. à B. Ramberto XL. Episcopo, & eius successore descripta, Anno DCCC. XXXVIII.

EGO Rambertus *indignus Episcopus* Brixiensis *sanctæ Ecclesiæ, dum officij assiduitas, & abundantia luminaria in eo venerabili loco non essent, quo beatissimæ memoriæ* Philastrij *corpus iacebat, non de meis pauxillis præsumens meritis, sed in Dei seruitio, tanto Patri, honorabiliori famulatu seruire cupiens, consultis vniuersis Sacerdotibus meis, ieiunijs, & orationibus interuenientibus; anno Dominicæ Incarnationis* DCCC. XXXVIII. *Indictione* I. *die* VI. Idus Aprilis, *non sine timore fodiendo, eis iunctis Sacerdotibus, de quorum vita credulus eram venerandum corpus reperiens, ma-* *Causa inquirendi pignora S. Philastrij.*

ximo cum timore, vt putà, tam venerabilem glebam, tam immeritus contingens, eleuaui, conlocaus in feretri locello. Deinde V. Idus Aprilis *congregato Clero, stipantibus vtriusque sexus immodicis cateruis, maximi cum horrore timoris, summáque reuerentia, idem corpus transtulimus in Matrem Ecclesiam Hyemalem Nostram* Brixiensem, *penes Altare Sancta Dei Genitricis* MARIÆ, *vbi antiquorum Pontificum erat Sedes. Et hoc diuina prouidente gratia, non sine miraculo (vt instantia produnt exempla) gestum à nobis est.*

Quo loco corpus repositum.

Vbi IV. Idus Maij, *coadunata Ecclesia, officijs, & ieiunijs cum orationibus praeuntibus, maxima cum deuotione, in marmoreo recondentes antro, sepelimus: vt vbi modò Pontificum Sedes aderat, ibi tanti Patris, & Pontificis iaceret corpus: quo Sedes honore, & Populus deuotione, & Clerus suffragio, eiusdem meritis interuenientibus, Christo in omnibus fauente, potiretur. Speramus enim Sanctorum meritis nos omnium foueri, & maximè eorum, quorum amplectimur corpora, quorumque vel natiuitas, vel habitatio fuit cum Patribus Nostris. Eorum quippe, vel dogmate instruimur, vel exemplo Martyrum corroboramur. Quamuis enim homines, quorum nobis vita, vel passio cognita est, dum viuerent in hac arumnosa procellosi fluctuatione pelagi, pra omnibus Nostrates imbuerint sanctis dogmatibus, mirificisque exemplis, eósque suis suffragantibus iugibus precibus tutati sunt, supernam implorando clementiam, tamen eosdem defunctos, pro nobis non minus speramus, eorum intercedentibus meritis, nostros esse sub diuina pietatis protectione, Patronos.*

Quantus Prasulibus honor exhibendus.

Quamuis igitur certum sit, diuinorum prasentia exempla miraculorum superna radiasse prouidentia in Nostri Venerabilis Papa translatione, eorum tamen scriptionis necessitate, nostra plebs eget. Hac etenim passim assntimque euadent, agri vulgi turba vndique conuenient, & percepta sanitate rediens, mille pradicat vocibus. Hac vicinorum Villa locorum, quorum infirmi varios, secretósque habentes languores, inter tantam multitudinem, Venerabile corpus adeuntes, procurante Dei misericordia, meritis quoque eiusdem Sancti promerentibus, corúmque fide suffragante, de suis inualetudinibus conualescentes redierunt, fama nobis renuntiante, eis supernum narrant miraculum, qui eorum pridie nouerant infirmitates, & tot testes miraculorum Dei existunt, qui priùs nouerant agros, nisi agrotantium titubans fides officiat. Sed quia suorum testium, & nostrorum generaliter debitus imminet obitus, pro futurorum hominum ignorantia, quorum fides affectionem erga Nostri Patris obsequia studiosam futuram esse speramus, atque audire ardentissimam, non solum linea fama generationisque narrante, sed etiam scriptura à nobis, quibus Deus hoc videre concessit, promulgata testante; saltem pauca de pluribus miraculis, qua Christus misericorditer gessit, confluentibus cateruis ad feretrum B. Philastrij Confessoris, *amatoris, & pradicatoris sui, veraciter, & compendiosè scribere optimum credimus.*

Miracula quot in inuentione S. Corporis.

Sanctorum miracula sunt scribenda, & quare.

Cum igitur, vt à nobis pradictum est, plurimisque vtriusque sexus instructi phalangibus, priùs sanctificato Clero, sacrísque vestibus induto, effosso clandestino antro, quod fermè centum lustris, beatissimum habens occuluit corpus, attoniti super reuelatione, sanctissimum, charissimúmque thesaurum, in Sacerdotum humeros reuerenter detulissemus, ad domum sancta semper Virginis MARIÆ *summa cum deuotione peruenimus. Clero verò necdum ad eius venerabilem aram pertingente, iam primis de populo sacras valuas aula tenentibus, Sacerdotibus quoque, qui obsequium vehiculi circa feretrum succidui famulantes prabebant, infra templi limina septimo fermo gressu, fortuitò subsistentibus, eo pracipue voto, quo veniens deuotus populus transiret sub feretrum, postmodùm nec de loco, quo steterant, vadere queuntibus, territa plebe, & ingeminatè* Domine miserere, *clamitante; incredibilis, ineffabilísque sonitus cœlitùs increpuit. Cuius sonitus tot testes sumus, quotquot tunc illic fuimus. Quo momento, fragore sonitûs exterrita quadam mulier habens aridam dextram, & ita rigidam, & deorsum defluxam, vt*

Sonitus cœlestis.

foret

foret inualida contingere os, aut pectus suum; illicò extendens eam, signum Crucis Christi fronti notauit, nomine Trinitatis Summa; ipsi gratias agens, qui est benedictus in sæcula, qui est mirabilis in Sanctis suis. O quam mirabiliter gessit, introeunte Sancti sui corpore in Ecclesiam, Benedictus Deus. Etenim hic Septimus Episcopus Brixiensem Ecclesiam Christo tunc prædicando congregans, sanctum dogma custodiuit, & arescentem dexteram fidei Catholica Ecclesia, pullulante sinistra Ariana perfidia vbique, quantum potuit reformare mirificè studuit. Nunc verò circiter septem introeuntium Sacerdotum, corpus eius portantium, in Ecclesia reformauit, paritérque Christiana mulieris aridam dextram.

Mulier sanatur.

Sed priùs introeuntibus nobis Brixiam, & iam partem aliquam Ciuitatis, eundo, tenentibus, in subiecto sumpti feretri laudibus Altitonantis aera pulsando inter eos infirmos, qui producebantur, quatenus imitatores Apostolorum transeunte loculo, vel vmbra eius obumbraret quemquam eorum, est euecta quadam triennis languida, quam bilis tabo sic madefecerat, vt in lectuli sui iacens strato non se posset aliquo modo in alterum vertere latus, neque cum vna vectrice quomodolibet, nisi grauiter tantum, poni. Quæ dum sensisset obumbrationes feretri, quandam auram sua saluti salubrem, cœpit vectricibus innuere, eásque exposcere consulens, vti illo eam portarent, quò sanctum deducebatur corpus, cuius consultus ad nos illatis petitionibus annuentes, præbuimus assensum Deportata itaque prope feretrum, iacuit in Basilica Dei Genitricis perennis Virginis MARIÆ, *vbi Beatissimi Corporis deposueramus feretrum. Et dum quotidie sese melius habere profiteretur, Omnipotenti gratias referens, eúmque exorans, vt Sancti eius interuenientibus meritis, sibi tribueret restaurationem sanitatis: Die sexto conualescens erexit se, & accepto baculo, cœpit huc, & illuc templi ambitus testudinem perambulare, non egens solito comitis, vectricísque suffragio. Et deinceps iugiter in melius restaurata, sospitatis sua gliscens, sine comitis sustentatione, & sine quolibet vectricis iuuamine, domum rediit. O mirabilis, laudabilísque medicina Dei, qui in principio cuncta simul creata materie, per sex dies in proprium vniuscuiusque perfecit opus, sextóque die ad imaginem suam formauit hominem, cuius filiam languidam, quam potuit modò in icta oculi saluam facere, disposuit arcano suo arbitrio, paulatim membrorum suorum reformatione recreando vigorem, prope corpus idonei testis sui, Patris Nostri* Philastrij *iacentem, die sexto aduentus eius ad pristinum reuocare statum salutis. Quod Medici per triennium arte sua cauti facere nequierunt, hoc perfecit Omnipotens Trinitas, quam intemeratam vbique prædicauit* Philastrius: *pro cuius fidei ardore ab Arianis flagris, corpori suo in flagellando manentia stigmata notata sunt. Quorum vulnera, nunc Dei prouidentia, conficiunt medicinam salubrem, salutémque cupientibus necessariam.*

Alia languida sanitatem recepit.

Post illam Beatissimi Patris Nostri glebæ repertionem, delationémque, custodibus in excubando erga venerandi pignoris locum deputatis, turba languentium immodica conueniebat, superni Numinis prastolans afflationem. Dum quadam die Dominica absque arbitrio quidam custodum inter iacentia languentium corpora transiret, & iuxta Altare puellam paruulam iacentem cerneret, & nescius languoris eius, vt surgeret imperauit; illicò surrexit, vna manu aram tenens, altera patri gaudendo innuens, vulgari voce aiebat: Atta, Atta, da mihi fustem, vt ambulem. *Viso pater miraculo, non acquiescens precibus filia, sed palmis in cælum expansis, de sanitate filia restituta, gratias agebat Deo, omnibus nobis admirantibus. Item inter languentium iacentes cuneos deductus est à Genitore suo ita * colobus puer, vt sine vectore suo nequiret consistere, aut ambulare, & dum fide parentis, & sua comitatus, iuxta feretrum Beatissimi frequentans, diuina misericordia prastolaretur opitulationem, cœperunt neruorum habenæ, & fibrarum hiatus, femoris, crurísque sui, Domino*

Alia Puella sanitati restituta.

* Κολοβὸς *id est, mutilus.*

Puer curatur.

reſtaurante, reformari, vſquedum conualeſcens, ſuper pedes conſtitiſſet ſuos, & ſolus ſuum tentaret paulatim, opitulante diuino ſuffragio, greſſum inſolitum, ita vt aulæ mania ſine cuiuſlibet iuuamine, grates opifici ſuo referens, perageret.

Item alius adoleſcens.

Sed cum pluribus diuinitus paſſim, circa venerabilem redolentibus Vrnam miraculis, reminiſcendo nonnulla recolamus, & difficillimum ſit omnia noſtro comprehendere ſtylo; ſaltem quoquo modo, veluti in marginibus pelagi, ſarculo puxilli ingenioli, collatis lapillis aggerem aggregando, ſcropea forma riuulum, quem prata bibere optemus, educere libet, & id notare, quatenus diuerſa in eo facta mirabiliter æterni coruſcauerint opificis. Collatum igitur inter cætera eſt, vt ita dixerim, notiſſimum Noſtratis Adoleſcentis cadauer, ac inter capedinem reclinatum, carentis equidem, excepto guſtu, humani corporis ſenſibus, ſoliti ſcilicet iacere in lecto bigis impoſito, parentibus feminino auriga famulatu vtentibus, & animalium ſuffragantium iter agendo. Non ſolum eo ardore, quo alimoniam peterent, ſed magis, vt id Nato, meritis Sanctorum, Omnipotentis gratia eueniret; quod contigit ei, qui ab introeuntibus in templum gratiâ orationis BB. Petro Apoſtolorum Principe, & Ioanne eleemoſynam petiuerat. Iſte ergo adoleſcens, meritis, vt credimus, interuenientibus B. Epiſcopi Philaſtrij *pro cuius reuelationis teſtimonio, ipſum credimus vſque ad id tempus in languore defluxum, vt eius in eodem manifeſtaretur gloria, cuius fidei prædicator, & per vrbes orbis fidus permanſit* Philaſtrius, *ſuperna luce viſum, & afflatu loquelam, medelâque tactum, cum greſſu, ſic, priuſquam venerabilia oſſa ſepelirentur, à Domino, per ipſum accepit, & in Eccleſia eius habetur incolumis. Cuius miraculi tot teſtes ſumus, quot Brixia eodem tempore degimus, & prius languidum nouimus.*

Petrus Epiſcopus liberatur à febribus.

Prædeceſſor item Noſter venerabilis memoriæ Petrus Epiſcopus tantæ venerationis eum eſſe monſtrabat, vt anhelus mæroris ſui teſtaretur ſeſe tempore Presbyterij ſui ita fuiſſe febribus anctum, vt nulla potio, nullúmque vnguentum eripere eum à febri quiuerit, cum etiam ipſe peritus fuerit artis ipſius. Sed cùm poſt aliquod tempus ad ſepulchrum B. Philaſtrij *veniſſet, & ibidem Deum efflagitaſſet, vt meritis ipſius intercedentibus, ſibi ſanitas tribueretur, ſic de oratione ſanum ſe profitebatur, erexiſſe, vt nullus rigor acceſſionis eum vltra tetigerit.*

Sancti feſtum inhonorans corripitur.

Sed & tempore ſanctæ memoriæ Auſoaldi Epiſcopi, dum quidam tullos tituli S. Petri, qui ſitus eſt in Caſtro Maiori, in ſuburbano fundo poſſeſſionis ipſius tituli, cognomento Baronica, depoſitionem B. Philaſtrij *non ritè celebrans, tantúmque diem inhonorans, familiam ſuam in aream laborare coegiſſet, ita vt fatigati ſuo ſudore flagellis triticum à paleis excuterent, dicentes;* Sancti Philaſtrij feſtum eſt, requieſcere ſolito debemus; *& ipſe magis, vt operi inſtarent, minans terret eos; illicò correptus à Spiritu per aream vexari cœpit amens. Qui ab attonitis famulis ſuis captus, & vinctus, & inſolito more turpiter ad præfatum titulum deductus eſt, & tandiu catenis eſt vinctus, donec ſeſe inhonorando tantam feſtiuitatem profeſſus eſt deliquiſſe, & teſtu proprij delicti, &* B. Philaſtrij *honoris effectus eſt.*

Alius pro eadem cauſa.

Poſt aliquod autem huius temporis ſpatium, quidam diues Brixienſis eodem die feſto depoſitionis B. Philaſtrij, *in ſuburbanum caſale ſuum, quod vocatur Calontola, pro fœni collectione operarios incautè miſit, & iam ſicco fœno, & partim paluſtris, partim aggeribus aggregato, tam procelloſa coruſcatio ſubito, támque præceps affuit, vt inſtar pulueris, omnis collectio diei ipſius ab oculis eorum elapſa fuerit, in tantum, vt nec vnus manipulus remanſiſſet. Vnde factum eſt, vt prædictus diues, poſt hæc, annuam feſtiuitatem* S. Philaſtrij *venerabiliter obſeruaret, & iacturam ſuam profitendo, teſtis Noſtri fieret Præſulis. Cui enim Dauid cecinit* Miſericordiam, & Iudicium cantabo tibi Domine, *& qui iuſto iudicio hoſtem humani generis reprobauit, & vt pia miſericordia condolens, ſuam degeneratam creaturam, id eſt, humanum*

Pſalm. 10,

redimeret

redimeret genus, formam serui assumpsit, hoc est, Omnipotens æternus Deus, qui in vna eadémque essentia, omnipotentia, æternitate, diuinitate, carente initio, & fine, auctione, & diminutione; variatione, atque diuisione; & gignens, & genitus, & procedent, hoc est, Pater, & Filius; & Spiritus sanctus; cuius consilio persona Geniti humanitate perfecta est, quam misericorditer suspenso iudicio cum nostratibus, sic & in omnibus, & cum omnibus in hac re mirabiliter egit. O dilectissimi Brixienses, quorum vnum febribus afflictum, mente humiliatum eripuit: alium scienter, arrogantérque peccantem, in sese corripuit; Tertium vtpote popularem hominem, ignoranter forsan peccantem, in rebus suis afflixit, hoc est, in materie commissi! quoniam vnus oratione obtinuit, quod fide credidit; Alius verò, quia insilanter vt cogens, nec famulo Dei honorem, nec suis cessit misericordiam, turpiter, publicéque intrinsecùs correptus, pura tenus professione est, vt sibimet fieret emendatio, & alijs exemplum: Tertius verò, qui vtpote pretio operarios conduxit, & sobria voluntate famulos misit, extrinsecùs damnum passus est; nam totum illud amisit, quod in illicito tempore operari nixus est, cum materie siquidem sua. Habebat enim viridia gramina, & sine peccato sicca, vt oportet, habere poterat, sed quia illicite siccare voluit, ipsam fundiens amisit materiam, disponente, vel permittente prouidentia Domini Nostri Iesu-Christi, cuius amator fuit Philastrius, *& cuius amorem nos cunctos oportet quærere. Qui substantialiter, & coæternaliter, & æqualiter indiuisè viuit, & regnat cum Patre, & Spiritu sancto per omnia sæcula sæculorum. Amen.*

Hæc *Translationis*, & *Inuentionis* sacrarum exuuiarum *Philastrij Nostri* ex *Ramberto* Episcopo *Brixiensi* in ordine XL. (non XII. vt male apud *Galesinium*) sunt acta. Quibus stupenda Sanctissimi Præsulis miracula meditaberis. Quo *Quo iure*
iure HISPANVM, illustrissimum describo Virum; *die XVIII. Iuly*, deprehen- *Hispanus*
des. Interim monumenta euolue *Brixiensia*, à quibus Philipp. Ferrarius *in* *remissiuè.*
Catal. SS. Ital. dicto die fol. mihi 445. Qui hoc in lapide incisum epitaphium adesse, describit.

PHILASTRIVS BEATISSIMÆ MEMORIÆ
HIC REQVIESCIT IN PACE.

S. EXVPERIVS, *Martyr.* Hoc die agit Philipp. Ferrar. *in Catal. Gener. SS. fol.* 145. de quodam huius nominis Martyre, & quia Iulian. Nost. *in Chron. ad Ann. C. IX. num.* 49. *fol.* 20. meminit cuiusdam Martyris, etiam istius nominis,
sine adsignatione diei, his verbis: *Aluemsibili in Hispania, quæ nunc Aluelda* *Memoria*
Sanctus Exuperius *Martyr.* ideo hîc subiicere libuit, ne propter Nostrorum obli- *apud Iulia-*
uionem, & temporum intercapedinem illius memoria deperiret. Quis fuerit, *num.*
aut quæ tormentorum genera perpessus sit, vel à quo; hucusque delituit. Quod respectu annorum computi *Iuliani*, tempore *Traiani* compleuit agonem. De op-
pido *Aluelda* altum silentium. De *Albayda* nonnulla Beuter. *Histor. Hispan. lib.* 2. *Aluelda*
cap. 47. Escolan. *Histor. Valent. lib.* 9. *cap.* 34. & 51. Diago *Annal. Valent. lib.* 7. *quæ?*
cap. 43. Bled. *in expulsi. Mauror. fol.* 467. Rodet. Mend. *in Hisp. Populat. fol.* 211.
cap. 31. Qui apud *Setauim* illud collocant. Nisi sit *Aluelda* supra *Locronium*, *Alia.*
quâ Sanctius Nauarræ Rex extruxit Monasterium S. Martino dicatum, de quo meminere D. Prud. de Sandou. *Histor. Pampilonens. fol.* 20. *col.* 3. P. F. Anton. de Yep. *in Chron. Benedict. tom.* 6. *At* Moral. *tom.* 3. *lib.* 13. *cap. fin. fol.* 88. hanc vrbem extructam refert Ann. DCCC. L. à Rege Sarracenorum Muza Cæsaraugustano, quam breuiter depopulauit Ordonius I. Asturiæ Rex Catholicus.

QVINTO IDVS APRIL.

DIES IX.

A. *Apud* Compoſtellam *Natalis* S. SILVESTRI *Braccarenſis Ciuis, qui cùm in cruciatuum arenam pro Religionis Catholicæ veritate, & pro Chriſti nominis confeſsione Athleta ſtrenuus deſcenderet, demùm, calcatis agonibus, Victor martyrij lauream promeruit in cœlis.*

B. Burgis *in Hiſpania feſtum* Reliquiarum *plurimorum Sanctorum, quorum ſacra lipſana in Metropolitica ſacrario requieſcunt Eccleſiæ, quod honorifico recolitur apparatu.*

C. *In Cœnobio S. Ioannis Pinnatenſis Aragoniæ feſtiuitas* Tranſlationis *miraculoſa Sacrorum Corporum* B. INDALETII, *Diſcipuli* S. Iacobi, *Hiſpaniarum Patroni, & Beati etiam* IACOBI *ipſius* Indaletij *Succeſſoris, Vrcitanæ Epiſcoporum Eccleſiæ.*

D. COMPLVTI *in Carpetania in Collegio fratrum SSS. Trinitatis Excalceatorum depoſitio* S. HILARII *Martyris Romæ paſsi; cuius pignora ibidem honorificè coluntur, & venerantur.*

NOTÆ.

A. SANCTVS SILVESTER *Braccarenſis.*] Multiplices Martyrum agones, per hoc tempus, apud *Braccaros* conſpexit fidelium cœtus, demirati ſunt Angelorum chori, & diſpoſuit Dei Noſtri miſericordioſa permiſſio, vt per tot illuſtres triumphos, illi Dominicam imitarentur paſſionem, iſti cum ipſis in Domino gauderent, & ipſe Sanctorum corona, illorum paſſionibus *gloriaretur*. Memoria iſtius Sanctiſſimi Pugilis, adhuc in Kalendariis Romano, & aliis Exterorum, ignoratur; apud Noſtros, licèt temporum reuolutione, circa titulos varietur, aſſidua commemoratione innoteſcit. *Martyrol. Luſitan.* PP. Societat. IESV, toties repetitum,
Martyrol. in *Append. die XII. April.* meminit de eius corporis tranſlatione, pro omnibus Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 300. *Braccaræ in Luſitania S. Silueſter pro Chriſto paſſus.* Agunt de eo Brit. *in Mon. Luſitan.* 2. *part. lib.* 1. Magallan. *in MS.* Vaſconcell. in *Deſcript. Luſit. fol.* 441. Vaſſ. *in Chron. Ann.* 306. Garibay *in Compend. lib.* 7. *cap.* 44. Padill. *Cent.* 4. *cap.* 14. Duart. Nuñ. de Leon *in Deſcript. Portugall. cap.* 40. D. Ro-
Scriptores. der. de Acuñ. *Hiſtor. Braccar. tom.* 1. *cap.* 20. *fol.* 102. & *cap.* 43. *fol.* 175. *num.* 4. & 5. Molin. *in Deſcript. Gallæc. Carmin.* 7. *fol.* 6. P. F. Ludou. ab Angel. *in Viridar. Luſit. cap.* 5. *fol.* 31. Breu. Compoſtel. *die XVI. Decembr. fol.* 195. *col.* 2. Eius *acta* breuiter inter *S. Victoris* actiones ſcripſit *Acuña* à quo etiam Nos breue colligemus florarium.

ACTA

ACTA S. SILVESTRI MARTYR.

Braccar. ex historia S. Victoris Martyris apud varios.

Patria.

SILVESTER *Ciuis (vt creditur)* Braccarensis *Catholicæ fidei titulo decoratus, & Religionis Euangelicæ firmitate suffultus, Sanctissimi Episcopi Basilei* Braccarensis, *cum cæteris ciuitatis, & regionis fidelibus, prædicationibus insistebat, eiúsque verbo, & exemplo vestigia, cordis obsequio, libentissima insectabatur efficacia. Quâ continua Catholicorum exercitatione, Præsul vigilantissimus innumeras quotidie Christo coniungebat Gentilium turbas, & Dei Ecclesia per illius circuli regiones in immensum, illo cooperante, crescebat. Sed cùm antiquus inuida peruersitate debaccharetur coluber, vt in Christi fideles, rabiem furoris vindicaret immensam, prætextu quarundam solemnitatum, quæ* Ambarualia, *&* Suilia *dicebantur, quibus Cereri, & Syluano Gentilium Dijs litabatur, in eorum vitas desæuire proposuit. Igitur superstitiosa* Braccarensium *caterua, floribus redimita purpureis, & simulachris onusta profanis, ad campum læta progrediebatur, & audax.* Victorem *Cathecumenum in ipso itineris exordio adinuenit insana, sed quia noluit illorum adhærere lætitiæ, nec permisit tempora floribus redimiri, quin potius tot strenuus illorum increparet errores, in illum vinolenta prorumpens turba, veloci perductus ad* Seruium Galbam *cursu Præfectum, viriliter ab illo mortem accepit. Eius corpus, vt à feris, & auibus discerperetur in ipso agonis campo relictum, in medio noctis silentio à* Siluestro *collectum, & aromatibus conditum, vt charitas, & deuotio permisit, sepulturæ tradidit reuerenter. Adueniente luce, cùm non inueniretur sanctissimum in supplicij loco cadauer, & de authore inquireret scrupulosa vindicta, tandem contra* Siluestrum *indicia patefacta, protinus furore operante quæritur, carceratur, & detinetur. De religione interrogatur, se esse Christianum fatetur, confestímque ad mortem damnatus, mucroni ferali felici acclamatione iugulum præbuit* IX. Aprilis, *Anno Christi* LXX. *Pontificales infulas induente* S. Lino, *orbis gubernationem tenente.* Claudio Nerone.

Ambarualia & Suilia festa.

Comprehenditur.

Comprehenditur.

Coronatur.

Intolerabilem amplexi sunt errorem *Brito, Megallanes, Vasconcellos,* & *Ludouicus ab Angelis*, qui absque auctore & ratione contendunt S. *Siluestrum* fuisse *Episcopum Braccarensem,* contra quos insurgit Acuña *d. cap.* 20. vbi eos efficaciter, & bene redarguit. Quem & Nos infra die XII. Aprilis, eo quod tempore Diocletiani S.V. appinxit.

Error aliquorum scriptorum Portugaliæ.

Ambarualia, & Suilia sacrificia peragebant *Braccarenses*, tempore quo *S. Victor*, & post eum *S. Siluester* ad agonis palæstram peruenêre. Quæ hæc sacrificia, quæve litationes fuerint, inquires? En ex Alexandro ab Alex. *lib.* 3. *Dier. Gen. cap.* 12. sic: *Ambaruale verò sacrum, nisi de porca fœcunda, & grauida, aut vitula fieri non consueuit. Est autem sacrum* Ambaruale *cùm arua, & segetes solemni victima lustrantur. Eam victimam maturis frugibus, ter circum arua ducere conuenit, omnésque post eam clamantes sequi, ex quibus vnus querna ornatus fronde, cum solemni saltatu, composito carmine Cereri decantabat laudes: ac postquam lacte, vino, & fauo libassent, antequam fruges meterent, porcam Cereri immolabant, quæ* præcidanea *dicta est. Fuitque memoriæ proditum à* Suilli *pecoris genere immolandi initium Romæ primam factum.* Similiter & Lil. Girald. *syntagm.* 17. *fol.* 762. Quorum sacrificiorum ritus (quos non solum ab Agricolis, & Rusticis fieri solitos, sed etiam à Romanis testatur antiquitas) eleganter à *Virgilio* & *Tibullo* petemus; ille *lib.* 1. *Georgicor. sic. vers.* 343.

Ambarualia, & Suilia sacrificia quæ.

> *Cuncta tibi* Cererem *pubes agrestis adoret,*
> *Cui te lacte fauos, & miti dilue Baccho:*
> *Terque nouas circum felix eat hostia fruges,*
> *Omnis quam chorus, & socij comitantur ouantes,*

Et Cererem *clamore vocant in tecta, neque ante*
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quam Cereri *tota redimitus tempora quercu,*
Det motus incompositos, & carmina dicat.

Quo loco Seru. Pontan. Cerd. & Taubman. in expositione ad hunc locum; vbi pulchrè Iul. Pompon. Sabin. *fol.*97. *Basileæ. Ann.*1544. Eadem sed longiori à *Tibullo* carmine inuenies *lib.*2. *eleg.*2. Sed ne quis propter maturitatem segetum inficietur, credens hæc *Ambarualia* sacra, non in Mense *Aprili* peragi solita, ex quo martyrium Sanctorum *Braccarensium*, haud hisce Kalendis impleri valuisset, sciat, quod ab ipso primi Veris exordio incipiebant lustralia hæc sacra, quod ex ipso *Virgilij* loco patet. Nam postquam hyemis depinxisset horrores, prosequitur:

Mense Aprilis fiebant.

Extremæ sub casum hyemis, iam vere sereno,
Cuncta tibi Cererem *pubes agrestis adoret.*

Et V. Id. Aprilis. Quo scrupulosioris satisfacto iudicio critici, ad alia pergemus, quibus innotescat, etiam hanc diem V. Idus Aprilis, *Cereri* sacram, & ab illa Ludi ipsius incipiebant. Audi Ouid. *lib.*4. *Fastor. vers.*116.

Hinc Cereris *ludi: non est opus indice caussæ,*
Sponte Deæ munus, promeritúmque patet.

Vbi breuiter Carol. Neapol. *fol.* 180. Rossin. *Antiq. Rom. lib.*4. *cap* 8. *fol.*370. & alia diximus in *Kalendario huius Mens. in principio.*

BRACCARA. Vrbs peruetusta de qua diximus *Tom.*1. *die I. Februar. fol.*16. vbi primam de eius vetustate opinionem scripsimus. Sed quia infra hoc eodem *Tom.*2. *die VII. Aprilis* secundam assuemus sententiam, circa *Antiquitatem* fundationis huius vetustissimæ, & opulentissimæ vrbis, ideò te illuc missum facimus.

FESTVM *Reliquiarum in Ecclesia Burgensi.*] De hac festiuitate nulla est apud illius Ecclesiæ fastos memoria; eiusdem meminere aliquot epistolæ *D. D. Ioannis Vallejo* illius Ecclesiæ Canonici, & Abbatis, nunc apud Conchanos S. Officij Inquisitionis Fiscalis, in quibus me de hac solemnitate, eiúsque die, certiorem fecit; cuius fidem secutus, hic reponere proposui. Qualiter collocatæ adsint *Reliquiæ* hoc breui compendio patebit.

RELATIO SACRARVM RELIQVIARVM quibus ditatur S. Ecclesia Metropolitana Burgensis.

Ad latus Suggesti illius admirabilis Ecclesiæ, *honorifico, & sumptuoso apparatu visitur Altare magnificum, in cuius planicie conspicitur hæc Sanctissima Sacrarum Exuuiarum moles. Quarum ordo taliter distributus sine confusione, forma sine variatione signatur, vt nec ista illi, nec ille isti minuta dispositione secernat, nec indiscreta propositione confundat. Vtraque ergo fabrica instructura, coæquali connexione placatur, & materiali connectitur ordine, sic vt, quæuis Vrnula suo locata consessu, altius nec quaritet auctoritatis scrinium. Ergo adueniente huius festiuitatis accessu, & istius solemnitatis die, vnus ex* Canonicorum *cætu Sanctarum Vrnulas* Reliquiarum (*sacra indutus veste*) *populo inspectanti demonstrat, digito indicans qualia veneretur lipsana recidiuus. Quod vt melius intelligatur proprijs indigitans nominibus in hunc refert ordinem, vniuersa.*

1. *Hic sunt duæ* Cruces, *in quibus conspiciuntur aliquot Sanctissimæ* veræ *Christi* Crucis *particulæ.*
2. *Hic adest de ligno* Crucis *& vnica de Christi D.N. corona* Spina, *& frustum* S. Mathiæ *Apostoli.*

3. *In*

3. In his quatuor pyramidum ferculis *adseruantur insignes Reliquiæ. In primo* pars Præsepij *D. N. Iesu Christi. In secundo de* Columna, *in qua flagellatus ipse fuit. In tertio de* Balsamo, *quo suum Sanctissimum corpus, vt sepultura traderetur, fuit delibutum. Et ex* Vnguento, *quo B.M. Magdalena illius vnxit sacratos pedes. In quarto* Fragmentum Petræ *ex illius Monumento.*

4. *Hîc adest frustum lapidis* Aræ, *quo Christus in templo fuit oblatus; &* pannus *imbutus de Sanguinis fluxu* S.Crucifixi *Antiochiensis Syriæ.*

5. *Hic est pars* Mensæ Domini, *quo ipse cum Discipulis manducauit. Et* pars Petræ, *vbi posuit Iesus pedes, dum in Cælos ascenderet. Et* pars Portæ *quo est* Hierosolymam *ingressus tempore passionis. Et* Fragmentum Panni, *quem Virgo* MARIA *proprijs manibus contexuit sacratis.*

6. *Hîc adest* pars oblationis munerum, *quæ Reges Magi Christo, & Virgini obtulerunt, & aliæ Reliquiæ. Et* Annulus B.Mariæ.

7. *Hic inuisitur B.M.Virginis* Rosa; *& ipsius* Sandalium, *cum minuta parte* Baculi; *&* Terræ *vbi erat B. Virgo cùm fuit ab Angelo salutata, & etiam ipsius B.* MARIÆ vestis frustum. *Et alibi de* Sanguine SS. Innocentium.

8. *In hisce quinque Apostolorum figuris adseruantur sequentia lipsana: In prima* Digitus S.Petri Apostoli. *In secunda alius* S.Pauli Apostoli. *In tertia, Reliquiæ* S.Iacobi Apostoli. *In quarta os* S.Marci Euangelistæ. *In quinta, Reliquiæ* SS. Mathiæ, *&* Tadhæi Apostolorum.

9. *In alio Altaris ouali sunt Reliquiæ* S. Matthæi, *&* Lucæ Euangelistarum. S.Gregorij *Papæ.* S.Athanasij *Episcopi, &* S.Athanasij *Martyris, & in brachio deaurato* os brachij *integrum* S.Thomæ *Archiepiscopi Cantuariensis. Item aliud* S.Vincentij *Martyris. Et aliud* S.Indaletij *Episcopi, & Martyris, S.Petri Discipuli.*

10. *In alia* S. Sebastiani *Martyris effigie insunt in pectore eius, &* S Fabiani Papæ exuuiæ. *Alibi* Caput *vnius ex Martyribus* Karadignæ. *Item Reliquiæ* S.Catharinæ, & Sanguis *plurimorum Martyrum. Item* Brachium, & Scapula S.Cassillæ Virg. *Item* Cilicium S.Antonij *Abbatis, cum fragmento habitus. In capsula Reliquiæ* S Francisci, Antonij Paduani, Nicolai, Christophori, Claræ, *& aliorum. In alia* SS. Cosmæ, *&* Damiani, Macharij, *& plurimorum. Item* S.Romani, Albini, Feliciani, & Basilij. *Et aliorum.*

11. *In quatuor Virginum effigiatis corporibus, obseruantur huiusmodi Reliquiæ. In duobus primis, duo* Capita ex XI. M. Virginum. *In tertio* S.Barbaræ, S.Margaritæ, *& aliorum Sanctorum ossa. In quarto* SS.Agnetis, *&* Dorotheæ, *& aliquorum Martyrum. Item in alia* S.Hieronymi *effigie Ecclesiæ Doctoris, Notabilis ipsius conditur Reliquia.*

12. *Alibi recluduntur* CCL. Reliquiæ, *inter quas agnoscitur* frustum Petræ, *qua Crux Christi inclusa fuit in monte, aliud* Sepulchri, *aliud de* Petra *in qua genuflexus orauit in horto;* Spongiæ *pars; &* Virginis Cinguli; *&* Vestis S Ioannis Euangelistæ; *&* Capitis Baptistæ; *Alibi adest item* pars Ligni Crucis, *& de* Terra Montis Caluarij, *& de* B.M.V.Lacte. *Item alio in loco* Os Prophetæ Zachariæ, *de* Virgula Moysis, *de* Terra Iordanis, *de* Monte Caluario. *Item alibi* Os B.M. Magdalenæ, *& de eius* Veste, *aliquot* Ossa Duorum Discipulorum *Domini, & pars* Gladij S.Petri.

13. *Item in alijs Vrnulis sunt variæ Exuuiæ; inter quas* S.Torquati, S. Cyriaci, S.Marcellæ, *& de* Sepulchro S.Ioannis Euangelistæ. *Item* Ossa S.Celestini P. M. SS. Marci, & Marcellini, S.Vitalis, S.Basilij, *& de parte* Columnæ S.Bartholomæi. *Item* S.Lazari, S.Faustini, S Feliciani, & XI. M. Virginum, S.Stephani *Confessoris. Item* S.Gregorij, S.Leonis *PP. &* S.Hyppoliti *Martyris. Item* S.Ioannis Baptistæ, S.Barnabæ, & S Stephani.

14. *Alibi*

14. *Alibi in duobus Reliquiarijs inuisuntur* frusta Ossium S.Andreæ, S.Bartholomæi, *Apostolorum.* SS. Pantaleonis, Rustici, Gelasij, Exuperantij, Martialis, Telesphori, Aureliani, Palmatij, Paulini, Luciani, Timothei, Victoris, Maximi, Iuliani, Acatij, Felicis, *&* Abundij *Martyrum*; *&* *de* SS. Columba, *&* Felicitate.

15. *Item in hac alma Ecclesia venerantur quatuor corpora Sanctorum integra, videlicet* SS.Helenæ, *&* Centollæ, Victoriæ, *&* S.Andelelmi, *S.Iuliani. liani Episcopi Conchensis familiaris.*

16. *Denum ibidem adseruatur vnum ex* Vexillis, *quod Rex* Alphonsus VIII. *aliꝗs*, IX. *detulit ad bellum, quod de* Nauis Tolosæ *dicitur, quod ibidem in magna est veneratione.*

Hactenus testimonium quod de ipsis Reliquiis, volentibus (typis mandatum) à *Capitulo Burgensi* donatur. In omnibus Hispaniarum Ecclesiis tot sunt sacra Sanctorum lipsana, quòd proculdubio celebre hoc Martyrologium redderent. Sed Capitulum incuriâ, cùm nullum ad eorum celebritatem consignent diem, penitus festum Reliquiarum ignoratur. Hinc illa præterimus.

C. TRANSLATIO SS. INDALETII, & *Iacobi* Episcoporum.] Primus fuit Discipulus B. IACOBI Nostri, qui postmodùm à *B.Petro* cùm aliis in Hispanias remissus, Vrbis *Vrcitana* plebem docens fidei mysteria, Episcopus creatus, tandem ad cœlos conscendit, vt infra die huius Mensis XXX. conscribemus. De IACOBO altum apud Nostros silentium, si huius Translationis ecphrasim demas, & paucos, qui ab ea nomen excerpsere, veluti Indices Rer. Aragon. Ann. 1084. vbi hæc verba: *Nonis Aprilis, sacro Cœnæ Domini die, & item postero VI.Feria, Sancta Corpora* INDALETII, *&* IACOBI *eius Discipuli* Vrcitanæ *Ecclesiæ Episcoporum, quos ex sacro illo Collegio Discipulorum* B. IACOBI, *& aliorum Apostolorum in* Bethicæ *oras appulisse comperimus, frequentissimâ celebritate à Rege, & Petro eius filio in Cœnobio S.Ioannis Pinnatensis conduntur, quæ* Almeriâ *vrbe aduecta, piè, sanctéque à Nostris coluntur.* Philipp. Ferrar. *in Gener. Catal. SS. hac die, fol.* 144. hoc elogio: *In Monasterio S.Ioannis Pinnatensis* Translatio *SS.Episcoporum, & Martyrum* INDALETII, *&* IACOBI. De passione huius subdubito, quia ACTA Translationis nil referunt, nec D.Ioannes Brixius *in Histor. illius Regalis Cœnobij lib.* 3. *cap.* 28, *fol.* 565. vbi Hispano sermone eadem ACTA transcripsit, agonis retulit palæstram. Nos eadem ACTA ab *Ebretmo* Monacho Cluniacensi conscripta, prout in dicto Cœnobio vetustissima adseruantur, dabimus, quæ beneficio charissimi amici *Doctoris Ioannis Francisci Andreæ de Vztarroz* Regni Aragoniæ Chronographi sæpiùs, licèt non vt pat est, à me laudati, integra accepi, quæ sic se habent.

Iacobus Vrcitanus I. Episc.

Scriptores.

ACTA TRANSLATIONIS SACRORVM CORPORVM BB. INDALETII, *&* IACOBI *Vrcitanæ Sedis Episcoporum*; *ab* Hebretmo *Monacho cluniacensi descripta, & in Tabulario Regalis Cœnobij S. Ioannis Pinnatensis, MS. Codice peruetusto, adseruata, & tabulis ligneis cooperta.*

Incipit Prologus.

Apostolorum missio.

POST *gloriosam, & salutiferam D. N. Iesu Christi Resurrectionem, eiúsque admirabilem Ascensionem, post debitam S. Spiritus de cælis infusionem, missi sunt veri Sacerdotes mundi huius, vt quemadmodum Israëlita muros Iericho, non armis quibuscumque, sed tibijs sacerdotalibus destruere, ita & hi mœnia superbia, & muros iniquitatis septiformi gratia Spiritus Sancti euertere* [coronarentur] *vt destructis perfidiæ machinamentis, turris Nostri Dauid in tutelam verorum Israelitarum adiuuante Domino instrueretur.*

Discipuli ab Apostolis mittūtur diuersimodè.

Post Iacobū missi septem ad Hispaniam.

Eorum nomina.

Vrci tumulatus Indaletius.

retur. Sed quoniam omnibus, & præcipuè Beatissimo Apostolorum Principi res curæ commissa erat, sciens messem multam & Operarios paucos, ad quos peruenire præsentialiter, aut epistolis spiritualiter poterat, animi auiditate satagebat: & si quos huius rei idoneos adiutores inuenire quiuerat, instinctus Dei spiritu, quo repletus erat, ad inaccessibilia loca transmittere procurabat, quemadmodum B. Apollinarem *Rabenam,* Paulum *Narbonam,* Martialem *Lugouicensem, & cæteris fidelium in laudem, & gloriam D. N. Iesu-Christi, huc, illúcque malè sata inimici à cultura Dominicæ messis euelleret, & quoscumque otiosos operarios valerent attingeret, etiam horâ nonâ, & vndecimâ in vineam Domini conducere, vt qui prius à peruersa vinea acetum malarum actionum cum felle gustarat, ex obdurata iniquitate, ipso incrementum administrante diuturnam sitim, eo nouale vitis fructu valeret temperare. Dum hæc agerentur, & his similia à B. Apostolorum Principe, Dei nutu, quo cuncta hæc agebantur, contigit ex LXXII. Discipulis, Septem vnanimitatis Viros in partibus* Hispaniæ *(post* IACOBVM*) ad redarguendam eorum segnitiem delegare, vt sicut pro omnibus pius Pater, & Dominus, mortis est passus supplicium, ita & cunctis tanti Sacramenti prodesset mysterium. Præfati ergo Discipuli pio præceptum amplectentes desiderio,* Torquatus *scilicet,* INDALETIVS, Secundus, Euphrasius, Cœcilius, Tesiphons, *&* Hisitius *nomen D. N. Iesu-Christi in partibus præfatæ iterum cœperunt prædicare Prouinciæ, & seu boni milites præliari, quos nec viæ asperitas, nec gentis seueritas, nec Regum purpura, nec militum importuna loquacitas, nec ensis nudatus, in eorum præsentia sæpiùs vibratus, ab accepto potuit eos diuertere officio. Sícque factum est, vt cùm discipuli Domini magna incrementa perciperent, vberes Sanctæ Ecclesiæ credentium fructus adquirerent, vnde post tempus paruum laborum suorum gloriosos superna patria reportarunt triumphos, quibus Beatissimus Confessor Domini* INDALETIVS *(cuius hodie* TRANSLATIONEM *debitis veneramur obsequijs)* Vrcij *honorificè fuit tumulatus, ad cuius* Translationem *explanandam, quoniam id præsens solemnitas flagitare videtur, Domino adiuuante, articulum flectamus, non incerta pro certis, sed quæ oculis vidimus, & quæ ab ipsis auctoribus audiuimus, vobis, & omnibus in Christo credentibus, fideli relatione pandam.*

Incipit series TRANSLATIONIS.

Quo seculo hæc Translatio peracta est.

Sācij Abbatis virtutes, & desideria.

TEMPORE *ergo* Sanctij *pijssimi, atque timorati Regis* Aragonensium, *erat in Monasterio* S. Ioannis Baptistæ, *quod de* Penna *dicitur, quidam Monachus seruus Dei* Abbas *loci illius, nomine* Sanctius, *qui ab ipsis cunabulis, regularibus disciplinis eruditus, quidquid bonitatis, quidquid honestatis attingere potuit, sui non immemor armariolo studuit recondere pectoris: & meritò, vt qui nobilibus ortus erat natalibus, spiritualibus imbueretur moribus; sed post, vt fidei deuotus, dogmata sumpsit doctrinæ, cumulos illi sapientia texuit. Inter cætera ergo sacrarum virtutum charismata non solum in prælatione, sed etiam ante, magno Sanctorum Dei inflammatus erat desiderio, vt in supradicto Monasterio, sicut temporalia abundabant subsidia, sic Sanctorum Dei Sacrosancta non deessent pignora. Si quando Romam, Montem Cassinum, Sanctúmve adibat* IACOBVM; *Si quando, inquam, Sanctorum Dei corporalem videbat præsentiam,* S. Ioannes de Penna *redibat in memoriam, & cùm magnus esset clamor in conscientia, longa tamen, & crebra trahebantur ab imis suspiria visceribus, & cum propositum calcitraret in pectore, oculi versa vice, nunc cœlum, nunc præsentes repetebant reliquias. Aliorum verò refrigerium, eius erat supplicium, talíque cum querimonia Sacrosancta Christi adibat charismata. Sed quid agis (serue Dei) quid turbaris? Quare mœrore consumeris? Nunquid inualida est manus Dei? Nonne ipse est amator, & incentor totius bonæ voluntatis? Estne immemor*

quid

quid fecerit de muliere Cananæa? Tacebat quaſi non curaret; reſpondere nolebat, vt amplius in prece inardeſceret, humilitatis enim quærebat pretium, magna fides expetebat aurum; moram fecit in prece ne deſperarent pòſt futuri de ſalute, cùm viderent petitionem differri, ſed ſcirent proculdubio, id ſalubriter ordinatum à Deo. Cui enim priùs reſpondere noluit, poſtquam in prece perſeuerantem vidit, & votum conceßit, & fidem laudauit, ſicque dimiſit: Rem magnam petis, ſed quomodo id fiat, ignoras. Tantum eſt vt perſiſtas in prece, nec deſperes de impetratione; fides offeratur in pretio, magnæque humilitatis fiat oblatio. In proximo eſt enim à Deo aſpiratum, vt tuum compleatur deſiderium. Tibi enim iam mittit inſperatum nuntium, cum quo capias de hac re conſilium; quia qui dedit velle, præſtabit & poſſe. Tali ergo in dolore poſito prædicto Dei Viro, ecce à Deo miſſus venit ab Hiſpania

Comes Garſias venit ad Cœnobium.

quidam propinquus eius, magnæ nobilitatis miles ſtrenuus, qui ab ipſa infantia nutritus in dicta patria, inter cætera ſua militia, quæ illic didicerat, exercitia, optime nouerat Sanctorum veneranda loca. Qui quoniam S. adibat IACOBVM, *prius* Baptiſtam *Domini ſtatuit orationis cauſâ inuiſere, pro peccatis exorare, atque conſanguinei vineam viſitare. Eia famule Dei, exauditi ſunt gemitus tui, ceſſet querimonia, ſopiatur ſalubris ira tua, ſecreta conſcientia diu clauſa aperi iam paulatim; ne timeas confiteri cognato tuo deſiderium, quod diù tenuiſti in occulto; hactenus faciem tuam lugubrem iam nunc hilarem videamus, quia habes adiutorem illum in cælis, qui pro te mortis ſupplicium paſſus eſt in terris.* CVM *ergo prædictus miles loci illius vidiſſet religionem, & propinqui ſui charitatem, & beneuolentiam experimento cognouiſſet, multum enim placuit, multúmque ſuæ nobilitatis potentiam circa ipſum inclinauit, ſéque ei cum omni deuotione commendauit, dicens:* Mi Domine hucuſque, vt eſt, neſciebam locum iſtum, adeò Dei

Garſias ſeſe & omnia oblaturum Cœnobio promittit.

ſeruitio mancipatum; ſed ab hac hora, ſi Deus reduxerit me ad propria, vitâ comite, in mente habeo vobis abundè ſeruire. Ecquid dicam de ſeruitio? memetipſum vobis offero, cum omni quod habeo, aut habebo. *Quod cùm præfatus Dei ſeruus audiſſet paulatim temporalia poſtponens, atque ad ſpiritualia conſcendens, incipit ei valuas cordis reſerare, vt quidquid haberet in conſcientia, planè caperet ianuâ patefactâ; & poſt pauca:* Chariſſime in hac *Penna*, quam cernitis largifluè pius Dominus temporalia, provt opus eſt, adminiſtrat nobis; ſed ſi vos ex ſpi-

Abbas Corpus S. Indaletij petit.

ritualibus poſſetis prodeſſe nobis, hoc eſt, vt Corpus Diſcipuli Domini Noſtri Ieſu-Chriſti INDALETII, magnâ veſtrâ potentiâ, quam in patria illa honorificè ampliauiſtis, adquireretis, atque tranſmitteretis; Hoc Deo, & ipſi Sancto, & præcipuè omnibus nobis amicis veſtris fidelibus gratum, & acceptum eſſet beneficium, & memoriale in ſecula ſeculorum.

COGNITO *miles hoc deſiderio, annuit toto animo ſe authorem eſſe poſſe, Deo miſerante, ſi reuerſus fuerit incolumis ad propria, vita comite; Sed quoniam* mi Domine (*inquit*) in procurandis honoribus meis, variiſque

Comes duos fratres ſocios expetit.

conſiliis detineor, & non audeo ego ipſe manum huic adhibere operi; parati tantum eſtote, dum ad Sanctum eo IACOBVM, & redeo, vnum, aut duo ex fratribus veſtris mecum mittere, ego verò poſſibilitatem agendi miniſtrabo, & tutamen, atque adiutorium omnibus ero. *Tali itaque conuentione factâ, arripit homo nobilis iter inceptum; & Abbas iam quodammodò alacrior effectus ad opus ſuum. Quo modo? Vt ſapiens enim architectus, fratrum ſuorum continentiam, & mores contemplatus, ex multis paucos, & ex paucis duos elegit, quibus huius rei curam omni*

Abbas fratres eligit, eiſque de hac re rationem reddit.

induſtria iniungit, eóſque ſecretò aſſumens, profert: Qui iure habet bonæ voluntatis margaritam iubet eam omni ſtudio abſcondere, totâ obſeruantiâ cuſtodire, vt nec furi aditus, nec deriſionis occaſio maleuolis præberetur. Eia filioli (*inquit*) eſt mihi deſiderium iam longo tempore, nulli hominum patefactum: ſed nunc quoniam, vt arbitror,

tempus

tempus est, vt aut compleatur per Deum, aut si non, propter peccatum nostrum, relinquamus vel occultum. Vellem omni spe, si vnquam posser esse, sacro sancta alicuius Diui, hoc in loco, venerari ossa, & praecipuè S. INDALETII, quia vt istis diebus vidistis, cum illo parente nostro super hac re est habitus sermo. Nunc ergo fratres per Deum in manus vestras commendo hoc meum desiderium. Sed vos videte, quid acturi estis; sentiam in hac causa prudentiam vestram, & spem, quam in vobis huc vsque habui, nunc necesse habeo experiri. Vos verò si quid contra Dominum, & me Abbatem vestrum, quamuis peccatorem, deliquistis, potestate, quâ valeo, dimitto, & absoluo vos ab omni peccatorum vinculo: & si alicuius memoriae est vera obedientia, sicut Pater Deus misit in hunc mundum pro nostra salute ad passionem, vnicum Filium; sic vos pro salute, & officio patris vestri spiritualis, & fratrum mitto in terra longinqua, huius rei gratiâ; & quidquid ibi passi fueritis aduersi, Deus Omnipotens, dùm ante eius Tribunal steteritis, in laudem, & gloriam retribuat vobis. Sed quid opus est verbis? Euntes ite, laborate dùm potestis, mittentes semina bonorum operum; vt in conspectu Dei manipulos iustitiae reportare valeatis. Parat estote vigilantes in oratione, vt redeunte de S. IACOBO propinquo nostro, cum illo iter arripiatis, in Domino.

PAVCIS *ergo euolutis diebus, rediit* Miles *prafatus, & vt ipse dixerat, assumptis prædictis fratribus, quorum vnus vocabatur* Euantius, *& alter* Garsias, *Patrisque Monastery confirmati benedictione discesserunt. Illis itaque in regione Hismaelitarum in ciuitate* Murtiae *venientibus, pax inter ipsos Reges paganos habebatur. Sed tunc, nutu fortassis Dei, inter Reges* Hispalensem, *quam nunc ipsi Hismaelita, corrupto vocabulo, vocant* Sibiliam, *Regémque* Almeriae *grandis est orta discordia, ob ciuitatem quandam, qua* Bearia (*fortè* Beatia) *dicitur, quam Rex* Almeriae, *à dominio Regis fraude abstraxit* Sibiliae. *Qua de re furore maximo succensus, vndique congregato exercitu totius Regni sui, misisque Legatis cum suis epistolis, mandauit supradicto* Garsiae *Principi, vt cum vniuerso exercitu suo ad supradictam vrbem expugnandam* Almeriae *occurreret sibi. Quod & factum est, nam Princeps prafatus, adunato exercitu suo, sicut ei iussum fuerat, perrexit obuiam, cum quo prafati* Monachi, *S. Michaelis in vigilia, hoc est IV. Kal. Octobris exiere ciuitate* Murtia. *Decem igitur peractis diebus repererunt Regem præfatum in Ciuitate* Baeirana *commorantem, cum quo, & alys quatuor manserunt diebus, Regis* Almeriae *expugnantes, & deuastantes Castella vndique. Inde itaque Rex, & omnis exercitus castra mouentes, quatuor alys euolutis diebus venerunt ad ciuitatem* Vrcitanam *nomine, quæ quondam multitudine populorum famosa B. Viri* INDALETII *Episcopi prædicatione conuersa est ad fidem, & cognitionem D. N. Iesu-Christi, in qua Præsulis honorificè functus officio, in Ecclesia, quam ipse ædificauerat, tempore dormitionis suæ in Domino, sepultus est à populo Christiano: post cuius discessum crescente fide, & religione, augmentatus est populus credentium in Christo per vniuersam* Hispaniam, *adeò vt Christianorum Reges, totius* Hispaniae *Regni tenerent gubernacula per multa annorum curricula. Postea verò ingruentibus peccatis populi, iusto Dei iudicio, tradita est terra in manibus Hismaelitarum transfretantium ab Africa, & Arabia in* Hispaniam. *Qui euersis quamplurimis vrbibus, destructisque Ecclesiis gladio, & cæde populum Dei miserabiliter deuastauerunt, totiúsque Regni imperium arripuerunt. Quo facto, ex supradictis vrbibus, aliquas, prout eis placuit, alys in locis reædificarunt; inter quas præfatam vrbem* Vrcitanam *pari modo destructam, secus mare propter firmitatem loci, & opportunitatem maritimi portus, sexto, aptissimo loco, Milliario restaurarunt, & mutato nomine* Almeriam *vocarunt. Vrbs verò antiqua in paruam redacta villula, ob reue-*

Reuertitur Comes, & cum fratribus Murtiā petit.

Almeriam auxiliaris deuenit.

Vrcitanam vrbem peruenit exercitus.

Almeria ex ruderibus Vrcis extructa.

rentiam tantummodo B. Pontificis INDALETII, *à quibusdam Christicolis incolebatur, corraptóque nomine à barbaris* Pasquena *vocatur.*

Fratres in Ecclesia antiqua S. Indaletij ingrediuntur.

PRÆDICTI *ergo fratres propter quod missi fuerant diligenter animaduertentes, ingredientésque supradicti gloriosissimi Pontificis Ecclesiam, cœperunt, tam Orationis causâ, quàm etiam explorandi industriâ sapiùs visitare. Itaque dum ieiunijs, & orationibus, ac vigilijs crebris insisterent, vt eis pietas Domini subueniret, atque aliud indicium de præsentia corporali S. Pontificis ostendere dignaretur. Alter eorum cui cura huius rei pracipua commissa erat, quique & Sacrista prædicti erat Monasterij,* Euantius *nomine, tali est visione de dubitatione ad certitudinem productus. Videbatur ei in visione, in Ecclesia* S. INDALETII *esse, & vt mos est quærentibus, huc, illúcque studiosè aspicere, cui iuuenis formosus, speciosis indutus assistens vestibus, talibus eum verbis affatur:* Amice quid hîc agis? aut quid lustrando requiris? *Cui frater è contra humili sic voce respondit:* Mi Domine, vellem, si fieri posset, prò certo scire, in quo loco B. INDALETII, Episcopi huius antiquæ ciuitatis, sint sancta membra reposita. Audiui enim à multis, hîc eum esse humatum, sed ignoro locum. *Et iuuenis è contra:* Si (*inquit*) hoc scire desideras, nullam amplius super hoc dubitationem habeas: *& hæc dicens, eleuatâ manu dexterâ:* Aspice (*inquit*) secus Altare sepulchrum ad dexteram partem positum, vnde vides flammam è terra consurgere, quæ corporalem præsentiam B. Viri designat præcipuè, ibi enim totius corporis eius habentur ossa intacta, sicut tempore dormitionis sunt locata. Integrum est enim monumentum, quia ex quo fuit sepultus, nulli hominum patuit eius corpus: nec fuit requisitum ab aliquo, quia non ei placuit, hucvsque transferri à proprio loco. *Quo audito super litus exibat de Ecclesia, & vt mos est gaudentium, atque amantium, iterum reuertebatur intus, quasi probaret, an vera essent, quæ audierat. Cùm ecce respiciens huc atque illuc, vidit senem veneranda canitie, speciosis indutum vestibus, ad quem conuersus sic est loquutus.* Et tu Domine quis es? aut quid hîc agis? *Cui senex venerandus respondit:* Ego hucvsque fui huius Ecclesiæ S. INDALETII custos, & nunc Dominus meus ab isto loco vult vobiscum recedere; ego quoque hinc cum illo volo abire: cum illo vtique vadam, propter quem hîc stabam. *Et hoc dicto nusquam vltra visus est. Tali ergo visione certus effectus est Monachus prædictus, & magno cum gaudio, vt dignum erat, retulit spirituali fratri suo, vnde vterque gauisi grates immensas Domino retulerunt, qui suorum fidelium non spernit affectum.*

Euantij visio, in Ecclesia.

Angelus locum sepulchri ostendit.

S. Iacobus II. Episcopus Vrcitanus apparet Euantio.

POSTHÆC *pari modo, accepto consilio, perrexerunt ad* Principem *præfatum, assumpto illius Clerico boni testimonij Viro, & quæ viderant, & audierant narrauere cum gaudio. Quid plura? Post dulcia huius rei colloquia, quærunt ab ipso consilium; quærunt & adiutorium, vt quoniam supradicto, vt eis videbatur, placebat Pontifici, de terra assumi; cum eius consilio, & auxilio inciperent in nomine Domini propter opus quod erant missi.* Princeps *itaque iam dictus, cognitâ reuelatione, vt vir sapiens, & discretus in omnibus, cœpit secum tractare, quatenus, vt necesse erat, id ita ageretur, vt occultum esset omnibus, quia nimirum* B. INDALETII *ad Ecclesiam totius exercitus Christicolæ confluebant, & idcirco ob tumultum, seditionésque populi, cuncta decebat sapienter incipere, vt possent prosperè capta ad effectum perduci. Quapropter duobus ex suis præcipuis militibus, Dei prouidentiâ, boni testimonij viris secretò conuocatis, quibus & antè Deus huius rei mysterium iam ex parte reuelauerat,* Ex Monachis iam dictis (*inquit*) illis scitis, quia modicũ est, ex quo de Sancto rediui IACOBO, quòd dum pergerem, & redirem, iter nostrum per Sanctum fuit Ioannem, vbi quam honorificè sim susceptus, quámq; largiflua charitate in anima & corpore sim refectus, longum

Comes duos milites strenuos, sed deuotos cum fratribus mittit.

longum est dicere. Et cũ ego consanguineo meo, Abbati scilicet illius loci, me seruire posse, & velle denunciarem; ipse postpositis omnibus temporalibus rebus, vtpotè amator Sanctorum Dei, Beatissimum INDALETIVM, Domini Nostri Iesu-Christi Discipulum, me rogauit præripere; & ego tali, ac tanto Viro quid poteram negare? Memetipsum ei tradidi, eiúsque orationibus animam, & corpus confoueri credo, & credidi. Ecce vt cernitis hac de causa hos duos Monachos mecum transmisit, vt si voluntas Dei fuerit, meo cum adiutorio compleant, tàm ego promissum, quàm ipsi iniunctum officium. At vt sciatis hoc non displicere INDALETIO, idcirco in hac nocte, de sui corporis præsentia, certos eos dignatus est facere suâ gratiâ. *Hac eo dicente, duo Milites, quibuscum loquebatur, expansis ad cælum manibus, retulerunt & ipsi cum gaudio transacta noctis visionem, dicentes*: Eramus nos in hac nocte, quadam in Ecclesia, conspectantes, his duobus Monachis Sancti cuiusdam Corpus de subaltario extrahentibus, nos duorum cereorum lumine eis seruiebamus. *Hoc illis referentibus, intonuit vox praconis* Sibiliæ Regis, *vt omnes collecta tentoria Sexto abinde Milliario figerent, ante portam ciuitatis* Almeriæ. *Quod audiens* Princeps *prafatus, gaudio magno repletus, eo quod discederet abinde omnis exercitus, ait illis*: Quoniam, vt videtis, omnis discedit exercitus; idcirco iam potestis incipere Dei, & vestrum opus. *Nonâ itaque horâ diei manum dantes operi, tàm destruendo sarcophagum, quàm extrahendo Corpus Sanctissimum, expenderunt, quod supererat diei spatium; & iam Sole ruente, deficiente scilicet luce, hinc noctis horrore, hinc cœpti operis quatiebantur imperfectione.* Ecquid modò fiet (*dicebant*) Pie Confessor, operariorum tuorum nonne curas de anxietate? Quod tui indicio cœptum est, æquum erit imperfectum relinquere? Tua pietas abundanter eorum suppleat inopiam, vt ex multimoda claritate, quâ sempiternè perfrueris in cœlis, vel momentaneam lucem eis accommoda in terris, ad laudem, & gloriam tuæ Translationis, intra diem de die. Quid est diem de die, nisi solemnitatem de solemnitate, Translationem scilicet Natalitio iungere? Habeant amatores tui Translationis signa præsentis solemnitatis; quâ indies anniuersarium tui in laudem valeant recitare, quod & præsentibus, & futuris pro munere possit in perpetuum mandari. *Cacitate igitur noctis pressi fratres pradicti cum commilitonibus, quid agerent ignorabant; cum ecce oratione pramissâ recepère B. Viri larga beneficia, cereos scilicet abundantissimè in loco iacere, mixtos terrâ sepulchri, qui octo & amplius noctibus, si necesse fuisset, possent inçœpto abundare operi. Summâ igitur cum reuerentiâ erigentes lapidem marmoreum qui supra* Corpus *Sanctissimum erat positus, sic adstantes nectareus odor omnium aromatum perfudit, vt videretur illis, se in paradisum deliciarum, fore raptos. Qui diligentiùs perspicientes repererunt inferiùs Scripturam talia continentem.*

Reuelatio etiam facta duobus militibus.

Locum sepulchri effodiunt.

Miraculũ de cereis inuentis.

Corpus inuenitur cũ epigrapho.

HIC REQVIESCIT INDALETIVS. I. PONTIFEX VRCITANÆ CIVITATIS. ORDINATVS A BB. APOSTOLIS. ROMÆ.

IGITVR *cum ingenti hilaritate assumentes B. Viri pignora vsque ad genua, redeunt ad hospitia, relinquentes futura luci quod restabat de corpore B. Viri. Quare? quia nimirum mediâ nocte transactâ, VI. Mill. à socijs, & ab omni exercitu sepositi, non audebant amplius ibi morari. Et quare? Certè antequam hoc opus inciperent, cùm orationis causa B.* INDALETIVM *adirent, repererunt illius Ecclesiam latronibus Hismaëlitarum plenam, qui cùm ipsos cernerent, furore propria iniquitatis succensi, lapidibus sumptis, eos lapidare sunt conati, nisi eos fuga, & S. Viri liberassent merita. Hácque de causa meritò quinque anima non audebant amplius ibi stare; sed prout potuerunt diligenter sepulchro cooperto, tetenderunt B. Viri cum corpore*

Corpus Comiti deferunt.

pore ad tentoria supradicti Principis Garsiæ. VBI ergo Princeps præfatus in castris aduenisse Beatum vidit INDALETIVM, de ipsius aduentu gaudio magno repletus, denuntiauit hoc omnibus militibus fuit magno in periculo constitutis. Quod illis ingentis lætitia fuit solamen; nam ipso die instare conflictum cum Rege Almeriæ erat constitutum. Ipsi Christiani quoniam Christianorum Sanguinem effundere, & interficere alios, atque interfici ab aliјs metuebant, conuersi ad B. INDALETIVM lachrymabiliter eum implorare cœperunt, vt ipsius aduentu, magni certaminis, quod ipso die inter Christianos vtriusque partis futurum esset, fieret distractio. Et quoniam de illo, eiúsque similibus refert prophetia sapientiæ: quia in tempore iracundiæ factus est, reconciliatio, tempore quoque belli, factus est euacuatio magni periculi. Nam cùm iam ornati essent, iámque agmina

Miraculũ.

vtriusque partis miscerentur, iámque miles militem, laxatis habenis, malè se appeti conaretur, S. Viri meritis, seruatus est humanus sanguis intactus. Intonuit ergo in ipso ictu certaminis, magno cum clamore, præco Regis Sibiliæ, vt omnes relicto certamine, redirent ad tentoria, néve vlterius miles militem conaretur aggredi. Hoc fratres charissimi dulci miraculo glorificatus est Beatus Confessor, Translationis suæ in primordio. Quo facto, sumpserunt iterum fratres cum supradicto Principe consilium, quo modo sine perturbatione complerent opus cœptum, iam omnibus diuulgatum. Qui assumptis Octo militibus cum duobus, quos diximus, misit illos ornatos cum fratribus, vt cùm isti quod remanserat de corpore B. Viri assumerent, ipsi armis præsidio illis forent. Ita ergo quod supererat de Reliquiis Vener. Pontificis magna cum reuerentia sumpserunt, atque infra pretiosi Sanctissimi loculum concluserunt. Quis hoc sanè sapiens casu credat actum, quod constat diuinitus ordinatum? Si enim, vt ait Scriptura, nec folium cadit arboris absque nutu Dei, credere debemus hoc casu euenisse, & non diuinâ dispensatione? Notate fratres charissimi, notate verba, signate mysteria. Et quoniam Translationis eius nec dum gestimus insignia, dignum est prius eius explicare miracula, & post, prout Deus dederit, magna illius solemnitatis indagare mysteria.

Omnes Reliquias iterũ colligũt.

PRÆFATO ergo Principe diu in supradicta cum Hismaelitarum Rege bellicâ expeditione militante, Monachisque in territorio ipsius eum corpore Vener. Pontificis commorantibus, accidit quadam die, deambulante exercitu, quòd non posset prouenire ad destinatum castrorum locum. Cúmque iam obscurâ nocte fessi ex itinere milites tentoria fixissent, Monachi deposuerant B. Viri feretrum ex improuisò in locum inhonestum: cum ecce mediæ noctis silentio, adest B. Pontifex cuidam militi, in stratu suo quiescenti, dicens illi: Surge, & dic Monachis illis, qui commorantur in tentorio Garsiæ Domini tui, vt ab hac hora prouideant meliùs locum, in quo deponunt feretrum corporis mei. In hac enim nocte figentes tentorium eximprouiso, non constituerunt illud vt decuit in locum nitidum. Surgens itaque manè miles compunctus ex Viri Dei admonitionibus, magnis cum lachrymis, quod viderat, & audierat, retulit, tàm Domino suo, quàm ipsis fratribus. Extemplo tali Viri Dei sanctâ querimoniâ, recognouerunt negligentiam, quam ignoranter incurrerant; repererúntque in circuitu feretri sparsa iacere ossa arida animalis mortui. Hinc fratres charissimi colligere potestis, cuius meriti, cuiúsve dignitatis sit spiritus ille in cœlis, qui tàm subtilem, leuémque maculam abhorret in terris.

Miraculũ.

Reliquia nõ sunt reponenda in locis inhonestis.

Sancti leuẽ maculam in suis Reliquijs abhorrent.

CVM ergo prædicti Monachi cum Viri Dei corpusculo in supradicti Militis per vnum mensem morarentur palatio; quoniam tam longa sine duce non audebant itinera incipere, quinquagesimo abinde Milliario, in vrbe scilicet Lorca, talis de his ostensa est visio: Apparuit enim Vir Beatissimus cuidam homini tempesta noctis in hora, dicens ad eum: Vade in ciuitatem Murciam, & dic Monachis illis peregrinis, qui in domo Garsiæ morantur Principis, vt quâ re non deferunt me, quò deportare me

Apparet militi, & quod corpus trãsferatur præcipit.

me promiſerunt. Si morari placuiſſet in hac prouincia, propriâ requieſcerem in Eccleſia. *Tuum eſt, ô* Doctor *egregie, terrena poſtponere palatia, & Chriſti adamare tabernacula. Hoc enim agebas præſens in corpore, quod iam expetis, de mundo iam aſſumptus in Domino.*

PAVCO *itaque decurſo tempore, dum videt monita non impleri, & ſe eodem detineri in loco, cuidam militi ſupradicti Principis in ſtrato quieſcenti, ſuo habitu Epiſcopali, venerandâ canicie, quaſi iratus apparuit; pulſánſque eum, iubet ſe intueri. Perterritus itaque miles de inſperata viſione: quiſnam ſit, & quid quærat interrogat. Cui beatus:* Ego ſum (*inquit*) INDALETIVS Epiſcopus, qui contra meum velle in hac detineor regione. Surge ergo velocius, & dic Principi *Garſiæ*, Monachíſque mei Corporis cuſtodibus, quòd niſi vſque in Cœna Sacratiſſima Domini mei Ieſu-Chriſti, in Eccleſia *B. Ioannis Baptiſtæ,* quam mihi promiſerunt, deportauerint, neque ego, neque ipſi amplius ſunt de hac regione egreſſuri. *Adhuc autem illis cum Principe ſæpiùs memorato, commorantibus; vtpotè prouidentes, quæ longo erant itineri neceſſaria: & inſuper tractantes cæleſtem Margaritam, quo honore, quâ reuerentiâ ferre deberent: contigit quadam nocte, in domo in qua Corpus Sanctiſſimum, dignis vigiliis cum cereorum magnis luminibus condebatur, tam magnum terræmotum extitiſſe, vt ipſa tota domus à fundamentis corruere videretur. Nimio autem concuſſi pauore, qui cum ipſis fratribus in domo eadem habebantur, relictis illis, fugerunt. Poſt hæc autem tàm magna fulgura, tàmque terribilia tonitrua cum ingenti pluuia ſunt ſecuta, quod mortem minari videbantur Sanctis* Viri Dei *præceptis non obedientibus. Hæc autem in domo, in qua* B. Pontifex *cuſtodiebatur, eueniebant, eius in circuitu tantummodo; nam in tota prouincia cæli ſerenitas erat magna. Quod audiens, & videns* Princeps, *nec audens, eum contra ſuum velle detinere vlterius, ſumptis pretioſis muneribus, tàm in auro, quàm etiam in palliis auro textis, quæ cum* B. Pontifice *ad honorem, & laudem ipſius tranſmittere digna videbantur, magno cum honore cœpit Sanctum Dei deducere. Vbi vero quaſi VI. Milliaria peregit ex nobiliſſimis militibus ſuis ſumptis Legatis, direxit eos cum* B. Pontifice *vſque ad Regem* Denix, *mandans ei ſpeciali epiſtolâ, vt* S. Viri Dei *corpuſculum, ſuis cum viatoribus, vſque in Chriſtianorum patriam deduceret honorificè. Aſſumptis verò Rex* Denix *Legatis, vt ei mandatum fuerat, honorificè perduxit vſquequo ad propria ſecuros tranſmiſit. Qui dum tranſirent Dei prouidentiâ deuenêre* Valentiam. *Opportunè, & conuenienter* Valentia *vocatur ciuitas, in qua nunc venientes, quemadmodum cuidam captiuo* S. Viri *valuit pietas, non eſt prætereundum.*

Secundò apparet pro eadem re alteri militi.

Tempeſtas oritur in domo vbi erat feretrum.

Deniam proficiſcitur Corpus.

Valentiam deuenit.

ERAT *in ipſa ciuitate quidam negotiator, qui captiuum quendam Chriſtianum habebat, quem vendere in tranſmarinis partibus diſponebat. Quo ille cognito, capta opportunitate aufugit occultè, ingreſſúſque cuiuſdam Chriſtiani fideliſſimi domum, totis præcordiis ipſum precabatur, vt clauſis ianuis eum ibi latitare pateretur. Interea miniſtri ſupradicti Præſulis vrbem ipſam ingreſſi cum Corpore Sanctiſſimo, ſuſcepti ſunt honorificè, hoſpitio cuiuſdam Chriſticolæ nomine* Seruandi. *Hoc vbi comperit tàm captiuus, quàm etiam hoſpes eius, accedentes ad præfatos* Monachos, *magnis eorum precibus cœperunt implorare, vt captiuum magno in periculo conſtitutum, vnà ſecum educentes ab vrbe, libertati priſtinæ conarentur reddere. At verò fratres inter ſpem, metúmque poſiti, quid agerent ignorabant anxii. Tandem præſumentes de Dei miſericordia, &* B. Viri *præſentia, ſuſceperunt captiuum. Quod vbi Dominus eius comperit, aufugiſſe ſcilicet captiuum, quem diſponebat vendere, cœpit eum per vicos, & plateas ciuitatis requirere. Vbi verò præfatos* Monachos *cum beatis* Reliquiis *audiuit & vidit negotiator in ciuitatem veniſſe, ſciénſque eos alterâ die de vrbe egreſſuros, ſuſpicatus eſt, vt in rei erat veritate, captiuum ſuum cum illis velle aufugere. Tota autem nocte duabus in portis, quæ ſunt*

Miraculū de captiuo liberato.

in ponte fluuij illius vrbis, vnde ipsi altera die erant egressuri, vnà cum fratre suo, positis custodibus, ipse cum aliis latenter, domum in qua B. Confessor *hospitabatur, eiúsque ianuam magna cum curiositate obseruabat, vt si captiuus esset in domo, altera die egredientem valeret apprehendere. At verò* Monachi *sentientes domus ostia à captiui domino, eiúsque hominibus vndique custodiri, condolentes miserrimo homini, totis præcordijs se Domino, &* B. Patrono *commendarunt: sícque de Dei confisi misericordia, vnà cum captiuo exierunt. At captiui dominus, vbi diù clausa, vt desiderabat, vidit aperiri ostia, singulísque egredientibus occurrens obuius, vniuscuiusque eorum vultus aspiciebat, & captiui vultum similiter intuebatur, & non cognoscebat. Omnes quippe aspiciebat, & ad omnes, oculos apertos habebat ad recognoscendum, tantummodo ad captiuum cæcus erat. Liberatus itaque de domini sui manibus, cum* B. Viri Reliquiis *peruenit ad primam portam præfati pontis, in qua simili modo, vnà cum alys inspectus à domini sui fratre, eiúsque hominibus, minimè est agnitus. Quid plura? Confidenter iam transeuntes pontem ipsum magnum peruenerunt ad secundam portam, in qua similiter ab aliȷs custodibus consideratus, non est cognitus: sícque per Dei misericordiam, &* B. Viri *præsentiam liberatus est captiuus; sicut nos eum vidimus, & ab ore eius audiuimus. O quantus erat in ore captiui metus cum tristitia, cùm dominum suum, custodésque eius, quos ipse bene agnoscebat, sibi occurrere videbat, séque intueri aspiciebat: & ò quanta rursus lætitia, cùm se non recognosci per* B. Viri *meritum sensit!*

Tortosam deueniunt sacra pignora. Flixum. Ilerdam. Egressi *ergo à supradicta vrbe* Valentiæ, *& quomodo captiuo valuit eius virtus, eiúsque pietas opem ferre, iam audistis: atque exinde, quarta feliciter die, peruenerunt ad vrbem* Tortosam, *in qua vnâ nocte manentes alterâ die peruenerunt ad oppidum, quod vocatur* Flixum, *inde similiter egressi, transactóque* Ibero *fluuio, eadem die peruenerunt ad vrbem* Ilerdam, *de qua, alterâ die egredientes peruenerunt in* Seda *in Christianorum fines. At verò fratres veri Dei miseratione, &* B. Patrono *adiuuante viderunt omnia sibi cessisse prospera, venientes ad quandam Ecclesiam* S. Ioannis *nomine* Vallaràn, *diuerterunt ibi duobus diebus, & præmiserunt nuntios ad spiritualem* Patrem *ipsorum, mandantes ei humili relatione, vt ipse desiderauerat, seruulos suos cum* B. Viri Reliquiis *aduenisse. Quod vbi audiuit venerandus* Pater *supradicti loci, gaudio magno repletus, conuocata in* Capitulo *omni congregatione, denuntiauit eis, quomodo pius Dominus suâ largifluâ miseratione, dignatus esset eos visitare, mittendo eis vnum ex conseruis suis sacratissimum nomine* Indaletivm. *Quo audito, quasi de graui somno excitati fratres mirabiliter sunt lætati; quod cùm nihil exinde scyssent, tam magno gaudio in momento, & tam magno dono iucundati, & ditati essent tempore perpetuo; atque ideircò meritò videres alium palmas leuare, alium verò pio pugno pectus sub habitu suo percutere, alium longa ab animo suspiria trahere, alium similiter inclinato capite Dominum Deum glorificare, & benedicere, alium verò defixis in terra oculis dulciter lachrymantem; omnes tamen in communi extollentes vocem ad æthera, magnificabant, & laudabant, pro tanto munere, Christi magnalia.*

Vallaràn.

Abbati nuntians eorum aduentum.

Fratrum Pinnatensium lætitia.

Nuntiatur Regi Sanctio. Rex & omnis populus cum Monachis processionaliter suscipiunt sacra lipsana.

Posthæc *finito* Capitulo, *vt decebat, nuntiatum est idem salutare nuntium Regi* Sanctio, *eiúsque filio* Petro, *qui ibi more solito, sanctæ dies obseruabant Quadragesimæ: qua de causa facta est non dissimilis superiori lætitia in omni Regis curia. Exultat Rex cum Principibus, iucundantur & omnes præ gaudio cum militibus, atque famâ volitante descendit à Regia in plebeiam multitudo perlustrans tali nuntio totam terram. Posthac ergo induta omnis congregatio albis, & cappis honorificè cum cereis magnis flammantibus, & thuribulis ex multo incenso, & thymiamate flagrantibus, vnà cum venerando Monasterij Patre, & præfato Rege, eiúsque filio, Principibus*

tipibus quoque ipsius, atque innumerabili pauperum Christi multitudine, qui ad diem festum ex diuersis locis conuenerant Dominicæ Cœnæ *susceptus est gloriosus Dei Confessor, & Pontifex* B. INDALETIVS, *de montis medio, qui super ipsum habetur locum, perpulchrâ dilatatus in planicie, vernans densitate, atque Pyrenæorum altitudine, simul & congruo tempore herbarum viriditate. Vbi verò salutatus est ab ipso Dei seruo, scilicet Abbate Monasterij, & à Rege, eiúsque filio, omníque congregatione, atque innumerabili multitudine, finito etiam hymno illo glorioso, qui est:* Te Deum laudamus: *decantato & responso, &* Collectâ *finitâ, magno cum honore adportatus est in Ecclesiam* B. Ioannis Baptistæ *à Priore claustri* Sanctio *nomine, boni testimonij, bonaque vita Viro, cui Dei prouidentiâ, honestatis, & sanctimonia causâ, commissus est à præfato Dei seruo deportari: quod Sanctus Dei non est passus fieri sine digna retributione: nam cùm in sinistro brachio magnâ aggrauaretur infirmitate, mox vt cœpit portare, sanatus est B. Viri meritis ab omni ægritudine. Eia, ô serue Dei, gaude, & latare, quia ecce vides, quod diu concupisti; ecce tenes quod diu spectasti: amicabiliter, inquam, amplectere, ô dilecta Deo anima, tuis in amplexibus irruentem: præeuntem sequere, magis moribus, quàm pede. Qui enim olim te præcessit à Domino assumptus, nunc iterum præcedit, tuis sanctis inuitatus precibus, tuáque addictus dilectione. Videte Fratres charissimi thesaurum incomparabilem, paruo conclusum in loco. Videte quantum apud Deum valeat fides pura, & conscientia bona. Sed quid multis moror? Decantantibus, & Deo laudes offerentibus omnibus, magno cum tripudio, vt diximus asportatus est in Ecclesiam* B. Ioannis Baptistæ, *qui de Penna dicitur, me vidente* Hebrethmo *scilicet indigno Cluniacensis Cœnobij Monacho, qui hanc* Translationis *paginam iussu prælibati Abbatis dictaui, vt valui, Anno ab Incarnatione Domini* M. LXXXIV. *Era scilicet* M. C. XXII. Quinto Kal. Aprilis, *præstante D.N. Iesu-Christo, qui cum Patre, & S. Spiritu viuit, & regnat in secula. Amen.*

Miraculum.

In Ecclesia Cœnobij reponuntur.

En ACTA quæ in hac *Translationis* festiuitate conscripsit *Hebrethmus* Monachus, quæ MSS. in Cœnobio, vt diximus, *S. Ioannis Pinnatensis* adseruantur, & quæ *D. Ioann. Brizius* in eius Cœnobij Historia, patrio contexuit idiomate, *lib.* 3. *à cap.* 31. *vsque ad* 36. vbi etiam nonnulla congerit miracula à B. Præsule, Dei prouidentiâ, patrata; & prosequitur, quòd post decantatum hymnum, *Te Deum laudamus:* hæc fuit dicta *Collecta*, ab ipso *Hebrethmo* post Actorum ecphrasim, conscripta:

Collecta decantata in eorum receptione.

CONCEDE *nobis, Præsul venerande* INDALETI *translationem tuam celebrantibus, vt sicut de loco ad locum, hodiernâ die, transferri voluisti; sic Nos precibus tuis, de vitijs ad virtutes, transire mereamur, vt in Galilæa, quæ transmigratio interpretatur, Deum videre valeamus, præstante D. N. Iesu-Christo, qui viuit & regnat in secula seculorum.*

Hinc etiam notandum venit, quòd licèt nulla sit, in hisce Actis, facta mentio de *Translatione* Corporis S. IACOBI Episcopi Vrcitani II. post INDALETIVM; cuius ille fuerat discipulus, tamen, supposita reuelatione ab ipso S. Præsule facta *Euantio* Monacho, dicente: *Ego hucusque custos fui huius Ecclesiæ S.* INDALETII, *& quoniam Dominus meus ab illo loco vult vobiscum recedere; ego quoque hinc ibo, cum illo itaque vadam, propter quem hic stabam:* credendum est itidem eius sacra pignora translata; & insuper ex traditione illius Regij Cœnobij palam fit, vt notauit Zurit. *in Indic. Reg. Aragon.* verbis superius in prolegomeno citatis, & fatetur D. Ioann. Briz. *d. lib.* 3. *c.* 35. *fol.* 597.

Etiam Corpus S. Iacobi II. Episc. Vrcitani translatum est.

Insuper sciendum est, *Ecclesiam Burgensem* in Castella gloriari apud se habere Reliquias S. INDALETII nonnullas, vt notauimus supra *hoc ipso die*, in Rela-

tione ipsius Reliquiarum *n.9.* Et probatur ex peruetustis eius Breuiariis, vbi in fine *Lection.3. die 30. April.* hæc inueniuntur verba: *Sed etsi horum Sanctorum Pontificum* (agit de Septem Episcopis) *Kalend. Maij natalitium vbique gentium celebretur:* Ecclesia *tamen* Burgensis *hodie* S. INDALETII *speciatim agit solemnia, quo die scilicet* Reliquiarum *eius particeps facta est.*

Ecclesia Burgensis possidet S. Indaletij Reliquias.

Cœnobij situs.

MONASTERIVM Pinnatense. Celebre, & Regale Cœnobium peruetustum iuxta vrbem, quam *Pannum* dixere Christiani Conditores, quando in *Hispania* excidio Sarracenorum oppressionem fugientes, illic aduentantes, & vt auxilio, & defensioni esset hanc ciuitatem condidere, iuxta *Vruelis* cacumina montis in *Aragonia* finibus siti. Ibi spelunca in rupis visceribus excauata conspicitur, quâ sanctissimi Eremitæ vitam Angelicam ducentes, per aliquot secula commorantes, hospitium miserabilibus Gothis à Sarracenorum manu valida diffugientibus præbuit; cuius *Garsias Scemenij* latebrosam compaginem ampliauit, & subsequentes *Nauarræ*, & *Aragonum* Principes ad statum Regium, quo ad præsens vtitur, perduxere. De eo integram Historiam scripsit eius Abbas *D. Ioannes Brizius*, & Nos suo loco maiora subiiciemus.

Vrbs Pannum à quibus, & quando condita?

B. S. HILARIVS Martyr Romanus.] De eo Martyrologium Romanum h. d. cuius nomen à Cardinale *Cæsare Baronio* ex MS. S. Cyriaci restitutum cum aliis sociis, Ecclesiasticas promeruit Tabulas, hisce verbis: *Romæ, Natalis SS. Martyrum Demetrij, Concessi,* HILARII, *& Sociorum*, cuius ecphrasim sequuntur P. Dionys. Vazq. *in Martyrol. Castellano*; P. Lobo *in Lusitano*, & cæteri recentiores. Eius ACTA penitus periêre. Eius corpus *in Hispanias* translatum, in *Collegio* fratrum Excalceatorum SSS. Trinitatis *Complutensi* in Carpetania honorificè seruatur, vt ex authenticis testimoniis patet tenoris sequentis.

Martyrologia.

Eius corpus Compluti.

Testimonij de Translatione.

IN DEI NOMINE, AMEN. Præsenti publico instrumento cunctis vbique pateat euidenter & sit notum, quod Anno à Natiuitate eiusdem D.N. Iesu-Christi M.DC.XL. Indict. VIII. die vero XXVI. Mensis Augusti, Pontificatus autem SS. in Christo P. ac D.N.D. Vrbani diuinâ prouidentiâ PP. VIII. Anno eius XVIII. in mei Notarij publici, testiúmque infrascriptorum præsentiâ, præsens, & personaliter constitutus admodum R.P. Ioannes ab Annuntiatione fratrum Discalceatorum Ordinis SSS. Trinitatis, Redemptionis Captiuorum & dicti Ordinis Procurator Generalis, ac Emmentissimi, & Reuerendissimi D. Card. Barberini, S.D.N. Vrbani PP. VIII. secundùm carnem ex fratre nepotis, Confessarius, nec non Minister Venerabilis Conuentus S. Caroli ad Quatuor fontes de Vrbe, mihi Notario optimè cognitus, asserens reuerenter habuisse, & recepisse ab Illustriss. & Reuer. D. Ioanne Baptista de Alteriis Nobili Romano, olim Episcopo Camerinensi, ac Emin. & Reuer. D. Almæ vrbis Cardinalis Vicarij, Vicesgerente, nonnulla Sanctorum, & Sanctarum, Corpora, aliàs ab eodem Illustriss. & Reuer. D. Vicesgerente ex Calixti cœmiterio de mandato eiusdem S.D.N. Vrbani extracta, & signanter infrascripta corpora, videlicet SS. Felicissimi, & Maximi, Iusti, Innocentij, HILARII, Iustini, Mauri, Feliciani, Hyacinthi, Vitalis, Alexandri, Gratiani, Ioannis, Vincentij, Bonifacij, Valentini, Dionysij, Claudij, Valeriani, Calixti Martyrum; & Sanctarum Concordiæ, Floræ, Fabianæ, Aureliæ, Restitutæ, Victoriæ, Candidæ, & Eugeniæ Virginum & Martyrum, prout ex literis patentibus ab eodem Illustriss. & Reuer. Domino Vicesgerente, subscriptis, sibi concessis, quarum copiam præ manibus habens in medium exhibuit, mihíque Notario tradidit, de quo fidem facio: Ideo perillustr. & Reu. P. Ioannes vtens pro infrascriptis validè peragendis, licentia & facultate sibi à dicto Illustriss. & Reuer. D. Vicesgerente concessis, & attributis prout in eis continetur sponte, &c. Omni meliori modo, &c. Supradicta SS. Corpora donauit & elargitus est R.P.F. Isidoro de S. Ioanne, Ministro Generali Fratrum Discalceatorum Ordinis SSS.

SSS. Trinitatis, Redemptionis Captiuorum, Matriti residenti, & hinc licèt absenti, perillustri D. Henrico de la Fluet Belgico, & Excellentissimi Domini Oratoris Maiestatis Catholicæ familiari, & continuo commensali, pro eo præsenti, acceptanti, & ea qua decet reuerentia, & deuotione recipienti, ad habendum, &c. Actum Romæ in Conuentu S. Caroli ad Quatuor Fontes eiusdem Ordinis Redemptionis Captiuorum præsentibus, &c.

Quæ quidem SS. Corpora *Matritum* allata idem *R. P. F. Isidorus de S. Ioanne* Minister Generalis præfatus vtens facultate sibi concessa per supramemoratum *R. P. F. Ioannem de Annuntiatione* supradicta SS. Corpora inter ipsius Ordinis Conuentus Hispaniæ distribuit sic:

Collegio Complutensi *Nostri Ordinis Corpora SS. Maximi, & Hilarii MM.* *Distributio.*

vt patet ex distributione ab eodem confecta, & typis excusa, Matriti *die XXX. Martij*, Anno Domini M. DC. XLI. coram *Lamberto Tito Notario* Apostolico.

QVARTO IDVS APRILIS.

DIES X.

A. Hispali, & alibi in Hispania, celebris CORONÆ DOMINI *festiuitas, propter* SPINAM *quam de tanto diademate, quo Diuinus coronatus fuit Salomon in die Passionis ipsius, veneratur Ecclesia.*

NOTÆ.

FESTVM CORONÆ DOMINI. Licèt hæc festiuitas apud *Hispalensis* Ecclesiæ tabulas ad diem IV. Maij referatur, hic proprius magis solemnitatis locus agnoscitur. Ad illum transtulit attentionis inspectio Præsulum, *Quia etsi* (inquiunt verba Homiliæ huius festi in antiquo Breuiario ann. 1525.) *hæc Corona capiti Saluatoris ad pœnam, & ludibrium in die Parasceues fuerit applicata; tamen quia dies illa non est gaudij, sed mæroris, quoniam membra compatiuntur capiti, differtur interim hæc gratulabunda festiuitas*: Hanc, solemnissimâ qua solet magnificentiâ Sanctorum suorum festa colere *S. E. Hispalensis*, toto cordis affectu, & anniuersario recolit apparatu, vt refert P. Quintana-Dueñas *Histor. SS. Hispalens. fol.* 345. Quod & in Antiquis *Breuiarijs*, & in *Manualibus* recentioribus inuenitur. Ipsammet festiuitatem reliquæ Hispaniarum Ecclesiæ SPINAM de Corona Domini habentes recolunt, scilicet *Abulensis*, & *Zamorensis*, & *Pampilonensis*. In omnibus olim æquale officium, vbi Hymni sequentes: A. *Quare hæc festiuitas transferatur in Eccles. Hisp.*

Hymnus

Hymnus ad Veſperas.

LAuda fidelis concio
SPINÆ *trophæum inclytum,*
Per quam perit proditio
Vitaque datur meritum.
Nos à puncturis liberat
Æterni Patris filius,
Dum ſpinis pungi tolerat,
Spinarum culpæ neſcius.
Cum Spinarum aculeum
Chriſtus pro nobis protulit,
Per diadema Spineum
Vitæ coronam contulit.
Plaudat turba fidelium,
Quod per Spinæ ludibrium,
Purgat Creator omnium,
Spineti noſtri vitium.

Hymnus ad Laudes.

ÆTerno Regi gloria
Deuota laudum cantica
Fideles ſoluant hodie
Pro CORONA *Dominica.*
Coronat Regem omnium
CORONA *contumeliæ,*
Cuius nobis opprobrium
Coronam confert gloriæ.
De Spinarum *aculeis*
Chriſto CORONA *plectitur,*
Quâ miniſtris tartareis
Mundi poteſtas tollitur.
CORONA *Chriſti capitis*
Sacro perfuſo ſanguine,
Pœnis ſolutis debitis,
Reos purgat à crimine.
Laus Chriſto Regi gloria
Pro CORONÆ *virtutibus,*
Quâ nos reformans gratiæ
Coronat in cæleſtibus, Amen.

In Relato *Hiſpalenſi Breuiario Antiquo* de Anno 1525. Tres adſunt Lectiones quibus Homilia cuiuſdam, loco ſermonis refertur, anonymi, forte ab ipſa Eccleſia, extructa, & exarata pro huiuſmodi feſtiuitate peragenda. Quarum Lectionum talis eſt ſeries;

IN FESTIVITATE CORONÆ DOMINI, ſecundum antiquum ritum S. E. Hiſpalenſis.

Lectio I.

NON *miretur Orthodoxorum quiſpiam, ſi iucunda* CORONÆ *Dominicæ ſolemnitas diem hunc expendat in laudibus Redemptoris. Quia etſi hæc* CORONA *Capiti Saluatoris, ad pœnam & ludibrium, in die Paraſceues fuerit applicata; tamen quia dies illa, non eſt gaudy ſed mœroris, quoniam membra compatiuntur capiti; differtur interim hæc gratulabunda feſtiuitas, in qua recolligimus ſalutis noſtræ meſſem de ſpinarum ſemine propagatam.*

Lectio II.

MIRO *etenim modo, deiectio capitis obtinuit veniam, & gratiam corpori: & percuſſo vertice ſolidata ſunt membra. Synagoga ſiquidem mater Chriſti ſecundùm carnem, nouercam ſe exhibens affectu crudelitatis, & effectum noſtrum Salomonem,* CORONA SPINEA *coronauit. Pudeat ergo ſectari gloriam membris, quibus caput ſuum tàm inglorium exhibetur, peccatorum noſtrorum ſpinis circumdatum. Pudeat ſub ſpinato capite membrum fieri delicatum.*

Lectio

Lectio III.

Scribit *namque Ioannes Euangelista* : Exiuit Iesvs portans Spineam Coronam, *& purpureum vestimentum : vt quasi pugil noster in armis, & vestimentis rubeis appareret. Exeamus ergo ad eum egredientem extra castra, improperium eius portantes, ærumnam eius nostram reputantes, & dicamus cum Psalmista* : Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur Spina.

In *Breuiario Zamorensi* aliæ leguntur *Lectiones*, scilicet, quando *Balduinus* Constantinopolitanus Imperator *S.Ludouico* Francorum Regi, Coronam Spineam obtulit. In quo etiam isthæc pro Responsoriis visuntur carmina: *Breuiarium Zamorēse.*

Christum sub serto Spineo,
Deridet plebs perfidiæ,
Cuius cruore roseo
Sertum confertur gloriæ.
Adest dies lætitiæ
Quo diadema spineum
Commendatur memoriæ
Christi cruore roseum.

Summum Regem gloriæ
Spinis *coronatum,*
Ridet plebs perfidiæ
Morti condemnatum.
Felix Spina *cuius*
Aculei guttis rubent
Rorisque sanguinei,
Et cœli seras pandunt.

O decus Ecclesiæ
Gloriosa Spina,
Sertum Regis gloriæ
Mundi medicina :
Præsentis angustiæ
Dulcor, & resina ;
Te laudamus hodie
Serues à ruina : Amen.

In *Breuiario Cæsaraugustano* vetusto, item hæc festiuitas consignatur, vbi *Lect.III.* legitur satis venusta, & ad solemnitatem accommoda, provt in alio *Breuiario* peruetusto *Oscensi*, in quo hymni : *Cæsaraugustanum.*

HYMNVS AD VESPERAS,

in Festo Coronæ Dominicæ.

Æ*Terna Rex altissime*
Reddens coronas perditas,
Da Coronæ *Sanctissimæ*
Laudes proferre debitas.
Corona *Christi Capitis*
Membra coronat hodie,
Honoribus exhibitis,
Concordet vox lætitiæ.
Sertum *signat victoriam,*
Qua Christus mortem expulit,

Spinæ *monstrant miseriam*
Quam caput nostrum sustulit.
Vitæ coronam *repetit*
Corona *mortis anxiæ,*
Quo mors soluta deperit,
Datur triumphus gratiæ
Qui de tanto diademate
Nos honorat in studio,
Cum vtriusque pneumate
Sit laus Patri cū Filio: Amen.

AD

AD MATVTINVM

HYMNVS.

DEus Corona *Militum,*	*Tua nobis humilitas*
Sors, & corona, præmium,	*Pœnas repellat debitas.*
Tua CORONÆ *meritum*	*Tua* CORONÆ *myſticè,*
Confert medelam omnium.	*Suſcepto patrocinio,*
Tua CORONA SPINÆ	*Iubilus vocis mellica,*
Tuos coronet aurea :	*Concurrat mentis gaudio.*

Breuiarii B. M. de Mercede. Similes habet hymnos *Breuiarium* Antiquum Fratrum *B. Mariæ de Mercede*, & alia, in quibus item leguntur ſuperius ſcriptæ Lectiones. *P. Emanuel Pimenta* Noſter *Luſitanus* ſæpiùs laudatus, in *ſuis Poemat. lib. 5. de Chriſt. Paſſ. fol.* 166. ſic de SPINIS, & Purpura ſcripſit;

Purpura deriſu, cruciant noua ſerta dolore :
Ambo grauant pœnas, plus fera ſerta, tuas.
Purpura vana tegit: melior ſuperinduit imis
Eruta de venis, per noua ſerta, tuis.
Quâ rubus ingreditur, manat cruor vndique riuis,
Quâ cruor it, duris eſt via facta rubis.
Tot ſaliunt fontes, quot acumina tempora rumpunt :
Vita, ſalus, pretium, lux, decor vnde fluit.
Heu! minus in venis ſacri reor eſſe cruoris,
Quàm quod læta ſinu terra beata bibit.
Prodigus es nimium, generoſo parce cruori,
Sanguine tingenda eſt crux, iuga, ſaxa, viæ.
Pòſt lateris vulnus, latebras rimatus, & vndas;
Exhauſtus, dices, eſt cruor? Vnda fluat.

Amicus Noſter toto corde mihi venerandus *P. Ioannes Ferrandus* è S. I. & ob eius eximiam pietatem, & ob ipſius in Eccleſiaſticis voluminibus euoluendis exactiſſimam eruditionem in *Lib. 1. cap. 1. ſect. 5. Diſquiſition. Reliquiar.* Dialogiſticum inter Peccatorem, & D. N. Ieſum-Chriſtum, *ſpinea corona* redimitum, hoc Epigramma ſubſcripſit.

P. *Cur tibi, Chriſte, caput ſpinis terebrantibus horret?*
C. Spina, tibi ſpina eſt; ſed mihi ſpina Roſa eſt.
P. *At cur ſpina mihi, tibi cur roſa, ſpina videtur?*
C. Spina, malo ſpina eſt, & roſa ſpina bono eſt.
P. *At tibi ſanguineo frons fracta rubeſcit ab oſtro?*
C. Frons mihi fracta niuet, quæ tibi nulla rubet.
P. *Error is vnde mihi?* C. Non erras, namque rubeſcit
Frons mihi, frons effrons quòd tibi non rubeat.
P. *Spina vtinam! mi Chriſte, tua mea tempora cingant,*
Quæque malo ſpina eſt, ſit roſa, ſpina bono.
Frons vtinam! in ſilicem durata rubeſcere diſcat,
Candor, & inde meus ſit, rubor vnde tuus.

His

His sic relatis, venio ad ecphrasim SPINARVM Christi CORONÆ, quas Hispaniæ Ecclesiæ, prout potuimus elicere, in suis seruant sacrariis, ex Variis relationibus, & Authoribus: *Catalogus Spinarum apud Hispanos.*

In Ecclesia Toletana II. *ex Relat Visitat.*
In Ecclesia Hispalensi I. *ex Breuiar.*
In Ecclesia Salmanticensi III. *ex Histor.*
In Capella D.Sanctij Dauila, in Ecclesia Abulensi III. *ex eius libro de Ven. Reliq.*
In ipsa Ecclesia Abulensi I. *ex Histor.*
In Cœnobio Minorum ibidem I. *ex Histor. Abul.*
In Ecclesia Oxomensi I. *ex Histor. Æg. Gonzal.*
In Ecclesia Gauriensi I. *ex Histor. Æg. Gonzal.*
In Ecclesia Placentina I. *ex Histor. apud me.*
In Cœnobio del Abrojo Minorum I. *ex Gonçag.*
In Cœnobio Spinæ Cisterciens. I. *ex Manriq.*
In Cœnobio S.Dominici Madrid. I. *ex Æg. Gonz.*
In Cœnobio Atochæ Madrid. I. *ex eod.*
In Ecclesia Conchensi I. *ex Histor. Ægid. Gonz.*
In Cœnobio Scurialensi II. *ex Histor. Siguenca.*
In Cœnobio Excalceatarum Madrid. *ex eius Hist. à P. Moreno* confecta IV.
In Cœnobio de Castañal, II. *ex Gonzag.*
In Cœnobio Conceptionis Minorum I. *ex Ægid.*
In Cœnobio Libaniensi I. *ex Hist. Asturicens.*
In Cœnobio Minorum de Torrijos I. *ex Gonzag.*
In Cœnobio Minorum Escalonæ I. *ex eodem.*
In Ecclesia Cæsaraugust. de Columna I. *ex Histor.*
In Ecclesia S.Petri Ciuitatensi I. *ex Æg. Gonzal.*
In Ecclesia S Mariæ eiusdem I. *ex eod.*
In Collegio Patriarchæ Valentino I. *ex Relat.*
In Conuentu Excalceat. Carmel. Madrid. I. *Ægid.*
In Cœnobio de Rapariegos I *ex Gõzag.*
In Cœnobio Facensi in Algarbio I. *ex eodem.*
In Cœnobio Xabregensi Minorum I. *ex eod.*
In Cœnobio Pumarensi I. *ex eod.*
In Cœnobio S.Claræ Gadiensi I. *ex eod.*
In Cœnobio Ierusalem Valentino I. *ex Histor.*
In Cœnobio S.Claræ Montillensi I: *ex Gonzag.*
In Cœnobio Augustiniano Salmant. I. *ex Hist. Ægid.*
In Cœnobio Præmonstrat. Abulæ I. *ex Histor. Ægid.*
In Eccles. Burgensi I. *ex Theatr. eiusd.*
In Cœnobio Augustiniano Hispal. I. *ex eod.*
In Regia Capella Madrid. I. *ex Theatr. eiusdem.*
In domo Nouitiorum S. I. Madrid. I. *ex eod.*
In Collegio Imperiali Madrid. I. *ex eod.*
In Cœnobio Prædicator. Tolet. I. *ex Relat.*
In Ecclesia Asturicensi I. *ex Æg. Gonzal.*
In Domo professa Madrid. I. *ex eod.*
In Collegio Complut. S. I. I. *ex Relat.*
In Ecclesia Barcinonensi I. *ex Relat.*
In Ecclesia Giennensi I. *ex Relat.*
In Domo professa S.I. Tolet. I. *ex Relat.*
In Collegio S.I. Placent. I. *ex visu.*
In Cœnobio Guadalup. I. *ex Hist. Talau.*
In Domo S.Rochi S. I. Vlyssipp. I. *ex Campos.*
In Cœnobio Morejon Minor. I. *ex Gonzag.*
In Cœnobio Brigantino Minorum I. *ex eod.*
In Cœnobio Hispalensi Minor. V. *ex eodem.*
In Cœnobio Vallensi Minimor. I. *ex Montoya.*
In Cœnobio de Castanero Minor. I. *ex Gonzag.*
In Cœnob. Morellensi Minor. II. *ex eod.*
In Cœnobiis Monialium Iesu, & Conceptionis Valentinis I. *ex Gonzag.*
In Cœnobio Zamorensi I. *ex eod.*
In Ecclesia Maioricensi III. *ex Histor. Daineti.*
In Cœnobio Montis Sarrati I. *ex Tepes.*
In Ecclesia Valentina X. *ex Histor. Scolan. 5. cap. 13.*
In Ecclesia Oscensi I. *ex Hist. Lanuz. 1. tom. lib. 1. cap. 35.*
In Cœnobio Veruelæ Cisterciens. I. *ex Tepes.*
In Cœnob. S.Catherinæ Cæsaraug. I. *ex Lanuz.*

In Cœnob. Constantinopol. Madrid. I. *ex Quintano.*
In Cœnob. Carmeli Calceat. Madrid. I. *ex Ægid. Gonzag.*
In Cœnob. Carthusian. Aniagense I. *ex Relat.*
In Cœnobio Mercenarior. Excalceat. Madrid. I. *ex Ægid.*
In Eccles. Cathedral. Cæsaraugust. I I. *ex Morillo.*
In Cœnob. Præmonstrat. Ciuitatens. I. *ex Ægid. Gonzag.*
In Ecclesia Palentina I V. *ex Itine. Sacr. Moralez.*
In Eccles. Cœnobij Benedict. Vallisolet. I. *ex eod.*
In Cœnobio Minor. ipsius vrbis I. *ex eodem.*
In Cœnob. de Husillo I. *ex eodem Itinerario.*
In Ecclesia Ouetensi V I I I. *ex Ægid. Gonzal.*

Ex hac liquet relatione Catalogi esse in Hispaniæ sacrariis C X I V. SPINAS *Coronæ Domini*, quæ cultu debito venerantur, & fidelibus in diebus *Parasceues*, & in diebus CORONÆ ac festiuitatibus S. CRVCIS debitis exponuntur pietatis affectibus. Non me latet oppositio communis, quâ nituntur aliqui dicentes, quo pacto tot potuerit habere SPINAS sertum illud sacrum Christi Domini Capiti impositum? Cui difficultati respondit P. Ioann. Ferrand. *in d. Disquis. Reliquiar. d. lib.* 1. *cap.* 1. *sect.* 5. *fol.* 41. & aduersus Caluinum de X V I I I. Spinarum numero irridentem, piâ eruditione consurgit, & inuehitur; asserens quòd ideò plures per Orbem Christianum SPINÆ religiosè cultæ, probantibus, nec repugnantibus Episcopis, inueniuntur, *Vel quia* SPINEA *Christi* CORONA *non tam in simplicis diadematis, quàm in galeri formam modúmque plexa fuit, vt totum Regis Nostri verticem circumposita tegeret, ac coronaret. Vel certè ex illo Dominica* CORONÆ *multiplicata numero, vnum reipsa, verum, germanum, ac genuinum extitisse* Spineum *Christi coronamentum, reliquas duntaxat esse pura ectypa, hoc est, ad prototypa coronæ specimen efformata.* Quòd si ita est, nam de prima ratione habitat, quid mirum si plures SPINÆ passim inueniantur? Quomodocumque sit, siue ipsæ reuera decerptæ fuerint è Spineo Christi diademate, siue ad illud duntaxat admotæ piè, maximi semper faciendæ sunt, neque fraudi, aut imposturæ tribuendum est, si tot diuersis in locis credantur asseruari, ibidémque monstrentur, colantur, & piis osculis atterantur. Vt inquit idem *Ferrand.*

Quo pacto tantas potuit continere Spinas sertum Dominicum?

Vbilibet colendæ Spinæ.

TERTIO IDVS APRIL.

DIES XI.

A. S. Bienerus *Anachoreta apud Vxama-burgum in Hispania, & austeritatis, & pœnitentiæ continuatione mirabilis, animam Deo reddidit, relinquens posteris suæ sanctitatis, & virtutum specimen.*

B. *Concha celebris est memoria Translationis sacrati corporis* S. Iuliani *eius vrbis Episcopi in qua mirabilia operata est Domini valida manus, intercessione Sanctissimi Confessoris, & Patris Pauperum.*

NOTÆ.

NOTÆ.

SANCTVS BIENERVS, aut BERNERIVS *Anachoreta*.] Duos huius nominis solitarios, apud diuersos agnosco; alium, & alterum *Hispanum*; fortè in essentia, & identitate, vnum deprehendes. Muneris enim mei hæc antiqua mens est, vt, quidquid ad nostram attinet Prouinciam, palam faciam. Ergo auctoritates in medium proferam, pius Lector securiorem protinus sententiam amplectetur. Iulianus Noster *in Chron. Ann. M. VI. num.* 523. in hæc verba prorumpit: *Vxameburg, quod nunc oppidum Burgum Osma dicitur*, S. Bienerus *solitarius colitur XI. Aprilis*. Penè in nomine æqualis, in statu verò similis, & in origine indubius, à Philipp. Ferrario *in General. Cathal. SS. die XVI. Octobris, fol.* 405. & in *Catalog. SS. Ital. fol.* 653. alius Hispanus *Bernerius solitarius* consignatur, hisce verbis: *Eboli in Picentibus* S. BERNERII *solitary*. Si iste idem, ac ille, de quo *Iulianus* Noster, & *Ebolitanus* diem transitus, & anni computum, vt suis inserat actis, inueniet, & *Vxamensis* Ecclesia Hispaniæ tanti Diui acta cognoscet, vt tam ista, quàm illa anniuersariis iubilationibus festum celebrent singulare. Quod vt faciliùs deprehendat vtraque, en acta ex duobus autographis manifesta subnectimus. A. *Duos huius nominis solitarios.*

BIENERIVS, *siue* BERNERIVS *ex vrbe* Vxameburg, *quæ nunc* Burgum Osmæ *in* Hispania *dicitur, claro genere ortus, ab ineunte ætate, à sæculi voluptatibus abhorrens, relicta patria, Ecclesiarum præcipuarum peregrinationem suscepit. In qua cùm magnam vita partem consumpsisset, tandem in Italiam veniens, apud* Ebolum *in* Picentibus *substitit. Vbi cellula extructa, victum quæritans, modico pane, & vino, ob valetudinem stomachi, contentus, cætera pauperibus erogabat. Cùm is panem cuidam inopi, lignis, & igne carenti, diuinitùs coxisset, eo miraculo sanctitas ipsius peruulgari cœpit; quam plura subsecuta comprobarunt. Cùm enim Comes* Ebolensis *pontem super* Silato *amne ædificare aggressus esset, & quod vna die extruebatur, altera corrueret;* Bernerius *collectâ mendicando pecuniâ, & ex ea lapidibus, & cæmento emptis, fabricam pontis suis manibus aggreditur; ita, vt quod vno die factum, sequenti duplicatum inueniretur. Ponte igitur absoluto, Ecclesiam* S. Petro *Apostolo, prope construxit; cui diu ille inseruijt, donec à Deo vocatus, migraret in cœlum, campanis sponte sonantibus, & suauissimo odore, ex eius corpore, exhalante. Corpus in ea Ecclesia, quam ipse ædificauerat, conditum fuit, vbi oleum quod congelatum erat, diu, & incessanter redundauit. Cùm autem multos annos delituisset, Anno salutis* M. D. LIV. *die* XVII. Kalend. Nouembris *inuentum, ac miraculo pluuia petita, & impetrata confirmatum, honorificè reconditum fuit; & ad eius tumulum etiam nunc Dæmoniaci liberantur. Quapropter ab* Ebolitanis *præcipuo honore colitur hoc die.*

Origo. *Peregrinatio.* *Apud Ebolum cellulâ extruit.* *Miraculum.* *Miraculum.* *Moritur.* *Corporis inuentio.*

Hactenus ex *Lectionibus* in eius officio recitari solitis, Philippus Ferrar. *in Catal. SS. Ital. fol.* 654. Qui in notula addidit: *Quo tempore obierit, ex prædictis lectionibus minimè apparet. Hac autem die, non Natalis, sed Inuentio celebratur.* Et meritò, quia si Natalis dies fuit, ex Ecclesia Vxamensi, XI. Aprilis, vt ex *Iuliano* liquet, quare non *Inuentionem* potius, quàm *Natalem* celebrabit Ecclesia *Ebolitana*. *Cultus dies.*

Quatenus ad *Annum*, in quo ab hac, Sanctus *Anachoreta*, peregrinatione discesserit, scriptores conticescunt. Tantùm *Iulianus* ad Annum M. VI. Christi, eius cultum, apud *Vxamam* consignat. Ex quo facilè credi potest, illum antiquiorem accepisse venerationem. *Annus.*

VXAMA. Quam vni *Exama*, alij *Oxoma*, vt apud *Orosium* Nostrum, & in antiquis Conciliorum Hispaniæ exemplaribus, vt notauit *D. D. Garsi. de Loaysa*, in Notis *ad Concil. apud Lucum fol.* 147. *n* 2. Hieron. de Zurit. *in Not. ad Itinerar. Antonin. fol.* 595. qui apud varios, etiam *Vasanam*, & *Vasaniam* inuenisse fatetur. Quidquid *Nomina vrbis.*

ſcriptitetur, genuina vox VXAMA eſt, vt ex Plinio, Ptolomæo, Floro, Dextro, & Iuliano liquet, & Meus Aulus Halus non inficiatur, *verſ.*322.

Amnis Areua ſua largitus nomina terræ;
Huc Vxama.——

Duæ ciuitates in Hiſpania. *Vbi fol.*66.duplicem huius nominis vrbem conſignaui, vnam, quæ *Argelis in Arenacis*, alteram, quæ & *Barcha in Autrugonibus*. Illa OSMA, iſta *Ordúña* fuiſſe dignoſcitur. Noſtra apud Iulianum, Ciuitas Epiſcopalis, quæ tempore Alphonſi VI. Hiſpaniarum Regis terminos, cum Aucenſi partita, conſignatos hucuſque conſeruat; cuius diuiſionis apographum, apud *D. D. Garſiam de Loayſa*, reperies *fol.*144. De hac vrbe alibi dicemus.

Eboli ſitus. EBOLVM Oppidum *Picentinorum*, in principatu citeriore, *Salerno* proximum, apud *Silarum* fluuium, inter Regionis primarias vrbes, non infimum, & multis præferendum. Hodie EVOLI. De eo eſt mentio apud Ptolomæum, & Leandr. Albert. in ſua *Ital. region.*5.*fol.*297.

B. TRANSLATIO S. IVLIANI *Epiſcopi Conchenſis*. Licet eius Eccleſia de hac celebri Tranſlatione, anniuerſarium non agat feſtum, prout vſus in ſimilibus Vniuerſalis Eccleſiæ conſueuit, aut Inuentionibus, aut Sanctorum Tranſlationibus; attamen, quia hunc adnotatum comperio huiuſmodi commemoratione diem, *Scriptores.* apud Marietam *Hiſt.SS.in Kalend.*& Philippum Ferrar *in Catal.General.SS.fol.*146. & quia tantæ Eccleſiæ in memoriam reuocem, magni Præſulis, & Patroni obſequium hoc, quo, iſta beatitudo fraudata dignoſcitur, hîc & Nos referre curauimus. Acta ex *P.Eſcudero* recenſemus latinitate donata.

ACTA TRANSLATIONIS, B. IVLIANI Epiſcopi Conchenſis; ex antiquis moniment.

Quo tempore tranſlatio? *Anno Domini* M. D. XVIII. *Regnante apud Hiſpanos* Carolo *huius nominis* I. *pòſt Romano Imperatore, illius nominis* V. *Decimi Pontificatu* Leonis, *& infulas Conchenſis Eccleſiæ induente* Raphaele *Cardinali à* Sancto Georgio, *Romanam Curiam ſequente, ſuprema illa Dei Maieſtas, animos Decani, & Capituli illius almæ Eccleſiæ induxit, ad transferendum ſacra* IVLIANI *pignora de humili illo loco, in quo tot ſæculis delituerant, ad egregium, & honorabiliorem, ne ille inæſtimabilis theſaurus, abſconditus diù lateret, & tot gentium deuotio, tanto diutius priuaretur Patrono. Anſam huic tranſlationi, præter dicta, præbuit continua oppidanorum affectio, qua, vt ex ſepulchri glebis puluerem depromeret, ferè totum ſepulturæ* *Qua de cauſa executa?* *ambitum, foraminibus plenum, cauatum, perforatum ad vſque lecticam, redegerat. Puluis enim ex ſacrati corporis contactu, tanta erat virtute præditus, vt ardentium febrium rigores, aqua mixtum, & hauſtum, ſubitò mi-* *Puluis ſepulturæ contra febres.* *raculosè deprimeret, & non tantùm Conchæ, ægroti, ſed etiam Toleti huiuſmodi mirabilia pulueris experiebantur ſacrati. Quibus addebatur ſucceſſibus Dei voluntas, quàm à pluribus annis agnouerat deuotio, aut ſignis, aut miraculis, quibus tranſlatio tanti Præſulis expectabatur. Inter alia, cùm* *Miraculũ.* *iuxta ſepulchri loculum procederet Canonicorum ſupplicatio ſolemnis, euênit, vt quidam de Capitulo inopinatè ad latus ſepulchri expueret, & ſubitò ſputum in faciem emittentis reuerteretur, protinus tanto miraculo perterriti omnes, de eleuando Sanctiſſimo Præſule actitatum, illuſtri equiti* Gomezio *Commiſſarij ad tranſlationem.* Carrillo, *Theſaurario, & Doctori Euſtachio Muñoz Canonico, executionis complementum commiſſum eſt. Qui conuocatis Licentiatis* Petro de los Rios, *&* Ioanne Yañez *Apoſtolicis Inquiſitoribus, ad primam noctis vigiliam diei XVII. Ianuarij, ad ſepulchrum accedentes, cum Scriba, & teſtibus, primum lapidem ſepulchri remouere iubentes, operis finem attentis oculis, & contritis cordibus ſpectabant. Structores ergo vix lapidem ponderoſum admodùm, ad dodrantem eminus eleuarunt, cùm odor ſuauiſſimus omnes* *Odor ſuauis Eccleſiam replet.* *Eccleſiæ angulos compleuit, ex cuius ſignificatione lætabundi, ad alium diem extrahere*

extrahere sacra lipsana, differant. Omnia Capitulo referunt Commissarij, de extrahenda techa ex Sabina arbore corruptionis nescia agitur, exequationi mandatur, & illâ elaborata mirificè, eâdem Noctis horâ diei XXIX. Ianuarij, iterum ad Sepulchrum deueniant Commissarij, Inquisitores, Scriba, testes, & structores, qui in totum, lapidem reuoluentes, integrum Diui IVLIANI *Corpus inuenerant, Cuius facies lucida, & absque corruptione mirabilis, sacra infula noua integra, & lucida conspiciebantur, ac iuxta Corpus palmæ ramulus, taliter virens, ac si eo die de arbore decerperetur. Sacram ergo Cadauer omnem Pontificalem infulam perferebat, Caput mytra auro contexta, iuxta Corpus Pastorale baculum, in manuum contractione calix, ad pedes simpula argentea, & ad pectus crux deaurata erant. In Calicis ambitu hoc carmen:* *Corpus integrum inuenitur.*

Funditur hîc Sanguis, qui toxica dissipat anguis. *Calix hoc lemmate.*

Postea, veneratione præhabita, Commissarij sacris vestibus induti, adiuuantibus Inquisitoribus, sacra extrahunt pignora, & in noua theca deponentes, laudésque Domino nuntiantes, humili veneratione componunt. In cuius rei testimonium, & vt fidelibus prouideretur, digitum cum annulo decerpserunt, vt faciliùs ægrotis inseruiret contactu. Postea supplicatione indicta, per totius Episcopatus terminos, demum hoc die in supremam, & sublimiorem Aram sacra pignora deposita quiescunt, vbi pro inscriptione ad tumulum hæc visitur inæquali carminum strue, Epigraphe. *In Aram maiorem deponitur techa.*

Oues adeste; fugite raptores Lupi;
Abeste latrantes canes;
Egreßus antro ducit ad pastum gregem,
Humaniter Pastor Bonus.
IVLIANVS *ille,* CONCHA, *qui syluis tuis*
Greges opimos pauerat;
Pastúmque vt illis redderet gratum, sibi
Ab ore tollebat cibum:
Oues tamen præterea Pastori suo
Lac candidum, & Lanam dabant.
Sed Pastor almus, munera in gregis sui
Præcepta, vertebat bonum.
Non algidæ illum frigore hyberno, niues,
Non horridæ glacies gelu,
Armato vicit igne, nec rabido canis,
Cum Phœbus vrit omnia;
Quam lætus ibat, sicubi ex humeris suis
Infirma pendebat pecus.
Agnúmve, triste dente corruptum feræ
Matri vocanti reddidit.
Hæc ipsa viuus munera familiaria,
Hæc ipsa præstat mortuus:
Viuentis instar, hodie lustrat gregem,
Vrbémque totam circuit.

Hæc summatim sunt, quæ de eleuatione sacrati corporis, apponenda censuimus, cætera tanquam inutilia respuere cogitauimus. *Ecclesia Conchensis* ad diem *V. Mart. Hisp. April.*

Septembris, ex decreto Iulij III. & Clementis VIII. Summorum Pontificum, *S.Iuliani* commemorationis anniuersarium agit, de quo suo loco dicemus, vbi *Breues Apostolicos* subiiciemus.

PRIDIE IDVS APRIL.

DIES XII.

A. BRACCARÆ *in Gallæcia Hispaniæ* S.VICTORIS *Martyris, qui adhuc ethnicus à* Victore Photino *aduersus Braccaros rebellantes Duce, & Italicensium militum Præfecto ad fidem conuersus, licèt haud baptismali aqua perlotus, pro fide susceptâ tentus, cruciatibus expositus, & strenuus pugil inuentus, proprio sanguine baptismate delibutus, ad gloriosam martyrij palmam intrepidus agonista cucurrit.*

B. *Ibidem* S.SVSANNÆ *Virginis, & Martyris, eiusdem* S.Victoris, *sororis, quæ etiam pro fidei confessione in carcerem protracta, tormentorum assiduitate cruciata, tandem in agone virilis, ad Sponsum victrix præmia petitura concessit.*

C. AQVIS-CELENIS *in tractu Tudensi in Gallæcia Hispaniæ* SS. CRISPVLI, & RESTITVTI *Martyrum, qui pro fidei constantiâ imperante Nerone, martyrij coronas acceperunt intrepidi.*

D. IRIÆ FLAVIÆ *in Gallæcia* S.SVSANNÆ *Virginis, & Martyris; quæ per passionum angustias, ad Sedes æternæ beatitudinis peruenit angustas. Cuius pignora ad Apostolicam delata Basilicam, ibidem honorificè quiescunt.*

E. TARRACONE *in Hispania Citeriori, commemoratio* SS. ZENONIS *Episcopi, &* VERONÆ, *Martyrum: qui tempore Galieni Imperatoris fidei Catholicæ fasces intrepidi submisere.*

F. HISPALI *in Bætica Translatio sacrarum exuuiarum* SS. SERVANDI, & GERMANI *fratrum Martyrum Hispanorum, cuius festiuitas olim solemni annuabatur studio.*

NOTÆ.

NOTÆ.

SANCTVS VICTOR Martyr.] Eius nomen deficit in Martyrologiis antiquis, aut propter ignorantiam agonis, aut propter inscitiam palæstræ; illud Tabulis Ecclesiasticis restituere compellimur instantibus Nostrorum Scriptorum relationibus, & Sanctarum Ecclesiarum *Gallæcia*, & *Portugallia* viuidis monumentis, vt patet ex Breuiariis *Compostellano*, & *Braccarensi*, in quibus *Lectiones*, & *Orationes* de *S. Victore* continentur, & in *Muzarabi*, licèt sine officio. De eo hoc die agunt Martyrologia Lusitanum *P. Lobo*, & Hispanum MS. *P. Higuera*, & Philipp. Ferrar. *in Topograph. SS.* verbo Braccara, *fol.* 14. *col.* 2. Georg. Cardoso *in Offic. SS. Portugall. in hymn. ad Prim. fol.* 3. *col.* 2. sic : A. *Abest ab antiquis Martyrologys nomē. Restituitur ex Nostris.*

——————celebrísque VICTOR
Sacra baptismi proprio fluenta
Sanguine sumens.

Præ omnibus Martyrolog. Roman. hoc elogio: *Braccari in Lusitania* S. VICTORIS *Martyris, qui adhuc Catechumenus, cum idolum adorare noluisset, & Christum Iesum magnâ constantiâ confessus fuisset, post multa tormenta, capite abscisso, meruit proprio sanguine baptizari.* P. Antonius Vasconcell. *in Descript. Portugall. fol.* 441. *num.* 4. isto eruditissimo: *Consimilem gloriam emeritis ducibus est assequutus tyro adhuc adolescens, nisi velis ex hoc capite triumphum dicere pulchriorem: Insignis ille fuit Catechumenus adhuc* VICTOR, *puer* Braccarensis, *qui victoriam, quam sibi inditum nomen felici omine spondebat, animo concipiens, tyrannum contempsit imperantem, vt florida Idolo munuscula offerret adoraturus; & in tanta virtutis præmium sui sanguinis lauacrum meruit.* Emanuel Campos *in Relation. Reliquiar. Vlyssippon. fol.* 100. sic: *Et ex Romano. Ex Scriptoribus.*

——————————— *Ardens*
Ignescit radijs VICTOR *cui palma triumphi,*
Purpuream intexit chlamydem. ————

Alius etiam *Poëta Lusitanus*, illâ, quâ fruuntur illius nationis Versificatores dulcedine, hoc S. Martyri, apud eundem Campos *fol.* 381. obtulit decastichon.

D. VICTORI MARTYRI BRACCARENSI.

NOndum carnifices in te tormenta parabant,
Armabántque feras in fera bella manus.
Cum iam victor eras VICTOR *tremefactáque nomen,*
Horrebat Ditis turba nefanda tuum.
Ecce tibi insolitos designant astra triumphos,
Errat & ante tuos Mors quoque victa pedes.
Ergo VICTORIS *sacrum, & memorabile nomen*
Te minus est, maius nomine quære decus.
Quære alios titulos laudum argumenta tuarum,
Ante tubam, & pugnam (res noua) VICTOR *eras.*

De eo post relatos scripsere P. Truxill. *in Thesaur. Concionat, fol.* 855. *tom.* 2. Ambrос. Moral. *Histor. Hispan. lib.* 10. *cap.* 14. *fol.* 364. *col.* 2. P. Mariet. *Hist. SS. Hispan. lib.* 2. *cap.* 40. D. Franc. de Padill. *Histor. Eccles. Hispan. tom.* 1. *Cent.* 4. *cap.* 19. Garibay *in Comp. Histor. lib.* 7. *cap.* 44. *tom.* 1. D. Maur. Castell. *Histor. Compostell. lib.* 1. *cap.* 23. Ioann. Marian. *lib.* 4. *Histor. Hisp. cap.* 14. Vasc. *in Chron. Hispan. Ann.* 306. *Ex Chronicis.*

CCc 4 Henric.

Henrric. Cocus *MS. in Chron. Ann.* 300. Damian. Goes, *in ſua Hiſpan.* Eduard. Nunn. *in Deſcript. Portugall. cap.* 40. *fol.* 72. Ludouic. ab Angel. *in Viridar. Portugall. cap.* 5. *fol.* 31. P. Biu. *ad Dextr. in Chron. Ann.* 300. *Comment.* 4. *num* 8. *fol.* 351. Iulian. *Aduerſ.* 391. *fol.* 86. D. Roder. de Acuña *Hiſtor. Braccar. tom.* 2. *fol.* 171. & alij plurimi è quibus hæc Acta compagino.

ACTA S. VICTORIS BRACCARENSIS Martyris; ex Breuiar. Braccar. & Compoſtell. & alijs Scriptor.

Origo.

Militiam appetit.

Victor Photinus aduerſus Braccaros Dux.

VICTOR *in* Gallæciæ *urbe primariâ*, Auguſtâ Braccarâ *oriundus, cum adhuc eſſet puer, ad militiæ tyrocinium vi ſua animus ducebatur; ſed à fratre* Cucufate *repreſſus, & à Sorore* Suſanna *impeditus, aliquantulum à propoſita inclinatione remotus, intra viſcerum inuolucra fomitem militaris ſpiritus retinebat. Sic* VICTOR *aliquanto tempore vitam tranſegit, donec rebellantibus* Braccarorum *aduerſus* P.R. *Dynaſtis, arma moueri, inſignia præparari, & alia ad bellum neceſſaria miniſtrari cæptum ab ipſis eſt.* Claudius *ergo* Nero, *qui tunc Romanum tenebat imperium, eiuſque habenas moderabatur crudelis, cognitâ* Braccarenſium *Procerum ſubleuatione,* Victorem Photinum *Italicæ urbis in* Bætica *Præfectum, & Legionis* Italicenſis *Dux, validâ Romanorum, & auxiliarium manu, protinus* Braccaram *aduerſus rebellantium inſolentiam feſtinare conſtituit. Acceptis verò Auguſtalibus literis,* Victor *Legiones, & militem ex* Bætica, *& Romanum adſumens, ſignis explicatis* Braccaram *horribili ſtrage inſultat, capit, & rebelles, ſtrenuâ felicitate deuicit. Inter horum accidentia tumultuum,* VICTOR *qui accolarum, & dynaſtarum, tam miles effectus, ſequebatur errorem, inter alios, quos Romani milites in ſeruitutem redegerant, & Præfecto obtulerant, unus erat; quem cùm Dux inſpectaſſet, & adoleſcentulum decore, & ſtrenuitate præditum vidiſſet, illum ab alijs, ruptis compedibus, ſeparari, & coram ſe adduci, præcepit. Tunc miles in præſentia Præfecti conſtitutus,* Photino *quidquid de proſapia, parentibus, fratribus, & re domeſticâ, interrogatus dubio procul humili verecundiâ reſpondit. Tunc Præfectus accerſitis fratre & ſorore, & de Chriſti veritate colloquentes, nam ipſi Chriſto nomina dederant, cuius fidem amplecti* VICTOR *ab incunabulis recuſauerat, illum* Photinus *redarguens, & fratris, ſororiſque felicitatem exprimens, Deorum vanitatem demonſtrans, & præmium æternæ beatitudinis promittens, ſi Chriſti miles effectus, eius lauacrum fideliter amplectens, ad uſque vitæ exitum ſtrenuè perſeueraret in fide, adoleſcentem deuicit, &* VICTOREM *appellauit, qui ſe Chriſto nomen dare ſpondens, fratri, & ſorori traditus fidei incepit percipere rudimenta. Poſt hæc cùm* Photinus *ſedatam conſpectaſſet prouinciam, &* Seruium Galbam *Præfectum* Gallæciæ Braccaram *accedere cognouiſſet,* Italicam *reuerſus eſt, ubi propter fidem Romam delatus ibidem cum alijs martyrium Nerone ſæuiente peregit.*

Conuertitur à Photino.

Galba Proconſul Hiſpan. Citerioris Ambarualia ſacra Braccaræ indicit.

Victor Gentilium ſacra contemnit.

VERUM Seruius Galba *adueniente (anno ſequenti poſt eius Præfecturam) menſe* Aprili, *quo ſacrificia, quæ* Ambarualia, *&* Suilia *dicebantur* Cereri, *&* Syluano *quotannis populus floribus coronatus agebat, quòd illo* Aprilis *menſe ſolemnius feſta prælibata celebrarentur decreuit. Igitur ſuperſtitioſa* Braccarenſium *caterua floribus redimita purpureis; & ſimulacris onuſta profanis, ad campum læta progrediebatur, & audax; cum ecce* VICTOR *accurrit, & fatalem pompam deplorans, illorum vanitatem ex imò cordis ſcrinio reſpuebat. Vix in ipſo itineris exordio ad* Aliſtem *fluuium, qui iuxta urbem* Braccaram *præterlabitur, Catechumenum turba adinuenit inſana, quando illum, ut Idolis flores libet, & ipſis adhærens roſis circundatus, turbam augeat, compellere fatigantur. Aſt* VICTOR *ſtrenuâ libertate,*

libertate, nec illorum voluit adhærere lætitiæ, nec permiſit floribus ſe redimiri, quinimò tot ſtrenuus illorum increpauit errores, quouſque in illum violenta prorumpens caterua, S. Militem ad Seruium Galbam *Præfectum, veloci pede perducunt. At Præſes cauſam capturæ à ſatellitibus ediſcere non fuit opus, quia* B. Catechumenus *altâ repetebat voce :* Chriſtianus ſum, & neminem adoro niſi Dominum meum Ieſum-Chriſtum. *Tunc Præſes iuſſit illum crudeliſſimè verberari, & multis alijs acerbiſſimis cruciatibus affligi, ſed ipſe in fide conſtantiſſimus, perpetuis clamoribus iterabat :* Chriſtianus ſum, & non negabo Dominum meum Ieſum-Chriſtum. *Cùm autem eius conſtantiam demiraretur* Galba, VICTOREM *extra vrbem perduci, & ibidem ſecuri percuti imperitauit; quod ſatellites perfecère; & quia adhuc erat Catechumenus in proprio ſanguine volutatus baptiſmatis Sacramentum, & victoria coronam* VICTOR *propria in mortalitate ſuſcepit die* XII. Aprilis, *Anno Domini* LXIX. *Poſtmodùm datâ Eccleſiis Orbis pace, in ipſo martyrij loco Templum celebre fuit extructum, & ipſi S. Agoniſtæ dicatum, quod adhuc aliquot ſacra lipſana ipſius, &* SS.Cucufatis, *&* Suſannæ *fratrum cuſtodire creditur; nam alia in* Compoſtellanam *Apoſtolicam Baſilicam tranſtuliſſe* D. Didacum Gelmirezium *eius Archiepiſcopum Portugallenſium, & Gallæcorum opinio eſt ad gloriam Dei qui viuit, & regnat in ſæcula.*

Comprehenditur. — Eius conſtantia. — Coronatur. — Templum eidem dicatum.

Hactenus ACTA, quæ tantummodo in Anni conſignatione probationem deſiderant; nam de Conuerſione à *Victore Photino* facta, affatim diximus ſupra *hoc Tom. 2. die XX. Martij, lit. B.* & infra cumulatiuè dicemus. Omnes penè Scriptores in prolegomen. ſuperiùs nominati S. VICTORIS paſſionem ad Annum CCC. vſque ad CCCVI. reiiciunt. Nonnulli *Garibay*, & *Vaſſæs* authoritate ſuffulti, qui in hoc tempus agonem Martyris reiecère. Cæteri recentiores *Dextri* aſſignatione Anno CCC. rapti Antiquorum veſtigia ſectantes etiam in hanc ſententiam deuenère. Quorum de hac nihil miror ſententiâ, quia cùm *Dextrum* non intellexiſſent, & Antiquorum opinio præualeret, illam inſecuti, in foueam ceciderunt. Hoc me in admirationem traxit, quòd *P. Biuar.* & *D. Roder. de Acuña*, in hocce præcipitium moniti perlaberentur. Sed ne iſtorum error aliis anſam præbeat errori, breui pertingemus calculo veritatem, ſequentibus fundamentis.

Probatio conuerſionis remiſſiuè. Quo Anno paſſus?

PRIMVM, quia (vt inquiunt Ludouic. ab Angel. *in Viridar. cap. 5.* & Bernard. Brit. *Monarch. Luſitan. 2. part. lib. 5. cap. 7.* Seruius Galba, qui martyrem coronauit, Citerioris Hiſpaniæ Proconſulatum abs Nerone ab Anno LXII. ad LXX. Chriſti ſuſcepit, & Prouinciam *Gallæcia* ſedauit, ergo S. VICTOR, qui ab eo coronam accepit, non potuit ad tempora *Diocletiani* peruenire.

Error Noſtrorū probatur I.

SECVNDVM, Nam ſi *Victor Photinus* Italicæ vrbis in Hiſpania Præfectus VICTOREM *Braccarenſem* in ſubleuatione conciuium tumultuantem fidem edocuit, & ille tempore *Neronis* ad Annum Chriſti LXIX. martyrio ſublatus eſt, vt inquit Iulian. Toletan. Archipreſbyter *in Aduerſar. num. 391. fol. 86.* his verbis: Victor *cognomento* Photinus, *Dux* Italicæ *Ciuitatis* Hiſpaniæ Bæticæ, *filius* Samaritanæ *dicta* Photinæ :::::: *prope* Braccaram *populos rebelles contra* Claudium (Neronem) *Cæſarem delebat : ibi adoleſcentem militem, nomine* VICTOREM *ad fidem conuertit, qui non multo poſt mortem eiuſdem* Victoris Photini, *adhuc Catechumenus, pro fide Chriſti patitur, XII. Menſis Aprilis :* ergo perperam Scriptores relati, paſſionem *S. Catechumeni* ad tempora *Diocletiani* reiiciunt.

Probatur II.

TERTIVM, quia non obſtat conſignatio à *Dextro* facta Anno CCC. de *Suſanna*, & *Cucufate* S. Martyris fratribus, ibidem enim haudquaquam de paſſione, ſed de annuana feſtiuitate, ſiue anniuerſaria memoria agit, vt infra dicemus.

Probatur III.

Ex quibus manifeſtò liquet S. VICTOREM neqnaquam ad perſecutionem *Diocletiani* peruenire potuiſſe; hincque errorem percepiſſe *Biuarium*, & *Acuñam*, ſequentes Antiquorum veſtigia Noſtratium, maximè viſis *Iuliani* periodis, quibus ſæculum conuerſionis *S. Catechumeni* cognoſcere valuerunt. Hanc meam opinionis

Roboratur hæc ſententia ex Neotericis.

nionis euidentiam, licet non ſic fundamentis vallatam tenuere Brito *d. lib.* 5. *c.* 7. Ludouic. ab Angelis *d. c.* 5. & Bernard. Epiſcopus Lodouienſis, ab eo relatus.

Non fuit tranſlatum eius Corpus Compoſtellam.

CIRCA Tranſlationem ſacrarum exuuiarum *Braccarà*, Compoſtellam à *D. Didaco Gelmirezio* confectam, ferè omnes ſuperiùs relati Scriptores illam abſque controuerſia fatentur. Nos de pignoribus S. VICTORIS dubitamus, quia *Hiſtoria Compoſtellana*, nec *Irienſis MSS.* tale quid ſcribunt, nec *Molina* in Antiqnitatibus Gallæciæ *Carmin.* 7. vbi tantum de exuuiis *SS. Fructuoſi, Siluestri, Cucufatis*, & *Suſanna* agunt, & de VICTORE altum ſilentium.

B. S. SVSANNA Virgo, & Martyr.] Soror illuſtriſſima fuit *S. Victoris Catechumeni* cuius acta proximè delibauimus, vt autor eſt Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 300. his verbis, licèt diminutis: *In Territorio Braccarenſi* (floret) S. SVSANNA *Virgo, & Martyr pro fide paſſa*; SOROR S. Victoris *Martyris* Catechumeni. Vbi *P. Biuar. in Comment. num.* 8. *fol.* 356. qui eius paſſionem in hunc diem ex *Martyrologio Luſitano* appingit, licèt ſecutus *Vaſſeum*, eius agonem ad Annum CCCVI. conſtituat, quorum computum, quanto erroris calculo laboret, ſuperiùs *in Not. ad Acta S. Victoris fratris* probauimus triplici capite. De ea agunt, quotquot de *S. Victore* fratre ſcripſere, nemine dempto, quorum repetere catalogum prolixum. Eius Acta tàm ex fratris actionibus, quàm ex aliquorum relationibus aſſuemus.

Error Biuary.

ACTA S. SVSANNÆ, VIRGINIS & Martyris, Braccarenſis; ex Var. Scriptoribus.

Origo.

SVSANNA *Virgo nobilis ex vrbe* Braccarenſi *Augusta* Gallæciæ *Metropoli, oriunda, fratrem habuit* Cucufatem *qui ad fidem Christi* S. Baſilæi *ipſius Ciuitatis Epiſcopi, poſt apud* Ambratiam *in* Vettonia *Martyris, prædicationibus conuerſus, ſororem itidem ad ſuam opinionem attraxit. Illa igitur ſacro baptiſmatis fonte delibuta*, Victorem *fratrem, natu minimum, quem nutriebat, ſalutis æternæ charitate ſuccenſa, nihilominus Christianum efficere ſatagebat. Sed adoleſcens ætatis vigore, & ferventis ſanguinis furore ineſcatus, potius ſecularis militiæ cingulum, quàm Christianæ veritatis ſagulum induere in votis erat: idquecirco nec fratrum perſuaſionibus, nec pientiſſimæ* SVSANNÆ *ſororis lachrymis ad fidei comprehenſionem traduci valuit; donec diſponente Deo, licet vltimus in fide, primus in eius confeſſione fuit, per martyrij celebris perpeſſionem. Peruenerat quippe* Braccaram Seruius Galba *Citerioris* Hiſpaniæ *Proconſul, ob ſeditionis ſubleuationem* Braccarenſium *ſedandam, & accedente* Aprilis *Menſe, quo* Cereri, & Syluano Ambarualia, & Suilia *feſta fiebant*, Victor *iam Catechumenus illa paruipendere, nec ſacrificulis adhærere quiens, à turba comprehenſus, & Proconſuli præſentatus poſt dira ſupplicia martyrio coronatus occubuit. Agnouerat* Seruius *Martyris familiam, & ad tribunal conuocatis* Cucufate, Torquato, & SVSANNA *fratribus, illos in carcerem, iſtam ad verbera, niſi à fide deſiſterent, condemnauit. Futile erat ſatellitum flagellum ad constantiam* Virginis *deliniendam, ideòque priùs illorum robusta membra iacnerunt, quàm iſtius delicatæ retroceſſere compagines. Antea verberum nerui confracti ſunt viſi, quam* Virginis *virilitas confracta dignoſcitur. Igitur* Seruius Galba SVSANNÆ *fortitudinem animi contuens, nec ſpectans promiſſionibus, aut rigoribus constantiam in fide poſſe penitus deliniri*, Virginem *vrſo ferociſſimo porrigi iuſſit, qui ad eius pedes prouolutus Martyri reuerentiam exhibuit. Quo miraculo indnratus Proconſul, ne cæteris fidelibus ſolatium hæc portenta præberent, extra vrbis mœnia* Virginem *perduci, & eius iugulum ſecari præcepit. Quod vt factum* SVSANNÆ *ſpiritus ad gloriæ triumphum acceſſit immortalem*, Pridie Idus Aprilis, *Anno Domini* LXIX. *Imperante Claudio Nerone Romanorum Imperatore. Eius ſacra pignora, vnà cum lipſanis S.* Victoris *fratris, noctu collegit* S. Syluester, *& honorifico loco collata, aliquot ſecula iacuernnt, donec datâ Eccleſiis pace*, S. Victori *Templum à fidelibus* Braccarenſibus *erectum, & in eo ſingulari*

Victorem fratrē Christianum efficere cupiebat.

Comprehenditur cum fratribus.

Vrſo ferociſſimo eijcitur.

Coronatur.

Tumulatur cum Victore fratre.

gulari reuerentiâ collocatus fuere, quousque D. Didacus Gelmirezius *illa* Braccarâ, Compostellam *transtulit Anno M. C. II.* — *Transfertur Compostellam.*

Hæc sunt ACTA, quorum primam partem ex Iulian. *Aduers. num.* 391. *fol.* 86. secundam ex Ludou. ab Angel. *in Viridar. Portugall. c.* 5. *fol.* 31. desumpsimus. Cætera communia sunt cum *S. Victore* fratre, cuius Acta, & in eis *Notas* consule.

BRACCARA. *Gallaecia* olim Metropolis, nunc *Portugalliæ* Archiepiscopalis Sedes. De ea Primam, circa eius antiquitatem, diximus sententiam *Tom.* I. *die I. Februarij fol.* 16. & pro secunda Lectores ad hunc locum remisimus hoc *Tom.* 2. *die IX. huius Mensis lit. A.* & vt debitum soluamus, sciendum est, quòd plures non contemnendæ eruditionis Scriptores asserunt BRACCARAM à *Græcis* conditam, eo tempore, quo de *Bello Troiano* dilapsi *Diomedes, Teucrus, Aitur*, & *Amphilocus*, litera *Gallaecia* penetrantes, illius regionis inhospita tescua, expiatis vepribus, & tuguriis, domibúsque extructis plana fecere. Cui opinioni fauet Plin. *lib.* 4. *c.* 20. hac serie: *A Celenis conuentus* Braccarorum, *Heleni, Gronij, castellum Tyde, Graecorum Soboles omnia*; Sil. I. — *II. Opinio de antiquitate Braccaræ.*

Et quos nunc Grauios *mutato nomine* Graium
O Eneæ misère domus, Ætolaque Tyde.

Subscribunt Staz. in *Antiqu. Lus. cap.* 80. Acuñ. *Hist. Bracc.* I. *p. cap.* I. *num.* 4. vbi plures refert.

SS. CRISPVLVS & RESTITVTVS Martyres.] Eorum nominum alios Martyres percipimus *die X. Iunij*, sed illos apud *Carauaccam* in confinio *Baticæ* probauimus *infra Tom. 3. die assignato lit. A.* ex *Iuliano*, & tempore *Diocletiani Ann. CCC. I.* ex *Flauio Dextro*. Ast isti, quorum hoc die anamnesim coagulamus, ab illis plurimum differunt. I. in loco agonis, quia illi apud *Carauaccam* circa Bæticam; isti apud *Tudem* in Gallæcia II. in die, nam illi *X. Iunij*; isti *XII. Aprilis.* III. in Anno, quòd illi *sub Diocletiano*, Anno CCCI. isti sub *Nerone* Anno LX. velcirciter. IV. in ordine RESTITVTI, cùm ille *Presbyter* consignetur; & istorum nullus clericalis inueniatur infula subsignatus. Quid ergo? Credemus hosce Martyres homonomiâ diuersos? Optimè. Passim in Martyrologiis similia intuemur exempla. Aliqua cupis? En tibi do. *Die VII. Iuly* Martyrologium Romanum refert *Romæ* passos, *Claudium, Nicostratum, Castorium*, & *Symphorianum*; eosdem itidem *Romæ* occisos refert *die VIII. Nouembris.* Quis dicet esse diuersos? Audi Baron. *in Not. ad diem* 7. *Iuly*. asserentem: *Diuersi omnino sunt hi ab illis Martyribus, qui iisdem nominibus appellati, eorum Natalis agitur inferius ad* VI. Idus Nouembris, *prout ipsorum Acta declarant.* Vides Quatuor Martyres iisdem nominibus vocatos, simul occisos, eadem vrbe, & tamen diuersos propter dierum, & annorum palæstram? Ergo quid mirum, si hæc etiam nostris acciderit Agonistis. Sed ne hic pedem figas. En *Tres* æqualibus nominibus *Martyres*, & tamen locis, & annis distinctos, videlicet *Theophilum, Saturninum*, & *Reuocatam*, quorum alij apud *Vianam*, Anno CC. LX. alij apud *Argenteolam* Anno CCC. passi in *Hispania* dignoscitur, vt probauimus *die VI. Februarij. Tom.* I. *fol.* 54. Hinc elicies, nil noui Nos inducere, si hosce Martyres longè diuersos fuisse ab aliis, quos infra *die X. Iunij* referemus. De istis audi peruetustum *Martyrologium MS. Placentinum*, apud Sandoual. *Hist. Tudens. fol.* 17. dicens: *XII. Aprilis. In Tractu* Tudensi *ad* Aquas-Celenas, SS. CRISPVLVS, & RESTITVTVS *sub Nerone passi.* Suspicatur *Sandoualius* hos *Tudenses* Martyres esse, quos *Martyr. Rom.* assignat *d. die X. Iunij*, eo quod de *Neroniana* meminit persecutione, sed translationum, & inuentionum ambagibus, imò & Ecclesiarum Officiis diuersis, mutatos dies in consignatione Natalium Sanctorum hanc induxisse discrepantiam fateri necessum est. Acta istorum prorsus periêre, sic ea poterunt extendi. — *Horum nominum alij Martyres, sed diuersi.* — *Passim hæc homonomia in Martyribus.* — *II. Exemplum.* — *Scriptores de hisce.*

ACTA SS. CRISPVLI, ET RESTITVTI
Martyrum Tudensium apud Aquas Celenas.

CRISPVLVS, & RESTITVTVS *in* Gallæciæ *Prouincia, quà antiqui* Celeni, *ex* Græcorum *originibus, vrbes condidere percelebres, ad* — *Origo.*

Aquas

Aquas-Celenas, *in Territorio* Tudensi, *nati, & progeniti, fortè* Epitatij *istius vrbis praelarissimi Antitistis I. fidei regulam pradicantis, sermonibus conuersi, nomina Christo dedêre. Cuius Euangelicæ doctrina veritas sic vtriusque cohæsit visceribus, vt pro illa vitam offerre constanter quilibet non dubitaret strenuus. Erat fidelibus tunc feruens ad confessionem Religionis assumptaplacitum, quo suffulti Christicola facilè ad coronam accurrebant intrepidi, vt opere complerent, quod orationibus flagitarant. Ergo* CRISPVLO, & RESTITVTO *suum aduenit æstuantis desidery efficaciter complementum, nam exurgente impy* Neronis *per totum vrbis, & orbis circulum persecutione, quâ deleri Christianum contenderet radicitus nomen,* Hispanias *effera huius exterminy aduentauit crudelitas, cuius Ethnici furore commoti permisso, haud Iudicum dira lues frementium Gentilium aduersus Christi asectas, vt illos per cruciatuum angustias, morti traderet, spectabat assensum. Nulla ergo sanguinis coniunctio, nullum amicitia vinculum, nulla accolatus, & ciuilitatis affinitas rabiem furoris implacabilis detinebat, quinimò sanguinis coniunctionis, & amoris iuribus conculcatis ad cruentam parentum, amicorum, & concitum extinctionem pertinaci spiritu properabat. Sic SS. Martyres, quos Gentilium odium capitali insectabatur inuidia, pro fide tenti, in carcerem coniecti, & tormentis expositi, tandem per confessionis constantiam, per cruciatuum palæstram, præmium promeruêre inclyti Martyres indeficiens,* Pridie Idus Aprilis *Anno Domini* LX. *imperante Nerone.*

Neronis persecutio.

Comprehenduntur.

Coronantur.

Ad maiora se extendere specimina non valuit Actorum relatio, quia antiquorum sic est abbreuiata notitia, vt prorsus res gestas Martyrum intercluderet. Nec quid notemus, agnosco, nam cùm sæpesæpius Historia nobis Acta penuriosa transmittat, quid mirum, si pauperem Lectoribus ecphrasim propinamus? Tempus maiora postmodum propalabit encomia; debeatur mihi studioso nomina Martyrum è tenebris eruta signanti, diémque & annum agonis feliciter consignanti, nam ad vlteriora pergo.

Topographia. AQVÆ-CELENÆ. Vrbs antiquissima *Gallaciæ* in Territorio *Tudensi* sita, quam, vt suspicatur Sandoual. *d. fol.* 17. sitam fuisse, in loco, qui nunc VAÑOS DE CALDAS dicitur prope oppidum *Melgazo*, inter Cœnobium *Melonense*, & *Minium* flumen. Duas huius nominis vrbes fuisse, alteram propè *Bracaram*, vbi nunc oppidum *Fanum*, alteram in principio Conuentus *Bracarensis*, in litore, contendit Iulianus Petr. *in Aduers. n.* 392. *fol.* 86. Ast Roder. Caro in *Not. ad M. Max. in Chron. Ann.* 448. *fol.* 164. *col.* 2. *lit. A.* esse oppidum quod hodie *S. Iorge de Codeseda* dicitur, profitetur. P. Biu. *ad Dextr. in Chron. Ann.* 300. *Comment.* 2. *n.* 9 esse *Aquas-Calidas*, hodie *Orense*, disceptatur: licet in *Not. ad Max. d. Ann.* 448. *n.* 6 *fol.* 161. mutato consilio, illius existentiam ad Oppidum *Caldas* in Territorio *Lucensi* reiiciat. Quidquid sit *Sandoualio* adhæreo, qui illius regionis terminos, cùm fuisset *Tudensis Episcopus*, perlustrauit. QVATENVS ad Conditores liquet ex Plin. *lib.* 4. *c.* 20. Græcos fuisse, ab eísque originem trahere, illiús isthæc verba suadent: A *Celenis conuentus* Braccorum, *Helens, Grony, Castellum Tyde, Graecorum soboles omnia.* Cætera, quæ ad hanc vrbem spectant dicemus *Tom.* 6. *die XIX. Nouembris*, in Actis *S. Axa Martyris*, & sociorum.

Scriptorum varietas.

Conditores.

D. S. SVSANNA Virgo, & Martyr. Iriensis.] Cum admirabilis sit Deus in sanctis suis, vt quid non fatebimur, illius admirabilem prouidentiam extendere voluisse, ad plures vnius nominis diuos, qui propter eius fidem Catholicam defensandam ceruices iugulo præbuere? Passim hoc homonymon in Scriptoribus Martyrologiorum inuenisse meminimus, in quibus nulla tauthologia contrahitur; ergo quid inde, si duas SVSANNAS, hásque diuersas vno eodémque die, licèt diuersis temporibus, & vrbibus, passas contendamus? De *Bracarensi* sorore *S. Victoris* iam egimus supra *hoc die lit. B.* cuius agonem tempore *Neronis* ad Annum LXIX. prout fratris consignauimus. De *Iriensi* hoc etiam die agimus, quia sic in *Martyrologio Lusitano* à P. Lobo confecto, compulsatur. Illas discriminauit Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 300. his verbis: Iriæ-Flauiæ *in* Gallæcia S. SVSANNA, *Virgo,*

Martyrologia.

Virgo, & Martyr. vbi P. Biuar. *in Comm.* 1. *n.* 15. *fol.* 126. & Roder. Car. *fol.* 100. *col.* 2. *lit.* Z. qui planè fatentur, hanc à *Braccarensi* diuersam. Erat enim hoc fœminis commune *Hispanis* agnomen illo seculo, de quo testes sunt præclarissimæ Virgines, martyrio coronatæ, & pia morte defunctæ. Iam vidisti *Susannam Braccarensem*: expecta paulisper. Die XI. Augusti, *Susannam* neptem *Serena Augusta Hispana* circunspice. Die XXV. Octobris, aliam *Susannam* Segobiensem attende. Die XIX. Aprilis, *Susannam* famulam Dei in agro *Hispalensi* apud Rod. Car. *ad Dextr. fol.* 101. cognosce. Hinc deprehendes quantum hoc honorarentur agnomine *Hispanicæ* fœminæ. Quæ hæc fuerit, aut quo martyrij genere occubuerit, cæteræ verò eius actiones quales, nec scriptores exprimunt, nec Ecclesiæ *Iriensis* monimenta demonstrant; qua propter sola nominis commemoratione contenti, ne tantæ Virginis, & Martyris memoria depereat, ad alia pergemus.

Susanna nomen Hispania fœminis commune.

NEQVAQVAM sententiæ P. Biuar. *d. n.* 15. asserentis, huius S. SVSANNÆ corpus *Compostellam* fuisse delatum, adhæreo: nam Scriptores omnes *Hispani* tantùm de translatione *Susanna Bracarensis* egère: cuius lipsana in Ecclesia propria asseruantur. Nec me mouet inuentio Reliquiarum à *D. Augustino de Castro* Archiepiscopo Bracarrensi facta in Ecclesia *S. Victoris* fratris, quia *Gelmirezius* Compostellanus procul dubio aliquas relinquere in vrbe ob Ciuium pietatem, & deuotionem potuit, quas postmodùm *D. Augustinus* inuenit, quod nec erit contra communem Scribentium sententiam, nec aduersus Ecclesiarum *Gallaciæ*, & *Portugalliæ* traditionem. Hinc deprehendimus, eius Sacra pignora, sicut & aliorum Sanctorum illius ciuitatis, occulta iacere, donec Deus, diem pro eorum inuentione consignet.

Illius pignora nequaquam Compostellam translata.

E.

SS. ZENON Episcopus, & VERONA Martyres.] Fatigantur propediem Scriptores *Gotholani* circa horum Sanctorum anamnesim, dubij de eorum passione, déque ZENONIS infulæ tempore; & licèt pro se habeant *Reginonem in Chron. lib.* 1. *Ann.* 209. dicentem: *Valerianus cum Galieno regnauit annos XV. Horum temporibus coronantur in* Hispania *vrbe* Tarragone, VERONA, *&* ZENON *Episcopus, & confratres. Fructuosus Episcopus, Augurius, & Eulogius Diaconi.* & Marian. Scotum *in Chron. lib.* 2. *Ætat.* 6. *Ann.* 268. asserentem: *In* Hispania *vrbe* Tarraconâ, VERONA, *&* ZENON *Episcopus*: adhuc quasi æluri per ignitum carbonem adintrant, sic Ludouic. Pons Icart. *Hist. Tarracon. cap.* 41. *fol.* 252. *col.* 2. Ieronym. Pujad. *Hist. Cathalon. lib.* 4. *c.* 58. *fol.* 199. qui felicius in hanc est arenam ingressus. Deterrebat illos *Romani Martyrologij* elogium dicentis: *Verona passio* S. ZENONIS *Episcopi*; hinc credentes irrepsisse mendum apud *Reginonem*, & *Scotum*, qui loco vrbis *Verona*, nomen *Martyris* apposuêre, ab eis deficere sunt conati. Sed saluâ *Gotholanorum* Scriptorum huiusmodi pace, retinenda est Lectio *Reginonis*, & *Scoti*, nam in *Martyrologio Hispano MS.* P. Higuera hoc die isthæc referuntur verba: *En* Tarragona *Ciudad antigua de* España *los Santos Martires* ZENON *su Obispo, y otros compañeros, a quien viendo padecer* Verona *illustrissima muger, se conuirtio a la fe, y fue con ellos martirizada por* Emiliano *Presidente, imperando* Galieno. *Su fiesta se celebra a* XII. de Abril *por caer en aquel dia otro* S. Zenon *martir de* Verona. Quæ verba Latinè sonant. TARRACONE *antiquissima vrbe* Hispaniæ S. ZENON *eius Episcopus cum Socijs, quorum passionem* VERONA *illustrissima fœmina contuens, ad fidem conuersa cum illis martyrium consummauit* Æmiliano *Præside*, *&* Galieno *Imperatore. Eorum annuntur festiuitas* Pridie Idus Aprilis, *eo quod eadem die alterius* ZENONIS *Martyris* Veronensis *colitur memoria.* Quæ consonant cum Actis, quæ de ipsis referuntur in peruetusto *Legendario MS.* vitellinis tabulis exarato *Segobiensi*, quod beneficio *Didaci Colmenares*, ipsius vrbis *Historiographi* accepi, & sunt tenoris sequentis.

Scriptorum Gotholanorum ignorantia circa hos Martyres.

Scriptores.

ACTA S. ZENONIS, EPISCOPI; VERONÆ, & Sociorum Martyrum Tarraconensium, ex MS. Leg. Segobiens.

APVD Tarraconam *Natale* S. ZENONIS *eius Episcopi*, Veronæ *illustrissima fœmina & sociorum Martyrum.* Galienus *cum in exordio eius*

Natales.

imperij grauiſſimè perſequeretur Chriſtianos, apud Hiſpaniam *quendam* Æmilianum *Præſidem poſuit, qui* Tarraconam *vrbem ingrediens, quantocyus exquirere Chriſtianos propoſuit, cui primi oblati ſunt* Z e n o *Epiſcopus, & alij Chriſtiani fide, ac religione inſignes, quos ille poſt veritatis confeſsionem in carcerem detruſit.*

Zenon Epiſcop. comprehenditur.

Poſt aliquot dies coram ſe ad tribunal illos accerſiri iuſsit, & cùm fidem negare noluiſſent, ipſos in equuleo extenſos, neruis primum, pòſt fuſtibus cædi mandauit. Quo facto iterùm in carcerem deduci, vt fame, & fœtore conſumpti perirent, diſpoſuit.

Torquentur.

Sed cùm nihil eis noceret carceris rigor, & famis neceſsitas, quia Dei auxilio recreati, in odorem fœtor, & in ſatietatem conuerteretur inopia, quotidie robuſtiores, & lætiores cuſtodibus videbantur. Hoc Æmilianum *non latuit, & ideò iterum Martyres ad quæſtionem vocauit, quorum ora lapidibus contudi, facibus ardentibus lumbos cremari, & laminis ignitis membra peruri iuſsit. Ad hæc omnia intrepidi Martyres ſteterunt.*

Iterum.

Hoc vbi cernebat V e r o n a *mulier nobiliſsima, poſt abſolutam quæſtionem, acceſsit ad Epiſcopum ſecretò, occaſione eius plagas abſtergendi, vt moris erat pijſsimis fœminis, & eum vehementer adiurauit, vt illi renunciaret, quam remunerationem ipſe, & cæteri Chriſtiani, talia pro Deo ſuo patientes, ſpectabant. Cui* Z e n o *ſe erigens, Spiritu Dei imbutus, dixit:* immarceſſibilem coronam, quam Deus promiſit confitentibus ſe coram hominibus, quando ipſe confiteatur nos coram Patre ſuo, expectamus: Æternam vitam, in qua iuſti fulgebunt ſicut Sol, & centuplum accipient, expectamus: Regnum cœlorum, quod nobis diſponit Chriſtus, ſicut illi diſpoſuit Pater eius, vt edamus, bibamus ſuper menſam ſuam, ſpectamus: Et alia plura expectamus, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. *Tunc* V e r o n a: Quare, ſi elegit vos, patitur, vt has preſſuras patiamini? *Cui Epiſcopus:* Nam dixit nobis: Plorabitis, & flebitis vos, & mundus gaudebit, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis: ideò licèt nunc has preſſuras patimur, cùm gaudium indeficiens ſpectemus, in Domino lætamur, qui triſtitiam noſtram in gaudium conuertere promiſit.

Verona cõuertitur.

Audiens hæc V e r o n a *ſtatim exiliens, ſe eſſe Chriſtianam faſſa eſt. Tunc* Æmilianus *cum Martyribus illam in carcerem includere iuſsit, & eo tempore, quo in ergaſtulo ſtetit, ab Epiſcopo catechizata, & aquâ ſalutari tincta, quæſtionem cum cæteris expectabat.*

Comprehẽditur Verona.

Poſtea tranſactis aliquibus diebus, Præſes euocatâ ad ſe V e r o n a *dixit:* Cur, cùm nobilis & illuſtriſſima matrona ſis, & tu, & tui ab Auguſtis noſtris innumeris affecti ſitis honoribus, talem inſaniam contrahis, in Diuorum Imperatorum contemptum, & Deorum Populi Romani deſpectum? Dijs thura offer, & Diuis obtempera, aliàs illorum ſupplicium, & iſtorum vindictam, quorum miniſter ſum, in tui, & tuorum damnum experièris. *Cui* V e r o n a: Qui nos vocauit ad ſe, primum dedit nobis præceptum, dicens: *Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Non dixit *Deos*, quia plures *Dij Gentium, dæmonia*; ſed *Deum*, & illum *ſolum*, cui honor, & gloria in ſecula ſeculorum. Quo ergo pacto tuos Deos adorabo, contra præceptum Dei mei, *qui fecit mirabilia ſolus*, & qui contra tuorum authorem dixit: *Vade Sathana. Scriptum eſt: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies? Tunc præſes videns conſtantiam mulieris, illam equuleo extendi, flagellari, mamillas abſcindi, & in ignem conijci præcepit. Aſt cum ab omnibus his tormentis, liberior & fortior proſiliret, illam cum* Z e n o n e, *& cæteris ſodalibus decollauit; præſtante Domino Noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat cum Patre, & Spiritu-Sancto per infinita ſecula ſeculorum, Amen.*

Coronãtur.

An Epiſcopus Tarraconenſis?

En A c t a à nemine adducta, circa quæ nonnulla à Nobis inueſtiganda ſunt, vt in poſterum, nulla Lectoribus inſit difficultas. P r i m v m circa Epiſcopatum

Tarraconen

Tarraconensem, quem habuisse ZENONEM Acta suadent: & videtur non posse subsistere, siquidem illo æuo Sedem illam tenebat *S. Fructuosus*, qui etiam sub *Æmiliano*, imperante *Galieno*, martyrium compleuit. Nihilominus Acta puriora sunt, nam *S. Fructuosus* decessorem habuit ZENONEM, & ambobus datur locus in tempore passionum, nam vt in Tertia animaduersione probabimus, qualis fuerit inter vtriusque agonem distantia, & quorum annorum intercapedo, patescit.

SECVNDVM, quatenus ad *Diem* agonis, quem cùm Acta non aperiant, illum sequendo *P. Higuera* placitum, hoc die consignauimus, ob eandem illam rationem ab ipso Patre adductam, cui etiam videtur fauere Pujad. *d. cap.* 58. *fol.* 199. *Quo die passus?*

TERTIVM, circa Annum: *Gotholani* Scriptores, & quotquot retulimus cum *Bollando* agentes de *S. Fructuoso* supra *Tom. 1. die XXI. Ianuar. fol.* 207. conueniunt *S. Fructuosum* martyrium consummasse *Anno Domini CC. LIX.* Ast Ieronym. Pujad. *d. cap.* 58. asserit ZENONEM, & socios passos in principio persecutionis *Galiena*, & probatur ex Actis, ibi: *Galienus cum in exordio eius imperij grauissimè persequeretur Christianos.* Si in eius exordio, & hoc fuit in *Anno Domini CC. LVII.* optimè colligitur præcessisse ZENONEM *Fructuoso*, per ferè duorum annorum intercapedinem, ex quo nulla dabitur dissonantia. Insuper quia *Regino*, & *Scotus* primo consignant ZENONEM, & postmodùm *Fructuosum*, ita vt ab ordine literæ, hæc nostra sententia sustinebitur. Quibus *Gotholanorum* timor sedabitur, & vlterius eorum memoriam prosequentur Concives. *Quo Anno?*

TARRACO Vrbs celebris in Hispania Citeriori, de qua scripsimus *supr. Tom. 1. die 11. fol.* 51. & *die XXI. Ianuar. fol.* 208. vbi duas opiniones de eius conditore retulimus; & hoc *Tom. 2. diebus XII. & XXIII. Martij*, vbi in primo Inscriptionem, in secundo *Numum* appinximus, inferiùs ad alia deueniemus.

TRANSLATIO SS. *Seruandi*, & *Germani* Martyrum.] Sic in antiquis *Breuiarijs S. E. Hispalensis* inuenitur notatum in *Kalendario*; & in *Rubric. Officij*, *h. d. fol.* 157. hæc verba leguntur: *Translatio SS. Martyrum* SERVANDI, & GERMANI, *est festum quatuor dignitatum: omnia dicuntur de Communi plurimorum Martyrum, excepta Oratione sequenti.* E. *Officium in Breuiario Hispalensi.*

OMnipotens sempiterne Deus, fortitudo certantium, & Martyrum palma, solemnitatem hodierna diei propitius intuere; & præsta: vt Ecclesia tua in hac celebritate læta consistat, atque intercessione Martyrum tuorum SERVANDI, *&* GERMANI *cœlestis præmia gloriæ percipiat. Per Dominum.*

Cætera quæ ad hanc *Translationem* spectant Acta desiderantur. De ea scribit P. Anton. Quintana-Dueñas *de SS. Hispalens. fol.* 88. Cuius festiuitatis anamnesim repetere curauimus, ne tantæ antiquitatis mnemosynon sub obliuionis cinere delitescat. Quia esto quòd *S. E. Hispalensis* in recentioribus Officiis tantæ celebritatis Officij non meminerit, Nos illud repetere compellimur. *Quod in recentioribus desit.*

IDIBVS APRILIS.

DIES XIII.

A. *Apud* Octauiolcam Cantabriæ *in Pago* Okouia *SS. Fratrum* MAXIMI *Lectoris* Quintiliani, *&*

Dadæ *Martyrum, qui in persecutione Diocletiani, & Maximiani, Tarquinio Iudice comprehensi propter fidem, post vincula, cruciatus, & varias in iudicio quæstiones, cùm à Christo dimoueri non potuerint, demùm gladio percussi, ad gloriam peruenerunt victores.*

B. Alcæ in Celtiberia, SS. ELEVTHERII, THEODOSII, *&* ZOILI *Martyrum, qui cùm militarem cingerent sagum, nomina Christo dedêre, pro cuius confessione tenti, & tormentis suppositi crudelibus, victricem palmam strenui pugiles sunt adepti.*

C. *Hispali in Bætica* S. HERMENEGILDI *Regis; & Martyris, qui relictâ Arij impietate, B. Leandri auunculi, & illius vrbis Episcopi suasionibus, & Catholicam Fidem tenens, à Leouigildo Patre Gothorum Rege Ariano persecutus, debellatus, & captus, tandem disiecto cerebro trucidatus, ad cæleste Regnum, Rex & Martyr, à Rege Regum, & Martyre Martyrum duplici coronâ redimitus, ascendit.*

D. *Cauria in Vettonia festiuitas* DEDICATIONIS *ipsius Ecclesiæ, cuius anniuersaria solemnitas, & celebri repetitur plausu, & honorificentissimo reiteratur cultu.*

NOTÆ.

A. *Menologium.* SANCTI MAXIMVS Lector, & Socij Martyres.] Græci in *Menologio h. d.* de his Sanctissimis Martyribus ista compaginant: *Eodem die SS. Martyrum* MAXIMI, QVINTILIANI, *&* DADÆ. *Maximiano, & Diocletiano Imperatoribus gladio percussorum.* Cuius ecphrasim reassumens *Petr. Galesin.* vt assolet illos in *Græciam* reiicit, eo quod in *Menologio* illorum memoriam scriptam inuenit, audi illum: *In* GRÆCIA *SS. Martyrum* MAXIMI, CINTILLIANI, *&* DADÆ. Ij *Diocletiano, & Maximiano Ecclesiam Dei vexantibus, comprehensi; in iudicio, institutis quæstionibus, se Christianos esse, liberâ voce confessi, in custodiam includuntur, vbi noctu in somnis Satanæ astu, contra à se dici vident: at è somno excitati, ad eandem confessionem Angeli admonitu, cum vehementius sese confirmassent, postridie manè ab impijs non modo non potuerunt à proposito amoueri, sed fidentiori animo, ac liberius Christi religionem professi, primò verberibus cæsi, post in carcerem iterum coniecti, demùm alijs superatis tormentis, gladio percussi, palmam martyrij tulerunt.* Iam vides in exordio elogij verba IN GRÆCIA, quæ merum glossema sunt: & patet, nam si Græci, à quibus *Galesinius*, de loco palæstræ altum silentium, vt quid potiùs *Galesinio* referenti, quàm *Menologio* relato & nihil de loco palæstræ asserenti, cum referentis opinio secundùm relati verba accipiatur, tantummodo, deferemus? Idcircò *Martyrologium Romanum*, explosâ additione *Prothonotarij* tanquam mendosâ, tantum hæc verba concepit, *Menologij* ad vnguem clausulam sequens: *eodem die passio* SS. MAXIMI, QVINTILIANI, *&* DADÆ *in persecutione Diocletiani.* Quod & fecerat *Alexander de Peregrinis* in antiquo Martyrologio Iulij II. Quibus conueniunt Martyrologia

Galesinij error.

Martyrol.

rologia *Lusitanum* P.Lobo, *Castellanum* P.Vazq. & *Hispanum* P.Higuera MS. Ast vt cognoscatur *Galesiny* error, aut incuria, audi *Dextr.* Nostrum *in Chron. Ann.* 290. his verbis loquentem: *In* Octauiola Vezozabiæ *SS. Martyres* MAXIMVS, *&* DADAS. Et licet hic prætermittatur QVINTILIANVS, illius memoriam suppleuit Iulian. Archipresb. Tolet. *in Adu. n.* 217. *fol.* 62. sequenti periodo: MAXIMVS, DADAS, *&* QVINTILIANVS *celebres sunt in* Hispania, *qui sub iudice* Tarquinio *Consulari, qui iussu* Daciani *totius Hispaniæ Præsidis, regebat Tarraconensem, in Cantabris vrbe* Octauiolca, *in cuius prædio* Okouia *erant, passi sunt* XXVIII. *Aprilis.* En totum nodum dissolutum; in cuius inuolucro circa situm vrbis *P. Biuar.* & *Roder. Car.* ad Dextr. ille *n.* 2 *fol.* 310. iste *fol.* 96. *lit L.* desudantes tandem sunt fœdissimè hallucinati. Eorum acta congessit *Sim. Metaphrast.* à quo Lippoman. & Sur. *tom.* 2. Nos ea ex MS. Legendario *Calagurritano* Gothicis characteribus exarato, additis addendis, transcribemus:

Dextri veritas.

Iuliano roboratur.

ACTA SS. MAXIMI, QVINTILIANI, & DADÆ Martyrum Cantabrorum; ex MSS. Legend. Calagurrit. & alijs.

Origo.

MAXIMVS, QVINTILIANVS, *&* DADAS *ex genere (vt creditur)* Cantabro *in* Hispania, *oriundi, Christi fidem professi sunt. Quorum* MAXIMVS *inter Ecclesiasticos ordines,* Lectoratus *titulo fruebatur, qui etiam in sacris Literis mediocriter instructus erat. Ij omnes, in persecutione Diocletiani, & Maximiani Imperatorum Romanorum, quando totus orbis Martyrum sanguine redundabat, & præcipuè* Hispaniarum *circulus, Daciani Præsidis furore commotus tot Deo sacrificia offerebat, quot Martyres deferebat Tyranno, in prædio eorum cui nomen* Okouia, *morabantur, vbi à populi tumultibus liberi, Deo, orationibus, & ieiunijs quietu animaduersione vacarent.*

Persecutio in Hispania.

TVNC *temporis erat in Citeriori quidam* Tarquinius, *qui Daciani literis, & decretis totam prouinciam lustrabat, vt in omnibus populis, vrbibus, & vicis, Dijs sacrificia publica ab omnibus agerentur, prout Dacianus ab Imperatoribus in mandatu habebat. Peruenit igitur* Tarquinius *præfatus ad vrbem in* Cantabris, *vbi erat prædium cui* Ozouia *vocabulum, & publicatis edictis, omnis populus ad sacrificia præsignatu cõcurrens, thura Idolis promptâ voluntate litabat. Quibus finitis, accessit ad Iudicem Ethnicus quidam, cui dixit, quod extra vrbem in proprio prædio erant tres viri, qui Imperatorum edicta contemnentes, nec Diuis Augustis obtemperare, nec Dijs sacrificia offerre voluere, imo se Deum vnicum in cælis commorantem adorare confitebantur. Quod audiens* Tarquinius *protinus eius satellites ad prædium, vt viros illos vinctos in vrbem perducerent, dimisit; qui cùm eos orationi vacantes, inuenissent, catenis alligatos Sanctos fratres ad Iudicem perduxere. Qui cùm in vrbem noctu peruenissent, illos in carcerem detrudi donec illucesceret imperauit. Adueniente die (cùm per totam noctem SS. Viri in oratione persisterent)* Tarquinius *illos coram se præsentari iussit, quos cùm vidit, dixit:* Sunt ne hi, qui edicta nostra contemnunt, & circa Deorum cultum suum placitum insequuntur? *& ad eos vultum conuertens, dixit illis:* Primùm de nominibus explorari volumus; ergo nomina dicite quæ habetis. MAXIMVS *respondit:* Ego secundùm fidem Christi, Christianus sum, prout fratres isti mei, éstque mihi MAXIMVS nomen. *Tarquinius dixit:* Tu secundùm clericatum tuum, & non secundùm Deos Nostros reuerenter respondisti. Et tu quo nomine vocaris? *Tunc dixit secundus:* DADAS vocor, & sum talis, qualis frater meus fassus est. *Tarquinius ad Tertium conuersus, dixit:* Tu ergo tuum nomen explana. *Qui respondit:* QVINTILIANVS vocor, & sum Christianus. *His sic peractis, dixit Tarquinius:* Ecce in manibus vestris, vita vestra consistit. Matri Deorum sacrificia persoluite, & viuetis, & eius Sacerdotes eritis. *Cui* MAXIMVS: Christum adora

Propalantur ab Ethnico.

Comprehenduntur.

Constantia coram Iudice.

adoramus, qui verus est Deus, nec est alius Deus præter ipsum. *Posthac in carcerem coniecti, ab eis aliquod signum pœnitentiæ spectabat index, sed cùm eorum constantiam experiretur quotidie; illos, emissis verbis, ad verbera perducere destinauit.*

Dæmonis suggestio. CVM ergo in mediæ noctis silentio MAXIMVS *fratres sacra Scriptura verbis instrueret, & ad passionem efficaci vocis vt animaret eosdem, vigiliarum onere fatigati, & catenarum pondere obruti, somno debitum persoluêre. Tunc Satanas, vt dormientes perturbaret Christicolas, illis armatus apparuit, quasi aduersùs eos dimicans strenuè, sed à somno excitati, Angelum Domini conspexerunt, qui dixit illis:* Non est cur timeatis. Deus enim ille, cui vos tradidistis, ipse vos fouet, & iuxta vos est. *Hac quippe visione roborati, vsque ad Auroram, laudantes Dominum remanserunt. Quâ elucescente, ad tribunal Viri sanctissimi perducti, illos Index, aut ad sacrificandum Dijs, aut ad quæstionem deducendos, admonuit; sed illi in fide perseuerantes, tormenta qualibet pro Christo toleranda, vehementi spiritu promiserunt.*

Angeli confortatio.

Torquentur. *Tunc Iudex, illos vestibus denudatos, super humum supinos extendere, & crudeliter flagellare iussit. Quod factum est, & SS. Martyres viriliter flagella sustinentes Christum alacri voce laudabant. Tantam SS. Martyrum constantiam* Tarquinius *perpendens illos in carcerem includi præcepit, donec vespere circa eorum supplicia prouideret. Demum horâ quasi Nonâ, iterum ad tribunal SS. Martyres renocauit, qui peremptoriè, vt Dijs sacrificarent præcepit, aliàs vltimam capitis sententiam experirentur. Fortissimi*

Coronantur. *Martyres, dixerunt:* A te petimus, vt ea quæ proposuisti exequaris, nam à fide nostra deficere, impossibile est. *Tunc* Tarquinius *in eos capitalem dixit sententiam & satellites SS. Viros è tribunali extrahentes, illos ad prædium* Ozouia *perduxerunt, vbi abscissis ceruicibus, martyrio coronarunt,* Idus Aprilis, *quâ die eius festiuitatem colit Ecclesia.*

En Acta ex *Kalendario* Antiquo *Calagurritano, Dextro,* & *Iuliano*, quæ in loco palæstræ, videlicet, in *Ozouia*, conueniunt cum *Metaphraste, Lippomano, Surio,* & *Basilio*

Annus agonis. *Sanctoro* in Flore SS. *tom. 1. fol. 302.* QVATENVS ad Annum agonis, qui in Actis non refertur, *Dexter* illum consignat ad C C. X C. cuius opinioni adhæremus, licet Baron. *Tom. 3. Ann. 305. n. 27.* ad Annum C C C. V. reiicit, sed absque authore. De aliis Maximo & Quintilano agit Iul. *in Chron. num. 128. h. d.*

Topographia. OCTAVIOLCA. Ciuitas Mediterranea in Orientalibus *Cantabria Asturijs*, cuius meminit Ptolem. *lib. 2. Geograph. Tab. 2. Europ. c. 6.* sic: *Orientalia autem Asturia tenent* Cantabri, *in quibus ciuitates mediterraneæ; Concana*, OCTAVIOLCA, *Argenomescum.* Quam vrbem Moletius *Ordunno*, fortè *Orduña*, Ruscellius *Omiglas* vertunt. Sed nos sequendo opinionem P. Ieronymi Roman de la Higuera *in MS. Martyrolog. Hispano, h. d.* credimus esse VELASTIGVI. Eiusausc ulta verba: *En*

Situs Ozabia. Okauia, *o* Ozauia, *cerca de* VELASTIGVI *en* Vizcaya *los Santos Martyres* MAXIMO, *y* DADAS *en tiempo de Diocleciano.* Quæ Latinè sonant: *Apud* Okauiam, *siue* Ozauiam *prope* Octauiolcam *SS. Martyres* MAXIMVS, *&* DADAS *tempore Diocletiani.* Non est audiendus P. Biuat. *d. n. 2. fol. 210.* contendens *Vezozabiam* apud

Biuarij hallucinationes. *Dextrum* fuisse regionis agnomen, ita vt VIZCAYA à *Vizozabia* nomen deduxerit, quasi iam tempore *Dextri*, incœpetit hoc vocabulum regioni *Cantabricæ* conuenire, quod merum commentum est; nam *Vezozabia* in clausula *Dextri* minimè ad regionem pertinet, sed ad locum, seu prædium, quo SS. Martyres secesserant, & quo martyrium compleuêre, quem locum Acta *Simeonis*, & *Sury* Ozouiam vocitant, ideóque perperam *In Octauiolca Vezozabia* impressit, cùm imprimere debuisset, *In Octauiolca Vizozabia*, vt sensus esset, in pago *Vezozabia* vrbis *Octauiolca*. Nec minus est audiendus in consignatione loci apud *Vezocana*, diœcesis *Placentina*, nam hoc Oppidum *Berzocana*, & non *Vezocana* dicitur. Interdum, quia si SS. Martyrum passio fuit in *Cantabria*, quo pacto ex illa ad *Vettones* transitum dabit. Proculdubio hallucinatur *Biuarius* ex ignoratione situum locorum.

B. SS. ELEVTHERIVS, THEODOSIVS, *&* ZOILVS *Martyres.*] P. F. Franc. Biuarius aliàs doctissimus, & de antiquitatibus *Hispania* optimè meritus (absit inui-

dia)

dia) plura in *Flauio Dextro* obscuriora loca feliciter illustrauit, sed plurima obnubilauit, eo quòd oppidorum situs, & corographiam non percepit ex penu; ideóque inter alias hanc *Dextri* clausulam vitiauit, nam loco ALCÆ, vt erat in MSS. *Hispalensibus*, & *Pinedæ*, prout refert Rod. Car. *ad Dextr. Ann.* 290. *lit. N. fol.* 96. *col.* 2. reposuit, nullo Auctorante, TELÆ, quasi TELA, & ALCE vna fuerit vrbs; vnóque regionum termino consignata, & sita. Sed vt vnicuique, quod suum est, reddamus, ideò hos SS. Martyres ALCE oppido restituere compellimur, explosis *Binary* commentis, & *Cari* hallucinationibus. Ergo vt ad Nostrorum Martyrum veniamus elogia Græci in *Menologio h. d.* huius modi consarcinant: *Eodem die SS.* ELEVTHERII, THEODOSII, *& ZOILI militum, qui relictâ temporali militia ad cœlestem accesserunt.* Ita *in meo MS.* ex *Garsia de Loaysa* Bibliotheca, licet apud *Sirletum* altum silentium. Petr. Galesin. ex *Græcorum* monimentis illud extendit: *Eodem die Beatorum Martyrum* ELEVTHERII *Persæ*, THEODOSII, *&* ZOILI, *qui pro Christo dimicantes, concertationis quam fortiter susceperant, confecta præmium adepti sunt.* En apud *Græcos* & *Latinos* elogia, licèt absque temporis, & loci assignatione. Nunc Nostratium ausculta Martyrum encomia, vt & temporis, & loci situm deprehendas agonis: L. Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 290. restituto loco, & sanata periodo, sic: ALCE *Hispaniæ vrbe SS. Martyres* ELEVTHERIVS *Persa*, THEODOSIVS, ZOILVS, coluntur, supplendum est. Ita vt sensus sit, quòd isti Martyres, passi sub *Nerone* adhuc anno CCXC. colebantur; non quia illo Anno paterentur, cum non illud dicat *Dexter*, & probatur authoritate Iulian. Petr. *in Aduers. num.* 97. *fol.* 25. omnia ex penu supplentis. *In Celtiberiæ finibus, vrbe* ALCE, *S. Martyr* ELEVTHERIVS *cum Socijs Mundensibus, & Certimitanis, quæ vrbes* ALCE *propinquæ sunt, in persecutione* Neronis *pro Christo passi* Idibus Aprilis, *terrenam militiam pro cœlesti mutauerunt. Erant enim in præsidio vrbis* ALCE *vetustissima, à Claudio Tiberióque positi, Legionis III. Gallicæ* ELEVTHERIVS *fuit Persa Primilus.* Hanc clausulam ad pedem, vt aiunt, literæ transcripsit P. Higuera in suo *MS. Martyrologio Hispano die XVIII.* huius Mensis hac ecphrasi: *En la Ciudad de* ALCE *en el fin de la* Celtiberia, *que oy se llama la villa del* Toboso *de la orden de Santiago, los Santos Martires* ELEVTHERIO *natural de Persia*, THEODOSIO, *y* ZOILO *Martires, naturales de Munda, y Cartama, ciudades alli cercanas, Soldados de la Legion III. Galica, que estaua alli en alojamiento, y se cree fueron Dicipulos de* SANTIAGO: *en la persecucion de* Neron *pasaron de la milicia temporal à la eterna, y trocaron por la de la Tierra la del Cielo, padecieron à XIII. de Abril.* Quæ verba non facimus Latina, quia eadem ac *Iuliani* sunt. Amicus Noster *D. Didacus Sanctij Portocarrero* in patriis antiquitatibus eruditus, & de Ecclesiasticis, & secularibus benemeritus in *Histor. Ercauicens. c.* 2. *fol.* 13. *&* 18. *& c.* 14. *fol.* 142. *& seqq.* pulchrè hanc existentiam vrbis in *Celtiberia* probat, licet à *P. Higuera*, illo non viso, circa situm ALCE vrbis deuius, diuersam amplectatur sententiam, vt in *Topographia* vrbis dicemus. Sanctorum ACTA penitus periêre, illa sic collegimus.

Binarij glossema.

Menologij elogium.

Chronographi.

Notitia SS. apud Hispanos.

ACTA S. ELEVTHERII, THEODOSII, & ZOILI Militum, & Martyrum Alcensium; ex Var. Scriptor.

ELEVTHERIVS *natione* Persa, *& professione miles, Aquilas Populi Romani, imperante Tiberio insequutus, & Legioni III. Gallicæ adscriptus*, in Hispanias *aduentauit, cuius erat* L. Vennonius Ebutianus *Tribunus, & tunc temporis in* Gallæciæ *prouincia, apud* Lucum-Augusti *commorabatur. In eadem Legione aliquot annos egit strenuè, ita vt commilitonum facinora multis parasangis superaret, & vinceret. Cùm ergo eo tempore, quo ad Oppidum, quod à Legione Gallica nomen accepit, & nunc dicitur* Franca, *L. Vennonius Tribunus illius diuersaretur, euênit, quòd Discipuli* S. IACOBI *cum sanctissimo Magistri Corpore* Iuiam-Flauiam *pertingentes, locum Sepulturæ à* Claudia Luparia *illius Regionis Domina efflagitabant, quæ ipsos ad præfatum dimisit Tribunum, à quo faciliùs consensum pro sepeliendo*

Origo.

Legionarius in Gallæcia.

Magistri cadauere, & ocyùs impetrarent. Qui protinus Tribunum adeuntes, ille in carcerem coniecit Vennonius, & prorsus licentiam ferociter denegauit. Ast Discipuli Angelicâ operatione ab ergastulo carceris absoluti, ad socios repedare constituunt, sed cognitâ per Tribunum fugâ vt illos iterum in custodiam reducere satagant, ELEVTHERIVM *(vt creditur) cum militum Centuria velociter destinauit, quorum pars maxima in fontis adificio, vbi delitescere sanctos credidit, tumultuariè ingrediens, resolutâ fontis machinâ, militum turbam oppressit. Quo miraculo conuersus Tribunus, &*

Conuertitur. ELEVTHERIVS, *qui Discipulorum discipulus factus,* IACOBI *etiam Discipulus meruit vocitari. Postmodùm* Primipili *titulo miles noster ob eius facinorum progressus auctoratus,* Claudij *Imperatoris tempore vnà cum Le-*

Primipilus in Celtiberia. *gione ad vrbem* Alcem *in* Celtiberia *translatus est. Ibidem ergo adusque* Neronis *imperium strenuus permansit. Dux, donec efferi Principis aduersus Christi ascetas excitat à persecutione, primùm* Romæ, *post in* Hispania, *vbi Dei Ecclesia feliciter aucta, ob Apostolici sanguinis irrigationis merita, fidelium agmina innumera pullulabat, serpente, Tyranni Ministri omnium Christianorum turmas absorbere sunt conati. Horum igitur Iudicum insania, nec ipsis primi ordinis militibus parcebat, ideò* Alcem *vnus eorum deueniens,*

Comprehēditur cum alys. *cognita fide* ELEVTHERII *Primipili, & aliorum duorum eiusdem Legionis Militum, quibus* THEODOSIVS, *&* ZOILVS, *nomina erant, & ex* Munda, *&* Certama *vrbibus Hispania ortorum, ipsos ad Deorum adorationem compellere decreuit, sed cognitâ Militum constantiâ, post varia supplicia, illos morti tradidit absorbendos. Qui alacri animo iugula mucroni,*

Coronātur. *& spiritus Deo, inclyti, & strenui Milites prabuêre, die* XIII. Aprilis, *Anno Domini* LXX. *Imperante Nerone.*

ACTA hæc ex variis capitulis Scriptorum contexta, vitæ ecphrasim, prout potuimus, scripsimus, quia ad maiora coagulanda, nec temporum oblitio, nec authorum incuria permittunt. DIXIMVS etenim Sanctum ELEVTHERIVM in Legione III. Gallica adscriptum, & optimè, nam ita Iulianus *d. num.* 97. fatetur. Quod si ita est à fortiori sub *L. Venuento* huius Legionis Tribuno, apud *Lucum Augusti* in *Gallacia* primò, pòst apud *Francam* militauit; nam eo ipso tempore *L. Venenius* huius Legionis, Tribuni titulo, moderabatur cohortes, vt refert idem Iulian. *in Aduers. num.* 410. *fol.* 91. Quod cùm ita sit, & *P. Higuera* fatetur, Sanctum Primipilum, creditum Discipulum Sancti IACOBI, verisimile videtur, fidem accepisse, quando Discipuli sunt pro consensu *Vennony*, decipiente *Luparia*, Francam progressi, & fontis miraculo compuncti Gentiles, ipse Tribunus, & alij milites conuersi sunt, vt refert Iul. *in Chron. num* 14. & in *Aduers. d. num* 410. ideóque Discipulus IACOBI dictus, quia ab eius Discipulis conuersus. Hæc expendere necessum fuit, quia quoad cætera, plana est ex Nostratium authoritate relatio.

Primipili Legionis Gallica III. probatio. — *Quo titulo Discipulus S. Iacobi.*

Topographia. ALCE. Vrbs fuit peruetusta in *Celtiberia* non procul ab vrbibus *Munda*, & *Certama*, quas T. Liu. *Histor. Roman. lib.* 40. contiguas appingit, eásque à *Tiberio Graccho* Citerioris Hispaniæ ad Annum V. Conditæ CLXXVII. Proprætore, deuictas refert; quod & fecit Ambros. Moral. *Histor. Hispan. lib.* 7. *cap.* 22. *&* 23. Audi Liuium: *Gracchus, quod maius ibi bellum esset, in vltima* Celtiberiæ *penetrauit.* MVNDAM *vrbem primùm vi cepit, nocte ex improuiso aggressus. Acceptis deinde obsidibus, præsidióque imposito, castella oppugnare, agros vrere, donec ad prævalidam aliam vrbem,* CERTIMAM *appellant* Celtiberi, *peruenit.* Et post pauca, post victoriam de hac vrbe, & de *Celtiberis* partam, prosequitur: *Conuertit inde agmen retrò, vnde venerat, ad* ALCEN, *atque eam vrbem oppugnare instituit.* En Tres vrbes in *Celtiberia*, de quibus mentio est apud *Iulianum* agens de Nostris Sanctis Martyribus *d. num.* 97. *in Aduers.* quarum iam corographiam agnoscet *Rodericus Caro*, qui neutram inuenisse fatetur. Nunc

Conditor. ad ALCE conditorem veniamus. Iulian. *in Aduers. num.* 204. 205. *&* 206. *fol.* 46. sequentia verba compaginat: *Ad vrbem* ALCEM *dictam postea,*

prius

prius OPHIONIAM, *Iupiter dum Hispaniam peragrat, occidit Gigantes, & in his superbissimum* Ophionem, *quem viuum sepeliri in antro iussit, & super eum caeteros. Dictaque est vrbs* OPHIONIA, *post* ALCE. *Fuitque mons superimpositus super* Ophionem, *quia ingenti fragmine montis, ostium illius sepulchri conclusum. Ob id* Virgilius *affirmat* *Nomina*
Gigantes in imo fundo cuiusdam antri, vbi sepulti sunt, deuolui. Quod ne nostros fugeret in *antiqua.*
Historia repertum hic adscribi volui. Excisa verò ALCE *est ad introitum Gothorum in Hispania.* ALCE *populus pòst, tempore Philipporum Caesarum, dictum est Oppidum* TOPHACEVM, *à terra* topho, *vel argillosa: vbi à temporibus antiquissimis fiunt omnium optima, capacissimaque dolia. Dirutum creditur sub Annum* CCCC. XX. *in ingressu* Gothorum *in* Hispaniam, *mansitque paruus vicus, dictus etiam* TOPHACEVS. Hactenus Iulianus. Postmodum de suo tempore scribens *in Aduers. num.* 263. *fol.* 59. hæc adnectit. *Cum verteretur domus quadam Oppidi* ALCES *in* Celtiberis, *nunc* TOBIVM *est, me scribente, repertum est sepulchrum* Auli Clounici *Ducis* Celtiberorum, *patriâ* ALCENSIS, *& ibidem hasta quadam argentea, qui cum adisset castra Consulis* Gracchi, *vigilis telo occisus est.* Portocarrero Noster omnia hæc loca, licèt corruptis numeris, allegat, & quem TOBIVM vicum *Iulianus*, TOBILLOS nominat prope *Molinam*. Hinc non TOBOSO vt *P. Higuera* *Recentiora*
somniauit in *Marchia*, vulgo *Mancha*, sed TOBIO aut TOBILLOS in *Celtiberia*, oppidum extare deprehendes. Hactenus de ALCE.

S. HERMENEGILDVS Rex, & Martyr.] Nullus tam Regios hausit spiritus, C.
quàm ille, qui Religionem præposuit Regno. Acre illi virtus proposuit bellum, non vt barbaras vinceret gentes foris, sed sui barbariem patris domi. Iussit ille, filium sequi Arij partes impij; diuinitate spoliantis Genitum Dei. At maluit spoliari ipse insignibus Regni, & minor parenti videri suo, quàm pati, vt minor ille diceretur suo. Noluit eius esse parentis hæres, qui exhæredem faciebat prolem diuinam. Soluit ille ac rupit naturæ vincula, cùm Principem in carcere arctè adligauit pater: aureo destinatas sceptro, manus addixit ferro, fasces ipsos illi debitos solui iussit, vt securim in ipsum expediret ad necem. Non expalluit suas vultus ad pœnas, sed ad contempti Numinis probra. Nec pietatem solùm pater exuit, sed iustitiam, cum inhumato Principi negauit iusta; sed visi sunt Superi lucidis delabi cum tædis, pæana cecinêre, non næniam. Reclamasset Natura parens tam crudeli facinori patris; Sed ne Cœlitum obstreperet carmini, siluit. Istum ergo Principem, qui hæc talia gessit, cui hæc tanta Superi destinarunt miracula, omnibus Ecclesia Catholica fidelibus venerandum proponit hoc die. Nec nouum, cùm ab exordio agonis illius, S. Gregorius Pontifex Summus fuerit tanti Martyris encomiastes, illúmque cultu debito prosequendum censuit. Non abest sine elogio Martyrologium, quoquot aut typis editum, aut manu exaratum hocce titulo circumfertur, quorum nomina referre prolixum: haud minima enim excellentiæ pars est, nec authores producere, quando tota Scriptorum pagina, pro scripta refertur. Ergo omnia euolue Martyrologia, & Regis Martyris elogia deprehendes. Breuiaria Hispaniæ vniuersa Officiis non defuêre solemnioribus, quia si proprij Principis vitâ functi suffragiis annuare memoriam obsequij est, quare non Regis inclyti, martyrio coronati Ecclesiasticis ritibus venerari trophæum, religio erit? Non sileat etenim laudibus Ecclesia triumphum, cuius cœlestes Angelorum chori, ipso cadente, extulerunt melodiis, & magnificarunt concentibus. Chronographorum symbola sine numero pro tanto Martyre numerantur. Aliquos inter tantos ausculta: S. M. Max. *in Chron. Ann.* 586. *Chronologi.*
Iul. Petr. *in Chron. Ann.* 585. *num.* 305. Sigebert. *in Chron. Ann.* 589. Freculph. *in Chron. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 25. Regino *in Chron. Ann.* 517. Marian. Scot. *in Chron. Ann.* 586. Fascicul. Tempor. *Ann.* 584. Genebrard. *in Chron. lib.* 2. *Ann.* 579. Ado *in Chron. Ann.* 583. Gualter. *in Chron. Ætat.* 6. *ad Ann.* 584. Historiographos si in- *Historio-*
quiris, videsis S. Isidor. *in Histor. Gothor.* Roderic. Tolet *lib.* 2. *cap.* 14. Alphons. *graphi.*
de Carthagen. *in Anacephal. Hisp. cap.* 26. Roder. Palent. *Histor. Hispan.* 2. *p. cap.* 19. Tarraph. *de Reb. Hispan. Ann.* 517. VVolfang. Laz. *de Transmigrat. Gent. lib.* 1. *fol.* 579. Mich. Ricc. *de Hisp. lib.* 1. Ambros. Moral. *lib.* 11. *cap.* 67. D. Francisc. de Padill. *Histor. Eccles. Hispan. tom.* 2. *cent.* 6. *cap.* 47. P. Pined.

in

in Monarch. lib. 18. *cap.* 2. §. 3. Stephan. Garibay *in compend. Hiſtor. lib.* 8. *cap.* 22. P. Ioann. Marian. *Hiſtor. Hiſp. lib.* 5. *cap.* 12. D. Maur. Caſtell. *Hiſtor. Compoſtell. lib.* 2. *cap.* 22. Cæſ. Baron. *tom.* 7. *Ann.* 583. *&* 584. Ludas Tud. *Hiſtor. in Mauricio.* S. Gregor. Magn. *lib.* 3. *Dialog. cap.* 31. S. Gregor. Turon. *lib.* 5. *cap.* 38. P. Anton. Yep. *Hiſtor. S. Benedict. Centur.* 2. *Ann.* 584. *cap.* 1. P. Diag. *Hiſtor. Comit. Barcinon. lib.* 1. *cap.* 15. *&* 16. Gaſp. Scolan. *Hiſtor. Valent. lib.* 2. *cap.* 11. Ioann. Sedeñ. *de Vir. Illuſtr. tit.* 14. *cap.* 6. Didac. de Valer. 3. *part cap.* 19. Paul. Æmil. *Hiſt. Franc. lib.* 1. M. Ant. Sabellic. *Ænead.* 8. *lib.* 5. Blond. *tom.* 1 *Decad.* 1. *lib.* 7. Beuter *lib.* 1. *c.* 27. Medin. *de Vrbib. Hiſpan. part.* 1. *cap.* 74. Iulian. del Caſtill. *Hiſtor. Gothor. lib.* 2. *Diſcept.* 7. Iacob. Bergom. *in ſupplemento Chron. lib.* 9. *&* 10. Viladamor *cap.* 93. Michael Carbonell. *Hiſtor. Cathalon fol.* 14. Ieronym. Pujad. *Hiſtor. Cathalon lib.* 6. *cap.* 60. Alphonſ. Morgad. *Hiſtor. Hiſpal. lib.* 1. *cap.* 9. D. Paul. Spinoſ. *in ead. Hiſtor. lib.* 2. *cap.* 17. & ferè omnes qui de Hiſpania ſcripſere, quorum catalogus prolixus. Ex Scriptoribus Actorum SS. primas ferat S. Antonin. 2. *part. titul.* 11. *cap.* 2. Vincent. Bellouac. *tom.* 4. *lib.* 21. *cap.* 135. Petr. Equilin. *lib.* 3. *cap.* 48. Sur. *tom.* 4. Maldonado, Fian, Haræus, Lippelous, Graſis, Vega, Sanctorus, Æmilianus, Cayraſco, Lucius, Truxillo, Marieta, Villegas, Illeſcas, Ribadeneyra, & alij. Eius ACTA abs *R. P. Petro de Ribadeneyra*; eiúſque martyrium abs *B. Gregorio Magno*, à quo ferè omnia Hiſpaniæ *Breuiaria*, tranſcribemus.

Eccleſiaſtici.

ACTA S. HERMENEGILDI MARTYRIS, & Hiſpaniæ Principis, & Bæticæ Regis; ex Var. Scriptorib.

Parentes.

HERMENEGILDVS *Hiſpaniarum Princeps, inclytúſque Martyr, filius fuit* Leouigildi *Regis Hiſpaniarum Ariani hæretici Gothi, cui gemini fuere filij,* HERMENEGILDVS, *qui fuit natu maior Princeps, paternique hæres Regni (quem Pater ipſemet iam titulo Regis Bæticæ donarat) &* Reccaredus *iunior, qui fratri perempto, inteſtatóque ſucceſſit. Vterque Principum Arianæ virus hæreſeos cum lacte ſuxerant, nam* Leouigildus *pater eorum hac contagioſi dogmatis peſtilentia* Hiſpanias *inficiebat, licèt contra* Theodoræ *vxoris placitum fœminæ Catholiciſſimæ, ſororis SS.* Leandri, Fulgentij, Iſidori, *&* Florentinæ, *quæ ſobolem Catholicis eruditionibus alere percupiebat.* HERMENEGILDVS *autem ſimul adoleuit, virilemque togam indutus Ariani dogmatis errores aduertit, diuini ſpiritus inſtinctu ductus, &* S. Leandri *Hiſpalenſis Epiſcopi ſalutaribus conſilius imbutus, mox hæreſim execratus, Catholicum fuit nomen profeſſus; quod ſimul Catholicis (quorum non exilis erat in* Hiſpania *numerus) fama vulgante compertum, incredibili amoris affectu,* HERMENEGILDO, *non ſolùm tanquam Principi ſuo, ſed etiam tãquam Catholicæ Religionis capiti, inuictóque defenſori cohæſere; rati patrocinio eiuſdem ſeſe adiutos, ab Arianorum tyrannide, &* Leouigildi *Regis atrociter in Catholicos graſſantis immanitate vindicandos. Hinc blanda primùm ſimultas inter patrem, & filium cœpta, in crudele bellum deſijt. Ægroto igitur* Leouigildi *animo filij conſilio cognito,* Goſuinda *nouercali odio faces ſubdebat. Omnia tamen prius tentare placuit, quàm ad arma ventum eſſet. Itaque legatione miſſa Pater, hoc exemplo literas ad filium dedit.*

Ariana face nutritus.

Conuertitur.

Epiſtola Leouigildi Patris ad Principem.

CORAM maluiſſem, ſi per te licitum eſſet, quàm per literas de re tota diſputare. Quid enim à te præſens non impetraſſem, ſiue Regia authoritate præciperem, ſiue paterno iure caſtigarem? Beneficia certè in memoriam reuocarem, quæ tu in ludibrium vertere maluiſti. A teneris (nimiâ fortaſſis indulgentiâ) in ſpem Gothorum Regni diligenter alui: confirmatâ ætate, antequam poſtulares, maiora quàm ſperares, delata ſunt. Dedi ſceptrum, vt cum auctoritate adiutorem haberem: non vt externas gentes, cum quibus fœdus inire paras, téque,

téque, imperio me aduersum amarem. Nouo exemplo appellaui Regem, vt consortio potestatis contentus, primas patri partes dares: atque in hoc ætatis fluxu, esses seni præsidio, æquè atque solatio. Si quid est, quod amplius cupias, patri explica? sin autem supra ætatem, supra consuetudinem, supra merita tibi sunt omnia tributa, cur aut ingratus impiè, aut impius, sceleratúsque crudeliter circumscribis patrem? An senis mortem expectare graue fuit? Tantíque fuerunt pauci anni quot hæc ætas recepit? An cum fratre communicatam potestatem inuidebas? de quo me arbitro disceptare æquum fuit. Sed nimirum regnandi ambitio omnes naturæ leges violat, resoluitque ea, quæ perpetuâ necessitudine constricta sunt. At Religionem causaris: in quo te video non humana iura tantùm, sed diuina etiam euertere, & in caput tuum, Dei vindictam prouocare. Itáne ab ea Religione tuo arbitratu discedas, cuius cultu propagando nomen Gothicum auctum opibus, atque potentiâ amplificatum est? An Maiorum, quæ sacrosancta esse debuit, auctoritatem contemnas? Nouæ Religionis vanitatem, vel eo potissimùm considerare potuisti, quod filium à patre seiungat, & summæ charitatis nomina odio plusquam paterno, atque inuidiâ labefactet. Ego HERMENEGILDE pro patris iure impero, & pro ætate, quâ maior sum, tibi consulo, reuoca ad sobrietatem animum, positáque noxiarum rerum cupiditate, quiesce: sic enim facilè eorum, quæ commissa sunt hactenus, venia dabitur. Si recusas, cogísque arma capere, næ tu frustra paternam misericordiam, re desperata, implorabis.

MOLESTÆ *hæ literæ* HERMENEGILDO *fuere, ast nihil de priori sententia mutare certus, in hanc sententiam rescripsit.* *Patri respondet Princeps.*

MINAS, & contumelias tuarum literarum æquo animo tulimus, tametsi nullâ lacessitus iniuriâ, linguæ libertatem cohibere potuisti. Beneficiis tuis, quæ & ipse meritis maiora esse sentio, parem aliquando gratiam rependere cupio; obedientiæ tenorem tibi debitæ, mihi propriæ, ad extremum vitæ spiritum, præstare. Saniori Religione quam ipse inuidiæ causa, nouam dicis, amplectenda orbis iudicium sequebamur, multis præterea nixi præsidiis: de veritate non dispuro, cuique de ea re liberum arbitrium facimus, tantundem modò nobis detur. Gothicæ gentis felicitatem Arianæ superstitioni acceptam fers, scilicet ignarus consueuisse Deum, quo grauius ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere vlcisci parat, his secundiores interdum res, & impunitatem concedere, haud sanè constantem, atque perpetuam, quod Vandalorum, atque Ostrogothorum in simili causa, exitus declarat. Quod si indignaris, te inconsulto ausum me Religionem mutare: concede mihi vt doleam; ne hoc quidem abs re tribui, vt salutem meam rebus cæteris potiorem habeam: pro qua si res ferent, paratus sum sanguinem, vitámque profundere. Neque Patrem fas est plus diuinis legibus, ac conscientiâ posse. Deum quæso consilia tua Reipublicæ sint salutaria, nobis filiis tuis haud exitialia. Tu caue ne sinistris criminationibus aures accommodando, aliquid committas, vnde tibi luctum in omnem vitam parias, nomini, ac generi nostro ad posteritatem, infamiam victis, ac victoribus parem.

ERANT *Regni studia diuisa inter patrem, & filium. Catholici quorum erat magnus numerus, causâ meliores, viribus impares, S. Principem, palàm, aut voto sequebantur. Maiori potentiâ Ariani Regis perfidi partes. Longinqua auxilia à Catholicis conquisita.* Leander *Constantinopolim ad* Tiberium *Augustum nauigauit, pro qua re iuerit, parum profecisse arbitror.* Hispalis, *&* Corduba *munita, instructaque commeatu: siue ducendum esset bellum, siue obsidionis mala essent toleranda. Romani Duces fœdere* *Ad arma ventum.*

dere conciliati: Ingundis catholiciſſima fœmina vxor Principis, quæ non profuit ad eius conuerſionem, & filius recens natus Theodoricus nomine, in eorum relicti poteſtate, vt fidei data obſides eſſent, & ſi quid grauius accidiſſet à belli diſcrimine longiſſimè abeſſe volebat. Contra Leouigildus, cùm inuictum filij animum, neque metu frangi, neque promiſſis flecti conſideraret, vt monenti patri aures accommodaret, ad arma, vimque vertit animum.

Romani fœderantur Principi, ſed deficiũt.

Romani primùm, qui leuiter fundatâ fide cum filio ſentiebant, magno auri pondere, Leouigildo conciliati. Mercenarij homines ingenio, & quibus fides ex fortuna pendebat, vnde melior ſpes affulſit in eam partem, nullo honeſti inhoneſtique diſcrimine, inclinabant. Deinde inter Catholicos, & Arianos, quorum de Religione diſsidium, bellúmque excitatum eſſe conſtabat, ſpei quadam concordia excogitata, Arianorum Præſulum conſeſſus Leouigildi iuſſu Toleti habitus. In eo conuentu rebaptizandi mos, Arianis familiaris, ſublatus, cam ad eorum Sectam Catholici transfugiſſent.

Conciliabulum Toletanum.

Patri, Filium æqualem eſſe, de quo tamdiù diſceptabatur, verbo tenus ſancitum, cùm praua opinionis virus conceptum retinerent animis, verborum ſimulatione, multorum animi circumuenti, quaſi diſsidij causâ ſublatâ, aut ab B. Principe diſtracti palam, aut frigidius quàm fecerant, optimam cauſam tuebantur. Plerique ancipiti periculo dubij, atque ad tempus fortunam in conſilio habere ſoliti, ſpectatores belli eſſe mallebant, quàm eum fortunarum alienarum euentu, miſcere diſcrimen ſuarum.

Leouigildus Hiſpalim obſidet.

His rebus perficiendis tres anni conſumpti ſunt, ſed Leouigildus totâ ditione, magnis delectibus habitis, contra filium mouens, in extremam Bæticam ferro penetrauit. Hiſpalis circumſeſſa, parum ſpei erat, obſeſſos voluntate quidquam facturos ab HERMENEGILDO, atque Leandro Præſule præoccupatis animis: vim adhiberi, ac metum placuit.

ALLVITVR ea vrbi Bæti flumine magnarum nauium capaci: ad ſubuectiones prohibendas commeatu intercipiendo, eius fluminis curſum corriuari, alióque auerti cenſuit. Ea molitio magni laboris erat, atque multorum dierum opus. Itaque quarto ſupra Hiſpalim lapide, Italicæ veteris mœnia inſtaurata, & nimirum belli, quod diuturnum fore perſuaſum habebant, opportuna ſedes quærebatur.

Myro Sueuorum Rex Catholicus, Arianis auxilia defert.

Myro Sueuus, tametſi placitis de Religione diſcrepabat, cum ſuorum manu Leouigildo iunctus, tantum nefas, morte luiſſe creditus eſt, ipſo obſidionis tempore defunctus.

Hiſpalis capitur & Princeps aufugit.

Hiſpali, Bætis corriuato, magnâ, atque ſupremâ annonæ difficultate, laborabatur. HERMENEGILDVS poſt annuam obſidionem, deſperatâ defenſione, clàm ad Romanos elabitur, ignorabat nimirum paterno auro corruptos. Ciuium deditione, Hiſpalis continuò, in Leouigildi poteſtatem venit. S. vero Rex iuuenis ad Oſſetum venit cum trecentis delectis militibus, vbi loci munitione, & ſanctitate confiſus, patrem ſperabat ſi vim adhibere pararet, à tergo, atque à fronte circumuentum, nam prope reliqua copia, tendebant, opprimi poſſe. Quod contra accidit filij conſilio explorato, vt nihil occulti eſſe poteſt, in inteſtina diſcordia, ſolers pater eius conatus eluſit. Magna celeritate oppidum captum, incendióque deformatum, HERMENEGILDVS ipſe ſpe omni deſtitutus in Templum aufugit, ſi forte reſidente patris irâ moræ ſpatio, veniam impetraret. Sequebatur Leouigildi caſtra Reccaredus minor ætate filius, indole animi, atque prudentiâ fratri æqualis. Is patris permiſſu, factâque à fratre ipſum conueniendi poteſtate, in Templum admiſſus, aliquandiu vi lachrymarum vocem intercludente, tacitus ſubſtitit,

Reccaredi fratris ad Principem exhortatio.

deinde: Mollis (ait) animi eſt, ſuorum caſum dolere, nec in dolore, præter lachrymas, remedium adhibere. Tuam calamitatem noſtram iudico; quid enim inter fratres, & patrem poteſt eſſe ſeiunctum. Neque tuos conatus vitupero, Religionis ſuſceptæ ſtudio, tametſi quæ iuſta cauſa eſſe poterat in patrem arma mouendi? Ac ne illorum quidem conſilia accuſabo, quibus es in fraudem inductus. Præterita lamentari, quàm corrigere facilius eſt. Fuit horum temporum calamitas,

mitas, & scissis prouincialium animis dissidium fatale. Dum vtraque pars in nostra familia quærit præsidium, vtrique planè corruimus. Reliquum est ad concordiam animos reuocare, prouidere certè, ac præstare, ne inimici in nostræ domus ruinis, amplius exultent, quod vtinam rebus integris libuisset: sed præstat ad paternam misericordiam recurrere, & factorum veniam cupidissimè petere, quàm pertinacia, atque arrogantia perire. Moneat vtriusque fortunæ conditio, ne contumaciam cum pernicie, quàm obsequium cum securitate malis. Illud memento, rebus profligatis, consilio opus esse; animi impetum fore tum vanum, tum exitialem. Ego tibi, si quod necesse est sponte facis, patrem offero placatum, retento certè Regio honore, modico supplicio noxam expiabis. *Ad ea verba, iuramenti Religio addita, vocato patre, mœstus iuuenis Sanctissimus ad genua prouolutus, ab eo, veniæ simulatione, osculo exceptus est, atque blandis sermonibus delinito animo, in castra deductus, mox Regijs insignibus detractis,* Hispalim *in custodiam missus est. In ea manibus ad collum reuinctis asseruatus traditur, ad carceris squalorem, victus ipse, & cultus asperitatem addebat: cilicij vestem, quam in lecto etiam pro stragula veste vtebatur, animo in diuinarum rerum contemplatione defixus, cælum suspirans, quò se quamprimùm iturum sperabat.*

Princeps patri se offert.

Vinctus Hispalim reducitur.

Coepit itaque Hermenegildus *Rex iuuenis terrenum Regnum despicere, & forti desiderio cœleste quærens, in cilicijs vinculatus iacens, Omnipotenti Deo ad confortandum se preces effundere, tantóque sublimius gloriam transeuntis mundi despicere, quantò & religatus agnouerat nihil fuisse, quod potuerit auferri. Superueniente autem Paschalis festiuitatis die, intempestæ noctis silentio, ad eum perfidus pater Arianum Episcopum misit, vt ex eius manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet, atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed Vir Deo deditus, Ariano Episcopo venienti exprobrauit, vt debuit, eiúsque à se perfidiam dignis increpationibus repulit, quia etsi exterius iacebat ligatus, apud se tamen in magno mentis culmine stabat securus. Ad se itaque reuerso Episcopo, Arianus pater infremuit, statímque suos apparitores misit, qui constantissimum Confessorem Dei, illic vbi iacebat, occiderent, quod & factum est. Nam mox vt ingressi sunt, securem cerebro eius infligentes, vitam corporis abstulerunt; hoc in eo voluerunt perimere, quod ipsum quoque, qui peremptus est, in se constituerat despexisse. Sed pro ostendenda vera eius gloria, superna quoque non defuêre miracula. Nam cœpit in nocturno silentio psalmodiæ cantus, ad corpus eiusdem Regis, & Martyris audiri, atque ideò veraciter Regis, quia & Martyris. Quidam etiam ferunt, quòd illic nocturno tempore, accensæ lampades apparebant, vnde & factum est, quatenus Corpus illius, vt videlicet Martyris, iure à cunctis fidelibus venerari debuisset. Pater verò perfidus, & parricida commodus pœnitentia, hoc fecisse se doluit, nec tamen vsque ad obtinendam salutem pertinuit. Nam quia vera esset Catholica fides, agnouit, sed gentis suæ timore perterritus, ad hanc peruenire non meruit. Qui oborta ægritudine ad extrema perductus est, &* Leandro *Episcopo, quem priùs vehementer afflixerat,* Reccaredum *Regem filium suum, quem in sua hæresi relinquerat, commendare curauit, vt in ipso quoque talia faceret, qualia, & in fratre suo, suis exhortationibus fecisset.*

Ad eum mittitur Arianus Episcopus cum sacrilega communione. Reijcitur à Principe Catholico.

Coronatur martyrio Princeps.

Cælestis auditur concentus.

Luces apparent in cælo.

Creditur Rex ad fidem conuersus.

Sancti *ergo Regis, & Martyris corpus* Hispali *postmodùm honorificè sepultum, adusque* Hispaniæ *excidium cultu debito veneratum, & miraculis celebre fuit, in cuius honore insigne* Toleti *Templum extructum, memoriam tanti agonistæ illis seculis conseruauit. Ast eueniente* Hispaniæ *ruinâ, Catholici, inter cætera Sanctorum lipsana ex* Hispalensis *vrbis sacrarijs extracta, caput S. Martyris, corpore abscondito, secum detulerunt, quod,* Cæsaraugustam *deuenientes, Clericis obtulerunt, vbi iacuit, donec Regina*

Sepelitur Hispali sacrũ Corpus. Caput apud Sexinense Cœnobium inuẽtum ad Escurialẽs, defertur.

Sanctia, *Alfonsi Aragonum Regis uxor Monasterio* Sixenense *à se extructo, Monialibus S. Ioannis Ierosolymitani, illud ibidem transtulit, quo, ad usque Annum* M.D.LVIII. *honorificè cultum extitit: sed eo* Philippi II. *Regis Catholici iussu*, D. Ioanne Baptista de Cardona *Episcopo* Vicensi *exlegato, ad* Escurialense *Regium Cœnobium translatum est, ubi honorificè quiescit.*

Isthæc sunt ACTA quæ Nobis præbuere *Ribadeneyra*, *Mariana*, & *B. Gregorius Magnus* cum aliis Hispanicarum rerum Scriptoribus. Circa illorum ecphrasim nonnullæ ab ipsis excitantur difficultates, quarum opiniones infra recensere curabimus, postquam *Ambrosij Morales* Historiographi Regij hymnum, quem ex voto scripsit, & Nos item ex voto exscribimus huiusmodi:

DIVO. HERMENEGILDO.
MARTYRI. SANCTISSIMO. CATHOLICÆ.
FIDEI. SANGVINIS. ET. VITÆ. IMPENDIO.
ADSERTORI. FORTISSIMO.
DD. LEANDRI. ISIDORI. FVLGENTII. FLORENTINÆ.
SORORIS. FILIO.
REGI. INCLYTO. PER. HISPAN. ET. GALL. NARB.
PRINCIPI. IVVENTVTIS. AMALO. BALTEO. FLAVIO.
AMBROS. MORALES. CORDVDENSIS. REGIVS. HISTORICV
SANCTITATI. DIVINÆ. Q. EIVS. PRÆSTANT. AB. INEVNTE.
ADOLESCENTIA. DEVOTISS. ET. PRÆSENTI. EIVS. PATROCINIO.
ANIMI. LAPSV. VITÆ. PERICVL. NON RARO. LIBERAT. QVOD.
POTVIT. INGENII. OBSEQVIVM. SVPPLEX. AC VENERANS.
D. D.

IN D. HERMENEGILDVM. Regem, & Martyrem.

HYMNVS.

INSIGNEM *egregijs meritis celsáque potentem*
Virtute, insolitæ cui sit noua gloria laudis,
Mortales inter si quem mortalia supra
Euectum, ætherea referentem, & originis haustum,
Semina testantem patriæ, & cœlestis honorem,
Egressúmque hominum metas conspeximus, illum,
Protinus illum auidi venientem pectore toto
Accipimus, meritúmque pio veneramur amore
Et cultus, digna & surgit reuerentia famæ.
Dúmque incensa calent cupidis præcordia flammis,
Interea iusto natura indulget honori.
Namque citi plenis erecta in pectore votis
Templa damus, corde excisas ac ponimus aras.
Mente vbi inexhaustos proni largimur honores,
Sacra frequentantes animo: instaurare parati
Hæc eadem memori obsequio, præstantia clari
Huc hominis quoties iterum veneranda recurset.
Alexander Magn. *Hinc deuastatus bello, plenúsque malorum*

Pellaum

Pellæum iuuenem studijs plaudentibus Orbis
Festinat celebrare tamen, spoliisque superbum,
Prædonémque suum decorat cognomine Magni.
Illum etiam, nuper felici Corduba *partu*
Quem dederat, Magnum *pleno nunc nominat ore* *Gonsalus Fernand.*
Italia, *hinc deuicta ducem: confessa merentem,*
Præstantíque animo clarum, & præstantibus ausis
Extorsisse hosti veneranda præmia laudis.
Hinc quondam Siculi *rabies mollita tyranni* *Laert. in Vit. Platon.*
Hospitis Actæi *populis dedit ora tueri,*
Duxit, & albatis super inspectanda quadrigis.
Hinc opulenta abijt spolijs, atque aurea gemmis *Herodot. in Vit. Homer.*
Sola tulit nitidis spoliati scrinia Regis
Ilias. *Hinc etiam* Occiduis *à* Gadibus *vsque* *Ieronym. ad Paulin. Plin. ad Nepot. lib. 2. Quintilian. lacteã vbertatem in Liuio celebrat.*
Herculeæ *quondam Romam misere columnæ,*
Illum qui tantum cernant; cui lactea fundit
Eloquia exuberans amplo facundia fonte.
Tu quoque odoratos linquens Regina Sabæos. *3.Reg.10.*
Venisti: longúmque viæ permensa laborem,
In solio tantum vt cernas Salomona sedentem,
Fundentem & doctas, stupeas, de pectore voces.
Ast tu, conspicuum bonitas quem summa Tonantis,
Eximium quem larga manus, multísque verendum
Nominibus iubet esse, nouo & fulgore coruscum
Purpureos inter Proceres, qui morte perempti
Crudeli, vestes agni tinxêre cruore:
Regia progenies, Regni contemptor auiti,
Æterni sceptri, & Regni melioris amore:
Imbuis effuso patris qui sanguine cultros
HERMENEGILDE iaces? *Meritis heu præmia tantis*
Stant nulla? Et nullo reuerentia surgit honore
In terris? Votis nec sæpè vocaris anhelis?
Nec venerata tuum mortalia pectora nomen
Thura ferunt, sacris quæ incensa imponeret aris,
Et super inijceret flagrans deuotio corda?
Quin etiam (heu crudele nefas, mortalibus ægris
Cladibus haud vllis, dirâ nec morte piandum!)
Obruta mortales miseri tua nomina penè
Inuolui æternum tenebris patiuntur: vbi altè
Obscurant cæcâ mersum te obliuia nocte.
Sic abeat? Non si medijs sit adurere flammis,

Aut sit opus ferro submittere colla feroci,
Et vita effundenda mihi per vulnera mille.
Quòd si pauperies, possem, vt mihi dura negauit,
Templa tibi, & Pario radiantem marmore molem
Erigere, aurato superet quæ culmine montes:
Atque aras onerent matrum, quas munera, quásque
Hispalis *ampla colat, quas* Bætica *tota frequentet:*
Non animum ardentem, digno non pectus amore
Quod flagret, non deuotam, penitúsque dicatam,
Et quam iusta tui rapit admiratio mentem
Illa mihi abstulerit: nec iam celebrare parantes,
Ardentésque nouo sacratam carmine mortem
Quas colui Christi Vates ad templa Camænas
Aonidum pertæsus aquas, & flumina Cyrrhæ.
Vos Diuæ sacras primùm Iordanis ad vndas
Palmifera exortæ nemora incoluistis Idumes:
Mox Tyberim, & septem translatæ ad culmina Romæ,
Clauigeri quondam Sancta ad sacraria Petri
Fixistis sedes æternum in sæcula vestras.
Vos mihi sublimem hanc auram, terrásque perosum
Hunc animum cantare humiles quæ immittitis, atque
Instinctum rapitis summi ad penetralia cæli
Inclyta Magnanimi venerantem Principis orsa:
Vos vestris votis sancto aspirate fauore.
Ardentem vestro impulsó date fundere carmen
Talibus & gestis, & tanto Principe dignum.
Qua diues terras, septémque obuersa Trioni
Littora Cantabricósque sinus Hispania fundit:
Occeanúmque suum, refluis cum fluctibus, indè
Herculeas latè transmittit adusque Columnas:
Et quà Sardorum pelagus combusta Pyrene
Prospicit, & Regnis fines dat ditibus amplos:
Leuuigildus *erat Rector, Gothisque superbis*
Iura dabat, rigidis promens mandata seuerus.
Quin etiam imperio Gallos Narbone premebat,
Mœnia frugiferi crudelis adusque Nemausi.
Filius huic etiam fuit HERMENEGILDVS, *honore*
Insignis, meritis, bellóque, & pace verendus:
Infando heu nimium proles indigna parente!
Impius ille etenim natum meliora sequentem,
Et veræ amplexum sic religionis amorem,

Compedibus

Compedibus vinctum, tenebris, & carcere clausit.
Namque pater vero de cælo luminis orbus,
Deuius, & cæco progressus tramite callem,
Arrius infelix, quo pergere iusserat, atro
Errore infecit séséque, & corda suorum.
Æthereo at Princeps lustratus lumine, Christi
Intemerata suo seruans oracula corde:
Intrepidus fidei sanctæ conseruat honorem.
Indoluítque patrem animo per deuia tractum,
Gothorum misero gentémque errore labantem.
Hunc animum quondam puero Regina tenello
Indiderat, Natúmque pio sermone gubernans,
Rectis imbutum monitis Theodora *tenebat.*
Addidit & Iuueni sanctæ incrementa Leander
Doctrinæ, fidei confirmans robore pectus:
Et Christum vero quærentem tramite duxit.
Nam Regis nullo fractus terrore Leander,
Tentatus precibus, precibus non flectitur vllis,
Tentatúsque minis, tamen imperterritus adstat.
Hispalis *hic Præsul magnæ fuit, insuper atque*
Reginæ frater Theodoræ, *& auunculus altè*
Principis, hinc animum monitis melioribus armat.
O quoties sacros monitus iterabat! Acuta
O quoties precibus confert hortamina mixtis!
Instimulans donec sæuum iracundia Regem
Perpulit exilio firmum mulctare Leandrum:
Extorrémque suis iubet hunc discedere terris.
Tunc iuuenis tanti auxilio monitoris, vt orbus,
Ipse sui rector, monitor sibi, coniugis audit
Præterea Ingundis *sacro de dogmate verba,*
Cælitus incenso quæ feruens pectore promit.
Ingundis *Regum soboles, coniuncta marito*
Digno, æquè & dignus tàm sanctâ coniuge Princeps.
Illa fide intrepidi confirmans intima cordis,
Rectâ seruabat secum pia dogmata mente.
Ardentem introrsum non vlla pericula tardant,
Non metus: hinc quamuis iam multa pericula subsint,
Híncque metus mortis perstanti sæpe recurset.
Nam Leouigildi *coniux* Galsunda *mariti*
Errore inficitur. Fuit & truculenta benigna
Hæc auia Ingundi, *generóque infanda nouerca.*

Impetit opprobrijs neptem: tum vulnera sæpè
Ingeminat, Sanctum dogma vt dimittere cogat.
Illa sed intrepidam mentem imperterrita firmat,
Atque Virum pergit sic inconcussa docere,
Quanta ipsum deceat Christi pro lege subire:
Martyrióque Viri præludit Sancta futuro.
Talibus vxoris stimulis præcordia Princeps
Incensus, sempérque animo præcepta volutans
Veridica, æqualem Patri quæ numine Christum,
Quæque Deum hunc monstrat summum sine labe fateri:
Non firmat se solum, at iam cœlestibus actus
Imperijs, magno impulsu sublimia versat.
Consilia; hinc maiora parans holocausta Tonanti.
Gothorum gentem, latéque patentia Regna
Mente agitat, tenebris erroris luce fugatis
Æthereâ, vero perfundere lumine cuncta.
Ac velut vnguentum id, oleo quod balsama odoro
Commiscent, sparso effusum spiramine latè
Non dominum tantum dulci perfundit odore,
Sed circum simili stantes dulcedine tangit,
Et longè in longas sparsum diffunditur auras:
Principis haud aliter pietas diffusa, suorum
Corda adit, & veri contactu dogmatis implet.
Ergo hac instinctæ sedit sententia menti
Cœlitus: vt patrem reuerens monitoris egentem
Admoneat semel, atque iterum, meliora sequatur,
Errore & spreto, sanus resipiscere curet.
Quod si non Nati studijs meliora monentis
Se dederit; bello tunc aggrediatur, & armis,
Catholicâ sumptis pro Relligione piorum.
Nec semel, atque iterum Nati reuerentia, patrem
Admonet, atque humili tentat sermone, sed vsque
Sæpius ingeminat monitus, precibúsque fatigat.
Durior at scopulis rigidi sententia Regis
Perstat, & obliquâ rapitur per deuia mente.
Ergo age magnanimus, iam bella capessere Princeps
Incipit, & pia castra parat: defendere certus
Diuinæ Legis potiora oracula, quæque
Immaculata fide coluit, iam sacra tueri.
Nec patrem contra testatur surgere durum
Quamuis; stare piâ at pro Relligione suorum.

Principio auxilijs vires maioribus auget
Vicinásque acies secum coniungere tentat.
Imperium iam Roma tuum conuersa minutum:
Et lacerum fata, in Thraces, Bizantiáque arua
Transtulerant: sedésque nouas defixerat, vndis;
Quâ Europam, atque Asiam disiungunt littora paruis,
Ad Constantini dictam de nomine molem.
Tiberius rerum dominans hoc tempore Cæsar
Imperium latè protenderat, Africa tota
Quâ Lybiam tenet, & Mauros, Hispania quáque
Subtractam luget nuper sibi fœdere partem.
Præsidio hanc Græcus multo & custode tenebat,
Heu nostros fines peregrino milite firmans.
Auxilia ergo ardens quærit dum talia Princeps,
Græcorum; obsidibus certis; & fœdere certo
Comparat. Vxorem, & paruum ad cunabula natum
Plorantem, fidei signat iam vincla futuræ.
Mittere quæ postquam statuit, deducit ad altas
Ipse Aras. Genibus flexis, ad sydera palmas
Attollénsque oculos, magna sic voce precatur.
Accipe summe Pater (tibi nam tua dona feruntur
Quæ dederas) natum, maioráque munera matrem,
Pignora chara mihi, quondam quæ & viscera suprà
Chara mihi, vitáque magis dilecta fruenti.
Sed tua me, Genitor, pietas, oracula, Christe,
Me tua gaudentem, nunc cuncta relinquere cogunt:
Sic leges, sic, Sancte, tuas, tua verba, tuúmque
Sic illibatum conseruaturus honorem:
Et me commiserans, sortem & miseratus acerbam,
Crimináque auersans animo miseranda meorum:
In vera incipiant vt dogmata velle reuerti.
Tu Pater infanti melior, potiórque maritus
Vxori: tu vtrumque foue. Tum prælia iussis
Cœpta tuis, fausto claudat victoria fine.
Te verò (cœlum testor, cœlíque potentem,
Et Dominum testor, qui nos audítque vidétque
Ante Aras cuius voueo) charissima coniux,
Ni Deus hoc iubeat, nunquam relinquere possem.
Hæc fatus Nati, & Matris complexibus hæret
Postremis: postremos heu fore nescius istos.
Tandem discedunt. Amborum conditur alto

Corde dolor, lachrymæ aſt oculis turgentibus ortæ
Erumpunt, ratio inuitas ſed dura coërcet.
Nec minus interea fidas in bella cohortes,
Roboréque inuicto ſubmittit Corduba *firmas:*
Corduba *ſacratas Chriſti defendere leges*
Prompta animis, & prompta viris. Succenſa medullas
Impia crudelis flagrat deliria Regis
Arcere, & labe aſperſam detergere gentem.
Aſtigitana *manus (fama eſt) cœleſtibus acta*
Veniſti auxilio monitis. Nam corda tuorum
Sic bonus æthereo impulſu Fulgentius *armat:*
Eximius meritis, doctrinâ, & fratre Leandro
Inſignis. Fuerat iuuenis tunc temporis vrbi
Aſtigitanæ; *qui lectus iam ſorte Sacerdos,*
Mox eadem ſummus datus ad ſacraria Præſul.
Irriguis fluuius candenti vellere limphis
Goſſipij *hic ditat populos, &* Sangilis *arua:*
Satiuans præbens meſſo de frutice lanam.
Vt primum vidit iunctas in prælia vires,
Tunc animum iam addit dictis, & robora Princeps,
Sancta in commotis animis hortamina fundens.
Vitandum Regem feruens, ardénſque monebat,
Iam ſemel, atque iterum monitum. Sic ſancta loquuntur
In cœlum rapti, & monſtrant Oracula Pauli.
Vitandum Regem paſſim quoque ſigna loquuntur
Inſcripta. Hoc ſancti fit belli teſſera ſignum:
Sculpta etiam in nummis ipſum hoc victoria fatur.
Quæ, exilio quamuis diſtractus, verba Leander
Inclamanda pijs Sancta ad certamina miſit.
Aut Iſidorus *ei iuuenis, ſeniore nec impar*
Fratre dabat. Fuerat ſemper ſenis alta Leandri
Spes fratris: quo non illa vllum ſecla tulerunt
Aut talem; laude aut ſimilem, qui compare certet,
Diuinæ, atque hominum ſophiæ myſteria noſſe,
Atque eadem ſcriptis teſtata relinquere libris.
Hiſpalis *hoc etiam, poſt fratrem, Præſule gaudet,*
Et tutelarem Diuum veneratur honore
Æterno, plures inter quos læta Patronos
Computat, adiuncto magno quoque fratre Leandro.
Iamdudum ſedes bello opportuna futuro
Hiſpalis *eligitur. Iam ſe huc delecta iuuentus*

Monita Hermenegildi.
Ad Tit. cap. 3.

Congerit,

Congerit, arma mouens sancto cum Principe sancta.
Impius húcque pater diras in bella cohortes
Adducit; Natúmque hic obsidione retentum
Detinet, & castris, & circum milite vallat
Vndique: iámque premit sæuus, duríśque coarctat
Cuncta adimens misero semper solatia rebus.
Namque etiam Bætim, *refluis qui fluctibus vrbem*
Implebat, plura obsessis alimenta ministrans
Imposita Occeano; cursum (mirabile dictu)
Rex mutare nouo iubet, ac decurrere campo.
Paruit inuitus sacer amnis, molibus actus
Et fossa: O quantum mallet illa impia castra
Immissis atque ipsum vndis submergere Regem.
Nec minus interea non fractos ariete muros
Oppugnat sæuus, submerso milite adortus:
Instat, & afflictum crebro certamine Natum
Spe nudat: viréśque fame contundere longâ
Pergit; confectum donec (miserabile visu)
Languentémque, & vix viuum penuria adegit
Dedere se. Heu patris captiuus sumitur, atque
Permultas circum constrictus ducitur vrbes,
Infando spectacla ferens infanda triumpho.
Sed tandem immersum vinclis, & carcere cæco
Hispalis *ampla premit manibus pedibúsque reuinctum.*
Fornice in excelso, medióque cacumine turris
Antrum immane fuit, vastáque voragine præceps:
Intus circum horror tetrâ caligine fusus,
Exclusa æternùm densis ibi luce tenebris.
Ast in secessu longo locus abditus, alto &
Culmine suspensus, præcépsque. Imperuius omnes
Ingressus aditúsque negat. Si pergere custos
Huc velit, admotis scalis conscendere possit,
Haud aliter. Spatijs intus conclusus iniquis,
Parua sub exiguo protenditur area tecto.
Angusto hos sanctus Princeps iacet abditus antro,
Non tantum ferri nexu, quàm pondere vinctus.
Nec totus iacuit. Gurgusti angustia paruus
Tanta iacere vetat lassum, cogítque sedere
In tenebris. Dubiam angusto nam calle malignè
Solum infert misero tenuis tibi rimula lucem:
Eheu si cœli non totus lumine, Princeps

Perfusus,

Perfusus, Numen cernas in luce serena!
Tunc Graci Ingundem *paruo cum pignore matrem*
Adproperant diro eremptam seruare periclo:
Nauibus impositam ventis dare vela iubebant,
Semotam vt terris saluet procul Africa tutis.
Nauigat infelix sauo laniata dolore
Ingundis, *sola* Ingundis, *viduata marito,*
Et tali, mors cùm nondum diuelleret ambos:
Fertur aquis Lybia tanquam captiua per oras:
Et gremio infantem, vix dum gestare reuulsum
Vberibus, dolor est, fuerat qua magna voluptas.
Heu tanta ignarum cladis miseratur, & ipsa
Tota madens lachrymis pectus, lachrymisque madentem
Maternis, imóque trahens suspiria corde,
Alloquitur verbis, gemitus non verba fuerunt.
Felix, heu quondam felix, tantóque beatus,
Parue puer, plusquam regni ditione, parente:
Infelix, nimium infelix nunc. Tristis, & orbus
Ante obitum patris, regnísque exutus auitis,
Extorris, seruúsque habitus, nec creditus obses:
Non puppe, ast cunis veheris maria omnia circum,
Tu tamen hinc verum discas si ex patre laborem,
Virtutémque patris discas pietate Tonantis.
Felix, ô nimium felix, si exempla parentis
Insequeris: posthac te qualiacumque sequentur.
Tu Pater Omnipotens, supplex oracula cuius
Intemerata colo, precor, heu miserere laborum
Tantorum clemens, vincti & miserere mariti,
Et Nati: dignúmque suo des esse parente.
Hac ait. At puppis rapido legit aquora cursu.
Sed ferro vinctus Princeps, & pondere ferri,
Terras iamdudum, & quidquid mortale perosus,
In sublime animo fertur, cælúmque pererrat.
Mente olim, & votis migrare ad sidera suetus,
Nunc animus rupto tanquam si corpore liber
Euolet: in cælum rapitur, sedésque beatas
Conscendit, fruitúrque Deo propiore frequenter.
Quóque magis terras animo, & terrena relinquit,
Hoc magis astra subit Princeps, cælóque propinquat.
Sic Regina auium commotis ardua pennis,
Cum primùm terris cæpit se tollere, in auras

Erigitur,

Erigitur, tantúmque volans iam nubila tranat,
Iam ſpatijs quantum velox maioribus acta
Diſcedit terrâ, atque alis petit æthera motis:
Sic ſublimis adit Princeps iugis accola cœlum.
Nec iam Regales cultus, nec purpura, quáſque
Inſignes reddit veſtes, nec ſceptra moratur.
Cilicio obſeptus, conſtratis deſuper atque
Cilicijs recubans poſuit regalia membra.
Et quamuis victu tenui pater impius illum
Excruciet, tamen ipſe ſibi conuiuia quærens
Æterna, æternis cupiénſque accumbere menſis
Æthereis, eſuriem, multa & ieiunia prudens
Indicit, poſſit quo promptior aſtra ſubire
Sic animus, tardo grauet hunc nec pondere corpus.
Quippe Deum aſsiduus veniam, robúrque precatur,
Obſecrat; orandóque inſtat, perſtátque petendo
Noctes atque dies. Sola hæc ſolatia reſtant.
Talia ſed, nullis vt commutare libenter
Hæc vellet, miſero quamuis iam plura darentur.
Suſtollénſque oculos (manibus data vincula palmas
Arcebant) tales effundit pectore voces:
Quas tibi, Summe Pater, dignas perſoluere grates
Quas poſſim? Tanto cùm me dignaris honore,
Opprobria vt pro te, pro te hæc & vincula, tetri
Carceris horrorem, regno, ſpoliatus, adempto,
Perpetiar? Nec me tot peſſumdantia lædant?
Quinetiam magna lætum mercede pericla
Ferre iubes: cum tu totus, tu tu ipſe futurus
In cœlis æternùm ſis mihi maxima merces.
Nec minus interea te te largiris, vbi alta
Inſtillas, miſerum confirmans, gaudia corde:
Quæ ſolus potes ipſe dare dulcedine tanta:
Quæque ego deliciis nullis vberrima mutem:
Regis opes quamuis, Regni quoque gaudia norim
Expertus. Valeant, valeant illa omnia, túque,
Tu mihi, tu tantum, te ne ſubſtraxeris oro.
Multa & ſi miſero poſthac patienda ſuperſint,
Poſſum multa pati, mecum ſi inſiſtere pergas.
Nam vitam, quæ ſola mihi iam denique reſtat,
Quo ſignum maius, magni nec pignus amoris
(Ceu Nati monſtrant, Genitor, pia dogmata Chriſti)

Eſſe

Esse potest; perfundam auidus. Tu, munere tanto
Indignum, dignum quæso, ne, Sancte, recuses
Præstare: & grates referentem ferre libenter
Magnanimo iubeas mortem per vulnera, corde.
Hæc sæpe ingeminat, noctésque, diésque precatur.
Nec solus, paruo quamuis conclusus in antro,
Perstat. Nam vultu semper comitatur amico
Angelus, & lateri comes indiuulsus adhæret.
Hic sibi nascenti de cœlo missus in omnes
Iam casus fuerat per cuncta pericula custos;
Millibus electus de multis Principe dignus,
Quos munus, noménque excelsos Principis ornat.
Hoc cùm versatur, multa & colloquia miscet.
Hoc vno tantum comitatus, Regia temnit
Cuncta satellitia, hinc spernit Procerúmque cateruas,
Quas auro, & gemmis resplendens purpura vestit.
Hoc comite, Satanæ turmas, Acheronte refuso,
Quas sese armatas aduersus tartara mittant,
Non dubitat victas, tristes compellere in oras.
Interea vigilem vexat noua cura Leandrum:
Sollicito afflictus premitur sua corda dolore.
Quid Princeps? Duram quali cum pectore sortem
Perferre insistat? Quo firmus robore perstet?
Ecquid terrenis auulsam ad sidera mentem
Attollat? Nunquid charæ suspensus amore
Coniugis? Et teneri suspiret tristia Nati
Exilia? O quoties monitûs, hortamina mixtis
Ingeminet precibus: si coram copia fandi
Alloquióque detur viuas transmittere voces.
Sed quando obsessos aditus custodia sepsit:
Ipse exul, longè & terris distractus, adire
Cum nequeat (faciat quod non deterritus, esto
Mortis certa sibi inde instare pericula cernat)
Quod potuit, scriptis pergit firmare tabellis.
Fama est, delusis cæci custodibus antri,
His monitis, fidæ quæ gestauêre tabellæ,
Iecisse intrepidæ quamuis solatia menti:
O tu, quem Regni instinctum cœlestis amore
Fastidire auidum perituri sceptra coëgit
Æterni mens sancta Patris: qui vulnera Nati,
Et mortem chara pro libertate suorum

Impendis

Impendit: quantum tanti te pignora amoris
Alta rependentem carcérque, & vincla iuuabunt?
Per tormenta etiam effusa & cum sanguine vita.
Ille has delicias, delectamenta parauit
Hæc tibi, pro Regni solio, & splendente coróna,
Sic spretis, animúmque dedit gestare virilem:
Contemptorem animum terrenæ fæcis, & astra
Alta super, cœlíque super vaga culmina Regni,
Qui æternum cupidus suspiret sceptra, beatam
Cum Christo regnans sine fine & ducere vitam.
Tantum te æthereus vigor, & te viuida virtus
Perstare immobilem, sanctísque insistere cœptis
Perficiant, robúrque animo constantia donet.
Quod te per Patrem Æternum, per vulnera Nati,
Per, quæ in te fuerat cum Relligionis amore
Intemerata, fidem, obtestor, non territus adstes.
Perge precor: tu puro perge hanc pectore firmam
Constabilire fidem, quam nec tormenta, nec vlla
Vulnera concutiant, vt sæuâ morte peremptus
Grata cadas tandem dilecto victima Christo.
Sic illum expertus pertinges testis amorem,
Quem summum quondam est ipse attestatus, amicis
Cùm quis pro charis vitam cum sanguine fundit.
Quæ postquam legit Princeps, noua gaudia corde
Concipit, & lætus monitis, sic ore precatur:
Summe Pâter rerum, tu nostro in pectore largus
Confirma ætherei summo de vertice templi Psalm. 67.
Quæ in Nobis operatus eras. Vt Sancta *Leandri*
Hinc monita hæc nostris perstent infixa medullis:
Custodem æthereum posthæc, comitémque benigno
Alloquitur vultu, & ceu cernat, talia fatur:
Diue, preces, tu Diue meas transmittere cœlo
Perge precor, ferre & summo mea vota Tonanti. Ad Phil. 2.
Vt velle, vt toto nisúque, & viribus ausim
Perficere, hortatur facere quæ & velle LEANDER.
Nox veneranda aderat post hæc, quâ Christe Redemptor
Mortuus, at victor deuictâ morte resurgis:
Et Natum memorat sæuo cum corde Tyrannus,
Edomitúmque malis posse & mitescere credit:
Dogmatibúsque auersum rectis, in sua praua
Iam concessurum: Regníque cupidine tractum

Posthabitis vltrò facturum talia cunctis.
Protinus acciri, properúmque venire iubebat
Paschasium: *Mytra nequam hic Antistitis ornat.*
Tempora. Non alius fraudes innectere verbis
Promptior, aut fictâ rectum subuertere linguâ.
Mysterijs hunc sacris cùm Rex pergere Natum
Ad vinctum iubet: & blandis sermonibus ipsum
Mollire. Vt statuat se per mysteria sumpta
Polluere: incipiátque volens errore paterno
Infectus, cum illo iam se sentire fateri.
Regiáque adferret secum ornamenta superbo
Imperat, insignita ostro, gemmísque coruscis:
Esse animi vt possint hæc tentamenta caduci.
Ille omnes nocui vidit dum perfidus artes
Eloquij exacuit, linguámque armare veneno
Pergit. Et ingressus blando sermone parumper
Adgreditur iuuenem: tótque infortunia passum
Commiserans, lachrymis oculos impleuit obortis.
Et se tantorum miseratum corde laborum,
Placauisse patrem memorat; tùm durius ipsum
Perstantem flexisse: vt iam mollitus amore
Ipsum restituat patrio, Regníque locatum
In parte, anteacti sit nulla iniuria belli.
Tu tantum cupias (*inquit*) nec facta parentis
Mitia præfracto perstes excludere corde.
Adsumus; & Christum, sancta hæc mysteria qualem
Includunt, manibus nunc ducimus ecce sacratis:
Fortior, vt sumpto introrsum sic numine, factus,
Non iam consilio, non factis deuius erres.
Tu sume, & Sanctum robur ne despice. Et inde.
Illuuiem hanc immundam, & turpes exue sordes.
Accipe Regales cultus: mecúmque benignum
Ad patrem perge, ô Princeps, remeare fidenter.
Ille dolos, tecta & fictis malè fraudibus orsa
Iamdudùm aduertens, fremit horridus, igne furoris
Atque ardens, dictis adstantem adoritur acerbis:
Abscede hinc, properánsque abi iam, pessime, retrò:
Cúmque dolis, & cum fictis hinc effuge verbis.
Si veræ fidei memor, impie, muneris esses
Atque tui, mentes cœli hortarêris amore
Incensas, vero quærant, vt lumine, Christum.

Sed poſtquam fidei veræ es documenta peroſus,
Deturbare alios, ſimilíque errore cadentes,
Præcipites barathro tecum ſubmergere tentas?
Inferni dux obſcuri, Satanæque miniſter.
Me vocat æterna ſecum me ad gaudia Chriſtus,
Quem fidei; atque animi colui pietate, paratus
Próque fide, & verâ pro Relligione, ſubire
Supplicia, & diram tandem per vulnera mortem.
Ipſum in me æthereo miſſurum munere fiſus
Contemptorem animum, ſua quem conſtantia firmet:
Magnanimo intrepidus fundam vt cum pectore vitam.
Hæc ait. At pauidus ſtatim ſe proripit inde
Paſchaſius: *Regémque docet, conſtantia Nati*
Quanta ſit, atque animo quantum non mobilis adſtet:
Ille furit, rabiéque fremens incenditur ira.
Ac velut ille nouis, quas effudêre procellæ
Inſolitæ, & ſubito conſurgens turbine nimbus,
Creſcit aquis torrens, atque imbribus auctus oberrat:
Nec noto fertur campo, nec turgidus alueo,
Omnia proſternens rapido cum vertice præceps.
Tunc etiam irriguis (dirum) quas ſemper amicus
Fouit aquis, genitáſque ſuo recreauit humore,
Arboribus latè exitium molitur, & acto,
Quæ coluit quondam, perimit nunc gramina limo.
Talis in accenſo creſcit violentia patre.
Perfurit, ingeminátque minas, & colligit iras,
Protinus in Natum laxis quas fundat habenis;
Siſbertúmque *vocat. Fuit hic ſæuiſſimus vnus*
Gothorum; inuiſus genti, quondámque latronum
De grege protractus, Regis fuit inde ſatelles:
Supplicia & ſuetis peragit ſic cædibus ardens.
Hunc Rex (ah durâ conſtrictus pectora caute,
Et triplici obſeptus circum præcordia ferro)
Ire iubet (facinus terris, cœlóque tremendum,
Quódque piæ paueant, nobis narrantibus, aures
Audire) & Natum iubet obtruncare reuinctum.
Ingreſſus ſubito oranti, iam talia dudum
Atque expectanti, libratur fortiter ictu,
Intulit impactam, fracta ceruice, ſecurim.
Corruit exanimum corpus, gemitúmque dedere
Antri aditûs, & ſaxa pio tremefacta dolore.

Quaque rubent largè sancto perfusa cruore,
Proh dolor, albescunt mixto pauimenta cerebro.
Sed cœlo intereà tunicâ splendente Ministri
Ecce volant, antrúmque petunt. Iam lumina vincunt
Ætherea, & noctis tenebras, & carceris atri,
Exequijs instant sacris & funera læti
Concelebrant cantu plaudenti, & munere vocis
Principis ingeminant laudes. Vt pectore firmo
Et Regnum impauidus, sæui & contempserit ardens
Iussa patris, sæuásque minas, & facta furentis
Sæua magis. Diro extollunt in carcere vincla,
Et pedibus, manibus, collo, & truculenta ferentem
Intrepidum: & tandem crudeli morte peremptum.
Nec minus æterni canitur generosa Tonantis
Et bonitas, & larga manus, qui talia passum
Robore de cœlo misso, stabilire iuberet:
Atque inconcusso firmaret pectore vires.
At perituri nunc pro Regni culmine largus
Contempto æternum secum cœlestia supra
Sidera regnantem donet splendente corona:
Permutare iubens roseis diademata sertis,
Séque sequi: quocumque ierit, comitatur euntem.
Sic locus æthereo resonat cum lumine cantu,
Cœlicolúmque domus tetri fit carceris antrum.
O locus, ô nimium felix, veréque beatus!
Conscius æterni (decus immortale) triumphi,
Ætheris vnde subit Princeps Capitolia Martyr
Siderea. Huc domito victor Phlegetonte, redibat.
Sacra quoque Angelici celebrantis funera cantus
Conscius. Ecce tuas tenebras cœlestia rumpunt
Lumina: luce micans media de nocte coruscas.
Exigui sed enim quamuis angustia perstet
Gurgusti, non ampla tamen palatia Regum,
Non templa & spatijs te cum laxata superbis
Æquiparanda tuo veniunt, quo surgis honore.
Hinc etenim assumptis animus super æthera pennis
Corpore liber abit: téque & tutamina fida,
Diue, tua assequitur: queis tutus splendida nunquam
Ora Dei veritus, quamuis non dignus adire
Insistit, suppléxque audet perstare precando.
Et voti compos, téque, ô Sanctissime Martyr,

Martyrisque

Martyriique locum expertus celebrare benignum
Haud cessat, meritas passim, & persoluere laudes.
Hinc auro splendet totus: laquearia tecti
Aurea sunt pictis auro suffulta columnis
Nec tàm diuitiis (quamuis opulentia tantis
Fulget) quàm sacro madeat, quòd sanguine tinctus
Martyris, hinc maior splendórque & gloria surgit.
Atque vtinam Vati contingat munere cœli
Diue tuo (non vota, precor, non irrita sunto)
Quod superest vita traducere sedibus ijsdem.
Hæc loca Sancta colam assiduus: noctúque diúque
Atque ibi prostratus iaceam, contingere & ore
Osculáque imprimere, aut saltem vel cernere dignus
Hisce oculis, lachrymis tunc dulce fluentibus vdis.
Me tua nunc valide erectum tutamina fida,
Et voce, & votis sublimem attollere possent,
Et precibus raptum summi ad consortia cœli
Sistéreque ad summi penetralia celsa Tonantis.
Ipse locus precibus sic nutrimenta secundis
Qui daret, ardenti succendens viscera flammâ
Proueheret. Sacra hæc plenis fiducia votis
Magnum aliquid summum præstaret poscere patrem.
Peccatis veniam primùm, nec crimine torpens
Mens paueat. Spatia & posthac quæ pauca senecta
Iam restant: votis in cœlum tendere discant
Verbisque, & factis cunctis. Terrena perosus
Atque animus discat cœlum migrare frequenter:
Et cupiat vinclis dissolui, & pondere molis
Corporeæ gaudens, vni & se iungere Christo.
Quidni loci nobis totum hoc fiducia Sancti
Præstaret? Siquidem cum nondum limina adissem,
Diue tua, hæc referam nunc quæ impetrasse licebat?
Namque ego non dignus votis te aut voce precari,
Poscere te, indignum fecerant quem crimina: casu
Occeano mersus, salsos sub gurgite fluctus
Cum biberem, vitæque esset spes nulla superstes:
Tunc animo inclamans (vocem præcluserat vnda)
HERMENEGILDE *tuum vocis sine munere nomen*
Mente voco, mente ingemino. Iámque halitus ore
Comprimitur, vita & totus defecerat vsus:
Corde tamen necdum, Pie Rex, obliuia perstant

Vlla tui. Donec cælo iam redditus, vndis
Seruatus, iam verba sonant, iam soluere grates
Inque tuas, Princeps, cœpi prorumpere laudes.
Sed tu nunc Vatem Henari ad fluenta canentem,
HERMENEGILDE, *tuas laudes, & fortia facta*
Exaudi. Propiùs Batim cantare negatur:
Me longè hic positum vitæ discrimina quando
Extorrem cogunt peregrinâ insistere terrâ.
Namque potes, cælo iam regnans, sceptráque adeptus
Æterna, atque aptus miseris succurrere rebus,
Propitius certam Vati impetrare salutem.
Tu namque Omnipotens rerum Pater, atque hominum Rex,
Regem, quæ cupiat, tribuis te poscere Sanctum:
Et plenis cumulas poscentem plurima votis.
Hinc virtute tua, lætus Rex, gaudia summa
Persentit; Quòd se eripias, saluésque potenter,
Iam quidquid votis animo, & comprehendere possit,
Tu tribuis. Magnúmque aliquid te voce precantem
Nec fraudas. Labijs tantum sit fusa voluntas.
Præueniens etenim gustu dulcedinis opples
Mirificæ, atque ornans radiantibus vndique gemmis
Impositam capiti mandas gestare coronam.
Cum vitam, longósque dies ætatis, & annos
Posceret: en vitam tribuis, quam secula nulla,
Nulla neque annorum geminata, aut millia truncent.
Iam quod se ereptum cernit, saluúmque perenni
Auxilio; quanta hinc accedit gloria! Quantum
Nomen! Quantúsque decor succrescere pergit!
Neque enim quisquam posthac memorabitur vnquam
Quin laudet benedictum ipsum, semperque beatum,
Magna tuo tecum teneat qui gaudia lætus
Dum fruitur vultu æternum, Rex Maxime Regum.
Spes Regis quondam in te, & radicibus hærens,
Altè quas fixit, cernit nunc fructibus amplis
Germina perferre, & cumulo iam lucis onusta.
Vnde, & te, Genitor, mitem te, & Sancte benignum
Expertus: gaudet lætus, se in secula nullis
Turbinibus posthac iactandum, aut fluctibus vnquam.
Sed tua dextra Deus, valde tua dextra potentèr
Hostibus vsque tuis digno exaltata furore
Nota sit, vt debitas persoluant crimine pœnas

Pro tanto, ecce tuos miserè disperdere tentant.
Atque equidem missos ardentes in tartara cerno
Fornacis diræ in morem; cùm torua seuerus
Lumina contorques. Tunc iracundia sæuos
Conturbare tua insistit, flammísque vorandos
Tradere, radices tristi, & marcore reuulsas
Proijcere æternum siccas, fructúque carentes:
Nulla ætas vt videat succrescere semina iacta.
Namque odijs te te aduersum cum surgere tentant,
Consilys truduntur, quæ stabilire nequirent
Præcipites: duro compressi & pondere dorsum,
Quisque grauis, grauis ipse sibi: iam ferre volentes
Se nequeunt miseris heu sarcina dura. Tuásque
Relliquias belli horribiles immane peracti
Se contra, & iustis titulis sublata trophæa
Attoniti spectant. Tua te præstantia talem,
Et te te rerum Dominum, sic robore multo
Virtutísque tuæ vires te ostendere pergant.
Hinc nos erecti valide; tua carmine facta
Decantare orsi, tua magna potentia, quæ sit,
Et virtus, non cessemus celebrare canendo.
Et quanta in primis bonitas, quam larga benigni
Principis in Nostri mortem se vena fauoris
Fuderit æternum, memori celebrabimus ore.
Ergo potens, tantóque Dei dignatus honore,
Tu Vatem, tu, Diue, tuum iam respice, & alto
Quem pelago ereptum seruas: peioribus vndis
Demersum mundi eripias, Christóque reserues,
Instillésque animo sanctum virtutis amorem,
Tester quem fidei viuentis robore semper:
Inconcussa etiam, Christi de morte redemptus,
Spe teneam. Miserum vt votis nunc vita frequenter
Suspensum cælo teneat. Mortalibus actis
Sed rebus, reducem Summi clementia Patris,
Tunc precibus mollita tuis, conscendere tecum
Consortem ætherei iubeat me ad culmina cæli.

Hactenus *Regius Chronographus*, qui ob plurima à S.Principe beneficia singulariter accepta, hunc compaginasse hymnum, cùm nunquam penè antea sexaginta simul versus concinuisse, fateatur. Quem etiam & Nos voti ergo, exscripsimus, vt piis sint exteris Nationibus Acta huiusmodi manifesta, quia Codex huius carminis rarus apud ipsa, & apud Nostrates: Inter quos nonnulla insurgere dubia conspicimus, quæ breuiter relata, quid tenendum sit, subiiciemus.

Vbi regnauit S. Martyr? I. Opinio.

PRIMVM verſatur circa partem Hiſpaniæ, quâ HERMENEGILDVS ſceptrum à patre ſuſcepit. In quo *Triplicem* ſententiam agnoſco. I. quæ probat apud *Emeritam* Regnum ſuſcepiſſe; hincque totius *Luſitaniæ*, & *Vettoniæ*, quarum caput *Emerita* extitit, Regem fuiſſe fatendum eſt. Huius opinionis eſt auctor S. Gregor. Turonenſ. *Hiſt. Franc. lib.* 5. *c.* 38. vbi refert, *Leouigildum* dediſſe S. Principi, & vxori eius *Ingundæ*, vnam de Ciuitatibus in qua reſidentes regnarent. Et poſtmodùm *lib.6. cap.* 18. proſequitur qualiter Rex Principi *Emeritam* ciuitatem abſtulit. Ex hac Gregorij relatione Barnab. Moren. *Hiſt. Emerit. lib.*3. *c.*7. Emeritæ Regem HERMENEGILDVM ſubinfert.

II. Opinio. II. ſuſpicatur huius Regni partem à *Leouigildo* filio tributam fuiſſe *Bæticam*, hincque vrbem domicilij *Hiſpalim* extitiſſe, quam ſententiam probant Ambroſ. Moral. *lib.*11. *c.*64. & P. Quintana-Dueñ. *Hiſt. SS. Hiſpal. fol.* 120. & cæteri Hiſpalenſium Rerum Scriptores.

III. Opinio. III. Opinio ſtat indeciſa, videlicet quòd *Leouigildus* nullam Principi partem conſignaſſet ſpeciali titulo, ſed quòd eum conſortem in Imperij, ſeu Regni purpura conſtitueret. In horum diſſidentium Scriptorum auctoritate pro *Emerita* ſtamus, quia *Gregorium Turonenſem* habet auctorem, & illius ſententiam priùs probauit Moral. *d. c.* 64. Nec pro *Hiſpali* adeſt ſcriptor antiquus, quinimò tota huius contradictionis fabrica in ſolis verſatur coniectationibus, quæ aduerſus teſtem de viſu perperam introducuntur. Nec III. Opinio ſubſiſtit, quia inter omnes conuenit, *Leouigildum* Prouinciæ partem ad regendam tribuiſſe Principi, vt ait Abb. Biclar. *in Chron. Ann.* 11. *Tiber.* ergo non conſortem ſolum in Regno, ſed Regem in ſpeciali prouincia conſtitutum fatebimur. Hanc meam ſententiam etiam P. Marian. *d. lib.*5. *c.*11. Eman. Far. *Epitom. Luſit.*1. *p. c.*5. *n.*7. tenuere.

An aliud nomen poſt cõuerſionem impoſitum?

SECVNDVM, an verum ſit, HERMENEGILDVM poſt conuerſionem, nomen aliquando mutaſſe. Cui dubio, audi Turonenſ. Gregor. *d. lib.*5. *c.*38. de eius agens conuerſione, dicentem: *Quod ille diu refutans, tandem commotus ad eius prædicationem conuerſus eſt ad legem Catholicam, ac dum chriſmaretur* IOANNES *eſt vocitatus.* Sed hæc opinio Noſtratibus non arridet, imò illam penitus reſpuunt: & optimè quia nullus ex Scriptoribus claſſicis tam illius ſeculi, quàm ſequentium tale quid dixiſſe comperitur; & probatur ex numis aureis ab ipſo S. Principe excuſis poſt Patris diſſidium, in quibus hæ viſebantur icones.

Numus S. Principis.



De cuius numiſmatis formula ſcripſere Ambroſ. Moral. *in hymn. num.* 148. & in *lib.*11. *Hiſt. c.*65. qui huius numiſmatis aureum ſignum ſe habuiſſe fatetur, inuentum non procul à Corduba. De hoc etiam meminit numo *P. Quintana-Dueñas*, & alij.

Quibus in locis cuſtoditus?

TERTIVM, an tantùm *Hiſpali*, an etiam alibi carceri mancipatus extiterit S. Princeps? Cui dubio reſpondet Moral. *d. lib.*11. *c.*67. *fol.*80. quod variis in vrbibus fuiſſe cuſtoditum; aſt cum hæc referat abſolutè, alia Scriptorum monimenta quærenda ſunt. Abb. Biclarenſis, & S. Marc. Max. *in Chron. Ann.*580. aſſerunt primò *Hiſpalim*, poſt *Valentiam*, deinde *Toletum* vinctum miſſum; & denique apud *Tarraconem* occiſum. Quatenus ad carceres pro illis ſtat communis aſſertio, circa locum agonis, in ſequenti dubio, quid ſentiat traditio inconcuſſa Noſtratium referemus. Iulian. *in Chron. num.*305. addit *Cordubam.*

Quâ vrbe martyrio coronatus? I. Opinio.

QVARTVM, Quâ vrbe agonem compleuit S. Princeps? Circa quod *duplex* ſententia. I. & antiquior inuenitur apud Ioannem Biclarenſ. *in Chron. Ann.*11. *Mauritij Imperat.* S. Marc. Max. *in Chron. Ann* 612. qui ſcribens de S. Principis Capitis tranſlatione Tarracone, Cæſarauguſtam, proſequitur: *Quem Martyrem ego de facie noui, & ſæpiùs allocutus ſum, cum eſſet in cuſtodia Patris* Hiſpali, *mox* Cordubæ,

dubæ, *rurſus* Toleti, Valentiæ, *& poſtremò* Tarraconæ, *cuius vt deuotiſſimus vitæ, ſanctiſſimique martyrij, Carmen hoc et qualecumque dicaui, quod eſt index pietatis in eum meæ:*

HERMENEGILDE *ſacer Martyr, clariſſime Princeps*
Martyr, quo felix Tarraco *clara fuit;*
Illa tuos cineres habuit compluribus annis:
Hos ego nunc vrbe transfero, Diue, mea.
Munere id Euſebij conceſſum Præſulis almi eſt,
Munere quo nullum gratius eſſe poteſt.
Hoſpes amice veni, templóque canende vetuſto
Cura Iacobæi, *quod patris alma facit.*
Reſpice nos præſens, & noſtris proſpice rebus,
Gothica quam retinent Regna tuere fidem.
Et Gundemaro *Regi pater eſto ſecundus,*
Qui tenet infractam cum bonitate fidem.
Protege quam reficit ſolertia Cæſaris, vrbem
Auguſti, hoſtiles fac reuocare dolos.
Morbos, & peſtem de noſtris mœnibus arce:
Te, pace incipiat nos adeunte frui.

Horum opinioni ſubſcripſere Ioann. Vaſſ. *in Chron. Ann.* 584. Carrill. *in Annal. eod. Ann.* Stephan Garibay. *lib.8.cap.22.* Diag. *Hiſt.Com.Barcin. lib,1.cap.15.& 16.* Scolan. *Hiſt.Valent.lib.2.c.11.* Ieronym.Pujad. *Hiſt Catalon.lib.6. c.60.* & alij ab eo citati. II. Opinio fulcitur traditione inuiolabili, quâ probatur palæſtram agonis apud *Hiſpalim* fuiſſe. Illam ſequuntur Iulian. *in Chron. n.* 305. Morales, Padilla, Mariana, Marieta, & ferè omnes ſuperiùs in prolegomeno citati. Pro ea ſtat *Martyrolog. Roman.* his verbis: HISPALI *in Hiſpania* S. HERMENEGILDI. & Carmen in meo MS. inter *Auli Hali* mei hymnos, hac ſerie: *II. Opinio*

PRO S. MARTYRE HISPALENSI HERMENEGILDO.

HERMENEGILDE *tuos ſuſcepit* Hiſpalis *artus,*
Cum ſecuit miles HERMENEGILDE *tuos.*
Carceris ecce tua ſuppléxque foramen adorat
Chriſticola, & bifores carceris ecce tua.
Sanguinis vſque ſacri cuiúſque in marmore durant
Signa, ea nunc lambit ſanguinis vſque ſacri.
Hiſpalis *ergo ſuum pugilem te, Martyr, adorat,*
Te quoque, te Regem Hiſpalis *ergo ſuum.*

Pro ea & Nos ſtare compellimur, ob traditionis inconcuſſæ, & communioris ſententiæ placitum; & licèt *primam* ſequeremur ſupra *Tom. 1. die XXI. Februarij fol.* 202. in Actis *S. Aſcanij Tarraconenſis* Epiſcopi, illud Nos effeciſſe fatemur compulſi, vt fidem Actorum illius S. Præſulis compaginaremus, quorum anamneſin abs *Maximo* primæ opinionis auctore deprompſimus. Nec me mouent argutiæ à P. Biuar. *in Not.ad Max.Chron.Ann.*586.*num.2.fol.*640. excogitatæ, quia illi, & aliis faciunt ſatis Moral. *d. cap.*67. & P. Quintana-Dueñ. *in Vit. S. Princip. fol.*137. Nec emendatio in *Iuliano* ſubſiſtit, vbi verba: *Tandem Hiſpali,* in Codice exarata,

abundare

abundare contendit;eo ex capite,*quia hoc loco*(Iulianus)Maxim *refert,& ſequitur, qui tamen* Tarracone ,*non* Hiſpali *occiſam affirmat*.Quia in illo textu *Iulianus* non refert *Maximum* , nec ſequitur illum, circa locum paſſionis; ſed circa pœnitentiam *Leonigildi* , vt ex clauſula intuentibus patet. Nam poſtquam Archipreſbyter locum , cauſam , & ſatellitem martyrij appinxit , proſequitur : *Quæ res nonnullorum narratione ad* S.Gregorium *delatæ , qui dixerant Pontifici , quod non viderant, ſed à quibuſdam audierant,Regem non verè pœnituiſſe ; pœnitentiam verò egiſſe* M.Maximus *Epiſcopus Cæſarauguſtanus , &* S Gregorius Turonenſis ,*qui certò rem nouerunt*, aſſerunt. Et patet ex Maxim. *in Chron.Ann.*587. & ex Turonenſ.*lib.8.c.46.*

Error Biuarij.

Ex quo liquet *Iulianum* minimè *Maximum* retuliſſe, pro loco agonis , ſed pro pœnitentia Regis , quam Nuntij minus verè retulêre *Gregorio* , qui de hac pœnitentia *Leonigildi* perperam informatus, illam in ſuis dialogis non aſſeruit. Sed eſto, quod *Iulianus* referret *Maximum* circa locum paſſionis ; & Archipreſbyter ex eo contendat, S.Principem *Hiſpali* occiſum , vt quid non credemus potius irrepſiſſe mendum in codicibus *Maximi* , quàm in *Iuliani* ; cùm verba in ecphraſi *Maximi* in fine periodi *Ann.*586. dicentia *vbi paſſus eſt* : ſuperabundare videantur.Quibus excisis , tantùm de ſepultura S.Martyris apud *Tarraconem* , locutum *Maximum*, crederem , vt ipſa illius clauſula perſuadet, dicens : *Hunc Epiphanius Tarraconenſis , Euphemius , aut Epiphanius Toletanus , Ioannes Biclarenſis Abbas , & alij Epiſcopi, Catholici Pontifices , Vtrique , nocte ſublatum multis cum lachrymis* Tarracone *in æde S.Teclæ Virginis , & Martyris* , Principem , *& clarum* Martyrem *ſepelierunt*. Quod faciliùs perficere potuêre Pontifices , extracto ab *Hiſpali* ſacro corpore , *Tarraconémque* tranſlato , & in Eccleſia S.Teclæ collocato. Nec carmina ab ipſo *Maximo* ſcripta , & ſuperiùs deſcripta aliud ſentiunt, cum in illis de exiſtentia Corporis apud *Tarraconem*, non de martyrio loquatur Auctor. Quibus, vtriuſque opinionis auctores conciliantur ; ita vt concedamus apud *Hiſpalim* S. Principem occiſum ; & apud *Tarraconem* tumulatum : è qua *S. M. Maximus* caput, & partem corporis *Cæſarauguſtam* tranſtuliſſe.

Conciliantur nouè opiniones.

Quo die paſſus ?

QVINTVM dubium verſatur circa diem paſſionis. Omnia ferè Martyrologia , Breuiaria , & Scriptores diem martyrij *Idibus Aprilis* conſignant. Aſt Ambroſ. Moral. *cap.67.fol.*80.*d.lib.*11. aſſerit occiſum die *XIV.Aprilis* , quia illo die incidit dies *Dominica Reſurrectionis* , quo neceſſariò communio à *Paſchaſio* Ariano Epiſcopo conferenda erat.Sed contrarium in Actis legitur,ſcilicet hanc communionem perlatam in *peruigilio Paſchatis* ,& non *in die* , ideóque *die XIII*. Nec Arianorum cæremoniæ attendendæ ſunt , quia qui in eſſentialioribus fidei deficiebant,cur non in apicibus etiam defeciſſe credemus?Hanc quoque diei Agonis exiſtentiam,etiam meliore, & nouiore coniectatione probabimus *Dubio VI*.cùm de S.Principis cultu verba faciemus.

Quo anno occiſus.

SEXTVM, circa Annum. In cuius dubij reſponſione multa ab Scriptoribus comminiſcuntur , quæ vt prolixiora omittimus. Inter melioris notæ Chronographos , alij ad Annum D.LXXXIV. Alij ad D. LXXXV. Et alij D. LXXXVI.

I. Opinio. *Primam* inſequitur Ambroſ. Moral. *d. cap.67.fol.*80. & ex eo quod illo Anno incidit dies Dominica Paſchatis *XIV. Aprilis* , quam incidentiam per plures annos ante , nec poſt in cyclo aduenire poſſe contendit. Huius opinionem ſequuntur D.Franc. Padill. *Cent.5.cap.47.* & Baron. *Ann.*584. & ferè omnes Hiſpalenſes Scriptores , & alij Tarraconenſes.

II. Opinio. *Secundam* amplectitur Iulian. Archipreſbyt. *in Chron. Ann.*585. *num.*305. his verbis : *Era DC.XXIII. Anno Domini D. LXXXV. die XIII. Aprilis in peruigilio Paſchatis , ante mediam noctem , poſtquam incipiebat dies* S. HERMENEGILDVS *Rex , filius Leonigildi Regis VViſigothorum , ſanctificatis carceribus Hiſpalis , Cordubæ , Toleti , Valentiæ , & Tarraconis ; tandem* Hiſpali, *quòd à Paſchaſio , dicto etiam Acacio , Epiſcopo Hæreſiarcha , noluit accipere Communionem , iuſſu Patris à Siſeberto occiſus eſt*. Cuius opinionem ſequuntur *Regino* & alij Chronographi.

III. Opinio. *Tertiam* tenet S. Marc. Maxim. *in Chron. Ann.*586. eámque defendunt *Marian. Scot. Sigebert. P. Mariana* , & P.Biuar. *in Not.ad Max. d. Ann. num.*1. *§.5. fol.*638. *& ſequent.* qui ex cyclo , Aureo numero , & literâ Dominicali ſeptem illorum Annorum ab D.LXXXII. ad D.LXXXVIII. dies

Paſchatis

Paſchatis referens, concludit hoc Anno D. L X X X V I. incidiſſe diem Paſchatis in X I V. Aprilis, quò, perperam Anno D. L X X X I V. in illum incidiſſe contra *Moralium* & eorum ſequaces contendit. Cui & ego adhæreo, tàm ex ſupradicto computo Cycli, ab ipſo *Binario* adducto, quàm ex data inſcriptionis S. E. Toletanæ Conſecrationis tempore *Reccaredi*, quæ adhuc viſitur in clauſtro ipſius Eccleſiæ literis Gothicis exarata in marmore, quam dubio ſequenti dabimus, vbi conſecrationem factam fuiſſe *Idibus Aprilis*, Era D C. X X V. Anno *Primo* Regis Reccaredi, qui Annus eſt D. L X X X V I I I. ex quo patet martyrium compleuiſſe S. Fratrem, Anno D LXXXVI. Quod ſic probo. Anno D. LXXXVI. die *X I I I. Aprilis* occiſus eſt S. Princeps. Poſt eius mortem, vt communis omnium opinio eſt, regnauit *Leouigildus* per vnum annum, quem non fuiſſe completum fatetur Maxim. *in Chron. Ann.* 587. nam vitam Rex exhalauit *die I I. Aprilis, Feria I V.* Ab hac die incœpit regnum *Reccaredi*, hoc eſt eius ſceptri *Annus Primus*, ergo rectè in *Inſcriptione Toletana* aſſeritur Conſecrationem Eccleſiæ Metropoliticæ fuiſſe factam *die X I I I. Aprilis, Era D C. X X V.* quæ reſpondet ad *Annum* D. L X X X V I I. qui à die *I I. Aprilis*, currebat iam *annus Primus Reccaredi*, poſt tranſactum vnum (vt fert communis ſententia) à Paſſione S. Principis.

Septimum, de tempore cultus S. Principis. Quod ſequenti anno ab eius paſſione initium ſumpſiſſe, ſequentes rationes liquidò perſuadent. I. ex verbis deſumitur S. Gregorij *d. lib.* 3. *Dial. cap.* 31. dicentis: *Vnde & factum eſt, quatenus Corpus illius, vt videlicet* Martyris, IVRE *à cunctis fidelibus* VENERARI *debuiſſet.* Ecce à Pontifice iuſtitiâ, & iure venerationis permiſſio. Hanc fortè contuens *Reccaredus*, & ſit *I I. Ratio*, inſtituit, vt S. E. Toletana, more Catholico conſecranda, nonniſi *die Natalis eius S. Fratris* conſecratio perficeretur, vt ex Inſcriptione ſuperiùs nominata liquet: *Quo tempore cultus incœpit ?* *I. Ratio.* *II. Ratio.*

IN NOMINE DOMINI.
CONSECRATA EST ECCLESIA. S. MARIÆ.
IN. CATHOLICO.
DIE. I. IDVS. APRILIS. ANNO FELICITER.
PRIMO. REGNI. D.N. GLORIOSISSIMI.
FLAV. RECCAREDI. REGIS.
ERA. DC. XXV.

Poſtmodùm *S. M. Maximus* Caput S. Martyris, Anno videlicet D C. X I I. in Eccleſia Primaria *S. Maria de Columna*, honorificè collocauit, & cultu eſt debito proſecutus. Apud *Toletum* Templum tempore Gothorum S. Principi dicatum fatetur Iulian. *in Chron. num.* 376. *fol.* 83. Poſt Hiſpanum excidium ferè omnes Hiſpaniarum Eccleſiæ olim ritu ſacro S. Martyri debitum perſoluêre; hodiéque feliciori auſpicio officium reſtitutum eſt, in quo hymni ſequentes leguntur. *Templum apud Toletū S. Principi dicatū.*

IN FESTO S. HERMENEGILDI MART.
HYMNVS AD VESPERAS.

Regis indigni generoſa proles,
Hiſpalis *clarum decus* Hermenegilde,
Rex, & inuicta fidei triumpho
Inclyte Martyr.
Gentis inductam vitio profana
Arrij labem monitis Leandri,
Tunc & Ingundæ, *pius eluiſti*
Sanguine fuſo:
Carceris ſqualor, nec acerba patris
Ira diuerſis metuenda pœnis,

Nec

Nec ferox diram quatiens bipennem
Terruit vltor.
Nec tibi fluxo trabeata fastu
Gloria , & splendor placuit corona;
Lubrica , aterni sed amore Regni,
Sceptra relinquis.
Ergo Sanctorum potioris aula,
Cinctus incedis Procerum cateruâ
Martyr , hos fulgens melioris ornat
Purpura cultus.
O tua gentis pater ,atque custos!
Sint tibi hac semper tua Regna cura,
Votaque ad Summum referas precamur
Nostra parentem.
Cui tuo crescens pietas trophao
Comparem natum docet , & potentem
Spiritum , viuet quibus vnus omni
Tempore cultus.

AD MATVTINVM
HYMNVS.

NOcte sublustri prope lucis auras,
Qua Resurgenti micat alma Christo
Transitus Sancti quoque perbeatus
Principis instat.
Venit à sauo genitore mystes
Perfidus , secta referens nefasta
Symbolum , dignâ sed eum repulsâ
Reijcit Heros.
Respuit Regni miseras curules;
Praferens Regis diadema Christi
Sponte , & vltricem subijt , iubente
Patre , securim.
Truncus ô felix , radiatus almâ
Lampadum luce , in medijs tenebris,
Lata cui cantu chorus Angelorum,
Iusta dedêre.
Sit tibi , spreta nece , qua triumpho
Hermenegildum *decoras perenni*
Trinitas vnus Deus , vna cunctis
Gloria Seclis.

AD

AD LAVDES

HYMNVS.

ECquid immanes acuis ſecures
Impie? an ſperas fidei potentem
Poſſe reſtringi recalentis ignem
Sanguine Nati?
Falleris: cædes litat iſta Chriſto
Gente pro veſtra, fideique frugem
Terra præclaro dedit auctiorem
Tincta cruore.
Arrij pulſis, populus, tenebris.
Reddidit Chriſto meritos honores,
Luce Leandri *meritis alumni*
Hermenegildi.
Ille ad aſſerta Triadis tribunal,
Vota gentilis pietatis offert,
Pro fide ſupplex pius aduocatus
Soſpite ſemper.
Laudat & Patrem, Genitaque prolis
Numen æternum, pariterque Sancti
Spiritus, quorum decus, & poteſtas
Vna per æuum eſt.

Nec *Templa*, licèt nō vt par erat tanto Principi, & Martyri *Hiſpaniæ* decori, & Regum Noſtrorum Sanguini, deſunt, *Hiſpali* D. Ioannes Ceruantes S.R.E. Cardinalis, & illius vrbis Hiſpalenſis Archiepiſcopus celebre cōſtruxit *Xenodochium* S. Principi dicatum. *M. Antonius de Alfaro* ibidem Collegium Societ. IESV eidem B. Martyri adſcriptum; *Cæſarauguſtæ* in Metropolitica Eccleſia *Oratorium* excitatum honorificè à *Ferdinando Aragonio* illius Sedis Archiepiſcopo. Venerantur, & cuſtodiuntur aliquot eius Sancti Reliquiæ, quarum ecphraſis, quæ ad meam deuenit notitiam ſunt. Corpus *Hiſpali*, nondum inuentum. Caput in *Laurentiano Cœnobio Eſcurialenſi*. Nonnullæ in Eccleſia *Cæſarauguſtana*; Aliquæ in *Collegio Hiſpalenſi*; & in *Eccleſia Placentina*, & alibi. *Templa, & Reliquiæ.*

DEDICATIO S. E. CAVRIENSIS.] huius Vrbis Eccleſia Epiſcopalis hoc die concelebrat hanc opulentâ pietate feſtiuitatem, vt ex eius Tabulis Eccleſiaſticis pateſcit. Creditur à naſcentis Eccleſiæ Vniuerſalis exordio Sedem erectam, Antiſtitibus locupletatam, & populo plenam Catholico. Quod patet, quia *S. Ionas* Diſcipulus *S. Dionyſij* Areopagitæ ante Magiſtri aduētum in Gallias, iam *Caurienſem* diœceſim, in qua *Caſtra Cæcilia* celebris vrbs eſt, perluſtrans, fidem populos edocebat ad Annum LXXXVI. vt refert Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 86. 112. & 130. Et antea *Euaſius* Diſcipulus *S. Petri Ratenſis*, Epiſcopus II. Tudenſis, qui etiam *Caurienſem* diœceſim ſalutaribus pauit paſcuis, & ad oppidum *Caſalem*, eiuſdem diœceſis iugula præbuit, ad Annum LXXXII. vt probat Sandoual. *Hiſt. Tudenſ. fol.* 18. & Nos infra dicemus *Tom. 6. die I. Decēbr. lit. A.* Roboratur hæc opinio, quia An. CCC. LX. *Cauria* obtulit Romæ *S. Maximam V. & M.* & An. CCCC. XIX. Tridēto *S. Maxentiam*, matrem *SS. Vigilij* Epiſcopi Trid. & *Claudij*, & *Magiorani* eius fratrum: & An CCC. XXIV. *Marcellum* eius vrbis Epiſcopum, qui Priſcillianiſtas ab ſua amandauit diœceſi. Et eodem Anno *S. Vincentiam* pro fide Catholicâ paſſam. Quorum

D. S. Ionas Prædicator Caurienſiū.

Et S. Euaſius II. Epiſcop. Tudenſ.

Sancti ex Cauria oriundi.

Sanctorum ope suffixa *Cauriensis Ecclesia* meruit, vt à *Constantino*, & *VVamba* Sedem reciperet Episcopalem, quam in eorum diuisione *de Villa vsque Tagum, de Assa vsque Pamar*, situm habuisse dignoscitur. Eius Episcoporum seriem describere compellimur, quia de eius origine nihil, quod dicamus habemus. Est quippe hæc Sedes aliarum passa naufragia, ideóque & de antiquorum monumentorum mnemosynis ignara, culpâ prædecessorum, qui vix vestigia sequentibus reliquêre.

CATALOGVS EPISCOPORVM CAVRIENSIVM in Vettoniâ, hodie Estremadura Hispaniæ.

I. S. EVASIVS huius nominis I. Episcopus Tudensis II. qui prædicatoris Euangelici munere *Cauriensem* diœcesim illustrauit, & ibidem prima iecit Catholicæ fundamenta fidei, ad Annum LXXXII. apud *Casalem* in eadem diœcesi Martyr occubuit. 82

II. S. IONAS huius nominis I. Episcopus, & Prædicator diœcesis *Cauriensis* à *S. Dionysio Areopagita* missus, ad Annum C. X X X. 130.

III. MARCELLVS huius nominis I. Episcopus Cauriensis III. qui Priscillianistas, per eius diœcesim tumultuantes expulit ad Annum CCCC. X X I V. 424.

IV. IAQVINTVS huius nominis I. Episcopus Cauriensis IV. interfuit Concilio Toletano III. ad Annum D. L X X X I X. 589.

V. ELIAS huius nominis I. Episcopus Cauriensis V. interfuit Decreto Regis Gundemari ad Ann. D C. X. 610.

VI. S. BONIFACIVS huius nominis I. Episcopus Cauriensis VI. interfuit V. & VI. Conciliis Toletanis; clarus miraculis moritur Toleti die VIII. Ianuarij, de quo & Nos supra *Tom. 1. eod. die fol. 103. lit. B.* Eius memoria ad Annum Domini DC. X X X V I. 636.

VII. IOANNES huius nominis I. Episcopus Cauriensis VII. interfuit Conciliis VII. & VIII. Toletanis, ad Ann. DC. LIII. 653.

VIII. DONATVS huius nominis I. Episcopus Cauriensis VIII. interfuit Concilio Emeritensi ad Annum DC. L X V I. congregato. 666.

IX. ACVLA huius nominis I. Episcopus Cauriensis IX. interfuit Conciliis XII. XIII. & XIV. Toletanis ad Annum DC. L X X X V I I I. 688.

M. Ægidius Gonzalez Regius Chronograph. *in Tom. 2. Theatr. Eccles. Hisp. fol.* 442. supponit post ACVLAM, alium Episcopum nomine ATVLAM, quasi *Acula* & *Atula* fuissent diuersi, sed fallitur, vt ex Conciliis dignoscitur, nam quos diuersos consignat, vnus, & idem fuit, vt notarunt *Morales, & Padilla.*

X. BONIFACIVS huius nominis II. (licèt perperam PONTIFICIVS vocitetur à M. Ægidio Gonzalez) Episcopus Cauriensis X. interfuit Concilio Toletano X V I. ad Annum DC. XCIII. 693.

XI. B. PETRVS huius nominis I. Episcopus Cauriensis XI. Huius tempore Hispania à Sarracenis fuit occupata, & S. Episcopus cum aliis Præsulibus apud *Sarandulam* in Vettonibus ab ipsis occisus, & martyrio coronatus ad Annum DCC. XIV. 714.

Post Petrum ad Annum D C C C. L X appingit M. Ægidius Gonzalez BABILAM *Episcopum* Cauriensem, *& mouetur ex* Luitprandi *auctoritate in* Aduersar. n. 103. *apud* Tamayo, *& n.* 120. apud Ramir. *Sed saluâ pace tanti Magistri,* Luitprandus *minimè Annum consignat, nec Babilam illo æuo interesse Concilijs aliquibus Toletanis potuisse liquet, cùm Vrbs Regia sub Sarracenorum extitisset dominio. Illud asserit* Luitprandus, *quod* ACVLA *Episcopus Cauriensis* IX. *vocabatur aut* AVILA, *aut* BABILA, *aut* ABVLA, *qui fuerat Abbas S. Iuliani.*

XII. DIDACVS huius nominis I. Episcopus Cauriensis XII. interfuit cōsecrationi S. E. Compostellanæ, & Concil. Ouetensi, ad Ann. DCCCC. II. 902.

XIII.

XIII. M. Eneco huius nominis I. Episcopus Cauriensis XIII. cognomento *Nauarron*, qui fuerat Canonicus Segobiensis, & Abbas Parrazensis Canonicorum Regularium, decreto Calixti II. Pont. Max. eligitur. Fuit primus Episcopus post captam Cauriam, ad Annum M.C.XLII. 1142.

XIV. F. Soerius huius nominis I. & Episcopus Cauriensis XIV. Istius tempore *Norba-Cæsarea* à Ferdinando II. capitur, qui iurisdictionem Ecclesiasticam tribuit illius vrbis, & territorij Episcopo Suerio, quam confirmauit Alexander III. Pont. Max. ad Ann. M.C.LXVIII. 1168.

XV. Petrus huius nominis II. & Episcopus Cauriensis XV. cuius memoria peruenit ad Ann. M.C.LXXVI. 1176.

Hic M. Ægidius Gonzalez *Episcoporum seriem inuertit, nam cum ex Annorum Chronologia post* Petrum *apponere debuisset* Gerardum, *qui obijt Anno* 1186. *& post eum* Sanctium *qui obijt ad Annum* 1230. *posuit forte erroris incuria* Fernandum *ad Annum* 1258. *&* Arnoldum II. *de quo in annorum computo altum silentium Nos eius inuersionem restituentes chronologice, vt Annorum expetit series illorum nomina subijciemus.* Etsi duo fuêre Arnoldi, hic ingreditur I. qui fuit Ordinis Præmonstratensis.

XVI. Geraldus huius nominis I. Episcopus Cauriensis XVI. Monachus Benedictinus ex S. Facundi cœnobio, quo tumulatus fuit ad Eram M.CC.XXIV. in eius sepulchro hoc legitur Epitaphium:

HIC REQVIESCIT GERARDVS. EPISCOPVS CAVRIENSIS. ET MONACHVS HVIVS. S. FACVNDI.
QVI OBIIT ÆRA. M.CC.XXIV. XIII. KAL. MAII.
EIVS ANIMA REQVIESCAT IN PACE.
AMEN.

XVII. Sanctius huius nominis I. & Episcopus Cauriensis XVII. qui fuit vnus ex primis Præsulibus, qui obedientiam Ferdinando cognomento Sancto dedit. Interfuit consecrationi S. E. Cordubensis, eius memoria ad Annum M.CC.XXX. 1230.

XVIII. Fernandus huius nominis I. & Episcopus Cauriensis XVIII. qui ex Phisico, & Capellano Ferdinandi, & Alfonsi X. Regum, infulas huius induit Ecclesiæ, eius memoria ad Ann. M.CC.XXXVIII. 1238.

XIX. Arnoldus huius nominis II. & Episcopus Cauriensis XIX. fuit Canonicus Conimbricensis, eius memoria ad Ann. M.CC.LII. 1252.

XX. Petrus huius nominis III. cognomento *Fernandez*, Episcopus Cauriensis XX. Consecrauit Ecclesiam oppidi de Valencia de Alcantara, vt ex epigraphe in marmore posita liquet ibidem. Eius memoria ad Ann. M.CC.LXVII. 1267.

XXI. Alfonsus huius nominis I. Episcopus Cauriensis XXI. Mariæ Reginæ vxoris Sanctij IV. Cancellarius, quos apud Toletum coronauit. Eius memoria ad Ann. M.CCC.XI. 1311.

XXII. Petrus huius nominis IV. cognomento *Mendez de Sotomayor*, & Episcopus Cauriensis XXII. Socius in laboribus fuit Berengario Compostellano Archiepiscopo, eo tempore, quo S. Iacobus visus fuit dimicare aduersus tyrannos, qui vrbem Apostolicam spoliare conabantur. Eius memoria ad Ann. M.CCC.XXIX. 1329.

XXIII. Didacus huius nominis II. cognomento *Fonseca* ex Taurensi vrbe oriundus, & Episcopus Cauriensis XXIII. primò fuerat Auriensis Antistes, eius memoria ad Ann. M.CCC.XXXI. 1331.

XXIV. Alfonsus huius nominis II. Episcopus Cauriensis XXIV. Cuius tempore reperta fuit Imago B.V. Mariæ, quam S. Grego-

rius Papa miſerat S. Leandro, & hodie veneratur in oppido Guadalupæo. Vixit ad Annum vſque M. CCC. XLVI. 1346.

XXV. PETRVS huius nominis V. cognomento *Peñaranda*, Epiſcopus Caurienſis XXV. Tranſlatus fuit ad Carthaginenſem Sedem Anno M. CCC. LIII. 1353.

XXVI. RODERICVS huius nominis I. Epiſcopus Caurienſis XXVI. cuius corpus iuxta portam, quam dicunt *del Perdon*, iacet: peruenit ad Annum M. CCC. LXVI. 1366.

XXVII. F. DIDACVS huius nominis III & Epiſcopus Caurienſis XXVII. ex Ordine Minorum, vt placet Lucæ VVadingo. Eius memoria ad Annum M. CCC. LXXI. 1371.

XXVIII. GVILLELMVS huius nominis I. Epiſcopus Caurienſis XXVIII. confirmat aliqua priuilegia Enrrici II. Regis, attingit ad Annum M. CCC. LXXX. 1380.

XXIX. F. ALFONSVS huius nominis II. cognomento *Fernandez*, Epiſcopus Caurienſis XXIX. qui fuit vltimus à Capitulo electus. Eius memoria ſi credimus VVadingo ad Ann. M. CCC. LXXXIX. 1389.

XXX. IOANNES.

XXXI. F. STEPHANVS Criuelis quos conſignat VVadingus *in Chron. Minor. tom.* 4. *Ann.* 1400. *num.* 3. *fol.* 368. Quorum memoriam licet nobis ſecula obliteraſſent, non eſt credendum tantum Chronographum illam ex capite repetere voluiſſe, ideo illos conſignare compellimur *VVadingi* Scriptoris ſtrenui fide. Quos ad Annum M. CCCC. pertingiſſe fatetur. 1400.

XXXII. F. GARSIAS huius nominis I. cognomento *Caſtro-Nuño*, & Epiſcopus Caurienſis XXXII. ex Prædicatorum ordine aſcitus, fuit Reginæ Catherinæ, Ioannis II. Regis matri, à Confeſſionibus. Turrim in Palatio extruxit Epiſcopali, obiit, Anno M. CCCC. XVIII. Sepultus in Cœnobio Tautenſi in Oratorio de Pazes. 1418.

XXXIII. MARTINVS huius nominis I. cognomento *Galos*, & Epiſcopus Caurienſis XXXIII. ex Aragonia oriundus, qui Infantem Catherinam ad Securam, poſt ad Valentiam direxit. Poſtmodùm Italiam aggreſſus, Eugenio IV. Pont. Max. ab Alfonſo V. exlegatus renuntiatus eſt, vt Pontifici obedientiam præſtaret, & arma pro libertate conſeruanda Neapolitana efficacius offerret. Eius memoria ad Ann. M. CCCC. XXXVIII. 1438.

XXXIV. PETRVS huius nominis VI. Epiſcopus Caurienſis XXXIV. De quo ſolùm nomen agnoſcitur, & eius memoria ad Ann. M. CCCC. XL. 1440.

XXXV. ALFONSVS huius nominis IV. cognomento *Henrriquez*, & Epiſcopus Caurienſis XXXV. Moritur in Cœnobio Ieronymiano Mejoradenſi, vbi eius conſpicitur Epitaphium, obiit Anno M. CCCC. XLIX. 1449.

XXXVI. FRANCISCVS huius nominis I. cognomento *Toledo*, & Epiſcopus Caurienſis XXXVI. Vir literis, & ſanctitate inſignis. Eius vitam ſcripſit Fernandus Pulgarius, ex cuius ecphraſi multa pateſcunt, quæ virtutis merita extollunt. Eius memoria ad Ann. M. CCCC. LXXVI. 1476.

XXXVII. ENECO huius nominis II. cognomento *Manrrique de Lara*, & Epiſcopus Caurienſ. XXXVII. de quo plura Matinæus Siculus. Fuit Canonicus Burgenſis, Epiſcopus Ouetẽſis, Caſtellæ Præſes, Cauriẽſis Antiſtes, pòſt Gienenſ. ad Ann. M. CCCC. LXXXIV. demum Hiſpalenſis, moritur Ann. M. CCCC. LXXXV. 1484.

XXXVIII. ANTONIVS huius nominis I. cognomento *Gallo*, & Epiſcopus

Caurienſis

Cauriensis XXXVIII. fuit Regius Chronographus, obiit Ann. M.CCCC.LXXXVI. 1486.

XXXIX. Vascvs huius nominis I. cognomento *Ramirez de Ribera*, Episcopus Cauriensis XXXIX. ex vrbe Toleto oriundus; cuius S. E. fuit Canonicus, & Archidiaconus Elborensis. Illum Reges Catholici à Consiliis, post Inquisitorem Primum Toletanum effecêre, qui Anno M. CCCC. LXXXV. primum fidei Actum celebrauit. Obiit Anno M. CCCC. LXXXVIII. 1488.

XL. F. Ioannes huius nominis II. cognomento *Ortega*, & Episcopus Cauriensis XL. ex ordine Ieronymiano; vbi omnes illius honores emeritos suscipiens ad infulam peruenit emeritus, obiit Anno M. CCCC. LXXXIX. 1489.

XLI. Petrvs huius nominis VII. cognomento *Ximenez de Prexamo*, Episcopus Cauriensis XLI. Primus Canonicus Magistralis S. E. Toletanæ. Interfuit Concilio Complutensi, Sixti IV. Pont. Max. decreto, cõgregato, aduersus *Petrum de Osma*, cõtra quem scripsit *Confutatorium errorum contra claues Ecclesiæ*. Fuit Episcopus Pacensis. Eius memoria ad Ann. M. CCCC. XCVI. 1496.

XLII. Cæsar huius nominis I. cognomento *Borgia*, Episcopus, siue Administrator Cauriensis XLII. Fuit vnà Archiepiscopus Valentinus, & Episcopus Helenensis; quæ omnia Rex Catholicus sequestrauit, ob Cardinalis spiritum inquietum, vt inquit Ieron. Zurit. *tom. 5. Annal. Ann.* 1498. hinc omnia Cardinalis dimisit, & secularis factus est. 1498.

XLIII. Ioannes huius nominis III. cognomento *Lopez*, Administrator Cauriensis XLIII. ab Alexandro VI. Pont. Max. purpureo galero donatus, Episcopus Perusinus factus, & post Archiepiscopus Capuanus, occubuit Romæ vbi sepultus est in Basilica S. Petri, ad Ann. M. D. II. 1502.

XLIV. Ioannes huius nominis IV. cognomento *Borgia* Cardinalis, & Administrator Cauriensis XLIV. Fuit Archiepiscopus Montis-Regalis, & Valentinus, & Patriarcha Constantinopolitanus, & alia in Curia Romana officia habuit; vbi obiit Ann. M. D. III. 1503.

XLV. D. Franciscvs huius nominis II. cognomento *Busleiden*, & Episcopus Cauriensis XLV. Fuit Philippi I. Magister, & Archiepiscopus Bisuntinus, in meditullio Ducatus Burgundiæ. Toleti moritur & in Cœnobio Montis-Syon sepelitur, ad Ann. M. D. III. 1503.

XLVI. D. Ioannes huius nominis V. cognomento *Braua de Laguna*, Episcopus Cauriensis XLVI. qui protinus mortuus est. 1503.

XLVII. D. Gvillelmvs huius nominis I. cognomento de *Croy*, & Episcopus Cauriensis XLVII. Fuit S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopus Cameracensis, & S. E. Toletanæ, obiit Ann. M. D. XX. 1520.

XLVIII. D. Enecvs huius nominis III. cognomento *Lopez de Mendoza*, Episcopus Cauriensis XLVIII. post Burgensis, & S. R. E. Cardinalis, Anno M. D. XXVIII. Cauriam reliquit; obiit Anno M. D. XXXVIII. 1528.

XLIX. D. F. Franciscvs huius nominis III. cognomento *Quiñones*, & Episcopus Cauriensis XLIX. qui fuit S. R. E. Cardinalis, Episcopatum dimisit Anno M. D. XXIX. 1529.

L. D. Gvillelmvs huius nominis III. cognomento *Vandenbesse* Episcopus Cauriensis L. Caroli V. Imp. Capellanus, à quo Sedem Helenensem primò acceperat, obiit Ann. M. D. XXX. 1530.

LI. Iterum D. F. Franciscvs Quiñones, qui de renuntiatione pœnitens, ab Imperatore nominationem obtinuit huius Episcopatus, quem iterum dimisit, illum cum *D. Francisco de Mendoza* permutans ad Ann. Dom. M. D. XXXII. 1532.

LII. D. FRANCISCVS huius nominis IV. cognomento *Mendoza, Bobadilla*, & Episcopus Cauriensis LII. Archidiaconus Toletanus, de Cauriensi ad Burgensem Sedem Anno M. D. LVIII. transfertur, quâ purpuratum galerum accepit, obiit Anno M. D. LXVI. 1558.

LIII. D. DIDACVS huius nominis IV. cognomento *Henrriquez de Almansa*, & Episcopus Cauriensis LIII. Interfuit Concilio Generali Tridentino, & Prouinciali Compostellano apud Salmanticam. Eius memoria ad Ann. M. D. LXVI. 1566.

LIV. D. DIDACVS huius nominis V. cognomento *Deza*, & Episcopus Cauriensis LIV. qui primò fuerat Canariensis, post Giennensis ad quam translatus est ad Annum M. D. LXXVII. Ipse obiit Hispali Ann. M. D. LXXIX. 1577.

LV. D. PETRVS huius nominis VIII. cognomento *Serrano*, & Episcopus Cauriensis LV. qui primò fuerat Complutensis Abbas, Scriptor Nobilis. Obiit Anno M. D. LXXVIII. 1578.

LVI. D. PETRVS huius nominis IX. cognomento *Garcia de Galarza*, & Episcopus Cauriensis LVI. Canonicus Magistralis Murciensis, obiit Anno M. DC. IV. 1604.

LVII. D. PETRVS huius nominis X. cognomento *Carauaxal*, Episcopus Cauriensis LVII. qui postquam Ecclesiæ Toletanæ Capitulum Decanus, & Canonicus gubernaret, ad hanc Sedem ascitus est. Obiit Placentiæ in Hispania, ex qua fuerat oriundus Ann. M. DC. XXI. 1621.

LVIII. D. IERONYMVS huius nominis I. cognomento *Ruiz de Camargo*, Episcopus Cauriensis LVIII. Fuit Episcopus Ciuitatensis, pòst Cordubensis Anno M. DC. XXII. quo & obiit. 1632.

LIX. D. IOANNES huius nominis VI. cognomento *Roco de Campofrio*, Episcopus Cauriensis LIX. ex ordine Alcantarensi cruce signatus, in supremo S. G. Inquisitionis Consiliarius, Rationum Regalium Præses, pòst Episcopus Zamorensis, deinde Pacensis, obiit apud Norbam Cæsaream, Anno M. DC. XXXV. 1635.

LX. D. ANTONIVS huius nominis II. cognomento *Gonzalez de Acevedo*, Episcopus Cauriensis LX. ex Canonico Salmanticensi, & Placentino, Episcopus Vrcitanus, qui post ereptam à Sarracenis vrbem, primam Synodum celebrauit. Obiit Anno M. DC. XLII. 1642.

LXI. D. IOANNES huius nominis VII. cognomento *Queypo de LLanos*, & Episcopus Cauriensis LXI. qui ex Granatensi Cancellaria, ad Accitanam est Sedem translatus. Obiit Anno Domini M. DC. XLIII. 1643.

LXII. D. F. IOANNES huius nominis VIII. cognomento Vrbina, & Episcopus Cauriensis LXII. ex Minorum cœtu alumnus, suæ Prouinciæ Castellæ Prouincialis, Cismontanæ familiæ Commissarius Generalis. Postmodùm fuit nominatus ad Sedem Placentinam, & demum ad Valentinam Metropoliticam, quam intrauit Ann. M. DC. XLIX. Adhuc viuit. 1649.

LXIII. D. FRANCISCVS huius nominis V. cognomento *Zapata* & *Mendoza*, Episcopus Cauriensis LXIII. ex Canonico Toletano, & Capellano Maiori Monasterij Regalis Excalceatarum Sanctimonialium Madridensium, & Consiliario S. G. Inquisitionis, huius Sedis Episcopus electus, in ea laborat adhuc, vt muneri, & oneri satisfaciat.

En amice Lector Præsulum *Cauriensium* Catalogus, in numeris, collocatione, & veritatis apice emendatus ab illo, quem *M. Ægidius Gonzalez* Regius Chronographus conscrisit *Tom. 2. Theatr. Eccles. à fol. 441. ad 476.*

Pro

Pro Coronide *Reliquias* quas in sacrario honorificè custodit, repetere non grauabor. Habet partem *Ligni Crucis* non minimam. *Mappa* supra quas D. N. Iesus-Christus cum Discipulis Feria V. Cœnæ, cœnauit. *Partem pannorum*, quibus Dominus recens natus fuit inuolutus. Vnam ex SPINIS Coronæ Domini. Partem integram *mandibulæ S. Ioannis Baptistæ* cum IV. dentibus molaribus. *Ossa SS. Petri, Pauli, Bartholomæi, Iacobi* Apostolorum, & *Lucæ Euangelistæ*. Vnum *dentem Columellarem S. Christophori*, & alia diuersorum Sanctorum ossa.

Reliquiæ quæ in Ecclesia Cauriensi venerantur.

Et licèt apud plures Ecclesias has sacras Mappas adseruari contendant Scriptores, vt refert P. Ferrandus sæpiùs à me laudatus in *Disquis. Reliquiar. lib. 1. cap. 1. sect. 6. fol. 55.* videlicet apud Viennam ex Ioann. Bosco *de Antiquit. Viennens. cap. 2.* Ioann. le Lieure *de Antiq. Viennens. cap. 7.* vnusquisque in suo sensu abundat, ideò non est cur de harum Reliquiarum identitate differamus.

DECIMOOCTAVO
KAL. MAII.
DIES XIV.

A. Interamnij Flauij *in Hispania passio* SS. Proculi, Domninæ *Virginis, cum aliquibus etiam Virginibus, quæ Martyrium pro fide acerrimè defensâ complexæ sunt.*

B. S. PETRVS GVNDISALVVS TELMVS *Ordinis* B. Dominici *alumnus, post prodigiosam ipsius conuersionem, & religioni Prædicatorum cohærentiam, vt populos* Gallæciæ *barbarica institutione informatos luce Christianæ imbueret doctrina,* Tudem *adijt; ex quo omnes totius districtûs oppidanos, sermonibus, orationibus, pœnitentijs, & alijs exemplorum exercitijs reduxit, poliuit, & oblimauit; tandem* Tudæ *in pace quieuit, ibidémque* Corpus *sanctum honorificè seruatur.*

C. *Romæ, Natalis* S. MAXIMI *Præfecti Cubicularij, qui* SS. Tiburtij, *&* Valeriani *Martyrum constantiam in agonum examine inspectans, & Angelicâ visione conuictus, ad* CHRISTI *suaue iugum properauit intrepidus: ex quo apprehensus, tentamina respuens, & certamina experiens, demum animam martyrio reddidit Saluatori. Eius lipsana in Monasterio Fratrum Excalceatorum B. Mariæ de Mercede* Matritensi, *cui nomen* S. Barbara, *honore debito, & cultu celebri reseruantur.*

NOTÆ.

A. Disceptatio inter Scriptores de his Martyribus.

SANCTVS PROCVLVS.] Anceps circa verum *S. Proculi* martyrium, locum, & agonem, inter Martyrologiorum notatores disceptatio est. Cardin. Baron. *ad diem XVI. Kal. Marty*, & ad *XVIII. Kal. May*, duos fuisse huius nominis Martyres *Interamnenses* in Italia, oppressus auctoritate *Petri Episcopi* Equilini *in Catal. SS. lib.* 1. *c.* 15. quuniuniorem sub Totila passum fuisse scribit, libenter fatetur. Philipp. Ferrar. *in Catal. SS. Italia* hanc itidem *Baronianam* amplectitur sententiam *h. d. fol.* 193. licèt vtrumque *Episcopali* dignitate fulgentem agnoscat; quod de *Proculo*, cuius festum agitur die *XIV. February*, nec Martyrologium Romanum, nec *Baronius* tale quid exprimant, quin potius illum tantùm *Martyrem*, nec *Episcopum* nominent. P. Biuar *in Not. ad Fl. Dextr. Ann.* 175. *n.* 2. *fol.* 257. tres huius nominis *Martyres* consignat alius die *XIV. Februarij*, alius *hoc die*, & tertius *I. Decembris*, illicque *Baronij* imposturam indigitat, & manifestè de errore conuincit illius notationem; illum Lector adeat, ne aliorum labores transcribere videamur. Igitur opinionem *Biuary* sequendo, Nostrum *Proculum Interamnensem*, non *Italum*, nec *Episcopum* fuisse fatêdum est, quæ duæ qualitates expugnendæ veniunt in illis, quas expressit *Baronius*, & tantum elogium *Petri Galesiny* firmandum erit hisce verbis: *Interamnij* S. PROCVLI *Martyris*, *& Sanctæ item* Domninæ *Virginis*, *& sociarum, quæ ob praclaras fidei confessiones, martyrij coronis donata, aternâ perfruuntur gloriâ*. Quam contexturam priùs firmauerat Petr. de Natal. *in Catal. SS. lib.* 11. *c.* 130. *n.* 121. coniunctim locum, & personas assuens. Proculus *Martyr*, *& Domnina Virgo cum socys Virginibus ipso die* (XVIII. Kalend. Maij) *Interamny passi sunt*. Quos sequuntur *Maurolycus*, *Constant. Felic.* & omnia antiqua martyrologia, in quibus, & *Episcopi* titulum, & diuersitatem passionum inter hosce Martyres non inuenies, ex quo colligitur perperam à *Baronio* titulum additum, & verbum ITEM in *Domnina* elogio superadditum. Ad quæ non respexit Ferrar. qui cùm *Proculum* Nostrum *Italum* fecisset, *Domninam*, & socias Virgines, & Martyres, quæ cum illo agonem impleuerant, tanquam exteras amandarit, cùm nec verbum de illis texuisset, & meritò, quia nec suas agnouit, nec *Proculum* suum facere debuerat, cùm verè, & ipse, & illæ *Hispana* fuissent, quod patet ex Flau. Dextr. Nostro *d. Ann.* 160. *&* 175. vbi hæc formalia verba recensentur: *Interamnij Flauij in Hispania* S. Proculus *Martyr*. Domnina *cum sororibus egregijs Christi Martyribus*. En *Baronij*, & *Ferrarij* inane pensum. En *Flauij Dextri* patens apodixis elucescit. Hosce Martyres vt Nostros agnoscunt P. Biuar. & Rod. Car. *in Not. ad Dextr.* ille *fol.* 149. *&* 157. & iste *fol.* 72. *lit. V. & fol.* 74. *lit. T.* nec de istius hæsitatione mireris, quia *Baronianis* literis allectus, vix profundum disceptationis inuenit. Item Sanctor. *in flor. SS. tom.* 1. *fol.* 145. Eorum acta sic formanda veniunt.

Ferrarij additio superflua.

Galesinij opinio secura.

Baronij imposturæ detegitur.

Dextri veritas elucescit.

Origo.

PROCVLVS ex antiquâ *Asturicorum* in Hispania ortus prosapiâ, apud *Interamnium Flauium*, Catholicas amplexatus est voces, & ad Christi fidem conuersus, illam totis viribus defendebat. At per *Gallias*, & *Hispanias* excitata penitus *Antonianâ* persequutione, Sanctissimus pugil vnà cum DOMNINA, & Sororibus etiam *Interamnensibus* accolis, & Virginibus, ad coronam properauit intrepidus, quam per varia tormentorum certamina absque turbatione suscepit XVIII. Kal. Maij Anno CLXXV. S. Sothero Ecclesiam, & Antonio Vero Imperium moderantibus.

Comprehēditur cum Domnina & Sororibus.

Coronatur.

Hæc persecutio *Quarta* dignoscitur, quam *M. Anton. Verus* excitauit, de qua loquitur Fl. Dexter *Ann* 170. *n.* 1. *fol.* 251. *Plurimi in Gallia, Hispaniaque ob Christi nomen interfecti*. Ex cuius anni consignatione deprehendes Nostrum *Proculum* diuersum ab aliis fuisse, de quibus *Baronius*, & *Ferrarius*, nam sui vnus ad *Ann.* 170. alius ad 541. reiiciuntur.

Diuersus iste Martyr ab illis Baronij, & Ferrarij.

INTERAMNIVM FLAVIVM Oppidum Hispaniæ in *Asturibus* ex *Ptolemao* cuius

cuius situs hodie variè consignatur. Ambros. Moral. credidit *Fuente Encalada.* Coccus iudicauit *Ponferrada.* P. Biuar. contendit fuisse BENAVENTE. Cui adhæreo, quia si nomen oppidum accepit, ex eo quod inter duos amnes acquiescat, ideóque *Interamnium* fuit vocitatum, ecquid *Fuente Encalada* adsignabitur, si inter amnes haud situs respicitur? Quod & *Ponferrada* succedit. De nomine peruetusto agit Antouinus *in Itinerar. fol.* 97. & ibidem Zurita *in Not. fol.* 581.

Topographia.

S. PETRVS TELMVS.] Ex ordine *Prædicatorio* fulgentissimum iubar, de quo sic Philip. Ferrar. in *General. Catal. SS. h. d. fol.* 150. verba concepit: *Tude in Gallacia* B. PETRI TELMI *Ordinis Prædicatorum.* De eo scripsere P. Humbert. *lib. 5. de vit. Frat. c.* 10. §. 2. S. Antonin. 3. *p. Hist. tit.* 23. *cap.* 10. §. 5. Bern. Guid. *in Comment. de Reb. Ordin. Præd.* Anton. Senens. *in Chron. fol.* 73. Leandr. Albert. *de Vir. Illustr. Ord. lib.* 5. *fol.* 192. Razz. *lib. de Beat. Ordin.* Mich. Pius *de Vir. Illustr.* Castillo *Hist. Ordin. lib.* 2. *cap.* 25. Mariet. *Hist. SS. Hisp. lib.* 12. *à cap.* 39. *vsque ad* 50. P. F. Domin. Grauin. *in voce Turtur.* 2. *p. cap.* 12. *fol.* 47. D. Prudent. de Sandou. *Hist. Tudens. fol.* 150. P. F. Vincentius Iustinian. Antist. qui peculiarem de eius vita publicauit libellum. P. F. Thom. Maluenda *in Annal. Prædicat. Ann.* 1246. *fol.* 685. Abrah. Bzouius *tom.* 13. *Annal. Eccles. Ann.* 1246. *num.* 3. *fol.* 550. P. Mart. Del-Rio *in Senecam, in Hercul. Fur. num.* 14. *fol.* 218. Sandoual *in vit. S. Antonini Palentini fol.* 88. Stephan. de Sanpayo *in Thesaur. Arcano. fol.* 155. Qui omnes vnanimiter eius *Sanctitatem* fatentur, & addit *Sandoualius, S. Petrum Telmum* ab Innocentio PP. IV. inter *Beatos* fuisse relatum Anno Domini M. CC. LIV. sui Pontificatus XI. Eius acta MS. ex antiquo Codice desumpsi, cùm Secretarij officio fungerer apud *D. ac D. meum D. Didacum de Arce Reynoso*, tunc Episcopum *Tudensem*, pòst *Abulensem*, inde *Placentinum*, nunc *supremum Fidei Censorem.* Quæ quia cùm descriptis à *Castillo*, & *Maluenda* conueniunt, ideò eorum acta compaginare disposui, quæ de votis ad vnguem subiicio.

B. Scriptores.

Beatus proclamatur à Pontifice.

ACTA B. PETRI GVNDISALVI TELMO *Ordinis Prædicatorum Confessoris; ex MS. & alijs.*

PETRVS Gundisalui Telmus *originem ex* Fromesta *villula, quæ XV. M. P. ab vrbe Vaccæorum* Palentia *Hispaniæ dissidet, traxit, ex Catholicis parentibus, & nobilibus. Ab infantia insigne ingenij, & subtilitatis in addiscendis literis demonstrauit specimen; ideóque vt ad ætatem, quâ scientijs informari posset, peruenit,* Palentiam, *vbi tunc insignes erant* Academiæ, *sub cura* Auunculi, *qui ipsius vrbis infulas induebat, adiuit, vbi magnos in* Logica, Philosophia, *alijsque liberalibus Artibus fecit breui progressus. His ornatus principijs, ætate accedente, ad clericalem peruenit statum, & obtento* Palentinæ *Ecclesiæ* Canonicatu, *illius sedulus onera persoluebat. At vacante in ipsa Ecclesia, quadam Dignitate, quæ* Prioratus *dicitur, & ille ad illam adscitus, illico, aut iuuenili ætate, aut ingenij libertate, aut indulgentiâ patrui, aut quod certius est, honoris petulantia, & opum vanitate distractus, per inania, & lubrica sæculi percurrebat. Qui cùm adeptam dignitatem, publicis lætitiæ significationibus insignire voluisset, profanos quosdam apparatus, qui Ecclesiasticum Virum minùs decerent, adhibuit. Nam in festo Natiuitatis Domini* IESV-CHRISTI, *splendidis indutus vestibus, ascenso equo, fulgentibus phaleris exornato, totam vrbem, multis comitantibus, adequitauit. Sed cùm, leuitate quadam, in frequentiori vrbis vico, equum ad cursum incitasset, prolapsus in medio cursu equus, vectorem* Petrum *excussit, & in satis altum proiecit lutum, vnde cœno multo vestibus, & facie oppletum, & turpiter in modum fœdatum, illum comites extraxere. Quo ingenti pudore confusus, eam ignominiam non ferens, nouas secum, Deo inspirante, inire capit rationes,* Habes Petre, quæ dignè commeruisti; mundus, quem adeo excolebas, te pro suo amore tractauit; egregiè vicem rependit. Aliena à tuo instituto, & professione vsurpasti, meritò es contumeliam passus. Hæc sunt, quæ suis mundus sectatoribus

Origo.

Palentiam studij causâ peruenit.

Eius in Philosophia progressus.

Canonicus & Prior fit Palentinus.

Ab Equo proijcitur in cœnum.

Eius conuersio.

toribus præmia largitur, sed suum illi talionem protinus rependam. Hæc, & alia secum voluens, fortuitum illum euentum, in suam conuertit occasionem salutis.

Palentiæ tunc temporis religio Dominicana insigni monasterio florebat. Illius fratres eximio, vita, & doctrina exemplo, & in illo surgentis Ordinis vigori, quo oculos ciuium in se efficaciter conuerterent. Petrus, qui de vita ratione mutanda, iam apud se seriò statuerat, facilè in id statutum, diuina ducente gratia, pertractus est. In Ordinem receptus, non sine magna totius populi admiratione, ingentia mox diuinæ gratiæ specimina edidit, deuotione, charitate, orandi assiduitate, animi demissione, promptissimâ obedientiâ, mansuetudine, benignitate, non tyronis, sed veterani Monachi partes implebat. Pauli documentum præ oculis habens continuò: Veterem hominem cum actibus suis exuere, nouúmque secundum Dei leges, & voluntatem, plenum spiritu, & veritate induere conabatur, anteactæ vitæ tædium, meliorísque desiderium, quam maximè in se quotidie accendebat. Patres Ordinis, qui iuuenis ingenium, ad præclara quæque aptissimum animaduerterant, eum, vt Theologiæ, sacrarúmque literarum studiis impensè vacaret, iusserunt. Breui talis ac tantus euasit, vt facilè alios docere posset, & sacras de rebus diuinis ad populum conciones haberi. Verùm is, qui vitam, & gesta S. Parentis Dominici, tanquam viuum quoddam & animatum exemplar, sibi imitanda proposuerat, totum se saluti animarum procurandæ consecrauit; nihilque à Deo continuis precibus enixiùs flagitabat, quàm vt dignum instrumentum, quo perditæ animæ in viam salutis reuocari possent, effici mereretur. Aggressus igitur Prædicatoris officium; totum se sacris Orationibus & meditationibus dedit, seuerissimam Apostolico more paupertatem sectatus. Nunquam in alicuius domum ingrediebatur, cum prædicationis gratia populos perlustraret, quin omnes in ea degentes, lapsus suos per sacram Confessionem mox expiarent. Viuis enim, & animatis sententijs, adeò corda promouebat, vt ad veram delictorum suorum pœnitentiam inflammaret: vtebatur frequenter sacris exhortationibus, & Sanctorum exempla ex Ecclesiasticis historijs excerpta, ad institutum rerum, de quibus disserebat, & ingeniis audientium accommodata, magno cum fructu adhibebat. Omnes suas conciones ad duo præcipuè capita reducebat. Primum, vt seruitutem, tyrannidémque peccati, quam in animas exercet, periculáque & damna peccantium, ac tandem æterna supplicia ijs debita, verbis grauissimis exaggeraret. Alterum, vt sempiternam felicitatem, & cælestia præmia, diuinaque beatitudinis, etiam in hac vita, prægustamenta, iis, qui virtutem amplecterentur proposita, magna dicendi efficacitate demonstraret. Cumprimum sciret aliquem confitendi peccata sua desiderio teneri, nulli labori parcebat, omnes quamtumuis necessarias occupationes relinquens, vt is voti compos efficeretur.

In ordine Prædicatorum ascitus.

Eius spiritus adhuc Nouicius.

Eximius euasit Ecclesiastes.

Duo in Prædicatoris munere obseruabat.

Sacris huiusmodi exercitiis, verbum Dei per varia Hispaniæ loca prædicans, cunctis salutis viam annuncians discurrebat. Regem Ferdinandum cognomento Sanctum in varias expeditiones aduersus Mauros euntem est comitatus. In exercitu doctrinâ, & admirabili sanctitatis exemplo, militibus virtutum præclara documenta præbebat: hostibus verò, suis consiliis, & orationibus maximo erat terrori. Per hæc tempora humani generis aduersarius, inuidia percitus, Viro sanctissimo insidias cruentas extruere non abhorrebat; quin potiùs vt eius castitatis florem vernantem extingueret, mulierum venustissimarum ardores excitabat, à quibus vehementer sollicitatus Petrus, in proposito pudicitiæ perstitit strenuè: & quod plus est aliquando petulantissimorum scortorum fraudes, & technas, vt castimoniam seruaret, pluries fefellit. Quo Dei benignitas, quæ suorum curam gerit attentè, cuncta dæmonis machinamenta distrahens, & serui sui gloriam, & famam custodiuit, & illustrioribus quotidie sanctitatem adauxit incrementis. Tametsi B. Petrus in Castella Regnis per tot virtutum exercitamenta magnum sibi no-

Ferdinandi Sancti expeditionibus interfuit.

Dæmonis fallacias profligauit.

men

men comparasset, at in Prouincia Gallæciæ, *vbi maiorem ætatis partem exegit, multo maiora Spiritus Sancti in eo habitantis, signa, præstantissimis editis operibus, demonstrauit. Exhortationibus suis, & eleémosynis* Minnium *amnem ex maximis Hispaniæ, non longè, à* Ribadauia *oppido, lapideo ponte coniunxit, publica transeuntium vtilitati. Opus hoc planè Regium, & magnificum, nam & flumen altissimum, & eo loco rapidissimum erat. Et licet Regni Proceres, Episcopi, & alij Prælati à Rege* Ferdinando *Regijs literis exhortati, vt in sumptus pontis aliqua conferrent munia, ipsi ita se segniter gesserunt, vt totum extructionis pondus in* B. Petrum *recideret. At ille ingenti animo opus aggressus, magnam ex vicinis locis agrestium incolarum multitudinem, auctoritate sua, & fama sanctitatis acciuit: conquisitísque vndique lapidibus, & reliquo fabricandi pontis apparatu, opus vrgebat, magnâ adhibitâ diligentiâ, ne ad victum necessaria laborantibus deessent, quæ ex circumadiacentibus oppidis, ob amorem, & obseruantiam Viri Dei, liberaliter adhibebantur. Nec* B. Petrus *cibum absque labore demerebatur, nam quasi vnus ex conductitijs operarijs manus etiam operi admouebat, lapides comportabat, calcem, & arenam miscebat, nedumque quotidie ab officio prædicationis desistit, nam certis horis ad conductam laborantium multitudinem de rebus diuinis verba faciebat, vnde incredibili ardore, omnes operi insistebant. Si quando Viro Sanctissimo necessarius cibus deerat, quod frequenter eueniebat (priùs enim aliorum quàm proprium quærebat commodum) ad ripam fluminis cum socio accedens, & inuocato Episcopi nomine, & crucis signo super aquas efformato, cùm pisces certatim enatarent, & se conspicuos exhiberent, manu, quos visum esset, capiebat, parandos in cibum, reliqui immoti tandiu manebant, quoad illis fuisset à Viro Dei & facta abeundi facultas, & benedictio imposita. Erant ergo fauores isti diuini acriora* B. Petro *ad omnem perfectionem incitamenta, seséque negligentem in Dei arguebat obsequium, cùm bruta animantia, in vsum seruorum Dei tantâ promptitudine vitam exponerent. Cuius pontis moles hodie adhuc visitur iuxta oppidum, cui nomen* Castrelo, *non procul à Cœnobio* S. Claudij *Cisterciensi. Donec huiusmodi pontis ædificium perficeretur B. Vir domunculam ad orandum in montis vicini verticem extruxit, quæ pòst fratribus minoribus concessa, hodie* Monasterium *celebre perseuerat, in quo duo magnitudine proceres demonstrantur rupes, inter quas (vix locus hominem capit) Sanctus Vir somnum strictissimè capiebat. Ad cuius sacra inuisenda monimenta totius regionis accolæ die festiuitatis* B. Petri, *in Monasterium, quod* S. Marta *dicitur, turmatim lætabundi conueniunt.*

Gallæciam adiit.

Pontem super Miniū erigit.

Deficiente cibo pro operariis pisces fluminis sese offerebant.

Absoluto ponte, se in Tudensem *contulit vrbem pedester (non vt memorant oppidani per Miny vndas super pallium) vbi, & in vicinis oppidis illustria patrauit miracula, innumerosque à peccatorum tenebris, ad gratiæ lucem sua prædicatione conuertit, quò à Deo illustratur, quasi nouus Angelus ab omnibus propemodum haberetur. Accidit tunc ergo, quòd* Clericus *quidam eius familiaris,* Baionæ *graui ægritudine laboraret, rogatus, vt amicum inuiseret, suáque præsentiâ solaretur, profectus est à* Tudensi *vrbe, fratrem secum, & nuntium adhibens, licet illo die ab vrbis Procere inuitatus existeret, & hora prandij protinus vrgeret, sed nihil horum cunctatus iter arripuit, adeò amici calamitate affectus, vt sui oblitus, potiùs curaret opera charitatis. Iam supremum verticem collis tenuerant, qui vulgo* Rafela *dicitur, cùm socij labore itineris, & fame defatigati fermè deficiebant; Fratérque ad secularem conuersus, dixit:* Bonus hic Pater, præ senio assuetus ieiunio, parùm curat aliorum labores, méque ad regulam suam, simili parsimonia victurum putat; quæ res planè est intolerabilis, nam neque ætate, neque corporum dispositione pares sumus. *Diuina inspiratione* B. Petrus, *socij cognita querimonia, respondit:* Frater charissime, si tibi inedia molesta est, perge ad rupem illam (*simul digito locum ostendendo*) ibique quo famem pellas, reperies. *Iuêre Frater, & Nuntius ad rupem, quam Vir Dei indicauerat,*

Tudem vrbem aduentat.

Socium & alterū murmurantes pane reficit cælesti.

dicauerat , & duos panes candidiſsimos , linteo mundiſsimo inuolutos , & vas optimi vini reperiêre , quæ omnia ad S.Virum , cùm detuliſſent , datâ benedictione , vt ex his , quantum ſatis eſſet, ederent, & biberent , reliquias in eundem locum , vnde acceperant , reportarent , ac deponerent , ſuauitate cordis , & oris iuſsit. Affirmabant poſtea , nunquam ſe tàm egregij ſaporis, & ſuauiolentiæ panes , aut vinum deguſtaſſe. Ergo cùm iuſſa Viri Dei feciſſent , denuò cæptum iter peragebant , inter ſe differentes , & maximè obſtupeſcentes , vt Vir Sanctus ſecreta eorum murmura intellexiſſet , & quiſnam in loco vaſto , & inter rupes , ac ſaxa , recentiſsimos panes , vinúmque præſtantiſsimum poſuiſſet ; ſimúlque inani curioſitate incenſi, clam Viro Dei, qui paulatim ſacras preces recitando præcedebat , retrò ad rupem , vbi reliquias prandij repoſuerant , redierunt ; ſed nihil prorſus eorum , quæ reliquerant, inuenêre. Vnde noua , maioríque admiratione defixi ad B.Petrum *reuerſi ſunt. Qui diuino ſpiritu cognitis his, quæ à ſocijs acta fuerant,* Quid opus erat (*inquit*) filij reliquias eorum , quæ accepiſtis, iterum perquirere ? Nonne, qui ea in veſtros vſus poſuit, inde quoque, vt illa haud inueniretis, auferre valuit ?

Curioſitatē ſociorum increpat.

Conſimile huic aliud inſigne miraculum B.Petrus *alio quodam tempore edidit , Nam prope* Compoſtellam , *cùm feſſus ex itinere, & prædicatione inter æſtiuos calores perueniſſet in domum cuiuſdam* Preſbyteri *oppidani; parum vini , quo ſitim ſedaret , poſtulauit. Mulier , quæ* Parocho *inſeruiebat , quamuis impensè cuperet deſiderium Patris explere , quia ſanctitatem eius iamdiu prænouerat* , Pater Petre (*inquit*) in tota domo , ne gutta quidem eſt vini , niſi tantillum in fundo vaſis , quod Preſbyter ſedulò ſeruari præcepit ; comminatus me malè acceptum iri , ſi negligentia mea excidiſſet. *Subriſit Seruus Dei , ac vultu alacri* , Potens (*reſpondit*) eſt Deus , ſine cuiuſque incommodo ſeruos ſuos potare libenter. *Adiecit mulier* : Vobis propinabo , ſed ſuper te , ô Pater Petre, ſupérque ſocium tuum, recidat indignatio heri mei. *Quo extracto vino , ex eo Vir Sanctus , & ſocius eius biberunt abundè, ſéque mox in viam dederunt. Illicò ſuperuênit* Presbyter , *vinum ſuum , quod ſibi pro ſingulari munere oblatum fuerat , requiſiuit. Attulit vas mulier , quod vt vino plenum animaduertit* Presbyter , *in quo parum reliquerat , obſtupuit, quinetiam admirationem auxit vini guſtus , multo ſuauior , & præſtantior, quàm fuerat illius prioris. Vocata muliere , quæ metu indignationis eius in latebras ſe abdiderat , rem geſtam omnem edoctus , miraculum agnouit. Interim mulier inclamabat , ne vinum illud bibere præſumeret , quod Deus ad oſtendendam gloriam ſerui ſui , diuinitus infudiſſet. At* Presbyter *magnitudine miraculi extra ſe raptus , cogitabat , quam viam* B.Petrus *tenuiſſet. Quâ cognitâ , cùm ſe eò curſu aduolaret , Virum Dei non longè ab oppido aſſequutus , ad pedes illius procidit , multiſque cum lachrymis orabat , vt in domum ſuam regrederetur ; cupere enim ſe aliqua humanitatis officia illi exhibere , qui tàm eximio miraculo , & domum ſuam exornaſſet , & ſanctitatem mirificè oſtendiſſet .Sed Sanctus Pater , qui Verbum Dei prædicaturus, aliò intendebat , collaudatâ Sacerdotis voluntate , & vt hoſpitalitatem coleret exhortatus , illum dimiſit.*

Vas vini ob ſitim ſedandam propinatum auget.

Sed ad inſtitutam narrationem , à qua digreſſi ſumus, redeamus ; B.Petrus Baionam *peruenit , & ibidem vnicum ægrotantem inuiſit. Verùm in ea vrbe , pluribus , quàm deſtinauerat , menſibus , hæſit. Et quidem ſingulari Dei conſilio , qui eum magnis rebus gerendis in illum locum adduxerat, cæpit tanto audientium ſtudio prædicare , vt ex Montanis , & circumiacente regione innumera hominum multitudo ad eius conciones confluerct. Ibidem ergo plures ad Dominum attraxit animas, quæ in cæno peccatorum volutantes , vix Dei agnitionem intellexerunt. Tanta erat illius regionis turpitudo! Tanta incolentium ad virtutes auerſatio ! Illinc Maris ancon, vel potius æſtuarium , aut oſtium fluminis ſedulò B.Pater conſpexerat , non procul à*

Baionam peruenit.

In ea plures fructus fecit.

vico

vito, cui nomen Ramallosa *circitérque vrbem* Baiona, *cuius fretum periculosa nauigatione tranabatur, aut scaphis, aut cymbis; ex quo imminens quotidie transeuntibus periculum agnoscebat; ideò, vt incommodo satisfaceret, charitate deuinctus, altum magnificum statuit extruere pontem. Quod vt breui compleret, populatim ab omnibus incolis eleemosynas emendicans, talem stipem cumulauit, vt inopinatè ad perfectionem operis deuenerit. In huius ædificationis tempore euenit, quòd cùm prædicaret (vt eius moris erat) iuxta pontis fabricam, subitò coorta fœda tempestas est, sæuique ventorum turbines, & horribilem in modum sonantia, fulgurantiaque sidera densis nubibus, & immenso fragore congregatum populum disijcere cœpere; huc illucque in tutiora loca cunctis, metu procellæ, diffugientibus. At Vir Dei clamare cœpit, multitudinémque manu detinere.* Subsistite (*inquiebat*) Fratres, ponite metum; nam Dominus ille, qui ventis imperat, cui mare, cœlum, terraque subiacent, cuius nutu cuncta reguntur, hic iam in oculis vestris, omnem istam tempestatem dispellet, dissipabítque. *Elatóque brachio, versùs eum locum, quò atrocius vis nubium ingruebat, & facto signo crucis, nubes in duas se partes distraxêre, ac relicto in medio populo, qui concionem B. Patris audiebat, ab vtroque latere tantam vim grandinis, pluuiæ, tonitruum, & fulgurum effudêre, vt cœlum ipsum ruere, terráque è sedis axe conuelli, & immenso diluuio inundari videretur; cùm nec gutta quidem, in eos, qui concioni intererant, ecciderit, aut à multis passibus, loco, propinquauerit. Obstupuêre omnes, qui tam euidens miraculum viderunt, & Virum Dei innumeris laudibus celebrabant.*

Pontem altum non procul ab vrbe Bayona extruxit.

Tempestas procul ab audientibus sermonem B. Viri, recedit.

Tandem cum in Dominica Palmarum ad quoddam cœnobium Monialium Ordinis S. Benedicti, cui nomen Pesiguero *accessisset, ibidémque Verbum Dei prædicasset, præcordialibus cordis singultibus dixit ad populum:* Charissimi fratres, duo mihi nunc agnoui, quæ publica faciam. Alterum, quod nocte præterita IESVS CHRISTVS Dominus Noster, Sodali meo in somnis apparuit, de méque conquestus est, quòd permittam tantam multitudinem, quanta hic adest, relictis domibus, & rebus suis, tot iam diebus, mea sequi vestigia, vt me prædicantem audiant, præsertim cùm inter vos multi sint senes, infirmi, debiles, & imbecilles, qui labores itinerum sustinere non possunt. Idcirco ex parte eiusdem Domini Nostri, præcipio vobis, vt nullus senex, infirmus, aut imbecillis, me in diuersa loca euntem, & prædicantem sectetur. Alterum (quo omnia dicta cessabunt) quod velox erit depositio tabernaculi mei, & in loco, vbi nunc sto, amplius meam faciem non estis visuri, propterea oro vos, vt quamprimum obitum meum resciueritis, memoriam mei habeatis, animámque hanc peccatricem, vestris precibus diuinæ misericordiæ commendetis. Nam quamuis maximam curam adhibuerim, sic inter vos viuere, vt nulli offensioni essem, sed omnibus exempla, & documenta salutis præberem; at non tantùm mihi tribuo, vt non quammaximè, post mortem meam, me vestris orationibus indigere existimem. *Quibus dictis in* Tudensem *properauit vrbem, vt sacram Dominicæ Passionis, in eadem ciuitate celebraret hebdomadam, cuius singulis diebus, in Cathedrali Ecclesia, magno spiritus feruore prædicabat, homines ad veram pœnitentiam, simplicem, puramque peccatorum confessionem, vehementer hortatus. Exemplóque* Christi Domini, *proximis ante mortem diebus, frequentiores, ardentiorésque conciones habuit. Iam Pascha festum transierat, & Virum Dei tot laboribus fessum valida febris inuasit. Quod agnoscens, cùm magno desiderio teneretur, apud* Compostellam *in cœnobio sui ordinis supremum spiritum exhalandi, iter illuc (quam æger) accelerauit, at cùm non procul processisset, apud* S. Columbæ *oppidum; ingrauescente morbo, iterum ad vrbem reuerti compulsus est. Quo intellecta Dei voluntate ad socium accedens latabundus, dixit,* Fili charissime, Deo placet, vt in vrbe *Tudensi* vitæ

Sua vita terminum populis prædicit.

Ægrotat.

Compostellam adiens à Deo Tyde detinetur.

meæ finem imponam: proinde oportet nos quamprimùm illuc reuerti, nam mors in proximo adest. *Sic in vrbem ingressus, hospitio deuoti cuiusdam, & religiosi viri benignè exceptus, sentiens obitum suum non longè abesse, Ecclesiasticis Sacramentis Pœnitentia, Eucharistia, Vnctionis Extrema, summâ deuotione perceptis, hospitem suum in hunc modum est alloquutus:* Amice, Dominus tibi hospitij gratiam rependat: Ego ad aliud seculum proficiscor; Dominúmque habeo, cui cùm parùm seruierim, ipse tamen nimis multum reddere parat, & supra meritum me ornare constituit. Quo eius immensa benignitas, multis fauoribus, hanc vrbem intuitu mei, quamuis indigni, se prosequuturum pollicitus est, totámque regionem sub singulari tutela habiturum, & ingruentia mala auersurum. Hoc Deus sudoribus meis, pro infinita sua misericordia tribuere dignatus est, vt hîc inter vos maneam, curam salutis, & incolumitatis omnium, perpetuò apud eum acturus. Veniam tædij, & laboris, quo in ægritudine mea, domum tuam affeci, pro Christo deprecor, vt concedas, ab ipsóque præmium amplissimum impensi obsequij expecta. Ipse pauper & egenus, soluendo non sum, tantum in memoriam grati animi, cingulum hoc meum tibi relinquo, seruato illud, nam aliquando vsui erit. *Accepit hospes Cingulum, pretiosum munus, quod summâ veneratione, tanquam Sacram Reliquiam aliquot annis seruauit. Sed cùm Canonici Cathedralis Ecclesia* Tudensis, *enixè ab illo partem aliquam cinguli efflagitarent in Sacrario Ecclesiæ reponendam, vnus accepto cultro, vt illud discinderet, subito è manibus tenentis, vt maxima, culter resiliyt in longè dissitum locum, cùm priùs in ipso resiliendi nisu, inflicto vulnere manum cruentasset. Vnde perspicuè intellectum ab omnibus, non esse cordi Superis, vt Cingulum diuideretur; sícque integrum, cum alijs Viri Dei reliquijs, quas apud se retinebat hospes ille, Capitulo Ecclesia* Tudensis *tradidit: vbi etiam pallium* B.Petri, *& baculum, quo in itineribus vtebatur, ad hanc vsque diem, conspicimus.*

Tutelarem se offert Vrbi, & Regioni.

Miraculũ.

Ergo B.Petrus Telmus *post tot in prædicatione Verbi Dei exantlatos labores, post tot virtutum insignia, spiritu prophetico, & multis clarus miraculis in ciuitate* Tudensi, *Regni* Gallæciæ, *Anno Salutis* M.CC.XLVI. *inter Pascha, & Pentecostem, carne solutus ad cælestem patriam euolauit. Exequias Viri Sanctissimi vniuersa Nobilitas cum plebe summâ deuotione, & veneratione celebrauit.* Lucas Episcopus Tudensis, *insignis ille rerum Hispanicarum scriptor, qui eo tempore illam* Tudensem *gubernabat Ecclesiam, voluit tanto thesauro maximum illius vrbis templum locupletari, ex quo illicò corpus Viri Dei Sanctissimum eleganti sepulchro, inter Chorum, & sacra Ædis maiorem portam proprijs manibus sepeliuit. Veteres illius Ecclesiæ memoria referunt, Ipsum* Lucam Episcopum, *deuotionis, & amoris affectu erga B.Patrem suam sibi sepulturam, iuxta* B.Petri *Sarcophagum extruxisse, in illámque post mortem delatum, diuino miraculo, Episcopi tumulum retrocessisse, B.Viri in suo loco perstitisse, vt sine immixtione cadauerum Sancti Viri corpus conseruaretur. Statim post mortem* B.Petrus *innumeris cœpit coruscare miraculis, nam ex sepulchro* Oleum *manauit, mira fragrantia, quo varia infirmitates curabantur.* Canonici *ipsius* Ecclesiæ *vas plenum dicti olei collegerunt, & vsque ad Nostra tempora aliquot guttula perdurarunt.* Ioannes de Castro *Nauclerus fama miraculorum* B.Petri, *ex voto in marina tempestate concepto, sepulchrum eius inuisit, vbi cum alijs peruigilium agens, incidit sermo de oleo, ex sacris ossibus manante. Nauclerus, qui omnia magnalia, quæ de S.Viro circumferebantur credebat, nulliter illud de oleo miraculum capiebat, nec nisi oculis cerneret, fidem vllam adhibere decreuit, alijs rem compertissimam asseuerantibus, eiúsque contumaciam arguentibus. Inter istas disceptationes euênit, quòd subitò sicca humore copioso quáque versum sudare cœpisset, pretiosúmque*

Moritur.

Lucas Tudensis Episcopus corpus S. Viri in Ecclesia Tudensi honorificè sepeliuit.

Miraculũ.

Oleum manauit ex S. Corpore.

Miraculũ.

tiosúmque illud vnguentum vndique distillare. Tunc Nauclerus miraculo commotus, subam, quam paruam secum detulerat, ad sarcophagi angulum apponens, vt stellas manantis olei exciperet, applicuit, donec tuba opplesa, per illius cornua oleum penitus effunderetur. Hinc miraculi fides validius firmata est.

Ab hoc, & alijs miraculis, quæ in nautas, S.Viri opem in maris tempestatibus inuocantes, patrauit, originem sumpsit deuotio, qua in similibus periculis vtuntur nauicularij, in quorum subuentionem sæpè sæpius cæleste in nautum puppi iubar apparet, quod apud ipsos SANTELMO *vocitatur. Hincque frequentes in maris portubus confratria, aræ, templa, & icones prodiere. Innumera ergo cum quotidie agnoscerentur prodigia, ne illa penitus deperirent,* Ægidius Tudensis *Episcopus, qui* Lucæ *successit, publicam & authenticam informationem ex fide testium iuratorum, summa cura, & diligentia fieri præcepit, eámque sigillo suo obsignatam* Tolosam *misit ad Capitulum Generale Prædicatorum, quod in ea vrbe agebatur Anno Domini* M. CC. LVIII. *Et illorum miraculorum copiam exscribi fecit in Legendario ipsius Ecclesiæ, quod membraneum erat, ibidémque asseruatur. Numerus illic descriptus ad nonaginta & septem miracula accedebat, quorum hinc nonnulla describemus.*

Nauigātibus maximè Tutelaris.

Iubar quod post tempestatem apparet SANTELMO *dicitur.*

Ægidius Episcopus Tudensis miracula probat.

Hactenus Acta, in quorum calce, in meo Codice prædicta miracula referuntur, quorum quia *Maluenda*, *Castillo*, & *Bzouius* numerum conflauere, ideo illa sub silentio relinquimus. Cauendum ergo à *Bzouio* est, qui *Valentinum*, pro *Palentino*, Episcopum *S.Petri* auunculum facit. Et à *Maluenda*, qui cognomen TELMO ab *Anselmo*, aut *Herme* deriuatum credidit, cùm, vt refert D.Francisc.de Sandoual *d.fol.*88. adhuc patrium stemma in *Fromesta* inueniatur, illúdque ex cognatione Sancti Viri descendere fateatur. Item ab Arnaldo de Raisse *in Actuar SS.Belg. die* 19. *Nouembr. fol.*341. qui pro Canonico *Palentino*, posuit *Astorgensem*, & pro *Tudensi*, reposuit *Trudensi*: & à Sampayo, qui natum in *Astorga*, & Canonicum *Astorgensem* suspicatur.

Error Bzouij, Maluēda, Raysse, & Sampayo.

Reliqua, quæ ad nostram vsque ætatem de S.Patris tumulo euenêre, breui ex antiquis monumentis percurremus periodo. *D.Didacus de Auellaneda* Episcopus *Tudensis* Anno M. D. XXIX. Sanctum *B.Petri* corpus in alium locum transferre curauit, quia monumentum in quo primò sepultum, & vbi occurrentium populorum concursus quiescebat ex voto, transitum precationum, quæ diebus Dominicis & festiuitatibus fiebant à Capitulo, interdicebat; ideóque solemniter Sacra Beatissimi Patris lipsana exhumauit, nouiter condidit, & iuxta portam Septemtrionalem ipsius Ecclesiæ in magnifica capella ad hoc extructa, in arca argentea mirificè elaborata processionaliter collocauit. Tandem *D. Didacus de Torquemada*, illius in Sede successor circa annum M. D. LXVII. *Capellam* prædictam ampliauit, poliuit, & techam in sublimiori loco reposuit, vbi ab omnibus conspicitur, & populi vota ardenter exoluunt.

Trāsfertur corpus in Capellam insignem.

De miraculo *Olei* ex corpore sancto manantis, frequens apud Sanctorum cadauera experientia est: De hoc volumen integrum meditatur *D.Laurentius Cocco* Italus, literis humanioribus excultus, & Ecclesiasticis in historiis versatus, cuius necessitudo apud me grata, & in pretio existit, stabítque. Multos enumerat Sanctos, quibus è Reliquiis stillicidij Deus gratiam concessit. Idem Arnaldus *d. fol.*341.

De oleo manante è SS. Corporibus exempla.

Circa auxilium naufragantibus exhibitum, noménque à Nautis in periculis conclamatum, nihil apud Nostros tam antiquius. In fine mei codicis, ex quo vitam desumpsi, hæc de hoc formalia leguntur verba: *Cum Sanctus ille* (Petrus Telmo) *vniuersalis pro omnibus intercessor, vt Nos Dei misericordia ab omnibus tueatur malis, fit; maximè nauigantibus in naufragio occurrit* B.Petrus; *ideóque multoties inuocatus ab illis, protinus in malo Nauis, aut in corbe lucerna apparet cerulea, ad instar ignis sulphurei, qua visa, se à periculo liberatos magnis acclamationibus, & gratulationibus confitentur. A quo originem sumpsit pictura* S.Telmi *à Nautis fieri consueta, vbi* S.Petrus *visitur in habitu Dominicano, & in manu dextra cereum ceruleum accen-*

Nauigātibus fauet.

ſum geſtans, & in ferè omnibus populis maritimis Hiſpaniæ, & præcipuè in oppido Noya *omnes Confraternitatis* S.Telmi *faces, lychni, & cerei, ceruleo colore pinguntur; inter cuius oppidi incolas hoc lingua patria carmen ſedulò repetitur, ab antiquis deductũ ſeculis.*

Señor San Petro Gonzales
De Nauegantes Piloto;
Librànos de terremoto,
Y defendènos de males.

Quæ carmina ſcripta reperi iuxta imaginem S.Telmi *depictam in calce cuiuſdam diplomatis Reuerendiſsimi* D.Michaëlis Muñoz *Epiſcopi Tudenſis, in quo continebantur indulgentia, & priuilegia, ab ipſo conceſſa, omnibus Chriſti fidelibus, qui ſuas pro conſtruendo ſimulacro Maioris Aræ, ipſius Tudenſis Eccleſiæ eleemoſynas largirentur.* Hactenus meus MS. Codex.

Quid Iubar illud post tempestates Nautis apparens?

Ex hinc nactus occaſionem *Maluenda*, & *Antiſtius*, lapidem mouerunt circa pervetuſtum poſt maris tempeſtates iubar apparere ſolitum nauigantibus, de quo tam frequens eſt mentio apud Claſſicos, cùm de *Caſtoris*, & *Pollucis* fabulis debacchantur, vt Horat. *lib.*4. *Carm. Od.*8.

Clarum Tyndaridæ Sidus, ab infimis
Quaſſas eripiunt æquoribus rates.

Quod & priùs ipſe ſcriptum reliquerat Horat. *lib.*1. *Carm. Od.*2. ad Auguſtum agens de Diis Heroibns Viriſque aliquot claris.

Dicam, & Alcidem, Pueróſque Ledæ
Hunc equis, illum ſuperare pugnis
Nobilem; Quorum ſimul alba Nautis
Stella refulſit:

Cõmentum apud Ethnicos.

Huius ſuperſtitioſi commenti originem indicat Diodor. Sicul. *lib.*4. *Bibliothec. cap.*44. hiſce verbis, agens de Argonautis: *Inde cùm graui rurſus tempeſtate vexati, de ſalute proceres deſperarent, Orpheus, initiorum ſolus inter nauigationis eius ſocios particeps, Dijs in Samothracia votum fecit. Tùm ventis confeſtim pacatis, duæ ſtellæ* Dioſcurorum *capitibus, non ſine videntium ſtupore, illapſa, fidem periculi, iam Deorum prouidentia depulſi, fecerunt. Hinc per traditionem mos apud poſteros inualuit, vt quos procellæ maris agitant, Deos Samothraces in vota vocent, & ſi quando ſtellæ apparent* Caſtoris, & Pollucis *præſentiæ adſcribunt.* Eadem Valer. Flac. *lib.*1. cecinit.

Dixit, & ingenti flammantem nubila ſulco
Direxit per inane facem, quæ puppe propinqua
In bifidum diſceſsit iter, Fratréſque *petiuit*
Tyndareos, *placida & medijs in frontibus hæſit*
Protinus amborum, luménque innoxia fudit
Purpureum, miſeris olim implorabile Nautis.

Martini Del-Rij ſingularis obſeruatio veritatis.

Sed vt adnotauit *Mart. Del-Rio*, hoc lumen Nautis apparere ſolitum, fulgor potiùs, quàm ſtella, & vt ait Xenophanes: *Nubeculæ, ſeu exhalationes ex motu quodam interfulgentes vocandæ ſunt huiuſmodi luces.* Et proſequitur Del-Rius: *Hiſpani hunc fulgorem* S. Telmvm *vocant. Vnde? Quia* S. Telmvs *Dominicani Ordinis lumen, miræ ſanctitatis, plurimis olim Nauigantibus, poſt obitum auxilio fuiſſe creditur.* Et addit Maluenda in fin. *Vtcumque ſit, nequaquam dubitauerim, ignes illos, ſeu alnas, vt vocant ſtellas in nauibus apparentes, fracta tempeſtatis prænuntios, non aliunde vel ob aliam cauſam à Nautis appellare* S.Telmvm, *niſi à Beato Noſtro* Petro Gonzalez Telmo, *cuius patrocinium, & opem ſæpius in marinis tempeſtatibus experti putant, cùm ignes illi viſuntur S.Virum illis præſidio aduenire. Multóque melius, ac felicius ſuis fidelibus tempeſtate iactatis adeſſe* B.Telmum, *quàm olim Gentilibus Caſtor & Pollux, Dij falſi, & vani Numina.*

CIRCA eius cultum apud *Tudenses* hæc D. D. Prudent. de Sandou. *fol.* 151. *col.* 2. vbi sic de eo agens: *Complurima sunt eius* (B. Telmi) *miracula, de quibus authentica adest probatio, cuius in eius canonizatione auctographum proferretur. Illum Innocentius* IV. P. M. *anno Christi* M. CC. LIV. *Sui Pontificatus* XI. *inter* Beatos *retulit*. Quod & Abrah. Bzou. *d. tom.* 13. *Ann.* 1246. *n.* 3. confirmat, addens: *Prædicatoriaque Religioni indulserit, vt in Hispanijs, quacunque cœnobia eiusdem instituti extarent*, PETRI TELMI *festiuitatem anniuersariam in Ecclesiis suis celebrent, sub eius inuocatione altaria erigant, imagines depingant, sacrificia incruenta offerant, cæteraque cultus officia exhibeant, tanquam si solemni ritu Ecclesiæ à Rom. Pont. in tabulas Sanctorum relatus fuisset.*

S. Viri Beatificatio ab Innocentio IV. Pont. Max. Ann. 1254.

TVDE, siue TYDE vtroque nomine appellatur, illo, Ptolom. *lib.* 2. *cap.* 6. Isto, Plin. *lib.* 4. *c.* 20. vtuntur. *Ciuitas est Episcopalis* Hispaniæ Tarraconensis in *Gallacia* iuxta *Minium* celebre Hispaniæ flumen. D. D. Prudent. de Sandou. *in Histor. Tudens. cap.* 1. hanc vrbem à *Diomede* ædificatam asserit, & nomine *Tydai* eius Patris cognominatam. De quo suo loco disseremus.

Topographia.

S. MAXIMVS. Ado, Vsuardus, Beda, & omnes Martyrologiorum scriptores, cum Menologio, & Romano Martyrologio eius acta, & elogia recensent, ideóque illa repetere, cum non Hispanus sit, fastidium potiùs, quàm deuotionem generaret. Eius acta desumpta ex actis SS. Tiburtij, & Valeriani breuiter exscribemus, vt ad instituti Nostri apicem accedamus.

C. *Martyrologia.*

ACTA S. MAXIMI MARTYRIS Romani ex Actis S. Cæciliæ V. & M. à D. Antonio Bosio scriptis.

CVM *tempore* Alexandri *Imperatoris crudelis aduersus Christianos excitaretur persecutionis procella, &* Almachius, *quem alio nomine* Turgium, *siue* Turcium *vocant, eo tempore vrbis Præfectus ferâ crudelitatis rabie quoscumque inueniebat ad supplicia perducere, ni Christi nomen abnegassent, adusque vitæ postremum halitum conaretur, euênit, vt cum* Valerianum *&* Tiburtium *fratres illustri nobilitate iuuenes sepeliendis Sanctorum Martyrum corporibus præcipuam operam nauare intelligeret, confestim eos comprehendi, & tribunali suo offerri præcepit. Itaque à militari Coborte comprehensi, ad* Almachium *Præfectum vincti, perducti sunt. Quos cum nec verbo, nec verbere ad suam traducere sententiam valuisset,* Tarquinij, *qui ei à Consilijs erat, hortatu inductus, vt celerem vtrique mortem inferret, ne amplissimas suas facultates pauperibus distribuerent, tam* Valerianum, *quàm* Tiburtium *à* MAXIMO *Cubiculario suo ad Iouis statuam deduci, & sacrificare recusantes, vltimo affici supplicio præcepit.*

Roma persecutio tempore Alexandri Imperatoris.

ERGO *cum duos fratres* MAXIMVS *iuuentutis flore vernantes incredibili alacritate ad supplicium properare cerneret, obortis lacrymis eos deflere cœpit, & magno vlulatu prosequi; nec se diutiùs continere valens:* Quæ est (*inquit*) hæc mentis vestræ dementia, vt tanto cum gaudio in pestem ante oculos positam ruatis? *Cui Tiburtius:* Nos si non aliam vitam, omnibus deliciis, & diuitiis, & honoribus florentissimam expectaremus, profectò non tantâ alacritate ad terminum præsentis vitæ properaremus. MAXIMVS *inquit:* Et quæ alia potest superesse vita? *Respondit Valerianus:* Eam tuis ipse oculis in nostro agone contemplari poteris; si tamen promittere velis, te ex animo Idolorum errori renuntiaturum. *Ad ea,* MAXIMVS *anathemate se ipsum deuouens, respondit:* Equidem flammis ignis sempiterni consumi velim, nisi Vnum Deum libens confiteri paratus sim, si modo aliam, cunctis mortalibus, post hanc, constitutam vitam esse ostenderitis. *SS. Martyres inquiunt:* Et quidem ostendemus: tantùm Nos domum tuam abduci præcipe. *Abducti igitur à Lictoribus in domum* MAXIMI, *mox luculenter cuncta Christiana*

Maximus Almachij Præfecti cubicularius.

Quæstio de vita æterna.

Cõuertitur. *Fidei mysteria* MAXIMO *eiúsque familiæ explicarunt: breuíque omnes ab errore, in* admirabile Christi lumen transtulerunt. Post quæ pariter ad locum certaminis, qui Pagus dicitur, IV. ab vrbe Lapide situs, deducti, capitis abscissione gloriosas martyrij coronas adepti sunt. Intererat spectaculo MAXIMVS recens baptizatus, qui Angelos Dei cœlico fulgore micanres Martyrum animas niue candidiores excipere conspiciens, & lachrymabundus rem quam cernebat aliis narrans, mulros ab errore ad veritatem traduxit. Quapropter iussu *Almachij* plumbeis globis tandiu est cæsus, donec in Christi confessione spiritum traderet, die XIV. Aprilis, Anno. Dom. CC.XXXII. Cuius Corpus sacra, Virgo Christi Cæcilia vnà cum Valeriani, & Tiburtij cadaueribus honorificè condidit. Postmodum in Hispaniam translatum, in Monasterio S. Barbaræ fratrum Excalceatorum S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum Madridensi, requiescit.

Vidit animas Martyrum ab Angelis in cælum vehi. *Coronatur.* *Corpus Madridiũ transfertur.*

Nihil est quod re ACTA detineant, nisi TRANSLATIONEM Româ Madridium, spectes, de qua authenticum vidimus diploma apud Patres Excalceatos Ordinis Mercenariorum Madridensium in Archiuio Cœnobij cui nomen *S. Barbaræ*, quo eius sacra pignora honorificè deauratâ thecâ visuntur inclusa, & à fidelibus die eius agonis frequentissimè venerantur.

DECIMOSEPTIMO
KAL. MAII.
DIES XV.

A. *Romæ passio* SS. BASILISSÆ, *&* ANASTASIÆ *Virginum, quæ ex vrbe* Setabi *in Edetanis Hispaniæ Citerioris, Populis oriundæ S. Apostolum* Paulum *sequentes* Romam *conscenderunt; Ibidémque corpora Apostolorum curantes, ex hoc comprehensæ & variè laceratæ tandem in Sponsi conspectum peruenerunt.*

B. S. CASILDA *Virgo Toletana,* Alemæonis *Regis filia ad fidem conuersa, virtutibus clara, in pauperes benigna, in castitate decora, & in miraculis insignis apud* Burebam *Hispaniæ, fœlix regna cœlestia possidere cœpit.*

NOTÆ.

A. *Menologia, & Martyrol.*

SANCTÆ BASILISSA & Anastasia.] Græci in *Menologio* primi Sanctarũ huiusmodi Martyrum, ac Virginum meminere, à quibus, & præcipuè ab *Horologio* earum anamnesin desumpsit *Galesinius*, & ab illo *Martyrologium Romanum*, in quo aliqua omittuntur, quæ *Menologium* expresserat. En istius verba: *Eodem die SS. Martyrum* Basilissæ, *&* Anastaliæ, *quæ cum essent* Romanæ genere, *& diuitiis illustres, Discipulæ SS. Apostolorum,*

ſtolorum, illu martyrio coronatis, cùm eorum reliquias nocte ſublatas curauiſſent, delatæ ſunt Imperatori Neroni. Itaque in carcerem coniectæ,& paulo pòſt eductæ, cùm in Christi confeſſione, ſe permanſuras confeſſæ eſſent, ſuſpenſæ ſunt,& mammis,manibus,pedibus,& linguis extiſis, capite obtruncatæ ſunt. Tria ex his ſuſtulit Martyrologium Romanum. I. *Originem Romanam.* II. *Curam pro ſepeliendis, & curandis SS. Apoſtolorum cadaueribus.* III. *manuum & mammarum abſciſſionem.* Illud auſculta: *Roma*,SS.Baſiliſſæ, & Anaſtaſiæ *nobilium fœminarum, quæ cùm eſſent Apoſtolorum Diſcipulæ, & constantes in fidei confeſſione perſiſterent, ſub Nerone Imperat. lingua, pedibúſque præciſis, percuſſæ gladio martyrij coronam adeptæ ſunt.* Cauſam huius omiſſionis circa originem, ex eo eueniſſe credendum eſt, quia illas non origine *Romanas* agnouit, ſed exteras. Si ergo hoc non fuiſſet in cauſa, vt quid ſanctiſſimas fœminas, tanta pietate erga Apoſtolos celebres, tanto agone illuſtres, & inſigni conſtantia conſpicuas, ab vrbis origine,& quod plus eſt, *Menologio*, & *Horologio* ducibus amandarit? Abſit,ni illas aduenas exploraſſet. Quod non *Romanæ*, ſed *Hiſpanæ* ex vrbe SETABI in *Edetanis* fuiſſent; ex *Fl.Dextro* comperies, qui in *Chron. Ann.66. num. 3.* illarum acta recenſens,ait: *Sanctæ fœminæ* Virgines Baſiliſſa,*&* Anaſtaſia Hiſpanæ *ex vrbe* Setabi *in* Edetanis *ſecutæ ſunt Apoſtolum Paulum, cuius, & Petri corpora curantes à Nerone Cæſare huius rei gratiâ præclaram coronam obtinent.* Vides Sanctarum originem? Ergo & cauſam omiſſionis agnoſces. Probatur vlteriùs,nam Cardin.Baron. *in Not. ad Martyr. h. d. lit. A.* licèt omiſſionem huiuſmodi, ac ſecundam de curatione corporum Apoſtolorum percepiſſet,tantum ſecundæ occurrens,illam breui periodo ſuppleuit. Nec in *Annal.Eccleſ.*cùm earum meminerit *tom.1.Ann.69.n.44.* vllum conflat de origine verbum. Ergo tantum *Hiſpaniæ* reſtituatur iubar, & quod Roma veneratur, & gloriatur in paſſione, hinc & *Hiſpania* lætetur in origine. De ipſis ſcripſere poſt ſupra relatos Rod.Car. & P.Biuar. ad Dextr. ille *fol.33. lit. O.* Iſte *Ann. 66. Comment. 1. num. 3. fol.129.* Anton. Gallon. *de SS. Virg. Roman. fol.203. arg.3.* Saluian. Razzi *Hiſtor. de fœmin. Sanct. Illuſtrib. tom. 2. h. d. fol.146.* Philipp. Ferrar. *in Catal. SS. Ital. h. d. fol.194.* Ex quibus ſic eſſe Acta formanda cenſuimus.

Martyrologij Romani relatio breuis.

Origine Hiſpanæ fuere.

Scriptores.

ACTA SS. BASILISSÆ ET ANASTASIÆ Virginum, & Martyrum; ex Varijs.

BASILISSA, & ANASTASIA *illuſtri genere natæ apud* Setabim *in* Hiſpaniæ Edetanis, *olim non ignobilem vrbem; cum* Paulum *Apoſtolum* Iberiæ *ciuitates luſtrantem, & fidei myſteria docentem,audiſſent, veritate prædicationis illectæ ad Baptiſmi lauacrum vniformiter properarunt. Quo recepto, & Sanctiſſimi electionis Vaſis Diſcipulæ effectæ,illius indiuiduæ comites* Romam *vſque infatigabiles peruenêre. Ibidem cùm in fide ſuſcepta perſeuerarent, ac ipſius* Pauli, *ac* Petri *Apoſtolorum, qui ad cœlos per martyrij lauream conſcenderant, corpora ſepelienda curaſſent, delatæ apud* Neronem *Imperatorem,eius iuſſu comprehenduntur,carcerique incluſæ dirè excruciantur; cùm verò in confeſſione fidei constantiores euaderent, ac Chriſti laudes prædicare non deſiſterent, primùm linguæ, manus, & pedes illis præciduntur, deinde abſciſſo capite martyrij palmam adeptæ ſunt* XVII. Kal.Maij. *Anno Domini* LXIX. *Corpus poſtmodum Sanctiſſimum* S. ANASTASIÆ *Hiſpaniæ reſtituere curauit* Vrbanus VIII. *Pontifex Max. qui inter alia Sanctorum Corpora,* D.D.Emanueli de Moura *apud ipſum Catholicæ Maieſtatis Regio Oratori, illud tradidit, quod in eius* Oratorio *ſplendidè* Madridij, *& honorificè ſeruatur.*

Origo.

Baptizantur à B. Paulo Apoſtolo.

Romam Apoſtolum comitantur.

Comprehenduntur.

Coronantur.

In Anno Martyrij iam cum *Baronio* contentio eſt. Quia ſi *Petrus*, & *Paulus* ad coronam acceſsêre *Anno* LXIX. *die III. Kal. Iulij*, & poſt eorum paſſionem, hanc Sanctarum Martyrum euênit *XVII. Kal. Maij*, quâ ratione in eundem annum agonis Apoſtolorum, tranſacto iam *Aprilis* menſe, reiicimus Noſtrarum Virginum coronam? Sed huic difficultati faciat ſatis P.Biuar *ad Dextr. Ann.68. num.1. fol.155.* qui eruditè *Baronium* conuincit, probans Apoſtolos è vita migraſſe *Anno*

Occurritur difficultati Baronij.

Domini L X V I I I. quem *Lector* adeat, ne illius computum transcribamus. Maior ergo difficultas est in collocatione *Dextri*, qui earum passionem in Codicibus impressis assignat ad *Annum L X V I.* Sed meo iudicio in collocatione irrepsit mendum, & nota Arithmetica 6, quæ transuersa est 9, confusa ab amanuensi pro 69. erexit notam, & reposuit 66. quo loco oscitanter omnes Codices consignauêre.

Dextri computo fit satis.

Corpus S. Anastasiæ Româ in Oratorio Marchionis Castri-Roderici.

Pro Coronide sciendum est S. Anastasiæ Nostræ venerabile corpus, *Româ* extractum, hodie in *Hispania* conditum, & *Hispania* restitutum esse. Nam inter alia Sanctorum pignora, quæ Excellentissimo Domino *D. Emanueli de Moura*, Marchioni Castri-Roderici apud Sedem Apostolicam Catholicæ Maiestatis Regio Oratori, Vrbanus PP. V I I I. de cœmeteriis vrbis extrahenda permisit, hoc *S. Anastasiæ* corpus, per manus *Ioannis Bapt. de Alterijs* Episcopi *Camerinensis* Iudicis Vrbis Ordinarij recepit, quod in proprio Domus Oratorio honorificè adseruatur, vt præuio tempore in honorabiliorem Basilicam tanti Principis spiritum demonstrantem (& sedulò meditatur) illud, & aliorum Sanctorum lipsana collocet. Sed ne absque auctographo procedamus, ecce illius transsumptum.

Ioannes Baptista *de* Alteriis *olim* Episcopus Camerinensis, *Emin. Vrbis Vicary Vices-gerens & Iudex Ordinarius, Vniuersis, & singulis præsentes literas inspecturis, fidem facimus, & attestamur, qualiter Nos ad maiorem Omnipotentis Dei, & Sanctorum suorum gloriam tradidimus, & consignauimus Illustriss. & Excellentissimo D. D.* Emanueli de Moura, *Curia-Regali, Marchioni Castri-Roderici, Comiti Limiarum, Militia Christi magno Commendatario, Ferrañona, & Quatuor Insularum maris Oceani, S. Georgij, Faials, & Pici perpetuò Præsidi, Censui Regio in Lusitania Præfecto, Hispaniarum Dynastæ, Philippi IV. Hispaniarum Regis aurata clauis Cubiculario, & nunc apud S.D.N. Vrbanum V I I I. P. M. dignißimo Oratori, nonnulla corpora Sanctorum, atque Sanctarum Martyrum inter quæ corpus.* S. Anastasiæ V. *&* M. *à Nobis aliàs ex Calixti cœmeterio de mandato eiusdem S.D.N. Vrbani V I I I. extracta. Eidémque tenore præsentium, vt ab Vrbe transmittere, seu transportare, alijs donare, & in Ecclesia, seu Ecclesiis sibi bene visis, collocare, & exponere posit, vt à pijs fidelibus deuotè venerari valeat, licentiam, & facultatem in Domino concedimus, & impartimur. In quorum fidem, &c. Dat. Rom. hac die X X V. Iulij M. D C. X L I. B Episcopus Camarin. Vic. Ger.*

Probatur quòd Anastasia Nostra est, quã transtulit Marchio.

Sed aliquis dubitabit, & quæret, à quo collegimus hanc Nostram S. Anastasiam Hispanam, esse comprehensam in auctographo *Excell. Marchionis*, cùm plures huius nominis Martyres Romæ passas cognoscamus; & testimoniales literæ relatæ, de qua sint pignora, non exprimant? Sed vt omnibus faciamus satis, in promptu solutio est. Tres *Anastasias* fatetur Roma martyrio in vrbe fuisse coronatas. I. *Anastasia* hæc Nostra cùm *Basilissa*, h. d. II. *Anastasia* cum *Cyrillo* die X X V I I I. Octobris. III. *Anastasia* cum aliis in *Insula Palmaria* die X X V. Decembris. De I. nemo corporis translationem refert. De II. quæ vocatur Senior, corpus in *Calabria* in Oppido *Siberena*, vt inquit Ferrar. *in Indice SS. Italiæ* verbo *Anastasia Senior.* Anton. Gallon. *de SS. Virg. Rom. in S.* Anastasia. *fol.* 202. De III. quæ Iunior vocitatur, corpus *Romam* allatum ex *Insula Palmaria* in propria Ecclesia, titulo Cardinalatus, illustri, adhuc honorificè perseuerat, vt inquit Ferrar. *in dicto Indice verb.* Anastasia *Matrona.* licèt in ipsissimo Catalogo *die* 25. *Decembris fol.* 802. apud *Troiam* in *Apullia* quiescere contendat. Quidquid sit duas vltimas diuersis in locis depositas, & veneratas agnoscimus; ergo *Anastasia I.* quæ Nostra *Setabitana* est, proculdubio in *Oratorio Excell. Marchionis* adseruatur.

Tres Romæ Anastasiæ.

Topographia.

Setabis. Vrbs fuit olim in *Hispania* celebris non procul ab vrbe *Valentia* in *Edetanis*, licèt Silius Italic. *lib.* 3. in *Sedetanis* collocet,

Hos inter clarâ thoracis luce nitebat
Sedetana *cohors, quam* Sucro *rigentibus vndis,*
Atque altrix celsâ mittebat Setabis *arce,*

Setabis,

Setabis & telas Arabum spreuisse superba
Et Pelusiaco filum componere lino.

Quia si *Hermolao Barbaro*, & *Modio* credimus, pro *Sedetana* Latinè, Græcè, *Hedecana* sonat; de quo insigniora exempla apud Claud. Dausquei. *in Not. ad Sil. Ital. fol.* 132. quia aspiratio *H.* in Græcis, transfertur in S. apud Latinos, exemplum sit in *Halmantica*, quam Nos *Salmanticam* pronunciamus. Ptolomæus hanc vrbem in *Contestanis* collocat, sed Nostris potius, quàm exteris credendum est. Plures inscriptiones in ipsa inuentas tradit Gruterus *fol.* 57. *num.* 14. *fol.* 275. *numer.* 10. *fol.* 679. *num.* 2. *fol.* 711. *num.* 5. *fol.* 802. *num.* 8. *fol.* 866. *num.* 4. *fol.* 867. *num.* 9. *fol.* 946. *num.* 3. Hodie sine controuersia XATIVA. Vt ex *Tarrapha*, *Villanouano*, *Nonnio*, *Moralez*, & aliis contendit *P. Binar. d. fol.* 129.

An in Edetanis, an in Sedetanis?

Ptolemæi error.

S. CASILDA, siue CASILLA.] Abest eius memoria in Martyrologiis antiquioribus, at in *Hispanorum* historiis, Sanctoralibus, & Breuiariis nihil tam notum, quàm eius anamnesis. *Metropolitana Ecclesia Burgensis* à multis retrò seculis ipsius celebrat commemorationem, & in Antiquis Cauriensi, Ciuitatensi, Seguntino, Palentino, & iamiam *Toletana* tanquam nonnullis reliquiis Sanctissimæ Ciuis ditata, ritu Ecclesiastico illius memoriam recolit. *Martyrol. Canisij*, à quo Philipp. Ferrar. *in General. Catal. SS.* huius Sanctissimæ Virginis nomen reposuit: *Burgis in Hispania* S. Casillæ *Virginis*, sed hoc, die IX. *Aprilis*, quia itidem prædicta *Burgensis Ecclesia*, illa die festum recolit. Apud nos de illa scripsère Ambros. Moral. *Histor. Hisp. lib.* 12. *cap.*.... Thesaur. Concionat. 1. *part fol.* 854. P. Matiet. *Hist. SS.* 4. *part. cap.* 2. *lib.* 19. Maldon. *de Sanct. fol.* 95. Illustriss. Episcop. Turiason. *tom.* 2. *Primac. Tolet.* 3. *part. cap.* 1. §. 12. *fol.* 586. P. Benedict. Gonon. *in Append. Vit. SS. Occident. fol.* 451. P. Quintana Dueñas *Histor. SS Toletan. fol.* 331. Pisa *Hist. Tolet. lib.* 3. *cap.* 11. Garibay *Comp. Histor. lib.* 11. *cap.* 4. Mariana *Hist. Hispan. lib.* 9. *cap.* 16. & Nos in *Triumph. Marian. Tom.* 1. *Triumph.* 30. *fol.* 153. Ex antiquior. Iulian. *in Chron. num.* 538. 617. & 622. Vbi Sanctam Virginem hoc die in cœlos conscendisse contendit, inquiens: *S. Casilda Virgo Toletana, Deo sacrata centenaria maior moritur ad Viruiescam XV. Aprilis.* Cuius auctoritatem amplectimur, ex quo illius memoriam in hunc diem reiecimus. Item eius vitam prolixè concinnauit *P. F. Basilius de Arce Benedictinus*, ex quo & aliis hæc congessimus acta.

B.

Breuiaria.

ACTA S. CASILDÆ VIRGINIS TOLET.
Ex Breuiario antiquiss. S. E. Burg. & aliis.

CASILDA, seu CASILLA *Alemeonis Regis Toleti filia fuit. Quia cùm parentum nostrorum peccatis exigentibus, Agarenorum multitudo innumerabilis Hesperiæ non modicas occuparet regiones, citra, & vltra portus Sedem Regni* Toletani *longæuis pòst temporibus in* Alemeonem *incidit Regem, Virum vtique potentem, & armis strenuum. Ille bellicas diù solitus fuerat in Christianos producere acies, innumeráque fidei Orthodoxæ intulerat damna, plurimos captiuos suo detinebat in Regno. Huic vero fidei Christianæ tam valido hosti, dispensatione diuina, vnica fuit filia* CASILLA *nomine, vt stirps tam nequam florem afferret miri candoris, super quem Spiritus Domini conquiesceret. Virgo quippe ipsa Regia, ita ab infantia sua in virtutum creuerat fastigium, vt cor eius, adeò & pietas, quæ secundùm Apostolum ad omnia valet, miro replebat modo; visceráque ipsius, velut gladius bis acutus penetrauerat, vt Dei totam famulam, in suum videretur dominium vindicasse. Stupendo namque & inenarrabili modo ipsam ille Spiritus Deificus per deuotionis incendium sursum agebat in Deum, per compassionis molliciem transformabat in Christum, per condescensionis pietatem inclinabat ad proximum. Feruido siquidem à teneris ætatis suæ annis tenebatur affectu, ita vt afflictis, & permaximè Christianis, licèt Sarracena nata esset ex prole, intensissimè compassionis teneritudine condescenderet. At si quid penuriæ, aut defectûs in aliquo cerneret, py* cordis

Origo.

Alemeon strenuus Rex Toleti.

Casilda eius filia virtutibus plena moralibus.

In afflictos, & pauperes compatiens.

cordis dulcedine rem gerebat in lachrymis. Sanè ingenitam habebat clementiam, quam superinfusa Dei pietas duplicabat. Itaque ipsius liquescebat animus ad captiuos pauperes, vt quibus non poterat manum, exhibebat affectum. Consuetudinis quidem eius erat omni die ineffabili (nisi aliquis esset impediens casus) pietate per viscera Christi, almi I E S V *ob reuerentiam, captiuos inopes Christicolas, suâ tùm gratâ prascutiâ visitare, ipsisque per largitatis impensionem, manus porrigere adiutrices. Rectoris gerens in scrutinio, aureis literis conscriptam Dauidicam sententiam, qua intonuit:* Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. *Hoc autem non ab* Machometo, *sed ab immortali didicerat Magistro. Vnde, & illorum, qua in sui, & familia sustentationem à Patre* Alcmeone *largiebantur, solùm tertia contenta parte, reliquas duas partes Christianis donabat captiuis. Mira res, & insolita, à naturali incisa oleastro contra naturam sui generis, in bonum transibat oliuum, vt quiret bonum afferre fructum. Vnde tam infructuosa arbor, ramum valuit tam vberem producere? Certe quia bonitas immensa, ex aterno sua voluntatis proposito prauiderat faciendum. Hoc igitur charitatis impendio vitam transigebat* Casilla; *cum Rex eius pietatis in Christianos captiuos certior effectus, illam clandestinus obseruaret adgressus. Deprehendit tandem Christianos adeuntem; sciscitatur quidnam in sinu collecto ferat;* Rosas *dixit; intulit ille manum, & rosas inuenit. Credidit Pater filiam fultò insimulatum, atque dimisit. At illa Christianos nec minus adiuit, explicatóque sinu, cibaria protulit, nam qua in manu parentis rosa visa sunt, panem esse, & carnes Christiani famelici sunt experti. Postremò cum hac Virgo morbo laboraret immedicabili, nullámque eius salutis spem Medici Regi darent, diuinitus est admonita, se nisi in lacubus S.* Vincentij, *qui sunt in territorio* Burgensi, *in oppido* Buezo *ad* Burebam *non procul à* Verouisca, *vbi tunc res Christiana vigebat, nullatenus posse sanari. Regem Patrem orat, vt se eò dimittat. Rex ad Consilium, siue Senatum retulit: Visum omnibus est, Regia Virginis saluti quoquomodo consulendum. Cuius decreti deliberationem, vt agnouit* Alcmeon, *licèt molestè ferebat Filiam extra proprium Regnum, & quod plus erat, intra Christianorum limites vnicam ablegare; attamen propter* Casillæ *salutem, timoribus, & impedimentis sublatis, sese & illam* Ferdinando I. *Regi* Castellæ *commendauit. Cui inter missilia plurimos Captiuos libertate donatos, libentissimè emisit. Quod cum intellexisset* Ferdinandus, *qui apud* Burgenses *tunc degebat, cum magno Procerum, & Ciuium concursu effusus, Virgini obuiam iuit, & regaliter excepit. Ad locum demùm* Lacuum *Deo monstrante iter* Casilla *latabunda perueniens, vbi postquam corporis per balnei lotionem accepit illicò sanitatem, fidem Catholicam incepit postmodum confiteri, vt per sacrati liquoris lauacrum anima salutem breuiter impetraret. Quo accepto, & dimissis seruis, iuxta ipsissimos* S. Vincentij *lacus ædiculam extruxit, vbi Angelicam vitam agens, demum miraculis clara, & ætate longaua, Sponso cælesti spiritum virgineum, Virgo virginis commendauit* X V I I. Kal. Maij *Anno Domini* M. C. X X V. *Eius sacrum Corpus ibidem requieuit, donec Anno Domini* M. D. X X I X. *die* X X X. Iulij, *à primo in sublimiorem sarcophagum translatum, & venerationi expositum, plurima Deus egenis beneficia liberaliter impartitur, qui est mirabilis in Sanctis suis, cum quibus viuit & regnat in secula seculorum.*

Captiuos visitabat, & esculenta offerebat.

Ps. 40.

Dapes pauperũ in Rosas vertuntur.

Morbo incurabili laborat.

Consilio Procerũ referẽte, Alcmeon filiam ad Christianos dimittere cupit.

Sanatur.

Conuertitur

Vitã exuit.

Sepultura.

Translatio.

Hæc A C T A sunt synceriora ex antiquis desumpta *Breuiariis* superiùs relatis, in quibus Officium proprium inuenitur. Ast quia cum Nostris Scriptoribus nunc disceptatio, quam aliquibus numeris absoluemus; de cultu, adusque suum locum, calamum suspendimus.

Quod nomẽ Patri S. Virginis

1 Circa nomen Regis Toleti, Parentis S. C A S I L L Æ, quod ab aliquibus C A N O N vocitatur. Huius opinionis fuit author Marin. Sicul. *lib. 5. de Reb Hisp.* his verbis: *Fuit olim Toleti* Rex *Mauritana gentis* C A N O N, *huic filia fuit vnica, nomine* C A S I L L A. Eadem Tarraph. *de Regib. Hispan. in Alphons. VI.* & alij nõnnulli.

Sed

Sed hæc opinio corruit, nam verum Parentis nomen ALCMEON fuit, vt indicat Iulian. *in Chron. num.* 538. qui illo æuo viuebat, sic: *Hoc tempore* Toleti *fulsit insigni pietate in Captiuos Christianos* CASILLA, ALCMEONIS *Toletani Regis Saracenorum filia, quam ob insignem amorem Castitatis, & benignitatem in pauperes, miraculis insignibus Deus consolatus est, & ad* Burebam *deuectam conuertit ad fidem.* Eodem nomine Regem vocat *num.* 617. & etiam ferè omnes Neotherici, qui tectam Regum Toletanorum Saracenicâ labe infectorum lineam descripsêre. Pro his stat quoque *Auli Hali mei Codex MS.* in Epigrammate S. CASILLÆ, in quo hoc distichon.

Ista Saracenicum tunc instituta Parentis
ALCMEONIS *Regis ordine, dogma capit.*

Hinc tenebis, quod nec CANON, nec MAIMON, vt aliqui ineptè dixerunt, erit vocitandus Rex Pater Sanctissimæ Virginis Toletanæ.

II. DISCEPTATIO erit de Die Transitûs, quem alij die *IX. Aprilis*, P. Marian. *lib.* 9. *cap.* 3. *ad diem XIII. April.* reiicit alij die *XV. eiusdem*, constituunt, licet P. Quintana-Dueñas *in Kalendar. SS. Toletan. Mens. April.* in limine Codicis editi, illum die *VI. Aprilis* contignet, absque lege, & duce. Pro *prima* opinione stant *Breuiaria Antiqua* superiùs relata, quibus adhærere Scriptores subsequentes. Pro *secunda* oculati testes sunt *Iulianus*, & *Aulus Halus* meus; ille in *Chron. n* 622. his verbis. S. CASILDA *Virgo Toletana Deo sacrata Centenaria maior moritur ad* Viruescam *XV. Aprilis.* Iste in Epigrammate, hoc versu: *Quo die eius S. V. transitus?*

Hac moritur die QVINTO *vnà cum* DECIMO *Aprilis.*

Nec valent *Antiquorum Breuiariorum* Officia circa diei computum, nam cùm illorum structores verum fortè diem ignorassent, in illum vacuum, reiecerunt Officium, vt sæpè sæpiùs solet accidere, cum Mensis agonis, seu Transitûs agnoscitur Sanctorum, & dies prorsus ignoratur. Ideò proculdubio *Iuliano*, & *Halo* adhæremus, tanquam antiquioribus, & testibus ocularis, qui per illa tempora in viuis erant, & hæc Sanctorum monumenta, piâ animaduersione, notabant, sequentibus transmittenda.

III. Circa Annum, quo vitam exuit, DISCEPTATIO est. In hoc ferè omnes Scriptores Nostri consignando, fœdissimè hallucinantur. Nam alij ad *Annum M. XLVII.* alij ad *Annum M. L.* S. Virginis mortem consignant. Sed proculdubio perperam, & opinio vtrorumque nullâ humanâ ratione subsistit. *Probatur I.* Nam si Sancta hæc Virgo *Alcmeonis* filia adhuc speciosa, & iuuenili ætate conspicua ad *lacum S.Vincentij*, eo anno quo *Ferdinandus* Magnus Castellæ Rex contra *Hispalensem* Regem castra mouit, fluxu sanguinis laborans, curatura perrexit; & iste belli apparatus euenit *Anno M. LIII.* vt inquiunt omnes Scriptores Nostri, vt notat Garibay *in Comp. Histor. tom.* 2. *lib.* 11. *cap.* 5. Pisa *Histor. Tolet. lib.* 3. *cap.* 12. ergo nequaquam ad Annos superius ab Scriptoribus huius opinionis consignatos, S. CASILLA *Centenaria* mori potuit; maximè quia eo anno vix ad Christi fidem conuersa erat. *Probatur II.* Nam *Alcmeon* Pater S. Virginis *Ann. M. L.* fœdus cum *Ferdinando* Castellæ Rege pepigerat, nec credibile est Patrem charissimam filiam ad inimicorum Regna velle transmittere, tanto diffidentiæ periculo interueniente, ante fœdus contractum; si ergo post fœdus, & hoc An. *M. L.* initum, vt fatentur Historiæ, igitur Annum Transitus Nostræ Virginis perperam *M. XLVII.* aut *M. L.* constituunt. Nam *primò* nondum venerat ad lacum, nec *Secundò* potuit *Centenaria* mori. *Probatur III.* quia si B. V. adhuc erat in iuuentutis flore quando pro salute corporis, & animæ *Castellam* deuênit, fateri compellimur illam *ad XXVI.* ætatis annum pertingere potuisse, *Anno M. LIII.* quo ad vrbem *Burgensem* peruênit. Si hæc ita, & illos ab Scriptoribus annos consignatos, Transitus annos S. V. fuisse complectimur; vbi *Centenaria* ætas? *Probatur IV.* infallibiliter. Nullus ex scriptoribus Hispanicis dubitat, *Sanctium* Regem Castellæ successisse Patri *Ferdinando* Magno, ad Annum, vt certior opinio est, *M. LXVII.* illúmque occubuisse *Anno M. LXXIII.* prope *Zamoram.* Cui successit *Alphonsus VI.* qui hoc tempore ab *Alcmeone* Patre S. Virginis apud *Toletum* præstito homagio

Margin notes: *Quo Anno obijt.* — *Scriptorum error probatur.* — I. — II. — III. — IV.

magio detinebatur, quo per deceptionem politicam, constito de morte fratris, rupto, coronam *Castellæ* suscepit, qui etiam fœderis vinculum ad *Annum M. L X X V.* sustinuit cum *Alemeone*, vt ex ipsis Scriptoribus liquet. Hoc sic cognito, sic argumentor: S. CASILLA moritur *Centenaria* Anno M. X L V I I. ex aliquorum Scriptorum opinione: *Alemeon* pater superuixit X X V I I I. annos, & cùm Virginem procreauit, adminus X V. habere debebat, quibus additis ad superuiuentiam erunt X L I I I. & superadditis *Centum* vitæ filiæ, supersunt Patri C. X L I I I. quod minimè cadit in subiectum rationis: ergo Transitus B. Virginis nequaquam in illis Annis ab Scriptoribus illius opinionis relatis potuit euenire.

Opinio Iuliani vera. ERGO vt verum Annum appingamus *Iuliani Petri* sententia notanda est. Is in *Chronol. numer.* 622. iuxta Annum M. C. X X V I. in margine positum, asserit: S. CASILDA *Virgo Toletana Deo sacrata* CENTENARIA *maior* MORITVR *ad Viruescam XV. Aprilis.* Si ergo verba textus Chronici cuiuslibet, iuxta Anni consignationem in margine appositam, intelligenda sunt, maximè cum eadem textus verba de præsenti tempore loquuntur, vt omnes hucvsque intellexêre; vt quid non in *Iuliano* Transitum Virginis Sacræ, in eo Anno in margine consignato, euenisse fatebimur, cum vtatur verbo MO-

Probatur I. RITVR de præsenti? Cui sententiæ adstipulatur *Epigramma* vetus MS. in *Auli Hali* mei Codice dicens:

> *Hæc moritur die* Quinto *vnà cum* Decimo *Aprilis:*
> *Cùm Centum Mille Séxque Vigesimus est*
> *Annus; Cui quoque* Centum *tu numeraueris Annos.*
> *Vita senilis hera, sed fide vita breuis.*

II. Horum enim sententia probatur expressè; nam si Anno M. L I I I. quo S. Virgo *Burebam* adiuit, vt à sanguinis sanaretur fluxu, in ætatis flore versabatur, necessariò X X V I I. annum agebat, cui additis L X X I I I. qui intercedunt ad Annum M. C. X X V I. quo Transitum S. Virginis consignant *Iulianus*, & *Halus*; præcisè implentur CENTVM anni, quos vixisse S. CASILLAM omnes Scriptores fatentur. Hinc colliges obiisse Anno Domini M. C. X X V I.

Cultus exhibitus olim, & hodie. IV. DISCEPTATIO versatur quoad cultum S. Virgini exhibitum; in quo non est cur dubitetur; nam ab exordio *S. Ecclesia Burgensis* post S. Virginis occasum, Ecclesiastico est Officio venerata, è quâ aliæ Ecclesiæ Hispaniæ cultum accipientes, in propriis Breuiariis illius Officium honorificè recitantes apposuêre, vt supra retulimus. Quibus adhæsêre omnes Florum SS. Scriptores, & alij relati à P. Quintana-Dueñas *fol.* 336. Cuius relationi duos testes ab ipso nec relatos, nec visos, addam. Primus sit Ferdinandus Perez de

Testimonia de Canonizatione S. Virginis. Guzm. *in suo Valer. Histor. lib.* 6. *tit.* 1. *cap.* 4. vbi agens de S. CASILLA post eius Acta concludit: *Plurima Deus fidelibus est impartitus, & quotidie beneficia S. Virginis intercessione impartitur, quapropter canonizari, & in Sanctorum adscribi numero promeruit.* Eadem ad literam fatetur F. Alfons. Venero *in Enchirid. Tempor. fol.* 147. qui Secundus de eius canonizatione testis existit. Et licèt hæc non sufficerent, Clementis V I I I. Pontificis Maxim. Breue in exordio Manualis SS. Burgensis diœcesis, quorum Officia recitari permittitur, appositum, & Congregationis Sanctæ Sacrorum Rituum de Anno M. D. X C V I. die X I. Maij, in fine editum, sufficient decreta.

PRO coronide Epigramma supra sæpiùs repetitum inter *Auli Hali* mei carmina MSS. exaratum libenter apponere compellor, & quia opinionum veritatem edíscas, & quia tantæ antiquitatis mnemosynon demireris. En Titulum, & Carmina.

PRO

PRO S. CASILLA VIRGINE TOLET.
EPITAPHIVM.

In Tumulo iacet hoc venerabilis alma CASILLA,
Regia progenies, attamen orba fide,
Ista Saracenicum tunc instituta Parentis
Alcmeonis *Regis ordine, dogma capit.*
Spiritus ast illi moralia dona relinquens,
Omnibus hinc donis imbuit almus eam.
Illa quotidie dapes secum portat amica
Pauperibus Christi, quos alit ergo pia.
Nulla valet Regis Patris industria: Virgo
Cum portat dapes, florida serta docet.
Tandem docta fidem sua supplex nomina Christo
Obtulit, & signa multa patrauit ouans.
Hæc moritur die Quinto *vnà cum* Decimo Aprilis:
Cum Centum Mille, Séxque Vigesimus est
Annus. Cui quoque Centum, tu numeraueris Annos:
Vita senilis hera, sed fide vita breuis.

A veritate deuiauit P.Quintana-Dueñas asserens *fol.*335. hodie in Ecclesia Burgensi adesse peculiare, & proprium Officium, quòd si Manuali Officiorum illius Ecclesiæ à Clemente VIII. concessorum stamus, nequaquam proprium, nisi de Communi eius Officium inueniemus. In Antiquis Breuiariis hæc legitur Oratio, præcipuè in vetustissimo MS. apud me. *An hodie habeat officium proprium.*

TVORVM, *quæsumus Domine, seruorum suscipe vota, & intercedente* B. CASILLA *Virgine tua, cuius* Reliquiis *præsens splendescit sarcophagum, ruptis criminum nexibus, qui deuotè eam veneramur, ad gaudia mereamur transire cœlestia. Per D. N. Iesum-Christum.*

Henrricus Coquus in sua *Hispan.Heroic. vers.*....quam MS. apud me habeo, agens de aliquibus Sanctis, quos vnaquæque ciuitas, vt proprios recolit, prosequitur:

TOLETI *fulsit Regali è stirpe* CASILDA,
Qua dum succurrit miseris in carcere vinctis,
Frustra videt panum factos è stipite flores.

V. DISCEPTATIO est circa situm, quo S.Virgo famelicos saturabat captiuos? In hac difficultate duplicem agnosco opinionem; Aliam, dicentium, quod *Arces & Palatium*, vbi tunc degebant *Reges Toletani*, & vbi Sanctissima Virgo nata, & nutrita fuit, & vbi captiuos Christianos alebat, fuere *Arces, & Palatia* quæ *Galiana* nomine noscebantur insignita, & vbi hodie inspicitur Monasterium sanctimonialium *Ordinis S. Iacobi de Spata*, & nomine *S.Fidei* circumfertur. Alteram contendentium, quod isthæc *Palatia* erant in antiqua *Arce Regum Gothorum*, vbi postmodum *Monasterium S.Augustini* constructum fuit, quo adhuc ergastulum, vbi miseri captiui detinebantur, & fenestra, quâ B.Virgo illis dapes, & esculenta porrigebat, ad oculum demonstratur. Pro harum opinionum difficultate Francisc. Pisa *in Histor. Toles. lib.*3. *c.*11. haudquaquam aliquid diffinire audet. Sed Nos *Iuliani* authoritate suffulti, qui illo tempore *Toleti* morabatur, pro *Secunda* opinione iudicium damus. Audi Archipresbyterum *in Chron. n.*617. dicentem. *Rex Toletanus*

Quo loco Toleti erãt Palatia vbi S Virgo famelicos saturabat.
I. Opinio.
II. Opinio.
Secunda opinio verior probatur.

ALCMEON *dicitur habuisse* Toleti *Regiam, vel Arcem prope murum Toleti ad partem Occidentalem vrbis, vbi* Toleti *est fama constans* Rodericum *Regem Gothorum vltimum*, Cauam *Virginem dictam* Budesindam *violasse*. Hinc cognosces opinionem veritatem, cui non obstant rationes ab Scriptoribus primæ sententiæ adductæ. Non *Primas* quæ probatur ex eo quod quando *Alfonsus VI.* è Cœnobio *S.Facundi* ad *Alcmeonem* diffugit, *Rex Toletanus* arcem habebat in *Galianæ* Palatiis, & quando ipse *Rex Alfonsus* vrbem *Toletanam* cepit, etiam in eisdem arcibus commorabatur *Haya Alcadirbile* Rex Toleti filius II. *Alcmeonus*; Quia respondetur, quòd licèt ista ita se habeant, non ex illis elicitur, quòd *Alcmeon* commoraretur tempore, quo filia CASILLA apud Toletum erat, in ipsissimis *Galianæ* Palatiis, quia cùm potuisset ex vna ad aliam domum ad libitum transire, quis contrarium affirmabit? Tempora temporibus concordantur successiuum distinctione. *Alcmeon* ad Ann. LIII. potuit habitare in *Palatio Gothorum*, vbi S.Filia famelicos saturabat, & pòst eius in *Castellam* discessum, potuit ad arces *Galianæ* transire, quibus suscepit *Alfonsum* è Monasterio fugientem ad *Annum M. LXXIII.* Hinc in XX. Annorum intercapedine, quis negabit non potuisse *Alcmeonem* plures arces occupare? maximè stante authoritate *Iuliani*, qui licet vtatur voce DICITVR, intelligendum est, quòd ille non vidit, sed audiuit, cùm nondum natus esset, quia ipse refert in *Chron. num.*641.quod natus & baptizatus esset sub *Paschasio* Toletano Præsule ad *Annum M. LVI.*

Respondetur contrariis. — *Annus natiuitatis Iuliani.*

BVREBA. Oppidum in veteri *Castella* non procul à *Verouisca*, & paulùm distans ab vrbe *Burgensi*, quod hodie BVRVEVA dicitur, ibidem lacus qui *Boëtius* dictus antea, pòst *S.Vincentij* nomen accepit, de quo Marin.Sicul. *de Reb. Hispan. lib.* 1. *tit. de Hispaniæ Fontib* ista profatur: *Supra itaque* Burgensem *Ciuitatem ad passuum* Millia *circiter* Viginti *versus Orientem pagus est nomine* Boëtius, *sub altissima rupe positus, ex qua* Fonticulus *effluens in planitiem, apud Pagum prænominatum descendit, & duos in* Lacus *ingreditur, quibus tantam vim salubritatis & virtutis infundit, vt omnes fluxum sanguinis patientes, cùm hac aqua lauantur, statim liberentur. In iugo autem* Montis *vnde* Fonticulus *oritur, Ædes est sacra* S. CASILDÆ *dicata.* De hisce lacubus videsis P. Marian. *lib.*9. *cap.*3. Mariet. *in Topograph. SS. Hispan. lib.* 21. *verb.* Burgos *fol.*9. *& verb.* Toledo *fol.*45.

Topographia.

SEXTODECIMO KAL. MAII.

DIES XVI.

A. Cæsaraugustæ *in Hispania* SS. Optati, Luperci, Successi, Martialis, Vrbani, Iulij, Quintiliani, Publij, Frontonis, Felicis, Cæciliani, Euentij, Primitiui, Apodemij, & Saturnini *nomine* Quatuor *vocitatorum*; *celeberrima annualis festiuitatis memoria perseuerat, qui sub Daciano Præside Martyrio coronantur.*

B. *Item illic passio illustrissima* S. ENCRATIDIS *V. M quæ licèt in amore Sponsi verba prædicebat, adhuc cum amor operibus alatur, ad verbera capessenda progreditur: sæua Satellitũ feritas vix corpus agnoscit, in quo vulnera irroget.*

get, & iam compaginem nescit, quo flagella signentur; Sanctissima ergo Virgo Sponsum precatur vt eius agonis trophæum, feliciter compleatur, sic auulso iecore, laniato corpore mamilla abscissa, in carcerem detrusa, vt putrefactione corpus vlceratum rueret, ad cœlestes nuptias, veste purpurea migrauit.

C. SS. CAIVS, & CREMENTIVS *eiusdem vrbis accolæ, qui iterum confessione Christi constantes, & iterum comprehensi persistentes, illam quam concupiebant coronam per seueram Martyrij viam adepti, cœlum triumphantes conscendunt.*

D. *Mirabilis etiam in ipsa Ciuitate conseruatur memoria* S. LAMBERTI *Agricolæ Martyris, quem ex agricultura, ad Martyrij cultum extraxit sæua crudelitas: iste ergo cùm in fide persisteret, obtruncato capite calicem martyrij gustauit, & pòst assumens caput, ad sepulcra cæterorum Martyrum proficiscitur, quò cùm peruenisset dixit:* Exultabunt Sancti in gloria, *& cæteri respondentes:* Lætabuntur in cubilibus suis, *in consortium illorum, latanter se dedit.*

E. *Apud* Asturicam *Hispaniæ vrbem anniuersaria colitur festiuitas* S. TVRIBII *eiusdem Ecclesiæ Episcopi, qui post penitùs hæresim Priscilliani in Hispania*, S. Leone *R. Pontif. instante, profligatam, & Concilijs indictis condemnatam, miraculis clarus quieuit in Domino.*

F. Braccaræ *in Lusitania* S. FRVCTVOSVS *ipsius vrbis Episcopus, antea* Dumiensis, *cuius mirabilis vita profectus, tot & tantos de se vrbi, & orbi expirauit odores, vt apud orbem & vrbem eius venerentur miracula, quibus effulgens in pace cum Domino quieuit.*

NOTÆ.

SANCTI OPTATVS, & XVII. Socij Martyres Cæsaraugustani.] Horum Martyrum & *S. Encratidis* acta communia sunt, ideò illa sub vna referemus periodo. Agunt de eis vniuersi Martyrologiorum Scriptores, quorum verba recensere, vt prolixum omittimus, pro omnibus Martyrologium Romanum h. d. vices gerat: *Cæsaraugustæ in Hispania Natalis SS. XVIII. Martyrum* Optati, Luperci, Successi, Martialis, Vrbani, Iuliæ, Quintiliani, Publij, Frontonis, Felicis, Cæciliani, Euentij, Primitiui, Apodemij, *& aliorum quatuor, qui* Saturnini *vocati esse referuntur. Hi omnes sub Daciano Hispaniarum Præside, simul pœnis affecti, atque interempti sunt, quorum illustre martyrium Prudentius versibus exornauit.* Hæc communis huiusmodi San- A. *Martyrologia.*

ctorum relatio, ex eo quod Prudentius Noster hymn.6. Peristeph. hoc ordine illorum enumerat nomina, vt infra patebit. Sed non contemnendæ auctoritatis Scriptores ab huiusmodi relatione discedunt, contendentes illorum nomina, non iuxta Martyrologij Romani seriem, esse recensenda, quinpotius corrigenda, cùm non *Quatuor Saturninos* memorandos fiunt, sed diuersis nominibus, quorum contextum his verbis exponit Vsuardus, Ado, & Equilinus: *Cæsaraugustæ SS. XVIII. Martyrum* Quintiliani, Cassiani, Matutini, Publij, Vrbani, Martialis, Fausti, Successi, Felicis, Ianuarij, Primitiui, Euentij, Cæciliani, Optati, Frontonis, Luperti, Apodemij, & Iulij. *Hi omnes sub Daciano*, &c. En integra nominum series, quam ferè omnes ex Nostris sequuntur, vt Marieta *lib.2. c.103.* Truxillo *in Thesaur. Concionat. tom.2. fol.*886. & alij infra referendi. Quibus obstare videtur *Prudentius* qui omnium nomina enumerans ait:

An fuerint Quatuor Saturnini?

Ergo ter senis sacra candidatis
Diues Optato, *simul &* Luperco,
Perge conscriptum tibimet senatum
Pangere psalmis.
Ede Successum, *cane* Martialem,
Mors & Vrbani *tibi concinatur,*
Iuliam *cantus resonet, simúlque*
Quintilianum.
Publium *pandat chorus, & reuoluat*
Quale Frontonis *fuerit trophæum,*
Quid bonus Felix *tulerit, quid acer*
Cæcilianus.
Quantus Euenti *tua bella sanguis*
Tinxerit, quantus tua Primitiue,
Quum tuos viuax recolat triumphos
Laus Apodemi.
Quatuor *posthinc superest virorum*
Nomen extolli renuente metro
Quos Saturninos *memorat vocatos*
Prisca vetustas.

Prudentij explicatio. Si ergo literæ standum est, *Prudentium* literaliter est secutum Martyrologium Romanum, in quo, vt in *Prudentio*, & *Iulia* fœmina recensetur, & *Quatuor* inuenimus *Saturninos*. Si vero antiquorum, & recentiorum Sanctoralium, Breuiariorum, & Historicorum vestigiis inhæremus, nec *Iuliam* fœminam, nec vllum *Saturninum* comperies. Quæ huius varietatis causa fuerit, haud agnoui, licet P. Biuar. *in Not. ad Dextr. Ann.* 300. *Comment.* 3. *num.*13. *fol.* 341. Ambrosij Moralez *lib.*10. *cap.* 5. auctoritatem referens, asserat, *ideo* Prudentium *ab eorum propriis nominibus abstinuisse, quod ea leges metri Sapphici non caperent, & hoc voluisse significare cùm dixit* renuente metro. Sed hanc improbauit opinionem, ad aliámque P. Lupi *in Not. ad Lusit. Martyrolog.* diuerteris de quantitate contendit syllabarum. Quidquid sit meo iudicio, *Prudentius* haud propria nomina expressit etiam si *Saturninos* vocasset. Nam si *Saturnini* vocitabantur, vt quid in sequentibus Carminibus se excusat de non prodendis eorum nominibus? Audi Sapphicos:

Carminis leges amor aureorum
Nominum paruì facit, & loquendi

Cura de Sanctis otiosa non est,
Nec rudis vnquam.
Plenus est artis modus, annotatas
Nominum formas recitare Christo,
Quas tenet cœli liber, explicandus
Tempore iusto.

Ideò crederem proprio nomine abstinuisse *Prudentium*, & agnomina expressisse, Sicque *Castianus* nomine, & *Saturninus* cognomine, *Faustus Saturninus*, *Ianuarius Saturninus*, & *Matutinus Saturninus* vocandi sunt. Quo & *Prudentij* sententia, & Sanctoralium ecphrasis concordantur. Nec in *Ialia* fœmina est cur insistamus, nam apud antiqua *Prudentij* exemplaria, & nomine fœminæ, & Viri inuenitur. De ipsis satis; ad *S. Encratidem* pergo.

B. *Martyrologia.*

S. Encratis, siue Engratia Martyr, & Virgo.] Celebris, & famigerata eius memoria apud Nostros, & exteros Scriptores, vt ferè nullus sit Martyrologiorum Scriptor, qui ipsius, & sociorum agonem decantatis elogiis haud luculenter explanauerit. *Vsuard. Ado, Notker. Raban. Maurolyc. Felic. Martyrolog. Rom.* Castell. *P. Dionys. Vazq.* Lusitan. Hispan. *P. Higuera.* Itidem Sanctoral. Breuiar. Flor. Sanctor. tam impress. quam MS. L. Flau Dext. *in Chron. Ann.* 300. Prudent. *Peristeph. carm.* 6. Tarraph. *de Reg. Hispan. lib.* 5. Ambros. Moral. *lib.* 12. *c.* 5. *&* 6. P. Mariet. *lib.* 4. *cap.* 3. P. Truxill. *in Thes Concion h d. fol.* 886. P. Brito *in Monarch. Lusit.* 2. *p. lib.* 5. *cap.* 71. Anton. Sousa *in Excellent. Portugall. Excell.* 10. *n.* 2. *fol.* 89. Ioann. Maldonat. *fol.* 97. Franc. Haræus. P. Vasconsell. *in Descripr. Portugall. fol....* Marin. Sicul. *de Reg. Hisp. lib.* 5. Eduard. Nunnius *c.* 44. F. Ludouic. ab Angel. *cap.* 12. D. Roderic. de' Acuña *Hist. Braccarens. tom.* 1. *c.* 44. *fol.* 181. Georg. Cardoso *in offic. SS. Portugall. fol.* 5. 9. *&* 23. Eius acta ex peruetusto codice MS. desumpta consignabimus.

Breuiaria.

Scriptores.

ACTA S. ENCRATIDIS V. & M. Hispanæ cum Socijs XVIII. Martyribus ex Cod. MS. antiquo.

Persecutio Diocletiani maxima.

Tempore quo Diocletianus, & Maximianus imperium Romanum regebant, Ecclesia Dei ferocius in membris suis impetita fuit, quàm in alijs seculis, taliter, vt vno vix elapso mense ad XVIII. *millia Martyrum per varias prouincias numerum pertigisse constans fama est. Inter alios Præsides quos insatiabilis ira Imperatorum elegit ad huiusmodi nefandum sacrilegium, vnus* Dacianus *in partes Occidentales dimittitur, qui cùm* Hispaniæ *Prouinciam properatus attigisset, immanitatis suæ sæuities latère non potuit, sed acerbitate suæ infaustæ crudelitatis, vt vel Leo rabidus cœpit Christianos quoscumque perquirere, eorúmque corpora cruentis dentibus laniare. Sed Omnipotentis Domini actum est prouidentiâ, vt pro illustratione, vel patrocinio nonnullarum vrbium, sacrilego spiritu, sacro Altari, sanctas hostias Christo Domino dedicaret: Quorum intercessione frequens Ciuibus gratia Domini perueniret. Huius veritatis testes inuoco* Barcionem, Gerundam, Tarraconam, Ilerdam, *& alia complura Oppida illius ditionis, quæ tantorum sacrilegiorum expertes, primarias, Daciano irruente ex* Galliis, *obtulerunt coronas. Cùmque his sacrilegis fungeretur officiis,* Cæsaraugustanam *aggreditur ciuitatem, diabolico perarmatus spiritu, insignem nobis triumphatorem, gloriosum* Vincentium *Martyrem dedicauit. Qui beatissimæ illustrationis apice, non solum* Cæsaraugustanam *ciuitatem, sed etiam* Valentiam *corpore suo dedicauit insignem. Hac, & aliis, quas* Prudentius *commemorat, impietatibus, subitò per totius Prouinciæ regiones illius cœpit immanitas personare. Qua audita tyrannide,* Encratis *Virgo Reguli Lusitaniæ filia ardenti animo sitiebat cum eodem* Daciano *inire certamen. Et licèt ei*

Dacianus Præses ad Occidentem mittitur.

In Tarraconensi Prouincia primos Martyres coronauit.

S. Encratidis origo.

ſummoperè cordi eſſet perpetua virginitas, conſenſit tamen deſponſari cuidam Limitanei *Ducis filio, qui in partibus degebat* Ruſcinonis, *ſperans fore, vt occaſione itineris, ad ſponſum profectura, Daciani præſentiam adire poſſet. Omnibus itaque ad iter preparatis, electiſque ſibi ex totius Regni Proceribus Decem & Octo*, Lupercum, *ſcilicet*, Quintilianum, Caſſianum, Matutinum, Publium, Vrbanum, Martialem, Fauſtum, Succeſſum, Felicem, Ianuarium, Primitiuum, Euentium, Cæcilianum, Optatum, Frontonem, Apodemium, & Iulium, *quos in fide firmiores nouerat, proficiſcitur. At cùm Dei reuelatione cognoſceret apud* Cæſarauguſtam *eius martyrij coronam eſſe paratam, à via diſcedens in opulentiſſimam vrbem greſſus dirigere diſpoſuit intrepida. Tandem* Cæſarauguſtam *ingreſſa (vbi tunc temporis maior perſecutio erat excitata, quàm vſquam fuerat) ipſúmque Dacianum in alto ſedentem intuita, ſic exclamaſſe memoratur.* Iudex iniquitatis, Deum, & Dominum, qui in cœlis eſt contemnis, & colentes eum tàm atrociter interimis? Tu quoque, & Imperatores tui iniqui, pro defenſione idolorum, quæ dæmonum ſunt habitacula truculentiſſimam perſecutionem per totum mundum contra Chriſticolas concitatam exercetis? *Quam cùm audiſſet Dacianus conſtantiſſimè talia proferentem, ſuperbia ſpiritu inflatus nimis obſtupuit, eámque apprehendi, & grauiter flagellari, & ad caudam equi velut blaſphemam per ciuitatem trahi iuſſit, in ſociorum ſuorum præſentia, vt & ipſi territi à fide deſiſterent, & eam ne talia pateretur deſiſtere facerent. Illi verò contrà, eam firmam, firmiorem confortando reſponderunt. Cum igitur ſanctæ deuotionis intentione Chriſto Domino deditas mentes Dacianus vincere nequiret, ſed pro amore Regis æterni ſacri Milites ſuorum libentius funderent ſanguinem, ad aliarum artium argumenta Conſulem ſuum Diabolus perarmauit. Denique aduocatis (vt fert priſcorum temporum haud dubia ſententia) ſuis, cum ſatellitibus turbulentis, his verbis callidus ſerpens propalauit inſaniam.* Nihil (*inquit*) ô milites, Principum Noſtrorum in hac certaminis acie laborando perficimus voluntatem, nec fortitudinem Chriſtianorum ad Deorum Noſtrorum culturam inflectere poſſumus, & dùm cupimus eos atrociùs ſæuiendo vincere, eorum victoriis affatim deferimus. Vincat ergo loquela ſuauis, quos non poteſt cruentum flagellum; per blanditias ad concupita peruenire non ambigo, ideò conſopitis rigoribus, ad blandimenta pergamus. *His dictis Virginem ad tribunal acerſiri præcipit, vbi ſic illam alloquitur.* Heus tu puellula, vt quid vanitatem cum nobilitate commiſces? Nonne te erratam eſſe fateberis, ſi regiam dignitatem, qua te eſſe condecoratam gloriaris, cum Principum Noſtrorum, ex quibus in omnes Imperij Proceres ingenuitas deriuatur, obſequio coniunxeris? Abſit vt in te tanti erroris compago perſeueret, & tantorum Principum mandata contemnantur. Vitam illuſtriſſimam cum gloria dignitatis, & honoris deſpicies, propter vana infimorum hominum deliramenta? Iterum abſit. Promptius in te coniector nobilitatis obſequium, quàm huiuſmodi Chriſtianorum commentum. *His ferè prolatis, Sanctiſſima Virgo charitatis ardore incenſa*, O miſer (*inquit*) ſacrilege, tu te ipſum hæc dogmata doce, non me, quam nec blandimentis conuinces, nec tormentis inflectes. Cauſam ſi exquiris, in promptu eſt. Nam huiuſmodi quas in me fulminas blanditias, & quotquot poſtmodùm decreueris ſæuitias, nec illæ dedecorem, nec iſtæ dolorem propinabunt, quin potiùs charitatem Chriſti abundantiùs augeſcent, & gloriæ coronam, agone interueniente, complebunt. En ego à Domino meo IESV-CHRISTO ſum miſſa, vt tua ſcelera increpem, à quibus abſtineas neceſſe eſt, ſi Dei iram, quam iam paratam agnoſco, diffugere non abhorres. *Tunc Præſes furore commotus dixit:* Propter tuum conſilium audacter prolatum debitas referam grates. *Sic protinus carnificibus iuſſit, vt*

Encratidem

XVIII. Socij B. Virginis.

Per reuelationem eius agonem agnouit.

Increpat Dacianum.

Comprehēditur & flagellatur.

Dacianus ad ſuos contra Martyres.

Idem ad S. Virginem.

S. Virgo ad Præſidem.

Encratidem *raperent, & nouis, exquisitisque tormentorum generibus, illius sacratum corpus discerperent. Qui in eius conspectu impiè Virginem Sanctissimam vestibus spoliantes, immanissimis cruciatibus subdiderunt. Tunc repetitis ictibus carnem Virginis macerabant, donec disruptis membris, per varia foramina viscera palpitantia protinus apparerent. Festinabat crudelitas vt corpusculum dilaniaret, & licet corpusculi compago deficeret, iterum, ac iterum quasi corpus adesset, contextum illum iam sine membris feriebat. Quod spectaculum intuentes* S. Lupercus, & Socij, *constanter impium Dacianum increpantes dixerunt:* Inique Iudex, vt quid populum Christianum tanta immanitate persequeris, & hisce Nostram Dominam cruciatibus crudeliter exerces? Nonne in Nos viros robustos furorem retorqueres, & illam, vt delicatissimam Virginem dimitteres? Si illius veritas tibi fastidio est, quid nisi ipsam veritatem in nobis reperire festinas? Pro ista confessione & Encratis, & Nos mori decreuimus, tu nunc aut ab inceptis desiste, aut ad excogitata deueni. *Fremuit Tyrannus, & conuerso in illos sæuitiæ tumore, illos vt extra vrbem decapitarentur satellitibus imperauit. Quos vt Virgo, quæ adhuc in patibulo suspensa erat, ad mortem lætabundos ire conspexit, redíuiuas vires recuperata, intensis cordis vocibus, illos prosequebatur intonans:* O vos charissimi fratres ad pœnam properate gaudentes, in qua gloriam inuenietis æternam. Non ad mortem acceditis, sed ad vitam. Non ad supplicium, sed ad coronam, quis non pro mercede festinat? *Quo oraculo roborati Milites sacri ad palæstram peruenerunt intrepidi, vbi abscissis capitibus, & agonem impleuerunt strenui, & coronas receperunt emeriti, eorum spiritus ad paradisum protinus euolantes. Eorum corpora à carnificibus in ignem immissa fuere, ne à Christianis venerarentur. Sed Deus, qui nunquam Sanctis suis defuit, mirabiliter disposuit, vt corpora absque læsione persisterent. Nec horror supplicij* Encratidem *suorum in aliquo deterruit, quinpotius ad coronam acrius cor suum, & viscera dilaniata succendit, vt prætermisso instante martyrio ad illorum consortium conscenderet purpurata. At crudelis Tyrannus, tunc in Martyrem respexit, credens quod vt cruciatuum commilitonum, aut morte suorum à proposito resiliret, sic illam est alloquutus.* O tenera Virgo, quid spectas, si in te, & in tuos tot supplicia diffidentet experiris? Ergo Deos cole, Christum abnega, vt ad præmium accedas, & cruciatus subsequentes nobili discretione diffugias. *Cui Sancta Virgo respondit.* Verba tua tanquam vana reiicio: Vt quid insane, & stupide Deos tuos lapideos adorabo, & Deum Verum Creatorem cæli, & terræ abnegabo? *Tunc crudelis Dacianus vnam ex mammis auelli, & in cerebro clauum quo caput transfigeretur includi iussit, quod vt factum, cùm adhuc constanter in fide persisteret, varijs cruciata rigoribus, demùm in carcerem detrusa, & tabe, exulcerato corpore, correpta, animam Sponso reddidit incorruptam.* XVI. Kal. Maij. *Anno* CCC. *Corpus sacrum ab Episcopo* Prudentio *debita veneratione collectum, & marmorea theca inclusum, vltimum accepit, Angelis exultantibus, honorem. Præstante D. N. Iesu-Christo qui viuit & regnat in secula, Amen.*

Iterum torquetur.

Sancti XVIII. Socij Præsidē increpant.

Illos decapitari præcipit.

Virgo ad socios ex patibulo.

Coronātur.

Dacianus ad S. Virginem.

Coronatur.

Sepelitur.

Post hæc acta *in MS.* refertur *Translationis*, imò *Inuentionis* Sacrorum corporum ecphrasis, quam quia *die XIII. Martij* ad longum retulimus, ideo ab eius repetitione abstinemus. *Aurel. Prudentius* Noster, à quo omnes, Sapphicis versibus istorum Sanctorum acta descripsit, quæ licet vulgaria, ne hoc, tanto operi, deficiat symbolum, consultò, vt & effecit Surius, conscribemus.

ACTA S. ENCRATIDIS, V. ET M. ET XVIII. SOC. Martyrum Cæsaraugustanorum ? ex AV. CL. Prudentio in Peristeph. Carm. VI.

B*Is Nouem Noster Populus sub vno*
Martyrum seruat cineres sepulchro;
Cæsaraugustam *vocitamus vrbem*
Res cui tanta est.
Plena magnorum domus Angelorum
Non timet mundi fragilis ruinam,
Tot sinu gestans simul offerenda
Munera Christo.
Cum Deus dextram quatiens coruscam
Nube subnixus veniet rubente,
Gentibus iustam positurus æquo
Pondere libram.
Orbe de magno caput excitata
Obuiam Christo properanter ibit
Ciuitas omnis, pretiosa portans
Dona Canistris.
Afra Carthago tua promet ossa
Ore fæcundo Cypriane Doctor;
Corduba Aciscluм, dedit & Zoëllum
Tresque coronas.
Tu tribus gemmis diadema pulchrum
Offeres Christo genitrix piorum
Tarraco: intexit cui Fructuosus
Sutile vinclum.
Nomen hoc gemmæ strophio illigatum est,
Emicant iuxta lapides gemelli,
Ardet, & splendor parilis duorum
Igne corusco.
Parua Felicis decus exhibebit
Artubus Sanctis, locuples Gerunda,
Nostra præstabit Calagurris ambos,
Quos veneramur.
Barchinon claro Cucufate freta
Surget, & Paulo speciosa Narbo,
Teque præpollens Arelas habebit
Sancte Genesi.
Lusitanorum caput Oppidorum

Vrbs,

Vrbs , adorata cineres puella
Obuiam Christo rapiens , ad aram
Porriget ipsam.
Sanguinem Iusti , cui Pastor haret,
Ferculum duplex , geminúmque donum,
Ferre Complutum gremio iuuabit
Membra duorum.
Ingeret Tingis suâ Cassianum
Festa , Massylum monumenta Regum,
Qui cinis gentes domitas coegit
Ad iuga Christi.
Singulis pauca tribus , aut duobus,
Forsan , & quinis aliqua placebunt,
Testibus Christi prius hostiarum
Pignore functa.
Tu Decem *Sanctos reuehes , &* Octo
Cæsaraugusta *studiosa Christi,*
Verticem flauis oleis reuincta
Pacis honore.
Sola in occursum numerosiores
Martyrum turbas , Domino parasti,
Sola prædiues pietate multa
Luce fruêris.
Vix Parens Orbis populosa Pœni,
Ipsa vix Roma in solio locata,
Te decus nostrum superare in isto
Munere digna est
Omnibus portis sacer immolatus
Sanguis exclusit genus inuidorum
Dæmonum , & nigras pepulit tenebras
Vrbe piata.
Nullus vmbrarum latet intus horror,
Pulsa nam pestis populum refugit,
Christus in totis habitat plateis,
Christus vbique est.
Martyrum credas patriam coronis
Debitam sacris , chorus vnde surgens
Tendit in cœlum niueus togatæ
Nobilitatis.
Inde Vincenti *tua palma nata est,*
Clerus hinc tantum peperit trophæum,

Hinc

Hinc ſacerdotum domus infulata
Valeriorum.

Sæuus antiquis quoties procellis
Turbo., vexatum tremefecit Orbem,
Triſtior templum rabies in iſtud
Intulit iras.

Nec furor quiſquam ſine laude Noſtrum
Ceſſit, aut clari vacuus cruoris,
Martyrum ſemper numerus ſub omni
Grandine creuit.

Nonne Vincenti peregrè necandus
Martyr, his terris tenui notaſti
Sanguinis rore ſpecimen futuri
Morte propinqua?

Hoc colunt Ciues, velut ipſa membra,
Ceſpes includat ſuus, & paterno
Seruet amplectens tumulo Beati
Martyris oſſa.

Noſter eſt quamuis procul hinc in vrbe
Paſſus ignota, dederit ſepulchro
Gloriam victor, prope littus alta
Forte Sagunti.

Noſter, & Noſtra Puer in palæſtra
Arte virtutis, fideíque oliuo
Vnctus, horrendum didicit domare
Viribus hoſtem.

Nouerat templo celebres in iſto
Octies partas, deciéſque palmas,
Laureis doctus patrijs, eadem
Laude cucurrit.

Hic, & Encrati *recubant tuarum*
Oſſa virtutum, quibus efferati
Spiritum mundi violenta Virgo
Dedecoraſti.

Martyrum nulli remanente vita,
Contigit terris habitare noſtris;
Sola tu morti propria ſuperſtes
Viuis in Orbe.

Viuis, ac pœna ſeriem retexis,
Carnis, & caſæ ſpolium retentans,
Terra quam ſulcos habeant amaros

Vulnera

Vulnera narras.
Barbarus tortor latus omne carpsit,
Sanguis impensus, lacerata membra,
Pectus abscissa patuit papilla
Corde sub ipso.
Iam minus mortis pretium peracta est,
Quæ venenatos abolens dolores,
Concitam membris tribuit quietem
Fine soporo.
Cruda te longum tenuit cicatrix,
Et diu venis dolor hæsit ardens,
Dum putrescentes tenuat medullas
Tabidus humor.
Inuidus quamuis obitum supremum
Persecutoris gladius negarit,
Plena te Martyr tamen vt peremptam
Pœna coronat.
Vidimus partem iecoris reuulsam,
Vngulis longè iacuisse pressis
Mors habet pellens aliquid tuorum
Te quoque viua.
Hunc nouum nostra titulum fruendum
Cæsaraugustæ *dedit ipse Christus,*
Tumba viuentis, domus vt dicata
Martyris esset.
Ergo ter senis sacra candidatis
Diues OPTATO, *simul &* LVPERCO,
Perge conscriptum tibimet Senatum
Pangere psalmis.
Ede SVCCESSVM, *cane* MARTIALEM,
Mors & VRBANI *tibi concinatur*
IVLIVM *cantus resonet, simulque*
QVINTILIANVM.
PVBLIVM *pandat chorus, & reuoluat*
Quale FRONTONIS *fuerit trophæum,*
Quid bonus FELIX *tulerit, quid acer*
CÆCILIANVS.
Quantus EVÉNTI *tua bella sanguis*
Tinxerit: Quantus tua PRIMITIVE,
Cum tuos viuax recolat triumphos
Laus APODEMI.

Quatuor

Quatuor post hinc superest virorum
Nomen extolli, renuente metro,
Quos SATVRNINOS *memorat vocatos*
Prisca vetustas.
Carminis leges amor aureorum
Nominum paruifacit, & loquendi
Cura de Sanctis ociosa non est,
Nec rudis vnquam.
Plenus est artis modus, annotatas
Nominum formas recitare Christo,
Quas tenet cæli liber, explicandus
Tempore iusto.
Octo tunc Sanctos recolétque Decem
Angelus, coram Patre, Filioque
Vrbis vnius regimen tenentes
Iure sepulchri.
Quin ad antiquum numerum trahentur
Viua post pœnæ specimen Puella,
Mórsque Vincenti, cui sanguis hinc est,
Fons, & honoris.
Additis GAIO, *nec enim silendi,*
Téque CREMENTI, *quibus incruentum*
Ferre prouenit decus, ex secundo
Laudis agone.
Ambo confessi Dominum steterunt,
Acriter contra fremitum latronum,
Ambo gustarunt leniter saporem
Martyriorum.
Hæc sub altari sita sempiterno
Lapsibus nostris veniam precatur,
Turba, quam seruat Procerum creatrix
Purpureorum.
Nos pio fletu, date, perluamus
Marmorum sulcos, quibus est operta
Spes, vt absoluam retinaculorum
Vincla meorum.
Sterne te totam generosa Sanctis
Ciuitas mecum tumulis, deinde
Mox resurgentes animas, & artus
Tota sequêris.

Penè totum hoc agonis textamen *Sanctus Marcus Maximus* Episcopus Cæsaraugustanus

augustanus vno est complexus epigrammate luculenter, quod in gratiam deuotionis exscribam.

S. MARCVS MAXIMVS DE S. ENCRATIDE Virgine & Martyre.

ENcratis *ob niueos mores, niueúmque pudorem,*
Et magè martyrij nomine chara polo est.
Christo sponsa placet, Superúmque Hominúmque Parenti
Cæsareæque *vrbis certa Patrona manet.*
Sanguine nobilitat, quam, fuso, & corpore secto,
Pectinibus, busto, sola relicta, suo.
Templa dicata sibi videt hac in corpore degens,
Digna vigore animæ laurea, dignus honor.
Méque, meúmque gregem Sanctissima respice Virgo,
Qui tibi pro templis, pectora nostra damus.
Hinc Patrona tuis mala quæque à mœnibus arce,
Nósque salute bea, hostibus obde fores.

Sed ne quid de hisce Martyribus intactum relinquamus, piissimam *P. Emmanuelis Pimenta* Lusitani historiolam elegiacis carminibus descriptam, cuius partem in eius *tom.* 1. *Poëmat. fol.* 451. & partem ab Emanuel. de Campos *in Libell. de Reliq. Vlyssippon. fol.* 383. exscriptam, transcribemus. En integram damus.

PRO S. ENCRATIDE V. ET M. & Sociis eius Lusitanis. Elegia.

P*Erlege purpureos ô* Lusitania *fastos,*
Inuenies claros Martia corda Duces.
His ducibus tua sceptra tremunt, tua fulmina Mauri,
Ipse Oriens fasces horret, amátque tuos.
Quadrupedum qui frena regunt radiantia gemmis,
Quos circum Tyrio murice vestit honor.
Sanguineas rapuêre sacrâ cum Virgine palmas,
Quisque suam, sed habet Virgo cruenta duas.
Quando repugnantem bello tremefeceris Orbem,
Sunt tibi magnanimi quos imitêre Duces.
Virginis, & Comitum generosa exempla sequêris,
Cùm tibi vincendus magnus Olympus erit.
Inter vtrosque potes famosa capessere bella,
Præda tibi Occeanus, terra, & Olympus erit.
Fallor, an attonitæ fiunt ludibria morti? *Encratidi.*
Diuidit exuuias dum sacra Virgo suas:
Dat modò molle iecur, niueas modò Virgo papillas;
Et modò puniceæ munera rara necis.

Dat modò purpureo madefactas sanguine vestes:
Mors ait: Expecta post modò cuncta feres.
Siccine terrificæ fas est illudere morti?
Virgo sub hac, soluit talibus ora modis:
Quis, rogo, mactatis labor est illudere monstris?
Mortua per Dominum, mors iacet atra, meum.
It manus Heroum, dant roscida lumina fontes,
Dum feritur pingui nobile semen humo:
Plus facit ista cohors, cælo sua semina mandat,
Pro lachrymis roseus funditur ecce cruor.
Martia dum duro lacerantur corpora ferro,
Pinguia puniceo sanguine culta rubent.
Gaudia si lachrymæ prabent cælestia Diuis,
Aptior ad cæli gaudia sanguis erit.
Penè secabantur validâ pia colla securi,
Luperco. *Cùm sic audaci voce* Lupercus *ait:*
Non me degenerem arguerit sors vltima vitæ,
Sponte mea sacræ do modò colla neci.
Nobilitate patrum fueram bene notus Iberis,
Nunc, & apud Superos, nobilis hospes ero.
Nobilitas generis meritis sine nascitur, illa
Quæ decorat Superos, hanc ego morte paro.
Dixit, & ingenua ferrum ceruice recepit,
Nobilis, & titulo nobiliore cadit.
Optato. *Congressu in medio felix* Optate, *quid optas?*
Optatis aderit terra, polúsque tuis.
Opto, *ait*, è terris quidquid furor impius audet,
E cœlo quidquid pectus ad arma parat.
Aspice, terra tibi famulatur, & arduus æther,
Terra odijs, æther flagrat amore tui.
Fulminat illa faces, hastilia, & ora ferarum,
Hic facit vt vincas fulmina, tela, feras.
Te terra oderunt; I cælo Optate *supremo,*
Est Polus optatis digna corona tuis.
Sic ait ante faces, sæuíque ante ora Tyranni
Quintiliano. *Fretus Olympiaca* Quintilianus *ope.*
Artifici fabricata manu simulachra Deorum,
Argenti, atque auri nil nisi pondus habent:
Ora patent, sine voce tamen, sine munere linguæ.
Officiísque carent mortua membra suis:
Lucentes oculorum acies, nec lumina cernunt,

Auris

Auris ad aſſiduas ſtat male ſurda preces:
Naribus Eoi fruſtra incenduntur odores,
Non ſolidæ palpant obuia quæque manus.
Nulla pedes agili figunt veſtigia motu,
Guttura dant nullos prodigioſa ſonos.
Hæc, qui thure colunt, pecudum nece, ritibus, aris,
Æmula numinibus ſint ſimulachra ſuis.
Non placet hoc gentes? Paribus mihi poſcite votis
Æmulus, vt Domino ſim ſine fine meo.
Carnificum veſana cohors, ductore Tyranno,
Dura mihi *Fronto* vincla minaris, *ait:* *Frontoni.*
Spargite me in fluctus, vt ſquammea monſtra per vndas
Æquoreas, carptim viſcera rapta ferant.
Membra Perillæo torrenda includite Tauro,
Cæſa minutatim reddite membra feris.
Quaſſa ſuperpoſitis illidite mollibus ora,
Addite lora, faces, vincula, monſtra, cruces.
Addite ſacrilegas tormenta inuenta per artes,
Nil timeo Sæuæ damna cruenta necis.
Grandia nec timeo membrorum incommoda, quando
Tutus ab inuiſa morte capillus erit.
Cæcilianus ego magna de gente profectus *Cæciliano.*
Hoſtia per mortem ſacra Tonantis ero.
Si meus effuſo Rex imbuit arma cruore,
Nunc ego pro dulci Rege cruentus ero.
Hoſtia pro toto fuit Auguſtiſſima mundo,
Profuerim patriæ per mea damna meæ.
Vtiliter miles, Rege occumbente, ſuperſtes,
Nobiliter miles, Rege cadente, cadit.
Nunc mihi dulce mori, dulci pro Rege, perempto:
Mors mihi magnificus ſæua triumphus erit.
Sæpè ferox vnguis laceros ſulcauerat artus, *Iulio.*
Addita vulneribus vulnera nuper erant.
Dùm fluis eructans per hiantia vulnera ſanguis
Soluit inaſſuetis Iulius *ora modis.*
Reddo tibi grates Præſes Romane, quòd ora
Plura gero, Chriſtum, plura per ora loquor.
Vnum vocis iter noſtri præconia Regis
Arctauit, titulis nec ſatis ante fuit.
Fuſa per innumeras reſonat vox edita rimas,
Rupta graui ferro plurima labra ſonant.

Multiplici ſonat ore Deus, quot aperta fatiſcunt
Vulnera, tot laudes Numinis ora ſonant.
Ianuario. *Qui ſua ſubripuit primo data nomina Menſi,*
Carnifices forti prouocat ore ſuos.
Carnem age trux miles compeſce, medebere monſtris,
Quæ male parturiens prodigioſa creat.
Illa voluptates mala parturit, illa dolores,
Et pleno effundit ſpéſque metúſque ſinu.
Sacra prophana ſimul violans iura omnia rumpit,
Laxa dat effrænis fræna libidinibus.
Non ita Siccaniis exæſtuat Ætna caminis,
Ardet vt occultis illa peruſta rogis.
More Gigantæo cupit expugnare Tonantem,
Sæpius in ſummum corripit arma Deum.
Abſque virûm cultu natiuo e ſemine fundit
Mille mali ſpecies prodiga, mille modos.
Vre, ſeca, macta carnem mucrone Satelles
Non erit hæc mihi mors, at medicamen erit.
Fauſto. Fauſtus *ſanguinea medio in certamine pugna,*
Alloquitur Dominum ſupplice voce ſuum.
Tu mihi reſtituis ſacro liuore ſalutem,
Vulnera puniceo noſtra cruore leuas.
Quem mihi Rex dederas referens tibi libo cruorem,
Qui vitæ, & mortis nobile pignus erit.
Quem mihi ſi reddas, referam ſine fine cruorem,
Nec me Rex pugna viceris ipſe tua.
Fauſtus ego, infauſto me natum ſidere prolem,
Ni moriar, fuſo ſanguine, *Fauſtus* ero.
Publio. Numen adorandum, ſtat lex æterna, Tyranne
Strenuus audaci, Publius, *ore canit.*
Nam tua Phidiaco naſcuntur numina cœlo,
Vel Policlethæus finxerit illa labor.
Iupiter ipſe nihil, Phœbus, vel Regia Iuno,
Nil quoque Romanum, qui tenet imperium.
Si male proſtituis mutis tua pectora monſtris,
Pectora, trux Præſes, quid generoſa quatis?
Et Bacchum, & Venerem, tria Virginis ora Dianæ,
Ipſum ego fulmineum ter pede calco Iouem.
Si mea ſupplicium, ſi mortem, dicta merentur,
Offero ſanguineæ libera colla neci.
Seriùs, aut citiùs certâ mihi morte cauendum eſt,

Pro pietate iuuat præcipitare necem.
Dùm latera Euanto *ferro lacerantur acuto.* Euant.
Enumerat factas per sua membra notas.
Scriberis impressis, *inquit*, mihi Christe figuris:
Vngue laboratum, quam bene fulget opus.
Perlegere hos apices dulce est, & cernere formas,
Quæ referunt mortis clara trophæa tuæ.
Te loquitur, noménque tuum noua litera mundo,
Quam notat ingenuæ purpura rubra necis.
Hic color æternæ speciosa volumina vitæ
Signat, habent similes, murice picta, notas.
Martyr hic à nitida, qui ducit casside nomen, Cassian.
Non solùm hoc fecit nobile, quod periјt.
Hoc duce blanda tulit durissima fræna voluptas,
Pectoris irati fræna tulere faces.
Ter pede diuitias calcauit, ter pede fastus,
Sapè sui victor nobilis ante fuit,
Mille tulit palmas pugnando, mille coronas,
Vltima mors, duro Marte, subacta cadit.
Sanguineos rapuit post facta minora triumphos,
Edere qui properat magna, minora facit.
Felix *exitio feliciter ore profatur,* Felici.
Quid iacis insanas dux furiosè minas?
Sic ais; effundam lacerata per ora cruorem,
Squallentes animos sed dabit iste cruor.
Vulnera sæua dabo, memoras, data vulnera ferro
Hostia ad æthereas sunt adaperta domos;
Membra feræ rapient, melior cadet hostia cœlo,
Et mundo, quo plus dilaceratus ero.
Reddam, ais, infandæ truncata cadauera morti,
Mors erit hæc titulis vltima palma meis.
Si cupis infelix, qui das noua regna peremptis,
Morte triumphantes perdere, parce neci.
Sic cadit Antæus Lybica porrectus arena, Vrban.
Fortior vt tacta sapè resurgat humo.
Taliter Vrbanus *tacta tellure resurgit,*
Dum cadit exitio fortior ipse suo,
Quod genus hoc pugnæ? Quænam noua bella? ruendo
Diruta consurgunt, stantia stando cadunt.
Matutinus *ouans roseo sub vespere mortem* Matutin.
Oppetijt, moriens talia dicta dedit.

Immortale decus, gemmata palatia cœli,
Æternum fuso sanguine nomen emo.
Sanguine delitias, & sanguine fercula Diuûm,
Diuitias Superûm cæde rubente paro.
Sanguine fulmineæ redimo dispendia mortis,
Cæde triumphali nobile funus emo.
Promitur en pretium cæso de pectore, gentes
Si mihi nulla fides, credite vel pretio.
Successo. *Dùm bene* Successus *succedere tentat Olympo,*
Opposuit rapidas mors violenta manus.
Ille ait abrumpam retinacula protinus, ipsa
Victa dabis facilem læta sùb astra viam.
Lusus eras quondam Solymorum in monte Tonantis,
Nunc mihi si non vis cedere lusus eris.
Dixit: Et attonita fecit ludibria morti,
Fit via vi, superas vi rapit ille domos.
Mors cadit, infando victum est cum Præside cœlum,
Vna victor habet terna trophæa nece.
Apodemo. *Ferro dura cohors* Apodemum *vulnerat, Heros*
Vulnera fert stabili sanguinolenta fide.
Sanguinis vnda fluit membris rorantibus, ille
Miratur roseum per sua membra decus.
Stemmate purpureo fruitur, sublimis auitos
Despice vir titulos, clarior ipse tuis.
Purpura sanguineos prænuntiat ista triumphos,
Cæde triumphales percipis ante togas.
Talis apud Solymos sublimi in robore montes
Rubra triumphantis purpura Regis erat.
Desit palma licet victor molire triumphos,
Mœsta alijs palmam mors tibi læta dabit.
Martiali. *Qui trahit à forti deducta vocabula* Marte,
Supplicio in medio talia dicta dedit.
Præses amare quid increpitas, mortémque minaris?
Plus cupio mortem, quàm dare sæue cupis.
Aspera nos tormenta tremunt, defessa fatiscunt
Supplicia, audaces mors fugit ipsa manus.
Ignibus atra paras incendia, pascimur igni,
Nectare, & Ambrosia plus tua pœna placet.
Mors geminata iuuat, geminentur funeris artes,
Tot cupio mortes, quot modo membra gero.
Monstra, faces, vngues intentas, denique mortem,

Deuorat innumeras ſpiritus iſte neces.
Dum necis heroi generoſus naſcitur horror, *Primitiuſ.*
Cui ſi trunca forent nomina Primus *erat:*
Sic ait: Audendum eſt, vocat vltima palma ruentem,
Degeneres habeant mollia corda moras.
Grande magiſterium teneræ exhibuere puellæ,
Quæ ſua ſanguineæ colla dedêre neci.
Grande magiſterium pueri, qui dura tulerunt
Funera, facta decent nobiliora viros.
Ibimus in mortem properantiùs, ibimus: inſtant
Damna; ſat eſt prudens, qui lucia damna facit.
Deputet ad palmam naturæ damna voluntas,
Deputet ad titulos funera mœſta ſuos:
Qui valet audacter properanti occurrere morti,
Sanguinis, atque animi prodigus, ille vir eſt.

Hactenus carmina, quæ licet prolixa, cùm pietatem ſapiant, illa omittere non fuit in votis. Nunc ad alia quæ in actis notanda veniunt, deſcendo. Aliquot ex Neotericis rerum Hiſpanicarum Scriptoribus, de Reguli *S. Encratidis* Patris nomine, aliud genus remi induxere, ſed à quo illud explorauerint, mihi haud agnitum eſt. Dicunt iſti Patrem S. Virginis *Onteomerum* fuiſſe vocitatum, vt referunt *Brito, Macedo, Morillo Hiſt. Cæſaraugust. 2. p. c. 33.* & Ludouic. Lop. *ead. Hiſt. 1. p. cap.* 18. Ego nec annuo, nec contradico, ſtet fides apud illos. *De Nomine Reguli ambigitur.*

Circa originem omnes, Luſitanos *Encratidem*, & *Socios* conſtituunt. At ſi ex *Braccara* oriundos fatentur, vt quid tunc temporis *Luſitanos* numerabis? Nonne tempore agonis Noſtrorum Martyrum *Braccara* in *Gallacia* finibus includebatur? Forte illa vrbs *Augusta* nonne *Gallæcorum* erat caput populorum? Quis inficiabitur? Ergo non *Luſitani*, ſed *Gallaci* nominandi ſunt. Nec obſtabit, quod hodie *Braccara* in *Portucallenſi* circulo deſcribatur, nam licèt hoc ita ſe habeat, non ex hoc *Luſitana Braccara* eſt, nec vnquam in *Luſitania* termino ſita fuit. Inſuper nõ ex eo quod dominium transfertur, dicendum eſt oppidum, ſeu prouinciam tranſlatam, eodem titulo eſſe cenſendam, ac illius Regionis cui paret: Quia ſi hoc eſſet *Belgium, Sicilia*, & aliæ Regiones, quæ ſub iugo *Regis Catholici* ſunt, omnes *Hiſpanas* cenſebimus. Quod eſt abſurdum. Detur igitur vnicuique quod ſuum eſt, nec dominia confundant origines, *Encratis Gallaca* fuit; fuere, & eorum *Sueÿ* ex vrbe *Braccarenſi*, innumeris illuſtrata pugilibus. *Gallaci fuere Encratis, & Socij, non Luſitani.*

SS. Caivs, & Crementivs.] Eorum anamneſin retulit Aurel. Prudent. Noſt. *in relato hymno 6. de SS. XVIII. Martyribus Cæſarauguſtanis,* hiſce carminibus: C. *Memoria eorum apud Prudentiũ.*

Additis Caio, *nec enim ſilendi,*
Téque Crementi, *quibus incruentum*
Ferre prouênit decus, ex ſecundo
Laudis agone.
Ambo confeſſi Domino ſteterunt,
Acriter, contra fremitum latronum,
Ambo guſtarunt leniter ſaporem
Martyriorum.

Ex quo deprehenditur hos Sanctos Martyres agonem compleuiſſe in eadem Daciani perſecutione, imo eodem die, & anno. De eis in Martyr. Roman. illuſtre adeſt encomium, his verbis. *In eadem Ciuitate* (Cæſarauguſtana) *Sanctorum* Caij, *&* *Martyrologia.*

Crementij, *qui ſecundò confeßi, & in fide Chriſti perſeuerantes martyrij calicem guſtauerunt.* Eadem Martyrologium Caſtell. *P. Vazquez.* Luſitanum, & Hiſpanum *MS. P. Higuera.* Miror quâ incuriâ Scriptores *Cæſaraugustani* hoſce Sanctiſſimos Agoniſtas omiſerunt. Sed ne illorum memoriam diffugiamus, illorum acta breui (*vt Prudentius*) calamo deſcribemus.

Origo. CAIVS, & CREMENTIVS *nobiles* Hiſpani *origine, ſed fide nobiliores Catholica, cùm impiorum Imperatorum Diocletiani, & Maximiani per totius Orbis circulos graſſaretur dementia, & in Chriſti aſſeclas deſæuiret immanitas, vt penitus nomen laudabile, & fides inuincibilis deturbaretur in Orbe, euenit vt eorum decreto, in partes* Hiſpaniæ, & Galliæ *ad capeſſendos Chriſticolas proſiliret Dacianus. Hic* Cæſaraugustam *Tarraconenſis ditionis celeberrimam vrbem ingreditur, vbi innumerabiles Chriſtianos carceribus mancipauit, inter quos* CAIVM, & CREMENTIVM, *[Comprehenduntur.] quorum vt examinaret intentum, protinus illos, vt à propoſito veritatis itinere deuiarent, comminatione tormentorum, & verbis fallacibus compeſcebat. Annuit tunc temporis procerum miniſtata timiditas, & quot fides causâ coniunxerat ergaſtulum, timor fortè cruciatuum ſine fide diſſoluit. Ex carcere* [*A fide deuiant.*] *igitur extracti, cætus omnes fidelium ſubterfugere, ſolitudinem quærere, & ſibimetipſis inuiſi, pallido rubore ſuffuſi ſatagebant. His, & alijs exanimati anguſtijs cùm adhuc cordis arcana fidei ſcintilla comprimeret, & Dei ſpiritus* [*Iterum ſeſe offerunt.*] *illorum viſcera ventilaret, ſecundò ſeſe offerentes Præſidi, nouiter & Idolorum vanitatem, & Chriſti Domini veritatem ſunt abſque trepidatione confeßi. Fremuit tanto inſultatus angore Dacianus, & ne alijs in exemplum, horum eſſet repetita fidelitas, illorum agonem, ſilentibus tubis, perficere decreuit, ideóque vterque in ſilentioſo lutumiorum ſpelæo raptus, & tortus,*

[*Coronãtur.*]

Ambo confeßi Dominum ſteterunt
Acriter contra fremitum latronum;
Ambo geſtarunt leniter ſoporem
Martyriorum.

Quo, vigiles æternam illam cæleſtium ſpirituum inuenerunt quietem XVI. die Menſis Aprilis *Anno Domini* CCC. *Pont. Max. Marcellino. Impp. Dioclet. & Max.*

[*An Martyres, an Confeſſores?*] Horum *Martyrum* acta nullibi ſic continuata reperies. Anton. Nebriſ. *in Not. ad Prudent.* contendit illos non *Martyres*, ſed *Confeſſores* fuiſſe, P. Franc. Biuar. *in Not. ad Dextr. Ann.* 300. *Com.* 3. *fol.* 342. ipſos primò *Confeſſores*, poſt *Martyres* aſſeuerat, eius auſculta verba: *Quod ſecundò confeßi, vel ſecundo laudis agone* (vt inquit Prudentius) *illuſtrati dicuntur, ad id tendit, vt in primo certamine defecerint, ſed facti pœnitentia ducti, ſecundo ſe certamini exhibentes, coronam adepti ſunt.* Quod & obſeruauit Martyrologium Romanum, ſic: *Martyrij calicem guſtauerunt.* Vbi eorum paſſionem fatetur.

D. [*Scriptores.*] S. LAMBERTVS.] In eadem ipſa *Daciani* perſecutione paſſum *Martyrem* affirmant omnes Hiſpaniæ Scriptores, & exteri, vt videre eſt apud Vaſſeum *in Chron.* Villegas, Truxillo, Moralez *lib.* 10. *c.* 6. Marietam *lib.* 2. *c.* 14. Morillo *Hiſt. Cæſaraugust.* 2. *p. c.* 32. Ludouic. Lop. *ead. Hiſt. tom.* 1. *c.* 18. & alij innumeri. Cardinal. Bar. *Annal. Eccleſ. tom.* 2. *Ann.* 306. Lanuza in *Periſteph. SS. Aragon. lib.* 1. vbi hæc carmina:

——Lamberti *Martyris inde*
Cognita clara fides, qui effuſò ſanguine vitam
Perdidit, & niuea gladio ceruice reuulſum,
Aſſumpſit caput ipſe ſuum, gradiénſque propinquum
Attulit in campum, quo tunc conciſa iacebant
Encratidis *pectus tenerum, tùm corpora Sancti*
Vrbani, Fauſti, Frontonis, *ſicque* Luperci,

Optati,

Optati, Iulij, Publij, Felicis, & in quo.
Innumerum Massæ resident, & plurima Diuûm
Pignora, ſub templo celebri concluſa decenter
In loculis: tanquam gentis tutamen, & vrbis.

Flau. Dextr. *in Chron. Ann.* 300. eius repetit memoriam, dicens: *Item ibidem* (Cæſarauguſtæ) S. Lambertus, *qui ſuccisum caput manibus important, Angelo duce, Sanctorum Martyrum numero ſociatus.* Martyrolog. Roman. *h. d.* licet aliqua *Breuiaria* ad *diem XIX. Iunij* reiiciant. Dux Ixarenſis *in Catal. MS. SS. Hiſp.* Martyrol. *Caſtellan. Luſitan.* & *Hiſpan. MS. P. Higuera.* Eius acta ex Cod. MS. inter aliorum *Cæſarauguſtanorum* Martyrum agones conſcripta ſubſcribam.

ACTA S. LAMBERTI MARTYRIS Cæſarauguſtani; ex MS. Codice peruetuſto.

Temporibus Diocletiani, & Maximiani Imperatorum totum per mundi ambitum, ſacrilegarum institutionum iuſſa manabant: vt conuentus omnium Chriſtianorum, non ſolùm ex vrbibus pellerentur, ſed licentia quiſque potiretur eorum vitam perſequendo necare. Primò quidem vt multis blandityjs, aut perſuaſionibus eorundem mentium intentionem ad culturas Dæmonum inclinaret. Ac deinde ſi nollent Imperialia iuſſa complere, & Dys cæremonias immolare, Chriſtiani nominis religionem cum ſectatoribus funditus extirparent. Illicò turma ſatellitum implent Principum feralia iuſſa ex officijs diabolicis aſſumpta. Præcurrunt apparitorum ſæuientium turbæ totius orbis ſpacia, veluti Leonum catuli inediæ neceſſitate coacti, Sanctorúmque Martyrum corpora corrumpunt. Sed quò eorum impietas ſæuiebat, eò militum Chriſti religio ardentius accreſcebat. Inter quos quidem eorum ſignifer, cunctis admodùm peſtilentior profana, ac ſacrilega mentis Dacianus ab eiſdem impiiſſimis Imperatoribus, vt in Hiſpaniam *proficiſceretur Præſidis nomen adeptus eſt. Regionem ingreſſus,* Cæſarauguſtam *peruênit, & poſt inclyti Martyris* Vincentij *necem, Dacianus veſana crudelitatis aſpiratione percuſſus, in eadem vrbe illuſtrium virorum decem & Octo ſanguinem effudit, addens huic copioſo martyrio Sanctam Dei Virginem* Engratiam *purpureo Sanguinis ſui rore conſperſam, quibus, &* Gaium, *cum* Crementio, *& alios occulta notationis ſociauit Martyres comburendos. Sed cùm hæc, (vt copioſa reduceretur fidelitas) nulliter prodeſſet immanitas;* Percurrant (*inquit freneticus*) officia præconum totius ſpacium ciuitatis, vt multitudo eorum quæ parietibus ædificiorum occultatur, ab hac vrbe quantocius propulſata quaſi conceſſam habeant licentiam vti legibus ſuis, & commanendi vbicumque eorum extiterit voluntas; ita vt nullus religionis eorum à Dominis vſque ad Seruos, infra huius vrbis mœnia reperiatur noſtro conſociandus contubernio. Vos commilitones noſtri arma ſuſcipite, abditorum latibula locorum quantociùs occupate, & quos poſt foras inueneritis trucidate. *Ad has præconum voces exultant cateruatim agmina Chriſtianorum, ſcilicet multitudo iuuenum adoleſcentium relinquentes aperta ſpontè clauſtra domorum. Senum quoque veneranda canities, vacillantia membra baculis ſuſtentantibus, ſequebatur, ne ſuorum relinqueret ſolatium Catholicorum multitudo. Sexus quoque naturâ infirmus, ſed animo robuſtior, vnà cum turmis infantium. Itaque veraciter crederes funditus migrare totiûs ciuitatis populum, ſeruos, & ancillas properare, non tardare. Quid multa? exijt ab eadem ciuitate omnis turba Chriſtianorum conſona voce pallentium:* Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Obſeruantur interim omnes portæ ciuitatis, ne quiſquam eorum ad eam regrediendi aditum inueniret. Ex occultis illicò proſiliunt locis armatorum cunei*

Facultas data omnibus vt contra Chriſtianos inſurgant.

Dacianus apud Cæſarauguſtã.

Daciani edictum.

Pãret Chriſtianorum cætus.

Trucidantur omnes Chriſtiani qui ex vrbe exeunt.

cum

cum ensibus, & armis, & omnes Christianos salientes inermes trucidauerunt. Denique crudelissimus Dacianus præcepit, vt congesta in vnum corpora occisorum Sanctorum ignibus traderentur, & ne fortè quisquam Christianorum cineres eorundem Sanctorum sibi raperet in reliquias, iubet à carceribus diuersorum criminum reos, & sceleratos produci, & amputatis capitibus eorum cadauera in frusta, corporibus etiam Sanctorum sociari, atque simul exuri. Peremit igitur iniquus Iudex totius ciuitatis plebem, quam Christus feliciter regnaturam in cælesti dedicauit Ierusalem. Sed Dacianus criminis atrocitate repletus, & tanto sanguinis cruore corruptus, vt virus suæ feritatis effunderet, tota vrbe præconis tuba sonabat, toto foro, & per compita tyrannicum promulgabatur edictum; ne quis Christum coleret, neve quis occultum Christianum teneret, pœnam ipsam receptatoribus comminando. *Timore itaque suppliciorum prodebat patrem filius, pater filium accusabat, & diabolicis artibus hominum animi affecti tenebantur. Erat autem ea tempestate* Lambertus *verus Dei cultor, sub cuiusdam infidelis dominio degens. Qui post crebras verborum cum hero pugnas, de Deo viuo, contra vanos Deos, die quodam cum agricultura operam daret, permonetur à Domino suo, vt Deos adoret, aut gladio succumbat. Cúmque Christi athleta fortissimus in fide persisteret, eius Dominus iratus, ceruicem, iugo Christi assuetam, stricto mucrone præcidit. Sed Sanctissimum vina hostia caput, vt fuit à ceruice reuulsum, ipse adhuc lingua in Christi laudem palpitante, proprijs tulit manibus, & bobus, quibus arabat, præeuntibus, firmo gressu, ad locum vsque perrexit, vbi tunc placida, & felix innumerabilium Martyrum trucidata turba iacebat. Ad quorum candidas vt peruenit massas illud Dauidicum carmen intonans:* Exultabunt iusti in conspectu Dei, *Sanctisque respondentibus:* Lætabuntur in cubiculis suis, *in illorum consortium latanter se dedit. Verè gloriosissimus inter Martyres gloriosos Martyr iste diuinus, cuius funus non fertur loculo, non eget baiulo, sed nobili, & inusitato exequiarum genere, caput manibus suis portans, petit locum sepulchri, ipsa statione sua designans cum quibus debeat sepeliri, ille qui Dominum fatens, meruit à Domino sublimari, cum quo, & cum Patre, & Spiritu Sancto regnat in sæcula sæculorum.*

Daciani II. edictum.

Lamberti exercitium.

Occiditur à domino suo.

Lambertus properat cum capite in manibus ad locum Martyrũ. Ps. 149.

Hanc vt veram *S. Lamberti* historiam, ab antiquissimis temporibus, recepit Ecclesia *Cæsaraugustana*, cuius partem in suo *Breuiario* Anno M. D. L V I. inseruit *D. Ferdinandus ab Aragonia* illius Sedis Archiepiscopus. Nec obstat P. Murillo *d. cap. 32. fol. 273.* dissertatio, vbi de *S. Lamberto* agit, contendens *Sancti Martyris* corpus non ad cadauera *Innumerabilium Martyrum* peruenisse, & verba Dauidica protulisse, sed ad aliorum sepulchra; quia si corporibus *Innumerabilium* se coniunxisset fateremur, proculdubio quòd cum illorum cadaueribus impius Præses suum itidem comburere curasset, hoc non euenit, cùm integrum corpus *S. Lamberti* perseueret, ergo coniunctio minimè cum *Innumerabilibus* perfecta est. Cui obiectationi facilis est responsio. *Primò* quia antiquitati est deferendum. *Secundò* quia Martyrium *S. Lamberti* post *Innumerabilium* stragem completum est. Illorum cadauera illicò combusta cognoscimus. *Lamberti* cadauer ad istorum *Massas* confugit, & inter illorum cineres se recepit: ex quo euênit quòd istius sacratum corpus incombustum, cætera illorum in *Massis candidis* coagulata seruentur. Ita fatentur Antiquorum *Florum SS.* Scriptores, vt videre est apud P. F. Hieronym. de Vega *fol. 277.* PP. FF. Ioann. Sanchez, & Petrum de Leguicano *fol. 173.* Basil. Sanctor. *tom. 2. fol 432.* Idem refertur in peruetustis *Breuiarijs*, & *Sanctoralibus.* In Cæsaraugustano *Ann. 1556.* In Asturicens. *MS. Ann. 1306.* vbi hæc verba: *Martyr verè gloriosus, capite suis manibus recepto, à bobus sui currus deductus ad locum* Innumerabilium Martyrum *venit.* Et in pluribus aliis, quorum verba longum esset referre. Pro omnibus *Aulus Halus* meus in *Sepulchralibus*, intuens *B. Lambertum* ad Sanctorum *Innumerabilium Martyrum* cineres accedentem;

P. Murillo sententia diluitur.

Probatur cõtra Murillo.

Agricolam

Agricolam canimus, Lambertum *extollimus Almum,*
Cuius pulchra domus, hac domus esto sacra.
Et sacra, quis dubitat? si ad corpora millia tendit:
Tendit, & inuenit corpora, at igne cana.
Massas inuenit, dum quærit corpora Diuus;
Ad Massas spectans, hæc sacra verba dedit.
Martyres, Exultent nunc Iusti in vertice cœli,
Conspectúsque Dei, me quoque lætificet.
Protinus humanis tot millia vocibus, Almo
Sanctorum hæc dicunt verba notanda, Seni.
En delectetur suis inque cubilibus Amor.
Quo dicto Martyr se dedit ipse suis.

Nec minus obstat quòd *Martyrologium* Romanum *S. Lamberti* festum *die XVI. Aprilis*, & omnes Ecclesiæ Hispanicæ *XIX. Iunij* consignent, multis retrò Mensibus à die, quo *Innumerabilium* Martyrum commemoratio peragitur, quia cùm dies agonis specificè consignari non valuit, ne tot festiuitatum lætitiæ vno peragerentur die, in diuersos distinxit Ecclesiæ circunspecta sedulitas. *Occurritur. M. R.*

CÆSARAVGVSTA. De hac antiquissima vrbe pluribus egimus *die II. X. & XXIX. Ianuarij*, vbi nonnulla de eius excellentiis compulsauimus, cætera suis locis interserere curabimus, ne totum pondus pensi hoc die feramus.

S. TVRIBIVS Episcopus Asturicensis.] Tres huius nominis Sanctissimos Viros immiscuit Antiquorum Scriptorum desperata recensio; ex quo inter Neotericos adhuc debellatur in duello. Aliqui Nostrum *Turibium* S. Leonis I. Pont. Max. *Notarium* fuisse conscribunt. Nonnulli *Notarium S. Leonis* ab illo longè diuersum contendunt. Cæteri vtriusque *Turibij* acta cum *Turibio Palentino*, & *Monacho* innexunt. Ex omnium sententiis quid eligendum vix agnoscet discreta concordia. Ego licet minimus lucem aperire inter tot confusionis nebulas, inter tot diffidentium obscura conamina, absque præsumptione desidero. O vtinam ad veritatis metam sedulitatis cursus pertingat. *Tres* (vt dixi) fuisse *Turibios*, nemo inficiabitur, si temporum, & actionum varietates perpenderit. Noster *Asturicensis* vixit ad Annum vsque CCCC. LIV. ex Iulian. Petr. *in Chron. num.* 230. *Turibius Notarius S. Leonis* peruenit ad Annum CCCC. LXXII. ex Iulian. *n.* 247. Denique *Turibius Monachus*, qui fuit *Episcopus Palentinus* in viuis erat Anno D. XLV. ex ipso Iulian. *numer.* 278. Tres ecce *Turibios*, temporum diuersitate distinctos, licèt eorum actiones nominum vniformitate confusæ. Ergo quod obtigerit vnicuique perpendamus, & sic omnium actiones, quas turbatas noscimus, separemus. TVRIBIO ASTVRICENSI pertinent sequentia. I. Quòd fuerit natione *Hispanus* ex *Gallacia*. II. Quòd successerit *S. Dictinio* in Sede *Asturicensi*. III. Quòd ei scripserit *S. Leo I. Pont. Maxim.* IV. Quòd *Priscillianistas* damnauerit. V. Quòd innocentia compulsus se de crimine, igne in Pontificali amiculo superposito, purgauit. TVRIBIO, Leonis Notario, pertinent; I. Quòd patriâ fuisset *Brigantinus*. II. Quòd S. Leonis *Notarius* in *Hispaniam* missus, licèt peregrinationis causa tempus terens, cum in *Hispaniam* appulit, iam S. Leo in pace quieuerat. III. Quòd reliquias ex eius peregrinatione, quas aliis *Turibis* attribuunt, in *Gallæciam* traxerit. IV. Quòd iste scripserit *Idatio*, & *Sponio*, contra *Priscillianistas*. TVRIBIO denique pertinent PALENTINO, sequentia: I. Quod fuerit *Ciuis*, & *Rector Palentinæ* Ciuitatis. II. Quod Romam proficiscens habitum Religionis ab ipso *B. P. Benedicto* susceperit. III. Quod in *Hispanias* reuersus aliquot per illas construxit *Monasteria*. IV. Quod illi scripsit *Montanus* Episcopus Toletanus. V. Quod fuerit *Episcopus Palentinus*, & hæreticos Priscillanistas *Pallentiæ* degentes damnauit En omnium actiones, vnicuique restitutas. Causam tantæ

E. Tres Turibij confunduntur.

Trium horum SS. diuersa tempora.

Turibio Asturicensi quæ acta pertineant.

Quæ Turibio Notario.

Quæ Turibio Palentino.

Quare omnium Triũ actiones Turibio Aſturicenſi attributa?

Cauſam tantæ ambiguiratis ſi exquiras, inuenies, quòd cùm Scriptores moderni *Turibium Aſturicenſem* ſanctitare conſpicuum agnouère, & in exordio *Synodi Braccarenſis* titulo *Notaratius* acclamatum, & apud *Monaſterium S. Martini Libanienſe* ſepultum, omnéſque contra *Priſcillianiſtas* hæreticos decertarent, euênit, vt *Turibio Aſturicenſi*, aut tanquam antiquiori, aut tanquam inſigniori, aliorum ſubſequentium actiones huiuſmodi confuſione tribuerint.

Quo anno vixerit Aſturicẽſis?

His ſic explanatis ad vniuſcuiuſque rei comprobationem accedamus. Quod vixerit S. TVRIBIVS ASTVRICENSIS ad annum vſque CCCC. LIV. Audi Iulianum Noſtrum *n.* 230. *Ann.* 454. his verbis: *S. Turibius Aſturicenſis Epiſcopus hoc anno moritur.* De Turibio S. Leonis Notario ab illo diuerſo, eundem auſculta

Quis Notarius?

Iulianum *n.* 247. aſſerentem: *Per hac tempora* Turibius *S. Leonis prius* (lego Primi) *Notarius, patria Brigantium, factus Monachus, poſt longas peregrinationes, ſecum multas adduxit reliquias. Ad Gallaciam reuerſus, ſcribit ad Idatium, & Sponsum; Idatiũ, inquam, Epiſcopum Braccarenſem, vt illi conſulant miſerrimo Gallacia ſtatui, repullulante tunc Priſcillianiſtarum hareſi. Qui quidem Pontifices praſederunt in Concilio Toletano, vt Legati Leonis.* Cuius Notarij etiam meminit *Lucretius* Epiſcopus Braccarenſis in exordio Concilij Braccarenſis I. apud Loayſam *fol.* 116. vbi agens de *Turibio* prædicto, ſolùm titulo Notarij illum nominat, abſque Epiſcopi prærogatiua. *Credo autem* (inquit) *veſtra beatitudinis fraternitatem noſſe, quia eo tempore, quo in his regionibus nefandiſſima Priſcilliana Secta venena ſerpebant, beatiſſimus Papa vrbis Roma* LEO, *qui Quadrageſimus ferè extitit Apoſtoli Petri ſucceſſor, per* Turibium Notarium Sedis ſuæ *ad Synodum Gallicia contra impiam Priſcilliani Sectam, ſcripta ſua direxit.* En de *Turibio Notario* abſque titulo Epiſcopi enarrationem *Lucretij*. Quæ verba in hoc ſenſu, & cum hac differentia ſuſcepit Loayſſa *in Not. ad Concil. Tolet. II. fol.* 91. vbi diſtinguit *Turibium* Monachum, *Turibium* Notarium S. Leonis, & *Turibium* Aſturicenſem, quem etiam perperam, vt infra dicemus, appel-

Quis Palẽtinus?

litat *Palentinum.* De TVRIBIO PALENTINO, ab vtroque diſſimili, eundem attende Iulianum *in Chron. Ann.* 545. *n.* 278. vbi hæc: *Turibius Monachus, cui anno Domini DXXXVI. dederat habitum S. Benedictus, & veniens ad Hiſpaniam fundat Monaſteria; pòſt factus Epiſcopus Palentinus. Hoc Anno maledicit Palentinis, infectis hareſi Priſcillianiſtarum, & Fluuius* Neuis, *dictus* Cadrion *vulgò, exuberans, ciuitatem ipſam inundauit.* S. Marc. Maxim. *in Chron. Ann.* 531. *fol.* 183. *B.* priùs dixerat, licèt diuerſo calculo: *Turibius Palentinus à S. Benedicto Roma accipit habitum.* Et *Ann.* 534. *fol.* 185. *B.* proſequitur: *Turibius Monachus ad quem ſcripſit Montanus Pontifex Toletanus è Monacho Benedictino fit Epiſcopus Telenſis, vel Palentinus.* Denique *Ann.* 540. *fol.* 187. concludit: *Turibius Palentinus Epiſcopus, Palentinis hareticis maledicit.* Iam diuerſitatem in actionum, & annorum diſcrepantia cognoſces, nunc ad *Turibium.* Aſturicenſis Sedis Epiſcopum, calamum conuertamus, eiúſque ſan-

Pro Aſturicẽſi Martyrologia.

ctitatem ex *Martyrologijs*, & *Breuiarijs* demonſtremus. Pro illis Martyrol. Roman. *h. d.* in hæc verba: *Palentia* S. Turibij *Epiſcopi* Aſturicenſis, *qui ope S. Leonis Papa hareſim Priſcilliani ex Hiſpania penitus profligauit, clarúſque miraculis in pace quieuit.* Hæc ferè ſuo idiomate Martyrolog. *Caſtellan. Luſitanum*, & *Hiſpanum P. Higuera.* Hinc expungendum venit verbum *Palentia*, quia errore ducti antiqui compilatores Martyrologij Romani *Turibium Palentinum*, cum *Aſturicenſi* connexerunt.

Breuiaria.

Quatenus ad officia in Breuiariis, & Santoralibus Eccleſiarum Hiſpaniæ, haud vllum inuenies, abſque *S. Turibij* (confuſione retenta) commemoratione. Itidem eius memoriam apud Scriptores paſſim reperies Hiſpanos, quorum catalogum, laborioſum erit repetere. Ad amuſſim videndi collecti à D. Franciſco de Sandoual *Hiſtor. S. Antonini Palentini*, §. 4. *fol.* 25. *& ſeqq.* D. Petro Aingo Ezpeleta

Scriptores.

in Fundat. Eccleſ. Aſturic. num. 64. *fol.* 37. B. D. Roder. de Acuñ. *Hiſt. Bracear. tom.* 1. *cap.* 57. *fol.* 240. licèt omnes ab iſtis citati, antiquorum errore attracti hos omnes confundunt *Turibios.* Acta ergo *Aſturicenſis*, quæ vt puriora tranſcribere curaui, deſumpſi ex antiquo *Legendario Aſturicenſi*, provt MS. in mea Bibliotheca adſeruatur literis penè Gothicis exſcriptum in quo ſequentia compulſantur.

ACTA S. TVRIBII EPISCOPI *Asturicensis; ex MS. Codic. Legendarij Asturicens. Antiq.*

Præfatio.

In Sancti, ac Beatißimi Viri Turibij Episcopi, *Fratres charißimi, natalitio die, vniuersa nobiscum lætetur Ecclesia Christi, quam per omnem mundum, & cælestis prædicatio Apostolici sermonis instruxit, & munere salutifera doctrinæ decorauit. Fuit enim in hoc Santißimo Viro, cuius diem veneramur, & contra errores diaboli spiritualis sapientiæ plenitudo, & maximè aduersus* Priscillianos *hæreticos, qui pestifera lepra falsi dogmatis sordidabant Christiani pectoris infatigatam constantiam. Hodie, fratres charißimi,* B. Toribij Confessoris *Christi annuum festum debitis officiis honoremus, & Christum Regem deuotis animis conlaudemus, qui illum in præsenti seculo suscitauit, excellentia & sacerdotij dignitate decorauit, & in cælis hodie inter Angelicos choros, æterna beatitudinis gaudio sublimauit. Hodie* B. Toribius Pontifex *migrauit feliciter à seculo, & à superna patria ciuibus honorabiliter receptus est, atque à Domino Iesu-Christo, Rege cælorum siderea regionis clarißimam mansionem cum ineffabili gaudio recipere meruit. Felix vita eius, felicem promeruit habere transitum. Transiuit enim de morte ad vitam; de mundo ad regnum; de labore ad requiem; de huius exilij peregrinatione ad patriam; de præsentis vitæ miseria ad æternam beatitudinem.*

Origo. *Sedes.*

Fuit igitur hic Beatissimus Vir, *sicut compertum veraciter habemus, natione* Hispanus, Galliciæ *regionis indigena,* Astoricensis *Ciuitatis* Episcopus, *cultor verus Dei, contemptor sui, religionis amator, catholicæ veritatis assertor, idololatriæ subuersor, & errorum validus expugnator, præcipuè* Priscillianorum *detestabilem hæresim, quæ tunc temporis in* Hispania, *velut pestifer morbus serpendo, non solum diuersarum vrbium populos pestifera lepra maculauerat, verum etiam (quod magis dolendum est) quorundam Sacerdotum, qui Ecclesiam Dei regere videbantur, corda inuaserat; per quos aliorum error tollendus erat, non sequendus, nisu, quo valuit, condemnauit, & authoritate* Leonis Papæ, *qui eodem tempore Romanæ Ecclesiæ præerat, totis viribus expurgare curauit.*

Leo I. P. M. Epistolam scripsit S. Viro.

Cùm itaque præfatus Leo Papa *pastorali sui regiminis cura, ad diuersarum Prouinciarum Episcopos, epistolarum suarum dirigeret scripta inter cæteros huic Beatißimo Viro* Toribio *tunc temporis* Astoricensi Episcopo, *quandam epistolam, vniuersos errores Priscillianistarum, sexdecim capitulis continentem destinare curauit, in qua sic eum alloquitur.*

LEO EPISCOPVS TORIBIO *Astoric. Episcopo. S.*

Quam laudabiliter pro Catholicæ fidei veritate mouearis, & quàm solicitè Dominico gregi deuotionem officij pastoralis impendas, tradita nobis per Diaconum tuum, fraternitatis tuæ scripta demonstrant, quibus notitiæ nostræ insinuare curasti, qualis in regionibus vestris de antiquæ pestilentiæ reliquiis errorum moribus excesserit. Nam, & epistolæ sermo, & commonitorij series, & eloquij tui textus eloquitur *Priscillianistarum* fœtidissimam apud vos recaluisse sentinam. Nihil est enim sordium in quoruncumque sensibus impiorum, quod in hoc dogma non cōfluxerit: quoniam de omnium terrenarum opinionum luto multiplicem sibi fœcem commiscuerunt, vt soli totum biberent, quidquid alij ex parte gustassent. Denique vniuersæ hæreses, quæ ante *Priscilliani* tempus exortæ sunt, diligentius retractentur, nullus penè inuenietur error, de quo non traxerit impietas ista conta-

gium: quæ non contenta eorum recipere falsitates, qui ab Euangelio Christi, sub Christi nomine deuiarunt, tenebris se etiam paganitatis immersit, vt per Magicarum artium prophana secreta, & Mathematicorum vana mendacia religionis fidem, morúmque rationem in potestate dæmonum, & effectu syderum collocaret. Quod si & credi liceat, & doceri, nec virtutibus præmium, nec vitiis pœna debebitur, omniáque, non solùm humanarum legum, sed etiam diuinarum constitutionnm decreta soluentur: quia neque de bonis, neque de malis actibus vllum poterit esse iudicium, si in vtramque partem fatalis necessitas motum mentis impellit, & quidquid ab hominibus agitur, non est hominum, sed astrorum. Ad hanc insaniam pertinet prodigiosa illa totius humani corporis, per duodecim cœli signa distinctio, vt diuersis partibus diuersæ præsideant potestates; & creatura, quam Deus ad imaginem suam fecit, in tanta sit obligatione syderum, in quanta est connexione membrorum. Meritò Patres Nostri, sub quorum temporibus hæresis nefanda prorupit, per totum mundum instanter egêre, vt impius furor ab vniuersa Ecclesia pelleretur, quando etiam Principes mundi Ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, vt authorem eius, & plerosque discipulos legum publicarum ense prosternerent. Videbant enim omnem curam honestatis auferri, omnem coniugiorum copulam solui, simúlque diuinum ius, humanúmque subuerti, si huiusmodi hominibus vsquam viuere cum tali professione licuisset. Et profuit diù ista districtio Ecclesiasticæ lenitati, quæ etsi sacerdotali contenta iudicio, cruentas refugit vltiones, seueris tamen Christianorum Principum constitutionibus adiuuatur, dum ad spiritale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium. Ex quo autem multas prouincias hostilis occupauit irruptio, & executionem legum tempestates interclusêre bellorum, ex quo inter Sacerdotes Dei difficiles commeatus, & rari cœperunt esse conuentus, inuênit ob publicam perturbationem secreta perfidia libertatem, & ad multarum mentium subuersionem his malis est incitata, quibus debuit esse correcta. Quæ verò illic, aut quanta pars plebium pestis huius aliena est vbi (sicut charitas indicat) lethali morbo etiam quorundam Sacerdotum corrupta sunt, & per quos opprimenda falsitas, & defendenda veritas credebatur, per ipsos doctrinæ Priscilliani, Euangelium subditur Christi, vt ad prophanos sensus, pietate sanctorum voluminum deprauata, sub nominibus Prophetarum, & Apostolorum non hoc prædicetur, quod Spiritus sanctus docuit, sed quod Diaboli minister inseruit. Quia ergo dilectio tua fideli, quantum potuit, diligentia damnatas olim opiniones sedecim capitulis comprehendit; Nos quoque strictim omnia retractemus, ne aliquid harum blasphemiarum, aut tolerabile videatur, aut dubium. *Hic sequuntur sedecim Capitula, postqua*, sic:

Habeatur ergo inter vos Episcopale Concilium, & ad eum locum, qui omnibus opportunus sit, vicinarum prouinciarum conueniant Sacerdotes, vt secundùm ea, quæ ad tua consulta respondimus, plenissimo disquiratur examine, an sint aliqui inter Episcopos, qui huius hæreseos contagio polluantur, à communione sine dubio separandi, si nefandissimam Sectam per omnium sensuum prauitates damnare noluerint. Nulla enim ratione tolerandum est, vt qui prædicandæ fidei suscepit officium, is contra Euangelium Christi, contra Apostolicam doctrinam, contra vniuersalis Ecclesiæ symbolum audeat disputare. Quales illic erunt discipuli, vbi tales docebunt Magistri? Quæ illic religio populi, quæ salus plebis, vbi contra humanam societatem, pudoris sanctitas tollitur, coniugiorum fœdera auferuntur, propagatio generis inhibetur, carnis natura damnatur, contra verum

autem

autem Dei veri cultum Trinitas deitatis, negata personarum proprietate, confunditur, anima hominis diuina essentia prædicatur, & eadem ad diaboli arbitrium carne concluditur: Dei filius per id, quod ex Virgine ortus, non per id, quod ex Patre natus est, Vnigenitus prædicatur: idémque nec vera Dei proles, nec verus Virginis partus asseritur, vt per falsam passionem, mortémque non veram, mendax etiam Resurrectio resumptæ de sepulchro carnis habeatur? Frustra autem vtuntur Catholico nomine, qui istis impietatibus non resistunt. Possunt hæc credere, qui possunt talia patienter audire? Dedimus itaque literas ad Fratres, & Coëpiscopos Nostros *Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos*, atque *Gallicianos*, eisque Concilium synodi generalis indiximus. Ad tuæ dilectionis solicitudinem pertinebit, vt nostræ ordinationis authoritas, ad prædictarum prouinciarum Episcopos deferatur. Si autem aliquid (quod absit) obstiterit, quominus possit celebrari generale Concilium, *Gallicia* saltem in vnum conueniant sacerdotes, quibus congregatis fratres Nostri *Idatius*, & *Ceponius* imminebunt, coniuncta cum eis instantia tua, quò citius, vel prouinciali conuentu remedium tantis vulneribus adferatur. Data XII. Augusti, Alipio, & Ardebute v v. c c. c o s s. Pontificatus Leonis Anno VIII. hoc est, Era CCCC. LXXXV.

Qua epistola accepta, protinus Romani Pontificis mandata ad debitum executionis fastigium perducere destinauit; exquo aliqua Concilia *in totius* Hispaniæ *finibus indicta, sacrilega* Priscillianistarum *dogmata condemnarunt, & Beatissimi* Leonis *doctrinam vt Catholicam, & ab vniuersalis Ecclesiæ capite dimanatam, totis visceribus amplexi sunt. Quo euênit, vt per aliquam tēporis intercapedinem flagitiosa hæreticorum perfidia delitesceret.* Concilia congregantur.

Cùm verò ad Episcopatus apicem, post S. Dictinij *obitum, fuerat assumptus, & ipso adhuc renuente,* Asturicensem *Cathedram adscendit, quidam ipsius Ecclesiæ Diaconus,* Rogatus *nomine, per varias humanæ conditionis cautelas, infulam tantæ dignitatis ambierat. Sed dispositione diuina* Toribius *illius Diaconi machinamenta confregit, ex quo taliter in S. Viri odium debacchabatur* Rogatus, *vt quocumque tempore se offerebat occasio, illicò infidum animi inuolucrum propalabat. Sed obstinatione deuictus, & inuidia irritamento protractus ad maiora scelerum peruenit conamina, ideòque Sanctissimum Episcopum falsò de graui crimine irreuerenter accusauit. Qui vt crimen dilueret, suámque innocentiam publicè demonstraret, in Deum oculos conuertens, &* Exurge Domine, & dissipentur inimici *clamitans, carbonem ignis propriis manibus apprehendens, & in rocheto inuoluens, sic per Ecclesiæ ambitum totum illud Dauidicum psalmum intonans, perlustrauit, nec in rocheti albedine aliquod non solùm læsionis, imò nec maculæ signum est inuentum ignis ardentis. Tanto miraculo omnes confusi,* Rogatus *imposturam confessus, protinus, vt alter Iudas, crepuit medius.* Toribius *agens gratias Deo in posterum ad opera charitatis animum conuertit, sperans donec eius appareret expectatio. Denique bonis operibus insudando, obijt* XVI. Kal. Maij *exultantibus Angelis; terra lugente; cælo gaudente; Eius sacrum corpus post eius obitum diuina fecit, Christo operante, miracula. Non solum in vita signorum gloria inclytus extitit, sed etiam post mortem, virtutibus maximis, & miraculis gloria refulget. Precamur igitur te, Pater venerande, rogamus Præsul inclyte, Obsecramus Confessor egregie, Beatissime* Toribi, *quatenus nobis peccatoribus famulis tuis, adhuc in exilij peregrinatione laborantibus, semper subuenias, preces nostras semper exaudias, afflictionem videas, pericula tollas, postulata concedas, animas nostras salues, & post transitum nostrum cum Rege æterno Iesu-Christo, Saluatore Nostro æternaliter regnare facias; Concedente eodem Domino Nostro Iesu-Christo, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in secula seculorum. Amen.*

De graui crimine accusatur.

Liberatur.

Moritur.

Marieta error exploditur.

Hæc mihi visa sunt genuina *S. Turibij* acta: Nec est audiendus P. Marieta *Hist. SS. lib.* 5. *c.* 7. vbi de *Thurismundo* Rege Hispaniæ agens, asserit hunc Regem audita fama *S. Turiby* illum *Ouctum* vsque ire præcepisse, cui & Regiam concessisse domum, vbi Ecclesiam S. Saluatori extruxisse S. Præsulem contendit, inibique rogatu Reginæ quandam famulam paralyticam, & alios variis infirmitatibus oppressos ad sanitatem restituisse affirmauit: Quia *Ouetum* tempore *Thurismundi* non erat in rerum natura, illo nomine, si Nostris Scriptoribus est danda fides, qui inconcussè fatentur illam vrbem post *Hispaniæ* excidium extructam fuisse, seu à *Froila* I. Rege, Anno DCC. LX. seu ab *Alphonso II.* cognomento *Casto*, qui etiam *S. Saluatori* templum mirificè condidit. Nec obstat S. Marci Maxim. *Chron. Ann.* 540. *fol.* 186. *B.* vbi *Oucti* nomen inuenitur: Quia exscriptorum vitio est locus corruptus, vt omnes fatentur, & licèt in illa vrbe sacra *S. Vincentij Legionensis* Abbatis, & Martyris requiescant lipsana, non ex hoc conuincitur, tempore *S. Maximi* nomen *Oucti* illi vrbi pertinuisse.

S. M. Maximi Codicis impostura detegitur.

Variè S. Viri nomen scribitur.

De hisce Sanctorum trium nomine, valde controuertitur, alij *Turibium*, alij *Toribium*, & nonnulli *Theoribium* appellant, quidquid fuerit hodie *Hispano* idiomate TORIBIO, & Latinè TVRIBIVS scribitur.

ASTVRICA. De hac vrbe egimus die XXIII. Februarij, vbi quæ ad eius antiquitatem spectant lato calamo apposuimus, infrà aliqua notabilia proferemus.

F.

S. FRVCTVOSVS, Episcopus Braccarensis.] Tanti Præsulis memoria, inclyti Monachi anamnesis, & egregij Cœnobiarchæ commemoratio, celebris non solum apud *Hispanos*, sed & apud exteros elogiis habetur conspicuis. De eius sanctitate agunt Martyrolog. Monast. VVion. *fol.* 136. Hugon. Menard. *fol.* 34. A quibus Martyr. Roman. Castellan. Lusitan. & Hispan. P. Higuer. Philipp. Ferrar. *in Topograph. sacr. verb.* Braccara. Vass. *in Chron. Ann.* 655. Thesaur. Concionat. *h. d. tom.* 2. Ambros. Moral. *lib.* 12. *à c.* 33. F. Alphons. Chacon *de Priscis Ieiun. c.* 8. Concil. Decimum Tolet. vbi *Loaysa*. Alphons. Villeg. & P. Ribadeneyr. *in Florib. SS.* Qui eius vitam à P. Vega, Legizamo, & Sanctoro deduxêre. Item eius meminêre Breuiar. *Braccarense, Tolet. Compostellan. Hispalense*, & alia antiqua Ecclesiarum Hispaniæ. Ex Lusitanis P. Vasconcellos *fol.* 520. *in Descript. Portugall. num.* 1. Brito *in Monarch. Lusit.* 2. *p. lib.* 6. *c.* 23. F. Didacus à Rosar. *in Flor. SS. Portugall.* Georg. Cardos. *in Off. SS. Lusitan.* Don Roder. Acuña *Hist. Braccar. tom.* 1. *à c.* 85. *ad* 92. Mariet. *Hist. SS. lib.* 5. *c.* 46. D. Prudent. de Sandoual *Hist. Cænobior. S. Bened in Cænob. S. Petri Montium.* D. Maur. Castell. *Hist. S. Iacobi lib.* 1. *c.* 23. Dux Ixarens. *in Catalog. SS. Hisp.* P. Anton. de Yep. *in Chron. Bened. tom.* 1. *à fol.* 175. *ad* 224. P. Biu. *ad Dextr. fol.* 294. *n.* 1. *in fin.* D. Don. Laur. Ramir. *in Luitprand. fol.* 525. Hugo Menard. *in Not. ad Reg. S. Benedict. tom.* 1. *fol.* 62. Molin. *in Descript. Gallae. fol.* 6. Histor. Iriens. *MS. apud me, in vita D. Didaci Gelmirez Archiep. Compostellan.* Eius acta scripsit *S. Valerius*, de quo supra. D. Prudentius de Sandoual *ex MS. Codice* vetustissimo *S. Petri de Arlanza*, eadem exscripsit, typísque mandauit, quæ vt antiquiora hîc annectere disposui.

Martyrologia.

Breuiaria.

Scriptores.

ACTA S. FRVCTVOSI EPISCOPI Braccar. Ex MS. Codice Anni DCCCC. XII. dono Fernandi Gonzalez Comitis Castellæ, Cœnobio S. Petri de Arlanza.

Incipit *Vita, & memoratio mirabiliorum, quæ Deus pro boni obsequij famulatu Sanctissimi* Fructuosi Episcopi, *ad corroborandam fidem credentium statuit ad salutem.*

POSTQVAM *antiquas mundi tenebras superna veritatis noua irradiauit claritas, & à Sede Romana prima Sancta Ecclesiæ Cathedra Fidei Catholicæ dogmatum fulgurans rutilaret immensitas, atque ex Ægypto Orientali prouincia, excellentissima sacræ religionis præmicarent exempla, & huius Occiduæ plagæ exigua perluceret extremitas, perspicuæ claritatis egregias diuina pietas duas inluminauit lucernas,* Isidorum *reuerentissimum scilicet*

scilicet Virum, Hispalensem Episcopum, atque Beatissimum FRVCTVOSVM, ab infantia immaculatum, & iustum. Ille autem oris nitore clarens, insignis industria, sophista artis indeptus praemicans dogmatum reciprocauit Romanorum. Hic verò in sacratissimo religionis proposito, Spiritus Sancti flamma succensus, ita in cunctis spiritualibus exercitatus, omnibúsque operibus sanctis perfectus emicuit, vt ad Patrum se facile, quorum aequaret antiquorum meritis Thebaeorum. Ille actiua vitae industria vniuersam extrinsecus erudiuit Spaniam. Hic autem contemplatiua vitae peritia, vibrante fulgore micans, intima cordium inluminauit arcana. Ille egregio rutilans eloquio in libris claruit aedificationis. Hic autem culmina virtutum coruscans, exemplum relinquens sancta religionis, & innocuo gressu secutus est vestigia praeeuntis D.N. Iesu-Christi, & Saluatoris, cuius tantum ineffabilia sunt virtutum prodigia, quòd nostra nuncupare non valet ineptia. Quantum fideli narratione cognoui, pauca de principio vitae eius, & fine differendo perstringam.

S. Isidorus, & Fructuosus aequiparantur.

§. I. Hic verò Beatus ex clarissima regali progenie exortus, sublimissimi culminis, atque Ducis exercitus Hispaniae, prolis. Dùm adhuc puerulus sub parentibus degeret, contigit, vt quodam tempore pater eius eum secum habens, inter montium conuallia Bergedensis territorij, gregum suarum requireret rationes; pater enim suus greges describebat, & pastorum rationes discutiebat. Hic verò puerulus, inspirante Domino, pro aedificatione monasterij apta loca pensabat, & intra semetipsum retinens, nemini manifestabat. Post discessum igitur parentum, abiecto seculari habitu, tonsóque capite; cùm religionis initia suscepisset, tradidit se erudiendum spiritualibus disciplinis Sanctissimo Viro Conantio Episcopo. Cúmque aliquanto tempore, sub illius degeret regimine, prouenit, vt quodam die possessionem Ecclesiae ingressi illius praeeuntes puericelluli, cum ei ad manendum hospitium praepararent, quidam de sumptoribus adueniens interrogauit, dicens: Quis hoc occupauit habitaculum? Responderunt; Fructuosus. Statim insana temeritate frustratus, iussit eius sarcinolum foris proiicere, & sibi ibidem praeparare. Quod ille patienter tolerans, siluit. Cùm enim intempesta noctis silentio omnes quiescerent, subito hospitium ab ira furoris Domini veniens ignis succendit. Cùm intus eodem habitaculo, quod vt adsolet minimi haberetur, recto videlicet iudicio Domini, vt idem habitaculum, quod typo superbiae turgidus vsurpauerat, orante Sancto Adulescente, cum ingenti peruicili turbatione atque iniuria, & iactura tribulatione desereret.

Fuit ex Regio sanguine ortus.

§. II. Posthaec reuertens ad locum illum solitudinis suprà memoratum, vt deuotionem, quam dudum paruulus elegerat, iam perfectus impleret. Nam construens coenobium Complutense, iuxta diuina praecepta, nihil sibi reseruans, omnem à se facultatis suae supellectilem eiiciens, ibidem conferens, eum locupletissimè ditauit, & tàm ex familia sua, quàm è conuersis ex diuersis Hispaniae partibus sedulò occurentibus, cum agmine Monachorum affluentissimè compleuit: sicut scriptum est, quia semper sanctitatem aemulatio insequitur inimici, & contra bonitatem pugnat malitia: illicò inuidus vir iniquus sororis eius maritus, antiqui hostis stimulis instigatus, coram Rege prostratus, surripuit animum eius, vt iisdem pars haereditatis à Sancto Monasterio auferretur, & illi quasi pro exercenda publica expeditione conferretur. Quod cùm huic Beatissimo compertum est, statim tulit Ecclesiae vela, & Sancta nudauit altaria, & ciliciis induit ea, atque scripsit, & direxit illi epistolam confusionis, & increpationis, Dominique comminationis; se quoque conuertit in ieiuniis, & luctu, & lachrymis, atque prolixitate orationis. Cùm ita ageretur, statim ipse Sanctorum aemulus, & boni operis aduersarius, vltione diuina percussus, citiùs vitam finiuit. Sicque factum est, vt qui oblationes Sanctorum quaerebat auferre, ipse crudeliter de hoc seculo absque liberis discederet, & facultates suas alienis relinquens, ipse secum solùm proditionem portaret.

Construit Monasterium Complutense.

§. III. Hic verò sanctissimus confirmans cunctum regularem ordinem,

In eremum Berdigẽsem secessit. *constitutus est cœnobij pater, cum ingenti discretionis rigore, & qui rumor gloriæ sanctitatis eius, cunctas peragrauerat regiones, quo ex multitudine diuersorum occurrentium crebram pateretur inquietudinem, humanam fugiens laudem, atque fauorem, egrediebatur è congregatione, & nudus vestigijs penetrabat loca nemorosa, argu densissima, aspera, & fragosa, vbi per speluncas, & rupes, Deo triplicatis ieiunys, & multiplicatis vigilijs, & orationibus, vacabat.*

Ope diuina liberatur ab ictu sagittæ. §. IV. Contigit *enim, vt dum quodam tempore in cuiusdam rupis gradibus, melotem ex capreis pellibus indutus, oraret enixiùs; adueniens quidam agrestis venationem exercens, & insidias, & cùm vidisset eum super vnum rupis gradum in oratione prostratum, existimans in rupe esse venationem, tendens arcum, & cùm librasset ictum, vt dimitteret sagittam, prouidentia diuina solicitus erexit manus cum oratione ad cælum. Ille verò intelligens quòd homo esset, retinuit ictum. Posthac ostendens et se hac cuncta referens, ipse Beatissimus rogauit eum, vt nemini manifestaret.*

Extruit Monasterium Ruffianense. §. V. Posthæc *deinque in vastissima, & arcta, atque procul à seculo remota solitudine, in excelsorum montium finibus extruit Monasterium* Ruffianense, *& erga Sanctum Altare, se in angusto, & paruulo retrusit ergastulo. Cùmque ibidem aliquanto tempore quieuisset, egressa est omnis congregatio* Complutensis *Cænoby, multitudo Monachorum, & pie violenter venientes eiecerunt eum de eadem clausura, & ad pristinum reduxerunt locum. Demùm itaque egrediens in* Bergedensis *territory, & Gal*liciæ, *confinibus ædificauit Monasterium* Visumense.

Aliud ædificat Cœnobium in maris ripa, nomine Pheonense. §. VI. Atque *postmodum ex alia parte* Gallæciæ *in ora maris construxit Monasterium* Pheonense. *Et dum multa intentio esset nauigandi in mare, in longinquo Ponti pelago, non grandem reperit insulam; vbi dum concupisset cum Dei iuuamine fundare Monasterium, egredientes ad terram, nauiculam per quam transfretauerant, per negligentiam incury Nautæ solutam reliquerunt; & dùm intentè cum discipulis suis sub quadam rupe laboraret, vt aquam dulcem produceret; expleto opere, cùm retransmeare voluissent, impulsu inimici, voluentibus procellis, vident ipsam nauiculam in longinquo Maris freto, inter vndas proiectam. Et dum omnes eius discipuli, facta sibi facultatis desperatione, se graui mœrore deprimerent, ipse verò oratione facta, se in tam longinquo maris pelago solus proiecit. Illi autem duplo luctu, & eiulatu amarissimè perstrepebant. Et illius periculum formidantes, & suum interitum deplorantes, cùm iam præ nimia longinquitate, ab oculis eorum absconderetur, & in integram ruerent desperationem; post multa horarum spatia, procul intuentes, vident ipsam Nauiculam paulisper propinquare. Postquam viciniùs adplicuit, cernunt eum in eadem sedentem, & cum gaudio remeantem; quem cum summa lætitia recipientes, transfretauerunt cum exultatione. Ad eandem demum regrediens Insulam, in qua eum incipientem sancti operis principium, inuidus, atque iniquus impedire dudum tentauerat inimicus, promissum cum Dei iuuamine construit Monasterium, solitéque exercitio illud dedicans, strenuè reliquit munitum.*

Palatini ad eum confugiunt. §. VII. Rumore *eximia sanctitatis eius enixiùs crebrescente, multæ idoneæ, ac nobiles personæ, etiam de palatio, seruitium Regis relinquentes ad eius sacratissimam sitienter confugerunt disciplinam. Ex quibus plerique ad Pontificalem, duce Domino, conscenderunt honorem. Inter quos vnius sophismæ, intelligentiaque peritiam indeptus, nomine* Teudisilus, *opitulante Domino, atque sæpè dicti* Beatissimi, *suffragante præsidio, in abditissima solitudine, in locum qui nuncupatur* Castrum-Leonis, *egregium ædificauit Monasterium, & in ipso permansit vsque ad finis sui terminum.*

Alia extruit Monasteria. §. VIII. Igitur *Beatissimus* Fructuosus *sese Domino nimium ab ineunte ætate charum exhibuit. Post hac denique contemptus inlecebris mundialibus*

mundialibus [manifestans] *omnem eximij sui patrimonij copiam Ecclesiis Sanctis, libertis suis, atque pauperibus erogauit. Dein ad eremi pertendens loca, monasteria plurima fundauit, in quibus multas animas Monachorum, per bonam conuersationem, & sanctam disciplinam erudiuit; ipse verò dùm ibi cœnobiali ritu cunctis commorantibus modum rectæ vitæ constituisset, & aliquandiù illic deguisset, deuitans frequentes populi concursus, abditissima eremi loca petit, ac frondosis, secretisque nemoribus, se occuli studuit, vt nunc altissimis locis, nunc densissimis syluis, nunc etiam rupibus, quæ solis ibicibus peruiæ sunt, latebrando latitans, vt non humanis, sed diuinis oculis cerneretur.*

§. IX. Sed *dum, opitulante Domino, idem Vir Sanctus irreprehensibiliter eremiticam perageret vitam, cùmque multi diligenter crebrissima visitatione requirerent, & non reperissent; idem Vir nigras, paruásque aues, quas vsitato nomine vulgus* Gragulas *vocitat, mansuetas in Monasterio habuisse perhibetur. Quæ prætendentes volatum per diuersas partes syluarum, eo vsque volitantes perquirebant, quousque repertum, cunctis inquirentibus, eius sanctas latebras suis garrulis vocibus proderent, atque omnibus propalarent. Tunc deinde vniuersi ad eundem Virum cum gaudio magno properabant. Denique sicut suprà diximus multis miraculorum signis crebrè effulsit, & miro virtutum opere, adiuuante diuino adminiculo, sæpissimè coruscauit. Ex quibus sacris virtutibus, opitulante Deo, iam nunc aliquid fari incipiamus.* Propalatur ab Auibus.

§. X. Quadam *namque die, vt fertur, venantium turba cum canibus damulam persequebantur. Iam quidem multo spatio victa bestiola, cùm vndique campis latè patentibus mortem imminere suam cerneret, ita vt penè iam ab ipsis canibus comprehenderetur, sæuísque eorum morsibus decerperetur. Idem quoque Viri Dei iter suum, incognita venantium causa, peragebat. Ipsa nimirum bestiola dùm iam nullum vspiam sibi conspiceret adesse perfugium, mox vt vidit Virum Dei, illicò sibi ab eo defensionem propositam, protinus ad percipienda vitæ suffragia, incunctanter sub eiusdem Viri Dei amphibalum ingressus est. Quam ille statim ab omni improborum hominum persecutione defendit. Mox etiam canes procul abigi iussit, atque ad Monasterium eam secum, sua sponte venientem perduxit. Quæ (vt dicitur) tantùm ab illa die mansueta effecta est, vt vbicumque ille abiret, eam nullus de eius vestigijs disiungere valeret. Sed si vel paululùm ab ea recederet, nunquam balare, aut vocibus strepere cessaret, quousque ad eam denuò rediret. Nimirum tanta erat mansuetudinis, vt veniens frequenter in lectulum, ad pedes eius recubaret. Quam ille in syluam è Monasterio dimittere iussit. Illa verò non immemor tanti beneficij gratia, syluam, quæ eam nutrierat, contemnebat, & ad liberatoris sui præsentiam ociùs occurrebat. In tantum scilicet, vt si ille in quemquam profectus fuisset locum, suis eum vestigijs, quousque reperiret, per longum itineris spatium prosequeretur. Cúmque diutissimè hoc ageretur, cœpit in loco eodem tantæ virtutis longè, latéque fama crebrescere. Sed quia antiquus hostis, vnde bonos cerneret enitescere ad gloriam, inde peruersos per inuidiam rapit ad pœnam, quidam namque iuuenis vesaniæ spiritu inflatus, imò potiùs inuidiæ igne succensus, desistente Sanctissimo Viro, ipsam bestiunculam morsibus canum interemit. Sed cùm post aliquot dies Sanctissimus Vir ad Monasterium fuisset regressus, solicitè requisiuit; Quidnam causæ esset cur caprea sua ei solito more tunc minimè occurreret? Cui protinus dictum est, quia dùm in pascuis syluarum fuisset ingressa, veniens puer, ille interemit eam. Qui mox genua sua summo cum dolore, in conspectu Domini flectens, semetipsum in pauimentum prostrauit, sed nutu Dei, illicò inferre non distulit supplicium præsens diuinæ Maiestatis seuerissima vltio. Ipse ille iuuenis graui febrium langore statim correptus, mox ab eo flagitare per internuntios cœpit, vt pro se Dominum supplicaret, ne iuxta suam pessimam temeritatem, di-*

Damulam à canibus fatigatam protegit.

Miraculū.

uina perculſus vltione, crudeli exitu, vitam finiret. At ille ſtatim ad eum profectus Domini implorauit miſericordiam, ac manum ſuam ſuper eum poſuit, & illic ægroto ipſo, non ſolum priſtinam reddidit ſanitatem; verumetiam, & animæ eius infirmitates ſacra Oratione curauit.

Aliud miraculum.

§. XI. Aliud *quoque ſummæ patientiæ miraculum, narrante quodam fideli viro comperimus, qui nobis retulit, ſupradictum Virum almum quadam die cum cæteris comitibus ſui itineris, per loca, quæ vrbi* Eltaniæ *contigua ſunt, pergeret, atque prouinciæ* Luſitaniæ *eximiam vrbem* Emeritam, *ob deſiderium Virginis* Eulaliæ, *peteret; quatenus inibi ſacra vota mentis ſuæ ſacratiſſimis perſolueret cordis ſui adfectibus, vt fuſit in conſpectu Dei, dulcifluis precibus perceptiſque à Domini Ieſu-Chriſti largiflua pietate poſtulationis effectibus, ad Inſulam, quæ in territorio* Gaditano *ſita eſt properans, aduiente Domino perueniret. Sed, vt ſupra diximus, dùm in* Eltaniæ *partibus, viæ ſuæ caperet iter, accidit, vt cuncti qui in collegio Beatiſſimi Viri iter agebant, paululum præcederent. Ipſe verò ſubſiſtens in abdito nemorum, ſyluarúmque denſarum ſecretiſſimo loco, paulìſper orationibus incubuit; qui dum homo proſtratus iaceret, antiquus hoſtis omnium bonorum ſemper inuidus, quemdam ruſticum, ac plebeium virum, confeſtim ad locum in quo Vir Dei orabat, furibundum perduxit. Qui dùm Virum Dei eminùs vidiſſet, eúmque ſingularem, vili habitu, excalceatis, nudíſque pedibus, inter fruteta conſpexiſſet, vt ſeſe habet ruſtica mens, eum ex vilitate cultus contemnens, ad eundem Virum, temeritate inſaniæ fretus, propiùs acceſſit, eúmque fugitiuum exiſtimans, procacioribus verbis conuiciando, laceſſiuit, ac nihil cunctatus, idem ruſticus petulanter multis contumelijs verborum ei obiurgauit. Sed dum Vir Dei reſpondens, tranquilla mente, diceret:* Planè fugitiuus non ſum. *Et ille è contrario fugitiuum omnibus modis eſſe perhiberet, & eo vſque inſtinctu diaboli irritatus eſt, vt eum vecte, quem geſtabat manibus, ictu verberaret. Quod cùm Vir Dei patienter ſuſtineret, & ille percutere non deſiſteret, mox ei ſignum Crucis fecit, ſtatim ruſticum dæmon in terra adliſit, atque ante pedes S. Viri reſupinum currere fecit. Et eo vſque debacchando laniauit, quovſque eum in proprio ſanguine inuolutum crudeliter diſcerpens, cruentaret. Sed Vir Dei Sanctus, protinus orauit, & priſtinæ eum ſanitati abſque vlla difficultate reſtituit.*

Aliud miraculum.

§. XII. Nunc *igitur non priſca, ſed moderna; non vetera, ſed nouella; non vanis quibuſlibet fabulis facta, ſed miracula veritatis indicio declarata, narrãte Venerabili Viro* Benenato *Presbytero, quemadmodum geſta ſunt, & veraciter comperimus. Et ob hoc huius in paginiola ſeriem breuiter, ſicut ad nos perlata ſunt, adnotari, omni cum veritatis ſtudio procurabimus. Denique iam dictus fideliſſimus Vir retulit, dicens: Dum de prouincia Luſitania cum Sanctiſſimo Viro* FRVCTVOSO *ad prouinciam* Bæticam *pergerem, & imbriferi aëres immenſas, ac iuges pluuias, vtpotè hyemis tempore, per multos dies, indeſinenter exhiberent, & ex multitudine imbrium, nimiùm flumina excreuiſſent, accidit die quadam, puerulum cum caballo, qui codices ipſius Viri Dei geſtabat, dum tranſmeare cum cæteris collegis ſuis nititur, in amnis fluenta profundiſſima cecidiſſe, & diutiſſimè barathro gurgitum cum ipſis libris demerſum fuiſſe. Tandem igitur, ſuffragante Domino, à lympharum diſcrimine ereptus, & crepidine aluei, madefactus licet, pertingere tamen meruit incolumis. Idem autem S. Vir paulò pòſt eos pede proprio, vt ei ſemper mos erat, abſque vehiculi iuuamine properauit. Cúmque ad ſuos perueniſſet comites, dictum eſt illi, quòd omnes codices in aquam cecidiſſent. Ille verò in nullo penitus commotus, ſereno vultu, hilaríque facie, abſque aliqua mæſtitia eijci de marſupijs, & ſibi præſentari præcepit. Sed ita eos reperit ſiccos, vt illos fluuialis liquor nullo modo contigiſſet, nec madidus humor, vel tenuiter, facere potuiſſet.*

Miraculū aliud.

§. XIII. Aliud *quoque mirabile factum, quo à supradicto Viro referente cognoui, silentio occultare non debeo. Quadam die, ipse* B. FRVCTVOSVS *deuotionis implendæ gratia, de Ciuitate* Spalensi *ad* Basilicam *S. Gerontij nauigio profectus est. Dùm ibidem desiderij sui vota aduitente Domino, deuotus persoluisset, & vesperascente die, iterum redire, vnde venerat, disposuisset, Nautæ ipsi, qui per longa spatia pelagi nauim gubernauerant, fessi labore nauigij, non solum quòd vires ad gubernandam nauim non habere se dixerunt; verumetiam quod diei pars extrema iam superesset, cœperunt querimoniari. Quibus ille ait:* Deprecor vos, vt accipiatis paululum cibi in refectionem, & quia lassi estis, vel paululum quiescatis, dum & ego officij mei impleo cursum. Nam & hoc quæro, vt remos huius nauis tollatis, & sic paululum dormiatis. *Quibus statim obedientibus, & iuxta præceptum remos nauiculæ auferentibus, & etiam dormientibus, illicò Sanctiss. Vir orans, & officium sacrum cum fratribus suis perfungens, nullo homine nauim contingente, sed Dei sola manu gubernante, ad vlteriorem amnis ripam celeriter transmeauit. Nautæ verò subito expergefacti superuacuas eidem Viro inferebant querelas, dicentes:* Transfretemus iam, quia inter noctis tenebras non bene possumus nauigare. *Quibus ille ait:* Nolite ô filioli vos fatigare, quia absque vestro labore, Dominus nos quò desiderabamus iam perduxit. *Qui cùm surrexissent, atque se in vlteram partem fluminis esse conspexissent, obstupefacti, turbatique mirabantur quidnam fecisset Deus.*

Pluuiam detinet.

§. XIV. Nam, *& aliud retulit, quod omnibus modis verum esse adfirmauit, dicens: Quadam Dominica die dum imbres procellosi inæstimabiliter essent, idem Sanctiss. Vir de Ciuitate* Spalense, *ad* insulam, *quæ sita est in territorio* Gaditano *pergebat. Quem dùm multi Ciues præfatæ Ciuitatis, & etiam Antistes ipsius vrbis, obnixè ibidem retinere vellent, vel quia Dominicus dies erat, vel certè quia aeris non erat temperies, si non amplius, saltem vsque post Missam, inibi sustinere annueret, quibus ille taliter respondisse fertur.* Nolite obsecro me retinere, quia Dominus direxit viam meam, sed si propter meam iniuriam satagitis, & aliquid pro ista pluuia formidatis, certissimè sciatis, quia hodie amplius pluuia, quàm vsque ad secundam diei horam, non erit. *Quod ita gestum omnes viderunt, qui præsentes erant. Et postquam ille hora secunda nauem conscendit, statim pluuia desiit, & vsque in quartum diem, quandiu ad locum, quò tendebat, peraccederet, non pluit, sed tribus diebus, iuxta quod prædixerat multa tranquillitas fuit. Vnde conijcere possumus, quia tandiu minimè pluit, quandiu S. Vir nauigans, in locum destinatam perueniret. Cúmque præfatam, suffragante Domino,* Gaditanam *ingressus fuisset Insulam ex alia parte, quasi Sol oriens inluminaturus* Spaniam, *ædificauit Sanctum, ope Domini, Monasterium; solitisque, cœnobiali ritu, regularis illud instruxit exercitij rudimentis.*

Cœnobium Nonense construit.

§. XV. Denique *in abdita, vastáque, & à mundana habitatione remota, solitudine, præcipuum, & mira magnitudinis, egregium fundauit cum Dei iuuamine cœnobium, & quod ab ora maris* IX. M. *distet, & nomen dedit* NONVM, *sicut à Religioso Viro* Iuliano *Presbytero, qui in eodem cœnobio adoleuit, ex paruulo; fideli narratione cognoui. Breuiter intimabo tanti gloriosissimi, & incomparabilis viri, titulo fulgoris radiantis exempla meritorum. Ita ardore fidei accendit animos populorum, vt cateruatim vndique concurrentium agmina conuersorum, immensus fieret chorus. Et nisi Dux exercitus illius prouinciæ, Regi reclamasset, vt aliquantulum prohiberetur, quia non erant personæ, quæ in expeditione publica proficiscerentur, innumerabilis sine dubio congregaretur exercitus Monachorum; ita vt non solùm virorum, sed etiam animi inflammarentur fœminarum. Et cum in eodem sancta Congregationis loco accedendi aditus non esset mulierum; ordinem referam quemadmodum facta est Congregatio Puellarum.*

§. XVI.

S. Benedicta monasticum ingreditur Ordinem.

§. XVI. Quædam *Virgo Sacratissima*, *nomine* Benedicta, *claro genere exorta, atque ex* Gardingo *Regis sponsa, ardore fidei, & flamma ardoris Sanctæ religionis succensa, à suis occultè fugiens parentibus, sola ingressa est diuersa eremi loca, & sic imperuia, & ignota, errando deserta, tandem, duce Domino, appropinquauit ad Sanctam Cœnobij congregationem. Non audens peraccedere, sed procul in deserto persistens, suggessit per internuntios S. Dei Viro, vt Ouem errantem de Luporum faucibus liberaret, & in viam salutis dirigeret, & animam quærentem Dominum spiritualibus disciplinis institueret, qualiter hoc à Domino, qui Ouem perditam humeris suis reportauit, accepisset. Ille vero hæc audiens immensas Omnipotenti Domino retulit gratias, & iussit ei, vt in eadem deserti sylua paruam faceret mansiunculam. Et vt præfatus Vir referebat, quia de senioribus nullus ad eam appropinquare audebat, sed ex nobis paruulis, vnusquisque vice sua, illi literas ostendebat, & substantiam ministrabat, & ita cum multa coniuratione suggessit, vt nunquam illi cibus aliquis portaretur, nisi cùm Beatiss. Vir, licet media nocte, reficeretur, & ab eo sanctificatus illi dirigeretur. Hæc nempè spiritualibus studijs edocta diligenter, cùm eius fama per diuersas terras fuisset laudabiliter propalata, tantus desiderij amor inflammabat cæteras diuersorum filias, vt vndique alacriter confluerent eximiæ fœminarum cateruæ, ita vt intra breue temporis spatium* Octogenarius *in Congregatione numerus Sacrarum Virginum compleretur. Quibus, in alia solitudine, more solito, construit Monasterium. Tanta itaque in vtroque sexu almifica florebat sanctitas, atque eximia crescebat fama perfectionum, vt viri cum filijs suis ad sanctam se conuerterent Congregationem Monachorum. Matronæ verò earum cum filiabus suis Sancto se sociarent consortio puellarum. Sponsus verò sæpè dictæ Virginis Domnæ* Benedictæ *cum dolore, & mærore ingenti flebiliter aduersus eam, immissus perfidia laboris inuidia inimici suggessit Regi. Sicque de præsentia Regis leuauit iudicem, qui inter eos examinaret iudicij veritatem, Comitem nomine* Angelate, *qui veniens ad Monasterium Virginum Regia procinctus auctoritate, compulit Præpositam Virginum, vt præfatam Virginem de Congregatione secernens, præsentaret, qualiter Sponso suo responderet. Quæ cùm violenter fuisset egressa, ita oculos in cælum intendens, recitando intra se insistebat, vt faciem illius minimè videret. Cùmque ille aduersùs eam assereret, ita per gratiam Domini, Spiritu Sancto repleta, cum paucis adclusit verbis, vt vltra ei quid diceret non haberet. Tunc ipse Iudex dixit:* Dimitte eam Domino seruire, & quære tibi aliam vxorem. *Posthac eandem Sanctissimam Virginem iussit diuina pietas, intra breue temporis spatium, de hoc seculo migrare. Ita factum est per ineffabilem Domini electionem, vt quæ in sancta conuersatione cunctarum Sacrarum Virginum illarum præcesserat chorum, præcederet & in sancta conuersatione, ad supernam gloriam Regni cælorum, per eum, qui viuit, & regnat in sæcula sæculorum Amen.*

Beatissimus verò FRVCTVOSVS, *qui exemplo suo excellentissima Sanctitudinis coruscante, splēdiflua claritate cunctam illuminasset Spaniam atque per singulas diuersarum regionum Congregationes Monachorum, ad instar innocui cordis sui, perfectorum enutrisset agmina discipulorum, ita vt vsque hodie nuperrimè conuertentes, per ordinem priorum decedentium Sanctorum, inuicem suscipientes illius antiqua, quasi hodierna floreant, exempla, & vsque in finem mundi fructus eius operis gignat, & gloriosa semper innouetur memoria, atque in regno cælorum, gregis ipsius multiplicentur quotidie agmina copiosa.*

Ierosolymā ire parat, sed à Rege detinetur.

§. XVII. Postquam *autem cunctam Sancti operis sui deuotionem, suffragante superna virtutis opitulatione, ad summam perduxit perfectionem, succendit eum immensus sancti desiderij ardor, vt partem occupans Orientis, nouam arriperet peregrinationem. Cùmque hæc cum paucis electis discipulis clàm pertractasset, & nauem sibi ad sublevationem præparasset,*

quam

quam omni prædestinatione conscendens transfretaret ad Orientem, ab vno proditore detectus discipulo, egressionis aditum non potuit impetrare. Quid multa? Cùm hæc agerentur peruenit ad Regis illius temporis auditum. Formidans igitur Rex, & omnes prudentes, illi familiariter adsistentes, ne talis lux Hispaniam desereret, iussit eum sine aliqua molestiæ perturbatione comprehendere, & ad se vsque producere. Nocte igitur (vt fertur) habitaculi ostium in quo manebat, misit extrinsecus milites cum catenis, qui seras, & claustra obseruarent, vbi insuper custodes permanerent. Cúmque intempesta noctis silentio expergiscerentur Monachi, claustra procul abiecta, ostiaque patefacta cernebant. Ille verò per Sanctas Ecclesias orans securus pietatem Domini deprecabatur.

§. XVIII. Posthæc videlicet, licet inuitus, contra voluntatem suam languoris mœrore depressus, pertinaciter resistendo, de Metropolitana, dono Dei, Ecclesia ordinatus est Pontifex. Tanto igitur suscepto honore, pristinam non deposuit conuersationem, sed in eodem habitu, in eodémque solito abstinentiæ rigore persistens, residuum vitæ suæ tempus in eleemosynarum dispensatione, atque Monasteriorum consummauit ædificatione.

Metropolitanus eligitur Braccarensis.

§. XIX. Iterum inter Braccarensem vrbem, & Dumiense Cœnobium in cacumine modici montis, præcipuum ædificauit Monasterium, vbi Sanctum suum humatum est corpus. Tanta illi fuit intentio in Sanctarum Ecclesiarum ædificationem, sicut Viri Domini Cassiani Abbatis, eius primi discipuli relatione cognoui, vt cùm ante multum temporis suum præcognouisset, Sanctum imminere obitum, & cùm multa illi esset cœpta operatio ædificationum, propinquantem vitæ præsentis Occasum, non solum diuturno tempore, sine intermissione operabatur, sed etiam nocturnis horis, lampadibus accensis, in eodem opere perseuerabat, ne de hoc seculo discedens, opus Sanctum relinqueret imperfectum. Sicque, ope diuina adiutus, cuncta quæ fideliter cœperat, diligentia consummauit, & honorabiliter dedicauit.

Cœnobium pro sepulchro ædificat.

§. XX. Finis quippe termino propinquante, febre correptus, & cùm per aliquos dies vi febrium teneretur, quadam die supputans tempus, à quo illi finis suus dudùm fuerat præsagitus, inuênit ipsum instare diem, quo de hoc seculo erat migraturus, & nuntiauit adstantibus. Cunctis autem flentibus, solus ille exultabat, quia proculdubio sciebat, quòd ad cælestem sempiternámque gloriam properabat. Interrogantibus discipulis, si timeret mortem, respondit: Non timeo planè, scio enim, quia etsi peccator, ad præsentiam Domini mei ambuló. Posthæc iussit se ad Ecclesiam deportari. Et cùm iam domus suæ omnia haberet ordinata, vnum vernulam suum nomine Decentium, qui illi benè à paruulo seruierat, iussit vocari, & imponens ei manum, ordinauit eum Abbatem in præcipuum Turonij Monasterium. Sic denique accepta legitimè pœnitentia, non est egressus de Ecclesia, nisi ibi ante sacrum prostratus Altare, iacuit diem illum, & totum noctis spatium. At exurgente lucis crepusculo, expandens manus ad orationem, suum immaculatum & Sanctam in manibus Domini tradidit spiritum, qui Sanctos suos coronat per bonam confessionem. Ad Sacratissimum Sancti corporis eius sepulchrum, euntibus cunctis, perseuerant signa virtutis; nam & infirmi ibi sanantur, & dæmones effugantur, & quicumque mœrens eius inuictum postulat auxilium, statim plenum à Domino petitionis suæ consequitur fructum; præstante Domino Nostro Iesu-Christo, qui cum Deo Patre, & Sancto Spiritu, viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

S. Fructuosi obitus.

En Acta ex MS. antiquissimo, quæ D. Prudent Sandoual edidit; sed alia melioris notæ ad manus nostras deuenêre. Vtraque illius æui farraginem sapiunt; ideò quis eius temporis incuriam non fatetur? Quæ in hisce actis adnotanda, & supplenda veniunt, breui periodo perstringam.

De S. FRVCTVOSI nomine, & persona, variè inter Doctores historicos disceptatur. Hugo Menard. *in Not. ad Regul. S. Benedict. fol. 62.* tres fuisse FRVCTVOSOS in *Hispania* testatur. Alius est iste Noster. II. FRVCTVOSVS Abbas, absque

Tres Fructuosos Hispanos refert Hugo Menardus.

que vlla infulæ dignitate. III. Segobiensis, & ipsius vrbis patronus. At in vltimo fallitur, qui non FRVCTVOSVS, sed FRVCTVS appellatur. Circa habitus receptionem, apud Palentinam vrbem à S. Tonantio ipsius ciuitatis Episcopo, perfectam fuisse contendit D. Roder. de Acuña *Hist. Braccar.* 1. *p. c.* 86. *fol.* 360. *col.* 4. A quo hauserit nondum diuino. Illud scio quod Iulian. Petr. *in Aduers.* 510. *fol.* 119. agens de Nostro *S. Fructuoso*, hæc subiicit: *S. FRVCTVOSVS natus est anno D. LXXXV. cùm esset XXII. Annorum, Anno scilicet DC. VII. monachismum professus est* TOLETI *sub* Conantio *Monacho Agaliensi* [post] *Toletano Præsule, Viro doctissimo, Sanctissimóque. Pòst anno DC. X. petijt eremum* Bergidij Flauij, *& iam senior ædificauit Monasterium* Complutense. *Anno DC. XLVI. Rex* Recesuinthus *priuilegio concessit illi multa. Pòst factus est ad annum DC. LV. Episcopus* Dumiensis. *Ad annum DC. LXV. cùm esset LXXXII. annorum præficitur* Braccarensi *Sedi, dormiuit in Domino plenus dierum, & sanctitate.*

Error Acuña circa locum receptionis cucullæ.

Iulianus eius vita acta describit.

Idem Iulianus Petri inter cæteras, quas recollegit epistolas, & publicas fecit *D. D. Laurentius Ramirez de Prado* post Luitprandi Aduersaria *fol.* 524. sequentem S. FRVCTVOSI ad *Recesuinthum* Regem, pro liberandis culpatis, qui vincti tenebantur catenis alligati à tempore Regis *Sisenandi*, refert:

GLORIOSISSIMO PRINCIPI, REGI FLAVIO RECESVINTHO Domino clementissimo, FRVCTVOSVS *Episcopus Braccar. S. in Domino.*

Vereor ne sæpè suggerendo gloriæ vestræ fastigium congerens lassem; sed amplius metuo, ne, si reticeam, clementiæ vestræ partibus (quod Deus non faciat) dispendium acquiram. Nec enim illud Apostolicum memorans, quod ait: *Inimicus factus sum, verum dicens vobis,* impietatis Nostræ iurgia, atque inimicitias paueo; præsertim, cum misericordissimum Serenitatis vestræ animum, non turgidum, & superbum; sed potiùs iuxta Christianæ compassionis ritum, & præceptum Dominicum, nouerim clementissimum, & miserationis visceribus plenissimum permanere refertum; idque omnibus modis cupere, agere, quòd cunctis communiter miseris valeat prodesse. Mi semper Domine, atque piissime suggerere piè amo, ego miserrimus, & ignobilissimus bonum; iustum tuum non putaueris infringi. Etenim iam illud apud Dominum solidatum est, atque firmatum; tuæ præterea mercedis, & misericordiæ permanet lucrum. Impendet congrua miseris tuæ beneuolentiæ pietas; nullum vult tua clementia, quātumlibet noxium, reddere extorrem; sed superet se tua benignitas contra malitias hominum, & parcat periturisq cùm parcit consuetudo aduenis factis, Christo Domino dicente: *Dimittite, & dimittetur vobis.* Nullius profana suggestio claudat Serenitatis vestræ præcordia ad parcendum, in hoc enim Genitoris vestri cruciamina, & delictorum vestrorum maculas abluitis. Si Christo Domino fauente, impediatis miserorum discrimina, & catenatorum vincula leuigetis, frustra iuramentum causa impietatis obtenditur; quod pro certo Christi sermonibus contrarium adponitur. Nulla fides est, quæ bonorum operum, & misericordiæ adfectu caret. *Nisi remiseritis fratribus vestris* (inquit Dominus) *ex cordibus vestris, neque Pater vester cælestis, remittet vobis peccata vestra.* Dimittat necesse est alieno, qui se velit explicare à peculiari delicto. Et quia nullus est, qui glorietur se habere castum cor, & non est mundus à delicto, quantumlibet iusti hominis conscientia, super terram, cur perfidiæ crudelitatem nititur admisceri? Et qui peccare iubentur inimicis, miror, vt quid tantis ingerantur, per sæuitiam in afflictis, vt ipsum diuturnæ seruationis,

Luc. 6.

Matth. 6.

& constrictionis impressione domatis, quibus si impium iuramenti facinus abrogat misericordiæ bonum, Regali saltem, vel Sacerdotali elementiæ valde contrarium est, vt abdicetur indulgentiæ patrocinium, cum crudeli huiusmodi suggestione. Et tu mihi post Deum, sinceriter, & specialiter, amantissime Domine, & veneratissimi, & Sanctissimi Patres, & famuli vestri Pontifices Dei tuleritis: cùm Iudex mundi seculum per ignem iudicare mundum aduenerit, ipse videbis: Concedat ipse pius, & vestram in his causis Serenitatem agere, pro quibus non confusionis sententiam, sed gloriam percipiatis æternam.

Ad istius Epistolæ calcem *D. D. Laurentius Ramirez* notat, quod: *Multa desunt, quæ coniectorem Oedipum postulent. Dictio ipsa salebrosa ex sese, ab imperitis sciolisque exscriptoribus obscurior est reddita.*

Circa Episcopatus infulam omnes fatentur, primum *Dumiensem* induisse, quàm *Metropoliticam*, quod & patet per decretum *Concilij X. Toletani*, vbi propter incontinentiam exauctorato de Sede Braccarensi *Potamio*, in eius locum FRVCTVOSVS sufficitur. En Concilij verba: *Tunc venerabilem* FRVCTVOSVM *Ecclesiæ* DVMIENSIS *Episcopum, communi omnium Nostrûm electione constituimus Ecclesiæ* BRACCARENSIS *gubernacula continere.* Quod & Iulianus Petr. *in d. Adu. num.* 510. probat illis verbis: *Post factus est ad Annum* DC. LV. *Episcopus* Dumiensis: *ad Annum* DC. LXV. *cum esset* LXXXII. *Annorum præfectus* Braccarensi *Sedi dormiuit in Domino.* D. Garf. Loaysa *in Not. ad Concil. Toletan. X. in subscription. fol.* 504. omnia his verbis recenset: FRVCTVOSVS *ex Regio Gothorum sanguine ortus, Ducis filius, Episcopi Palentini Tonantij discipulus, multorum Monasteriorum conditor & pater, ex* Complutensi *Abbate, cùm Monasterium exædificauerat ad* Virgidiensem *tractum* Iusti, *&* Pastoris *martyrum nomine* Dumiensis Episcopus *creatus; in Potamij deiecti locum subrogatus*, Braccarensis *Ecclesiæ curam suscepit.* Cauendum est libris Iuliani editis in quibus tot errores, quot literæ. Nam vbi legitur: Rex RECESVINTVS, reponendum est CHINDASVINTVS, *priuilegio concessit illi multa.* Et optimè; en Priuilegij tenor.

Primò fuit Dumiensis; pòst Braccarensis Episcopus.

Error in Codice edito Iuliani.

PRIVILEGIVM CHINDASVINTI Regis Gothorum, concessum S. FRVCTVOSO *Abbati.*

DOMNIS Sanctis, Gloriosissimis, mihique post Deum, fortissimis Patronis, SS. Martyrum IVSTI & PASTORIS, siuè S. MARIÆ, & S. Martini Episcopi, quorum Basilica, vel Monasterium situm est, iuxta riuulum qui dicitur Molina, sub monte Irago, in confinio Vergidensi, & est fundatum * à te FRVCTVOSO Abbate, EGO CHINDASVINTVS Rex, & Reciberga Regina. Nihil Deo cœlorum in cunctis terrenis, atque cœlestibus creaturis deesse videtur, quod non creatum possideat, aut quod possessum gubernatione propriâ non disponat, & ideò si eius opificio condita, & ordinata sunt vniuersa; quid Deo dignum possumus offerre, qui ab eo accepimus statum vitæ; & tamen quia ipse promittit placari se posse sacrificio humilitatis, spe eâ; quam de manu eius accepimus, gratissima deuotione, lætemur. Dominus Noster IESVS-CHRISTVS, qui est bonâ voluntate largitor, & ipsius bonæ largitionis verus amator, ipse nobis tradidit in mandato, sectando Ecclesiastica iura, veteris hominis viam facere, & ipsius Nostri Redemptoris vestigia sequi, eiúsque ex animo præceptis obedientes existere, ostendens talibus monitis, vt qui errantes improuidè, cæci fueramus in tenebris mortis, luce gratiæ eius illuminemur, vt ipso duce Domino, & rectore, vitæ directum gradiamur iter, quod nobis, suis salutaribus tradidit monitis. Et quia obseruatio mandatorum eius, vitam adquirit æternam, probans ipse, qui dicit: Si vis

* *In meo Cod. M.S, in alijs:* Fũdamentũ; *sed perperam.*

venire ad vitam, ferua mandata. Et iterum: Si feceritis, quæ mando vobis, iam non dico vos feruos, fed amicos. Seruatores enim mandatorum ipfe in fua fide fortiffimos reddit; ipfe ftabiles efficit; ipfe, & fui timoris ab omni operis monimento facit locupletes. Cuncta enim bona, quæ in fuis fidelibus iuffit inhærere, de fui fancti timoris magnitudine fecit initium fumere, ficut fcriptum eft: Principium fapientiæ timor Domini. Et iterum: Timor Domini principium religiofitatis. De timore enim Domini nafcitur S. Spiritus fructus, qui eft religionis omnimodæ decus. Vnde per huius timoris Domini largitatem, & pro veftræ venerationis honore, iuxta decreta Catholicæ & Apoftolicæ difciplinæ, & iuxta facrorum canonum inftitutionem, adhibito bonæ deliberationis tractatu cum cunctis in Christo, pro S. Ordine inftituimus decretum, quatenus locum ipfum venerabilem Ecclefiæ veftræ, Domino ædificatum, per rùas Beate manus Sanctiffime FRVCTVOSE Abbas, Regali profapiâ exorte, ipfum locum fupra nominatum tuis fatis magnis hæreditatibus, noftra tamen auctoritas non decet abeffe. Scimus enim ipfum Monafterium fupra nominatum nomine Complutum in honorem SS. Martyrum Iufti, & Paftoris, quorum Nos confidimus patrocinio adiuuari, effe conftructum, ideo cautamus, & concedimus, atque donamus ad ipfum Monafterium Complutum fupra nominatum, & tibi Sanctiffimo FRVCTVOSO Abbati, in opus Monachorum, Anachoretarum, Eremitarum, & omnium ibidem Deo feruientium, ipfos Montes, & Valles ab integro, per terminos vbi nafcitur Fons-fridus, fub Montes, quos nuncupant Bezerril, ficuti difcurrunt per ipfos Valles, & ficut nafcitur riuulus de Molina, de parte de foras, vfque ad terminum, qui exiit ad ftratam de Irago, per roboretum de Equa; & quomodo difcurrit ipfa ftrata vfque in Valle de Gonies, & inde exiit per ipfas conualles, vfque in Tablatello, & de parte de Salas per terminum quomodo difcurrit riuulus Etrata, vfque ad Ixarralem de Portello de Scalios, deinde quomodo concludit ipfa Karral, quovfque in Petrafita, & quomodo vadit ipfa via per foueam de Paradifo, vfque vbi iterum nafcitur Fons-fridus; dàmus, atque concedimus, & confirmamus ipfos montes, & ipfas valles ab integro per terminos fupra nominatos, & quidquid infra concluditur. Offerimus vafa Altaris; calicem argenteum, & patenam, crucem argenteam fimiliter, deauratam; veftimenta Altaris omnia ad plenum, fiue frontalia, fiue principalia; fignum fufile æneum bonæ modulationis demulcens auditum. Item in thefauro Ecclefiæ offerimus Libros Ecclefiafticos, ideft Pfalterium, & Dialogorum, & Paffionum. Si quis igitur deinceps, & fubfequentibus huius mundi temporibus, tàm à Pontificibus Ecclefiæ, quàm Comes, Iudex, Princeps, Abbas, Monachus, Presbyter, Laicus, vel cuiuflibet generis homo, & ordinis pro huius decreti noftri infringendo robore, aut inculcando ordine, quocumque conatu, vel aufu temerariæ præfumptionis inuafor voluerit infurgere, aut de loco Ecclefiæ veftræ Monafticam traditionem, aut Regulæ fanctæ conftitutionem voluerit euellere, & conaueriт agere contra Apoftolicum documentum, & Patrum præceptum, quod in ifto eft inftitutum decretum: quicumque fuerit ille, fit anathema in confpectu Dei Patris Omnipotentis, & Sanctorum Angelorum eius, & fit condemnatus, & perpetuâ vltione percuffus in confpectu D.N. Iefu-Chrifti, & Sanctorum Apoftolorum eius; & fit etiam in confpectu S. Spiritus & Martyrum eius repetito anathemate maranata, id eft duplici perditione damnatus; vt etiam de hoc feculo, ficut Dathan etiam, & Abyron viuus terræ continuò abforbeatur lacu, & tartareas pœnas cum Iuda Chrifti proditore perenni torqueatur cruciatu; & infuper inferat parti meæ, partique veftræ ipfum Mona-

fterium

ſterium duplicatum, vel triplicatum. Facta carthula teſtamenti die XV. Nouembrium. Era DC. LXXXIV.

Ego Chindaſuintus Rex hanc ſeriem teſtamenti quam elegi fieri: Confirmo.
Ego Reciberga Regina hanc ſeriem teſtamenti, Conf.
Ego Eugenius Toletanæ Eccl. Metropol. Conf.
Candidatus Aſturicenſis Epiſcop. Conf.
Vaſconius Lucenſis Eccleſiæ Epiſcop. Conf.
Odoagius Comes Cubiculariorum. Conf.
Euantius Comes Scantiarum. Conf.
Richila Comes Patrimoniorum. Conf.
Eumenfredus Comes Spatariorum. Conf.
Fugitiuus Abb. | Ildephonſus Abb.
Anatholius Abb. | Si..pronius Abb.
Euſicius Abb. | Notarius Regis.

Hæc eſt ex antiquiſſimis Hiſpaniæ ſcripturis antiquiſſima, quam ex Codice MS. *Garſiæ de Loayſa* excripſimus, puriorem, & genuinam, quàm illæ, quas ediderunt Sandoual *in Fundat. Monaſter. Caſtell. in Mon. S. Petr. Mont.* §. 2. *fol.* 16. & Anton. Yep. in *Chron. Ben. tom.* 2. *Cent.* 2. *Scriptur.* 13.

QVATENVS ad Oppidum ſeu locum, quo natus fuerit S. FRVCTVOSVS hucuſque non liquet, licèt nonnulli coniectationibus tantùm innixi credidère B. Virum natum fuiſſe in *Montanis Aſturicenſibus*, in confinio *Vergidenſi*, vbi pater ſuarum facultatum maximam partem poſſidebat, maximè pecorum, & armentorum, & his ſimilium gregum. Ita D. Roder. de Acuñ. *Hiſt. Braccarenſ. d.* 1. *p. c.* 85. Sed ſaluâ eius, & aliorum pace, affirmatiuè teneo, S. FRVCTVOSVM natum fuiſſe apud *Toletum*, ibidémque educatum, & in *Palatio* ſecularibus ſplendoribus excultum, & patre mortuo, ſub *Conantio Abbate Agalienſi*, pòſt Epiſcopo *Toletano*, in Regula Monaſtica inſtructum, cucullâ indutum, & coram ipſo profeſſum. Huius noſtræ ſententiæ ſpecimen validis argumentis, & monumentis probare conabimur, ita vt in reliquum nihil circa hoc quod edifcas, exquiras. Facilè Noſtri ſcriptores aliorum veſtigia ſequentes, haudquaquam ruminant Antiquorum hiſtorias, ideò obtuſis oculis, quaſi oues, primas ſequentes ſaliunt. *Quo loco natus S. Vir, diſceptatur. Perperam apud Vergidium. Probatur natum fuiſſe Toleti.*

I. Fundamentum. Nemo eſt qui dubitet, Parentes S. Abbatis fuiſſe ex *Regio ſanguine* progenitos, vt probant S. Valer. *in eius Vit.* §. 1. & Chindaſuint. *in Priuileg. ſuperius relato.* Omnes verò *Palatini* de *ſtirpe Regia* tempore Gothorum (exceptis *Ducibus Prouinciarum*, qui illas nomine Regum adminiſtrabant, & exercituum *Ducibus*, qui regnum militum præſidiis tuebantur) *Curiam* ſequebantur, vt illa ſplendore nobilium ſplendeſceret, & domus Regia tot Procerum aſſiſtentiâ illuſtraretur, aut forſitan timore rebellionum. Sic Iulian. Toletan. *in Hiſtor. Rebellion. Paul.* quam MS. in Codice *Garſ. de Loayſa* retineo. Ergo Parentes tanquam de *Regio Sanguine* exortos, *Vrbem Regiam* inſequi fatebimur. Hinc apud *Toletum* natum S. Virum, nullus ambiget. *I. Fundamentum.*

II. Quia in huius moris confirmationem & ipſe S. FRVCTVOSVS apud Scriptores *Palatini* nomine conſignatur, vt probat Iulian. *in Schol. Epiſtol. ad Receſuint.* quam refert D. D. Laurent. Ramir. *ad Luitprand. fol.* 525. vbi hæc verba: *Fuit hic* FRVCTVOSVS, Palatinus *nobiliſſimus, relictâ aula delicys, ſecutus eſt vitam Monaſticam.* Ecce S. Virum, *Palatinum*, & in Regum aulâ nutritum, ergo à fortiori apud *Toletum*. *II.*

III. Quia vt ex vitæ S. Præſulis exordio ſuperiùs relatæ, & à *S. Valerio* conſcriptæ, liquet Patrem ſecum duxiſſe FRVCTVOSVM adhuc puerulum, & in *Montana Vergidienſia*, vbi gregem habebat, aduexiſſe; ergo non ibidem natus, ſed ab alio loco ad *Montana* deductus à Patre fuit. Si ab aliqua vrbe, neceſſariò à *Toletana*, vbi Pater domum habebat, cùm Regum Curiam *Palatinus* inſequeretur. *III.*

IV. Quia S. Præſul cum Patre reuerſus eſt *Toletum*, nam eo è viuis ſublato, *Palatium* Regum eſt inſequutus, *vt ſupra fundam.* 1. probauimus, qui *Curia* falla- *IV.*

ciam, & ſeculi errores ruminans, omnia deſpicere, & Chriſtum in ſilentio Religionis exquirere cupiens, ſub *Conantio*, aut *Tonantio* Abbate Agalienſi, pòſt Epiſcopo Toletano, *Toleti* monaſticam regulam amplectitur. Audi Iulian.Petr. *Aduerſ.* 510. *fol.* 119. omnia breuiter complectentem: S. FRVCTVOSVS *natus eſt Anno* D. LXXXV. *Cùm eſſet* XXII. *Annorum anno ſcilicet* DC. VII. Monachiſmum *profeſſus eſt*, TOLETI *ſub* Conantio *Monacho Agalienſi* (poſt) *Toletano Præſule, Viro doctiſſimo, Sanctiſſimóque.* Hinc agnoſces quanto homonymiæ vitio laborarunt D.Prudent. Sandou. *vbi ſupra* §. 1. D.Roder. de Acuñ. *cap.* 86. & aliqui eorum ſequaces, qui nominum æquiuocatione confuſi, inſpectâ in Actis *S.Valerij* clauſulâ: *Tradidit ſe erudiendum ſpiritualibus diſciplinis Sanctiſſimo Viro* Conantio *Epiſcopo*; crediderunt hunc fuiſſe illum Epiſcopum *Palentinum* de quo S.Ildephonſ. *de Vir.Illuſtrib.cap.* 11. & eius memoria ab *Ann.*610. in IV. V. & VI. Conciliis Toletanis, & in Gundemari Decreto; de quo Luitprand. *in Chron. num.*41. Vaſſ. *Ann.*639. Moral. *lib.*12. *cap.*6. Padill. *Cent.*7. *cap.*26. & omnes paſſim. Sed quòd non iſte *Conantius Palentinus*, ſed ille *Monachus Agalienſis*, pòſt Abbas SS. Coſmæ, & Damiani apud *Toletum*, pòſt *Toletanus Antiſtes*, fuerit S. FRVCTVOSI Magiſter, iam ex *Iuliano* produximus, cuius licet auctoritas ſufficeret, attamen alia ad iſthæc probanda coniungemus.

Quòd non potuit S. Virum monaſticam regulã edocere Conãtius Palentinus:

Probatur I. Sit I. Quòd *Conantius Palentinus* nunquam fuit *Monachus*, nec tale quid inuenitur. Quo ergo pacto Regulam Monaſticam FRVCTVOSO impartiretur Epiſcopus, qui illius erat prorſus ignarus?

Probatur II. Sit II. Nam in *S. Valerij Actis*, à quo *Sandoualius*, *Acuña*, & cæteri; haudquaquam *Palentinus Epiſcopus* vocitatur, qui Regulam FRVCTVOSO dedit, ſed tantùm *Conantius Epiſcopus* nominatur. Si ergo per illa tempora alius *Epiſcopus* nomine *Conantius*, qui primò *Monachus* fuiſſet, inueniretur, vt quid non potius iſti, quàm illi eruditionem in Regula Monaſtica, tanquam perito, tribuemus? Nemo eſt qui dubitet *Conantium Monachum Agalienſem*, & *Abbatem*, ſucceſſiſſe *Adelphio* in Sede *Toletana*, & probat Iul. *in Chron. num.*312. his verbis: *Adelphio ſuccedit in Sede Toletana* Conantius, *vel* Venantius, *qui fuit* Abbas *SS. Martyrum Coſmæ, & Damiani.* Et ſubſcribunt *Loayſſa*, & *Tamayo* in *Diptychis Toletanis*. Ergo concurrentibus apud *Toletum*, vrbem Regiam, Curiam Principum, domicilium Procerum, & aulam Palatinorum, exiſtentiâ FRVCTVOSI tanquam *Palatini*, Cœnobiis Monachorum, in quorum altero *Monachus Agalienſis Conantius*, & iſte ab Anno D. CXVIII. Epiſcopus, ad Annum DC. XII. & aliis circunſtantiis inferiùs citandis, vt quid non potiùs à *Toletano*, quàm à *Palentino Conantio*, nec *Monacho*, nec eo anno *Epiſcopo*, inſtructum FRVCTVOSVM in Monaſtica Regula, credemus?

Probatur III. III. Nam Anno DC. VII. ex *Iuliano*, S.Vir, poſt Parentum obitum, *Palatini* munere dimiſſo, ſeſe obtulit *Conantio Epiſcopo*, hic non potuit eſſe *Palentinus*; nam eius Prælatura incepit ad Annum DCX. hoc eſt, Era DC. XLVIII. in decreto *Gundemari*; & probatur ex S.Ildephonſ. *d. cap.* 11. qui eius Epiſcopatum in Anno vltimo *VVitterici*, qui fuit DC. X. vt ex *S. M. Maxim. Mariana*, & aliis probat Roder. Card. *in Max. Not. fol.*215. *lit.P.* ergo non fuit *Conantius Palentinus* qui S.Monachum erudiuit, cùm anno eius conuerſionis, non fuerat *Epiſcopus*.

Fundamentum V. V. Quia in ſæpiùs à me repetito *Codice MS. Carminum*, qui inter *Auli Hali* Poëmata *de Aduentu* S. IACOBI *in Hiſpanias* aſſutus, plurima (Dei prouidentia) ſuppeditauit mihi, adeſt Epigramma ad Noſtrum Sanctiſſimum Præſulem conſcriptum huiuſmodi:

PRO S. FRVCTVOSO ABBATE, & Epiſcopo Dumienſi, & Braccarenſi.

EPIGRAMMA.

Braccara *quem Patrem* FRVCTV *cognominat* OSVM;
Dumia *iam mytram, tunc ſibi prima dedit.*

Toleti

Toleti *nascens Procerûm de sanguine Regum*
Gothorum; *Ducem tenuit ille Patrem.*
Postea prærupti Montísque cacumina Vergi-
Densia, *cum famulus vix puer alta petit.*
Ad propriam iuuenis posthacque reuertitur Vrbem,
Quâ patre sublato, fit Palatinus *Eques.*
Sæpè caduca timet sapiens phantasmata mundi
Immundi, donec cuncta reiecit ouans.
Omnia despicere hîc terrena. Conantius *Abbas*
Edocuit Sanctum Agaliensis *herum.*
Tunc Monachúsque *fidem per Montis culmina defert*
Primæui status (Aniciane *) *tui.*
Plurima sed tandem extruxit Cœnobia Diuis,
Sic Sanctus moritur, sic & ad astra volat.

* Aniciane, *dixit quia ex ordine Benedictino, quòd S. Benedictus ex Anitia esset familia.*

VI. Quia ex eo quòd Cœnobium *Complutense*, & hoc *SS. Iusto*, & *Pastori* Martyribus *Carpetanis*, & in agro *Toletano* natis, & passis, construxisse conspicimus, absque dubio vi vernularum, illud perfecisse credendum est. Nam, quo iure si *Vergidi* natus, indéque nec extractus *Complutensium* Martyrum anamnesim apprehendit? Ergo ob propriorum Martyrum memoriam, & conciuium recordationem, necnon *Complutensis* vrbis in proprio agro sitæ affectum, & profectum, more Maiorum, qui Colonias patriis nominibns deducebant, *Complutense* Cœnobium extruxisse fateri compellimur. Quibus omnibus non obstat *P. Binarij* sententia nuper relata in *Not. ad Maxim. in Chron. Ann.* 600. *num.* 1. *fol.* 705. quâ probare conatur *Conantium*, vel *Tonantium* Toletanum Antistitem, diuersum fuisse à *Venantio* Episcopo Toletano. Audi illum: *Porrò* Venantium *nonnulli efferunt* Tonantium, *alij* Conantium, *vt Loayssa* in Chronolog. Præsul. Toletanor. prope Anno Christi 603. *Sed perperam confundit eum cum* Conantio Palentino, *huius æui Præsule*, S. Frvctvosi *Bracearensis Magistro, qui Concilio sub Gundemaro interfuit A. C.* 610. Plura in hac clausula commenta subnectit. I. de *Conantio*, quem diuersum à *Venantio* constituit, cùm vt superiùs retulimus *Conantius*, aut *Tonantius*, siue *Venantius* vocaretur, vt ex impresso *Codice Maximi à Roderico Caro* cognosces, *Ann.* 598. *fol.* 213. *lit. Z.* Tamayo de Varg. *in Veritat. Dextr. Nouitat.* 7. *num.* 25. *fol.* 122. Loayssa *in Dypt. Tolet. Ann.* 603. Castejon *in Primat. Tolet. tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 1. §. 3. *fol.* 395. & ferè omnes. II. in dicterio, quod illo æuo erat Episcopus *Palentinus Conantius*, quia vt etiam probatum relinquimus, iste *Conantius Palentinus* non erat Episcopus Anno DC. VII. quo cucullam induit Frvctvosvs. III. Quia nec fuit *Magister* S. Viri, vt ad amussim supra disseruimus. Hinc non est audiendus *Binarius*. Videsis quæ diximus supra *die I. April. lit. B.*

VI.

Error P. Binarij ex Tribus capitibus elicitur.

I. II. III.

Posthæc addendum est, quod S. Frvctvosvs scripsit Monachis suis Regulam, quam XXV. Capitibus complexus est, cuius maximam partem refert Hugo Menard. in *Concord. Regular. tom.* 1. *&* 2. qui in *Proœmio, fol.* 62. multa de hac Regula scripsit. *Aeuña* XIII. Capita continere, dixit, sed fallitur.

Regulam Monachorũ scripsit.

Pro Coronide Epigramma non inuenustum à quodam Poëta Lusitano conscriptum, & in *Libell. de Recept. Reliquiar. Olyssipponens.* ab Emanuele Campos vulgato, conscriptum libet subiicere.

Quam benè nomen habet Frvctvs *ab nomine Præsul*;
Cœlesti mensa fructus hic aptus erat.
Vincit Achamenios fructus, vincitque Sabæos;
Taprobane gemmas rideat ipsa suas.

Larga pauet natura, pauet Pomona, nec horti
Diuitias iactat Flora, nec Orbis opes.
Scilicet hic FRVCTVS *fructus supereminet omnes,*
Non erat hic terra, non erat Orbis opus.
Hunc potis est solùm producere dextra Tonantis,
Hunc sacer æterno Spiritus amne rigat.

Nonnulla, quæ extruxit Cœnobia. Quatenus ad Monasteria abs S. Viro constructa, adhuc numerum inuenire non potuimus. Inter alia quæ ab Scriptoribus referuntur, præcipua fuere COMPLVTENSE in *Vergidensi* pago. *Ruffianense*, hoc est S. PETRI MONTANENSE, post à *S. Gennadio* reædificatum in Montibus Aquilanis. VISVNENSE in *Gallæcia* prope Oppidum *Villa-Franca*. FEONENSE etiam apud *Gallæcos*. CASTRAONENSE non procul à *Feonense*. NONENSE in *Gaditanis Bætica*. TVRONENSE prope *Braccaram*. TOMARENSE, iuxta *Nauantiam*, è quo prodiit *S. Irene* Virgo, & Martyr. S. TYRSI ad *Aue* fluminis ripam, in *Portucallensi* diœcesi. REFVGENSE ad oppidum *Basto*. BENSAONENSE prope *Conimbricam*. SANDENSE prope *Braccaram*. ARENOSENSE, viâ quâ itur *Braccarâ*, *Portum*, ad IV. P. M. S. Saluatori dicatum. MIRANDVLENSE iuxta *Pontem Limiæ*. MONTELLENSE inter *Braccaram*, & *Dumium*, vbi post mortem eius Corpus quiesceret; & demum GANFEIENSE prope *Minium* flumen inter Ciuitatem *Tudensem*, & Oppidum *Valencia*. Alia plura ædificasse perhibetur quorum nomina sub temporum obliuione delitescunt.

Corpus ad Compostellam translatum. CORPVS Sanctissimi Confessoris Braccarâ Compostellam transtulit *D. Didacus Gelmirezius* Archiepiscopus I. Compostellanus, qui eius sacra pignora in Ecclesia Apostolica honorificè tumulauit.

BRACCARA. De ea egimus *Tom. 1. die 1. Febr. fol. 16.* & hoc *Tom. 2. dieb. 9. & 12. Aprilis*, vbi secundam retulimus de eius *Antiquitate* opinionem. Nunc elogium Henric. Coquei *in Hisp. Heroica vers. 121.* subiicimus:

BRACCARA *diues agri*, Gallæcus *nobilis olim*
Conuentus, *retinens* Augusto *nomen ab ipso.*

QVINTODECIMO
KALEND. MAII.
DIES XVII.

A. Cordubæ *SS. Martyrum* ELIÆ *Presbyteri*, PAVLI, *&* ISIDORI *Monachorum memoria perseuerat, qui ob Christi fidei exaltationem, nullis territi suppliciis, corpora in manus inimicorum eiecerunt, & spiritus, coronati, in vlnas Christi commendarunt.*

B. *In Territorio* Illiturgitano, *apud oppidum* Villanueua *nomine, eleuatio sacrorum pignorum* S. POTENTIANÆ *Virginis, ipsius oppidi incola, quæ ibidem texturam exercens, vitam laudabiliter egit, & post multorum*

annorum curricula, honorificentiſſimo loco condita, laude populorum, miraculorum illuſtratione, & totius veneratione prouinciæ cultum debita ſolemnitate promeruit.

NOTÆ.

SANCTI ELIAS, PAVLVS, & ISIDORVS.] Hos Sanctiſſimos A.
parturiit Martyres, illa Mahumetanorum apud *Cordubam* immanis
ferocitas, quæ ſic Chriſticolas exercuit, vt cateruatim ad agonem
confluerct vtriuſque ſexus indefeſſa fidelitas, quo euênit, vt nec ſa-
crilegis materia in qua manus cruentarentur deficeret; nec fideli-
bus, in quo charitatis ſpecimen exerceretur. Iſtorum memoriam S. Eulogius *in* *Martyro-*
Memor. SS. lib. 3. cap. 15. proſequitur, à quo *Martyr. Rom. Galeſin.* & alia recentiora. *logia.*
Martyrol. Monaſt. *VVionis*, & *Hugon. Menard.* quibus accedunt *Hiſpanicum* P. Hi-
guera. *Caſtellanum* P. Dionyſ. Vazq. & *Luſitanum.* Breuiar. Cordubenſ. Vaſſ. Am-
broſ. Moral. *Hiſt. Hiſp. lib.* 14. *c.* 4. Mariet. *Hiſt. SS. lib.* 3. *c.* 4. P. Martin. *de Roa in SS. Cor-*
dubenſ. fol. 70. *col.* 2. Villeg. Sanctorus, & alij *flor. SS.* Scriptores. Eorum acta ita *Scriptores.*
compendiosè S. Eulogius.

ACTA SANCTORVM ELIÆ, PAVLI, & ISIDORI Martyrum Cordubenſium; ex S. Eulogio.

PRÆTEREA Helias *Presbyter iam ſenex, ex Prouincia* Luſitaniæ, *cum* Paulo, & Iſidoro *Monachis, adhuc iuuenili ætate florentibus, ſub prorum profeſſione perempti ſunt* XV. Kalend. Maij, *Era* DCCC. XCIV. *Quorum corpora patibulis eleuata, poſt multos dies Bætico ſinu conduntur.*

Hæc concisè S. Eulogius. Iſtam (in qua Sanctiſſimi pugiles compleuerunt ago-
nem) perſecutionem excitauit *Mahometus*, Abderrameni filius, & ſucceſſor, qui *Mahometi*
ſic in Chriſti aſſeclas crudelis fuit, vt non ſolùm proprios Palatinos è Regia aman- *perſecutio.*
daret domo, libertatibus expoliaret, & ſtipendia eriperet, ſed & honores, & alia,
quæ ad vitæ, & auctoritatis ſtatum, vnà cum ipſa vita ſubriperet.

Martyrologia Monaſtica, perperam omnes *Monachos* credidit, cùm vt ex *S. Eulo-* *Error*
gij verbis appareat, *Eliam* non *Monachum*, ſed *Presbyterum* nominet. Item ſcien- *Monaſtici*
dum eſt ipſum Sanctum Martyrem, qui è Prouincia *Luſitania* oriundum indicat *Martyro-*
Eulogius; non ex hoc quod de *Luſitanica* Prouincia faciat, credendum eſt, fuiſſe *logij.*
Portugallenſem, cùm illo æuo *Luſitania* etiam omnem ferè *Extrematuram* compre- *Elias Lu-*
henderet, & non ex hoc, quod *Luſitanus* appelletur à *S. Eulogio*, præcisè *Portu-* *ſitanus non*
gallenſem credas. *Portugal-*
lenſis.

S. Potentiana Virgo.] Non iſta, illa *Potentiana*, ſeu *Pontiana* eſt, de qua *Mar-* B.
tyrolog. Rom. Ferrarius, Maurolycus, & cæteri Martyrologi agunt *die XIX. Maij*; ſed
ab illa diuerſa. Hæc *Romana* filia *Pontij Senatoris*, & *S. Praxedis* ſoror. Noſtra *Ili-* *Diuerſa ab*
turgitana in Hiſpania Bætica Prouincia. Illa Apoſtolorum temporibus florens. *illa Roma-*
Iſta tempore Gothorum (vt creditur) viuens. De *Romana* omnes ferè Sanctorum *na.*
Scriptores plura. De *Bætica* nullus (vt opinor) verba fecit, demptis aliquibus,
quos infra referam. Noſtræ *Hiſpanæ* memoria celebris extitit apud *Gienenſes*, &
Ilsturgitanos, à pluribus ſeculis, vt ex probationibus, & authenticis teſtimoniis ab
Eminentiſſimo, & Illuſtriſſimo Domino D. Balthaſare de Moſcoſo, & Sandoual S. R. E. *Huius tra-*
Presbytero Cardinali, Tit. S. Crucis in Ieruſalem *Epiſcopo Gienenſi* tunc, nunc me- *ditionem*
ritiſſimo *Patriarchalis Sedis Hiſpanicæ Archiepiſcopo, Hiſpaniarum Primate* fieri iuſſis, *probauit*
euidenter apparet. Ex quibus Amicus Noſter M. Franc. Rus-Puerta *Hiſt. Gienenſ.* *Eminent.*
tom. 1. *ſecul.* 12. *c.* 1. P. Franc. de Bilches è S. I. *Hiſt. SS. Giennenſ. c.* 49. D. Martinus de *Cardin.*
Ximena Iurado *in Memorial. SS. Gienenſ.* 5. *p. cap.* 3. §. 2. quod MS. de mandato *Sandoual.*
Scriptores.

Scriptores. Eminent. Domini Cardinalis, mihi remisit,& miro ordine,& eruditione digessit, quæ in suis relationibus continentur, desumpsêre. Acta nullatenus in forma redacta comperies, nam temporum labilitate, & *Hispanici* imperij excidio, penitus delituêre. Quidquid adhuc reseruauit traditio palam legentibus sincerâ breuitate patefaciam, prout ex auctographis ab ipso *Eminentissimo* emissis liquet.

ACTA S. POTENTIANÆ VIRGINIS Iliturgitanæ; eiúsque eleuationis; ex auctographis, & informationibus ab Eminent. Dom. Gienens. Episcopo S. R. E. Cardinali de Sandoual collectis.

Locus sepulturæ. NON *procul ab* Iliturgi *veteri* Bœticæ *celeberrima vrbe, adhuc oppidum, vulgò* Villanueua, *ex aduerso* Bœtis *fluminis æstuario inuisitur. Ibidem iuxta molendinum* Beltranense, *turris antiquitatem redolens perseuerat, circa cuius collapsam molem, eremitorium, titulo* SANCTORVM, *etiam vetustissimum, à* Gothorum, *vt creditur, temporibus extructum inspicitur.* *Sarcophagi descriptio.* *Illic sepulchrum, ad Euangelij latus, in tumuli formam, eleuatum, & tessellis coopertum, ab immemorali, conspexit antiquorum & præsentium vicinorum inuariabilis veneratio. Ergo inter tessellarum vermiculatas picturas, pelta emblematibus variegata dealbescebat, in cuius glabro Gothicis, licèt patentibus literis, hæc perlegebatur epigraphe.*

IHS

Titulus in Theca. Benedictus Deus. Laudate Deum. Timete Deum. Seruite Deo. Hic iacet Corpus Sanctæ Potentianæ.

Hic verò venerabilis Sepulturæ locus, tanta à circumiacentibus circuli populis, est habitus veneratione, vt vndique orationibus, & symbolis, confluerct *Oppidanorum deuotio.* *cateruatim in necessitudinibus indefessa deuotio. Quæ in omnium viscera crescebat, quia nullius præcamina retardabat. Hac fide bona ferè decem seculis* Potentianam *Virginem, & locum honorauit humilitas. Sed ne tanti absconditi thesauri diuitem venam obtegeret tessera,* Eminentissimus, *&* Reuerendissimus Dominus D. Balthasar de Moscoso, & Sandoual, S. R. E. *Emin. D. Cardinalis zelus in tumuli propalatione.* Cardinalis, *tunc* Giennensis Episcopus, *nunc* Archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum Primas, *zelo charitatis accensus, tumulum proprijs manibus aperire constituit, & indictis ieiunijs & orationibus, eremitorium adijt, vbi, innumeris adstantibus, tessellatam discindens capsam, aliam gypsatam,* *Aperitur capsa.* *intermedijs aggeribus, inuenit. Istam itidem destruxit ligo, sub cuius textamine, alius aggeris cumulus repertus est, quo remoto, quadratus lapis, duabus longitudine, & vna latitudine constans vlnis, qui totum thecæ hiatum complebat, ex omni latere, absque vlla immixtione conflatus apparuit. Illo* *Inuenitur corporis structura fragrantissimè redolens.* *eleuato, vrna lapidea cognoscitur, in cuius cauo, ossa omnia, integraque humani corporis, suauissimè redolentia conspexit affectus, quæ prout erant tenuissima, protinus de fœmineo cadauere illa qualificauit inspectio. Honorificè ergo extracta, & in capsam nouiter elaboratam recondita omnia in depositum collocata, protinus ad probationum examina, circa Virginis vitam, acta, ve-* *Probationes in forma fiunt.* *nerationem, & alia, quæ eleuationem respiciebant, Eminentissimus* Dominus Cardinalis *iuridicè processit. Illis demùm per totius populorum circun-* *De Vita, & Miraculis.* *stantium vicinia ambitum conflatis, innumera ad oculum demonstrauit fedulitas patrata miracula, quæ interposita Sanctissima* Potentianæ *depre-*

catione

catione Deus Opt. Max. in diuersis languoribus, natura mirante, peregit. Post hæc, comprobatione constitit efficaci, de antiquitate venerationis, de continuatione circa dona, nouemdialia, festiuitates, sacrificia, quæ ab antiquissimis seculis, vt huius sacræ Virginis auxilium implorarct, consueuit deuota deprecantium necessitas oppidorum. Peruetustas necnon edidit iconas secessus, vbi imago S. Potentianæ *inter BB. Bartholomæi, & Ildephonsi, illius eremitorij compatronorum, effigies conspiciebatur. In nonnullis sacra Virgo picturis, cum textrina, & alijs ad texturam instrumentis pertinentibus, inuenitur, ex quo (& constans illic traditio est) hanc Virginem, in eodem loco, & vitam egisse, & texturæ officium exercuisse fatendum est. Apud* Forum-Iulium *antiqua enituit imago, in qua ad dextram* S. Euphrasius, *ad læuam* S. Potentiana, *ille infulis, ista palma, vterque vrbem manibus sustinens, ceu illius Patroni & Tutelares, inuisitur, & in tabula vertice hac inscriptio:*

Antiquissima effigies inueniuntur.

Officio texturæ fungitur.

Anno à Natiuitate Domini XLV. S. Euphrasius Martyr Apostolicus, Episcopus Iliturgitanus, Potentianæ collega sanctissimæ vixit.

Tuta sub Euphrasij manibus Iliturgis haberis;
Potentiana, & Virginis.
Te docet ille pij primus mandata Tonantis:
Illa Sepulchro consecrat.

Olim erat Confraternitas *celebris, huic Sanctissimæ Virgini dicata, quæ apud Ecclesiam S. Mariæ, per aliquot extitit conseruata tempora, donec refrigescente deuotionis affectu, in paupertatem redacta, fuit Hospitio, & Confraternitati, vulgò* de la Caridad, *aggregata, ea conditione, & pacto, vt quotannis anniuersaria festiuitas* S. Potentianæ *sine intermissione perageretur. Quod & obtinuit, & obseruauit affectio.*

Antiquissima Confraternitas.

Annua solemnitas.

His, & alijs depositionum, & traditionis per Eminentissimum *perpensis adminiculis, & Doctorum hominum iudicijs intellectis, eleuationem sacrorum pignorum efficaci propensione decreuit, vt ex tenore appares sequentis autographi:*

Decernitur eleuatio.

Eleuationis autographum.

In *Oppido, quod vulgo* Villanueua de Andujar, *dicitur,* XI. *die Mensis Maij, Anno Domini* M.DC.XXXVI. Eminentissimus, *&* Reuerendissimus Dominus D.Balthasar de Moscoso, & Sandoual, S.R.E. Presbyter Cardinalis, Titulo S. Crucis in Ierusalem, Episcopus Giennensis, Regiúsque Consiliarius, &c. *Visis, examinatis, & perpensis probationibus, informationibus, & instrumentis, quæ de eius mandato Doctor* Ioannes de Acuña del Adarue, *ipsius Oppidi Parochialis Ecclesiæ Prior, totiúsque Episcopatus* Generalis *Visitator, gessit, compulsauit, & auctorauit, tam in vrbe* Iliturgitana, *quàm in Oppidis de* Cazalilla, *&* Higuera, *& alijs, circa vitam, acta, miracula, famam, & traditionem* S. Potentianæ Virginis, *quæ olim sepulta iacebat in eremitorio, quod* Sanctorum *vocant, in territorio prælibati Oppidi de* Villanueua, *& in aduersa* Bœtis *fluminis ripa ædificatum agnoscitur, ex quibus constat fuisse, & esse traditionem immemorabilem, vniformem, constantem, & perpetuam, per omnes vicinorum oppidorum accolas, quod prædicta famula Dei, ab antiquissimis temporibus, in quorum origine memoria hominum euanescit, vniformiter prout sancta fuit, & est habita, inuocata, & culta, ideóque ad eius tumulum, continuo deuotionis affectu, vniuersi circumstantium regionum oppidani, in ipsorum, & suorum afflictionibus, infirmitatibus, & periculis, nouendijs, vigilijs, sacrificijs, & donarijs accesserunt, accedunt, confluxerunt, & confluunt, absque vlla de recipiendo auxilio veraciter, diffidentia; ex quarum imprecationum remedijs*

Qui Virginis Actorũ informationes fecêre.

Quæ probantur in ipsis.

medÿs innumeri mirabiliter, quidquid efflagitarunt deuotio, efficaciter sunt adepti. Item constat ipsam Sanctissimam Virginem, publico, solemni, & continuo fuisse, & esse veneratam cultu in totius circuli Iliturgitani, *&* Episcopatus Giennensis *territorio; sub cuius Virginis patrocinio Confraternitatem olim extitisse, & adhuc extare, eiusque sanctam effigiem in festo sanctissimi Corporis Christi solemniter portari à Confratribus consueuisse. Qua omnia examinata, discussa, & rimata per aliquas graues, doctas, & timoratæ conscientiæ religiosas personas, præcepit, decreuit, & ordinauit præfatus* Eminentissimus Dominus, *ac in totum tam pius affectus, & innuta deperiret deuotio, quod Sanctissima* B. Potentianæ *pignora, in sublimiorem locum eleuentur, in eodem eremitorio, in capella, quam ipse* Dominus *suis sumptibus fabricari facit; & quòd deinceps eundem ipsum cultum, quem olim eidem Sanctissimæ Virgini, eiúsque lipsanis fideles concorditer conserebant, dent, porrigant, & efficaci conferant deuotione, quatenus in huiusmodi decreti executione, adfuere omnia requisita, quæ S. C. Tridentini placitum, & Bulla S. D. N. Vrbani diuina prouidentia PP. VIII. noscitur postulare. In cuius rei fidem hocce fieri iussit autographum, manu propria signatum, & à Notario Apostolico infrascripto roboratum, ad perpetuam rei memoriam.* Cardinalis Sandoual. *Mandato Cardinalis Domini mei.* Petrus Fernandez Bahemonde. *Notar. Apostolic.*

Qualis cultus omni seculo.

Cardinalis decretum.

D. Martinus de Ximena in suo *Memor. MS.* hanc refert eleuationem, breuibus, licet grauibus verbis, quam perfectam fuisse fatetur *XV. Kal. Maÿ*, Anno Domini M. DC. XL. præsente, & auctorante *D. ac D. Eminentissimo Cardinali*, astantibus in consistorij formâ, prout moris est, Iliturgitanæ Ciuitatis Decurionibus, qui baldachini perticas pertulêre.

P. F. Ieronymus Pancorno Disquisitionem de S. Potentiana scripsit.

SED quia nihil intactum relinquamus, quod Nostrorum faueat Sanctorum defensationibus, operæpretium duxi, hîc *R. P. F. Ieronymi de Pancorno* Carmelitani Ordinis, alumni, in sacra Scriptura Magistri, & S. Officij Qualificatoris, disquisitionis synopsim, quam de Nostra hac sanctissima Virgine scriptitauit, & *Eminentissimo D. Cardinali* dimisit, *Anno M. DC. XLIII.* subiicere, & tanti Patris argutiis, extra carceres, scriptis, & oppositis respondere. IGITVR *Ieronymi* intentio fuit, nec vocati, zelo veritatis, *Eminentissimum* adstruere, perperam POTENTIANAM nostram fuisse *Hispanam* origine, sed *Romanam*, Prudentiani filiam, & Praxedis sororem, ita vt credendum erit, hanc, cuius lipsana eleuata cognoscimus, esse *Romanam* illam, cuius pignora Româ *Iliturgim* translata, in Oppido VILLANVEVA condita, ab *Eminentissimo* eleuata fatetur. Ad quod suadendum sequentibus vtitur argumentis.

Fuisse Virginem Romanam defendit, his argumentis.

I. Argumentum. PRIMVM. *Quòd nullibi inuenitur* Sancta *nomine* POTENTIANA, *nisi* Romana, *cuius anamnesis in Ecclesiasticis Tabulis die* XIX. Maij *consignatur.*

II. SECVNDVM. *Quòd hoc corroboratur primum argumentum, ex ipsa antiqua inscriptionis epigraphe, superius relatâ, quia si Christiani, quorum fuit cura condere olim isthæc lipsana, de alia* Hispana *Diua satagerent, proculdubio hanc in epigraphe præscriberent qualitatem, ne Nostram confunderent cum* Romana.

III. TERTIVM. *Quòd ex aliquibus tabulis, quibus effigies Nostræ sanctissimæ Virginis depicta, vetusto penicillo, conspicitur, Virginem diademate redimitam, lauri ramum, & librum in manibus deferentem, picturatam inueniri, quæ insignia minimè respiceret, nisi inter Sanctorum calculos descripta notesceret, ergo signum est, nequaquam de ignota* Hispana, *sed de* Romana *celebri depictu tabellis.*

IV. QVARTVM. *Quòd vestitus, quo in iconibus, Virgo exornata prospicitur; à plantâ pedis ad verticem capitis totus* Romanus *dignoscitur, non* Hispanus: *quis tunicâ talari ceruleâ induitur, super quam prætexta visitur citrea, manicæ virides corrugatæ, & chlamys rosea, floccis per fimbriam candidis circundata, cuius cultus apparatus, potiùs diuiti fœminæ, quàm Virgini inopi texturæ deditæ conuenire quiuis sani iudicÿ prædictus fatebitur.*

V. QVINTVM. *Quòd sacra lipsana illius* Romanæ *Virginis, (credibile est) Româ* Iliturgim *transtulit* S. EVFRASIVS *illius vrbis Apostolus, ideóque in*

in antiquis picturis, vtrius effigies visuntur, tanquam Tutelarium illius ciuitatis.

Sextum. *Quòd Scriptores, & alij, quorum suffragijs est vsus* Eminentissimus Dominus Cardinalis, *ad relatam eleuationem perficiendam, omnes absque fundamine loquuntur; nam alij* Virginem, *alij* Martyrem; *nonnulli nec* Virginem, *nec* Martyrem, *plurimi* anachoretam, *& denique nullus in veritatis apice concludit.* VI.

Hæc est summa argumentationum *R. Patris Pancorui*, quibus facere satis, & propter *Hispanici* honoris, traditione inueteratâ firmati dignitatem; & propter *Eminentissimi Cardinalis* decreti, roborati publico edicto, auctoritatem, & firmitatem, purâ veritatis luce compellor. Sed cùm potiùs *Sophista Noster* volsellis pugnet, quàm gladiis, quid inde, si Hyperi vertigines repeto Carmelitani? *Respondetur I. argumento.*

Quatenus ad primum sophisma, facilis est responsio, quâ totum *Nostri Patris* embolium, & contextura cadet inuoluta sub vmbras. Quis illum edocuit sororem S. Praxedis, & Nouati; filiámque Pudentis, de qua Martyrologium Romanum, & aliorum *die XIX. Maij*, vocari Potentianam sermone Latino, nec Italo? Pudentiana equidem vtroque idiomate vocitatur ab omnibus, qui eius Acta scripsere; ergo perperam, & sine exemplo Potentianam cum Pudentiana confundit *veritatis zelator.* Nec mihi Criticus credat; adeat si lubet Martyrologos vniuersos, Scriptores singulos Ecclesiasticos tàm Latinos, quàm Italos, nec vnum inueniet, qui Potentianam vocitet filiam Pudentis Senatoris, Virginem Romanam, cuius diem festum celebrat Ecclesia *XIV. Kalend. Iunij*: imò audiat Hymnographos, inter quos Mutium Sfort. *cod. die fol.* 74. *Pudentiana, non Potentiana vocitatur Virgo Romana.*

Romana Virgo nobilis
Pudentiana *filia*
Clari Pudentis, accipe
Hymnum, tibi quem pangimus.

Si ergo apud omnes *Romana* Virgo Pudentiana fuit, & Nostra Potentiana, vt carmina antiqua superius relata, vnà cum *S. Eufrasio* indigitant dicentia:

Tuta sub Evphrasii *manibus* Iliturgis *haberis,*
Potentianæ *& Virginis.*

quâ artis machinatione sibi ipsi *Pancorno* persuasit, & nobis persuadere conatur, Pudentianam *Romanam* Virginem, sororem Praxedis esse, quam ab antiquis temporibus *Iliturgis* colit, & veneratur? Si fuisset *Romana* illa sanctissima Virago, proculdubio Christiani qui eius sacra pignora condidêre, in sarcophagi epigraphe Pudentianam vocitarent, Catholicæ Ecclesiæ tabulis adhærentes, nec credendum est, illos nomen nouum, & insolitum Virginis tumulo præscripturos; sed in sepulchri literis erat scriptum Hic iacet corpvs S. Potentianæ, ergo & istam diuersam nomine, & re fuisse à Pudentiana Virgine Romana fateri compellimur. Hinc elicitur Potentianam Nostram *Iliturgis* Tutelarem, haudquaquam aliquid commune cum Pudentiana, Virgine Romana, nomine, actis, qualitatibus, translatione, aut cultu habere absque tergiuersatione potuisse; vt infra in responsionibus subsequentibus demonstrabimus. *Error persuasionis Pancorni.*

Nec *Secundi sophismatis* complexio aliquid addit primæ argumentationi, quia potiùs contra ipsum *Pancornum* stat coniectatio. Probatur: Si Christiani illius sæculi Corpus Pudentianæ Virginis Romanæ, in illius parietis cauo includentes, futuris sæculis, cuius essent sacra pignora Virginis, absque confusione demonstrare voluissent, esto quòd fuissent lipsana S. Virginis Romanæ, necessariò has qualitates exprimerent, præscribentes in epigraphe, *Hic iacet corpus* S. Potentianæ, *siue* Pudentianæ *Virginis Romana*: hæc omiserunt, *Respondetur II. Argum.*

ergo

ergo nequaquam de illa Noſtri Chriſtiani intelligere potuerunt. Sed hanc rationem vinculis Hyppocraticis adligemus. Fallitur *aſſertor Carmelitanus* Eminentiſſimo in ſua *Diſquiſitione* venditans, nullam in Orbe fuiſſe PVDENTIANAM præter *Romanam* filiam Pudentis, & ſororem Praxedis, quâ inſtantiâ, nititur decretum *Eminentiſſimi* prorſus eneruare *Sophiſta*; hoc non ſubſiſtit, ergo nec inſtantia. Probatur: S. Gregorius *lib. 2. Regiſtr. Epiſt.* 33. agit de alia PVDENTIANA apud *Numidiam* Virgine, & Martyre, cui celebri cultu in Templo nobili constructo, venerationis exhibebantur honores, de qua etiam Alexand. de Peregrin. *die XI. Februar.* & alij, qui ex *D. Auguſtino* probant paſſam cum aliis plurimis Martyribus tempore Diocletiani, vt refert *Martyrolog. Roman. eadem die.* Si ergo fuit, vt eſt alia Virgo, & Martyr *Numidienſis*, à fortiori ceſſabit ratio à *Pancorno* tradita: *Ne noſtram confunderent cum Romana*, quia eadem ratio confuſionis ineſſet cum *Numidiana*: ergo fortior erat Chriſtianis Noſtris obligationis inſtantia, ſi corpus erat *Romana*, hanc præſcribendi in epigraphe qualitatem, ne iſta confunderetur cum *Numidienſi*, quàm abſolutè ſcribendi: *Hic requieſcit Corpus* S. POTENTIANÆ, cuius originem agnoſcebant *Hiſpanam*, credentes nullis temporibus defecturam, nec de ea hominem *Hiſpanum* futuris ſeculis hæſitaturum. Candor enim, & puritas Patrum Noſtrorum verſatiles iſtius ſeculi machinas ignorabat, ideò in eorum non cadebat animos, quod ſuis ſcriptis fides denegaretur in poſterum, religioſi tenacitate ſophiſmatis, quam ſi mente conciperent, radicitus cauerent. Multa equidem euentuum etiam in Claſſicis Scriptoribus defectuoſa cognoſcimus, & omiſſa rimamur. Quid in cauſa? Quia illo æuo vt communia etiam Lippis, & Tonſoribus, nunquam defectura arbitrabantur in ſeculum.

Fuit apud Numidiam alia Pudentiana.

Antiquorũ puritas in hus Scripturis.

MINVS Eminentiſſimi decretum euacuant inſignia diadematis, & alia Canonizationem S. POTENTIANÆ *Iliturgitana* ſignificantia, in picturis inuenta, quaſi demonſtrans *P. Pancornus*; nequaquam, illis inſigniis Catholicos in effigiebus vſuros, ſi iconam POTENTIANÆ *Iliturgitana* depingerent. Ratio eſt, quia illa inſignia tantùm Canonizatis, ſeu Beatificatis conueniunt, *Romana*, hac qualitate fruitur; ergo hanc à fortiori eſſe, quam tabulis depictam, cui Confraternitatem indictam, cui templum erectum *Iliturgi* cognoſcimus. Quare non & *Numidiana?* ignorauit: ad caſum pergo. A quo igitur *P. F. Ieronyme* didiciſti S. POTENTIANAM Noſtram, hac Canonizationis, ac Beatificationis qualitate exiſtere vacuam? Nonne ad hanc probandam, in antiquis ſufficiunt, corporis eleuatio, effigierum cum nimbis picturæ, populi concurſus, & veneratio, miraculorum operatio, ſanctitatis opinio, communis vſus imprecandi, vota ſoluendi, donaria aſportandi, ſpolia ægrotorum in parietibus ſuſpendendi, & alia ſimilia faciendi, quæ tantum Diuos Canonizationis, aut Beatitudinis titulis fruentes decent, & quod potius eſt, inueterata, & inconcuſſa, à temporum immemorialium teſtificatione traditio? Ergo ſi ſufficiunt hæc, & omnia hæc probauit *Eminentiſſimus*, vt ex eius aſſertione pateſcit ibi: *Conſtat fuiſſe, & eſſe traditionem immemorabilem, vniformem, conſtantem, & perpetuam, per omnes vicinorum Oppidanorum accolas, quòd prædicta Famula Dei* (POTENTIANA ILITVRGITANA) *ab antiquis temporibus, in quorum origine memoria hominum euaneſcit, vniformiter prout* SANCTA, *fuit, & eſt habita, inuocata, & culta, ideóque ad eius tumulum, continuo deuotionis affectu, vniuerſi circumſtantium Regionum Oppidani, in ipſorum, & ſuorum afflictionibus, infirmitatibus, & periculis; nouendijs, vigilijs, ſacrificijs, & donarijs acceſſerunt, & accedunt, confluxerunt, & confluunt, abſque vlla, de recipiendo auxilio veraciter, diffidentiâ; ex quarum imprecationum remedijs, innumeri mirabiliter, quidquid efflagitarat deuotio, efficaciter ſunt adepti. Item conſtat, ipſam Sanctiſſimam Virginem publico, ſolemni, & continuo fuiſſe, & eſſe veneratam cultu in totius circuli* Iliturgitani, *&* Epiſcopatus Giennenſis *territorio, ſub cuius Virginis patrocinio Confraternitatem olim extitiſſe, & adhuc extare; eiúſque ſanctam effigiem in Sanctiſſimi Corporis Christi ſolemni feſto portari à Confratribus conſueuiſſe*, quo temeritatis auſu, *Aſſertor Carmelitanus*, contra *Eminentiſſimi* decretum, nititur contendere POTENTIANAM Noſtram ILITVRGITANAM

Reſpondetur III. Argum.

Quibus probetur Canonizatio.

Quæ de S. Potentiana Iliturgitana probauit Eminentiſſimus.

NAM

NAM nequaquam *Canonizationis*, aut *Beatitudinis* vnquam fuisse titulo decoratam? Absit ergo ab homine erudito, maximè tot interuenientibus examinis, probationum, inquisitionum, Doctissimorum hominum disquisitionum, & purpureæ syngraphes circunstantiis, quæ omnes in vnum confluunt, & separatim influunt, *Corpus* seruatum, & conditum in *Ecclesia* vulgò *Sanctorum*, ab seculis præteritis, quorum recordatio non cadit in hominum memoria, fuisse, & esse S. POTENTIANÆ Virginis ILITVRGITANÆ, ex illa prouincia oriundæ, alitæ, & cultæ, nullo ex tot testium examinatorum de *Romana* Virgine memoriam faciente: ergo perperam hisce sophismatibus *Pancorum* intendit contra Oppidanorum placita, contra traditionis assensum, contra deuotionis affectum, contra *Eminentissimi* (cuius sola auctoritas sufficiebat instructi) edictum, S. POTENTIANAM homopolim, ex omnium euellere visceribus, & *Romanam* eius loco raptim inducere. *Pancorui temeraria coniectatio.*

PRORSVS Quarta *Assertoris* euanescit instantia, quâ propter formam vestitus à communi traditione discedit. Potius enim *Pancorum* in Scripturis credimus eruditum, quàm in picturæ schematibus versatum; vsus enim Ecclesiæ in depingendis Virginibus, tàm antiquis, hoc est, Imperatorum Romanorum tempore, quàm Gothorum, & Sarracenorum recentioribus, in compositione habitus, & modestia cultus versabatur, non verò in Regionum, & Prouinciarum vestitus delectu; ideò Virginem depingit, illo habitu, quem refert *Pancorum*, vt notauit Molan. *de sacr. Imagin. lib. 4. cap. 31.* Quod passim in Nostris intuemur Ecclesiis, vbi effigies Sanctarum *Nunnilonis*, & *Allodiæ* Virginum, & Martyrum, Oscensium, *S. Eurosiæ* Iaccetanæ, & aliarum, qui Sarracenorum tempore vixerunt, & tamen eodem ipso vestitu *Romano* conspiciuntur depictæ. Sed & tempore Gothorum, & Sarracenorum hac eadem veste vsque ad talos, diuersis coloribus variegatâ, vtebantur fœminæ, vt notauit Iulian. Petr. *in Chron. num. 620. & in Aduers. num. 416.* In hisce igitur pictutamentis, conuenienter ea pictura exprimitur, quæ assensum habet Ecclesiæ, etiam si in Historica narratione desit, vt pluribus exemplis eruditè probat Ioann. Molan. *de sacr. Imagin. lib. 2. cap. 19.* Nec obstat, quod istæ S. POTENTIANÆ effigies palmam in manibus, quâ martyrij signum dignoscitur, præ se ferant; quia etiam Virginibus, licèt non Martyribus, palma, & laurus insigne fuit, vt multis probauimus supra *hoc Tom. 2. die XV. Martij in Not. ad Act. S. Matron. Virgin. Capuanæ.* Hinc elicies quanto proprij capitis sensu, à fide Parentum Nostrorum *Assertor* deuianerit non vocatus. *Respondetur IV. Argum.* *Vsus pingendi Virgines in Ecclesia, quis.* *Palma etiã non Martyribus Virginibus pingitur.*

INCOMPATIBILIBVS proculdubio laborat assertionibus QVINTA oppositionis delineatio, quâ conatur probare *S. Euphrasium* Româ sacra pignora PVDENTIANÆ Virginis Romanæ deuotionis affectu ILITVRGIM transtulisse. Quis in homine docto, & in Israël Magistro, tot ignorantias suspicaretur? *Euphrasius* Discipulus *Iacobi* Apostoli, ad *Annum XXXVI.* ab eodem Apostolo in *Hispanias* delatus, quo miraculo ad *Annum C. L XII.* quo martyrium compleuit PVDENTIANA, peruenire potuit, stante *CXXVI. annorum* intercapedine, & hoc nec numeratis annis ætatis, quos præcisè, & necessariò habere debebat, quando Ierosolymis IACOBO Nostro adhæsit? O! quàm potens est contradictionis aculeus, qui sæpius ex abrupto contra stimulum calcitrans, in hæc, & similia deliramenta dilabitur! Sed his omissis ad intentum accedo. Si hæc *Pancorui* sententia amplexaretur *Eminentissimus* in sequentia dispendia eius corrueret auctoritas. I. Nam *S. Euphrasium* vitam perduxisse vltra *C. XLVI. annos* concederet, quod abhorret natura, & antiqua Ecclesiastica monumenta dissuadent. Hoc dilemma probemus. Naturæ vi hominis ætas ad *C. X. annum* extenditur vt inquit Bung. de *Numeror. Myster. fol. 588.* & licet aliquando apud *Chronographos* sint homines inuenti istam annorum ætatem excedentes, hoc potiùs ad miraculum, quàm ad naturam refertur, & ideo illud non est ad quæstionis consequentiam trahendum. Antonius Gallonius Roman. in *Hist. SS. Virginum Roman. fol. 78.* agens de S. PVDENTIANA in simile dubium incidit, circa ætatem huius S. Virginis, & sororis, tempore agonis earum. Nam dubitat quo pacto, naturaliter, potuêre ad *Annum* *Respõdetur V. Argum.* *Quo seculo viuebat Euphrasius, & quo Pudentiana V. R.* *Quot anni à natura dati homini.*

CLXIV. deuenire, cùm dicat earum Legenda, doctrinam, & fidem *ab Apostolis* accepisse? Si *Apostoli* vitam exuêre *Anno LXIX.* & ab isto, ad C.LXIV. intercessêre *XCV. anni*, & additis ad minus XV. ætatis, sunt vitæ anni C.X. dubitat optimè, quomodo poterit sustineri Legenda? Quid ergo diceret *Gallonius* si sententiam auscultasset *Pancorus*, quâ nititur defendere *Euphrasium* ad C.XLVI. ætatis annum peruenire potuisse.

Quo anno occubuit Euphrasius. II. Nam contra communem Nostratium, & Exterorum procederet traditionem, Ecclesiarúmque Nostrarum placitum, apud quos *Anno II.* Neronis, Christi LVII. occubuisse, constans, & indubitata sententia est. Sed demus quod vltrà vixisset, quâ poterit auctoritate sustineri *S. Euphrasium* post aduentum Româ *Iliturgim* à B.Petro cum aliis Coëpiscopis missum, iterum *Romam* accedere, & pignora sacra PVDENTIANÆ recenter humata secum deferre?

Corpus S. Pudentianæ requiescit Romæ in Ecclesia S. Praxedis sororis. III. Quia *Corpus* istius sanctæ Virginis *Romanæ* adhuc in Ecclesia S. Praxedis sororis reconditur, vt expresśè firmauit Gallonius *de SS. Virgin. Roman. fol.* 75. his verbis: I CORPI *di queste Sante Virgini* PVDENTIANE *si riposano nella Chiesa di S. Prassedi.* Quæ Latinè sonant: CORPVS *huius S. Virginis* PVDENTIANÆ *conduntur in Ecclesia S. Praxedis.* Eadem D. Syluan. Razzius *Histor. Illustr. Fæminar. tom.* 3. *fol.* 48. Quorum attestatione, omnis hæc *Pancorui* Disquisitio penitus euacuatur; nam si totius fundaminis apex in probatione Translationis CORPORIS, B. Virginis Româ *Iliturgim* pendebat; & adhuc CORPVS *Romæ* quiescit, ergo Disquisitio corruit, & *P. Assertor* oleum, & operam perdidit.

O rem ridiculam, Cato, & iocosam,
Dignámque auribus, & tuo cachinno!

Respondetur VI. Argum. SED ad SEXTAM Siparij complicationem veniamus, quâ scenæ fabricator nostrorum respuens camænas, illorum contrarietatem extollit: quasi res humanæ sub temporum inconstantiam non cadant. Quis in antiquis actionibus infallibilem Heroum vitæ contexturam edixit? Quis res gestas etiam Sanctorum ad amussim constanti relatione præscripsit? Nónne passim variantium, & tergiuersantium Scriptorum coniectationes? Contrariantium sophismata? & propulsantium argutiæ? ergo quid noui, si Scriptores *Giennenses*, quos taxat, & lacessit, ad totius veritatis acumina non pertingentes, quidquid suis seculis percepêre, tabulis dedêre communibus? Non enim omnibus datum Saturni aurea secula requirere. Vnusquisque equidem suam est insecutus opinionem, prout ipse *Pancorus* suum sophisma, cuius instantia profundiùs demiranda est, & altiùs contemnenda; quia cognitis, & inspectis *Eminentissimi* studiis in totius veritatis inuestigatione consumptis, ille quasi decisionis arbiter aliam eligens viam, à iure discedens, se se præcipitem destinauit. Sed de hoc satis, ne Commentaria Sanctorum, in palæstram vertamus improperij.

ILITVRGIS. Vrbs vlterioris *Hispaniæ* antiqua, de qua plura diximus supra *Tom.* 1. *die XIV. Ianuar. fol.* 152. Addo *Aul. Halum* meum *carm.* 310. *fol.* 35. qui illam inter *Cordubensis* Conuentus vrbes consignat, sic:

Elogium.

Osca vetus pariterque manent, ac Bætica circum
Iura sedéntque foro, non parua est fama LITVRGO
Circa Laconas, quod Corduba sustulit vndas
Conuentu memoranda suo.

Vbi LITVRGO pro ILITVRGO licentiâ Poëticâ, per ἀφαίρεσιν scripsit. De ea videndi quos supra *d. fol.* 152. retulimus, hodie dicitur ANDVXAR, cuius finibus propè olim ILITVRGIM conditam fuisse, vestigia vetustissima manifestant.

QVARTO

QVARTODECIMO KALEND. MAII. DIES XVIII.

A. Cordubæ S. PRÆFECTVS *Presbyter, & Martyr, qui cùm nostram Catholicam extolleret religionem, & peruersam Mahumetis sectam, falsam exclamaret, martyrij laurea coronatus est.*

B. *In Cœnobio* S. Saluatoris Legerensi *in Vasconia* Translatio *sacrorum pignorum SS.* Nunnullonis, *&* Allodiæ *ex Oscensi Aragonia vrbe per Regem Ennecum.*

NOTÆ.

SANCTVS PRÆFECTVS Martyr.] Eius memoria apud *Vsuardum*, & recentiores celebris, à quibus Martyr. Roman. his verbis: *Corduba* S. Perfecti *Presbyteri, & Martyris, à Mauris, quod in Mahumetis sectam inueheretur, perempti.* Eius agonem scripsit S. Eulogius *lib. 1. & lib. 2. Memor. SS. cap. 1.* Acta recensuit P. Martin. de Roa *de SS. Cordubens. h. d. fol....* P. Mariet. *Histor. SS. Hispan. lib. 3. cap. 65.* P. Trugillo, Villag. Ribadeneyr. & alij, quos infra referemus. Nunc ad acta ex S. Eulogij Memoriali.

ACTA S. PRÆFECTI PRESBYTERI, & Martyris Cordubensis; ex Memor. S. Eulogij.

IN NOMINE DOMINI. *Regnante in perpetuum Domino Nostro Iesu-Christo, Anno Incarnationis eius* DCCC.L. *Era* DCCC.LXXXVIII. *Consulatus autem* Habdarrahgman XXIX. *Cuius temporibus, rebus, & dignitate gens Arabum in* Hispaniis *aucta, totam penè* Hiberiam *diro priuilegio occupauit.* Cordubam *verò, quæ olim* Patritia *dicebatur, nunc sessione sua,* Vrbem Regiam *appellatam, summo apice extulit, honoribus sublimauit, gloriâ dilatauit, diuitijs cumulauit, cunctarúmque delitiarum mundi affluentia (vltraquam credi, vel dici fas est) vehementiùs ampliauit; ita vt in omni pompa seculari prædecessores generis sui Reges excederet, superaret, & vinceret. Dúmque sub eius grauissimo iugo Ecclesia Orthodoxorum gemens, vsque ad interitum vapularet; Venerabilis memoria* PRÆFECTVS *Presbyter* Cordubæ *natus, & sub pædagogis Basilicæ* S. Acisci *clara eruditione nutritus, plenissimè Ecclesiasticis disciplinis imbutus, & viuaci educatione literaria captus, nec non ex parte lingua Arabica cognitus, totam penè iuuentutem in prædicto transegit cœnobio.* *Habdar-ragmā Cordubā exaltauit.* *S. Præfecti origo, educatio, & eruditio.*

QVODAM *verò die, dum ob rei familiaris necessitatem, iter perageret, & rerum domesticarum commodis consulens, per vrbem ingrederetur, quorumdam Gentilium sciscitationibus de fide Catholica exploratur: súmque*

A Gentilibus Sarracenis falsitur. *quæ coram eis de* CHRISTO, *& propheta* Mahomat *testimonium proferre iubetur. Qui continuò diffuso ore diuinitatis Christi potentiam proferens, & esse Deum super omnia benedictum, in secula præconizant:* Vatem (*inquit*) vestrum, qualiter apud Catholicos habeatur, exponere non audeo, quia graui molestia propter hoc, vos vulnerari non ambigo. Verùm si fœdus intercesserit amicabile, & pacificam fidei pactionem accommodatis, dicam, quo Euangelij testimonio denotetur, vel qua veneratione à Christicolis extollatur. *Illicò fraudulenter fidem spondent, & quid de illo apud Religiosos tenetur, omni pulsa formidine enarrare compellunt. Ad hæc prudens Sacerdos Arabicè illos reciprocans,* *Pseudopropheta errores propalat.* *pseudoprophetam, illum, & falsissimum dogmatistam, quia plures seduxerit; ex Euangelio protulit dicens:* Multi pseudoprophetæ venient in nomine meo, & multos seducent, & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. *Mat. c. 15.* Ex quibus inter cæteros, summus hic Propheta vester, hostis antiqui præstigiis occupatus, dæmoniorum figmentis illectus, maleficiorum sacrilegiis deditus, multorum paruipendentium corda lethali veneno corrumpens; æternæ perditionis laqueis, mancipauit. Sic nulla spiritali discretus prudentia, principi Sathanæ eorum fidem accommodat, cum quo ipse asperrima inferorum luiturus tormenta, vos quoque sequipedas, secum arsuros inextinguibilis camini deputauit incendiis. Nam quo pacto inter Prophetas reputabitur, aut quare non maledictione cælesti plectetur, qui *Zemab* vxorem vernaculi sui *Zaid*, specie decoris eius obcæcatus, iure barbarico auferens, sicut *Ps. 31.* equus, & mulus, in quibus non est intellectus, adulterina sibi copula nexuit, seséque ex iussu Angeli hoc egisse prædixit. *Multa deinde* B. PRÆFECTUS *de fœditatibus, & libidinibus, quæ lege* Mahometica *Mahometani dogmatis fœditates manifestat.* *præcipiuntur, superaddidit, & tandem finem his verbis fecit.* Sic fautor immunditiæ, & libidinum, voluptatibus seruiens, omnes vos perennis luxuriæ impuritatibus dedicauit. *Alia etiam plura, prout nouerat, de ipsius nefandissima doctrina eis exponens, multáque auditui exosa, coram omnibus denuntians, licèt non tunc illum superbo oculo impetierint, accensum tamen vltionis furorem in corde ad perniciem eius reponunt.*

Sarraceni aduersus eũ conspirant. PERFICIT *Dei famulus sibi hinc necessaria rei vtilitatem, & expleto sui itineris cursu, propria quietis cellulam repetens, securus aliquantò permansit. Cæterum post non longam digressionem temporis, dum occasio familiaris necessitatis, eum aliquò ire compelleret, casu apud eosdem, cum quibus dudum conflictum fecerat, habuit commeatum. Quem æmuli venientem eminùs contuentes, æternum aduersus eum sub pectore vulnus seruatum, in apertum produnt incendium, & in vindictam sui Vatis, circumadstantium hoc modo hortantur conuentum.* Ecce quem temeraria pridem insania impellente, tanta coram Nobis aduersus Vatem (*psallat Deus super eum, & saluet eum*) maledictionis verba protulit, quanta nullus *Verba quibus Mahomat salutant.* vestrorum auditus potest perferre. *Hoc autem genere benedictionis semper ad honorem eius vtuntur* Zalla, Allah, Halla, Anabi, V. A, Zallen. *Quod Latinè dicitur:* Psallat Deus super Prophetam, & saluet eum. *Et ita quasi apes stimulata, tota illa cohors perditionis in eum furibunda consurgens, apprehensam sub omni celeritate iudici, vix plantis solum tangen-* *Iudici S. Virum perferentes offerunt.* *tem, offerunt, atque huiusmodi de eo testimonium proferunt.* Hunc, quem tuis reuerendissimis tribunalibus, iudex, attraximus, maledixisse in Prophetam nostrum, eiúsque cultoribus exprobrasse comperimus; Quæ verò sententia tales ausus compescat, furiámque retundat, melius tua nouit prudentia cogitare. *Tunc iudex iniquitatis ergastulis futu-* *In carcerem conijcitur.* *rum Dei Martyrem tradit, ferróque vinctum, importabili pondere vinculorum coarctans, victimandum in eum diem differt, quo prophanis ritubus festiuum Pascha gaudium apud eos excolitur. Vadit miles Christi exultan-*

tibus animis, abdita carceris petens, latúsque illum reorum specum, quasi ad epulas inuitatus, ingreditur. Vbi summa timoris, & Sanctimonij reuerentia praditus, vigilijs, orationibus, atque ieiunijs inseruiens, fertur, suam sententiam, quam dudum ante iudicem formidine mortis negauerat, fortiori mente in virtute Sancti Spiritus, confirmasse. Et priusquam foro plectendus duceretur, tradunt, prophetico vegetatum Spiritu, de quodam Eunucho, vocabulo Nazar, Cubiculario Proconsule (qui eo tempore totius rei in Hispanijs administrationem gerebat) dixisse: Hic, quem hodie super omnes Iberiæ Primates fastus principatus extollit, & cœlo tenùs gloriosa potestas in hac parte Occidua sublimauit, reuoluto venturi anni curriculo, ipsum, quo me prosterni die decreuit, non attinget. Quod ita diuina virtus, vt Confessori suo, iampridem per squalores carceris, elimato, reuelauerat, implere non distulit.

Orationi, & vigilijs vacat in carcere.

Prædicit cuiusdam Eunuchi interitum.

Exactis igitur non multis in carcere Mensibus, post expleta ieiuniorum suorum tricena diecula, in quibus gastrimargia crapulis, & fluxu libidinis, sicuti in primo libro digestum est, propensius solito, insistunt: illucescit Martyri cæteris temporibus gloriosior dies. Ille, ille scilicet, quem solemni veneratione, summóque tripudio, ritu vana legis gerunt dicatum. In quo se magnum Deo suo præstaturos arbitrantes obsequium, eductum ex antro, gladio vindice trucidarunt confitentem Christum, in gloria Deitatis manentem; & Ecclesia Catholica inimicum Pseudoprophetam liberis vocibus exprobrantem, atque dicentem: In Prophetam vestrum & maledixi, & maledico, virum dæmoniorum, magum, adulterum, & mendacem; sicuti professus sum, & profiteor. Profanationes sectæ vestræ commenta diaboli esse denuntio. Vos quoque cum ipso duce tenebrarum; æterna luituros tormenta profiteor. Turba Gentilium, quæ intuitu tantæ festiuitatis in campum vltra pontem fluminis, in parte ab vrbe Australi situm, latissima planitie ad exorandum processerat, ouans præpeti regressu, ad necem Martyris contemplandam sese diuertit. Quæ iam prostratam ante fores Prætorij, suóque se volutantem sanguine cernens, inlitis quoque, & ipso extincti Sacerdotis cruore vestigiis, aucta iucunditate, ad exoluendum sacrilegium voti compos regreditur. Nihilominus se facilius potitura confidens, quæ tanti hostis sanguine combinatis gressibus incedebat.

Maurorum festiuitas, & solẽnia.

Verba aduersus Gẽtiles intonat.

Coronatur.

Sed ad propositum redeamus, & quod ad laudem sui Martyris, ipso die, quo decedit, diuina pietas fuerit operata, sicut plurimorũ fideli relatione comperimus, referamus. Nam celerem ad vindicium sui militis, vltionem effundẽs, nonnullos de pessimorum caterua gurgite fluuiali immersit. Regredienti namque vulgo, à loco orationis, vbi ritu sacrilego irrita vota persoluerat, plerique ascensis nauibus, dorso vectãtur æquoreo, sectóque carinis, & præpeti nauigio, amne domum reuertunt. Inter quos vna fluctuatione vndarum, euersa nauicula, quæ octonis homunculis vehiculum inter fluctus præstabat, gremio interioris abyssi reconditur. Vix inde nando sex euadentibus, bini naufragio perierãt. Vt non esset vacua Scriptura, quæ dicit: Ego Dominus dabo impios pro morte tua, & diuites pro sepultura tua. Vnum enim in cælum crudelitas persequentis præmisit, & duos inferis sæua tempestas fluminis dedicauit. Corpus autem Sancti Martyris pijs religiosorum officijs, dignóque Præsulis, & Sacerdotum obsequio in Basilica B. Aciscli, in eo titulo, quo felicia eius mẽbra quiescunt, humatur. Illúdque prophetismum diuinitus ore eius prolatum, de Proconsule Eunucho clauiculario Nazar, ita, Deo dispensante impletum est, vt carcere adhuc detentus conuictis prædixerat; Nam priusquam in anno altero prophana solemnitatis paschale gaudium iterandum occurreret, multis antè diebus, Eunuchus idem occubuit. Ignita namque febre intrinsecus viscera eius adusta, & (vt nonnulli ferunt) toxica potione corrupta, ante obitum, dùm vrgente corporali necessitate, ad purgandam aluum secretiùs cubiculum peteret, in disco effusa sunt, & interijt. Sicuti quidam Poeta Christicola Arrij finem describens, heroicè lusit, dicens:

Miracula.

Esai. c. 53.

Corpus sepelitur.

Visceribus fusis vacuus quoque ventre remansit:

Cal. Sedul. lib. 1. Carm. Paschal.

Sic namque Dominus utroque miraculo militem suum glorificant, magna spei solatijs; fidelium vota corroborat, impiorumque sacrilegam vanitatem, stupore vehementi exturbat. Hæc Nos perpauca ex gestis B. Martyris dixisse sufficiat, quæ, Viris Catholicis referentibus, qui eius contuberniis, à principio in vinculis adhæserunt; sed & ipsorum ethnicorum relatione vera esse cognouimus, dum Nos tempore compeditionis nostræ, omnes eum quibus ille Martyr futurus, morabatur, vix paucos solutos reperimus. Consummauit autem Vir Dei cursum agonis sui in pace XIV. Kal. Maias, *die VI. feria, Era, quæ supra adnotatum est.*

Mors Martyris multos inuitauit.

Res *verò tanti facinoris in Sacerdote commissi, multos, otio secura confessionis, per deserta montium, & nemora solitudinum, in Dei contemplatione fruentes, ad sponte, & publicè detestandum, & maledicendum sceleratum vatem, exilire coegit; maiorisque ardoris fomitem moriendi pro iustitia cunctis ministrauit. Et quod ab isto vno infida persecutorum executio, primitus violenter extorsit, & quod in hunc callida circumuetione suadendo vlciscitur, postmodum in plurimos vltrò se tali discrimini offerentes, exhorruit. Adeò namque terrore nimio, ethnicorum vniuersitas, in horum progressu concussa est, vt perditionem Reip. Regnique sui excidium iam imminere arbitraretur, ac Nostros Athletas, ab huiusmodi intentionibus inhiberi supppliciter exoraret. Sed Nos, sicut huius voluminis præfatio continet, Nostrorum Agonistarum ætates, ortus, temporaque decisionis fideli prosequamur stylo, vt quod diuino munere nobis, nostræque ætati coniunctum est, proprijs scilicet obtutibus Sanctorum contemplari agonem, venturis etiam sæculis pura libelli series innotescat. Vt Nostri quoque gaudij futura generatio particeps fiat, dùm mente credula, vera esse non abnuat, quæ sibi Catholicorum mandasse industria lectitat.*

Quæ de S. Martyre dicat Indiculus Luminosus referuntur.

Hactenus *S. Eulogius.* Plura notatu digna addidit Ambrosius Moralez in scholiis, inter quæ, ex libello, quem *Indiculum Luminosum* vocitat, hæc verba refert: *Et primum Sacerdotem intueamur* Præfectum *gentilitio zelo peremptum, fidei constantia decoratum, martyriali gloria infulatum, & verè in Electorum numero aggregatum: & quo pacto ad occisionem venerit, sinceriter proferamus. Nempe ad aliud pergentem, aliisque secularibus operibus intendentem, aithilque, de quo gestum est, pertractantem, dæmonicolarum incursionibus impulsari. A quibus ille cautè, & circunspectè, vt istis videtur; vt verò mihi, timidè fidem petit: & ne ex responsionibus proprijs impediretur, orauit dicens:* Multa erant mihi, ex quibus abundantissimè vestras poteram confringere nænias, vel destruere anilis historiæ fabulas, si vestræ vltionis non vererer vltrici gladio currentes vltro, citròque incurrere sententias. *Cui cùm fidem dedissent, & ei, vt quæ sibi videbantur exponeret, iuramento antepositò imperarent: ille accepta dicendi fiducia, & eorum pro iuramento vero sument mendacia: post varia, & multa sententiarum certamina, prophetæ eorum voluptuosam lasciuiam, & lenocinationis luxuriam sermone quo potuit, exprobrauit, & oratione splendida comprobauit. At illi, aliqua super eius meretricationis subsannium, vel coniugatorum adulterij colludium, habita conflictatione verborum, frendentes dentibus, & caninis sæuientes rictibus, ore vipereo sibilantes, & leonum ferocitate frementes, abire eum, propter datum nouiter iuramentum permiserunt illæsum. Sed post aliquot temporis cursum, dolorum semper pectoribus retinentes venenum, & quasi vetustate temporis reputantes abolitum prius illi iniectum infidum pactum, dolo eum circumuenientes apprehensum iudici sæuissimè mendacio inhiantes, quasi destruentem fidem illorum ritum impiè protulerunt: eùmque maledicentem eorum vatem sui testimonio vilissimi homunculi firmarunt. Ille inopinato casu perterritus, & insusitata circumuentione perplexus, illorum fraudulenta ignorans consilia, quæ contra eum instruxerat commentatio fraudulenta: sed hoc penitus non dixisse, in firma satu prosequutione retexuit. At vbi in carcerem missus in se extat conuersus, audaci proposito, & virili congressu cœpit ipsorum totam legem infringere, & non solùm, quòd pridie dixerat, quæ super eum imperitiæ*

factio

factio afferebat, verumetiam alia potiora ingerere, mortisque magis gloriam, quàm interitum expectare. Tunc eductum in ipsum diei sui horrendum Pascha, quo soliti sunt pascuis frui carnalibus, & ventri, libidinique alimenta ministrare satura, gladio vindice peremerunt. Et quasi victoria hostium potiti, ad orationis conuenticulum, obsequium Deo se praestare credentes, elati, & innocentis cruore perfusi, ritum suum perficiendum, vt soliti sunt annuè peruenerunt. Hactenus *Indiculi Luminosi* Auctor. Quis iste fuerit variè disceptatur. D. D. Laurent. Ramir. de Prado *in Not. ad Luitprand. in Chron. n.* 309 *fol.* 433. omnium sententias concinnat,& tandem pro *Aluaro Cordubensi* S.Eulogij Sinchronos pronius inclinat. Videnda quæ de hoc libello diximus *die XV. Ianuary*, vbi de *S.Bonito* egimus, cui etiam tribuitur hoc opusculum.

QVATENVS ad S. PRÆFECTVM attinet non sunt audiendi VVion *in Lign. Vit. lib.* 3. nec Hugo Menardus *in Martyrol. Monast.* h.d. contendentes S.Martyrem ex ordine extitisse *Benedictino.* Nam vt ex *S.Eulogij* relatione dignoscitur, nec vllum de *Monachatu* verbum contexuit; ideóque *Clericum Presbyterum secularem,* non *Monachum Benedictinum*, vt perperam relati, veraciter nominabis. Nec huic meæ obstabit resolutioni, quod in Actis, de eruditione sub pædagogis *Basilicæ S.Acisceli*,& quod totam pene iuuentutem in prædicto transegerit cœnobio, recensetur. Quia benè potuit sub *Magistris Monachis* ad eruditionem accedere, & in *Monasterio Aciselano*, adolescentiæ flores emittere, & tamen Ordinis *Benedictini* cucullum non induere. Et demum probatur, quia si *S. Eulogius* illum *Monachum* deprehenderet, vt quid tanto illum exueret titulo? vt in aliis noscimus expressisse. Absit ergo à tanto Martyre, & Præsule hæc perplexitatis reticentia; & à tanta *S. P. Benedicti* familia absit huiusmodi vsurpationis cautela; si tantis est illustrata Martyribus, tantisque decorata Confessoribus, vt vix sit in Ecclesia Dei vlla, quæ cum illa possit decertare. *Non fuit Monachus, sed Clericus secularis.*

CORDVBA. Vrbs celebris Bœticæ, quæ & PATRICIA appellata, de qua diximus supra *Tom.* 1. *die XIII. fol.* 146. *die XXXI. Ianuar. fol.* 366. *& Tom.* 2. *die XI. Martij.* Vbi aliqua eius circa antiquitatem elogia recensuimus. Cætera alibi subiiciemus; nam cùm hæc ciuitas tot cœlo Diuos, Hispaniæ Martyres, & sibi ministrauerit Tutelares, nobis de eius encomiis subscribere, amplum campum feliciter subministrat.

TRANSLATIO SS.Nunnillonis,& Allodiæ MM.] Hanc Translationem hoc die fuisse factam fatetur D. D. Prudent. de Sandoual Episcopus Pampilon. Regiúsque Chronographus *in Hist. Pampil. in Vit. Oppilonis Episcopi, fol.* 18. his verbis: *Adhuc adest memoria de Rege* Enecone *in quodam donationis auctographo in fauorem Cœnobij S. Saluatoris Legerensis, Era DCCC. LXXX. die XIV. Kalend. Maij, Qua die translata sunt* SS. Nunnilonis, & Allodiæ Martyrum *sacra corpora, quæ Rex* Enecus *extraxerat ab vrbe* Osca, *vbi à Mauris martyrium compleuerant,& in puteum illata fuerant. Huiusmodi gloriosæ translationi interfuit* Gullesindus *Episcopus Pampilonensis, qui simul cum Rege suum obtulit Sanctis Martyribus donarium.* Monente me *(inquit)* ac precante Domino meo supradicto Rege. *Regina vocabatur* Oneca, *quæ hanc translationem Sanctarum Virginum totis viribus procurauit, vt in Legendario Monasterij deprehenditur.* Huius Priuilegij, seu donationis seriem referunt complures, quos concinnauit P. Higuera *in Not. ad Luitprand. in Chron. num.* 352. *fol.* 441. sed per remissionem. At Stephan. de Garibay *in Comp. Histor. tom.* 3. *lib.* 22. ad pedem (vt aiunt) literæ totum exscripsit auctographum. Quod, quia ad Translationis diem consignandam attinet, itidem ab illo commodatum petemus. B. *Scriptores.*

IN Nomine *Sancta, & Indiuidua Trinitatis. Hoc est testamentum donationis, quod Ego Rex* Eneco Xemenones, *cum Episcopo Domino* Guillesindo, *facio in honorem S. Saluatoris, & Sanctarum Virginum* Nunilonis, *&* Alodiæ. *Ego namque* Enneco *nutu Dei Rex, filius* Xemenonis, *videns ea quacumque in mundo possidemus esse caduca, & fugientia, & suis possessoribus grauamen, solicitudinem, variósque labores semper inferentia, & post resurrectionem carnis eos minime comitantia, tamen quia pro ea, si bene fuerint dispensata, Domino teste, qui in Euangelio dixit:* Euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, *possunt adipisci* *Priuilegiũ Regis Eneconis in die exceptionis Reliquiarum.*

adipiſci perpetua, quæ omni felicitate plena retinentur ſine ſolicitudine, ſine diſceſſionis metu, ſine triſtitia: cupio vincula peccatorum meorum diſrumpere, operum bonorum exhibitione, & ex his quæ non ſemper poſſum retinere, & quæ me viuente, vel moriente in alterius dominio ſunt ventura, aliquid ante me mittere, & interceſſores apud Omnipotentem Deum quærere, vt ad illam felicitatem, quæ fine caret, valeam pertingere. Igitur Ego Rex Enneco concedo S. Saluatori, Sanctiſque Martyribus Nuniloni, & Alodiæ duas Villas, ſcilicet Eſam, & Banaſam cum omnibus terminis illis pertinentibus, ita ingenuas ex parte Regali, vt ab hodierno die, & futuro tempore, neque Rex, neque aliquis Senior ibi habeat aliquid mandationis, niſi Abbas, & Monachi S. Saluatoris, quatenus illis exorantibus Sanctæ Martyres, quarum hæc concedo honore, illius clementiam pro cuius nomine ſunt paſſæ mihi

Guilleſindus Epiſcopus donat.

adquirant, quam meis non poſſum adquirere meritis, Amen. Et ego Guilleſindus Epiſcopus, monente me, ac precante Domino meo ſupradicto Rege; vt ſimili modo faciam aliquod donum, & aliis tribuam exemplum bonum, quod pro largitione egentis, in futuro vitæ æternæ adquiritur præmium, quod oculus non vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis aſcendit, tribuo de facultate mea, quam, Deo largiente, habeo, Sancto Saluatori, & Sanctis Martyribus medietatem tertiæ partis decimarum omnium fructuûm, quos colligo in Valle-Oſſellæ, & Pintani, & Artedæ, vt Deo, eiúſque Sanctis in Monaſterio, iam facto, famulantes pauperibus Chriſti inde gubernantes, à iuſto mercedem omnium etiam pro aqua calida frigida retributore in die tremenda, & horrenda retributionis merear recompenſationem accipere. Qui verò quandoque hanc exſcriptionis chartam Regalis, & Epiſcopalis oblationis tentauerit violare, & eum S. Saluatori, & Sanctis Martyribus voluerit tollere, ex parte Sanctæ, & inſeparabilis Trinitatis maledictus, & condemnatus, & omnium Sanctorum ſocietate excommunicatus, & ſeparatus, habeat partem cum Satana, & Iuda traditore ſine fine, in inferno inferiori,

Data Priuilegij.

Amen. Facta Charta in Era Octingenteſima Octuageſima, XIV. Kal. Maij, & poſita ſuper Altare S. Saluatoris. Et commendata Fortunio Abbati, ſuiſque Monachis, coram Populo FESTIVITATEM EXCEPTIONIS CORPORVM SANCTORVM CELEBRANTI in eodem loco.

Error Garibay.

Non me latet Garibayum *XIV. Kal. Iul.* exſcripſiſſe, cùm Sandoualius *XIV. Kal. Maij* adnotet, cui eſt deferendum, quia per ſe auctographum deſumpſit. Et probatur vberiùs ex antiquis Legendariis, & Lectionibus Breuiarij Pampilonenſis die *XXI. Octobris fol.* 544. vbi hæc referuntur verba: *At verò is qui promiſit non periturum capillum de capite ſuorum, prouidit, vt* Onecæ *Reginæ* Nauarræ *veniret in men-*

Suppletur ex Breuiario antiquo Pampilonenſi.

tem, religiosè, ſollicitéque inueſtigare ea (ſcilicet corpora SS. Virginum, & Martyrum Nunilonis, & Alodiæ) *quæ tamen poſtea in celeberrimum S. Saluatoris Legerenſis Cœnobium venerabundè tranſtulit* XIV. Kalend. Maij. *Anno poſt earumdem martyrium Nono. Vbi magna populorum frequentia colebantur, & nunc quoque viſuntur.*

Quot fuere horum nominum in Hiſpania Virgines, & Martyres? I. Opinio. II. Opinio. III. Opinio.

En ſacrorum pignorum tranſlationem Sanctarum *Nunilonis*, & *Alodiæ*. At hinc exurgit diſputatio: Quarúmne fuerint huiuſmodi exuuiæ? nam apud Noſtros tres bigas huius nominis Martyrum deprehendo, ſi P. Biuario, relato à D. Dom. Laurentio Ramirez *in Notis ad Luitprandum d. num.* 352. *fol.* 441. credimus, qui etiam eaſdem diuerſis temporibus inuenit, hiſce verbis: *Priores ante Annum Chriſti* DCC. XIV. *ſeu Hiſpaniæ vaſtationem. Poſt has Anno Chriſti* DCCC. LI. *iuxta* Eulogij *teſtimonium, alias. Poſtremas verò ad Annum Chriſti* DCCCC. L. *quod* Luitprandus *ferè vidit, adſtruendas non ambigo.* Sed & Iulianus Petr. *in Aduerſ. num.* 292. *fol.* 65. eaſdem ipſe bigas profitetur, hac ſerie: *In pretio ſunt SS. Virgines* NVNILO, & ALODIA *Virgines, & Martyres, quarum cognominum; quædam longè ante euerſionem* Hiſpaniæ; *quædam ſub Mauris Anno* DCCC. XLVIII. *quædam anno circiter* DCCCC. LI. *paſſæ creduntur. Quaſdam* OSCA *Bætica; quaſdam* TRITIVM *Patronas habet; quaſdam* OSCA *Aragoniæ.* Aſt vniuſcuiuſque bigæ memorias in medium exponere curabimus, vt ad propoſitæ quæſtionis probationem teſtium affirmatione deueniamus.

PRIMAM

PRIMAM nobis, & antiquiorem dabit probationem *Canonica S. Petri de Taberna* in Ripa curtia, quam se inuenisse in Cœnobio Pinnatensi fatetur Ieronym. Blancas *in Comment. Rer. Aragonens. tom.3. Hispan. Illustrat. fol.*577. vbi cùm de statu Belascutus Monachus moribundus eo ipso tempore, quo Hispaniæ ruina successerat, percontatus Cœnobij Tabernensis, plura vt testis ocularis, sub iuramenti referret execratione, inter quæ, de fuga Bentij Episcopi Cæsaraugustani cum Reliquiarum thesauris agens, illúmque Altaria nonnulla dedicasse veraciter obtestans, prosequitur: *Consecrauit etiam Altare in honorem* S.Stephani *Protomartyris; in quo reposuit duos digitos de corpore eiusdem Martyris; & reliquias de Corpore S.Bartholomæi, Apostoli; S.Barnabæ Apostoli; & S.Cypriani Martyris; & Caput* S.NVNILONIS; *& spatulam* S.ALODIÆ; *& Crucis particulam de ligno Domini.* Ecce iam harum Sanctarum memoria & Reliquiarum Translatio Cæsaraugustâ ad Cœnobium Tabernense ad Annum DCC.XIV. quo Hispanicum accidit excidium. Quâ expresse comprobatur ecphrasi opinio *Iuliani* dicentis: *Quadam ante euersionem Hispaniæ.* Agunt de hac *Canonica* Didacus de Aynsa, & de Yriart *in Histor. Oscens. lib.2. cap.35 fol.*288. D.Ioann. Briz Martin. *Histor. S.Ioannis Pinnatens. lib.2. cap.20. fol.*355. Ludouicus Lop. *in Stat. Eccles. Cæsaraugustan. Vrb. c.*14. *fol.*500. P.Murill. *Histor. Cæsaraugust. 1.part. cap.30. fol.*250. *I. Opinio probatur.*

SECVNDAM præbebit S.Eulogius Noster Sanctorum Martyrum sui seculi diligens indagator, & verissimus encomiastes, qui in suo *Memorial. SS. lib.2. c.7.* ex relatione Viri Sanctissimi, & Venerandæ paternitatis *Venerij* Complutensis Episcopi se didicisse fatetur, NVNILONEM, & ALODIAM, sorores, Virgines in Vrbe BOSCA, apud Oppidum *Barbitanum*, die XXII. Octobris, Anno Domini DCCC. LI. martyrium consummasse. Cuius relationis assertio; ex Iuliani *Aduers. num.*293. confirmatur, dicentis: *Oppido* BOSCAE, *prope oppidum* Berbetanum, *nunc autem* Berberanum, *apud Antoninum* Barbariana, *passæ sunt Sanctissimæ Virgines* NVNILO, *&* ALODIA *sorores, Anno* DCCC. LI. *vigesimâ primâ Octobris.* De quo scribunt Ambros. Moral. *Histor. Hispan. lib.*13. *cap.*44. & in *Schol. ad d. cap.7. lib.2. S.Eulog.* Stephan. Garibay. *in Compend. lib.*22. *cap.*1. Mariana, *lib.8. cap.1. & 9.* & ferè omnes Hispaniæ Scriptores, quos congerit Yriart *d. lib.2. cap.35. fol.*286. *II. Probatur.*

TERTIAM subministrabit Luitprandus, qui per hæc tempora vitam ducebat, & suo *Chron. Ann.*951. *numer.*352. *fol.*440. apùd Ramiresi. *& fol.*78. *& in Not. fol.*235. hanc addidit memoriam scribens: NVNILO *&* ALODIA *hoc Anno* (scilicet DCCCC. LI.) *patiuntur, me viuente, in Castro Vergeti, sed est Castellon, in Castris Vinarys in Batestania.* Quod & repetit in *Aduers. num.*212. licèt in Anni consignatione in vtriusque codice mendum insit; Cui adhæret Iulian. *d. Aduers. numer.*292. Istorum opinioni fauet Vasseus *in Chron. Ann.*950. & Breuiar. Antiq. Salmantin. apud me, quod beneficio doctissimi, & eruditissimi *Doctoris D.Martini de Hontiueros* illius Academiæ Primariæ Cathedræ Iuris Pontificij emeriti, & in S. E. Salmantina Canonici, adeptus sum; in hoc igitur Breuiario, *fol.*285. & in Calagurritano Legendario *MS. fol.*188. legitur in exordio I. Lectionis. *Igitur Anno Domini Nongentesimo Quinquagesimo cùm* NVNILLO; *&* ALODIA *sorores Virgines*, &c. quod fatentur Ramiresius Noster eruditissimus *fol.*444. & Tamayus meus *d. fol.*239. & alij quorum apud ipsum nomina, & citationes edisces. *III. Probatur.*

QVID ergo in re tàm obscura tenendum, nec diuino; de ea *Tom.5. die XXII. Octobris*, ad amussim agemus. Quoad Translationem ad Cœnobium Legerense, SS. Virginum pignorum, post relatum auctographum, adsunt duo *Sanctij Maioris* Regis Nauarræ, aliud die XXI. Octobris, Anno M. XXII. expeditum, quo Monasterium Legerense: *quod est* (inquit Rex) *fundatum in honore S.Saluatoris, & continet* membra *Virginum, & Martyrum Christi*, NVNILIONIS, *&* ALODIAE, *cum innumerabilibus Sanctorum Reliquijs*, donat *Sanctio* Episcopo eius Magistro. Et aliud die XXVI. Octobris Anno Domini M. XXXII. quo donat prædicto *Sanctio* Præsuli, & Collegio Monachorum, in Cœnobio *Legerensi* degentium, *vbi sunt* (inquit Sanctius Maior) CORPORA *Beatissimarum* *Probatur existentia pignorum apud Legerense Cænob.*

Virginum,

TERTIODECIMO KALEND. MAII. DIES XIX.

A. ITVRISSÆ *in Vasconibus Hispaniæ* SS. SOCRATIS, *&* DIONYSII *Martyrum, qui Diocletiani Imperatoris sæuiente furore, pro Euangelica confessione detenti, varijs excruciati supplicijs, & inuicti pugiles inuenti, tandem Creatori animas in agone dederunt strenui.*

B. CAVCOLIBERI *in Hispaniæ Citerioris radicibus Pyrenæi* S. VINCENTII *Martyris, qui à Daciano Hispaniæ Præside comprehensus propter Fidei Catholicæ professionem, dùm nec verborum lenocinijs, nec verberum cruciatibus, ab ea dimoueri quiuisset, mucrone percussus, spiritum immarcessibili redimitus corona Domino commendauit.*

NOTÆ.

SANCTI SOCRATES, & DIONYSIVS Martyres.] Eorum memoria apud Græcos *in Menolog. h. d.* his verbis: *Eodem die SS. Martyres* SOCRATES, *&* DIONYSIVS *lanceis vulnerati martyrio functi sunt.* Ab illis *Latina Martyrologia* cum *Romano*, tàm antiquo, quàm recentiori Vrbani VIII. Eadem suis idiomatibus Castellanum *P. Vazq.* Lusitanum *P. Lobo*, Hispanum *MS. P. Higuera*. At quo loco, vel quo anno ad martyrij palmas peruenêre SS. Martyres, nullus aperit, ex antiquis Scriptoribus, vnum si demas Flau. Dextrum Nostrum, qui in *Chron. Ann.* 300. & Annum, & Vrbem propalauit agonis, hac serie: ITVRISSÆ *in Vasconibus SS. Martyres* SOCRATES *&* DIONYSIVS, *qui sub Diocletiano variè torti martyrium compleuerunt.* Et licet apud hanc vrbem *Hispaniæ* alios simul Martyres enumeret passos, in suum diem reiicimus, ne quos tumultuariè recensuit *Dexter*, Nos itidem commèmoratione tumultuariâ confundamus. Eorum ACTA prorsus periêre; sed vt Nostri instituti expetit series, illa breuiter describemus, provt temporum, & Scriptorum exigunt circunstantiæ.

A. *Martyrologia.*

Vrbis palestram, & agonis annũ Dexter consignat.

ACTA SS. SOCRATIS, ET DIONYSII Martyrum apud Iturissam Hispaniæ; ex Var. Scriptor.

SOCRATES, *&* DIONYSIVS *Ciues* ITVRISSANI *in* Vasconia Hispaniæ, *sæuiente, sub Diocletiani tyrannide, persecutionis procellâ, propter Catholicam fidem comprehensi, ergastuli sunt experti strenuis spiritibus, squalores. Ad quæstionem igitur deuentum est: Christum abnegare, & Idola adorare præceptum; vtrumque perficere nequiuêre. Fremet Iudex in*

Ciues Iturissani.

Comprehenduntur.

Martyres;

Martyres; Martyres iudicis inſaniam rident. Ille ad blanditias venit; isti cruciatus expetunt. Haud Iudici ſuauis cum Christi Militibus perſuaſio per-
Torquétur. *ualuit, ideò ad verbera tranſlata mollicies, cruciamentis corpora Martyrum ſæuiſsimis ſunt vulnerata continuis. Sed cùm Spiritus Domini per eorum corda deferretur aſsiduè, ideo Iudicis efferanequaquam perſenſere tormenta. Hinc blanditias, & vulnera ſuperantes, in fide ſtrenui permanſere Catholici. Quod vbi Iudici innotuit diro furore concitus, & ſæua crudelitate procinctus, Sanctiſsima membra, ſanguinis pretioſi purpuramento cruentata, iterum cruciari præcepit; ſed cum priùs in ſatellite vigor in verberum aſsiduitate deeſſet, quàm in Martyribus conſtantia in confeſsione deficeret, de re-*
Coronãtur. *medio Iudex diffiſus, & tortor feruore extenuatus, arreptis lanceis, Martyres instante indignatione confodiunt, ex quo felices animæ ad præmia per agonem conſcenderunt æterna*, XIII. Kal. Maij, *Anno Domini* CCC.

Hæc ſunt ACTA quæ de hiſce SS. Martyribus ex ſterili Scriptorum colligere relatione potuimus, quibus, donec Dei prouidentia maiora propalet, deuotus vti,
Scriptores. fruíque ſpiritus valebit apicibus: Ex Noſtris Authoribus de eis ſcripsêre P. Biuar. *in Not.ad Dextr. Ann.* 300.*Com.* 3.*n.*8.*fol.* 337.& Roder.Caro *in eod. Ann. fol.* 107.*lit.V.* qui fatentur cum *Dextro*,& hoſce Martyres fuiſſe *Iturriſſanos*,& martyrio *Hiſpanos.*

Topographia. ITVRISSA. Vrbs vetuſtiſſima in Vaſconibus, cuius meminit Ptolom. *in Geograph.lib.*2.*Tab.*2.*Europ.c.*6.his verbis: *Poſt hos* Vaſcones, *& Ciuitates Mediterraneæ* ITVRISSA,*Pompelon.* vbi Moletius *fol.*29.aſſerit eſſe hodie SANGVESA,cui conueniunt Scriptores die ſequenti citandi,vbi & Vrbis antiquitatem deſcribemus.

B. S. VINCENTIVS Martyr.] Celebris in *Hiſpaniæ* Tabulis, & in Martyrologio-
Martyrologia. rum Eccleſiaſticorum Albis. Ipſius memoriam repetunt vbique Scriptores Antiqui,& recentiores, vt *Beda, Vſuardus, Ado, Maurolycus, Constantius Felicius, Notkerus, Rabanus, Bellinus, Peregrinis, Equilinus*, & *Ferrarius*: Ex Noſtris poſt *Martyrologium Romanum*, antiquum *Roſvveydi*, nouiſſimum *Vrbani VIII.* & Caſtellanum *P.Vazquez.* Luſitanum *P.Lobo*,& Hiſpanum MS. *P.Higuera*, ſcripſere P.Anton.Vincent.
Scriptores. Domenec.*Hiſt.SS.Cathaloniæ lib.*1.*fol.*30. Ieronym.Pujad.*Hiſt.Cathalon.lib.*4.*c.*71. P.Truxill.*in Theſaur.Concionat.tom.*2.*fol.*906. P.Mariet. *Hiſtor.SS.Hiſpan.lib.*2.*c.*38. Ambroſ.Moral.*Hiſt.Hiſpan.lib.*10.*c.*13. Padill.*Hiſt.Eccleſ.Hiſpan.Cent.*4.*c.*18.*fol.*185. Vaſſ.*in Chron.Ann.*300.& alij paſſim. Eius ACTA penitus euanuiſſe fatentur vniuerſi; eadem apud me in *MS. Codice Segobienſi* profuſo ſermone deſcripta dabimus; vt quæ tantis hucuſque fuêre occultata Doctoribus, in publicum prodeant, mei homunculi miniſterio, & Dei prouidentiâ, quæ ſæpe ſæpiùs ſimilia occulit proceribus, & reuelat paruulis.

ACTA S. VINCENTII CAVCOLIBERITANI Martyris Hiſpani; ex Vetuſto Codice Legendario MS. Segobienſi.

INCIPIT Legenda S.VINCENTII Martyris, qui in Vrbe Hiſpaniæ Tarraconenſis Caucoliberitana ad radices Pyrenæi martyrio coronatus eſt XIII. Kalendas Maias Anno CCC.III.

QVO *tempore nefarij ſuperſtitionis Idolorum propugnatores, impia con-*
Imperatorũ edicta. *tra pietatem ac Religionem ſeruantes, per ſingulas vrbes, ac regiones edicta propoſuerunt, vt quicunque Chriſtiani deprehenſi eſſent, idolis ſacrificare cogerentur. Prioribus huius interminationis auctoribus, & Romanæ iniquita-*
Diocletiani immanitas. *tis imperatoribus ſucceſſere Diocletianus, & Maximianus Orbis Tyranni, qui vnus in Orientalibus, alius in Occidentalibus mundi partibus nomen Chriſtianum delere totis viribus ſatagebant. Quod vt conſequerentur faciliùs, per Prouincias Romano imperio ſubiectas, Præſides, & Iudices, qui rem*
Daciani Præſidentia. *ſibi commiſſam ad vnguem adimplerent, dimiſerunt.* Dacianus *ergo vnus ex electis Præſidibus ad tantum immane facinus perficiendum in partes* Hiſpaniæ, *& Galliæ delegatur, qui exantlatis* Galliæ *regionibus, innumeriſque*

que per agonum palæstram, effectis Martyribus, Hispanias *ingredi per* Pyrenæi *Montis iuga horrido furore decreuit. Qui cùm ad vrbem in illo tractu maritimam* CAVCOLIBERIM *vocatam peruenisset, publicatis Imperatorum edictis, comprehensus est* VINCENTIVS *illius ciuitatis accola, magnæ fidei, & constantiæ Vir, & adductus est ad Dacianum Præsidem. Quo ante tribunal constituto, Præses dixit* VINCENTIO: Age: esto Diis ipsis obediens, & Imperatoriis edictis. *Illi autem* VINCENTIVS *respondit:* Nemo vnquam reprehendi, aut condemnari poterit, qui Saluatoris Nostri Iesu-Christi præceptis obedierit. *Tum Dacianus Præses:* Tibi consulo, vt ea eligas quæ sunt tibi vtilia, & magnis Diis te adiungas, & eis vna nobiscum sacrifices. Sic enim quæcunque petieris, consequeris. Apud te ergo considera, id consilij capiens quod & tuæ conueniat nobilitati, & animi discretioni, neque velis iræ nostræ facere periculum, neque discere quantum sit malum impietas. Quod si tu his non parueris, neque meis cesseris suasionibus, necesse erit, vt meam deinceps tantam experiaris sæuitiam, quantâ nunc benignitate frueris, & mansuetudine: quo tempore & si ducaris pœnitentia, nihil fortassè tibi proderit. *His verbis Martyr respondit:* Mihi quidem diuitiæ, & vita est Christus. Mors autem propter ipsum subeunda est mihi vitâ longè pretiosior, propter quem non aliud ex his quæ sunt in terra incunda, mihi iucundum fuit existimatum. Tormenta quæ minaris, ea sunt mihi voluptates potiùs, quàm cruciamina, in illum solum defigenti oculos, & non ea solùm pati pro illo cupienti, sed etiam si fieri posset, mori millies. Ergo fac potius id quod est in tua potestate, aut situm est in motum tuorum crudelitate. Nam ego quidem ligneos, aut lapideos Deos nunquam colueri. *Tum Præses primùm plagas eius genis inflixit, deinde Martyrem, disruptis vestibus, nudum populo demonstrauit, cuius vtrumque latus carnifex fodiens, & carnes vngula cruenta propulsans, sitò corpus cruentum, humi proiectum, repetitis foraminibus sanguinem eructabat. Tunc Dacianus inquit:* Quis te, si non pareas, poterit à meis manibus eripere? ergo te minutatim disiectum feris apponam agrestibus exedendum. Quale maius dedecus nobili Viro, quàm nudum hominum conspectibus exponi? Sed si resipiscens, ab eâ, quæ te tenet, amentiâ, ad Deorum accesseris benignitatem, liber, & honoribus cumulatus præmia maiora recipies. *Martyr autem:* Mihi, ô Præses, non est turpitudo esse vestibus nudum, sed maximus potiùs ornatus. Nam veteri homine exutus, nouum induam in iustitia, & veritate. Minaris, te mortem mihi esse allaturum: ad hoc tibi præsto sum: hoc enim est mihi planè optandum. Quod si etiam me in membra dissecueris, tunc me afficies maiori beneficio. Me enim totum, quantuscunque sum, debeo Creatori meo; & hoc mihi semper fuit in votis, vt ipse glorificetur in omnibus meis membris, & sistam ante eius tribunal omnia membra mea nitentia ornatu confessionis. *Tunc Præses, missis adhortationibus, processit ad supplicia; ideò tyrannico furore commotus* S. VINCENTIVM *in tantum trochleis torqueri præcepit, vt membra eius à suis iuncturis, vi durissimâ solui cogerentur. Post hæc in ipsis in sublime eleuatus frequenter, ictúque celeri super silices corporis pondere demissus, & lapidibus acutissimis perfricatus, primam illam quæstionem exegit. At Dacianus qui* Hispanorum *constantiam præcognitam habebat, quorum animi nullis vnquam rigoribus cruciaminum, nullis aduersantium fortunarum erroribus vinci facilè perualuére, Martyrem in vinculis esse præcepit, donec quid de illo faciendum sit, deliberet. Sanctus autem* VINCENTIVS *carcerem ingressus, spiritu exultabat, & gratiarum actione Deum prosequebatur:* Gloria (*inquiens*) tibi Domine, qui non confundis sperantes in te. *His dictis, in ergastuli profundo angulo detrusus, orationi insistens, & constantiam in reliquis quæstionibus à Domino petens, lux subitò spelæi abdita clarificauit, ita vt Martyr,*

S. Martyris origo.

Comprehēditur.

Daciani blanditiæ.

Martyris constantia.

Torquetur.

In carcere includitur.

Luce cælesti curatur.

tyr, qui supinus, & nudus, super nudam humum cubabat, insolito splendore recreatus, membrorum compaginibus reluctantibus, sederet. Tunc iterum Deo gratias soluens, protinus sanus, sine vulnere, sine cicatrice, & animo roboratus, inuentus est. Alterâ die cum Dacianus Barcinonam proficisci decreuerat, multo mane ad forum veniens, quo tribunal extructum erat, satellitibus suis furibundâ voce præcepit, quatenus VINCENTIVM ad eius intuitum è carcere, nisi iam mortuum inuenirent, adducerent. Quem cùm carnifices detulissent, & illum integra valetudine fruentem conspexisset, viscerum adustione furiosus, oculorum indignatione laqueatus hæc ad Martyrem verba direxit: Ecquid his magicis adumbratus figmentis, in mei præsentiam deuenire disponis? Fortè credidisti, me tuorum amplexari commenta? Infelix tua hæc deliramenta depone, nam si te te liberum, technis postpositis, intueris, apprehendas necesse est, hoc Deorum Nostrorum beneficio factum, vt tui erroris pertinaciam, eorum adoratione, cognoscas. Cui VINCENTIVS: Nec magicas artes agnosco, nec Deos tuos tanquam valetudinis meæ auctores adoro. Dominus meus Iesus-Christus, verus Deus, & verus homo, qui propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex MARIA Virgine, vt caligantis mundi cœcitatem auerteret, in mundum lux suæ claritatis infudit, de quo dictum est: In ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eum non comprehenderunt. Et iterum: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. Iste nempe, ô Præses, vt mentis meæ tenebras, inter noctis obscuritatem, clarificaret, lucem suæ dignationis in medio ergastuli angulo, fuit dignatus emittere, cuius lucis splendore cœlestis, vulnera sanata conspexi, & ad maiora recipienda paratus, & animatus inuenior. Ergo non à Diis tuis, quos vt stercora æstimo, sed à Deo meo, qui venit in mundum, & Verbum, caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius; meæ sanitatis beneficia profiteor euenisse. Audiens hæc Dacianus præcipitibus furijs agitatus, accenso in medio Ciuitatis copioso igne iussit S. VINCENTIVM, ligatis manibus, & pedibus, pœnalibus incendijs cruciari. Tum ministri S. Martyrem medijs flammis ingerunt: qui inter æstuantis pyræ incendia, Dominum confitens, felici martyrio coronatur XIII. Kalend. Maij, Anno Domini CCC. III. In quo illud apparet solemne miraculum, quod ligamina manuum, & pedum, nec non capilli capitis eius nullam ab igne læsionem sustinerent. Vultus autem illius rosei coloris decore micabat, ita vt potius dormiens, quàm extinctus putaretur, vnde multi ad Deum conuersi crediderunt. Eius corpus Christiani noctu rapientes sepelierunt, quod postmodum honorificè translatum fuit, præstante D.N. Iesu-Christo, qui cum Patre, & Spiritu-Sancto viuit & regnat in secula, Amen.

Secundò ad quæstionem perducitur. *Torquetur iterum.* *Coronatur.* *Miraculũ.*

Hæc sunt ACTA quæ nullus hucusque nouit S. VINCENTII, in quorum relatione nihil notatione dignum inueni, nisi, quòd per eadem probatur opinio Ambros. Moral. *lib.* 10. *cap.* 1. Petri Antonij Beut. *Hist. Valent.* 1. *p. cap.* 14. & aliorum dicentium, *Dacianum* post *Gallia* persecutionem in *Hispaniam* aduentasse per *Helenam*, & *Caucoliberim*, *Gerundam*, & *Barcinonem*.

Iter Daciani per Hispanias.

CAVCOLIBERIS. Vrbs antiqua Hispaniæ Citerioris, quam Ptolom. *in Geograph lib.* 2 *Tabul.* 2. *Europ. c.* 10. quondam fuisse vocatam, TEMPLVM VENERIS. quem sequuntur Philipp. Ferrar. *in Topograph. SS. fol.* 30. *col.* 2. Aub. Myræus *in Not. Episcop. fol.* 291. Hodie Oppidum est littorale in Cathalonia, & dicitur COLIBRE, de quo, & eius antiquitatibus videsis pro nunc Ieronym. Pujad. *Histor. Cathalon. lib.* 2. *cap.* 12. & *cap.* 16. & alibi.

Topographia.

DVODE

DVODECIMO KAL. MAII.

DIES XX.

A. Iturissæ *in Vasconia* Hispaniæ, *illustris colitur triumphus* SS. VICTORIS, ZOTICI, ZENONIS, ANCINDINI, CÆSARII, SEVERIANI, CHRISTOPHORI, THEONÆ, & ANTONINI. *MM. qui pro fidei confessione mucroni ceruices præbuerunt.*

B. Cæsaraugustæ, S. VVALDEREDI *Monachi Benedictini, & eiusdem vrbis Episcopi, qui post assistentiam in aliquot Hispaniæ Concilijs, bonis operibus fulgens in Domino Confessor quieuit illustris.*

C. Prope Municipium Metellinense *in Lusitania celebris memoria floret* S. THEODORI *Anachoretæ, qui omnibus admirabilis, & dæmonibus formidabilis, vitam in eremo transegit Angelicam, & demum in cælum virtutum copia exigente transcendit.*

NOTÆ.

SANCTI VICTOR, Zoticus, Zenon, & alij Martyres.] Horum Sanctorum Martyrum agonem descripsit Fl. Dext. Nost. *in Chron. Ann.* 300. simul cum SS. Martyribus *Socrate*, & *Dionysio Iturissanis*, de quibus die antecedenti egimus. Et licet ibidem Clarissimus Vir tumultuariè omnes sub vna verborum inuoluerit periodo, absque dierum assignatione; attamen vt vnicuique suus detur locus, Nos illos separauimus, antiquorum freti Martyrologiorum tabulis, quibus *Socrates*, & *Dionysius* XIII. Kalend. Maij, *Victor, Zoticus*, & cæteri Socij in hunc reponuntur diem. Martyrologium ausculta Romanum, vbi postquam die antecedenti de primis egisset duobus, hoc die, de secundis meminit hisce verbis: *Eodem die* (XX. Aprilis) *Sanctorum Martyrum* Victoris, Zotici, Zenonis, Arcadij, Cæsarij, Seueriani, Christophori, Theonæ, *qui sub Diocletiano varie tentati martyrium compleuerunt.* Cui consonant Martyrolog. Castellan. *P. Dionys. Vasq.* Lusitan. & Hispan. *MS. P. Higuera*, & cætera antiquiora, & recentiora. *Fl. Dextr.* verba hæc sunt: *Iturissa in Vasconibus, SS. Martyres* Socrates, Dionysius, Victor, Zoticus, Arcadius, Zæsarius, Seuerinus, *qui sub Diocletiano varie torti martyrium compleuerunt, quibus additi sunt* Christophorus, Antonius, Theonas, *qui variè torquentur.* De quibus videndus P. Bivar. *d. Ann.* 300. *Comment.* 3. *num.* 8. Roderic. Car. *fol.* 107. *lit. V.* Eorum Acta sic stylo breuiori exponenda veniunt.

Ar / *Martyrol.* / *Scriptores.*

ACTA SS. VICTORIS, ZOTICI & Sociorum Martyrum Ituriſſanorum Hiſpaniæ.

Temporibus Diocletiani, & Maximiani Imperatorum, erant in vrbe Ituriſſa *Vaſconiæ* in Hiſpania *Victor, Zoticus, Zenon, Arcadius, Cæſarius, Seuerius, Chriſtophorus, Antonius, & Theonas, omnes ex eadem oriundi ciuitate, qui ab infantia Chriſti fidem edocti, ſemper ſe geſſerunt quemadmodum viros Chriſtianos decebat. Cùm verò impiiſſimus* Dacianus *in omnes ipſius vrbis Chriſticolas deſæuiret, multáque eorum millia martyrij palmâ donaret, non ob aliud, quàm quòd Chriſtiani eſſent, quia tunc idololatris erat Chriſti nomen infeſtiſſimum, adeò, vt ob id ſolùm capite punirentur; inter alios quos ferox Præſidis carcerauit inſania,* Victorem, *& ſocios pro Chriſti fide in ergaſtulum mancipari præcepit, ibidémque multis pœnarum generibus excruciandos curauit. Quos vbi inuictos inuenit, & nec à propoſito reſilire cognoſceret, demùm per varia ſupplicia ad martyrij coronam peruenire coëgit.* XII. Kal. Maij. *Anno* CCC.

Origo. Coronātur.

Hæc ſunt quæ de his Sanctiſſimis Martyribus ſpeculari potuimus, cætera ſub ſilentio delituêre, donec qui illos coronauit agone, quæ deſunt in honorem illorùm tempore manifeſtet. Nec obeſt quod loco *Arcadij*, in aliquibus *Ancidinus* reponatur, quia in hoc *Martyrologium Romanum* ſumus ſecuti. Nec in nomine *Chriſtophori*, aut *Chriſophori*, eſt cur ambigatur, quia Græcè Χριστοφόρος, Latinè ſonat *Chriſtopherus.*

Antiquitas Iturisſæ. ITVRISSA. De ea egimus die antecedenti, & hodie vocari SANGVESA prædiximus. Eius antiquitatem ad CC. IV. annos ante Chriſti aduentum per *Suetanos Iberos* referunt Flor. Ocamp. *Hiſtor. Hiſp. lib. 1. cap. 42.* Garibay *lib. 5. c. 20. lib. 21. cap. 4. lib. 26. cap. 21. lib. 28. cap. 6. lib. 30. cap. 14.* Tribald. *in Not. ad Mel. lib. 3. cap. 1.* Albert. *in Hiſtor. Vaſcon. cap. 2.* quos refert Roder. Mend. *in Hiſpan. popul. cap. 9. fol. 199.*

B. S. VALDEREDVS.] De hoc Sanctiſſimo Præſule nulla inuenitur memoria in antiquis, & recentioribus Martyrologiis. Cum titulo Sanctitatis, illius meminit

Scriptores. Luitprand. *Aduerſ. 109.* his verbis: *S. VValderedus Epiſcopus Cæſarauguſtanus, Era DCC. XXXIX. XVII. Kal. Decembris, interfuit Toleti conſecrationi Regis VVitizanis, & coronationi. Obijt XX. Aprilis, primo anno Regis Roderici, Era DCC. XLVIII. cùm rexiſſet Eccleſiam ſuam XXIII. aut XXIV. annos. Sepultus eſt in Sanctiſſima Sede B. Mariæ Virginis de Columna, à S. Iacobo ædificata.* De eo, vt Epiſcopo Cæſarauguſtano adeſt anamneſis in Conciliis XIII. XV. XVI. Toletanis. Inde interfuit Concilio III. Cæſarauguſtano. Videndi Loayſſa *in Not.* D. Martin. Carrill. *in Catalog. Epiſcop. Cæſaraug. fol. 232.* Morill. *Hiſtor. Cæſaraug. fol. 144.* Ludou. Lop. *ead. Hiſtor. 2. part. cap. 14. fol. 493.* Eius acta, quæ tumultuariè inueniuntur in vnum collecta, ſic conc[illegible]pare placuit.

ACTA S. VVALDEREDI EPISCOPI CÆSARAVGVST. Confeſſoris; ex Luitprando, & alijs Scriptoribus.

Origo. VValderedus *natus, procreatus, & nutritus in vrbe fuit* Toletana, *patribus, Nobili ex genere Gothorum, qui poſtquam ad ætatis perfectionem deuenit, Monaſticum* S. Benedicti *habitum induit, quo ſic ad purioris vitæ apicem acceſſit, vt ad* S. Leucadiæ *Pratorienſe templum Abbatis titulo*

Fit Monachus. *deueniret. Iſthinc tantos perfectionis neruos emiſit, vt è viuis ſublato* S. Taione *Epiſcopo Cæſarauguſtano, cuius miniſter erat, ad illius Sedem omnium ac-*

Et Epiſcopus. *clamatione perueniret inſignem. Anno Domini* DC. LXXXIII *tempore Regis* Eruigij *per Freidebadum Abbatem interfuit* XIII. *Concilio Toletano.*

Anno

Anno DC. LXXXVIII. *interfuit personaliter* XV. *Concilio Toletano, tempore Regis* Egicani. *Eodem Rege postulante indicta* Cæsaraugustana *fuit* Synodus III. *Anno* DC. XCI. *quam congregauit, eique interfuit. Anno* DC. XCIII. *interfuit* XVI. *Concilio Toletano. Anno* DCC. I. *interfuit Toleti consecrationi, & coronationi Regis* VVitizanis. *Demum post* XXVII. *Prælatura annum obdormiuit in Domino* XII. Kal. Maij, *Era* DCC. XLVIII. *Sepultúsque fuit in Sanctissima Æde B. Mariæ Virginis de Columna.* — *Multis interfuit Conciliis.* — *Moritur.*

Ista ex Actis Conciliaribus à *Loaysa* editis elicere licuit, cætera & temporum obliuio consumpsit, & antiquorum Scriptorum incuria contempsit. Aliqua apud Luitprandum conseruauit memoria, vt ad vnguem agnosces si *Aduersaria* 109. *&* 184. percurreris.

Quòd *S. VValderedus* fuerit Archidiaconus, seu Minister *S. Taionis* Episcopi Cæsaraugustani, en ex epitaphio ab ipso *VValderedo*, *S. Taioni* conscripto carmen, vt recenset Heleca *fol.* 132. — *Fuit Archidiaconus S. Taionis.*

Valderedus ego (Taionis & ipse Minister)
Cæsarea indignus Præsul in Vrbe simul.

Scripsit quoque Carmen aliud in laudem *S. Vitalis* Patris *SS. Iusti, & Pastoris* Martyrum *Complutensium*, quod die II. Iulij dabimus.

Cæsaravgvsta. Vrbs celeberrima in Celtiberia, Regni Aragoniæ caput, de ea suprà *Tom.* 1. *die* 11. *fol.* 36. *die X. fol.* 116. *die XXIX. Ianuar. fol.* 344. Et hoc *Tom.* 2. *die XXIV.* vbi Numisma, & *die XXVI. Martij*, vbi Inscriptionem exscripsimus, multa diximus. — *Remissiones de hac vrbe.*

S. Theodorvs Anachoreta.] Insignis adhuc planè memoria tanti adest Viri Sanctissimi, non solum in *Latinis* schedis, verùm & in *Græcanis* tabulis, à quibus ferè omnia Martyrologia antiqua, & recentiora, pro omnibus Menologium: *Eodem die* S. Theodori *Confessoris. Hic propter ærumnas, & vitæ duritiam cui se subiecit, frigore, & gelu propter Christum vexatus, crassa, & aspera veste corpus tegebat, ex quo factum est, vt* Trichinas *cognomento appellaretur; ob idque contra dæmones potestatem accepit; cúmque ita vixisset, & ad Dominum, quem desiderauerat, migrasset, omnibus fidelibus sanitatem confert, vnguento ex sancto eius sepulchro scaturiente.* Omnia hæc breuiter est Martyrolog. Roman. amplexum. *Eodem die* (inquit) S. Theodori *Confessoris, ab aspera veste qua tegebatur, cognomento* Trichinas, *qui multis virtutibus, præsertim aduersus dæmones, claruit, ex eius corpore vnguentum scaturiens, ægrotis sanitatem impertit.* Eadem repetunt Martyrolog. Castell. *P. Dion. Vazq.* Lusitan. & assignato loco Hispanum. *P. Higuer. MS.* Agunt de eo Baron. *in Not. ad Martyrolog. Rom.* P. Biu. & Roder. Caro *in Not. ad Flau. Dextr.* ille *Ann.* 300. *Com.* 3. *num.* 9. iste *fol.* 107. *lit. X.* Barnab. Moren. *Histor. Emerit. lib.* 5. *cap.* 3. D. Mart. Carrill. *Annal. Eccles. Ann.* 300. *fol.* 107. P. Camarg. *in Epitom. Eccles. d. Ann.* Ego *in Vit. S. Epitatij, cap.* 2. *num.* 14. *fol.* 94. D. Ioann. Solan. *in Histor. SS. Metellinens. MS. cap.* 6. D. Laurent. Coco *de SS. Corporib. vnguent. scatur.* etiam MS. quas vterque mecum communicauit. Acta S. Anachoretæ adhuc sub silentio sunt, *P. Hieron. Rom. de la Higuera* illa MS. seruauit, quæ in eius schedis inuenta, in manus peruenit meas, hæc tibi exscribere non recuso. — C. *Martyrologia.* — *Scriptores.*

ACTA S. THEODORI METELLINENSIS Eremitæ, cognomento Trichinas; ex P. Hieron. Roman. de la Higuera è S. I. schedis.

Sanctorum historia ad hoc nobis est tradita legenda narratio, vt Maiorum si fieri potest, saltem aliqua ex parte mores imitemur; si non possumus imitari virtutes. Tanta enim probitate vixerunt, vt pars felicitatis sit nosse quid fecerint. Igitur B. Theodorvs *si terrenam eius nobilitatem scire* — *Origo.*

cupis , origine dignoſcitur Græcus, *patria ignoratur, altrix* Hiſpania, *cul-*
trix Luſitania , *ſitus* Metellinum , *ſeceſſus eius Eremum , fide Chriſtia-*
nus , ætate iuuenis , ſapientia canus , corde rectus , & vtraque re aduerſus
Fuit Miles.
impietatem exultans. Poſt primos Militiæ ardores , Deum ipſum contem-
ni , dæmones verò coli cùm vidiſſet , non tulit eam rem homo ille pieta-
tis flagrantiſſimus ; ſed cùm cogitaret illud Dauidis : Vidi præuarican-
tes , & tabeſcebam ; *ne cum impijs panem comederet iniquitatis , abiecto*
militiæ baltheo , vt meliùs Imperatori deſeruiret Æterno , caſtra deſeruit,
& in Eremo ſecedens , Chriſti veſtigia , & vulnera inſequebatur adorans.
Varia (credimus) perluſtraſſe loca , quovſque apud Coloniam Metelli *in*
Fit Anachoreta.
Luſitania *XX. Mill. ab Auguſta Ciuitate* Emerita *diſſitam , Eremum ſo-*
litudine plenam , arborum denſitate opacam , ſilentioſo murmure denſam,
& aquis ſalutaribus irriguam inuenit. Ibidem , vt Deo viueret , etſi in
mundo , mundus ſpiritus ſtare poſſit , quia in medijs vrbibus extra vrbes , in
mundo extra mundum , mortuus ante mortem , & ante ſepulturam quoquo-
modo ſepultus ſtabit quietus animus religioſi , attamen , ne immundi mundi
ſe coinquinaret erroribus , maximè cùm , quo tantus ardebat vitiorum , &
perſecutionum ſtimulus , mundum reliquit , illum calcauit , & ad cæleſtia
erectus , vitam ab inquietudinibus pacificus , tranſigebat. Tanta illius erat
Eius abſtinentia.
abſtinentia (à vitijs enim ieiunabat in mente , & à dapibus abſtinebat
in corpore) vt perſæpè per multos dies , quod eſſet , ex inopia non haberet.
Et eum tàm arctè , contentéque viueret , perinde tamen , atque ſi inter cu-
pedias Regias degeret , oblectabatur. Ornamenta militaria ſpreuit , & toto
corde reiecit , ne inter illius deſerti latebras , ſuum , ad deſpectum ſtatum,
Eius veſtimenta.
ſpiritum incitarent. Veſtem ex caprarum pilis , ſic aſperrimam contexuit,
vt deinceps Trichinas , *ab illo vaſto , quo tegebatur , ſagulo , vocaretur.*
Hoc ergo coopertus cilicio , æſtiuum feruorem , hyemiſque pruinas , atque im-
Creuit eius fama virtutum.
brium tempeſtates ſuſtinuit per longum temporis curſum. Creuit etenim
ſilentio vitæ , virtutum cumulus ; & illis auctis , & fama creuit Anacho-
retæ ; ex quo per diuerſa regionis loca ſuum in omnium ore diuagaretur
& nomen. Hoc ita inferni laruis infeſtiſſimum fuiſſe perhibetur , vt illo
audito , dæmones perfugere , & formidare viderentur. Cuius , & nomini,
Dæmonibus formidabilis.
& tunicæ talem Deus voluit elargiri virtutem, vt illâ per Oppidanos cogni-
tâ , integri populi , per vaſta eremi ſpelæa illum proſequerentur , & quiſ-
que per ſe vel extremam B. Theodori *oram viliſſima veſtis con-*
tingere niterentur. Illo ergo veſtimenti pellicei , ſeu piloſi contactu , & ob-
ſeſſi liberati , claudi ſanitati redditi , & innumerabiles infirmitatibus op-
Admirabilis , nomen accepit.
preſſi , curati , ad propria alacri iubilatione redibant. Quorum mirabi-
lium operum frequentiâ ex tunc Theodorvs, Admirabilis
cognominari cœpit. Hanc diffugere mundi vocem , & plauſum Sanctus de-
ſiderabat Eremita , ideo Deum continuis precibus exorabat , vt exuto caduci
corporis tegmine , ad cæleſtem patriam protinus euolaret ſpiritus. Cuius
Deus ſuſpirijs annuens, exilio huius peregrinationis ſublato, ad æternam exi-
mio Confeſſori patriam aditum aperire conſtituit. Quod die XX. Menſis
Moritur.
Aprilis , *Anno* CCC. *accidiſſe antiquorum Scriptorum monimenta recen-*
ſent. Eius corpus , vt illa ferebant tempora , à Chriſtianis tumulatum hono-
rificè credimus ; nam ex ipſius Sanctiſſimi Anachoretæ artubus , tale per
Oleum è S. Corpore manabat.
ſarcophagi sciſſuras , oleum ſcaturiſſe memoratur , vt illo collecto , omnibus
fidelibus , infirmitatibus oppreſſis , ſanitatem intuliſſe non ambigatur. Sic ſuis
elargitur virtutem Deus, qui in æternum in Sanctis ſuis mirabilis eſt. Cui ſit
honor , & gloria in ſecula ſeculorum , Amen.

Ad cuius tumulum pangebat ille Verſificator.

Hoc in ſarcophago Sancti *nunc lipſana latent*
Admiranda cuius opera , mundus amat.

Hic

Hic Theodorus *erat cultor supremus eremi,*
Vestis vasta cuius membra sacrata ligat.
Hic fuit, vt memorant, tunc formidabilis Orco,
Hic fuit & semper omnibus vna salus.
Viuens profecit, profecit mortuus idem,
Exemplis, vitâ, balsamo, morte simul.

Hactenus *P. Higuera* in suo MS. A veritate deuiauit *Rodericus Caro*, qui perperam in editione *Chronici* Flauij Dextri *d. Ann.* 300. sic memoriam *S. Theodori* Metellinensis exscripsit: *In* Erenio *Metellinensi* S. Theodorus *Admirabilis*. Cùm legendum sit, vt apud P. Biuarium: *In* Eremo *Metellinensi*: Non *Erenio*, vt perperam *Carus*, cuius commentum patefecimus Nos in *Vit. S. Epitatij*, *cap.* 2. *n.* 14. *fol.* 95. vbi probauimus, hucvsque non extare inter Geographos vrbem, aut oppidum hocce vocabulo insignitum; & licet *Rod. Carus*, vt suam sententiam tueatur credat, esse vrbem, quam hodie LLERENA vocitant, toto cœlo aberrat; nam LLERENA adhuc recentius oppidum est, à Sarracenis extructum, vt probat Rades de Andrad. *in Chron. Ordin. Milit. S. Iacob. cap.* 23. Moreno de Vargas *Hist. Emeritens. lib.* 5. *cap.* 3. *fol.* 270. Deinceps, quia lectio in *Erenio Metellinensi* nequaquam sensum constituit; nam si *Erenium* est LLERENA, vt placet *Caro*, & *Metellinum* est MEDELLIN, vt apud omnes: Quæ connexio *Ereny* cum *Metellino*, quòd *Dexter* hæc tam distantia loca coniungeret adiectiuè? *Erenium* (dato quòd hoc illi nomen fuerit sæculo *Dextri*) in *Baturia Turdulorum Bætica*. Metellinum in *Lusitania*, vt profert ipse *Dexter* agens de hoc Sanctissimo Anachoreta, dicens: In Eremo Metellinensi in LVSITANIA, ergo non in *Bætica* vbi est *Erenium*, seu LLERENA.

Roderici Cari error. *Oppidum nomine Erenium nō invenitur apud Geographos.* *LLerena recens oppidum.* *Hoc in Baturia Turdulana.*

NON me latet, quendam Grammaticum *LLerenensem* operam dedisse in describendis illius nuperrimæ vrbis antiquitatibus, quarum opus imperfectum reliquisse MS. quod in manus peruenit meas, ita disruptum, & fragmentatum, vt vix paginam cum pagina possimus assuere. Iste ergo Grammaticus contendit probare LLERENAM olim vocitatam ERENIVM, fuisséque vrbem peruetustam tempore Romanorum in *Turdulana Baturia*. Quod vt probet duo præcipua fundamenta recenset, licèt satis friuola, vt patebit. I. ex hac *Dextri* authoritate. II. ex aliquibus Inscriptionum monimentis, quæ apud illam vrbem reperta, in vnum congerit. Sed quia Grammatici anonymi deliramenta cognoscas, eius fundamina facilè diluemus. Circa primum, iam vidisti errorem *Roderici Cari*, qui pro *Eremo* posuit *Erenio*: ergo prima hæc probatio deficit; nam destructâ intentionis soliditate, corruit & intentum, ideo nullus ex Scriptoribus *Roderici* sententiam amplectitur. Quatenus ad secundum fundamentum facilior est solutio, nam omnes quas refert inuentas Inscriptiones Romanas apud *LLerenam*, opifices transtulêre ex vrbe antiqua REGINA, quæ adhuc nomen seruans dicitur REINA ab vrbe *LLerena* vix VIII. M. P. dissita, vt ex aliquibus Inscriptionibus elicitur, in quibus aliquando RESPVB. REGINENSIS, aut in Virorum cognomine REGINENSIS perlegitur. Deinceps, quia cum lapides, in quibus hæ Inscriptiones inueniuntur, sint minuti; ita vt facilè de loco ad locum transportentur, quid mirum si *Regina* vrbe destructâ, & *LLerena* ciuitas subcrescens adsportauerit huiusmodi lapides ex vicinis ruinis, vt passim videmus, & notauit Ambrosi. Moral. *in Antiquit.* Hæc Lectorem animaduertere voluimus, ne abs Caro, & Grammatico deciperetur.

Quidam Grammaticus anonymus refellitur. *Respondetur eius fundamentis.*

METELLINVM. Colonia antiqua Lusitaniæ à Q. Cæcilio cognomine METELLO constructa, vt superiùs diximus hoc *Tom. II. die V. Martij*. De ea pluries disseruimus, sed non ex penu, ideò hîc aliqua connectere specialia conabimur monimenta. *Metellini antiquitas.*

I. QVÆSTIO, quam disceptandam proponimus, in eo stat; *Quis ne fuerit huius antiquissima Conditor Ciuitatis?* D. Ioannes Solano illius Archipresbyter in *Histor. SS. Metellinens. cap.* 1. §. 1. aliorum opinatione suffultus, Conditorem; Q. *Ca-* *Solani opinio.*

cilium Metellum, quem *Pium* vocitant ad Annum V.C. DC. LXXIV. fuiſſe contendit. Illiſque tribuit celebrem illam Inſcriptionem, quæ adhuc in altero ex Tauris Guiſandinis inuiſitur vmbilico, hac ſerie formatam:

Q. CÆCILIO. METELLO.
CONSVLI. II. VICTORI.

Quæ verba expendens ex Motal. *Hiſtor. Hiſpan. lib.*8. *cap.*16. ibi: CONSVLI. II. VICTORI, ad ſecundam victoriam, non ad ſecundum Conſulatum referenda fateatur: *Quia iſte Metellus* (verba ſunt Ambroſij) *nec alius huius nominis*, Hiſpanias *aduentans*, *ſecundum Conſulatum obtinuit.* Quod & ego profiteor; ſed aduerſus *Solanum* inſurgere compellor, qui *d. cap.*1. §.1. *num.*8. *fol.*5. Conſules huius
Diluitur I. familiæ referens nobiliſſimæ, aſſerit: *Alius huius nominis fuit Conſul, Anno* DC. XII. *&* Hiſpanias *adyt*, *Anno* DC. XXXI. *qui* Macedonicus *fuit vocitatus*, *&* Baleares *Inſulas*, *ſcilicet* Maioricam, *&* Minoricam *debellauit.* Si ergò, vt *Solanus* inquit, Q. Cæcilius Macedonicus erat Conſul Anno DC. XII. & in Hiſpaniam venit Anno DC. XXXI. à fortiuri tanquam Conſul venit, quia aliter deuenire non potuit, cùm Prouincia hæc iamiam Conſularis fuiſſet, vt innuit Paul. Oroſ. Noſter *lib.*5. *cap.*2. *&* 11. Si enim ex relatione *Solani* Macedonicus *Metellus* fuit *Conſul* Anno DC. XII. ergo & Anno DC. XXXI. quo tempore *Baleares* Inſulas expugnaret; ſi hæc ſic; igitur Duplicem eſt Conſulatum adeptus *Metellus*, contra mentem *Ambroſij*; hinc fateri venit compellendus *Solanus*, Q. Cæcilium Metellum minimè in *Hiſpanias* Conſulem deueniſſe Anno DC. XXXI. illóque anno nec *Baleares* Inſulas expugnaſſe; aut alium fuiſſe diuerſum *Q. Cæcilium Metellum*, in Hiſpanias illo tempore deuenientem, *Balearicaſque* expugnantem. Proculdubio *Archipresbyter* Noſter *Metellinenſis* toto cœlo aberrauit: nam ſi faſtis Conſularibus eſt danda fides, *Q. Cæcilius Macedonicus* ſemel *Conſulem* egit, & hoc functus eſt honore Anno V.C. DC. X. vt elegantiſſimè probat Cuſpin. *de Conſulib. tom.*1. *Ann.*610. *fol.*206. cum Appio Claudio Pulchro, *Olympiad.*159. *An.*2. Nam ille *Q. Cæcilius Metellus*, qui *Baleares* Inſulas expugnauit longè diuerſus fuit à *Macedonico*, de quo idem Cuſpinian *de Conſulib. d. tom.*1. *An.*630. *fol.*214. & cũ T. Quintio Apelle Flaminio Conſulatũ egit *Olympiad.*164. *Ann.*2. vbi hunc fuiſſe *Macedonici* filium, vocatúmque *Balearicum*, ex Floro, & aliis affirmat. Hinc dignoſces *Archipresbyterum* Noſtrum hallucinaſſe, cùm perperam homonymiâ irretitum, potius rupiſſe, quam ſoluiſſe laqueum inſpecte.

Diluitur II. SED ad Quæſtionem reuertor. Tres *Q. Cæcilios Metellos* ex relatione *D. Ioannis Solani* Hiſpanias adiiſſe Conſules credere compellimur: alium *Macedonicum* Anno DC. X. de quo Abbreuiat. Liuij *lib.*53. Flor. *lib.*2. Vellei. Patercul. *lib.*2. & alij. Secundum *Balearicum*, Anno DC. XXX. de quo idem Abbreuiat. *lib.*60. & Flor. *lib.*3. Tertium *Pium*, qui cum L. Cornelio Sulla Conſulis munere functus de Hiſpanis triumphauit cum Pompeio, Anno DC. LXXIII. vt notauit Cuſpinian. *de Conſulib. d. tom.*1. *Ann.*673. *Olympiad.*175. *fol.*234. Aſt quis horum METELLINVM condidit, non liquet, quia nullus ex Claſſicis Scriptoribus, quos viderim, huius vrbis meminit extructionis. Nec Ambroſ. Motal. *Hiſtor. Hiſpan. tom.*1. *lib.*8. *cap.*18. hoc affirmatiuè in locis à *Solano*, & *Moreno* relatis aſſeuerat, nec poterat, niſi illud à proprio capite diſtillaret. Ergo perperam hanc extructionem potius *Q. Cæcilio Metello*, cognomento *Pio*, quàm aliis antiquioribus *Metellis* Conſulibus, *Archipresbyter* tribuit; cùm vrbi nobiliſſimæ vetuſtiorem potuiſſet iure optimo fingere & dare Cõditorem. Credetem proculdubio maiorem in hac
Vera Opinio probatur. Colonia ineſſe antiquitatem. Quod patet; nam in Poëmatibus *Vincenty* Abbatis, quorum auctographum Gothicum inter alia Opuſcula MSS. Cypriani Archipresbyteri Cordubenſis, Sampſonis Abbatis, Receſuinthi Abbatis, Auli Hali, S. Eugenij III. Archiepiſcopi Toletani, Martini Gerundenſis Epiſcopi, & aliorum, adhuc in Bibliotheca ſeruatur Toletana, & quorum copiam à *D. Martino Ximena Iurado* illius S.E. Portionario, & de antiquitatibus optimè meritò accepimus, in *Epigrammate* Iambis verſibus, licet proſodiâ claudicantibus, vbi *Ana* fluminis excurſum depingens, hiſce ad noſtræ coniectationis intentum verſibus, agens de *Metellino*, proſequitur:

ANA

A N A *amnis illustres lambit Ciuitates*
Iberiæ, quas liquidus humor effluit.
In & M E T E L L I tunc dicti Macedonici
Opus refluit, quo rigat glebam diuitem.

Cuius si sequamur opinionem, proculdubio antiquiorem fuisse vrbem *Metellinam* hoc est à tempore *Q. Cæcilij Macedonici* Anno ab V. C. vt liquet ex *Cuspiniano*, D C. X. fateri compellimur, quàm eius Historiographus Archipresbyter adnotauit. Cui vrbi cum L X I I I. antiquitatis annos addamus, meritò nobis hanc sedulitatis debebit instantiam.

VNDECIMO KAL.
MAII.
DIES XXI.

A. A L B Æ *prope Accim aliquando in Bœtica, aliquando in Tarraconensi prouincijs Hispaniæ, passio* SS. A P O L L I N I S, I S A C I I, *&* C R O T A T I S *Martyrum: qui cùm sub Aquilarum Romani Imperij signis vexillaribus militassent, & sub Crucis Christi symbolo emeriti commilitones fidem amplecterentur Catholicam, ex hoc comprehensi, seuerioribus obducti cruciatibus; Diocletiano Imperatore regnante, tandem fame consumpti, & gladio perempti, cœlestes milites laureati ad gloriam properarunt æternam.*

B. C A R T H A G I N E *Spartaria Hispaniæ* S. V I C T O R I S *ipsius vrbis Episcopi, qui eximius virtutibus, & doctrinâ florens, celebris, vitam temporalem, pro indeficienti, Confessor, per secula, commutauit.*

NOTÆ.

SANCTI A P O L L O, I S A C I V S, & C R O T A S Martyres.] Horum memoria apud Græcos in *Menologio*, & Latinos in *Martyrologijs*, celebris inuenitur. Illi hoc elogio: *Eodem die certamen* SS. A P O L L I N I S, I S A C I I, *&* C R O T A T I S, *fame, & ense consummatorum, sub Diocletiano Imperatore, sub quo militabant.* Illi, isto: [illegible] *Sanctorum Martyrum* A P O L L I N I S, I S A C I I, *&* C R O T A T I S, *qui sub Diocletiano passi sunt.* A quibus Martyrologia *Castellanum* P. Vas[illegible] *Lusitanum* P. Lobo, & *Hispanum* P. Higuera, apud quem isthæc verba br[illegible] *En* A B L A *cerca de* Gaudix *en el Reyno de* [illegible] *a los Santos* A[illegible]o[illegible]o, *y* C R O T O N *Martyres que padecier*[illegible]*iano*[illegible] : A L B A *iuxta* Accim

A. Martyrologia.

in

in Regno Granatæ SS. APOLLINIS, ISACII, & CROTONIS *Martyrum qui passi sunt tempore Diocletiani.* Quæ verba ferè eadem sunt *Dextri* in *Chron. An.* 300. hac serie: ALBÆ *propè* Accim *in Hispania Bætica* SS. *Christi Martyres*, APOLLO, ISACIUS, CROTATON *qui eorum socius gloriosus.* De illorum agonis loco *Cardinalis Cæsar Baronius* sibi contrarius multa confarcinat, ita vt vix quo pedem figas in eius Scriptis inuenies. *In Romano Martyrologio* nihil de loco palæstræ. In *Annal. Eccles. Tom.* 2. *Ann.* 305. *numer.* 16. referens aliquot Martyres *Isauriæ* prosequitur: *Quibus iungendi sunt* APOLLO, ISACIUS, & CROTATES. Sed à quo hæc desumpserit Purpuratus nondum diuino. Ast quia eius inconstantiam intuearis, audi ipsum *Tom.* 3. *Ann.* 310. *num.* 23. vbi referens agonem *S. Petri Alexandrini*, & aliorum, contendit: *Seorsim ab his recenset* (Martyrolog. Roman. die XXI. April.) *passos iisdem* Alexandriæ *hac eadem persecutione* APOLLINEM, ISACIUM, & CROTATEM. Videsne Lector Purpurati calami lituram. Ni mauis hosce Martyres, vt illius incuriam emendes, triplicatos facere. Primos *Isaurienses*, Secundos *Alexandrinos*, & Tertios *Hispanos*; quod si pateris, & meos fateri necessariò compelleris. Ast licèt grata Patriæ Nostræ hæc esset solutio, eo quòd anteponenda omnibus rebus veritas sit, eam indagare compellor. Quatenus ad martyrium Nostrorum Sanctorum, nullus, qui de rebus Ecclesiasticis differuerit hucvsque, dixit fuisse completum apud *Isauriam*, nullus apud *Alexandriam*, ergo à quo hæc suxit *Baronius*? Si à *Græcis*, iam elogium vidisti, vbi altum de his prouinciis silentium. Ergo perperam à *Græcis* ista deduxit. Extra *Græcos* nullus eorum meminit Scriptor, si ergo hæc ita, à quibus illa acceperit probare debebat. Nec eius opinio ad *Ann.* 310. *num.* 23. *tom.* 3. suffragatur allegans Martyrologium Romanum, vt probet hosce Sanctos Martyres *Alexandrinos* fuisse. Nam licèt *Aratoris Alexandrini* Martyris *Rom. Mart.* priùs meminerit, & subsequenter prosequatur: ITEM *Sanctorum Apollinis*, &c. non ex voce ITEM fatebimur Nostros Martyres *Alexandriæ* passos; nam dictio illa ITEM in Martyrologiis non locum sed diem designat, quando simpliciter profertur: at quando additur dictio IBIDEM tunc & diem, & locum superiùs dictum exprimit; & de hac doctrina hæsitare, ignorantia erit.

Baronij lapsus. — *An Isaurienses, an Alexandrini Martyres?* — *Verbum* ITEM *in Martyrologijs quid denotet?*

HUIC veritati vltimam imponat manum *Philippus Ferrarius* Italus, & ipsiusmet *Baronij* pedissequus, qui *Topographiam Sacram* edidit, vbi vrbes in quibus vnusquisque Martyr, siue Confessor aut agonem expleuit, aut vitam exuit, describens, nequaquam in *Tabulis Isauriæ*, seu *Alexandriæ* Nostrorum apposuit nomina Martyrum. Ex his agnosces *Baronij* aliquando sententias, maximè circa *Corographiam*, non omninò amplectendas esse. De Nostris verò Hispanis Martyribus post *Dextrum*, conueniunt P. Biuar. *in Not. ad Dextr. Ann.* 300. *Comment.* 4. *num.* 3. *fol.* 353. Roder. Car. ibidem, *fol.* 110. *lit. G.* Marchio Astapens. *in Memorial. ad Episcop. Accitan.* Mag. Rus-Puerta *Histor. Giennens.* 1. *part. secul.* 4. *cap.* 6. *num.* 3. *fol.* 129. P. Bernardin. Villeg. *in Memorial. pro SS. Vrgabon.* 2. *part. num.* 118. *fol.* 56. P. F. Ieronym. Pancoruo *in Disquisit. SS. Martyr. Vrgabon. num.* 8. *fol.* 6. Amicus eruditissimus, & de antiquitatibus Sanctorum optimè meritus, à quo plura Sanctorum Acta recepisse profiteor, D. Martin. de Ximena Iurado *in Memorial. SS. Giennens.* 4. *part. cap.* 1. P. F. Francisc. Biuar. *in Apolog. pro SS. Bonoso, & Maximo Vrgabon.* 1. *part.* §. 2. D. D. Anton. Calderon Nostræ Serenissimæ Hispaniarum Infantis Magister, S. E. Toletanæ Canonicus, Vir in secularibus, & sacris literis eruditissimus, & mihi vndecunque amicus venerandus, *in Defensor. MS. pro SS. Vrgabon. lib.* 2. *à cap.* 10. *ad* 20. & alij. Nostrorum Martyrum ACTA ex antiquo Legendario *Asturicensi MS.* & literis Gothicis exarato apud me describemus, ex quibus dissidentium Scriptorum Bæticæ sententiæ sedabuntur.

Ferrarius nihil de his Martyribus in Topograph. SS. — *Scriptores.*

ACTA SS. APOLLINIS, ISACII, & CROTATIS Martyrum Albensium ex MS. Legendario Asturicensi.

INCIPIT Legenda SS. Martyrum APOLLINIS, ISACII & CROTATIS, qui passi sunt ad ALBAM propè Accim in Bætica XI. Kalend. Maij.

ERAT *in vrbe cui vocabulum* ACCI *in Bætica Hispania, cohortis cuiusdam* Centurio, *qui secum centum milites continuâ habebat mansione, temporibus* Diocletiani *Romanorum Tyranni. In ista ergo cohorte tres erant milites summæ virtutis Viri, qui licet terrenæ militiæ sagum exteriùs induerent, interiùs Christianam Religionem sectabantur strenuè. Euênit ergo quòd illis diebus* Hispanias *lustraret Imperatoris mandato quidam* Dacianus *Præses, qui omnes Christianos persequebatur ad necem, donec aut eos ad cultum Idolorum attraheret, aut morti sæuissimæ condemnaret. Is postquam apud* Vrgabonem *Bæticæ vrbem plurimos morte afficeret Christianos, ad vrbem* Accim *deuênit, vbi etiam aliquos martyrio coronauit. Qui cùm ad* Tarraconensem *prouinciam perlustrandam discessisset, ad vrbem* Albam *prope* Accim *peruênit, vbi nonnullos ex Cohortis* Accitanæ *centuriâ milites inuênit, qui Præsidi custodiam in itinere praberent. Hic, cùm perueniret* Dacianus, *Dijs sacrificare constituit, quod vt faceret solemniùs, consuetâ publicauit edicta, vt omnes adessent immolationi. Die consignato veniente, populus cateruatim assistens, sacrificia solemniter peracta sunt. quibus finitis, satellites Tres milites, quòd in sacrificijs non adessent coram Præside denuntiarunt. Tunc* Dacianus *illos comprehendere iubens, in eius præsentiam adductos, ista illis profatur:* Quo nomine vocamini? *Illi dixerunt:* APOLLO, ISACIVS, & CROTAS secundùm seculum, & secundùm Deum Christiani sumus. *Quibus Præses:* Est-ne in vobis sensus, vt hæc dicatis, cognitâ Nostrorum Imperatorum voluntate, qua docemur solos Deos immortales adorandos esse? Absit à vobis hoc irreligiositatis incentiuum, Diisque sacrificia proni exhibete, provt fideles nostrorum Augustorum milites, ne vobis, quod aliis, accidat internecionis dispendium. *Sancti milites dixerunt:* Tu, & Imperatores tui Deos vestros colite, Nos autem Dominum Nostrum Iesum-Christum adorabimus, in quo salus, vita, & resurrectio nostra est. *Tum Præses dixit:* Ergo Imperatores nostri, & Dij nostri, non sunt vestri? *Cui Martyres:* quicunque Dei nostri cultum adimere conantur, tyranni sunt, quia non ex Deo sunt, per quem Reges regnant, ideò quia Imperatores tui nobis Dei Nostri adorationem prohibere conantur, ex Deo non sunt; & quos Deus Noster excludit, etiam & nos excludere tenemur. *Tum Præses dixit:* Miseri vobis consulite, nam Deos adorare tenemini, aut immanibus suppliciis afficiemini. *Quo dicto, illos in carcerem includi iussit. Facto mane sedit in Prætorio* Dacianus, *& adducti sunt ante illum Martyres, quos cùm nec blanditijs, nec minis à proposito incuruare posset, eos tandem cadi crudis neruis extensos iussit, quousque cædentes lassi deficerent, & inuicem succedentibus sibi cæsoribus Martyres gloriosi aut à confessione Christi deficerent, aut toti corporibus discissi spiritum emitterent. Hoc ergo supplicio cessante, Præses iterum illos ad Deorum inuitabat cultum, quos cùm verbis flectere non posset, instigante diabolo, exagitatus irâ, grandem conflari focum in medio foro præcipiens, in eum Martyres Sanctos immitti consumendos imperauit: sed eos quos Christi dextera protegit inuicta, illæsos reddidit ignis. Nam illi in tormentis constituti, mente cœlestia contemplantes dicebant:* Respice in seruos tuos, & in opera tua Domine, & dirige, & adiuua nos, vt perficiamus opus tuum sine macula Christe. *Audiens autem eos* Dacianus, *in*

Cohors Romana apud Accim.

Dacianus apud Vrgabonem.

Comprehenduntur.

Constantia Martyrum.

In carcerem includuntur.

Caduntur.

Oratio Martyrum in igne.

in torm entis, quos eiulare præ dolore credebat, orantes indignè tulit vehementer, & iussit subulas in vngulis eorum mitti, & lora singulis de dorso tolli. Quam iussionem dum ministri efficaciter conarentur implere, Martyres Sancti inter acerrimos pœnarum dolores, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orabant Dominum, & dicebant: Iudica Domine iudicium tuum, & libera nos ab homine iniquo & doloso. *Tunc denique* Dacianus *quia itineris excursus imminebat, iussit illos ense necari, quo amputatis capitibus, pretiosa in conspectu Domini fuit hæc Sanctorum mors* XI. Kalend. Maij. *Quorum corpora ibidem sepulta sunt; præstante D.N. Iesu-Christo, qui cum Patre, & Spiritu-Sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum, Amen.*

Coronãtur.

Controuersia inter Baticos sedata circa locum agonis.

Hactenus Acta à nullo hucvsque excusa, imò nec allegata, quibus de situ agonis controuersia inter Nostri Temporis Scriptores tantis Apologis, & Memorialibus ventilata sedabitur. Inter quos sic Bœticæ scissam vidimus in contraria eloquentiæ eruditionem,

Ac veluti magno in populo cùm sæpè coorta est
Seditio, sæuitque animis ignobile vulgus,
Iamque faces, & saxa volant, furor arma ministrat;

Qui pro Arjona?

Sic tumultuantibus Bæticis eruditis, & rixæ incendium afflantibus Carpetanis, vniuscuiusque defensio circumferebatur vbique. Brauij agonistæ pro Vrgabone, quæ & Alba, hodie Arxona, fuere *Biuarius*, & *Carus* in hisce Ecclesiasticis literis eruditi, quos postmodum sunt insequuti *P. Bernardinus Villegas* è S. I. P. F. *Ieronymus Pancoruo* Carmelitanus, & Amicus (heu Patriæ amor infelix!) Noster *D. Martinus Ximena Iurado.* Pro Alba (iuxta Acci m) quæ adhuc ferè retento nomine Abla dicitur, riuales prodière *Marchio Astapensis*, Vir nobilitate conspicuus, qui generoso sanguini vtriusque eruditionis specimen adiungens, nostri seculi Proceres, ne dicam pudore suffundere, sed illustrare voluit: *P. Ieronymus Roman de la Higuera* è Societ. Iesu, antiquitatum Hispanicarum Pantheon, & velut alter Columbus monimentorum vetustissimorum infatigabilis perscrutator; *M. Franciscus Rus-Puerta* Prior Baylenensis, (heu amicus Noster fato functus!) insignis Historicus Rerum Giennensium; *D. D. Antonius Calderon*, de quo nihil quod dicam habeo, nisi quòd eius eruditio

Qui pro Alba?

——— *Quacunque propinquat,*
Incessu fœcundat iter. ———

Omnium rationes in medium producere, & prolixum, & iam stante Actorum authoritate, nec vtile; ideò illas sub silentio contegere, prout ab illis expositas, decreui.

Topographia.

Alba Accitana, (in discrimen Municipij Albensis Vrgabonensis, quod hodie Arxona dicitur) fuit vetustissima Hispaniæ Ciuitas, quæ aliquando in Citeriori, aliquando in Vlteriori, iam in Tarraconensi, & sæpè in Bætica, ob temporum mutationes, diuersimodè consignatur. Eius meminit Antoninus *in Itinerar.* Viâ *Castulone Malacam*, sic:

Tulgiam. M. P. XXXV.
Frixinum. M. P. XVI.
Hactaram. M. P. XXIV.
Acci. M. P. XXXII.
Albam. M. P. XXXII.
Vrci. M. P. XXIV.

Hodie dici Abla eruditissimè probauisse fatentur *Marchionem Astapensem*, M. Rus-Puerta *Histor. Giennens. tom. 1. secul. 4. cap. 6. num. 3.* & D.D. Anton. Calderon *lib. 2. cap. 10.* & licèt ad manus meas Nobilissimi Principis nondum deuenisset pro hisce Sanctis Martyribus & Vrbe, eruditum χειδιάσμα, sufficit relatorum auctoritas Scriptorum, quibus lubens accedo.

B. S. Victor Episcopus, & Confessor.] Carthaginensis Ecclesiæ Episcopum in

in Hispania fuisse scripsit S. M. Maxim. *in Chron. Ann.* 529. apud Roder. Caro *fol.* 183. *lit. S.* & apud Biuar. *fol.* 365. *n.* 24. & licet vterque plures *Victores* illo seculo celebres accumulet, Nos pro VICTORE abs Biuario *n.* 25. relato proculdubio iudicium damus, quia cùm iste ad Annum Christi D. XXIX. floreret, & cæteri, aut antea, aut post in viuis fuissent, non est cur de illis *Maximi* relationem sumamus. Igitur audi Equilin. *in Catal. SS. lib.* 4. *c.* 70. hæc verba referentem: VICTOR *Episcopus* CARTHAGINENSIVM *floruit tempore Anastasij Imperatoris, qui praclarus virtutibus, & doctrina fuit. Aduersus Arianos composuit librum vnum. De pœnitentia librum vnum, in quo viuendi regulã pœnitentibus iuxta Scripturarum auctoritatẽ instituit. Ad Basilium quendam super mortem consolatorium librum vnum, spe resurrectionis perfectum, & instructione munitum. Homilias etiam, quæ à fratribus, salutis propria solicitis, in libris digesta seruantur, qui &* XI. Kal. Maij *carnis debitum soluit.* Quæ elogia è Gennadio de *Scriptor. Eccles. c.* 77. licet illum CARTANÆ vrbis in *Mauritania* Præsulem consignet, desumpsit. Hunc Raphael Volaterran *lib.* 20. *Antropolog.* CARTEIÆ Ciuitatis in *Hispania* Antistitem vocitat. *Africanum* sine expressione sedis, Bellarmin. *de Scriptor. Eccles. secul.* 5. *Ann.* 530. *fol.* 165. Quid in re tam dubia dicendum? Quòd *Gennadius*, aut *Maximus*, vel *Volaterranus*, nihil noui induxère; quod vt pateat, sequentis ecphrasis auctoritatem è *MS. Chronico* depromo, quod in limine *Historia Archiepiscopi Toletani* apud me est, Gothicis literis exaratum, cuius titulus, sic: *Chronicon omnium Pontificum, & Imperatorum Romanorum: vbi Anni eorum ponantur, & notabilia facta eorum, & distinguit quis Papa, sub quo Imperatore, sedit.* Igitur hoc *Chronicon* agens de *Anastasio* Imperatore, hæc verba recenset: *Anastasius sub Felice, & aliorum, imperat. ann.* XXVI. *Huius tempore Roma magna discordia orta est, propter electionem Laurentij, & Simmachi PP. Festus, & Linus Consules cum Laurentio erant, & pugnabant cum adiutoribus eius, vt haretici vel schismatici per seculares Potestates. Huius tempore fuit* VICTOR *Episcopus Africanus, Vir doctus, qui à* Genserico *Ariano Africà expulsus, venit* Cartheiam, *post* CARTHAGINEM *Hispania, ex qua Librum aduersus Arianos scripsit, & Regi per suos Legatos audiendum obtulit. Obijt Sanctus* XI. Kal. Maij. Hinc elicies *Maximum* Nostrum, optimo iure VICTOREM (quem *Gennadius* dixerat Episcopum CARTENNÆ) scripsisse CARTHAGINIS, & non in *Africa*, sed in *Hispania*; quia ex suprà relato *Chronico MS.* Sanctum Virum primò Episcopum *Africanum*, deinde à *Genserico* VVandalorum Rege ex eadem prouincia, expulsum, in *Hispanias* venisse, CARTHEIAM vrbem appulisse, CARTHAGINEM *Spartariam* concessisse, vbi Episcopalibus infulis indutum, *Genserico* Librum aduersus Arianos emisisse patescit. Quibus verbis *Gennadij*, chorographiâ restitutâ, *Maximi* & *Equilini*, Sede conseruatâ, nec non *Volaterrani* clausulæ, verâ relatione probantur. De eo D. Francisc. Cascales *Hist. Carthagin. Spartar. Discurs. fin c.* 3. *fol.* 429. M. Ægid. Gonzal. Chronograph. Reg. *Tom.* 2. *Theatr. Eccles. Hispan. fol.* 304. P. F. Alfons. Varg. *Hist. Hortan.* §. 5. *fol.* 13. & Nos supra *Tom.* 1. *die XXIV. Ianuar. fol.* 279. vbi probauimus S. VICTOREM successisse *S. Hectori Ferrando* ad Annum CCCC. XCIV. Eius Acta desiderantur, illa ex instituto breui compaginabimus synopsi:

Qui hoc seculo Victores.

Locus Equilini illustratus.

Volaterrani, & Maximi sententia probatur, ex MS. Chron.

Scriptores.

ACTA S. VICTORIS EPISCOPI
Carthaginis Spartaria, Confessoris; ex Gennadio, Maximo, & alijs.

EO *Tempore, quo barbarica Vandalorum lues omnes Africa terminos infestabat, & Arianica multitudinis Prouincia turbaretur incursu, Ecclesia Dei, cui nihil Mauri nocere potuerunt, ab Arianis inuasa schismatibus, pœnas luit fidelitatis innocua. Nam cùm* Gensericus *Rex memoratam prouinciam victor inuadens, omnes Catholica fidei asseclas Patricios, amissis omnibus bonis, ad Italiam nauigare compelleret, & sanctissimos Episcopos ex Africa regionibus ferè* CC. XX. *furibundis eijceret edictis, ita vt, quasi turbinis violentia grassantis inuadit incautos, diuidit iunctos, & ligat diuisos, breui familia dissiparentur Catholica, & sacrati Prasules absque plebe damnati, exules alienas oues pascere tenerentur: nec prorsus spes recuperationis exurgeret, quia tunc*

Vandalica persecutionis status.

Regalis auctoritas Episcopos denuò ordinari prohibuerat, nec viduatis plebibus prouidere Pastores licebat, inter tot extorrium Pontificum turbas VICTOR *illius Regionis Antistes, propriam deserens Sedem compulsus,* Hispaniæ *fines ingrediens, ad* Cartheiæ *vrbis in Bæthica portum soluens, ibidem insignis doctrinæ, quâ erat singulariter eruditus, specimina, protinus Ecclesiasticorum Virorum concursibus, & doctiorum hominum conuersationibus, & conferentijs, inaudito feruoris manifestauit spiritu. Erat enim Vir verè Catholicus, in diuinis Scripturis doctus, in disputatione subtilis, in dicendo peritus, & in confutando limatus; ideò illum scripsisse dignoscimus plura opuscula, inter quæ memorantur* Liber vnus *de Pœnitentia Publicanî, in quo Regulam viuendi pœnitentibus iuxta Scripturarum auctoritatem, instituit. Item* Liber alter *ad Basilium super morte filij, in cuius lemmatis inuolucro consolatoria inest persuasio, spe resurrectionis munita, & perfectâ instructione compacta. Item* Homiliarum *codex multiplicium singulari eruditione refertus, quarum ecphrases à fratribus, salutis propriæ solicitis, in Libris digestas seruari, refertur. Tantus ergo sanctissimus, & doctissimus Pontifex, postquam in* Bætica *radios suæ eruditionis spargeret, & populos illius ditionis suo exercitationis eloquio, catholicis admonitionibus erudiret, ab* Hectore Ferrando *Carthaginensis prouinciæ apud* Hispanos *Episcopo, vt creditur, inuitatus,* Cartheiam *deserens,* Carthaginem Spartariam *adiuit, vbi ab* Hectore *Præsule benignè acceptus, & honorificè habitus (erant enim ambo ex Africa oriundi) & tractatus, breui sua doctrina compendio apices,* Hispanis Carthaginensibus, *patefecit. In illius S. Pontificis contubernio* VICTOR *multos consumpsit dies, donec è viuis sublato Petronatione Græco Episcopo Toletano,* Hectore *que* Carthaginense *Præsule ad Patriarchale solium erecto,* VICTOR *noster infulas* Nouæ Carthaginis, *in locum* Ferrandi, *omni clero, & populo opitulante, perinduit. In hoc oneris munere sublimatus Antistes, protinus aduersus Ary asseclas victoriarum assiduitate turgentes, calamum conuertit, vt quæ in Africa miles imperialis amittebat in seculo, Ecclesia Catholica versâ vice suppleret in libris. Hinc aduersus* Arianos *doctissimum contexens volumen, illud* Genserico *Regi Ariano, & Africanæ regionis Principi, per Nuntios catholicâ libertate dimisit. Post hæc muneri insistens, & gregi assistens, viam ad omnia quæque sternens optima inuentuti, pietate plenus, bonis operibus clarus doctrinâ celebris, & Sanctitudinis famâ conspicuus obdormiuit in Domino* XI. Kal. Maij, *Anno Domini* D. XXIV. *vel circiter, cuius sanctitatis splendor post Quinque annorum spatium* Hispaniæ *cœpit omnium approbatione florere.*

Victor Africanus Episcopus exulat. *Eius opuscula.* *In Hispanias aduentat.* *Fit Episcopus Carthaginis Nouæ.* *Scripsit contra Arianos.* *Moritur.*

Hæc sunt ACTA quæ ad manus venêre synceriora, & suprà citatis Scriptoribus magis consona; de quibus non est hæsitandum. A vero deuiauit Aubertus Myræus *in Not. ad Gennad. tom. 1. Biblioth. Ecclesi. c. 77. fol. 66.* dicens, hunc fuisse VICTOREM, qui scripsit *Regulam fidei* ad Hunericum Vandalorum Regem, cum Noster longè ab isto diuersus fuerit, vt notauit P. Anton. Possevin. *in Apparat. Sacr. lit. V.* verb. VICTOR *Cartenna.*

Myræi error.

SED nunc dubium erit, An Noster hic VICTOR primò CARTENNÆ in Africa Episcopus fuerit, & quæ hæc vrbs? Cui dubio crederem respondendum, vt omnium Scriptorum placitis locum demus, Nostrum hunc VICTOREM fuisse tempore *Vvandalicæ* persecutionis in Africa Præsulem CARTENNENSEM, qui ab *Genserico* expulsus, *Hispanias* transfretans, CARTEIAM deueniens; postmodùm Episcopus *Nouæ Carthaginis* proclamatus, vitam Confessor inclytus denudauit. Quod verisimile est, cùm Acta *Cartennensis* & *Carthaginensis* VICTORIS conueniant Pōtificis, tàm à *Gennadio*, & *Equilino* conscripta, quàm à *S. Maximo, Volaterrano*, & *Antiquo Chron. MS.* exarata.

An Episcopus fuerit Cartennensis.

QVOAD situm Vrbis CARTENNÆ in Africa, illum in *Mauritania Cæsariensi* collocant tàm antiqui Geographi, quàm recentiores; licet Ptolom. *lib. 8. Geograph.* Cortinam nominet, eâ quoque appellatione inueniatur in vetustissimo MS. literis Gothicis exarato in vitellinis foliis, post *Pauli Orosi* opusculâ, Itinerarij Antonini Augusti, hisce clausulis:

Situs Cartennæ.

Quinza

Quinza Municipium,	M. P. X L.
Arsenaria,	M. P. X L.
CORTENNA Colonia,	M. P. X V I I I.
Lar Castellum,	M. P. X X.

Quem locum variis Lectionibus adumbratum retulit Ieronymus Zurita Noster *in Not. ad Itiner. fol.* 190. Hodie hanc vrbem vocari MAZAGRAN contendit *Castaldus*, sed Ludouico Marmol *Histor. Description. Afric. tom. 2. lib. 5. cap.* 32. qui eam MOSTAGAN vocitat, adhæreo. *Cui vrbi hodie respondeat.*

DECIMO KAL. MAII.

DIES XXII.

A. ROMÆ, *Natalis* S. CAII, *Pontificis Maximi, qui cùm ex matre* Serena, *è Serenorum* Samonicorum *apud* Gallæciam Hispaniæ *familiâ, oriunda*, Hispanam *reportaret originem, ad supremum Ecclesiæ vniuersalis apicem, meritis interpellantibus euectus, demum* Diocletiani *Imperatoris iussu per innumeros agonum cruciatus ad vitæ præmium Martyr properauit æternum.*

B. BASTI *in Lusitania Hispaniæ*, S. SENORINÆ *Virginis Benedictinæ, & Abbatissæ, quæ cùm ex Nobilissimis fuisset orta natalibus, sub* B. Godina *matertera* S. Ioannis de Vieira *Benedictini Cœnobij Abbatissa, primos infantiæ annos in Religionis Monasticæ eruditione transegit, & despecto sæculi nobilissimo sponso, propter æternum cui castitatem vouerat, tandem plena innumerabilium virtutum sarcinâ, ad Superos euolauit.*

C. TOLETI *anniuersario celebratur cultu festiuitas Depositionis* S. SOTERIS *Papæ & Martyris; cuius pignora in Augusto Patriarchali sacrario recondita, honorificâ solemnitatis pompâ feliciter venerantur.*

NOTÆ.

SANCTVS CAIVS PONT. MAX. Martyr.] Supra in hoc Nostro Hispano Martyrologio *Tom.* 1. *die XIX. February, fol.* 179. egimus de S. GABINO Presbytero, FRATRE-GERMANO huius Sanctissimi Pontificis; & ibidem probauimus *Diocletianum* Imperatorem, & eius fratrem *Caium Maximinum* matrimonium contraxisse cum duabus Sororibus, nomine SERENIS, filiabus *Philippi* Imperatoris, & *Serenæ* coniugis, quæ ex *Samone* vrbe *Gallaciæ* originem trahebat. Deinceps asseruimus *Caium Maximinum* fratrem *Diocletiani*, ex *Serena Hispana* eius vxore duos suscepisse Li- A. *Origo Hispana probatur per remissionem.*

beros, alterum CAIVM Pont. Max. de quo hoc die, alium *Gabinum*, de quo *d. die XIX. Februarij*, ad quorum comprobationem, omnia adduximus necessaria monumenta, quæ apud Noſtratium ſcrinia ſeruabantur, ita vt inpoſterum de huiuſmodi non hæſites origine. Quâ ſuppoſitâ, vt videre eſt in loco citato, ne dicta repetamus, venio ad Sanctitudinis Noſtri S. Pontificis commendationem, & elogia. Eius memoria celebris eſt apud omnes Martyrologiorum Scriptores (nemine dempto) tàm antiquos, quàm recentiores. Pro omnibus loquatur Martyrolog. Roman. h. d. his verbis: *Romæ S.* CAII *Papæ, qui ſub Diocletiano Principe martyrio coronatus eſt.* Anaſtaſ. Bibliothecar. *in Act. Pontif.* latiori elogio, hac ſerie: CAIVS *natione Dalmata, ex genere Diocletiani Imperatoris, ex patre* Caio, *ſedit annos XI. Menſes IV. dies IX. Fuit autem temporibus Cari, & Carini, à die XIV. Kalend. Ianuar. à Conſulatu Cari II. & Carini vſque in diem X. Kalend. Maiar. Diocletiano IV. & Conſtantino II. Hic conſtituit, vt omnes ordines in Eccleſia ſic aſcenderent. Si quis Epiſcopus fieri mereretur, vt eſſet Oſtiarius, Lector, Exorciſta, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, & exinde Epiſcopus ordinaretur. Hic regiones diuiſit Diaconibus. Hic fugiens perſecutionem Diocletiani in cryptis habitando, martyrio coronatur anno IX. Hic fecit ordinationes IV. per menſem Decembrem; Presbyteros XXV. Diaconos VIII. Epiſcopos per diuerſa loca numero V. qui poſt annum XI. cum* GABINO FRATRE ſuo *propter filiam* Gabini *Presbyteri nomine* Suſannam, *martyrio coronatur, qui etiam ſepultus eſt in cœmeterio Callixti, via Appiâ* X. Kalend. Maij. *Et ceſſauit Epiſcopatus dies XI.* Fere eadem *Damaſus* Papa Noſter, & *Luitprandus*. De eo ſcripsêre Baron. *Annal. Eccleſ. Tom. 2. Ann.* 294. 295. & 296. & omnes qui de Summorum Pontificum rebus geſtis ſcripsêre, præcipuè Illeſcas *in Hiſtor. Pontifical. tom.* 1. & P. Alphonſ. Chacon Noſtri *in eod. tract. tom.* 1. Eius Acta Notis explicata conſcripſit *Caſ. Becillus Vrbinas* Presbyter congregationis Oratorij de vrbe, Romæ Anno 1627. è quo additis addendis, quæ illum latuerunt, Vitam exſcribemus.

Martyrologia.

Scriptores.

ACTA S. CAII, PONTIFICIS MAXIMI, ex Materna origine Hiſpani, Martyris; ex Varijs.

Origo vtraque.

CAIVS *ex nobiliſſimo genere ortus patrem habuit* Caium Maximinum *fratrem* Diocletiani *Imperatoris, & matrem* Serenam *filiam* Philippi *Romani Principis, qui primus Chriſtianus Imperator Romanus dignoſcitur. Hinc ex Parentis genere virili* CAIVS *vocatur undequaque* DALMATA, *quia cum auorum ſeries ex* Dalmatia *deriuaretur, ideò maſculinam proſapiam intuentes Scriptores, illam, & optimè, ſunt ſequuti. Ex maternâ verò lineâ* Hiſpanam *originem eſt aſſequutus, nam* Serena *mater, &* Serena *vxor* Diocletiani *ſorores cùm fuiſſent, ex* Serenorum Samonicorum *apud* Gallæciam *familijs, idcirco* Hiſpanum *genere fuiſſe* CAIVM, *nullus ambiget. Igitur ſuppoſito huius genealogiæ delineamento ſciendum eſt, quatenus poſt Eutychianum Papam*, CAIVS *ad Vniuerſalis Eccleſiæ gubernacula moderanda vocatus*, XXIX. *Pontificem egit. Fuit quippè magna prudentia, & eximia virtutis Vir, temporibus Carini, & Diocletiani, quibus remiſſior fuit in Chriſtianos perſecutio, quòd Carinus haberet quoſdam in amicitia, quos huius confeſſionis titulus decorabat.*

Pontifex eligitur.

OCCISO *autem Carino ad Murgam, Maximo, & Aquilino Coſſ. tàm immanis exorta eſt perſecutio, vt nulli quidquam vel vendere, vel emere liceret, niſi paruis quibuſdam ſtatuis, eo in loco poſitis, vbi emendi gratiâ conuentum eſſet, thura incenderet. Tam etiam circa Inſulas, vicos, & aquas poſiti erant compulſores, qui neque molendi, neque aquas hauriendi poteſtatem facerent, niſi qui Idolis libaſſent. Itaque ex* CAII *Pontificis conſilio* Chromatius *Vir illuſtriſſimus Chriſtianos illos omnes (qui nuper crediderant) in domum ſuam recepit: cunctóſque ita fouit, vt nullus omninò ſacrificandi neceſſitati ſuccumberet. Verùm quia tanta perſecutionis extitit vis, vt optimè Chriſtianæ Religionis ab eo ſuſcepta celari tam non poſſet; meruit ex ſacro*

Status Eccleſiæ exordio perſecutionis Diocletiani.

reſcripto

rescripto Chromatius, *vt medela gratiâ in Campano littore, vbi lati ca-spitu erat dominus demoraretur, fecitque copiam Christianis omnibus, eam ipso tre volentibus, & commigrandi ad persecutionis rabiem declinandam. Tam verò exorta est pia contentio inter SS. Polycarpum, & Sebastianum, quis in vrbe remaneret, & quis iret cum* Chromatio, *qui tàm multos ad se receperat Christianos; quibus ita altercantibus venerabilis Papa* CAIVS *dixit*: Dum ambo coronam passionis appetitis, populum Domini solatio destituitis. Vnde mihi videtur, vt tu frater *Polycarpe*, qui & sacerdotij rectum tramitem tenes, & scientiæ Dei repletus es donis, proficiscaris simul ad confortandas recenter credentium mentes, & animos dubios confirmandos. *Quibus ille auditis adquieuit, & blandum Papa imperiam aquanimiter tulit.*

Chromatij villa Christianorum latebra.

Contentionem diremit Caius.

VENIT *itaque dies Dominica, in qua* CAIVS *Papa agens qua Dei sunt intra domum* Chromatij, *omnibus aggregatis, cunctos hac voce alloquitur*: Dominus Noster IESVS-CHRISTVS præscius fragilitatis humanæ, duos, credentinm inse, gradus constituit, Confessionis scilicet, & Martyrij, vt qni Martyrij pondus se non posse ferre viderentur, Confessionis gratiam teneant, & concedentes laudem bellaturis Christi militibus, & pro eius nomine pugnaturis, illorum solicitè curam gerant. Pergant itaque qui volunt vnà cum filiis nostris *Chromatio, & Tiburtio*, & mecum in hac Vrbe, qui voluerint, remaneant. Non enim nos terrarum spatia diuidunt, quos Christi gratiâ nectit: neque absentiam vestram sentiunt oculi nostri, quia interioris hominis vos intuemur adspectu. *Hac & similia dicente Papa* CAIO, *exclamauit* Tiburtius (*filius hic erat* Chromatij, *nuper cum patre factus Christianus*) *vese magnâ dicens*: Obsecro te Pater, & Episcoporum Episcope, ne me patiaris terga persequentibus dare. Mihi enim valdè iucundum est, & optabile pro Deo Vero millies, si possem, occidi, tantùm, vt illius vitæ dignitatem apprehendam, quam nullus mihi successor eripiat, & cui nulla tempora finem imponant. *Tunc S.* CAIVS *congaudens fidei eius, lachrymas fundebat, orabátque, vt omnes, qui cum ipso remansissent, certaminis victores extarent, triumphum martyrij assequuti. Remanserunt autem cum venerabili Papa*, Marcellianus, *&* Marcus, *& pater eorum vir clarissimus* Tranquillinus, *itémque* Sebastianus, *& iuuenis corpore pulcherrimus, sed mente pulchrior* Tiburtius. *Tum quoque* Nicostratus *Protoscriniarius cum fratre suo* Castorio, *& coniuge* Zoë; *&* Claudius *etiam cum fratre suo* Victorino, *& filio* Symphoriano, *qui fuerat ab hydropisis morbo liberatus. Hi soli, reliquis omnibus cum* Chromatio *proficiscentibus, in Vrbe cum* CAIO *Pontifice remanserunt: qui* Marcum, *&* Marcellianum *Diaconij honore sanctificauit*: Tranquillinum *verò patrem eorum fecit Presbyterum, &* Sebastianum, *qui ad multorum profectam sub specie militia latebat, Ecclesia defensorem constituit, cateros verò Subdiaconos fecit.*

Caij ad Christianos exhortatio.

Confessionis, & Martyrij differentia.

Pontifex Romanus Episcoporū Episcopus.

Christiani cum Papa in vrbe remanserunt.

Prima ordinatio S. Caij Pontificis.

SED *quia tutus nullus innenitri poterat locus, ad latebram confugiendum: morabantur omnes apud* Castulnm *quendā* Zetarium *palatij, qui in altissimo loco eiusdem palatij commanebat. Ea verò mansio idcircò idonea visa est; quòd &* Castulus *ipse cum omnibus suis Christianissimus esset: & lex de sacrificijs lata, cùm vbique suo feruore saeuiret, in illis, qui palatio adhærebant, minimè executioni dabatur. Morabantur hi omnes cum S.* CAIO *Papa apud* Castulum: *& diu noctúque gemitibus, fletibus, ieiunijs, & orationibus occupati orabant Dominum, vt digni haberentur tolerantiâ confessionis eius, & in numerum Sanctorum Martyrum admitti mererentur. Ascendebant autem ad eos occultè religiosi viri, & fœminæ, quippè qui à sanctis diuersas sanitatum gratias impetrarent: nam & cæcorum oculi illuminabantur eorum precibus, & salus reddebatur ægrotis, & de obsessis corporibus dæmones pellebantur. Interea dùm hac ab his agerentur* Tiburtius *hominem ex alto dilapsum, & fractum, Oratione Dominicâ, & fidei symbolo ad aurem dictis Dei misera*

In domum Castuli collecti Christiani orationi vacabant.

Miracula.

miseratione sanauit, quo miraculo iuuenis sanitati restitutus, & eius parentes in Christum credentes, eos ad S. CAIVM *Pontificem perduxit, qui tunc baptizauit iuuenem cum parentibus eius gratias Deo referentem.*

Diocletiani ad Gabinii petitio.

POSTHÆC *audiens* Diocletianus,*quòd* Gabinius *frater* CAII,*qui ex fratre suo* Caio Maximino *filij erant, filiam vnicam dulcissimam, & pulcherrimam haberet, quam nutrierat in eruditione literarum mundana artis, similiter & diuinis literis imbuerat, misit ad* Gabinium, *& petijt eam* Augusto Maximiano Galerio *filio suo in coniugium. Quod vt faciliùs assequeretur emisit* Claudium *consobrinum suum, qui* Gabinio *Imperatoris voluntatem aperuit, sed ab eo tres dies inductarum expetiti sunt, quibus S. Presbyter coniunxit in domo sua* CAIVM *Papam fratrem suum, &* Susannam *filiam, vt de legatione Imperatoris ad inuicem loquerentur. Quâ auditâ per* Susannam *prorsus nuptias* Augusti *vehementi spiritu respuit.*

Monetur Susanna à patruo.

Quod audiens S. CAIVS *dixit:* Ergo filia constans esto in fide, quam tenes, vt nos mereamur fructum oblationis offerre Domino Iesu-Christo de constantia tua, quia scio, pietatem eius in omnes homines esse, & misericordem Dominum Iesum-Christum. *Respondit* Susanna *ad* CAIVM *Episcopum patruum suum,& patrem,dicens:*Domini mei,ego scio quia de ore tuo hoc sum erudita,vt castitati studerem semper seruandæ,& pudicitiam Domino meo exhiberem,& in eius timore constituta,nunquam coinquinabor virili commissa studio; sed cui tu me semel tradidisti, ipsi seruio, & in ipsum confido, quia ipse nouit conscientiam meam. *Ad quam* CAIVS *Episcopus:* Ergo si iam semel tradita es Deo, custodi præcepta eius, quia sie dignatus est nobis seruis suis per Euangelicæ doctrinæ declarare vestigium: *Cùm stabitis* (inquit) *ante Reges, & Præsides, nolite præmeditari qualiter respondeatis, quia dabo vobis in illa hora,quid dicatis, quia non vos loquimini, sed Spiritus-Sanctus, qui loquitur pro vobis. Quo dicto discessit* Susanna, *fratribus ad inuicem tractantibus de hisce rebus, ecce subitò venit ad eos* Claudius, *quem ipsi cum magno gaudio receperunt.* Claudius *autem Clarissimus dixit:* Cognoscit Sanctitas vestra pro qua causa venerim ad vos? *Respondit* CAIVS *Episcopus, & dixit:* Et si aliæ causæ sunt, tamen vel propter genealogiam communem, & propter genus nostræ coniunctionis nos mereamur præsentari cognationi. *Claudius dixit:* Ergo modò cognoscat Sanctitas vestra, quia D. N. Diocletianus Augustus amicitiam vestram cognationis affectu desiderat amplecti,vnde commoneo,& tamen rogo sanctimoniam vestram, vt faciatis voluntatem Domini Principis totius mundi,& animum eius gaudio repleatis. *Respondit* Gabinius *Presbyter, & dixit:* Diuulga sancto Episcopo præceptionem Augusti. *Tum Claudius omnia superius euulgata recensuit* CAIO,*& vocatâ* Susannâ, *Claudij consanguinei osculum pacis recusauit, quousque purificaretur,& baptizaretur.*

Matth.10.

Claudius iterum venit ad Gabinium, & Caium.

Caius conatur conuertere Claudium fratrem.

Tum Claudius dixit ad CAIVM *Episcopum:* Ergo purifica me,si melior est homo mundus,qui credit in Christum, quàm in Deos, quos colui, & quibus sacrificia obtuli, quibus & Principes nostri humiliantur. CAIVS *Episcopus respondit, & dixit ad Claudium:* Frater *Claudi*, audi me: Bonum est quod te admoneo. Hoc autem quod agere venisti, Dominus te redimere vult per puellæ petitionem, vt saluum fit genus nostrum,quia ipse dignatus est in Euangelio dicere:*Venite ad me omnes qui laboratis,& onerati estis,& ego reficiam vos.* Nullum autem peccatorum tàm pessimum est,quàm vt Idolis coinquinetur homo,quem Dominus Deus fecit, pro quo dignatus est ad terras descendere, & nasci per Virginem, & humiliari, & mori propter hominem, quem resurgendo ipse Dominus de inferno releuare dignatus est,vt qui tenebatur vinculis peccatorum Idolis seruiendo, erectus vsque ad cœlorum terminum perduceretur.

POSTMODVM *Claudius licet pro responsione circa coniugium* Susannæ *fortius*

fortius animum accommodare conaretur, dixit illi S. CAIVS. Tu frater vtere consilio meo, & esto fidelis Deo, & age pœnitentiam de sanguine Sanctorum, quem effudisti: Et baptismũ percipe, & omnia ministrabuntur tibi, quæ Dominus Noster dignatus est facere. *Claudius dixit*: Et dum baptismum percepero delebuntur omnia facinora cordis mei? *Respondit* CAIVS *Episcopus, & dixit*: Omnia lauabuntur facinora: Tu autem fideliter crede. *Eadem hora mittens se* Susanna *ad pedes* CAII *Episcopi dixit ei*: Domine per Iesum-Christum te coniuro, ne tardes eum baptizare, sed redime eum. *Dixit* CAIVS *Episcopus*: Inquisitionem quæramus, si ex toto corde credere festinat. *Claudius dixit*: Ego in vestra pollicitatione credo, si omnia mihi laxantur delicta. *Respondit* CAIVS: In nomine Iesu-Christi, & Dei Omnipotentis omnia relaxantur tibi peccata. *Tum Claudius pœnituit, & orauit, & à* S. CAIO *Catechumenus factus est, quem, & vxorem Prepedignam & eorum filios* Alexandrum, *&* Cuthiam *tempore debito baptizauit, sic dicens*: Credis in Deum Patrem Omnipotentem ex toto corde? *Et respondens Claudius stansq; nudus super peluim ligneam*: Credo. *Et iterum dixit ei*: Et in Iesum-Christum filium eius vnicum, Dominum Nostrum? *Et respondit*: Credo. *Postea dixit*: Qui natus est de Spiritu-Sancto ex MARIA Virgine? *Et respondit Claudius*: Credo. *Tum dixit* CAIVS: Et ego famulus Dei, & Sacerdos baptizo te in aqua in remissionem peccatorum, & carnis resurrectionem. *Eadem horâ* B. CAIVS *Episcopus liniuit eum chrismate, & baptizauit vxorem eius, & filios, quos tamen* Gabinius *Presbyter de baptismo suscepit.*

Caio conuertitur, pœnitet, & orat.

Forma baptismi.

Vsus patrini in baptismo.

DEMVM *post aliquot temporis cùm* Claudius *non reuerteretur ad Diocletianum, misit* Maximum *ad domum* Claudij *fratris eius, vt ab eo quid actum esset cum* Gabinio, *circa coniugium* Susannæ *cum* Maximino Cæsare, *disdisceret. Qui fratris domum ingressus, vt eum Christianum factum agnouit, etiam fratris exemplo, de suscipienda religione tractauit: quo perscrutato* Claudius *fratrem* Maximum *in domum* Gabinij *detulit, vt Christianorum vniformitatem, & fidem conspiceret. Quod vt* S. CAIVS *intellexit protinus ad domum fratris* Gabinij *perrexit, & ingressus*: Estote (*inquit*) animo constantes in nomine Domini. *Eadem horâ dedit orationem, dicens*: Oremus, Domine Deus Pater D. N. Iesu-Christi, qui omnibus ad salutem, & vitam æternam misisti D. N. Iesum-Christum, vt nos erueres à tenebris mundi, da nobis famulis tuis constantiam fidei, quia tu regnas in secula seculorum. *Et responderunt omnes vno animo*: Amen. *Et sedentes audiebant verba à* B. CAIO *Episcopo, qui dixit*: Gratias ago Deo meo, frater *Maximè*, quia dignatus es nos visitare. *Respondit* Maximus *& dixit*: Ego non sum meritus venire ad vos, tamen osculabor pedes vestros: ex qua causa venerim melius nosti. *Tum dixit causam aduentus sui propter coniugium* Susannæ. *Tum dixit* CAIVS *Episcopus*: Puella hæc iam Christum accepit coniugem, à Deo patre Omnipotente: hæc scito. *Respondit* Maximus, *& dixit*: Quidquid à Deo est, sempiternum est. CAIVS *Episcopus dixit*: Ergo accipe & tu sempiternam vitam. *Et dixit ei Maximus*: Et quæ est sempiterna vita? *Respondit Claudius*: Sicut & ego cognoui. *Respondit Maximus*: Verè quæ tu cognouisti, & ego desidero: tamen non debuit elongari natio nostra à sublimitate Augustorum. *Dicit ei* CAIVS *Episcopus*: Nos te commonemus, vt credas D. N. Iesum-Christum Deum, Dei filium sempiternum, quia sublimitas hæc, quam videmus, temporalis esse cognoscitur: illa autem, quam nos prædicamus, sempiterna, & innoxia detinetur à malis. *Hoc audiens* Maximus *cum gaudio suscepit. Dicit ei* CAIVS *Episcopus*: Nosti, frater, omnia quæ dereliquimus, quæ vobis dimisimus, quanta vobis commisimus, & nihil sperauimus, quàm D. N. Iesum-Christum, per quem viuimus,

Maximus frater Claudij vadit in domũ Gabinij.

Monetur à à S. Caio ad fidem.

Conuertitur. viuimus, & gloriamur. *Respondit* Maximus, *& dixit*: Ne tardes mi Domine, sed quod cognoscis expedire in me, sicut in vobis facite celeriùs. *Tum indixit* Maximo *ieiunium, & precepit vt ambularet in domum suam.*

Post *Quintum diem veniens* Maximus *misit se ad pedes* C A I I *Episcopi dicens*: Adiuro te, Domine mi, per ipsum, per quem illuminasti fratrem nostrum *Claudium*, ne me tardes illuminare, quia sensi compunctionem in corde meo, D. N. Iesu-Christi, quem tu prædicas, à die quo mihi dignatus es sermonem ædificationis donare. *Dicit ei* C A I V S *Episcopus*: Ergo inclina cor tuum in inuocationem D. N. Iesu-Christi. *Respondit* Maximus, *& dixit*: Ego miser, & infelix oro Sanctimoniam vestram, vt salutis animam meam, & eruatis me de profundo Idolorum, & tenebrarum, & ad veram lucem perducere dignemini. *Cui* C A I V S *Episcopus dixit*: Audi me frater; si ex toto corde credis, & abrenuntias pompis, & angelis Satanæ? *Respondit Maximus*: Ego semel abrenuntiaui, quia vestro exemplo viuere volo. *Tunc cathechizauit eum* Gabinius *Presbyter, & omnia sacramenta manifestauit ei*: *&* S. C A I V S *fecit secundùm consuetudinem, &* Baptizatur à S. Caio. *vt moris est baptizauit eum, & leuato de pelui liniuit Chrismatis Sacramento, obtulitque pro eo oblationem Domino, & participati sunt omnes, & cœperunt ab eo die simul habitare cum gaudio & hymnis. Postmodùm intellectâ per* Diocletianum *omnium istorum conuersione ad fidem, illos martyrio coronauit præter* S. C A I V M, *quem nequaquam voluit inquirere pro* Coronatur S. Caius. *tunc, donec post aliquot temporis, tandem post* Gabinium *fratrem*, S. C A I V M *quoque martyrij coronâ donatum occidit*. X. Kalend. Maij. *Cuius Corpus in cœmeterio Callixti sepultum est via Appia. Scripsit Epistolam De-* Eius Decreta. *cretalem ad* Felicem *Episcopum in qua de Accusatoribus. De Diuinitate, ac Vera Humanitate Christi. De Ordinatione Episcoporum, ac diuisione magnarum vrbium in regiones. De Quæstionibus difficilioribus ad Sedem Apostolicam referendis.*

Hæc sunt Acta: Circa quorum intelligentiam multa congerit *Cæs. Becillus*, qui ad literam omnia quæ in hisce Actis, aut dubia, aut obscura referuntur, explicat, digerit, & illustrat.

Quo Anno occubuit? Q V A T E N V S ad Annum martyrij, cuius computum non explicat *Becillus*, audi Scholiastem *ad Concilia Generalia* ex Compilatione Regia Parisiensi. *Anno* 1644. *Tom.* 1. *fol.* 585. dicentem: C A I V M *annos* X I I. *Menses* I V. *dies* V. *sedisse, initium, & finis Pontificatus illius indicant. Nam ipsius Pontificalis libri testimonio*, X. Kalend. Maij, *Diocletiano* V I. *& Constantio* I I. *Coss. Anno nimirum Christi nati* C C. C X V I. *Martyrium subyt.* Quod & probat Baron. *in d. Ann.* 296. *n.* 1 Scoglius, & alij.

De Origine Hispanâ remissiuè. C I R C A Originem *Hispanam* ex *Serena* Matre plura diximus supra *Tom.* 1 *Die* X I X. *Februar. fol.* 179. & alia adiiciemus *infra Tom.* 4. *die* X I. *Augusti*, & alibi. Ex quo comperies quantis *Gallæci* suffulti authoritatibus, de tantis illustribus Martyribus glorientur. Videsis etiam *P. Philipp. de la Gandara* Augusti[...]num amicum ex corde nostrum in *Generali Histor. Gallæciæ tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 32. *& seqq.* vbi de *Serenis* agit.

B. Martyrol. S. S E N O R I N A Virgo, & Abbatissa.] Eius memoriam repetunt P. Lobo *in Martyrolog. Lusitan.* Hugo Menard. *in Monastic.* Higuera *in Hispano.* Ex antiquis Luitprand. *in Chron. Ann.* 960. in MS. vt refert D. Thom. Tamayo in eius *Not. fol.* 143. Philipp. Ferrar. *in Catalog. General. h. d. fol.* 162. licèt in nomine Virginis erret, sic: V I E R I Æ *in Lusitania* S. G E N O V E S E *Virginis*; cùm dicere debuerat: S. S E N O R I N Æ. Georg. Cardos. *in Offic. SS. Portugall. ad Complector. hymn.* 2.

Scriptores. *fol.* 10. isthæc carmina nectit:

Nuptias sponsi referant, vt ora
Compta non dignè: Seraphin beata

Calculo,

Calculo, crimen labij tacentis.
Tergite Templi.
Lampades ornant SENORINA *prudens,*
Dúxque Sanctarum Domino, Godina,
Quæ resistentes grauido sopori
Euigilarunt.

De ea ferè omnes Portugallensium Rerum Sctiptores, inter quos Bernard. Brito *in Monarch. Lusitan. lib. 7. cap. 25.* Vasconcell. *in Descript. Portugall. fol. 530. n. 14.* Anton. Brand. *lib. 12. cap. 26.* Eduard. Nonnius *in Descript. Portugall. cap. 51. fol. 82.* Ludouic. ab Angel. *in Viridar. Portugall. cap. 55. fol. 146.* Gaspar Statius *in Antiquit. Portugall. cap. 4.* D. Roder. de Acuña *Histor. Portucall. 1. part. cap. 23.* & in *Histor. Braccar. 1. part. cap. 116. fol 453.* Georg. Cardos. *in Compend. SS. Portugall. cap. 29. fol. 26.* Hugo Menard. *in Not. ad Martyrolog. Monast. lib. 2. Obseruat. fol. 545.* Anton. Yep. *in Chron. Benedict. tom. 5. Ann. 977. cap. 3.* & omnes qui de *S. Rodesindo* scripsère. Eius ACTA ex *MS. Codice antiquo* S. CRVCIS *Conimbricensis* extracta per *Emanuelem Faria de Sousa*, qui ex genere S. Virginis procedere iactabatur, mihi obtulit, cum eius symbolo, quæ hîc subiicere non grauabor.

ACTA S. SENORINÆ DO BASTO, Virginis; ex MS. Legendario Antiquo S. Crucis Conimbricensis.

SENORINA *ex nobilissimis* Sousarum *orta natalibus*, Hufum Hufes Belfajal, *seu* Belfajer *Comitem, & Dominum territorij* dà Vieira, *&* dò Basto, *inter Miaij, & Dury flumina, Braccarensis diœcesis, Patrem habuit; &* Soërium Belfajal *auum; Matrem verò* Tharasiam, *sororem Comitis* Gonsalui Soarij *strenui militis, qui Regibus Legionis opem detulit sæpè sæpiùs. E vitâ verò* Tharasia *discessit, relinquens filiam* SENORINAM *puerulam ferè lactentem. Hinc* Hufi *patris dolorem, & coniugis obitus, & filiæ orbitas grauissimè perangebant. At vt tantis* Hufus *occurreret infortunijs*, Godinam *Abbatissam in Cœnobio* S. Ioannis *de* Vieira, *ordinis Benedictini, puerulæ materteram, fœminam, & prudentia dono illustrem, generísque nobilitate conspicuam, & quod fortius est, vita sanctitate sublimem, elegit, vt de* SENORINÆ *educatione tractaret, concurrentibus vtriusque sanguinis coniunctionis vinculis, & Sanctissima Abbatissa ad huiusmodi educationis pensum suffragantibus officijs, etiam in externis virginibus. Nec electio Comitis animum decepit, quia* B. Godina *acceptâ puerulâ, cum eius nutrice, sic assistentia necessaria ministrauit vtrique, vt post tempus infantia Sacra Virguncula Sanctissima Abbatissa solertiam omnibus intuentibus propalaret. Cùm ergo iam ad ætatem discretionis peruenit, ita virginem* Godina *validis virtutum fulcris, verbo, & opere informare constituit, vt Sancti-Spiritus templum mereretur haberi; ideóque ad summum, timore, & amore Dei prauijs, ad perfectionis apicem deuenire curauit. Hinc ferè totam hebdomadis partem, ieiunijs explebat, cilicio induta tenera carnis fomitem, nec non disciplinis macerabat, & reliquum temporis, aut in oratione, aut in verborum cælestium auscultatione excursum feliciter transigebat.*

Parentes.

Datur Godina Abbatissa materienda.

Educatur religiosè.

HIS *sic* SENORINÆ *virtutum odoribus per illius regionis terminos diffusis, in aures ingenui, & nobilis adolescentis eius fama peruenit, qui procaciter inescatus iuuenis, omnem ponere operam curauit, vt ad speciosissima virginis auditum, eius flagrantis amoris scintilla perueniret, ita vt illam sibi in matrimonium coniungeret. Quod vt B. Virgo cognouit, constanti animo, vt à proposito resiliret, iuueni notificari mandauit. Sed cùm sit immedica-*

A nobili viro ad matrimonium eligitur.

medicabilis amor, eo ipso quòd Virginis contemptus significationem audiuit, vi furoris multiplicatâ prolixiùs, in peruicacem desperationis affectum, blandum voluntatis desiderium tenaci apprehensione conuertit. Sed quia frustrà æstuantis adolescentuli solicitudo continuum temporis lapsum perdebat, sibi consulens, Comitem Hufum *Virginis parentem adire compellitur, cui obortis lachrymis, ardentibus affectibus, rethoricis precibus, & amantis suspirijs omnia sui amoris accidentia patefecit, ab eo flagitans vt filiam summè dilectam sibi in coniugium permittere dignaretur. Comes nobilissimi iuuenis angustiam demirans, & illius dotes ab origine illustres, & à natura præclaras contuens, illum, vt tempori pausam daret, benignè dimisit, promittens se filium, vt ad coniugij vinculum properaret, bono auspice, alloquuturum. Abstersit strenuus Comes solamine prudenti lachrymas iuuenis perturbati, qui eius salutem Comiti commendans, de eius prusentia valdè solatus, discessit. Tum Comes in Cœnobium conscendens,* SENORINAM *accersiri iubens, humanis, & suauibus verbis, Proceris coniugium prudenti breuitate proposuit, addens quantâ amoris æstuatione, quantâ sanguinis illustratione, eorum prosequeretur affectum. Audiuit sacra Virgo patris propositum, cui, tali, supra ætatem, constantiâ, respondit:* Ego D. N. Iesum-Christum Sponsum accepi, quem despicere fœdum, cuius amplexus perturbare nefandum, ideò in animæ sponsi disturbium, alium admittere, iniquum; ita vt nec patris instantia, nec iuuenis appetitus, nec mundi opes, nec vana nobilitas poterit me à Christi Sponsi, amantis, nobilis, & diuitis separare coniugio. *Tacuit pater, auditis B. Virginis verbis vehementis feruoris spiritu prolatis, & vt Sanctum propositum ad perfectionem perduceret, inuitauit, Virgini promittens, vlteriùs de illo, aut alio matrimonio exquirendo, se nusquam tractaturum.*

A patre virginem adolescens efflagitat.

Pater pro iuuene rogat.

Filia constantia in responsione.

Comitis Patris placitum.

HANC Husi *Comitis obsequelam, quâ se cum filia placito conformauit, sic Virginis Sponsus gratam accepit, quòd nocte sequenti resignationem Comitis plaudere satageret; ideóque illi in somnis Angelum dimisit, qui Numinis assensum referret, & quòd protinus* SENORINA *Monasticam religionem acciperet, imperaret. Tantæ inspirationis decreto parens, adueniente die, Comes Monasterium adiuit, &* Godinæ *Abbatissæ, necnon filiæ* SENORINÆ *Dei placitum recensens, & oraculum Angelicâ voce prolatum propalans, illicò Sacram Virginem Benedictini Ordinis habitum induere destinauit. Quo facto, nimiâ omnium lætitiâ, ad aratrum* SENORINA *manum imponens, sic in perfectione concreuit, vt non solum exemplo, sed & admirationi omnibus alijs extiterit Sanctimonialibus. Exactè Martyrum acta legebat, in quorum studio, & in æternorum pensitatione cruciatuum diù, noctúque percurrebat, tanto lachrymarum imbre, quòd & in martyrij desiderio exardesceret; & in pœnarum æternarum diffugio totis viribus laboraret. Hæc ergo voluntatis ad martyrium anxietas, sic corporis attenuauit compaginem, eò maximè quia clausuræ status propositum prohibebat, vt in melancholicam incideret ægritudinem. Cuius causam, vt agnouit* B. Godina, *illâ quâ erat prædita sanctitudine prudentiali, & solertiâ monachali, infirmam Virginem visitauit, & hæc inter alia, solaminis vice, verba profatur:* Soror charissima, Nostra hæc vita Monastica, si in sua accipiatur seueritate, quid aliud nisi verum martyrium est? Nam si Martyrum res gestas perpendis, in nobis prolixius, quàm in illis, martyrium inspectabis. Illi temporalem, Nos continuum agonem suscipimus. Illorum affectus attracti, Nostrorum proculdubio voluntariâ resignatione oblati feliciter. Ergo si martyrium, filia charissima, explere desideràs, in palæstra es, in puluere præsens agonista subiaces, agedum, & ad satellitum, trium animæ inimicorum conflictum strenua pugilis arma defensionis exerce. Hîc cruces, & stipites inuenies, quos superes; hîc rotas, trochleas, & torcularia, quæ vincas; hîc equuleos, fidiculas, catastas, quas deprimas; hîc denique

Pater ab Angelo visitatur.

Virgo habitum Ordinis suscepit.

Eius ad martyrium desiderium.

A B. Godina solatur.

S. Aug. serm. 40. de SS & 250. de Temp. S. Eucherius Homil. de S. Genes. Ferrandus. Disquisit. Reliq. lib. 1. cap. 12. §. 2. fol. 322. & 323.

que alia instrumentorum genera cruciatuum, quæ comprimas, dubio procul reperies: ergo vt quid aliud martyrium ambire præsumis? Dei voluntatem adimple, & omni benedictione fruêris. *His Sacra Virgo suffulta consilijs, læta solamine, & vallata præsidio, illud nouum agonis piaculum, varijs pœnitentiæ exercitijs sedula quæritabat; in quorum continuatione sic vitæ terminum expleuit, vt aliquando Martyr reputaretur vbique.*

Virgo Ordinis exercitia prosequitur.

His *temporibus Sanctissima* Godina, *Cœnobij Abbatissa*, Senorinæ *matertera, & eius bonæ indolis magistra, temporalem exuit vitam, & æternam, virtutum sarcinâ onusta feliciter adiuuenit. In eius locum, & meritò* Senorina, *conuenientibus Sanctimonialium suffragijs, successit. In huius officij onere, sic sacra Mater se gessit, vt in minimo apice ab antiquæ seueritatis pondere deuiaret. Fuit in illa mirabilis gratia miraculorum: nam sæpius aquam in vinum vertebat; tempestates ex areis depellebat, & alia prodigia suis orationibus perficiebat. Cœnobium ex loco* Vieira, *ad* Bastum *transtulit, vbi cùm panis Virgines laborarent inopiâ, interueniente S. Abbatissæ oratione, breui Deus saturauit famelicas. Quid magis? Cùm aliquando iter perageret Abbatissa iuxta* Carrazedum, *socijs aliquibus Sacræ Congregationis Virginibus, & in loco diurnum recitare officium statuisset, amœno, sic à rauco ranarum strepitu, eius fuit impedita deuotio, quòd in oratione nec minimùm persistere potuerit. Tunc* Senorina *garrulas animalium molestorum voces consopire disponens, ne in cæterum perstreperent imperauit: quod euênit, nam vlterius, nullum huius generis in termino illo conspectatur entoma.*

Moritur B. Godina.

Eligitur Senorina.

Miracula B. Virginis.

Erat *ergo Sacræ Virginis charissimus* B. Rodesindus *& propter cognationis vinculum, & ob sanctitudinis piaculum, quæ in eunsa fuêre, vt aliquando B. Vir* Senorinae *frueretur alloquijs. Euênit autem, vt statuta tempore* Rodesindus *Monasterium adiret, quatenus Sacram Abbatissam visitando consuleret, & ab ea aliquid consulendo edisceret, ad quorum colloquium cùm ambo accederent lætabundi, & de rebus spiritualibus loquerentur ad inuicem, duo opifices, qui Cœnobij tegumenta verrebant, Sanctorum colloquia in pessimam partem traduxêre fallaces. Vix in eorum corde fuit exorta temeritas, quando in ipsorum corpore dæmonum est ingressa caterua, quæ miseros opifices pertorquens, è tecto in peristilium præcipites propulsauit, ita vt in partes homines contusi, miserabiliter protinùs animas eructarent. Quod infortunium* Rodesindus, *& Abbatissa intuentes, vtriusque orationibus, & S. Abbatis manuum impositione, alter, & alter opifex conspectantium admiratione, vitam, Deo miserante, recepit.*

ἔντομα, id est animal insectum.

S. Rudesindus consanguineus S. Virginis.

Miraculũ.

Demvm *transactis aliquot annis, cùm* Senorina *quadam die cum suis Sacris Virginibus in choro Completorij officium integra deuotione persolueret, concentus dulcissimi in aeris regione ab omnibus auditi magna cum animorum fuêre lætitia; quos cùm non caperet Virginum cœtus, ad Matrem post absolutum Officium conuênit, vt de psallentium melodiâ causam exquireret ab Abbatissa. Quæ illis de obitu* Rodesindi, *in cœlum ab Angelorum agminibus translati, rationem felicissimam aperuit. Tunc Sacræ Virgines horam, & diem signantes, postmodùm veritatis apicem inuenerunt. His, & alijs Sanctorum operum illustrationibus, ad vltimum vitæ limitem Sanctissima Virgo peruenit. Nam quadam die dum in oratione persisteret, dulcissimam hanc vocem audiuit:* Veni electa mea, quia concupiuit Rex speciem tuam. *Quâ auditâ protinus se ad viam muniuit, & acceptis deuotè Sacramentis, filiabúsque in Dei amore, & timore eruditis, ille purus spiritus, ad gaudia æterna, placidâ dormitione transcendit* XXII. Aprilis, *Anno Christi* DCCCC. LXXXII. *cum* LVIII. *esset annorum.* Corpvs *iuxta SS.* Geruasij, *&* Godinæ *exuuias in Cœnobij Ecclesia sepultum, innumera quotidie patrare miracula nouimus, ita vt ægri salutem, obsessi libertatem, debiles manus, claudi pedes, surdi aures,*

Obitum S. Rodesindi Angelorũ ministerio cognouit.

Moritur.

Sepelitur.

&

Pelagius Epiſcopus Braccarēſis ſarcophagū aperire conatur.

Sed miraculo deterretur.

& caci oculos reportarent. Quacùm Pelagius *Braccarenſis Eccleſia Pontifex auſcultaſſet, curioſitate permotus ad tumulum accedere, eiùſque ſacra pignora intueri proponens, Cænobium adiuit, in cuius præſentia, cùm iamiam ſarcophagum aperire deſtinaſſet, cacus à natiuitate viſiua lucis radios, Virginis interceßione, recepit. Tunc Præſul à propoſito deſiſtens, & miracula credens, S.Virginem in ſublimiorem loculum eleuauit, hoc illi grauans in marmore Epitaphium:*

Eius Corpus eleuat.

Hic SENORINA *iacet, Chriſti ſponſa, & fide plena,*
Quæ innumeros viuens tunc reſpirauit odores;
Et moriens plurimos quoque nunc per ſecula ſpirat.
Hac fuit illuſtri (vt memorant) de ſanguine creta:
Sed magis illuſtris dicta eſt, pro ſtamine vitæ.
Illius agnoſcens Pelagius *agmina Præſul*
Virtutum, poſuit vouens in Tabulis Almam:
Qui inſcripſit quoque lapidis hoc in tegmine metrum.
ERA M.C. LXVIII.

Sanctius Rex Portugallia ſalutem pro filio impetrat.

Inter catera memorabilium miraculorum à B.Virgine patratorum, illud ab omnibus celebre reputatur, quod Sanctius I. *huius nominis Luſitania Rex pro ſalute* Alfonſi *Primogeniti filij obtinuit. Nam cùm is in vltimo vita termino computaretur ægrotus,* Sanctius *pater ad Cænobium conuênit, pro ſalute Principis conſequenda, qui cùm nouendiale deuotus exequeretur votum, ſalutem* Alfonſu *feliciter impetrauit, cuius opis gratificatione innodatus plurima Cænobio munera obtulit; præſtante Domino Noſtro Ieſu-Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu-Sancto viuit, & regnat per infinita ſecula ſeculorum, Amen.*

De Pelagij Epiſcopi conatu.

Hactenus Acta in quibus hæc tantùm miracula recenſentur. Alia qui deſiderat, adeat Scriptores Portugallenſes ſuprà relatos, in quibus ad amuſſim deſiderium complebit.

QVATENVS ad *Pelagij* Præſulis *Braccarenſis* affectum pro exquirendis ſacris lipſanis SENORINÆ vtrùmne incorrupta, vt fama erat, ſeruarentur, videndi Yep. *in Chron. d. Cent.5. Ann.977. cap.3.fol.*160. D.Roder.Acuñ. *d.1.part.cap.*116. *Hiſtòr. Bracear. num.*12.*fol.*458.

Cultus exhibitus à Portugallēſibus probatur.

CIRCA S.Virginis cultum apud *Portugallenſes*, teſtes ſunt *Breuiaria Antiqua* Ordinis S.Benedicti, & Conimbricenſia S.Crucis, in quibus Officium proprium extabat, vt etiam referunt *Yepes*, & *Acuña*; & addit ille hæc verba. *Anne ſit* (B.Abbatiſſa) *canonizata, me latet, licèt in relationibus quas ſequimur, indubitata indicia cognoſcimus, ad minus Beatam fuiſſe ſignatam, quia in* Breuiariis S.Crucis *Officium habuiſſe perhibetur.* De hac *beatificatione* intelligo Epitaphij verba dicentia:

Illius agnoſcens Pelagius *agmina Præſul*
Virtutum, poſuit vouens in TABVLIS *Almam.*

Quid eſt *in Tabulis* ponere Virginem, niſi illam inter Sanctorum nomina ponere? Et in Eccleſiaſticis ad venerationem catalogis inſerere? TABVLÆ enim etiam pro Diariis, ſiue ephemeribus, in quibus actiones aliquorum ſcribuntur ad memoriam, vſurpantur vt ex T. Liu. *lib.*4. notauit *Budæus.*

Regis Sanctij I. priuilegium.

DE Regis Sanctij donatione facta B.Virgini, extat diploma eiuſdem in hunc modum reſcribentis: *In Nomine Sancta, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti.* EGO *Rex* D.Sanctius *memor humana conditionis, & mortalium caſus, peragratis quibuſdam partibus Regni mei, causâ orationis, veni ad locum vbi corpus Beatiſſima Virginis* SENORINÆ *requieſcit, in quo preces noſtras prout decet Domino Deo fundens, ipſam Virginem gemitibus, & ſuſpirijs pulſaui, quatenus ipſa à Domino Deo ſuo precibus ſuis ſuper ſalutem filio meo* D.Alfonſo *Regi impetraret. Qua dicta promiſi me erecturum munitionis lapides, quos Cautum vocant, in circuitu loci Sanctiſſima Virginis,*

Virginis, si petita salus orationem secuta foret, imminebat enim periculum mortis; sed orationibus gloriosa Virginis expulsum est. Igitur considerato termino loci per gyrum pedibus meis, ipsa loca perambulaui, & vt competeret vidi petras erigere, iussique per manus D. Gonsalui Menendi, qui tum temporis Princeps erat. Primus lapis erectus est vbi intrat in Basto *riuulus ille de* Moses. Quod diplomatis transsumptum transcripsêre Brandao *d. 4. p. Monarch. lib.* 12. *c.* 17. & D. Roder. de Acuña *d. cap.* 116. *n.* 14. *fol.* 459. qui etiam in Regum Portugalliæ deuotionis gratiam, aliquorum pietatem ad S. Virginem, donationibus exhibitam recensere non ambigit.

BASTVM Oppidum est in *Portugallia*, in ea parte Occidentali, quæ *Interamnia* dicitur diœcesis *Braccarensis:* sumpsit exordium ob Cœnobij fabricam, quam B. hæc SENORINA construxit, quando de Monasterio *S. Ioannis da Vieira* sacras Virgines, ad hoc *do Basto* transtulit. *Topographia Cœnobij.*

S. SOTER PAPA, & Martyr.] Sancti Pontificis commemoratio apud omnes Martyrologiorum Scriptores plenè refertur, & à Baron. *Annal. Eccles. tom.* 2. *Ann.* 179. *n.* 50. Eius encomium apud Mascul. h. d. sic. G.

S. SOTER. PONT. MAX. M.

Synopsis.

Hæreticos in primis Cataphryges insectatus est acriter. Vetuit à Virginibus, etiam Deo dicatis, sacra vasa tangi, aut eas ministerio adhiberi sacrorum. Vetuit quoque iniri matrimonium sine parocho.

ENCOMION.

Fecisti SOTER *Campaniam verè felicem*
natalibus Fundis.
Accepisti auspicatò à salute Nomen,
Seria, non ludicra dedisti Orbi terræ Soteria;
Desierunt Tyndaridæ Romæ dici Soteres,
quod pro salute ciuium dimicare sint visi.
Domuisti religionis hostes, in primis Cataphryges;
verè bis, immò sæpiùs à te victi Phryges.
Obruisti superbi Montani perfidiam
execratione fulminea;
Nempe feriunt summos Fulmina Montes.
Altitudo eius nimis fuit humilior,
cùm Te ad fastigium dignitatis virtus euexit.
Consuluisti præsertim honori Templorum;
Sacra vasa vetuisti fœmineâ tangi manu,
etiam in Parthenone degentium.
Thuris adolendi munus esse iussisti
penes Flaminem, non Flaminicam;
Verecundiæ, ac pudoris flammam intra flammeum coërcuisti.
Nuptijs quoque leges, & iura sanxisti,
iniectis licentiæ frænis,
ne Cupido volitaret audaciùs;

Commendasti pudorem paranympho, & pronubæ;
nempe testatam voluisti coniugum esse virtutem,
vt esset clara non minùs famæ luce, quàm tædæ.

Eius Acta primus scripsit *Damasus* Noster, à quo omnes qui vitas Summorum Pontificum collegêre. Illa dabimus, & propter auctoritatem Pontificis nostri, & propter nostri moris instantiam.

ACTA S. SOTERIS PONTIFICIS Maximi & Martyris; ex Libro Pont. Damasi Papæ.

Origo. SOTER *natione* Campanus, *ex patre* Concordio, *de Ciuitate Fundis, sedit annos IX. Menses VII. dies XXI. Fuit autem temporibus Veri, & Marci, à Consulatu Rustici, & Aquilini, vsque ad Cethegum, & Clarum. Hic constituit, vt nulla Monacha pallam sacratam contingeret, nec incensum poneret in sancta Ecclesia. Hic fecit ordinationes III. per Mensem Decembrem, Presbyteros XVIII. Diaconos IX. Episcopos per diuersa loca XI. Qui sepultus est in cæmeterio Callisti, viâ Appiâ,* X. Kal. Maias, *& cessauit Episcopatus dies XI.*

Quandiu sederit? Hactenus *Damasus* Noster. Sed credo irrepsisse mendum in Annorum Pontificatus assignatione; cùm verius sit, annis IV. minus XII. diebus Pontificatum obtinuisse. Nam constat eum Anno C. LXXV. die IV. Maij Pontificem factum esse, hoc est XIII. Aurelij Imperatoris. Anno autem Christi C. LXXIX. qui est Aurelij Imperatoris XVII. SOTEREM obiisse tàm Euseb. *Histor. Eccl. lib. 5. cap. 1.* quàm literæ *Viennensis* & *Lugdunensis* Ecclesiæ ad Eleutherium Pont. Nostri successorem scriptæ confirmant, quibus constat Anno XVII. Aurelij suffectum in Sede fuisse Eleutherium SOTERI, ergo necessum erit, Nostro Pontifici annos IX. Sedis non concedere, vel quod absurdius fuerit, M. Aurelij Imperatoris annis, plures annos adiicere. Accedit, quòd Noster tres tantùm ordinationes fecisse scribatur, adeóque probabile sit, non pluribus, quàm tribus annis Pontificatum tenuisse; quod & notauit Baron. *d. tom. 2. Ann. 179. n. 50. & 51.*

Causa prohibitionis. QVATENVS ad prohibitionem quòd Monachæ pallam sacram minimè contingant, non tantum de monachis fœminis, sed etiam de diaconissis, aliisque laicis, & quibusdam etiam clericis, intelligendam esse, Epistolæ *Sixti I.* & Nostri Pontificis persuadent. Videsis Soarez Nostrum *Tom. 3. disput. 83. sect. 8.* Causas huius prohibitionis referentem. At Nostri Pontificis constitutionis causam fuisse, probabile est, quòd ex *Montani* secta fœminæ se sacris immiscerent, vt notauit Baron. *d. tom. 2. Ann. 173.*

De Translatione Româ Toletum. CIRCA Translationem CORPORIS Româ Toletum, P. Quintanadueñas *in Histor. SS. Toletanor. fol. 486.* obmutescit, asserens haudquaquam auctographum de hac Translatione reperiisse. Ego in Catalogo Reliquiarum S. E. Toletanæ, cuius copiam beneficio *D. Martini Ximena* accepi, in auctographo Visitationis ab Eminentiss. *D. Bernardo de Roxas, & Sandoual* S. R. E. Cardinali, & Toletanæ Præsule Annò M. DC. confecto, *num. 31.* hæc inuenisse verba profiteor: *Adest techa argentea, quâ corpus* S. Eugenij *abs Rege Galliæ missum, translatum est; in ea recondita sunt* Reliquiæ *de cineribus* S. Dionysij *& Sociorum, & ex ossibus* S. Eugenij, *& de omnium vestibus: & Corpus in puluere* S. SOTERIS *Papæ, & Martyris.* Ex quibus periodis elicio, quòd si hæc sacra lipsana fuêre in hac argenteâ arcâ reposita, tempore quo translatum fuit corpus *S. Eugenij* Parisiis Toletum, à fortiori fateri compellimur, Cineres S. SOTERIS Nostri ante Annum M. D. LXV. quo translatum est corpus *S. Eugenij*, Toletum deuenisse. In re hac dubia, quid dicam ignoro, nisi quòd tantæ Illustrissimæ Ecclesiæ assertioni deferendum erit; cùm haudquaquam ipsa de S. Pontifice recitaret Officium in choro, nisi de possessione Corporis probabilia documenta perciperet.

NONO KAL. MAII.
DIES XXIII.

A. Valentiæ *in Vettonia* SS. FELICIS, FORTVNATI, *&* ACHILLEI, *qui Hispanias adiêre à* S. Irenæo *missi aduersus peruersam Gnosticorum luem, illic grassantium, quod cùm mirificè opus Apostolicum peregissent, variè torti, tandem martyrio coronati sunt.*

B. Aragoniæ *memoria* S. GEORGII *Martyris ipsius Regni specialis, post* B. IACOBVM, *tutelaris; nam Petro eius ditionis Rege I. Arabibus congressum viriliter exponente, S. Martyr in acie visibiliter apparuit, & profligatis fidei hostibus, innumerabilibus cæsis, & cæteris fugam arripientibus, illustris eo est duce reportata victoria.*

NOTÆ.

A.

Pia contentio inter Hispanos, & Gallos.

SANCTI FELIX, & Socij Martyres.] Magna inter *Hispanos*, & *Gallos* disceptatio est, circa locum vbi isti Sancti Martyres coronati fuere. *Galli* pro *Valentia Segalaunorum* contendunt. *Hispani* olim pro *Valentia Edetanorum* conflixere, sed reperto *Dextri Chronico*, pro *Valentia Vettonum* stat eruditorum opinio. Pro *Gallia* scripsit Baronius *in Martyrol. Roman.* qui Bedam, Adonem, Maurolycum, Constantium Felicium, & alios est insecutus. Pro *Hispania* stat Petr. Equilin. *in Catal. SS. lib.* 4. *c.* 83. & post eum *D. Laurent. Padill. Ioann. Vass.* Anton. Beut. *in Hist. Valent.* & alij, quos refert P. Biuar. *ad Dextr. in Chron. Ann.* 255. *n.* 5. *fol.* 287. Roderic. Caro *fol.* 88. *lit. A.* Quibus addenda sunt *Martyrolog. Hispanum* P. Higuera, & Flau. Dext. qui hæc formalia verba subiungit: *In Lusitania vrbe Vettonum* Valentia *passi sunt Sancti Martyres* Felix, Fortunatus, *&* Achilæus *à S. Irenæo missi ad prædicandum contra hæreticos Gnosticos XXIII. Aprilis.* Cui conuenit Equilinus, hisce verbis: Felix *Presbyter*, Fortunatus, *&* Achilæus *Diaconi, & Martyres à S. Irenæo Episcopo Lugdunensi, ad vrbem* Valentiam, *quæ est ciuitas* HISPANIÆ *ad prædicandum missi*, &c. P. Theophil. Raynaud *in Indicul. SS. Lugdunens. lit. A. n.* 1. *fol.* 127. pro suis contendit, & aduersus *Dextrum* insurgit Nostrum; at nulla reconuentionis soliditate; excepto quòd ex Actis huiusmodi Sanctorum apparet, illos aduersus *Ethnicos*, non aduersus *Gnosticos* missos ab *Irenæo* fuisse. Cui obiectioni facillimè respondebimus, si *Gnosticorum* originem repetamus. Istius igitur fœdissimi erroris patrem fuisse *Basilidem*, ipse *S Irenæus* Nostrum Sanctorum Martyrum Magister testatur *lib.* 1. *c.* 24. Nicephor. *lib.* 4. *c.* 2. & ferè omnes, quibus conuenit Dext. *in Chron. Ann.* 136. his verbis: *Basilides Hæresiarches, à quo* Gnostici, *in Alexandria celebratur.* Huius irrationalis imposturæ lues, quæ Orientalem circulum infestauerat, ad Occidentis terminos pertransiuit, auctore *Marco* Basilidis pedissequo, qui Galliam, & finitimas regiones spurcitiæ fœdauit veneno, vt auctor est S. idem Irenæus *lib.* 1. *cap.* 8. *&* 9. vbi de *Marco* agens, prosequitur: *Talia autem dicentes, & operantes, & in his quoque, quæ sunt secundum*

Theophili Raynaudi opinio.

Gnosticorū origo.

Marcus discipulus Basilidis in Occidētem deuenit.

Nos regiones Rhodanenses, *multas seduxerunt mulieres.* Sed nec Galliæ, Rhodaníque ambitum, tantummodò maculauit, quinimo in *Hispaniam* ingressus seductionis venena seminauit. Audi D. Hieronym. *in c.64.* Isaiæ: *Gnosticos per* Marcum *Ægyptium*, Galliarum *primùm circa* Rhodanum, *deinde* Hispaniarum *nobiles feminas decepisse.* Idem in *Epist. ad Theodoram*; sic: *Quod* Marcus *quidam de* Basilidis Gnostici *stirpe descendens, primum ad* Gallias *venerit*; *inde Pyrenaum transiliens* Hispanias *occuparit, & hoc studio habuerit, vt diuitum domus, & in ipsis fœminas maximè appeteret.* Et vt non solùm generaliter per *Hispanias* diuagasse Hæreticum *Marcum* suspiceris, sed specialiter vrbem VALENTIAM Lusitaniæ coinquinasse, referunt Fl. Dextri verba *Ann.* 169. Clausula sequenti: *Marcus Hæreticus Hispanias petit; pramoniti verò Hispani à Petro epist. 2. & sæpius à Paulo, cùm Carpetaniam adyt: Toleto pulsus, voléns que* VALENTIAM LVSITANORVM *corrumpere, in ea prouincia malè tractatus, nonnullas mulierculas corrupit, ab alys verò irridetur.* Ecce ad Annum C. LXIX. apud Lusitanam *Valentiam* Gnosticorum hæresim introductam; vt quid non Irenæus *Felicem, Fortunatum,* & *Achileum* potuit, relictis *Gallia* Idololatris, aduersus huiusmodi hæreticos amandare? Et potius quando (vt Dexter insinuat) idem *S. Irenæus* libros hæresum *Turibio* Toletano Pontifici, aut dedicauit, aut misit, vt *in Chron. Ann.* 185. refert. Quo loco *P. Binar.* eruditè circa huius rei veritatem meditatur. Ex quibus *P. Raynaudi* obiectionem dilues, & si placet, item respondebis: Quod in Galliæ *Valentia* tantum festiuitas Natalis, seu Agonis Nostrorum Martyrum colitur, etsi aliò Natalem, seu Agonem compleuissent Martyres. At in *Valentia* Lusitaniæ meram passionis palæstram accidisse fatetur *Dexter*, cum vtatur verbis *Passi sunt.* Ita quoque Antiq. Breuiar. Abulense *fol.* 531. Nunc inter Nostras Edetanorum, & Lusitanorum *Valentias* disceptatio erit. Pro PRIMA, quæ hodie *Valencia del Cid* dicitur, & Caput Regni; tanquam excellentiori, & magis nota stetere Nostri Antiquiores Hispanicarum Rerum Scriptores, sicque communi errore dilapsâ, vt Tutelaribus Diuis, Nostris Martyribus ipsa insignis Ciuitas templum erigere non abhorruit. Pro SECVNDA hodie *Valencia de Alcantara* in *Extrematura* nodum soluit Fl. Dext. *d. Ann.* 255. Quem sequuntur Neotherici, licet P. F. Franc. Diago *in Annal. Valent. lib. 4. cap.* 15. contrarium contendat probare. Quidquid sit, pro Martyribus in *Hispania*, & non in *Gallia* contendunt Petr. Anton. Beut. Stephan. Garibay, & P. F. Ioann. Marieta, quos refert idem Diago *d. cap.* 15. Acta refert Sutius, P. Raynaud. & Andr. Suassay *in Martyrolog. Gallic. tom.* 1. *h. d.* sed cùm omnes isti communi errore conscripserint, reiecta *Gallia Valentia*, veram agonis apud Hispaniæ *Lusitaniam* restituemus vrbem.

Valentiam Vettonia adyt.

Respõdetur Raynaudo.

ACTA SSS. FELICIS PRESBYTERI, Fortunati, & Achilei Diaconorum, Martyrum apud Valentiam Lusitaniæ; ex Dextro, & alijs recentioribus.

FELIX *Presbyter*, FORTVNATVS, & ACHILLEVS *Diaconi*, S. Irenæi *Lugdunensis Apostoli, Discipuli, ex eadem progeniti vrbe fuêre. Illos ibidem ad fidem conuersos ordinibus sacris honoratos, & ad prædicationis munus enectos constans opinio est, ex quo de ipsorum firmitate plurimùm confidebat. Quorum prudentiam, & charitatem vt meliùs experiretur, audiens, quòd in* Hispaniæ *finibus, in regione, quam* Lusitaniam, *sine* Vettoniam *vocitant, fœda* Gnosticorum *lues, quam* Marcus *quidam* Basilidis *hæretici Alexandrini, traiectis ex Gallia Pyrenæis, introduxerat, voraciter serpebat, illos ad huiusmodi demisit prouinciam, vt euulsis hæreticorum abusibus, in vera fidei populos reducerent efficaciam. Pergit latabunda Sanctorum societas trium, & sparsis per* Lusitaniæ *ciuitates, Euangelicæ veritatis seminibus, innumeros ad Orthodoxa fidei soliditatem, relictis magicis hæreticorum commentis, reduxerunt. Percurrebat per hæc tempora persecutionis procella,*

Origine Lugdunẽses in Gallia.

Mittuntur ad Hispaniam contra Gnosticos.

cella, qua vrbes Galliæ, *&* Hispaniæ *aduersus Christi membra, innumera sunt experta supplicia, vt in vno* Lugduno *Galliæ* S. Irenæus, *& omnes Christicolæ, quorum ignoratur numerus, gladio cæsi sunt. Ad* Hispanias *quoque pertransiuit gladius, cuius acie* Cornelius *Iudex omnes minitabatur, quos à Deorum cultu deuiasse, cognosceret. Apud* Valentiam *Lusitaniæ* Vettonum *Sanctissimos adinuenit pugiles, quos comprehensos in ergastulis includi seorsim præcipit. Sed eos à Christo auocare frustra est conatus; tum neruis per Lictores atrocissimè verberari mandauit. Mox autem à flagellatione, instante impio Iudice, & Sanctos pugiles vrgente, vt tandem saperent, cùm ne notam quidem tot verberum impressam sacris corporibus exhibuissent; carcere denuò sunt conclusi, indéque sub mediam noctem, ab Angelo educti, ac iussi idola comminuêre, ad templa progressi, statuam Iouis electrinam, itémque Mercurij, & Saturni simulacra, impacto validè fabrili malleo, confregerunt. Denuò verò comprehensi, cùm Christum constantissimè prædicarent, Iudicis iussu reuinctis post tergum manibus, renibus, cruribúsque confractis, circa vertiginem rotarum adstricti, fumum quoque in continuata, noctu, diúque equulei suspensione, perpessi, ad extremum gladijs cæsi sunt, quo vulnere vnusquisque ad gloriæ coronam martyrij inclyta confessione deuenit* XXIII. Aprilis *Anno Domini* CCLV.

Irenæus apud Lugdunum coronatur. — *Comprehenduntur.* — *Ab Angelo educti.* — *Denuò capiuntur.* — *Coronantur.*

Sic Acta conflanda veniunt, vt *Dextri* veritatem sustineamus. Non me latet *Gallos* aliam inculcare viam, imo, & Nostros, sed cùm isti, & illi antiquam insectentur sententiam, quid mirum, si Nostra hæc Acta, ab illorum relatione deuient?

Circa tempus passionis alium inuenies nodum; vix in quo pedem figas, intueberis. *Raynaudus* Acta Surij non recipit, ideò emendationum subterfugio vacillat. Quem sequitur *P. Diago*, qui etiam aduersus eadem Acta insurgit. Vterque enim loco *Seueri*, reponendum esse nomen *Veri* contendunt. At isti à vero distant, si *Dextri* Chronicon intueamur, vbi tempore *Galli*, & *Volusiani* eorum consignatur passio, hoc est, ad *Annum CC. LV.* in cuius adsignatione, nulla est impossibilitas, quia cùm *Irenæus* ad Annum Domini CC. V. fuerit martyrio coronatus, vt inquit Baron. *tom. 2. Ann.* 205. *n.* 18. vt quid non potuêre Nostri Sancti pugiles quinquaginta annos superuiuere? Quidquid sit *Dextro* adhæreo.

Quo tempore passi

Nec minor est circa locum, quo Sanctorum huiusmodi Nostrorum pignora conquiescunt, controuersia D. D. Sanctius Dauila, & Toledo *de Venerat. Reliquiar. lib.* 3. *cap.* 8. *n.* 4. *fol.* 293. asserit eorum SSS. lipsana apud *Valentiam Edetanorum* adseruari. P. F. Anton. de Yepes *in Chron. Benedict. cent.* 6. *Ann.* 1052. *cap.* 10. contendit apud *Nauarram* custodiri in *Cænobio S. Georgij Azuelensi*. Pro istius opinione stare compulit me coniectatio, quia *Scolanus*, & *Solorzanus* qui reliquias *Valentinas* numerarunt, nullo modo de istis aliquid scripserunt. De quo egi in *Hist. S. Epitatij cap.* 5. *fol.* 340. vbi antiquum in *Breuiario Placentino* Officium, vnà cum *S. Georgio* inueniri, cum hac oratione monstraui.

Quo loco extuniat — *Officium in Placentino Breuiar.*

ORATIO IN ANTIQVO BREVIARIO Placentino pro SS. Georgio, Felice, Fortunato, & Achileo.

Deus qui Nos Beatorum Martyrum tuorum Georgij, Felicis, Fortvnati, *&* Achilei *meritis, & intercessione lætificas, concede propitius, vt qui eorum beneficia poscimus, dono tuæ gratiæ consequamur. Per Dominum N. Iesum-Christum.*

Sed vt vltimam manum *Dextri* asseuerationi ponamus, in *Indice Ptolomæi* Ann. 1505. cum Geographia excuso *verb.* Valentia *fol.* CXVII. hæc verba leguntur: Valentia *iuxta Coloniam Norbam Cæsaream. Hic* SS. Felix, Fortunatus, *&* Achil-

Restituitur locus Cabilonensis.

læus *ab* Irenæo *Lugdunensi Episcopo missi Martyres patiuntur.* Quâ antiquâ relatione veniunt corrigenda verba *Primi Cabilonensis* in *Topograph. SS. verb.* Valentia *fol. mihi* 116. vbi in consignatione vrbis, hæc excusa leguntur: VALENTIA *Colonia Narbonensis Galliæ*, cùm dicere debuisset: VALENTIA *iuxta Coloniam Norbam Cæsaream*. in cuius situatione facilis fuit transitus, maximè exterorum emendatione præhabita, qui VALENTIAM *Lusitaniæ*, seu *Vettoniæ* ignorantes, vocem *iuxta* expungentes, & *Norbam Cæsaream* in *Narbonam Galliæ* commutantes, totam *Cabilonensis* clausulam deturparunt. Fuit, & nunc est vrbs VALENTIA in *Lusitania*, seu *Vettonia* nunc *Estremadura*, non procul à *Norba Cæsarea*, quam *Alcantara* dicunt, & Nostra VALENCIA DE ALCANTARA vocitatur, Oppidum antiquum, & nobilitate plenum, in quo SS. Martyres compleuerunt agonem. De hac vrbe *Vettonum* scripsit Flau. Dext. *Ann.* 169. 185. *&* 255. vbi eius Notatores, qui haudquaquam sic locum *Cabilonensis* restituere. Quibus Nostra hæc fulcietur opinio, & *Valentinorum* vtrorumque contentio sedabitur.

Valentia in Vettonibus quæ?

B. S. GEORGIVS Martyr, & Aragoniæ Tutelaris.] De huius illustrissimi Martyris, strenuique Equitis agone, ferè omnia scripsêre Martyrologia, ideò eorum repetere verba prolixum. *Fasti Mariani* hoc congerunt elogium, quod vice Actorum subiicimus, cùm de solo tanti Martyris in *Aragonia* patronatu infra agendum sit. Nunc ad verba elogij descendo: *Anno post natum Seruatorem* XC. *supra* CC. GEORGIVS *fortissimus Christi miles, & ob virtutem inter* Tribunos *adlectus, tùm* Comitis *etiam titulo à* Diocletiano *ornatus, cùm huius nihilominus efferam in Christianos tyrannidem propalam damnasset, in vincula, & ipse tractus, saxum primò ingens pectori iniectum supinus, fortiùs quàm cælum Hercules, tulit; ad machinam deinde mucronibus omni ex parte armatam, vt ante ad gladios in acie, risit. Hinc in calce tres dies sepultus, cùm illustrior surrexisset, ferreos, & ab igne candentes calceos indutus, nempe ad Olympicam coronam cucurrit. Cæsus iterum immaniter, ac alapis contusus, in ruborem, languorémque ipsos carnifices dedit, & testem fidei sua mortuum è tumulo produxit. Tandem post tot egregiè pugnatas pugnas coronatum pridie in carcere ab ipso Imperatore Christo, caput iterum coronandum securi subdidit; cum priùs ad eius imperium corruissent omnia Numinum simulacra, & cacodæmones se esse, non Deos, vltrò edixissent, verissimo omnium, quod vnquam dederunt, oraculo.* In antiquis *Hispaniæ* Ecclesiarum omnium Breuiariis, Legendariis, & Sanctoralibus, Officium *S. Georgij* aut Duplex, aut ad minus Quatuor Capparum extitisse ipsissima Breuiaria manifestant. De *Patrocinio* illato *Aragonensibus* Christianis, & eorum *Regi Petro* in obsidione *Oscæ* Ciuitatis contra Sarracenos, scripsêre P. Anton. Beut. *Hist. Valent. lib.* 2. *c.* 9. Zurit. *lib.* 1. *cap.* 32. Fabrit. Gaubert. *fol.* 34. Stephan. de Salazar *Discurs.* 17. *c.* 2. Pradas *de adorat. Imag.* §. 3. *fol.* 258. Garibay *lib.* 23. *c.* 3. Illescas 1. *p. Hist. Pont. lib.* 5. Marian. *lib.* 10. *cap.* 3. *fol.* 457. Blancas *fol.* 111. Medin. *de Magnificent. Hisp. cap.* 156. Briz Martin. *Histor. S. Ioann. Pinnat. lib.* 4. *cap.* 6. *fol.* 618. Didac. de Aynsa Yriart. *Hist. Oscens. lib.* 1. *cap.* 12. *fol.* 44. & alij innumeri, quos longum erit recensere. Acta huius miraculosæ Victoriæ MS. accepi à *D. D. Francisco Ximenez de Vrrea* Regio apud *Aragoniam* Chronographo, iam vita functo, cuius memoria in benedictione erit; Ea extraxisse fatetur ab antiquo auctographo originali, quod in *Oscensi Bibliotheca*, seu *Archiuio* adseruabatur. En illa offero, ne inter librorum MMSS. molem, Codex adeo vetustus depereat.

Elogium.

Hispaniæ Breuiaria & Officia.

Patronus Aragoniæ.

BELLVM ALCORAZENSE APVD OSCAM ab Illustri Rege Petro Sanctij Aragonensium, & Pampilonensium per Aymericum conscriptum.

PRÆFATIO.

Hispaniæ ruina.

CVM *nulli viuentium sit ignotum, quanto barbarico impetu totam ferè* Hispaniam *esse possessam, Hismaelitarúmque crudelissimo imperio per* CCCC. LX. *annos oppressam, quorum nequissimo ingressu Fides Christiana depulsa, Pontificales Cathedræ in vrbibus, in quibus olim auctoritate Apostolicæ,*

Apostolica, post S. IACOBI *aduentum, & prædicationem, & Euangelica doctrinæ disseminationem, clauerunt, euersa: Monasteria à fundamentis destructa; Omnesque omnino Ecclesiæ, dignitate sunt antiqua priuata; atque vbi Dominici Corporis, & Sanguinis celebrata fuerant Sacramenta, nefanda dæmonum, spurcissimique Mahomet colebantur figmenta: Ideo vt omnes mortales, qui cognouistis ruinam, agnoscatis leuamen, quod miserantis Omnipotentis Dei ineffabilis bonitas, dignata est facere in diebus nostris, vt Sanctum suum Nomen cum potentia magnificetur, hoc* Belli Alquerazensis *summarium describere proposui, licet multis laboribus præpeditus, & Abbatiatus onere fatigatus; Deum protestans, vt quidquid dixero in eius relatione, ipsis meis oculis vidi, exceptis aliquibus, quæ (me absente ad Romanam Curiam cum literis Regijs) accepi ab ipso illustrissimo Rege* Petro, *adhuc in castris degente, cùm in* Iberiam *redyssem; donec superba Sarracenorum arrogantia contrita fuit, apud famosissimam vrbem* Hoscam, *Anno Dominicæ Incarnationis* M. XCVI. *præstante Domino Nostro* IESV-CHRISTO, *qui dignatus est mittere inclytum suum Martyrem* GEORGIVM, *qui Nos à pessimâ seruitute liberaret, & in antiquam possessionem nos reduceret vrbis, quæ olim tantorum fuit Mater Sanctorum; vt sunt testes* Orentius, *&* Patientia *Patres illustrissimorum adelforum* Laurentij *Martyris, Romanæ Ecclesiæ Archidiaconi, &* Orentij *Confessoris* Auxitani *in* Gallia *Episcopi, & aliorum, quorum nomina in æternitate sunt conscripta. Huius verò Summarij series ab exordio repetere proposui, vt legentibus nota sint omnia antecedentia, & subsequentia, vt nihil sub dubio desideretur.*

Causa huius Historia.

A quo acceperit Americus historiam.

Annus victoria.

Oscensis Diui.

SVMMARIVM.

POSTQVAM *Hismaëlitæ omnes* Hispaniæ *circulos in suum reciperent dominium, & apud Astures Sanctus Rex Pelagius nonnullas de ipsis victorias decantasset; itidem apud Nauarros incepit Christianorum soboles Ismaëliticas infestare turbas: Ab hinc Regnum* Nauarræ *originem sumpsit, nousque peruenit ad* Garsiam *cognomento* Abaream, *post quem successit* Sanctius Maior, *qui ex* Gaya, *seu* Vrraca *suscepit* Garsianum, Gonsaluum, *&* Ranimirum *filios. Iste propter defensationem susceptam innocentiæ Reginæ* Geloyræ, *quæ secunda fuit vxor Regis* Sanctij *eius Patris, ex quo susceperat* Garsiam, *&* Ferrandum *liberos; qui ipsam de adulterio coram Patre accusauerant, Deo sic volente, ad Regnum* Aragonum, *hoc titulo, Primus peruenit, licèt alij Reges in Aragones regnassent.*

Pelagius Rex Asturia.

Origo Regni Nauarra.

Primus Rex Aragonia.

Successit iste Ranimirus, *qui in mea domo sub* Galindo *Abbate, & fratribus ibidem Deo seruientibus, in puerilibus annis simpliciter educatus, puerilem transegit ætatem* Sanctio *Patri, Era* M.LXXII. *& Era* M.LXXIV. *accepit vxorem* Gilbergam, *filiam Comitis* Bernardi Rodegeri, *Bigorritani, quæ primo* Ermesindis *vocata est. Ex ea* Ranimirus *quatuor accepit liberos,* Tarasiam, Sanctium, Sanctiam, *&* Vrracam, *quæ in nostro Cœnobio Sanctimonialium S. Crucis vocabulo appellato habitum religionis suscepit. Post multas guerras, quas præliando reportauit, tandem occisus est à* Sanctio *suo Nepote, filio Regis* Ferrandi *de* Castella, *iuxta* Gradum *die* VIII. *Mensis Maij, Era* M.C.I.

Ranimirus successit Sanctio.

Ranimiri filij.

Occiditur.

Ranimiro *successit* Sanctius, *qui fuit* I. *Rex separatim in* Aragonem, *qui* Feliciam *filiam* Ermengaudij, *Vrgelitani Comitis, &* Clementiæ *Comitissæ, duxit vxorem, ex qua suscepit tres filios,* Petrum, *qui recuperauit* Oscam, Alphonsum, *&* Ranimirum. *Iste strenuissimus Rex* Sanctius *præliauit iuxta* Vianam, *aduersus* Sanctium *Regem de* Castella, *& operante gratia* IESV-CHRISTI, *qui nunquam deficit prosequentibus veritatem, dictus Rex* Castellæ *fuit deuictus, & opprobriosè coactus fugere cum quodam equo cum paucis suis. Et dictus* Sanctius *victoriosus, effusis laudibus pro tanta victoria, quam sibi largitus fuerat, transiuit* Iberum, *capiendo, & vastando terram sui inimici, & recuperando id, quod*

Sanctius successit Ranimiro.

Eius victoria.

idem inimicus occupauerat de regno Nauarræ. Postea, pace contracta inter ipsos Reges, Sanctius Aragonensium ire contra Barbastrum disposuit, vt melius Hoscam recuperaret. Era M. C. III. comitante Ermengaudio Socero, Vrgelitano Comite, Barbastrum obsedit, quod demum recepit, socero in castris occiso. Istâ victoriâ obtentâ, animum ad obsidionem Hoscæ erexit, sed eueniente morte Garsiæ Pampilonensium Regis, cui successit; nam Nauarræi elegerunt in Dominum, & Regem Nauarræ dictum Sanctium Ranimiri, qui fuit Rex Nauarræ, de Najera, vsque ad montes de Occa, & Aragoniæ, & Suprarbi, illam Hoscanam guerram in aliud tempus reiecit. Era M. C. XXVIII. populauit Lizarra, pro qua populatione, & quia Ego, & Fratres domus meæ à populatione de Zaparuz abstineremus, dedit nobis decimam partem, ex omnibus rebus, quas Deus illi dare dignatus fuerit, ex ipsa populatione, & omnes Parochianas Ecclesias, quæ in eadem populatione fuerint factæ. Demum receptis multis populis, Castellis, & locis, quos ex Sarracenorum manibus eripuit, iterum aduersus Hoscam ire contendit. Istam obsidionem tentauit Era M. C. XXXII. cùm primò faceret votum Deo, & B. Ioanni, quòd si Deus daret illi Hoscam de infidelibus, domum meam de S. Ioanne de Pinna amplificaturus esset, & facturus esset bonam partem. Exercitum ergo ad Hoscam perduxit, & infidum Abderramen ipsius Ciuitatis Regem, in ipsa vrbe obsedit, qui confœderatione facta cum Alphonso Castellæ Rege, Sanctium ab vrbe depellere conabatur. Sed reuersis auxiliaribus Castellanis in patriam, ne contra Christianos præliarentur; Rex Hoscitanus suum periculum agnouit. Quod vt Sanctius inuestigauit, protinus muros intrare proposuit; quod vt faciliùs ageretur, ipse muri debilitatem explorare voluit, & cùm in partem debilem deuenisset, vt Ducibus demonstraret, brachium eleuauit in altum, & discooperta iunctura loricæ, per illam sagitta de muro dimissa ad vsque cor penetrauit, ex qua ad mortem vulneratus Rex Sanctius in suum se recepit tentorium, vbi vulnere tecto, protinus exercitus Duces, & Seniores congregare fecit, quibus suam anxietatem pro recuperanda Hosca, manifestauit; ab ipsis petens, vt Petrum eius Primogenitum filium in Regem acciperent. Quod à Ducibus, & Senioribus est factum, & tunc ab ipso Petro filio, homagium accepit, vt non desisteret ob obsidione incepta. Tunc vulneris plagam propalauit, & extractâ sagittâ animam Deo reddidit.

Barbastrũ capit.

Rex Nauarra eligitur.

Osca vrbis obsidio.

Occiditur Rex ictu sagitta.

Sanctio Ranimiri successit Petrus Sanctij Era M. C. XXXII. qui (vt Patri promiserat) obsidionem Hoscæ continuauit, vsque ad Mensem Nouembris Era M. C. XXXIV. quo illa famosissima Ciuitas se dedit dicto Regi Petro. In cuius medio tempore Ego iui Romam cum literis Regijs ad Papam Romanum, qui tunc erat Vrbanus, qui me humanissimè recepit, & remisit Regi cum sua benedictione, & literis multùm fauorabilibus, quas Regi tradidi adhuc in obsidione perseueranti. Post meum quippe regressum euenit Bellum Alquerazense, quod scribere proposui, tanquam testis ocularis, ne depereat eius memoria, & fuit in hunc modum.

Petrus successit Sanctio.

Bellum Alqueracense.

Cvm cognouisset Rex Petrus, quantâ dilatione procederet illa guerra, & quod infidus Abderramen, totis vyis exquireret auxilia, tàm à Mauris, quàm à Christianis, quos confœderatos habebat, proposuit de vna vice vrbem capere, ad quod omnem vim exponere destinauit. Hoc cognouit Almozaben, qui in Cæsaraugusta regnabat, & contracto exercitu innumerabili, in Hoscam ire proposuit, vt Abderramen ab obsidione liberaret. Tanta erat peditum, & militum copia, vt ex porta, quam Altabas vocant de Cæsaraugusta, vsque ad Zueram oppidulum, vix terra vlna vacua de gẽte militari cognosceretur. His adiectæ sunt alia copiæ de Rege Castellæ cum Comite Garsia Cabrera de Najera, & aliæ, quæ erant de Comite Gondisaluo,

Rex Cæsaraugustæ mittit auxilia Oscensi.

Gondisaluo, *qui cum illis non venerat. Omnia inspectabat Rex* Petrus, *& renouatu votu ad Deum, cùm cognouisset, quod auxiliarium exercitus pedem figerat in Campo plano, in conspectu Ciuitatis, qui dicebatur* Alquераz, *statim ad muros vrbis posuit multos strenuos milites cum suis Ducibus, qui prospicerent obsidiatorum conamina, illáque restringerent, ne post tergum irruerent. Postea de reliquo exercitu disposuit, tali ordine; vt praestò vnusquisque in aliorum auxilium deueniret. Ipse &* Alphonsus *frater pensum exercitus sustinentes, in periculosioribus locis sese exposuerunt. Incepit furor bellantium ex vtraque parte, & tanta erat occisorum strages, vt quò pedem figeres, vix cadauerum multitudo locum relinquebat. Sed quia de Mauris erat numerus infinitus, statim in locum demortuorum intrabat altera multitudo. Quod Christianis erat multum anxietatis, quia de nouo incipiebant guerreare. Sed in maiori conflictu praelij euênit, vt visus fuerit quidam* Eques *strenuus armis argentatis indutus, & in medio pectoris* Cruce rubra *ornatus, qui album in coxis equi insessum vehebat cruzatum, & vbi in aciem peruenit, descendens ille qui super coxas equi veniebat, vnusquisque pro sua parte in Ismaelitas irruit, tantam stragem in illos facientes; vt praestò* Almozaben *cum suis terga verteret, & in fugam se reciperet, quos insequebantur Christiani cum tali furore, vt neminem cum vita relinquerent, vsquequò peruenerunt ad* Almudebar, *vbi Regis exercitus pedem fixit. Ex Mauris mortui dicuntur ferè quadraginta millia, qui gladio occisi sunt. Post istam victoriam, cùm Rex cognoscere vellet illos duos strenuos milites cruzatos, qui tantam stragem fecerant in Mauros, solus pedester inuentus est, à quo postulauit Rex, vt de socio diceret. Qui eum non cognoscere fassus est; Nam eùm in praelio apud* Antiochiam *praeliaret, & Sarraceni suum equum occiderent, & esset in magno periculo vitae, accessit ad eum ille* Eques cruzatus, *& occisis Sarracenis, qui illum ad mortem trahebant, eum de praelio eduxit, mandans, vt in equum ascenderet; quod & fecit, & postea traduxit eum in illam terram, quam non agnoscebat; & cùm illuc ambo venissent, iussit, vt descenderet, & praeliaret, quod & fecit, credens esse Sarracenos* Antiochiae, *& obtentâ victoriâ, nullo modo potuit magis videre illum* Equitem cruzatum; *& addidit:* Quod ille fide firma credebat, fuisse S. GEORGIVM Cappadocem Martyrem, & Tribunum militum, quia cùm esset in illo conflictu ad mortem, & Sarraceni illum cepissent in praelio Antiocheno, se commendauit S. GEORGIO Martyri, qui illum liberauit, & traduxit ad istud praelium, vt auxiliaretur Christianis Aragonensibus in anxietate positis, propter tantam multitudinem Sarracenorum. *Quibus auditis Rex* Petrus, *iterum se commendauit* S. GEORGIO *&* S. Victoriano, *cuius Corpus in praecipua exercitus parte videbatur, vt Christianis faueret in praelio.*

Petrus contra milites auxiliatores ire contēdit.

Cōmittitur praelium cruentum.

Eques Cruce rubra insignitus visitur in praelio.

Victoriâ nascitur.

Quid de Equite cruzato eliciitur.

S. Georgius Martyr creditur.

Cognitâ postmodum fugâ Almozaben, *& obtentâ ista grandi victoriâ;* Abderramen Hoscae *Rex adhuc de nouo auxilia spectare videbatur, ideò distulit per aliquos dies tradere ciuitatem. Sed intellectâ vastatione suorum, & cognito timore Regis* Almozaben, *illicò de tradenda Regi* Petro *vrbe cum suis destinauit. Quod & factum est die* XXVII. *Mensis Nouembris, Era* M.C. XXXIV. *quâ illa famosissima Ciuitas tradita fuit Regi* Petro, *qui in illam ingressus est. Et nullo modo de votis oblitus; primò vt* S. GEORGIO *Martyri auxilium in aliquo solueret, fecit eleuare Ecclesiam isti Martyri dicatam, quam* Sanctius *eius Pater dederat meae domui de S. Ioanne de Pinna, Era* M.C. XXXII. *Et deinceps accepit* S. GEORGIVM *Martyrem in* Patronum, *& Tutelarem* Aragonum, *cuius nomen in praelijs inuocaretur. Item mihi, & fratribus meis de S. Ioanne de Pinna ob solutionem voti, quod* Sanctius *eius Pater, & ipse gloriosissimus Rex fecerant in S. Ioāne de Pinna, vbi causa Orationis fuêre in Quadragesima, dedit Ecclesiam S. Cypriani, & alia plurima, quae ex eius liberalitate possidet Domus mea, quā sēper honorauit, vt illū honoret Deus, qui sēper, & in secula seculorū regnat. Amen.*

Traditur Osca Regi Petro.

Construxit Ecclesiam S. Georgio.

Aragonia Patronus eligitur.

Istius

Qui scripsere de hoc bello?

Istius ecphrasis compago sic veritati respondet, vt omnia ad amussim comprobare, longum texerem inuolucrum. Quisquis de vnaquaque historiæ relatæ particula comprobationem desidèrat, adeat Didac. de Ainsa *in Histor. Oscitan. lib. 1. cap. 2.* D. Ioann. Briz Martinez *Histor. S. Ioann. Pinnatens. lib. 3. & 4.* vbi non solum antiquarum Historiarum verba producit, sed ferè omnia Priuilegia hic commemorata recenset. De AYMERICO Abbate S. Ioannis Pinnatensis, huius Belli Scriptore; non est cur dubitetur. Illius meminit D. Martin. Carrill. *Histor. S. Valerij, in Catalog. Abbat. S. Ioann. Pinnat. ad Ann. 1085. vsque ad 1099.* Briz Martin. *Histor. Ioann. Pinnat. lib. 3. cap. 9. fol. 498.* vbi in Priuilegio de fundatione vrbis *Stellæ*, quæ olim *Lizarra* dicebatur confirmat: *Aymericus Abbas in S. Ioanne de Pinn.* & *lib. 4. cap. 2. fol. 607.* vbi in Priuilegio Consecrationis Ecclesiæ S. Ioannis Pinnat. subscribit; *Et Aymerico Abbate ipsius cænobij*, & *d. lib. 4. cap. 10. fol 638.* in Priuilegio gratificationis post victoriam Oscensem, ibi: *Hoc est Priuilegium quod ego Petrus Sanctij facio ad Monasterium S. Ioannis Baptistæ, quod nuncupatur de Pinna, &* Aymerico *Abbati.* Petr. Antonius Beuter *Histor. Valentin. lib. 2. cap. 9. fol. 44.* exscribens literas Vrbani II. quàs misit Regi Petro, & portauit *Aymericus Abbas*, sic in exordio: *Tua Dilectissime Fili deuotionis affectu, per venerabilem fratrem Nostrum* Aymericum *Pinnatensis Monasterij Abbatem.*

Aymerici Abbatis memoria.

Reliquiæ S. Georgij in Hispania.

Extra tutelam, & Patronatum, quem Regna Aragoniæ, Valentiæ, & Comitatus Cataloniæ S. GEORGIO Martyri profitentur, post S. IACOBVM, qui totius Hispaniæ Pater, Magister, & Patronus dignoscitur absque controuersia; alio titulo in Nostri Anamnesis ecphrasi meritò S. GEORGIVS reponendus venit; quia eius sacra lipsana ferè tota in Ecclesiis Hispaniæ adseruantur. In Ecclesia *S. Georgij Azuelensis* in regno *Nauarræ* ex Monachis Benedictinis adseruatur CAPVT istius Sancti Martyris, vt refert Briz Martin. *Histor. Pinnat. lib. 4. c. 9. fol. 633.* in Ecclesia *Oscensi* adest pars *Scapulæ* ipsius gloriosissimi Martyris, vt refert Didac. de Ainsa *Histor. Oscens. lib. 4. cap. 3. fol. 513.* In S. Ecclesia Cathedrali *Salmantina* à tempore quo *Templariorum* ordo extinctus fuit, adseruatur BRACHIVM integrum *S. Georgij*, vt scribit M. Ægid. Gonzal. Dauila Regius Chronographus in *Histor. Salmant. lib. 2. cap. 7. fol. 95.* Et in aliis Ecclesiis, & Cœnobijs alias minutas particulas, vt in Ouerensi, Burgensi, Placentina, Salicensi Monasterio, & alibi, & in Eccles. Toletana. Non me latet, Baronium in *Not. ad Martyrolog. Roman. h. d. lit. A.* asserere ex Aimoino *de Gest. Franc. lib. 2. cap. 20. & lib. 3. cap. 9.* S. Germanum Parisiorum Episcopum è Constantinopoli aduexisse Parisios *Brachium S. Georgij.* Et aliud *Brachium* eiusdem Martyris adseruari apud *Coloniam Agrippinam*; quod & *Surius*, & *Lippolous*, in suis *Vitis SS. h. d.* dixêre. Nec non idem Baronius affirmat *vbi supra*, Caput S. Martyris Romæ ad *Velum-Aureum* custodiri, ex quibus Reliquiæ apud Nostros seruatæ, aut alterius *Georgij* Martyris sunt, aut non verè *Georgij* lipsana. Sed quidquid sit, nec de Nostris, nec de alienis dubito, vnusquisque pro suis piâ contentione decertat. De causis huius multiplicis asseruationis Reliquiarum, multa tibi suppeditabit P. Ioann. Ferrand. Amicus Nost. *in Disquisit. Reliquiar. lib. 1. cap. 7.* & alibi.

Et alibi ipsissima.

OCTAVO KAL. MAII.

DIES XXIV.

A. Iliberri *in Bætica* S. GREGORII *ipsius vrbis Episcopi huius nominis I. qui ex ipsa ciuitate oriundus, nutritus, & sacris literis edoctus, adhuc iuuenis in Concilio Generali*

nerali Niceno elegantißime perorauit, pòst iam Pontifex in Synodis I. & II. Romanis interfuit, & in Ariminensi catholicorum Canonum veritatem strenuè defensauit; tandem hæreticis inuisus, & Catholicis charus, ibidem literis, & doctrinis, quibus effulsit, pietate, & moribus, quibus emicuit, clarißimus Confessor Octogenarius in pace quieuit.

B. *Apud* Larissam *Hispaniæ ciuitatem* SS. Evsebii, Neonis, Leontii, Longini, *& aliorum X L. Martyrum, qui in Diocletiani Imperator. persecutione, variè torti, & constanter inuicti, gladio coronantur.*

C. Vticæ *in Bætica Hispaniæ*, S. VValdifredi *Episcopi eiusdem vrbis celebris est memoria, qui vitæ sanctitate insignis, & doctrinæ puritate egregius diem Confessor clausit extremum.*

D. Illici *in Hispania Citeriori* B. Coronæ, *Virginis, ex ordine S. Benedicti alumnæ, quæ cùm omnibus bonis vacaret operibus, & in vita, & post mortem innumeris clareret miraculis, honorifico in posterum visitata concursu, vltimam meruit in Hispaniæ tabulis, & cultus venerationem, & populorum reuerentiam.*

E. Gerundæ *in Hispania Depositio* S. Danielis *M. in Cœnobio Monialium ipsi Martyri dedicato, qui cùm ex Armenia Gallias adiret, ibidem ad martyrij palmam peruenit. Cuius corpus prope* Gerundam *allatum, & in* Valletenebricosa *collocatum est, vbi honorificè colitur.*

NOTÆ.

Sanctvs Gregorivs. De hoc Sanctissimo Pontifice plura apud nostros & exteros monimenta comperimus. Sed vt institutum compleamus, martyrologiorum symbola subnectenus. Vsuard. *h. d.* sic: *In Ciuitate Eliberri Sancti* Gregorij *Episcopi, & Confessoris.* Maurolyc. *Ciuitate Helsberi* Gregorij *Episcopi.* Alexand. de Peregrin. corruptè in nomine vrbis, sic: *Aibers* Gregorij *Episcopi, & Confessoris.* Eadem Galesin. & Fel. Petr. Equil. *in Catal. SS. lib.* 10. *cap.* 73. Gregorius *Episcopus apud* Hispaniam *claruit. Hic* Liberiensis *Episcopus fuit, qui ad extremam vsque senectutem tractatus diuersos mediocri sermone texuit. Et de fide Catholica volumen elegans compilauit. Et apud* Liberiensem *Ciuitatem vita, & sermone conspicuus in pace quieuit. Ibidémque sepultus in virtutibus viuit.* Martyrolog. Roman. sic: *Illiberi in Hispania Sancti* Gregorij *Episcopi, & Confessoris.* Cum quo conueniunt Martyrolog. *Lusit*, & *Castell.* P. Dionys. Vasquez, & *Hispan.* P. Higuera hisce verbis: *En Illiberi ciudad cerca de Granada* San Gregorio *Obispo de aquella ciudad, gran Doctor, y Martillo contrà los Arrianos, como bien lo mostro en el Libro de Fide, que dedico à Placida Au-* A. *Martyrologia.*

gusta muger del Emperador Constancio. Latinè sic: *Illiberi prope Granatam Sanctus* Gregorius *Episcopus ipsius vrbis, eximius Doctor, magnúsque aduersus hareticos Arianos malleus, vt ex libro de Fide, quem Placilla Augusta, Constantij Imperatoris coniugi dicauit, liquet.* His sic collectis, in manus peruenit meas Codex MS. à *R. P. F. Petro à S. Cacilio* Ordinis B. Mariæ de Mercede excalceato, in quo duos fuisse Episcopos Illiberitanos *Gregorij* vocabulo insignitos contendit. Ecne alterius extrahamus laboris pensum, ad vnguem latinitate donatas eius clausulas exscribemus: *Illiberim* (inquit) *duos habuisse* Gregorios *Sanctitate illustres, pauci intelligunt, nullus affirmat. Nemo ambiget, qui attentè eorum acta transcurrerit. Adhuc omnes credunt tantùm fuisse vnicum, cui amborum accumulant actiones, quas taliter fuisse distinctas, vt ipsi nomine pares, affirmet.* Qui tempore fuit *primus*, celebris est apud *D. Isidorum* sanctitate nominis. Qui *Secundus* appellatur, plausibili apud *D. Hieronymum* oratione commendatur. Cui hoc die fastum celebret Ecclesia, adhuc sub silentio. Nam antiquitùs Lectiones *Granatensis*, agentes de Secundo in I. clarius Primi in II. meminêre. Huic crediderim directam, imò erectam hanc solemnitatem. Huic fauet sententiæ Baron. *tom.* 3. *Annal. Eccles. ann.* 388. *num.* 100. licèt confundat huiusmodi *Gregorios*, ceu cæteri Scribentes. Quæ confusio vt percipiatur, vnicam consignabo rationem. Hæc in temporum computo (anima Historiæ) cōsistit. Nam *Gregorius I.* iam Præsulatus *Illiberitani* infulas induerat an. CCCLX. Et *Gregorius* alter nonnisi ad annum CCCCIV. ad huiusmodi ascendit fastigium. Inter hos, ad minus, *Illiberitanæ* Ecclesiæ clauum tenuisse, *Honestarium* (creditur Arrianus) *S. Augustalem* (moritur anno CCC. LXXXVIII.) & *Serenum*, qui I. Concilio Toletano interfuit ad annum CCCC. Quòd ergo *Gregorius I.* fuisset Episcopus *Illiberitanus* anno CCC. LX. colligitur ex *S. Isidoro* Honor. Augustodun. Tritem. Vass. *in Chron. tom.* 1. *ann.* 355. And. Scoth. *in Bibliothec. Hisp. tom.* 2. *clas.* 1. Pined. in Monarch. 2. *part. lib.* 13. *cap.* 5. §. 4. Garib. *in Comp. lib.* 7. *cap.* 49. Villeg. *in flor. SS.* 2. *part. in Salomon. cap.* 4. Marian. *Histor. Hisp. lib.* 4. *cap.* 17. D. Thom. Tamay. *in Defens. Mariana, num.* 28. & comprobatur ex vetustissimo Codice MS. anonymo in Bibliotheca Collegij S. Ildephonsi, apud Complutum, ex quo credit Ambros. *Moral. lib.* 10. *cap.* 37. S. Isidorum desumpsisse quidquid de morte Osij scripsisse perhibetur. Sunt ex Neothericis, qui hunc libellum, ab *Isidoro* alienum contendunt. Quod vt probent, ex variis tergiuersationum subterfugiis aceruum compaginant. Huius fuit opinionis princeps, Baron. *ann.* 357. *num.* 31. Quem fuit secutus D. Ferdin de Mendoz. *ad Concil. Illiberrit. lib.* 1. *c.* 11. Aldret. in *Orig. ling. Cast. lib.* 1. *cap.* 18. & *lib.* 1. *Antiq. cap.* 3. Coniectationem ad hoc exhauriunt ex *S. Athanasij* authoritate opposita *S. Isidori* ecphrasi, & ex aliis *SS. Augustini*, & *Hilarij* operibus, coniecturis deductis. *Fl. Dextri* item Scholiastes ipsam neruatim configunt opinionis plantam, ex eo quod Dexter *in Chron.* dixerit *Gregorium* successisse *Augustali*, vbi hæc Francisc. Biu. *His addamus, quod manifestissimè commentum prædictum Marcellini refellit: nimirum hoc anno, quo Hosius mortuus fuit, & Christi* 360. *Sanctum* Gregorium *nedum fuisse Illiberritanum Episcopum, imò nec vsque ad annum Christi* 390. *post alios videlicet triginta, vt suo loco eum Dextro monstrabimus: & tamen in commento illo Episcopus iam asseritur.* Sed omnes hi Scriptores omninò falluntur; & quidquid in hoc defendunt, somnium est, & quidquid colligunt, phantasia. Nam proculdubio libellus ille, patrem habuit Isidorum, vt infra probabitur, & ex eo *Gregorius I.* anno CCC. LX. erat iam Pontificali diademate *Illiberri* redimitus. Quod irrefragabiliter probatur ex quadam Epistola *Gregorio* Episcopo *Illiberritano* Hispaniæ à *S. Eusebio Vercellensi* directa, quam ipse *Baronius* literaliter appingit *d. ann.* 357. *num.* 35. & 36. Eámque nos postea dabimus. Ex illa ergo apparet *S. Gregorium*, vt iam Episcopum *Illiberritanum* Concilio Ariminensi ad annum CCC. LIX. congregato interfuisse, viriliterque acta *S. Concilij Nicani* contra omnem hominem defensasse, de quo *Eusebius* grates in Domino refert *Gregorio*. Nec me latet Dextri *ann.* 360. locus, quo agitur de alia Epistola *S. Eusebij* ad *Gregorium* Toleti Metropolitam, scripta. Cum quo transeunt Luitprand. *adu.* 164. & Iul. *in Chron.* 360. Et licèt ita sit, non subscriberem opinioni *Biuar.* & *Caro*, qui negatiuè affirmant, etiam

An duo Gregorij apud Illiberim.

Temporum diuersitas cōsignatur.

Libellus Isidori de Hosio, cuius-nā sit?

Epistola Eusebij Papa cui Gregorio directa?

etiam aliam potuisse conscribi *Illiberritano*. Huic enim, & non illi directam probant Baron. *vbi sup* Nicol. Fabrus *in præfat. ad Hilary* fragmenta. Ergo quis prohibet *Eusebium* duas potuisse conscribere tot *Gregorÿs Hispanis* carthulas? Si potuit, fecit: ne detur tantis antinomia doctoribus.

Quod *Gregorius II.* ad annum CCCCIV. seu ad minus ad CCCC. *Illiberritana* conscenderet Ecclesiæ Sedem; nullus qui infrascripta pensitauerit, inficiabitur. Nam quod sine dubio est, *Gregorium* successisse *Augustali*, sic Dext. *Ann.* 388. Augustali *in Sede Betica* Illiberritana *succedit* Gregorius, *ex Præfecto Prætorio Galliæ, iam confecta & grauioris ætatis; vir apprimè pius, & egregiè bonas artes edoctus*. Eadem Luitprand. *aduers.* 171. licèt electionis tempus ad annum 389. extendat. Sic etiam omnes ad *Dextrum*: etsi falsò credant *Gregorium* immediatè *Augustali* successisse, cùm nec ex mente, nec ex verbis *Dextri* hoc colligatur. Hic ergo V. CL. *anno* 382. transitum *Augustalis* apponit, si numeri marginales vitio carent; ipsius canonizationem ad annum 388. describit; post *S. Gregorÿ* electionem adiungit. Ergo per *sexennium* hæc *Illiberritana* vacauit Ecclesia? Absit. Credendum enim est alium immediatè *Augustali* successisse, pòstque est sine dubio *Gregorius* ingressus. Comprobatur, nam ipse fatetur Dexter *S. Gregorium* occubuisse *anno* 423. aut 424. vt inquit *Luitprandus*. Quod si est (vt est) verum; quo anno sedebat *Serenus*? De eo ergo in hoc tempus referunt omnes antiqui, & noui huius Ecclesiæ Catalogi. Et licèt hi deficerent, subscriptio *in I. Concilio Toletano* ad annum CCCC. in quo *Serenus* interfuit, deficere non valebit. Ergo *Gregorius* non fuit immediatus *Augustali* successor. Ergo primò fuit *Serenus*. Adhuc huic opinioni conferat efficaciam Epistola *Innocentÿ I. Pont. Max.* Episcopis in *II. Concilio Toletano* ad annum CCCCV. congregatis directa; in qua conqueritur de festina electione *Ruffini* Tarraconensis, & *Gregorÿ Illiberritani* Præsulum, ad huiusmodi Sedes, cùm nondum forenses exercitationes demisissent, vt ex Roderic. Cato *ad Dextr. ann.* 407. *lit. B.* & ann. 308. *lit. Z.* Luitpr. *adu.* 166. *&* 171. Ergo cùm hoc anno de hoc conqueratur Pontifex, credendum est huiusmodi fuisse electiones modernas, non antiquas, quia si hoc non fuisset, vt quid *Ambrosium, Exuperantium*, & alios, qui per illa tempora ex militia, & iudicatura ad Episcopatuum Sedes conscenderant, omissurus erat, & hos tantùm in exemplum proponeret, nisi tunc temporis algida adhuc esset electio.

Gregorius II. quo tempore vixerit?

An Augustalis successori

Quo tempore præfuit Serenus?

His opponunt rationibus, Baronij *ann.* 388. *n.* 98. sententiam, in qua loquens de *Gregorio Illiberritano* inquit: Gregorius *Baticus copulatus Ecclesiæ, Charitatis sanctæ vegetatus irriguo, euasit aquè Sanctissimus, vixitque posthac complures annos*. Nam Domini 392. quo scripsit *S. Hieronymus* volumen de *Scriptoribus Ecclesiasticis*, de eodem *Gregorio* adhuc superstite agit, his verbis: *Gregorius Baticus Illiberri Episcopus*. Ergo (ex hoc colligunt) anno CCCXCII. S. *Gregorius* erat Episcopus *Illiberritanus*. Absque responsione arguebat, qui hoc si probasset, meditabatur. Nam si *Hieronymus* calamum suspendit in contextura libelli *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, vsquequo vitam cum morte commutauit, clarum est, quod anno CCCXCII. quo libellum scripsit, iam fuisse *Gregorium* Episcopum *Illiberritanum* fatendum est: quod contra nostram congreditur sententiam. Sed licèt hoc appareat, attamen contrarium est verius. Quia cognoscitur, attentè intuenti, libellum illum, licèt scriptum anno CCCXCII. non fuisse absolutum (etiam in XXX annis successiuis, quos supervixit *Hieronymus*) nec vltimum Vale datum, cùm post illud tempus intexeret quotquot in sui notitiam deuenerant Scriptores. Exemplum huius veritatis præbeant *Sophronius*, & *Dexter*. De illo inquit ipse *Hieronymus*, quod omnia ipsius opera in Græcum transtulit, non solum quæ tunc scripsit, sed etiam quæ postea addidit. Ergo si omnia transtulit, & illum libellum in forma vt visitur, & consequenter ipsum *Sophronium* collocauit inter Scriptores, post primam manum. De isto hoc est *Dextro*, clarior probatio. Nam iste exordium eius omnimodæ Historiæ sumpsit post Præfecturæ Orientis finem, vt ex ipsius prologo colligitur ad annum CCCCIV. & tamen adest inter Scriptores libelli, ergo non anno CCC. XCII. finem sumpsit, quin potiùs, in temporibus euenientibus *Hieronymus* addebat Scriptores, vt eorum opera percipiebat. Fauet etiam huic sententiæ se-

Hieronymus quo tempore scripsit de Gregorio Batico?

An Anno 392.

Hieronymus addebat Scriptores prout eorum accipiebat notitias.

quens illatio. Idem *Hieronymus* agens de *S. Gregorio*, ait: *Gregorius Bæticus Iliberri Episcopus, usque ad extremam senectutem diuersos mediocri sermone tractatus composuit.* Si ergo hæc scripta fuissent anno CCC. XCII. nondum tunc ad quinquagesimum *Gregorius* attingebat, cùm eius natalis dies anno CCC. XLII. annumeretur à Luitprando *adu.* 172. & ex consequenti tunc extremam fuisse senectutem non probabit Hieronymus. Ergo ad annosiorem vitam referendum est, hoc est ad annum CCCC. XX. quo circa *Octuagesimum* attingebat; qua ætate & *S. Hieronymi* dictum verificatur; & quòd non absoluerit libellum anno CCC. XCII. conuincitur. Hactenus *R.P.F.Petrus S.Cecilij*. De quibus postea censuram dabimus. Pergo ad *S. Gregorij* vitam, ab ipso etiam Hispanicè scriptam, & ex variis Scriptoribus deductam, quam item Latinam facimus sic:

ACTA S. GREGORII EPISCOPI ILIBERITANI Confessoris; ex R.P.F.Petri à S.Cecilio schedis.

Origo. GREGORIVS Illiberritanæ *Ecclesiæ Episcopus, secundùm veriorem opinionem nascitur* Illiberi, *circa annum* CCC. *Episcopatum obtinente* Flauio, *& grege Catholico apud illa* Bœticæ *loca crescente. Qui eius Parentes, sub silentio est. At ex filij deprehenditur virtutum indole, ipsos non solum in Dei timore ambulasse, sed etiam apud saeculum clarioris originis sanguinem aluisse. Illi post primæuum adolescentiæ florem, in Ecclesiastica* *Indoles.* *prouentionis via sanctum iuuenem imposuerunt deuictis innumerabilibus, vt agnoscitur, impedimentis, quæ per illa serpebant vndique sæcula. Erat* Illiberi *Collegium pro adolescentibus apud Iliberim.* *Collegium tempore* Augustialis *Episcopi erectum, vbi Ecclesiastica vigebat disciplina, & omni cæremoniarum, literarúmque Ecclesiasticarum, & bonorum morum culturâ adolescentes erudiebantur. Hic creditur vacasse* Gregorium, *hic impensè doctrinæ riuulos ebibisse. Ex illo plurimos sanctitate, & doctrina conspicuos viros agnouit* Hispania, *& cognouit Ecclesia. Quibus non inferior* Gregorius, *cùm nondum XXIV. excederet annum, vt in* S. Nicænum *pergeret* Concilium *à* Petro *huius nominis* I. Illiberritano *Præsule selectus est. Hic coram Patribus nonnullas eruditione Catholica plenas contexuit, dictitauítque oratiunculas, quibus tantorum Præsulum præcordia rapiens, æternum est apud omnes nomen adeptus. Creditur item associasse* Petrum *ad Synodos* Romanam I. *&* II. *vbi (vt cognitus) plausibili comperendinatione populi sibi comparabat affectum; ideóque (vt ex Nicæna) perenne agnomen obtinuit. Eius autem fama iam orbis terminos adimplebat, quem Catholici videntes admirabantur, Ariani, & Hæretici contremebant, quos noctu, diúque taliter opprimebat frequentibus congressibus publicè, & priuatim, & libris, & apologys, vt vix vllus in eius faciem intueretur, quam vt illi formidabilem diffugiebant. Sed hoc tempore in meliorem translatus fuit vitam Episcopus* Petrus. *Quo humato Clerus, & Populus* Gregorium *omnium suffragantibus fabis in eius locum subrogatus est. Cuius electio*, fuit *approbata à Metropolitano, & Comprouincialibus Episcopis, & illicò muneris commissi onera in humeros suscipiens, in omnium virtutum semitis deambulans, bonorum operum flosculos recollegit. Quibus eius nomen in vtroque doctrina, & Sanctitatis genere Occidui lateris terminos peragrauit. Tunc enim Synodus adunata est* Ariminensis, *in cuius fuere congregatione CCCC. Episcopi considentes, ad annum* CCCLIX. *inter quos* Gregorius, *cuius in fide Concilij Nicani constantia taliter emicuit, vt licèt CCC. Præsules, aut timore, aut corruptelâ hæreticam* Vrsatij, & Valentis *communionem amplexarentur, ipse & alij pauci veri Pontifices, intrepidè vnitatem & fidem Nicæni Catholicam prædicarunt, & tanquam columnæ immobiles in veritatis symbolo perstiterunt. Quibus nec hæreticorum calumnia, nec Constantij Imper. mina, nec ipsius ministrorum munera, nec Tauri Præfecti vrbis blanditiæ, nec tantorum Episcoporum execrabile exemplum, nec pauperies, & vltimæ* quam

Ad Concilium iuit Nicænum.

Item ad Roman. I. & II. Concilia.

Hæreticos persequitur, & eliminat.

Eligitur Episcopus Iliberitanus.

Ad Ariminensem Synodum progreditur.

Decreta Nicæna cũ alijs paucis defendit.

quam per totius nymbosa hyemis circulum pertulère, indigentia, corda in Deum fixa Pontificum, potuit haud minimum dimouère. Recessit ergo Gregorius *ab vrbe* Ariminensi *extra* Constantij, *& haereticorum, intra* Liberij *Summi Praesulis, Catholicorúmque gratiam; ab illis inuisus, ab istis acceptabilis; in suam est ingressus Dioecesim, quem turmatim populorum coetus, & vrbium Catholicus per via grex semitas, hymnis, & canticis recipiebat, & pallijs, clamydibúsque itinera extruentes, corollis caput Pontificis inclyti redimentes, vnâ voce instar triumphi victoriam Praesulis conclamabant. Vix autem inter oues Catholici pabuli semina protendebat, & pacifico populum veritatis condiebat eloquio, cùm ille diuinus Paterfamilias, qui sancto Episcopo talentum tradiderat, vt lucraretur, iterum* Gregorium *ab eius abstraxit Ecclesia, vt iterùm ipsius experiretur constantiam, aliásque meriti exponeret ansas. Nam cùm* Constantius *agnosceret Sanctissimos* Liberium *Pontificem Maximum, caeterósque veritatis Episcopos intrepidè non solùm acta execranda Concilij* Ariminensis *super noua fidei confessione, respuere, sed etiam tenentes, auxiliantes, & approbantes anathematis Apostolico ferire mucrone; instantibus* Vrsatio, *&* Valentino, *caeteráque haereticorum caterua, per edicta Praefectis, & Praetoribus directa decreuit; vt a festis Praesulibus Catholicis, aut ad professionem nouitatis fidei* Ariminensem, *aut ad exilium ipsos abire compellant. Quo publicato decreto* Clementinus *Baeticae apud* Cordubam *Praefectus,* Gregorium *coram se venire compellit. Qui protinus gregem relinquens, &* Cordubam *adiens, à Praefecto honorificè susceptus est. Pòst* Clementianus, *adsistente* Hossio *illius vrbis Episcopo, (qui antea columna Ecclesiae, Pater Conciliorum, Organum S Spiritus, propugnaculum fidei, gladius haeresis, & terror diaboli vocitabatur; tunc miserabiliter interuersus, & communione Arrianorum implicatus) suae factionis comite, edicta Constantij* Gregorio *protinus insinuauit. Cui Praesul:* Deo in fidei negotiis obtempero, Principi in his, quae extra haec sunt. *Excanduit* Hossius, *& irâ incensus à* Clementiano *efflagitabat, vt* Gregorium *illicò exilio damnaret. Renuit Praefectus, qui Sancti Pontificis venerabatur aspectus; & conuersus ad Hossium:* Tu priùs (*inquit*) illum à dignitate depone, nam cum illa, nec audeo, nec possum. *Ille qui ad tantum facinus consensum praebuerat, & exequi depositionem machinabatur;* Gregorius *flexis genibus, iurisdictionem in corde declinans, coram Christi tribunali comparens, cuius diuinitatem, & consubstantialitatem cum aeterno Patre constanter professus fuerat, & vsque ad vltimum vitae halitum defendere promiserat, exclamãs, dixit:* Christe verè Deus, qui venturus es iudicare viuos, & mortuos, respice in seruum tuum, qui pro tui nominis fide, in huius tribunalis agone consisto; ne obsecro patiaris, vt contra me famulum tuum talis pronuntietur sententia. Non exilij recuso laborem, nec mortis angustias pro nomine tuo timeo, cùm adhuc nullas poterit machinari crudelitas, quae in me possint tui extinguere charitatem. Haec efflagito non quia ego incolumis euadar, sed quia extendas brachium tuum cum potentia, & cognoscant inimici tui, quia tu es Deus noster, & vindictam sumis de exprobrantibus aduersùm nos; quo & illi ad te conuertantur, & in populis magnificetur plenius gloria tua. *Vix* Gregorius *petitionem emisit, cum omnia à Domino Pontifex impetrauit. Nam statim Christus sibi ipsi satisfecit,* Hossium *reduxit, eius culpam puniuit, praesentibus lucem obtulit,* Gregorium *liberum dimisit, &* Clementianum *ministrauit. Quia repente* Hossius (*inquit Marcellinus*) *residens, fastu quasi regalis Imperij, cùm sententiam conaretur exprimere, os vertit, distorquens pariter & ceruicem, ac de sessu in terram eliditur, atque illicò expirauit. Circumstantium tum spiritus sequestrauit successus, & accedens deturbauit actiones. Praeses veniam imprecabatur ignorantiâ fidei,* Hossius *in terra decubans, velut exanimis Dei omnipotentiam silentiosâ rethoricâ praeconizat,* Gregorius *immensas Deo offerens laudes accepti beneficij munera sublimabat, omnes detinebat miraculum; omnes fatebantur auxilium; vnusquisque, vt locum acceperat à portento: Populus admiratione sine verbis, Praefectus verbis sine corde,* Hossius *cadauere*

Recedit ab Arimino infectus. Pontifici charus.

A ciuibus triumphali pompa suscipitur.

Constantij Imperat. edictum aduersus Episcopos Catholicos.

Gregorius Cordubam deuenit.

Hosij Episcopi Cordubensis ruina.

Gregorius ab Hosio deponi praecipitur.

Gregorij oratio.

Miraculū.

Hosij mentis turbatio.

*abſque actione, & *Gregorius *verbis, corde, corpore, & actione. Diſſoluitur cœtus,*Gregorius *libertate donatus* Hoſij *cadaueris lecticam inſequens,nam adhuc vitalis fomitis ſpem halitus licet breuis in corpore protrahebat, & vt creditur poſt animi paralypſim euocatus ad ſenſus, inſtante Præſule* Illiberritano, *ad pœnitentiæ ſecundam tabulam poſt defectionis naufragium accedens,ad æternæ vitæ portum emendatus ſuccurrente Chriſti ſanguine,(vt ſuſpicatur)peruenit.Hoc ergo caſu mirabili expleto,*Gregorius *Cordubam deſeruit,*Illiberrim *adijt,vbi victoriam à Populo decantatam hymnis,ſuſpirijs,& laudibus audiuit. Denique in miniſterio aliquot annos egit, docens opere, & ſermone ſubditos,quæ Deo placent,Eccleſiam abuſibus reformauit,pluresque à Prædeceſſoribus temporum inuolucris obliteratos mores reſtituit,auxit,& introduxit. Nec deſunt qui aſſerant,quòd indiſcreti zeli inſtantiâ correptus (in Arrianæ hæreſis exterminium) aliquando Luciferianis adhæſit. Sed licèt de hoc adhuc ſub iudice lis ſit; tamen quando in talem* Gregorius *deueniſſet errorem, protinus reſipuit, vt Eccleſiæ Catholicæ decretum audiuit. Curauit maximo ſtudio, in educatione, & doctrina iuuenum qui ad ſacerdotium promouendi erant, cuius rei cura, maximè tempore illo, quo tot hæreſes pullulabant, ſolicitos depoſcebat Epiſcopos. Collegia ad hoc iampridem inſtituta,quæ aut negligentia deceſſorum,aut quod verius eſt, propter Iuliani Imp.maleuolentiam, collapſa, reſtituit. His demum, & alijs bonis operibus inſudans ad æternæ vitæ lumen,extincta huius ærumnoſa lampade peruenit* VIII. Kal. Maij, *Anno Domini* CCCLXXIX. *Cùm per* XXI. *infulas Præſulatus induiſſet, & ad* LXXX. *ætatis attigiſſet. Pontificatum Maximum obtinente Damaſo, & Occidentalis Imperij faſtigium Gratiano.*

Inſtante Gregorio Hoſius reſipiſcit.

An cum Luciferianis communicauerit?

Moritur.

Hucuſque *R. P. F. Petrus S. Cecilij*, qui omnia S. GREGORII Acta I. ab Actis II. *Gregorij* eruditâ ſeparauit anamneſi, ne prout antiqui fecêre, vtriuſque res geſtas confunderet Antiſtitis. Sed quia inter Scriptores Eccleſiaſticos tàm antiquos, quàm recentiores, exteros, & noſtros valde confuſa eſt *Gregoriorum* Præſulum conſignationis opinio, mihi, nec perperam, viſum eſt, omnes huius nominis *Gregorios*,ab Scriptoribus commendatos in vnum congerere,cum notâ annorum, quibus vitam agebant, quibúſve Sedibus in Hiſpania fruerentur, ita vt vnius acta, ab aliorum rerum geſtarum compagine ſecernantur:

Quot Gregorij Epiſcopi celebres in Hiſpania?

I. Complutenſis, Ann. 94.

PRIMVS *Gregorius* de quo mentio eſt apud Scriptores,COMPLVTENSIS Epiſcopus vocitatur à P.Biuar.*in Not.ad Addit.Braulion.num.*53.§.6.*fol.*60.*&* 61.vbi agens de *S. Vitali Complutenſ*, hæc verba ſubnectit: *Tamen antequam* Compluto *diſcedamus*, S.Gregorium I.Cõplutenſis *Sedis* Epiſcopum *reſtituamus mundo,quem errore decepti, pridem in Commentarijs* Dextri,*cum* S.Gregor.Toletan.Epiſcopo *confuderamus: quòd nimirũ vtrumque* Amphitriæ *credebamus* Dextri *teſtimonio obijſſe;quod tamen exactius inudi,& lydio reddita,falſum eſſe comperimus.*Hæc palinodiæ recantatio *Biuarij*, an veritatis acumine,an potius ingenij demonſtratione fulciatur,ex ipſiſſimis eius verbis petendum eſt.Totam periodum licet prolixam ſubiicere placuit, ne minimus prolocutionis apex excidat.*Ergo duos*(inquit)*valdéque æuo diſtantes* Gregorios *Hiſpanos adſtruimus, veterem quidem* Complutenſem, *quem eam Sedem fundaſſe remur, floruiſſe verò teſtatur Dexter*,A.C.94.*dicens:* Amphitriæ,quæ nunc Fita, *S.Gregorius* Epiſcopus *Complutenſis* 13.Kal.Ianuarij. *Sic enim reſtitui debet, quod in Codice Cæſaraugustæ excuſo* 12.*Kal.Ianuar.dicebatur,refragãtibus veteribus Martyrologijs,& totus iſte canon* Dextro *reſtituatur ſub n.*2. A.C.94. *ante illum, qui incipit:* Bilbilitani,&c. *Notauerat idem Auctor ad Annum Chriſti* 66. *ibidem obijſſe* S. Liberatum *Epiſcopum* Iliberritanum,*eo ipſo die;vnde vtriuſque feſtiuis præconijs laudata memoria in Catalogum Sanctorum recepta eſt;&* S.Gregorius *coli cæpit* Toleti,*& alibi ab* Ann.Chriſti 366.*quo Toletum Amphitriâ tranſlatus eſt, etiam inter Sanctos relatus. Quâ de re* Dexter *eo anno hæc habet:* Relatus eſt *S.Gregorius* Toletanus *Amphitriâ* Toletum, & in Hiſpania inter Diuos eſt relatus 20.die Decembris.*Sanè vtrumque habet* Vſuardus,*eo ipſo die, his verbis:* XIII.Kal.Ianuar. Item in Amphitriâ S.Liberati,& S.Gregorij Epiſcoporum. *Ita habetur in* Vſuardo MS. *membranaceo, & vetuſtiſſimo Monaſterij mei* Nucalenſis, *& in alijs, qui in Cœnobijs Hiſpaniæ aſſeruantur: & ita excudit* Molanus *in editione* Louanienſi A. C. 1568. *quare perperam, oſcitantérve in poſteriori*

Antuerpiæ

Antuerpiæ *factâ* A.C.1583.*Liberati solius meminit. Suffragatur nobis Equilin.Episcop.* lib.12.Catalog.c.130.n.17. *his verbis*: Liberatus Confessor,& *Gregorius* Episcopus eodem die (scilicet 13. Kal. Ianuar.) in *Amphitria* claruerunt. *Quòd verò* Complutensis *diuersus sit à* Gregorio Toletano *Episcopo,manifestat longissima temporum intercapedo inter vtrumque decursorum.Nam* Complutensis *floruit sub Apostolis,Apostolorum proculdubio discipulus ad* A. C. 94. Toletanus *verò* Ann. Chr. 359. *iniit Pontificatum; obijt verò* A.C.366. Hactenus *Binarius*:de cuius veritate sententiæ postea agemus.

SECVNDVS fuit *Gregorius* Episcopus *Toletanus*, Olympij successor de quo Dext.*in Chron.Ann.*356. vbi P.Biuar.*num.*2.*fol.*385. vbi distinctos fatetur *Gregorios* Toletanum, & Iliberritanum; licet istum cum *Toletano* in hoc Commentario, & cum *Complutensi* in *Commentar.ad Ann.*94.*n.*1.*fol.*188. confundat; addens *Toletanum* socium *Luciferi*, non autem fuisse *Iliberitanum*. De eo Dext.*Ann.*360. qui eius mortem adsignat *Anno* 366. *II.Toletanus, Ann.* 366.

TERTIVS fuit *Gregorius I. Episcopus Iliberitanus*, cuius memoriam hoc die recolimus,& de quo suprà scriptam contexuit disquisitionem R. P. F.Petrus à S.Cæcilio,Bermudez de Pedraza *Histor.Granat. lib....c...fol....* & omnes superiùs in prolegomenis allegati, qui diem extremum istum Antistitem clausisse *ad Ann.* 379. iam octogenarium, affirmant. *III.Gregorius, Ann.* 379.

QVARTVS fuit *Gregorius Episcopus Cordubensis* de quo Dext. *in Chron.Ann.*384. de cuius laudibus egit, & cuius operâ vsus fuit *Theodosius* Augustus in Concilio Mediolanensi, vt inquiunt *Chromatius*, & *Heliodorus* Episcopi *in Epistola ad D.Ieronymum*, quæ in præludio Martyrologiorũ circumfertur, quam & exscripsit *Baronius* in eisdem præludiis ad Romanum *c.*5.& P.Biuar.*ad Dextr.d.Ann.*384.*n.*3.*fol.*400. *IV.Gregorius, Ann.* 384.

QVINTVS fuit *Gregorius II. Episcopus Iliberritanus*, ex Præfecto Prætorio Galliæ electus,de quo Dext. *in Chron.Ann.*388. & *Ann.*407. qui vitam exuit *Ann.*423. Is est de quo Luitprand. *in Aduersar.n.*190.195.196.*&* 197. qui etiam asserit fuisse *Malacitanum* Episcopum;& scripsisse Librum *de Fide aduersus Arianos*, & alium *de Trinitate* petente *Gallâ Placidiâ Augustâ*. *V. Gregorius, Ann.* 423.

SEXTVS fuit *Gregorius II.siue Iunior.Episcopus Cordubensis*, qui successit *Hyginio*, apud *Leronem* exulanti, mortuo ad *Ann.* 388. vbi refert Dext. *in Chron.* vbi P. Biu. *num.*6.*fol.*414. quem fuisse Præfectum Prætorio Cappadociæ indicat ipse Dext. *in Chron. Ann.*424. *VI. Gregorius, Ann.* 424.

En illius temporis *Gregorios*, quos inuenire potuimus,quorum Acta passim confunduntur ab Scriptoribus, præcipuè, si Acta I. à *Binario* inuenti, II. III. & V. inter quos huius confusionis embolium circumfertur; nam de IV. & VI. *Cordubensibus*, nihil ad nos. Ergo, vt veritatem fateamur, quidquid de hisce Quatuor *Gregorys* in Dextro, Luitprando,& Iuliano percipimus, merum commentum,prout editum est, introductum suspicamur, ideò opus erit omnes trium Scriptorum periodos luxare, & in proprium locum apponere. *P.Binar.* vbi supra potius ingenio quàm veritate suffultus introducit *Gregorium Complutensem* Episcopum tempore Apostolorum, idquecircò superiùs *Primum* nominauimus, cum re verâ, nullus fuerit Episcopus *Complutensis* ante tempora *Asturij Serrani* Episcopi *Toletani*, qui inuentis sacris pignoribus *SS.Iusti,& Pastoris* Martyrum *Complutensium*,ibidem Cathedralem erexit Ecclesiam, & Episcopus I. *Complutensis* cognominari promeruit; vt ex S.Ildephons.*de Scriptor.Eccles.c.*2.his verbis: *Inde,vt antiquitas fert, in* Toleto *Sacerdos IX. & in* Compluto *agnoscitur I.* & fatetur idem Dext. *in Chron.Ann.*423. vbi P.Biuar.*num.*8.*fol.*441.& Iulian.*in Chron.n.*204.*fol.*50. qui non est audiendus, *n.*194. contendens *S.Asturium*,Complutensem Episcopatum reuocasse,cùm constans veritas sit,*Complutum* nullibi Sedem tenuisse,nec de ea vnquam, ad *Asturium* vsque,memoriam inesse,quã de Sede Episcopali vestigia patescant. Nec glossema in Dextro *ad Ann.* 94. additum proficit; nam vt omnes melioris notæ Scriptores, & ipse *Binarius* asserunt, illud supposititium commentum esse, quod nec loco, nec tempori, nec Sedi congruit. Nec minus obstat dicterium ex *Vsuardi* antiqua lectione, siue *Petri Cabilonensis*, & aliorum Martyrologorum assertione, à *Binario* prolatum, Quia natalis dies consignatus ad festiuitatis venerationem *S.Gregorio II. Iliberritano*, & suprà à Nobis V. loco posito, fuit & est *XX.Decembris*, *Asturius Serranus I. Episcopus Complutensis. Iuliani error. Glossema in Dextri Codice.*

ideóque non poterit conuenire hæc conſignatio, nec *Complutenſi Gregorio* à *Binario* inuento, nec *Toletano* de quo Nos ſupra II. loco, aſſignato, nam iſte obiir *Toleti X.Kal.Iuly*, vt refert Iulian. *in Chron. n.*174. *fol.*44. ergo hæc ſupputatio natalis diei à *Binario* recenſita corruit. Demùm, vt totum hoc machinationis embolium agnoſcas, Lector amice, attende pauliſper. Tres tantùm *Gregorios* Hiſpaniæ Eccleſia olim eſt venerata. I. *Gregorius Ilibertanus* huius nominis I. de quo *hoc die* Martyrologium Romanum. II. etiam *Gregorius Toletanus*, de quo natalis *dies XXII.Iunij*, vt liquet ex Iulian. *d. n.*174. III. item *Gregorius* etiam *Ilsberitanus* huius nominis II. de quo *dies festus, XX.Decembris*, vt ex *Equilino*, & *Maurolyco* proculdubio pateſcit. Ergo ille *Gregorius* à *Binario* progenitus, ſine die ſolemnitatis in Eccleſia remaner.

Emendatur glossema in Dextro. Hæc *Luitprandi* ſententia roboraretur authoritate *Dextri*, ſi illud gloſſema interlineatum *Ann.*94. in eius codice, reponeretur poſt *Annum* 423. quo *S. Gregorius II. Epiſcopus Ilsberitanus* diem clauſit extremum, & hac ſerie. *Amphitria, quæ nunc Fita*, S.Gregorius *Epiſcopus, origine* Complutenſis, *XII.Kal.Ianuar.* vt Luitprando *in Aduerſ num.*195. conueniret dicenti: Gregorius, *pòſt Epiſcopus* Illiberitanus, *natus* Compluti *in Hiſpania*, &c. En *Gregorius Complutenſis* origine, non infulâ, en Epiſcopus *Illiberitanus*, non *Complutenſis*: ergo perperam aſſeritur, aliquem ex *Gregorijs* fuiſſe Epiſcopum *Complutenſem*. Nec in aliis *Gregorijs* inſiſto, nam ſuis locis, quidquid ad vnumquemque attinet, ſubiiciemus. Cætera quæ in Actis, à *Petro Cæcilio* pete.

ILIBERIS quæ & ELIBERIS, & ILLIBERRIS vocitatur, vrbs in *Bætica* celebris in *Turdetanis*, de qua egimus ſupra *Tom.*1 *die I. Februar. fol.*13. Hodie dicitur GRANADA, de cuius etiam etymo ſcripſimus *d. Tom.*1 *die II. Ianuar. fol.*54. vbi de omnibus, quæ ad nomen GRANATÆ ſpectant, diſſeruimus; nunc ad ILIBERIM deueniamus, quæ etiam dicta eſt *Municipium Florentinum*, vt ex columna *Granata* inuenta in via quæ *Alcazaua* dicitur, in qua ſequentes leguntur literæ, marmori inciſæ, elicitur:

FVRIÆ. SABINÆ. TRANQVILLINÆ.
AVG.
CONIVG. IMP. CÆS. M. ANTONII.
GORDIANI. PII. FELIC. AVG.
ORDO. M. FLOR. ILLIBERRITANI.
DEVOT. NVMIN. MAI. Q. EIVS.
SVMPTV. PVB. POSVIT.
D. D.

Quam inſcriptionem refert eruditus amicus Franc. Bermudez de Pedraza *Hiſtor. Granatenſ. lib.*2.*c.*7.*in paruis.* De ea etiam alibi dicemus.

B. SS. EVSEBIVS, & Socij Martyres.] Eorum diem natalem conſignant hoc die

Menologiū. Græci in *Menologio* his verbis: *Eodem die SS. Martyrum* EVSEBII, NEONIS, LEONTII, LONGINI, *& aliorum* Quatuor, *qui Diocletiani Imperatoris iuſſu, à Quatuor Carnificibus caſi, & ſuſpenſi, eo vſque laniati, quo ad carnes eorum in terram defluerent, & viſcera ipſa nudata ſint; poſtremò ſecuri percuſſi ſunt.* Prolixiùs eorum elogium *Galeſinius*

Martyrologia. hac ſerie deſcripſit: *Hoc ipſo die Sanctorum Martyrum* EVSEBII, NEONIS, LEONTII, LONGINI, *& aliorum* Quatuor. *Ij, coronato Beatiſſimo* Georgio *Martyre, cùm ex funeſto Diocletiani edicto omnes vbique terrarum Chriſtianos, illóſque præſertim, qui illius Martyris curâ Chriſto adhæſiſſent, in carcerem conijci iuſſum eſſet; eo nomine comprehenſi, à fide vt deſciſcerent per vim adacti, ſed conſtanti animo negarunt: quam ob cauſam primò verberibus vſque adeò grauiter caſi, vt diſſipatis viſceratim membris inteſtina defluerent; demum præciſis ceruicibus, martyrij curſum præclarè confecerunt.* Abſque cõmemoratione *S.Georgij* Martyris *Martyrolog. Roman.* hoc elogio: *Eodem die SS. Martyrum* EVSEBII, NEONIS, LEONTII, LONGINI, *& aliorum* Quatuor, *qui in perſecutione Diocletiani, poſt*

Quo loco paſſi. *diros cruciatus gladio percuſſi ſunt.* Cui conueniunt ſuis idiomatibus Martyrologia *Caſtellanum* P. Vazq. & *Luſitanum* P. Lobo. Aſt quo in loco iſti SS. Martyres agonem cõpleuerint, exquirendum eſt. *Græci*, à quibus omnes eorum paſſionem ſuxere, nihil de loco ſcribũt. *Galeſinius* ex, neſcio, quâ hiſtoriâ Græca Acta *Georgij* Martyris referente, ipſos Martyres ſocios *S.Georgij* contendit, ſed perperã, quia *Græci* qui elogium

Noſtro

Nostrorum Martyrum coagularunt, haudquaquam de consortio Martyrum cum *Georgio* scripsère, nec *Martyrologium Romanum*; ergo oscitanter *Galesinij* glossema, nisi illud extraxerit ex Actis *Georgij* à Gelasio Papa prohibitis, in censura relata per Gratian. *in cap. S. Romana, dist.* 15. & à Sexta Synod. *can.* 63. nam in his quæ scripsère *Pisicrates* eius Martyris seruus apud Lippoman. *fol.* 120. & Metaphrastes apud ipsum *fol.* 130. & apud Sur. *tom.* 2. de his sociis altum silentium; ergo à quo extraxerit ista *Galesinius* in dubio est, maximè intellectis rationibus circa Actorum *S. Georgij* veritatem, à Baron. *in Not. ad Martyr. Roman. die* 23. *April. lit. A.* recensitis. Sed eiusdem *Baronij* sententiam, quoad locum martyrij, perpendamus, qui etiam, nullo duce, *Annal. Eccles. tom.* 2. *Ann.* 305. *num.* 17. Nostros Martyres *Pergæ* in *Pamphilia* passos contendit. Illum ausculta, nemine citato; *In* Pamphilia *autem*, Pergæ *passi habentur hac persecutione, Leontius, Attius, Alexander, atque alij Sex agricolæ sub Præside Flausano: itémque alius* LEONTIVS *cum* EVSEBIO, NEONE, atque LONGINO. Quis hæc de tanto Purpurato credet? In *Not. ad Martyr. Roman. h. d. lit. D.* relato Menologio, in quo nihil de loco, & quasi subdubitans eorum meminit, & in *Annalibus* affirmatiuè palæstram consignat; quis illam tàm citius Cardinalem edocuit? Quo tàm repentino vsus est codice? Sed ad veritatis apicem accedamus, explosis *Galesinij*, & *Baronij* opinationibus, aut ab apocryphis, aut à nullis Scriptoribus, prouenientibus. Ergo apud *Hispaniam* in vrbe LARISSA in agro *Carthaginensi* passos hæc *Iuliani* Archipresbyteri Toletani *in Chron. Ann.* 290. *num.* 130. *fol.* 35. verba suadent, dicentis: XXIV. *Aprilis*, *Ciuitate* LARISSA, *quæ nunc* Dotana, *vel* Totana *dicitur à tempore Gallorum, prope* Carthaginem Spartariam, *&* Eliocrotam, *memoria SS. Martyrum* EVSEBII, NEONIS, LEONTII, & LONGINI, *& aliorum Quadraginta* (repone Quatuor) *qui in dicta Diocletiani, & Maximiani persecutione, post diros cruciatus fortiter toleratos, gladio tandem consummati sunt.* Cui adhæret P. Ieronymus Roman de la Higuera è S. I. *in Martyrolog. Hispan. MS. h. d.* his verbis: *En* LARISSA *Ciudad cerca de Lora, que al presente se llama* Totana, *los SS. Martyres* EVSEBIO, NEON, LONGINO, LEONCIO, *y otros* Quatro *Compañeros, que en la persecucion de Diocletano, Año* CC. XC. *despues de muchos azotes por la Fe, fueron descabezados.* Quæ Latinè sonant. In LARISSA *vrbe prope Loram, quæ nunc dicitur* Totana, *SS. Martyres* EVSEBIVS, NEON, LONGINVS, LEONTIVS, *& alij* Quatuor *Socij, qui in persecutione Diocletiani, Anno* CC. XC. *post multa verbera pro fide tolerata, abscissis ceruicibus occubuère.* Hinc elicies hos SS. Martyres, nec *Diospoli* cum Magno *Georgio*, vt somniauit *Galesinius*, nec *Perga* in *Pamphilia*, vt coniectauit *Baronius*, sed *Larissa* in *Hispania* martyrium compleuisse. Eorum Acta prorsus excidére, illa restaurare curabimus.

Galesinij commentũ.

Baronij persuasio.

Fuere Hispani Martyres.

Scriptores Nostri.

Contrariorum opinio deuicta.

ACTA SS. EVSEBII, NEONIS, LEONTII, LONGINI, & Quatuor Sociorum Martyrum Larissensium in Hispania; ex Varijs Scriptoribus.

EVSEBIVS, NEON, LEONTIVS, LONGINVS, *&* Socij, *ciues in vrbe* Larissa *Hispaniæ, prope* Carthaginem Spartariam, *&* Eliocrotam *Christo nomina dedère, cuius fidei rudimenta capientes, in eius confessione perseuerantes, & in Dei obsequio vitam agentes, huius peregrinationis exilium, Numinis auxilio, & fideli comperendinatione complebant, æternum illud gloriosæ patriæ gaudium continuis singultibus spectantes. Ast cùm Deus Omnipotens illorum experiri constantiam, per cruciatuum angustias, ante sedes cœlorum meditaretur augustas, euenit, quòd Diocletianus Romanus Imperator sæuam aduersus Christi pedissequos persecutionem per totum Orbis ambitum excitaret. Isthæc furoris rabidi procellosa conclusio præcipuè contra* Hispaniæ *Catholicos emanata, protinùs illius circulos apprehendit, ita vt vndique per eos Ministri, & Indices Augustorum dilapsi, totam prouinciam Martyrum sanguine macularent. Ergo vnus*

Ciues Larissenses.

Persecutio in Hispania.

ex Iudicibus, qui Carthaginenſis *Regionis ambitum, vt plures Imperatori cædes, potius ambitionis, quàm rationis apice mitteret, perluſtrabat,* Lariſſam Hiſpaniæ *in agro* Carthaginenſi *vrbem ingrediens, Chriſtianos inquirere cæpit, qui cognitâ* EVSEBII, *&* Sociorum *fide, illam, vt moris erat, in eorum viſceribus conſopire, blandis verborum illecebris, deſtinauit; ſed cùm Sanctorum ad Chriſtum pietas radicitus vnita quieſceret, nequaquam eorum flectere conſtantiam valuit Iudicis, & præmij continuata promiſſio, & ſupplicij minitata correctio. Ad verbera ventum. Illos protinus nudos ſatellitum caterua rapiens, ſtipitibus affixos virgis cædere, & plumbatu percutere cæpit, tantâ lictorum conſtantiâ, vt, diſſipatis viſceratim membris, inteſtina diffluerent. Feſſi carnifices indefeſſum, pro Chriſto maiora pati, Martyrum demirantes amorem, Iudici retulerunt, qui eos ſecuri feriri præcipiens, capitibus abſciſſis ſupplicium finiri permiſit. Quod vt factum die* XXIV. Aprilis, *Anno* CC. XC. *inclyti Martyres ad præmium, diu deſideratum, peruenerunt æternum.*

Comprehēduntur.

Cruciātur.

Coronātur.

Hucvſque ACTA, in quibus nihil quod reprobes, inuenies. Hinc veram agonis ranrorum Martyrum palæſtram deprehendes, deſpectis *Galeſinij*, & *Baronij* opinarionibus, prorsùs à veritate deuiis.

Topographia.

LARISSA. Vrbs fuit Hiſpaniæ vetuſtiſſima in confinio *Bætica* in agro *Carthaginis Spartaria*, quam Appian. Alexandr. *in Iberic. fol. mihi* 268. *in Codice Græco-Latino ab Henrric. Stephan. Ann.* 1592. excuſo, LERSAM vocitar corruptè: vbi agens quo pacto Scipio *Carthaginem* eſt ingreſſus proſequitur: *Carthaginenſium Imperatorum alter*, Aſdrudal Amilcharis, *longiſſimè in* Celtiberia *mercenariorum militum delectum habebat: alter* Giſconis, *miſſis nuntijs ad eas ciuitates, quæ ad eum vſque diem fida Carthaginenſibus fuerant, orabat, vt in fide permanerent: breui innumerabiles in* Hiſpaniam *copias affore. Deinde* Magonem *in proxima quæque loca dimiſit ad auxilia mercede vndecumque conducenda. Ipſe interea in* LERSA, *agrum eorum, qui defecerant, hoſtiliter ingreſſus, oppidum quoddam obſidere parabat: ſed Scipionis repentino aduentu territus* Bœticam *ſe recepit, atque ante vrbem caſtra communijt.* En LERSA ia agro *Carthaginenſi*, ſed corruptè pro LERISSA, aur LARISSA, vbi noſtri Martyres agonem compleuerunr, vr ex Iulian. *d. num.* 130. elicitur, & confirmatur ex ipſo Iulian. *in Aduerſ. num.* 466. *fol.* 131. vbi hæc leguntur: S—— *aliquando fuit* LARISSA, *quæ dicitur* Totana. In aliquibus MSS. Codicibus *Iuliani* in lacuna inuenitur verbum SECVRA. Hinc lucem accipiet clauſula Dextri *Ann.* 100. agens de *S. Vincentio* Epiſcopo *Meuanienſi*, vbi quò loci illius lipſana requieſcanr, indigitans, proſequitur. *Nunc Corpus S. Martyris & Epiſcopi iacet in Oppido* Deltano, *vulgò* TOTANA *non procul* ELISREA. Huc huc accurrire Geographi. Quæ iſthæc vrbs ELISREA? Quâ Orbis parte? Quo iuxta *Carthaginem Spartariam* ſitu? Conticuiſtis omnes: En vobis nodum ſoluimus, ſi vocis ELISREA anagramma diſſoluimus. Quid in illo, ſi literæ ſuo loco ponantur, quàm LERISEA? Ergo iſthæc, quam Appianus LERSAM; Dexter, ſoluto anagrammate, LERISEAM, & Iulianus LARISSAM vocitant: vrbs fuit vetuſtiſſima in *Hiſpania*, & palæſtra Noſtrorum Martyrum. Quibus huius vrbis Corographiam à nemine ſic digeſtam percipies, & *Iuliani* veram ſupputationem, cum *Dextri* loci vitiati emendarione cognoſces.

An Lerſa Appiani?

Completur lacuna in Iuliano.

Reſtituitur locus corruptus in Dextro.

C. S. VVALDIFREDVS Epiſcopus Confeſſor.] De eius infulâ, & Sanctitare M. Rus-Puerta in *Hiſtor. Gienneaſ. 1. p. ſecul. 3. cap. 3.* hoc ſcriptum reliquir: *In hoc ſeculo* III. *ad Annum* CC. LXXVIII. (*ex Iuliano in Chron. n* 122.) S. VVALDIFREDVS *Epiſcopus* Vticenſis *floruit, de quo hæc verba:* In Ciuitate Hiſpaniæ œticæ VTICA, Sanctus VVALDIFREDVS, Epiſcopus eiuſdem ciuiratis, egregius vitâ, doctrinâque, Chriſti Confeſſor. *Confeſſoris nomen illis ſeculis accipiebant Viri illuſtres, qui Chriſti fidem publicè coram Præſidibus, etiam cruciatibus minitati confitebantur. Si verò tormentorum pondere necati, ſpiritum Deo reddebant, tum abſolutè* Martyris *vocabulum recipiebant; Si autem vitam ſuſtinebant etiam* Confeſſorum *titulum retinebant, licèt aliquando etiam* Martyres *vocarentur. Qui enim non adducti, ſed ſeipſos iudicibus ob Chriſtianæ Religionis amorem offerebant, vt martyrio coronarentur; hi* Profeſſorum *cognomine*

Rus-Puerta de Sanct. VValdifredo ſententia.

Confeſſorū titulo qui noſcebātur?

Qui Martyrum?

Qui Profeſſorum?

cognomine noscebantur. Qui denique cruciatuum metu, propria relinquentes, vt fidem seruarent Catholicam, exules facti, iudicum quæstiones diffugiebant, hi Extorres *nuncupabantur; licet si tandem, Domino auxiliante, ad agonis palæstram attracti, mortem obirent, nequaquam* Martyrum *appellatione defraudabantur; vt mirificè notauit Baronius Cardinal.* in Not. ad Martyrolog. Roman. die 2. Ianuar. lit. H. *Quatenus ergo ad Nostrum Sanctum Episcopum* VVALDEFRIDVM, *nullam in Martyrologys memoriam inuenio.* Episcopus Equilinus Petrus de Natalibus *meminit die* XXIV. Aprilis *cuiusdam S.Episcopi, & Confessoris, quem* VIDIFRIVM *appellitat, & asserit, eum fuisse Virum eximium, quod encomion videtur adhærere* Iuliani *elogio. Sic* Equilini *clausula* lib.11.c.130.n.128. *formalis:* VILDIFRIVS, Episcopus, & Confessor, claruit VIII. Kal. Maij. *Suspicor S.Confessoris agnomen in* Equilini *esse vitiatum codice; prout etiam in eo* cap.130. num.37. *extat nomen* Ildephonsi *Archiepiscopi Toletani, vbi legitur* Nedolfonso; *&* num.218. *agnomen* Bonosi, *socij S.* Maximi, *Martyris* Vrgabonensis, *quem corruptè quoque* Bonous *nuncupat. Idquecircò crederem illum* Equilini *Sanctum Antistitem, & Confessorem, ipsissimum* Iuliani *fuisse.* Hactenus Amicus mihi semper venerandus, etiam post mortem, M. Franciscus Rus-Puerta. Et Nos hactenus, quia nequaquam alibi huius S.Episcopi memoriam inuenimus. De vrbe VTICA scripsit idem Rûs-Puerta in *d. Histor. Giennens. secul.* 1. *cap.* 13. *fol.* 58. & nos alibi dicemus; quam hodie MARMOLEXOS dicitur.

Qui Extorrium.

Equilini combinatio Iulian.

Errores in Codicè Equilini.

Vtica quæ vrbs in Hispania?

E.

S. DANIEL Martyr.] Licet huius insignis Martyris anamnesis tantum apud Philippi Ferrarij *Catalogum General. h. d. fol.* 164. his verbis compulsetur: *Apud* Gerundam *in Hispania* S. DANIELIS *Martyris*, at in Oppidanorum Gerundensium, & Sanctimonialium Benedictinarum Gerundensium visceribus eius memoria viriliter perseuerat, vt notauit P. F. Vincent. Domenec *Histor. SS. Cathalaun.* 1. *part. fol.* 32. qui tanti Martyris historiam (ex ea quam scripsit *Andreas* eius Discipulus in Cœnobio MS. perlegit, Castellano transtulit idiomate, his verbis latinitate donatis, vt oneri pareamus.

Memoria S. Martyris.

ACTA S. DANIELIS ANACHORETÆ & Martyris, per Andream eius discipulum, à quo R.P.F. Anton.Vincent.Domenec, ex MS. Historia apud Moniales S.Danielis Ciuitatis Gerundæ.

DANIEL *ex* Quilichia *vrbe* Armeniæ, *nobilissimis parentibus ortus, patrem habuit* Patriguem *Comitem, possessionibus diuitem, licèt fide Catholicâ pauperem, quia lue premebatur iconoclasticâ, matrem verò* Vlianam *integrâ fidei vnitate religiosam. Mortuo Comite patre,* Vliana *mater* DANIELEM *filium, &* Theomittam *filiam, quos ex coniugio susceperat secum vt par erat enutriendos amplectitur. His ergo temporibus Orientalis imperij sceptrum tenebat* Theophilus, *hæreticus Iconomachus, cui prout in regimine, sic in hæresi successit* Michael *huius nominis* III. *patri* Theophilo *in omnibus æqualis; qui licèt in imperij exordio sese Catholicum venditaret demum eiecto è Sede Patriarchali Constantinopolitanâ S.Patriarchâ* Ignatio, Phocionem *substituit, qui congregato Conciliabulo apud* Constantinopolim, *instante Michaele,* Nicolaum *Summum Ecclesiæ Præsulem, & omnes Catholicos, qui Sanctorum imagines venerabantur ausus est hæreticè condemnare, ex quo saua est aduersus Orientalem Ecclesiam exorta seditio. Cuius enim damnationis impulsu fretus* Michael *Præsidem in* Armeniam *incunctanter dimisit, qui omnes illius Regionis Catholicos, eius auctoritate, ad Conciliabuli errores amplectendos compelleret. Ingresso* Quilichiam *vrbem Præside, vbi Sancta vidua cum filijs commorabatur* Vliana, *feram in Catholicos contuens persecutionem, ab vrbe discedens, & ad Monestiam ciuitatem concedens, in Xenodochio extra vrbis mœnia constructo, pedem fixit. Erat tunc temporis* DANIEL *tredecim, &*

Parentes.

Theophilus Iconoclasta Imperator. Constantin.

Michael filius eiusdē farina successor.

Armenia persecutio exoritur.

E patriâ discedit cū matre.

Theo

Theomitta *soror sex annorum ætatis, quos vigilantissimè mater* Vliana *fidem Catholicam edocebat.*

CVM *vero aliquando, orationis ergo* DANIEL *intima deserti peteret, venerabilem senem, Angeli potius, quàm hominis instar inuenit in eremo, qui iuueni dixit:* Fili ex quo genere, quâve patriâ exortus es? *Cui Sanctus respondit:* Egô sum in *Armenia* natus, filius cuiusdam viduæ nobilis, & Catholicæ, quæ noctu, diúque vitam in bonis operibus transigit. Est etiam mihi soror adhuc puerula, quam, & me mater nostra fidem Iesu-Christi perdocet. At *Pomipianus* Imperatoris Præses in *Armeniam* dimissus omnes Catholicos ad hæresim iconoclasticam amplectendam compellit, ideóque Catholica patriam deserunt, ne fidem perdant. Horum exemplum mater mea insequens, *Armeniam* relinquens in hanc vrbem deuenit, vbi in Xenodochio sistens ibidem commoratur. Ego quippe licèt paruulus nequaquam timeo, quod omnes metuunt, quia Iesu-Christi Regis Regum solatium, & eius Sanctissimæ Passionis, quâ redempti sumus, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos secundùm opera eorum, contemplatio, in me mittit foras timorem: maximè dicente Scripturâ: *Nolite timere eos qui occidunt corpus;* & miserabilis *Pomipianus* tyrannus, non potest extra corpus, quod est immunditia, & in puluerem conuertetur, aliquid conari. Solus enim Deus Dominus Noster animas saluare potest, ideo tyranni furorem non metuo. Sed cùm hæc persecutionis procella in omnes Regionis circulos serpat, grauiter dolemus, ex eo quod, omnibus Catholicis tyrannus imminens, nos ab omnibus piis operibus abstrahit, ita vt multi sint in periculo constituti, quòd perturbatione irruente, à semitis gloriæ timidi deuient. Hinc Pater cognosces, quòd qui Præsidis fugiunt furorem, non metu cruciatuum imbecilles diffugiunt, sed quia exercitia pia in oratione, & ieiunio, & aliis bonis operibus conseruare conantur. *Ergo venerabilis senex in puerulo tantæ discretionis verba recensente perscrutans, admiratione raptus, illi hæc monita destinauit.* Si desideras, Fili, fidei regulam adimplere, vt consequaris vitam æternam, relinque matrem, sororem, & vrbem, & Christum in eremo quære; illius Anachoretæ te docebunt, quo pacto insidias diaboli superabis. *Respondens* DANIEL *dixit:* Pater mi ego recuso matrem, & sororem deserere, quia illa dum in eius vtero fui, & postmodum, vsque ad præsentem statum, plures est pro me passa labores, quibus me constrictum agnosco, vt continuò eius societati cohæream. *Cui senex:* Memento igitur, Fili, Euangelicæ veritatis dicentis: *Quicumque reliquerit domum, fratres, sorores, patrem, & matrem, aut filios, aut vxorem, vel agros propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Hoc ergo mundi embolium, quid aliud est, quam vanitas vanitatum, & omnia vanitas? Qui illud sequitur in tenebris ambulat, & vitam amittit æternam. Ergo Fili, potius est cœlestia capessere, quàm mundi oblectamenta sectari, in quibus perditio, & æterna mors. S. DANIEL *dixit seni venerabili:* Pater optimè dixisti, sed cùm ego sim matri meæ obedientissimos, dicam illi omnia, quæ ab ore tuo audiui, & postmodum paratus sum tuis obedire mandatis. *Tunc* DANIEL *matrem alloquens, omnia à Venerabili Sene accepta, illi viriliter patefecit. Etenim* Vliana *mater Senis consilium, & filij spiritum agnoscens, protinus* DANIELI *dixit:* Fili mi vade in pace, & Dominum Iesum-Christum deprecor, tibi firmissimum propositum in hac seruitute, quam pro eius amore suscipere satagis, vt pleniùs concedere dignetur. Qui enim tibi isthæc consilia præbuit, proculdubio mihi non homo, sed Angelus fuisse dignoscitur. Ergo fili, manum ad aratrum appone, melius est enim in silentio eremi Deo, quieta conuersatione seruire, quàm in vrbium

Ad desertum vadit.

Eius oratio ad Senem eremitam.

Matth. 10. v. 28.

Anachoretæ Senis consilium.

Matris licentiâ eremum petit.

vrbium tumultu huius hæretici tyranni seruitutem perferre. *Hu dictis suam, & Dei benedictionem filio dedit charissimo, qui* Ierosolymam *deueniens, & visitatis nostræ Redemptionis locis, diuinâ inspiratione protractus, transacto* Iordanis *flumine*, Iosephum *venerabilem Eremitam inueniens, ad eius pedes prouolutus, dixit*: Pater Sancte miserere mei. *Cui Iosephus*: Ad quid huc venisti? Quid quæris? *Tum* DANIEL: Vitam eremiticam ediscere volo, & ne anima pereat mea, in huius antris deserti commorari percupio. *Quod vt percepit S. Anachoreta, monuit* Danielem, *vt à proposito desisteret, eo quod adhuc in iuuenili esset ætate, nondum ad perferenda deserti onera sufficienti. Iuuenis etenim respondit*: Ego libenter hæc omnia perferam, ita vt viam virtutis, quâ animæ salutem ediscam, inueniam; nam paratus sum vestris obedite præceptis, vt illam consequar. *Tunc* Iosephus *amplexatus* DANIELEM, *illum intra tugurium immittens, dixit*: Fili mi esto mecum euigilans, & orans; sed vnum te monere compellor, quòd nihil ad esum habemus; nam licèt Deus Omnipotens singulis diebus Dominicis, Angeli ministerio, vnicam hostiam pro tota hebdomade, mihi dimittere dignetur, illam tantùm pro victu dimittit meo: Si ergo tibi aliam dimittere voluerit, vt comedas, dimittet, & vt hoc Angelico pane fruaris. *Sic per septendium* DANIEL *in oratorio* Iosephi *ad vsque diem iacuit Dominicam, ab eo omnia ad salutem necessaria, & ad vitam eremiticam opportuna perdiscens; sed die assignato superueniente, Angelus Domini vnam tantum, vt moris erat, hostiam adduxit; quod* Iosephus *vt notauit, dixit iuueni*: Fili mi ad interiora deserti propera confidenter, vbi in oratione assiduus, à Deo salutarem merearis hostiam percipere. En non tibi, sed mihi tantùm hostiam dimisit, ergo eius voluntas est, quòd tu aliò discedas. Ingredere igitur eremi abdita, & oratorium erige, nihil de Dei misericordiâ hæsitans, qui propositum Sanctum tuum diuinitus adiuuabit. *Tum B. Iuuenis, deosculatis pedibus, & acceptâ benedictione à* Iosepho, *qui ita* DANIELI *benedixit*: Dominus Noster omnium rerum Creator dirigat gressus tuos in viam salutis æternæ; *montis profundi, arborum densitate compacti, cacumina penetrauit; & dum inter fruticum horridam requiesceret syluam, Angelum Domini vidit, qui dixit ei*: Quorsum tendis serue Dei? *Cui nouus Anachoreta respondit*: Tuguriolum hîc vt Deo seruiam erigere paro. *Tum Angelus*: Desine. Istam arripe viam, & quidquid anxius expetis, inuenies. *Angelicam vocem amplexatus est iuuenis, & post biduum, in profundi montis verticem ascendens, planitiem mirabilem inuenit, è cuius vmbilico fons placidissimus nascebatur, qui scopulorum intumentium densitate pertectus, frigidum, & suauissimum diffundebat liquorem. Ibi gressum sustinens sese Crucis signo muniuit, & oculos in cælum erigens, extolléńsque ad sydera palmas, dixit*: Domine Iesu-Christe, qui Ionam in ventre ceti sedulus custodisti, & Danielem à Leonum lacu liberasti, & Iosephum è puteo, quò illum fratrum inuidia deiecerat, extraxisti, me peccatorem in hoc loco custodire dignare, vt tibi veraciter seruiam, ex quo vnquam discedere, nisi te inuento, in perpetuum voueo.

Ierosolymā proficiscitur.

Trans-Iordanem deuenit, & eremitæ adhæret.

Ei Angelus apparet.

Oratio Danielis.

POST *hæc cùm per Quadraginta dierum, noctiúmque terminum semper in continua oratione persistens, ieiunasset* DANIEL, *Angelus Domini attulit* Iosepho *consuetam hostiam; & alius aliam dicens*: Serue Dei hanc hostiam suscipe, illámque DANIELI; qui Quadragesimale gloriosum ieiunium assidua oratione pro fidelibus expleuit, defer. Dominus enim tyronis exordium pensitans, adhuc non mei ministerio, sed tuo vtitur, ne iuuenis ille, tanto fauoris culmine, raptus in aliquam elationis rupem naufragus illidatur. *Accepit hostiam* Iosephus, *& Angelico duce spiritu*, DANIELIS *tugurium inuenit, sed aliquantulum subsistens, voce magnâ exclamauit dicens*: DANIEL tuam Deus audiuit

Eius ieiunium.

Dei prouidentia succurrit ieiunanti.

diuit orationem, qui tibi, me ministro, vnam mittit, vt comedas, hostiam. *Cui nouus Anachoreta:* Si Deus mihi hostiã honorare voluisset, Angelum mitteret. *Tum* Ioseph, *quis esset aperuit: Sed illum cognoscere dubitabat S. Iuuenis, eo quod antea, orationem flexis genibus non peregisset, & postea hostium offerret. Quo audito,* Iosephus *dixit:* Benedictio, claritas, & gratiarum actio sit Patri, Filio, & Spiritui-Sancto. *Et* DANIEL *respondit:* Amen. *Tunc Angelus Domini videns constantiam Iuuenis, accepit hostiam, & illam Dei seruo obtulit, qui gratias referens Deo ipsam è manibus Angeli humiliter recepit, & conuersus ad* Iosephum *dixit:* Pater Sancte conuertere ad propria, & pro me deprecare, nam in Domino confido. *Cui* Iosephus *dixit:* Fili mi, sta in omni patientia, quâ anima saluatur; antiqui hostis tentamina temne, & pro me Deum deprecare, vt me indemnem reducat ad propria; *quo dicto discessit.*

Hostiam suscipit è manu Angeli.

A diabolo tentatur.

PER *integram vnius anni reuolutionem* B. DANIEL *eremi vitam quieta compositione transegit, sed illo expleto, cùm diabolus illius sanctitatem experiretur, inuidiæ aculeo commotus, aduersus illum plures, vt vinceret, laqueos meditari compellitur. Primus, quo principiò fuit vsus, dicitur, ipsum formam cuiusdam famuli, qui Patri* DANIELIS *inseruierat, accepisse, & ad oratorium* Iosephi *accedentem, S. Viri pedes ter deosculantem, lachrymis ex oculis cadentibus proclamasse:* Pater Sancte, non te latet, quanta sit inter matrem & filium necessitudo, & quanto alter alterum amore prosequatur; & iterum agnoscis qualis est famuli ad dominum fidelitas, his suppositis tuam pietatem expostulo, vt precibus meis, & singultibus liberalis adhæreas. Ego equidem nobilissimæ viduæ, matri DANIELIS cuiusdam iuuenis, matrem, & sororem deserentis, & opum multitudinem amandantis, inseruio; iste enim iuuenis vix decimum quartum attigerat annum, cùm domo materna prosiliens, Sanctissimam viduam, & sororem virginem in lachrymis inuolutas dereliquit, de quo hactenus ad nos nec leuis fama peruenit. Tandem miserabilis iuuenis mater assiduas ad Deum preces effundens, Angeli ministerio cognouit, filium charissimum suum nomine DANIELEM esse in deserto Trans-Iordanem, de quo plura nobis Anachoreta quidam nomine *Ioseph* suppeditare monuit. Nunc S. Pater dic mihi, quia è longinquis partibus venio, vbi est iuuenis iste, vt illi materna patefaciam mandata. *Annuit Anachoreta, & die sequenti se famulo locum, in quo* DANIEL *commorabatur, ostensurum promisit. Per totius noctis excursum nec orare, nec accubare desiit diabolus in forma famuli,* Iosephum, *donec elucescente die seruus Dei famulo comitante ad oratorium* DANIELIS *perrexit, & cum illò peruenisset voce magna* Iosephus *vocabat S. Anachoretam iuuenem, cui dixit:* Frustrà DANIEL in deserto tempora teris; frustrà à Domino mercedem spectas; reliquisti enim matrem viduam, sororem virginem, & domum opulentam in mœrore, & lachrymis, quibus Dominus quasi constrictus, prorsùs tuam respuit orationem. Ergo vt Deo seruias, desere huius loci latebras; matri, & sorori succurre; familiæ ministra; & inter pauperes opes tuas lætanter distribue; nam hic mecum est vnus ex famulis parentum tuorum, qui mihi omnia hæc veraciter memorauit. *Quod vt audiuit prudens tyro, protinus diaboli imposturam, quâ* Iosephus *deceptus veuerat, agnouit, cui respondit:* Ecquid Pater Sancte, cùm tanto tempore in eremo vixeris, adhuc antiqui serpentis embolia non agnoscis? Is est, qui te huc adduxit, qui te totâ nocte conturbauit. Nec matris meæ famulum credas, sed cacodæmonem, cuius fallaciis, ab oratione, & Dei obsequio, dum illum comitaris, auerteris. Signa te signo Crucis, & omnia hæc à te verba prolata, commentum, non veritatem esse perpendes. In proprium redi tugurium, &

Diabolus Iosephum fallit.

Iosephus ad Danielem.

Daniel Iosepho diaboli embolium aperit.

& hæc maligni spiritus tentamina respue, ne secundò incautâ facilitate tentêris. *Hu vocibus* Iosephus, *tanquam è somno surgens, diabolicas intellexit artes, & conuersus nouissimo Anachoretæ dixit*: ô Beate DANIEL ad Dominum pro me ora, vt mihi constantiam, ne deinceps eludar, tribuat. *Seruus Dei respondit*: Dominus Noster Iesus Christus peccatis tuis parcat, animam saluet, & à tentatione defendat; & *tunc pro* Iosepho *orauit. Diabolus enim in fictionis persistebat conatu, sed nouus Eremita illum ludibrio habebat*, *qui* Iosephum *ad propria roboratum dimisit, & socium signo crucis fugauit.* *Diabolus illusus discedit.*

TRANSACTIS *postmodùm viginti diebus, ipse malignus spiritus cum alijs eiusdem farinæ laruatis socijs, in similitudinem* Vlianæ *matris, & aliorum famulorum, ad locum eremitorij* DANIELIS *accessit, cui magnis suspirijs, & vlulatibus, vt illius, tanquam matris, misereretur, edixit. Cui S. Anachoreta nec verbum respondit. Tunc iterum Mater, Soror, & familia multiplicatis vocibus, & suspirijs, vt eremum desereret, in propriam domum rediret, quâ pro omnium salute, redemptione, & fauore prospiceret, virum sanctissimum inuitabant; Sed nequaquam ille destitit ab oratione, dæmonum eludens phantasmata: Quo inspecto, diabolus, qui illam prouinciam susceperat, draconis horridi speciem effingens eremitorium ingressus, sancti Viri pedes strictim caudâ circundans, viperino minitabatur ore caput tyronis absorbere. Cuius conatum iterum contemnens Dei seruus, quietus in oratione perstabat. Tum diabolus illusus, magnâ voce contremuit, dicens*: Heu me miserum: defecit in hoc iuuene posse meum: ergo quid faciam, quia à socijs irrideor? *Post hæc Christi miles exurgens, pede caput draconis stringens, ab eo hæc verba, violentiâ oppressionis elicuit*: DANIEL dimitte me, ego pro Christi nomine promitto, & voueo in posterum, me nec in desertum venire, nec alium pro me dimittere donec viuam. *Dei Vir pedem erexit, & illicò illa dæmonum fastidiosa caterua, valido vlulatuum strepitu, eremum, illusa, dimisit, &* B. DANIEL *ad orationem conuersus, gratias humilis & deuotus, pro tanto beneficij recepti fauore, Domino reddidit.* *Secundò S. Virum tentare aggreditur.* *Vincitur orationis cõstantia.*

TEMPORIBVS *illis in ciuitate* Arelatensi *erat ciuis nomine* Crescentius, *&* Perabastes *coniuges, qui prole orbati, omnia propria vendentes, &* Ierosolymam *contendentes, bonis inter pauperes distributis, ibidem in oratione manserunt. Quotidie* Crescentius *sic ante Domini sepulchrum orabat*: Domine Iesu-Christe Redemptor, & Saluator mundi, bene nosti quanta inter pauperes distribuerim, vt faciliùs cœlestis regni fastigia consequar, ita vt ego, & vxor mea in paupertate voluntaria vitam peragimus; illud à te peto, vt mihi aliquas *Reliquias*, quibus læti reuertamur ad propria, concedere digneris. *Hac orationis instantiâ, continuò Dominum interpellabat, donec in medio noctis silentio illi Angelus apparuit in somnis, & dixit*: Surge, & vade Trans-Iordanem, & inuenies quendam Anachoretam nomine DANIELEM, qui tecum in *Galliam* ibit, & salutaria te monita docebit; & hæ erunt *Reliquiæ*, quas tibi trado *Eadem ipsâ horâ in desertum Angelus perrexit, &* DANIELI *dixit*: Dominus ait, vt protinus surgas, & Ierosolymam descendas, vbi Peregrinum nomine *Crescentium* inuenies, qui per tres annos ibidem in oratione, & ieiunio quieuit, omnia sua pauperibus distribuens, vir fidelis, & pius, qui in patriam repedare constituit, illum sequere, nam hæc est voluntas Dei. *B. Anachoreta cùm iam per decem & septem annos eremum incoluisset, illam deserens, vt Deo obediret, Ierosolymam gressus direxit, & inuento in itinere* Crescentio, *post aliquos dies* Quilochiam *vrbem* Armeniæ, *& patriam S. Viri conscendentes,* Andream *ex eius familia Virum probum inuenientes, secum per Africam, Italiam, Romam,* Arelatem *vsque perduxerunt, vbi in domo* Crescentij *vitam in ieiunio, & oratione per aliquot annos transigentes, quieuerunt. Ast cùm Agareni totam Regionem Narbonensis Galliæ, &* *Ciuis Arelatensis Ierosolymam profectio* *Cui Deus socium Danielem dedit.* *Arelatum cũ S. Anachoreta reuertitur.*

& Cathalonia caperent, & apud Arelatem *multo tempore consisterent, euenit, quòd è viuis sublato Crescentio*, B. DANIEL *Sarracenis Christi fidem feruidè prædicaret, ita vt plurimos ab errore ad fidem conuerteret. Ast cognitâ per* Theophanium *Præsidem operatione Eremitæ, coram se Dei seruum perducere iussit, à quo eius originem, patriam, statum, & aduentum in Galliam accipiens, illi in posterum Christi fidem Agarenis prædicare interdixit. Tum Dei seruus dixit:* Ego vbique Dei verbum seminare conabor, maximè vbi infidelitatis errores conspexero, vt omnes intelligant, quia Dominus Iesus-Christus, Verus est Deus, & cœli & terræ Creator. *Tum tyrannus dixit:* Quis es diabole? *Cui Beatus:* Ipse tuus est pater, & tu eius es filius, qui eius volnntatem adimples. *Respondit Præses:* Sic liberè loqueris ad Iudicem? Ignorásne, quantâ fruor potentiâ, vt possim te, & socios tuos in ignem immittere? *Dixit* DANIEL: Nec te, nec posse tuum timeo. Ille timendus est, qui omnia de nihilo fecit, & omnia ad nihilum poterit reducere D. N. Iesus Christus, qui mihi auxilium contra tui, & patris tui machinamenta præbebit. *Tum Iudex furore concitus B. Virum in carcerem perduci imperat, & accenso igne, in eum pedibus & manibus ligatum ministri Dei famulum proiecerunt. In eo quippe Martyr ab horâ diei primâ, ad vesperum illæsus iuxta Angelum perseuerauit. Stupebant ministri videntes duos homines inter flammas, cùm tantùm vnum proiecisse cognoscerent. Quod videns Præses, omnia hæc magicis artibus tribuens, illum in* Rhodanum *manibus & pedibus ligatum conyci præcepit, sed Fluminis vnda ab inuicem separatâ S. Agonistæ stratum floridum præpararunt. Post hæc feris obiectus, & ab ipsis seruatus, ferus Præses tandem Martyrem extra vrbem extractum decollari præcepit. Quo facto, inuictus Christi miles spiritum tradidit Creatori* VIII. Kal. Maij, *Anno Domini* DCCC. LXXXVIII. *ætatis suæ* XXXII. *cum dimidio, regnante in Cathalonia* Guifredo *cognomento* Piloso. *S. Martyris Corpus pannis limpidissimis inuolutum suscipientes Andreas eius Discipulus, & Parascebes vxor Crescenty, in illius domo honorificè collocarunt, vbi plurima est Deus per martyris merita, ægrotis impartitus miracula, donec iniqui hominis inuidiâ Præses, quæ euenerant accipiens, corpus in mare proycere destinauit; sed cognito per* Andream, *&* Parascebem *Præsidis proposito, occultè sacra lipsana in* Hispaniam *deferentes, & in* Tenebricosam-Vallem *accedentes, non procul ab Vrbe* Gerunda, *in loco, irriguo fonte, ad instar antiqui deserti Palæstinæ, draite, die I. Septembris, illa decentissimè sepeliêre. Post vndecim annos S. Matrona* Parascebes *diem clausit extremum, cuius corpus Andreas circa S. Martyris pignora tumulauit. Qui reuersus in Armeniam, & Ierosolymam, omnia vitæ Acta* S. DANIELIS *Anachoretis eremi memorauit, qui audientes illa, dicebant: Benedictus sit Deus Omnipotens Pater, Filius, & Spiritus-Sanctus, Amen.*

Sarraceni totam Galliam Narbonensem occupant.

Capitur ob fidem S. Daniel.

In ignem conyicitur, & liberatur.

Et in Rhodanum, & euasit.

Et feris, quæ nihil faciunt.

Coronatur.

Corpus in Hispaniam transfertur.

Hactenus ACTA ab *Andrea* conscripta, & à *Domenec* recensita. Nonnulla in eius ecphrasi veniunt explicanda, quæ licet ab ipso *Vincentio* recollecta, non tamen examinata fuêre.

Michael Imperator quo anno imperiũ suscepit.

I. erit, circa tempus quo *Michael* huius nominis III. *Constantinopolitani* imperij habenas suscepit. De hoc omnes Scriptores conueniunt sceptrum *Michaëlem* III. arripuisse *Anno Domini* DCCC. XLII. vt notauit Baron. *Annal. Eccles. tom. 9. Ann.* 842. & ferè omnes Chronologi. Sicque Anno DCCC. LV. Christi, & XIV. imperij *Michaëlis*, natus fuit DANIEL Anachoreta Noster, & Martyr; nam demptis ab *Anno* 888. quo martyrium compleuit, XXXI *cum dimidio*, quos vixit, natiuitatis annus noscitur 855.

S. Ignatij Constantinopolitani Patriarchæ exilium Photij Conciliabulum.

II. de *Photij* in *S. Ignatium* Constantinopolitanum Patriarcham inuidiâ, *Concilyque* congregatione, quo *Nicolaum* Papam damnauit, videndus idem Baron. *tom.* 10. *Ann.* 859. & alibi maximè *Ann.* 867. vbi hæc formalia verba: Photius *verò versutus multa aduersus* Nicolaum *Papam dolosè scribens, cùm nihil aliud aduersus eum efficere posset, persuadet* Michaëli *Imperatori multis rationibus* Synodum *congregare,*

&

& Nicolaum *damnare, atque omnes, qui cum illo communicarent, vt hoc pacto pro ea damnatione, quam* Nicolaus *aduersùs eum miserat, vices redderet. Congregatis igitur, generosus ille* Photius, *omnibus suis Episcopis, & quibusdam alijs sordidis homuncionibus, & turpibus, necnon quasi Legatis quibusdam Patriarcharum Orientalium in medium adductis, & facta pseudosynodo,* Nicolaum Papam, *nulla ratione, anathemate (vt ipse putabat) damnauit.* Hoc euênit *Anno Christi DCCC.LXVII.* quo S. DANIEL *duodecimum* agebat. Cætera in Actis relata fidem accipiunt ex Scriptoris Discipuli antiquitate.

MONASTERIVM S. DANIELIS. Situm in *Valle-Tenebricosâ*, quâ post sacrorum pignorum reuelationem, propè *Gerundam* extructum apparet, vt ipse P. Domenec *fol. 35. col. 4.* refert. Eius ascetæ Sanctimoniales sunt ex Ordine Benedictino, quæ festum S. Martyris hoc die propter agonem, & die I. Septembris propter Translationem honorificâ perficiunt pompâ. *Topographia.*

SEPTIMO KAL. MAII.

DIES XXV.

A. S. HERMOGENES *Discipulus* S. Iacobi *Apostoli Hispaniæ, qui cùm Magistri Corpus* Iriam *vsque* Flauiam *esset comitatus, & per Hispaniæ oras Euangelium disseminasset,* Siracusas *conscendit, ibidémque cum alijs martyrij coronam impleuit.*

B. Antiochiæ *natalis* S. AGATOPÆI *Martyris Augusti Liberti, & apud* Gallæciam *Hispaniæ degentis, qui à* B. IACOBO *Zebedæi filio, & Hispaniarum Apostolo conuersus, baptizatus, & Diaconus factus, in* Antiochiam *deuenit, & à* S. Ignatio *honorificè susceptus, demum gloriosâ martyrij laude in cœlum coronatus ascendit.*

NOTÆ.

SANCTVS HERMOGENES Martyr.] De S. *Hermogene* Martyre apud *Siracusas* memoria est in Martyrolog. Rom. cum *Euodio*, & *Callixto* sociis, cùm eorũ agonem in hæc verba recenseat: *Siracusis Sanctorum Martyrum Euody*, HERMOGENIS, *& Callixti.* Quorum commemorationem sequuntur alij recentiores, vt inquit Baron. *in Not. lit. C.* Martyrol. Hispan. *P. Hieronyms Roman de la Higuera* MS. sic: *En Zargoza de Sicilia* S. Hermogenes *Martir, Dicipulo de Santiago, que acompañò su cuerpo à España, y despues de auier alli predicado pasò à Sicilia, y padecio con otros martyrio.* Latinè, sic: *Apud Cæsaraugustam Siciliæ* S. Hermogenis *Martyris, B. Iacobi Discipuli, qui ipsius corpus in Hispaniam est comitatus, & postquam ibidem officio prædicationis est functus, Siciliam adiuit, vbi cum alijs martyrium compleuit.* Omnia isthæc desumpsit ex *Heleca* Episcopo Cæsaraugustano *in Addit. ad S. M. Maxim. fol. 224.* Qui postquam de *S. Iacobo* verba fecisset, prosequitur: *Quem S. Apostolum morientem Hierosolymis viderunt* HERMOGENES, *& Philetus, & cum alijs discipulis comitati sunt eius corpus in Naui ad Hispaniam, & post eius appulsum* Iriam-Flauiam, *Gallaciæ ciuitatem*, HERMOGENES *ad Italiam se contulit,* A. *Martyrologia.*

Ferrarij, & Caietani error. & in persecutione Neronis, Syracusis prædicans, cum alijs occisus est. Abhinc à Philipp. Ferrar. *in Catal. SS. Ital. h.d. fol.* 214. & ab Octauio Caietan. *in Idea SS. Sicil. in Indice Chronolog. Ann.* 304. *fol.* 73. cauendum est, qui nullius auctoritate freti, istorum Martyrum agonem in *Diocletiani* persecutionem reiiciunt, sola coniectatione suffulti.

Quid de Hermogene sentiat Baronius? Nec minùs ab Eminentissimi Cardinalis Baronij credulitate est diffugiendum, qui in Annal. Ecclesiast. *tom.* 1. *Ann.* 59. *n.* 20. suspicatur Nostrum *Hermogenem*, & IACOBI Discipulum, à fide deuiasse. De quo aliqua dixi supra *die XXVIII. Martij*, cùm de *Phileto* eius *Hermogenis* discipulo egi. At, vt agnoscas Purpurati coniectationem, absque vllo soliditatis nixu prolatam, illud te animaduertendum censui, quòd Cardinalis in eo stat, nempe Paulum *in 2. ad Timotheum Epistola cap.* 1. locutum fuisse de hisce *Phileto*, & *Hermogene*, quos à fide deuiasse fatetur, inquiens: *Scis hoc quod auersi sunt à me omnes qui in Asia sunt, ex quibus est* Philegus, & Hermogenes. Quis ergo ex hisce verbis Apostoli similem coniecturam coagulauit? Nullus quem viderim ex Expositoribus huius Epistolæ tale quid expressit.

Quid S. Ambrosius? *S. Ambros.* in eius expositione fatetur, *Phyllegum* (sic legendum) & *Hermogenem*, de quibus Apostolus, fraudulenter Romæ adhæsisse Paulo, vt discerent eius mysteria, vt materiam calumniandi haberent, qui cùm se manifestatos conspicerent, abierunt. Hanc *B. Ambrosij* expositionem sequitur *Dionys. Carthus.* in ipsa eadem epistola. Cornel. à Lapide *fol.* 783. *col.* 1. *vers.* 15. ex Tertulliano de *Resurrect. Carn.*

Quid cæteri Expositores ad Epist. Paul. *cap.* 25. asserit *Hermogenem* fuisse quendam hæreticum negantem *carnis resurrectionem*. Cosmas Magallan. *de Eccles. Principat. ad Epist. Paul. vers.* 15. *num.* 2. *fol.* 65. refert ex Tertullian. *de Præscript.* hunc *Hermogenem* fuisse professione Philosophum Stoicum, & hæreticum euasisse. Salmeron *tom.* 3. *in Epist. Paul. Disputat.* 2. *fol.* 238. contendit hosce *Phyllegum*, & *Hermogenem* à Paulo auersos, fuisse Iudæos, qui (ex Dorotheo in Synopsi) Primus Ephesinus, secundus Megarensium Episcopi fuère. Quod & notauit Scholiast. *ad Homil.* 3. *S. Ioannis Chrysostomi super hanc Epistol. Pauli.* Benedictus Iustinianus *in Explanat. ad relat. Epistol. fol.* 530. *vers.* 15. referens (tacito nomine) *Baronij* opinionem de Discipulis Iacobi, & aliam Simeonis Metaphrastis, vbi *Phigellum* à Petro Apostolo Ephesinæ Ecclesiæ fuisse præfectum Episcopum narratur, concludit: *Sed hæc incredibilia videntur, cùm nullâ firmâ ratione nitantur.* En quâ nititur *Baronij* credulitas. Quinimo nulla authentica à *Baronio* profertur scriptura, qua appareat *Hermogenem*, & *Philetum*, IACOBI Discipulos, post data nomina Christo, alicubi ab eo defecisse. Si hoc nec manifestare potuit Cardinalis sedulitas; à quo hæc desumpsit? à quibus fuxit? Ergo istis ineptiis despectis ad Nostrorum Martyrum Acta descendamus, illa ex Breuiariis *Compostellano* 1468. Burgensi MS. & edito Anno 1486. & aliis quamplurimis, & ex *Heleca* Cæsaraugustano assuere ratio institutionis expostulat, vt à Nostris Scriptoribus non deuiemus.

ACTA S. HERMOGENIS DISCIPVLI B. IACOBI Zebedæi, apud Syracusas Martyris, cum Socijs; Ex Breuiarys peruetustis Hispaniæ, & Heleca Episcopo Cæsaraugustano.

Ex Breuiar. Hisp. HERMOGENES *natione (vt creditur) Græcus, apud Ierosolymam diuagabatur magus, dum* B. IACOBVS *Zebedæi filius* Hispanias *lustraret, vbi Iudæam repetens, assiduè verbo Dei operam dabat. Cuius Apostoli aduentum vt cognouit* Hermogenes, *misit ad eum* Philetum *discipulum, qui*

Lectio III. Compostellani. *Christi diuinitatem euertere conaretur. Quem cùm & Scripturæ testimonijs, & editis miraculis Apostolus confutasset*, Philetus *veræ fidei amplexus est sacramenta, & iam Apostoli Discipulus, ad* Hermogenem *rediens, fidei veritatem apud illum commendabat.* Hermogenes *ergo ira percitus,*

Lectio IV. *magicis* Philetum *artibus vinxit, exprobrans illi, & Christi fidem, &* IACOBI *debilem potestatem, qui soluere illum non posset. Quo cognito per*

Phileti

Phileti *puerum*, IACOBVS *misit ad* Philetum *suum sudarium, cuius contactu solutus est, & ad Apostolum accedens illi hæsit. At* Hermogenes *dæmonum artibus adhuc fidens, illis imperauit, vt Apostolum, &* Philetum *ad se vinctos trahant. Sed dæmones magnis clamoribus in aëre vlulabant, dicentes:* Iacobe Apostole Dei miserere nostri. *Quibus Apostolus subintulit:* Vt quid venistis ad me? *Cui respondentes,* Hermogenem *illos, vt seipsum, simul cum* Phileto *vinctos adducerent, misisse dixerunt; Sed mox vt ad te venimus, Angelus Dei nos catenis igneis irretiuit. Quibus Apostolus præcepit, vt* Hermogenem *vinctum ad se adducerent, nihil ei nocentes.* Hermogenes *ergo ad Apostolum adductus, Apostoli prædicatione ad fidem conuersus, baculum illius, vt tutus à dæmonibus esset, accepit; adportatique ad Apostolum magicarum artium libri, illius iussu in mare demersi sunt.* Hermogenes *verò ipse ita verè Christo adhæsit, vt multas virtutes per illum Dominus postea operaretur. Sed cùm indesinenter Christum Apostolus prædicaret; & videntes Iudæi, quia hunc magum quem inuictum putabant, ita conuertisset Apostolus, & omnes simul discipulos, & amicos eius, Iesu Christo per* Iacobum *credidisse, ad internecionem Apostoli deuenerunt, & offerentes pecunias Centurionibus duobus, qui præerant Ierosolymis tenuerunt eum, & miserunt in custodiam, donec gladio percussus est. Quem Sanctum Apostolum morientem Ierosolymis viderunt* Hermogenes, *&* Philetus, *& cum alijs discipulis comitati sunt eius corpus in Naui ad* Hispaniam, *& post eius appulsum* Iriam-Flauiam, *Gallaciæ Ciuitatem,* Hermogenes *ad Italiam se contulit, & in persecutione Neronis Syracusis prædicans, cum SS. Euodio, & Callixto die* XXV. Aprilis pro *Christi fide occisus est.*

Lectio V.
Lectio VI.
Lectio I. Diei III. infra Octauam S. Iacobi in Breuiar. Burgensi.
Ex Heleca.
Ex M. Rom.

Huius de HERMOGENIS conuersione (quam ex *Abdia* Babyloniæ Episcopo desumpsêre Hispaniæ Breuiaria vetustiora) sic opinio apud Ecclesias Hispaniæ recepta fuit, vt nulla in Officiis diuinis discrepante, ab ea recedere visa sit. Imò & Ecclesia Catholica in nouo Breuiario à S. D. N. Vrbano VIII. Pont. Max. recognito, istius conuersionem Martyris affirmatiuè describit, sic: *Deinde Ierosolymam reuersus* (Apostolus) *cùm inter alios* Hermogenem *magum fidei veritate imbuisset.* Ex quo canonizata remanet *Abdiæ* ecphrasis, & Nostrorum Breuiariorum peruetusta confessio.

Nunc, Lector veritatis amice, vt scias quàm diuersi fuerint Nostri Martyres *Philetus*, & *Hermogenes* B. IACOBI NOSTRI, Discipuli, à *Phygello*, & *Hermogene*, qui à *Paulo* auersati sunt, & quos calamus confundit *Baronij*, sequentes ausculta discrepantias. I. quia in nomine *Phileti* non conueniunt, nam Noster, *Philetus*; deuius à fide, *Phygellus*; ex melioris notæ tam Græcis, Syriacis, & Latinis exemplaribus, vt videre est apud Scholiastem *S. Ioannis Chrysostomi hom. 3. in hanc Epistolam.* II. Quia vt ex *D. Ambrosio* retulimus, illi qui à *Pauli* conuersatione recessêrunt Romæ degebant, vt ex ipsa Epistolæ periodo, & obseruant ibi Expositores, innuitur. At Nostri Martyres neutiquam Romam conscenderunt. Nam Ierosolymis conuersi, illicò, per martyrium IACOBO Magistro sublato, cum Apostoli sacratissimo Corpore Hispanias adierunt. Quo sepulto, *Philetus* Hispanias prædicando peragrauit, donec *Carthagine Veteri* pro fide tentus martyrium consummauit. *Hermogenes* verò in *Siciliam* se conferens, *Syracusis* agonem compleuit. III. Nam vt ex ipso Ambrosio liquet, *Phygellus*, & *Hermogenes*, quos recenset Paulus, nullibi fidem Christi acceperant, nec illi nomina dederant, quia cùm fraudulenter adhæsissent Apostolo, vt discerent eius mysteria, vt calumniarentur, necessariò fatendum est, ipsos nullibi Christi nomen accepisse. Quod ab Nostris *Phileto* & *Hermogene* abest, quia iam IACOBI Discipuli effecti, & vt inquit Ecclesia, fidei veritate imbuti, nullo modo ad Paulum accessisse credendum est animo, sine fide, calumniandi. IV. Quia si Dorotheo *in Synopsi*, credimus, illi *Phygellus*, & *Hermogenes*, primus fuit Episcopus *Ephesinus*, secundus *Megarensium*. At Nostri *Philetus*, & *Hermogenes* neutiquam ad Episcopatus infulas peruenêre. Ex quibus vtriusque discrepantiam adnotabis, & à *Baronij* credulitate diffugies.

Quot sint discrepantiæ inter Hermogenẽ discipulum Iacobi, & illum qui à fide discessit.
I. in Nomine.
II. in existentia Romæ.
III. in fide.
IV. in infula.

Scriptores. *Hermogenis*, & *Phileti* conuersionem à IACOBO Nostro factam post Hispaniæ discessum, & ad vrbem Ierosolymam accessum referunt Vega *in flor. SS: fol.* 317. Millan. *fol.* 243. Sanctorus *tom.* 2. *fol.* 130. Legendaria omnia tàm Latina, quàm Hispana. Claud. de Rota *in Legend. SS. fol.* 63. Bellouacensis *in Speculo*. S. Antonin. 1. *p. Chron. tit.* 6. *c.* 7. D. Maurus Castella *Hist. S. Iacob. lib.* 1. *c.* 24. *fol.* 85. & ferè omnes qui de S. IACOBO scripsêre. In Antiquo Breuiar. Eborens. apud Aldrete *in Antiq. Hisp. lib.* 2. *c.* 12. refertur *Hermogenis* discipulatus.

SYRACVSÆ. Ciuitas est Episcopalis antiquissima *Siciliæ*, & Insulæ totius amplissima, ex Quatuor Vrbibus constans, & gemino portu prædita, Olim populosissima. Hodie SIRAGOSA.

B. S. AGATOPÆVS, Martyr.] Eius meminit Martyrologium Romanum h. d. *Martyrolog. Rom.* hisce verbis: *Ibidem* (Antiochiæ) *SS. Philonis, & Agathopodis.* Quo loco *Baronius* illos ex Syria Romam comitatos esse *S. Ignatium* Episcopum Antiochenum, eiúsque reliquias Antiochiam retulisse fatetur. De ipsis etiam agit Annal. Eccles. *tom.* 2. *Ann.* 103. *n.* 8. Quòd origine *Hispanus* fuerit AGATOPÆVS locus est singu- *Hispanus origine.* laris Iuliani Petri *in Aduers.* 406. *fol.* 90. sic dicentis: S. IACOBVS *dum prædicat in Gallæcia conuertit Virum Principem illius Prouinciæ* Agathopœum. Et *Aduers.* 410. *fol.* 92. prosequitur: *Et venit* AGATHOPOEVS *Augusti Libertus apprimè Vir Potens, cum filiabus, qui simul conuersi sunt ad fidem, passi in diuersis terrarum locis. Ille Antiochiæ; Altera verò Argentorati; Altera verò Anagniæ. Extat elegans inscriptio de ijs.* Ex quibus verbis liquidò constat *Agathopæum*, siue *Agathopum*, aut *Agathopodem* (sic trifariè legitur) & *Gallæcum* fuisse, Augustíque libertum, & à IACOBO Nostro apud *Gallæciam* conuersum, *Antiochiæ*que passum. Iterum ex dicta clausula elicitur huius Martyris filias, ab ipso Apostolo, cum Patre, conuersas; Alteram *Anagniæ* *Quot filiæ Agatopæo, & quæ?* in Italia; Alteram *Argentorati* in Germania passas. Sed quæ sint istæ filiæ perquires? En ex Inscriptione à *Iuliano* relata deprehendes, quam Ianus Gruterus *fol.* 598 *num.* 6. excripsit.

AGATHOPVS AVGG. LIB. INVITATOR.
ET IVNIA EPICTESIS.
AVRELIÆ EPICTESI.
ET AVRELIÆ IRENE
FILIABVS SVIS DVLCISSIMIS
PARENTES VIVI
FECERVNT.

Anagniensis Aurelia, quæ? Argentoratensis, quæ? Vtramque AVRELIAM vocatam fuisse, ipsamet inscriptio manifestat. De Anagniensi *Aurelia* agit Martyrolog. Roman. die XXV. Septembris. De Argentoratensi die XV. Octobris, licèt vtrobique solo titulo Virginum, absque martyrij palma; de quo Nos suis locis dicemus. Ad Patrem reuertor. Ergo P. Biuar. *in Not. ad Dextr. Ann.* 70. *Com.* 2. *n.* 3. *fol.* 162. illa qua præditus fuit eruditione, excogitauit subtilem profectò ponderationem, circa intelligentiam verborum *Dextri*, vbi agens *Flauius* de *C. Oppio Centurione Hispano*, asserit huiusmodi *Centurionem* comitatum esse *Romam vsque Ignatium.* At cùm in Epistolis ipsius Ignatij, in quibus de comitibus mentionem fecit, sub silentio sit nomen *C. Oppij*, vt *Dextri* verba firma- *Subtilis error Biuarij.* ret, prosequitur: *Aliquando* (Ignatius) *meminit* C. Oppij, *qui eum comitabatur sub nomine* Oppij., *& nonnunquam sub vtroque nomine* Caij, *&* Oppij; *quod animaduertere velim eos, qui hactenus in Epistolis S. Ignatij* AGATHOPIVM *esse nomen simplex cuiusdam socy illius, autumarunt, cùm tamen compositum sit, & idem atque* BONVS OPPIVS, *nam* Ἀγαθὸς *bonum sonat.* Quis non videt subtilitatem, imò futilitatem Biuarij? Fortè AGATHOPIVS (de quo Ignatius) in Ecclesiasticis Scripturis reticetur, ex eo quod de *C. Oppio* loquantur Scriptores? Aut de istius obliuiscuntur memoria, *Conuincitur I.* cum de AGATHOPIO conscribunt? Nullo me hercle modo. Vterque separatim in Albo Sanctorum agnoscitur, *C. Oppius* XXVII. die Septembris. AGATHOPIVS hoc ipso die. En discrepantia. Item idem Ignatius *Epist.* 9. *ad Philadelphienses*, vtrosque separat, sic: *De Philone verò Diacono, Viro Religioso à Cilicia, qui nunc mihi ministrat in verbo Domini, vnà cum* CAIO, *&* AGATHOPIO, *Viro multùm electo, qui à Syria me sequitur.* in *Epist.* 10. *ad Smyrnenses*, iterum illos diuidit, sic: *Philoni*, *&*

& Caio, *&* Agathopio, *qui me sequuntur in verbo Dei.* Hasce *Ignatij* clausulas subuertit *Biuarius* addens inter *Caium*, & *Agathopum* verbum qvi, & in vtraque clausula reponit: *Vnà cum* Caio, Qvi *&* Agathopio. Qua emendatione contendit suam probare argutiam, & Caivm, atque Agathopivm vnicum facere Socium, cùm reuera sint duo diuersi. Vltimò, vt argumentum de diuersitate dierum, quibus ab Ecclesia coluntur, subterfugeret, crassè in hæc verba prorumpit: *Conuincitur II.* *Ex ignoratione huius* Caij Agathopij, *accidit, vt sciolus aliquis Romano Martyrologio addiderit die XXV. Aprilis, festum* Philonis, *&* Agathopidis *Diaconorum, cùm tamen sub nomine* Caij *adscriptus sit XXVII. Septembris, & neque in Beda, neque in Adone, Vsuardóve, neque in Græcorum Menologio, & nullibi nisi in* D. Ignatij *Epistolis eorum mentio fiat.* Quis in tanto Viro hæc dicteria credat? Ecce, eruditissime Pater, post *Ignatium*, Nostrum *Iulianum* de S. Agathopio loquentem, qui, cum Romano Martyrologio, passum apud *Antiochiam* fatetur. En *S. Caium* apud Mediolanum in pace quiescentem, vt tu fateris. Ille Martyris triumpho. Iste Confessoris elogio. Quo ergo subtilitatis commento, tot innumera fundamenta subuertentur? Absit à Viro docto obstinatio.

Sed si hæc dixisse Iulianum in Aduersariis contendat Biuarius, quia Codices minùs correpti sunt; eadem scripsisse in *Chronic. numer.* 14. liquet; vbi agens de *S. Claudia Luparia* Nostri Sancti secunda vxore, prosequitur: *Noia oppidum fuit Claudia Luparia, vxoris* Agathopi. Quod & dixerat *d. Aduers. numer.* 410. & Nos supra *die XXII. Februarij tom.* 1. *fol.* 204. Quibus sic prælibatis ad Acta huius Sanctissimi Martyris deueniamus, quæ ex ipso Iuliano, & aliis collegimus Scriptoribus.

ACTA S. AGATHOPI MARTYRIS Antiocheni, & Diaconi; ex Iuliano, & aliis Scriptoribus.

Agathopvs *genere* Hispanus, *origine* Gallæcus, *Augusti Cæsaris Romani Imperatoris* Libertus, *apud* Irienses *Vir moribus probus, diuitijs potens, & ministerijs publicis Princeps, qui cùm Romæ adhuc ethnicus esset, & Augusto patrono, & Domino fidelis libertus humiliter subministrasset obsequia, ab eo sic charus, & familiaris est habitus, vt breui ad ciuium Romanorum fastigium munificentiâ Principis deueniret. Hac equidem Augustalis fauoris auctoritate suffultus,* Iuniam Epictesin *nomine nobilem Romanam fœminam duxit vxorem, è quâ duas* Aureliam Epictesin, *&* Aureliam Irenem *filias suscepit, quibus, more Gentilitio, Romæ celebre sepulturæ monumentum, in quo earum corpora condita post fata quiescerent, de futura gloria Virginum ignarus, extruxit. Igitur* Iuniâ *vxore defunctâ, & Principum Romanorum subsequentium (vt frequens in Aula lues) contemptu desperatus, Procerúmque animaduersione deiectus,* Gallæciam *natiuum solum remeare constituit, non tantùm ex voto, quantùm ex necessitate, quia difficilè intra præteritam domum quiescit ambitio despecta, ante conspectum alterius suum locum in fortunæ rota feliciùs occupantis. In Patriam etenim cum filiabus* Agathopvs *humanæ auræ vanitatis expers remeauit, vbi rei familiaris curæ vacans, facilè prouinciæ inter Proceres primus, & inter diuites opulentissimus adnumeratus, totius regionis ambitum sub suo nutu regebat. Erat siquidem tunc temporis apud* Iriam *cognomento* Flauiam *Gallæciæ opulentissimam vrbem, vidua quædam cui nomen* Luparia *ex vetustissimis Principib, & illius regionis Toparchis oriunda, quæ cùm multæ esset familiæ, & amplissimi fundi possessor, & domina, filiam* Claudiam Lupariam *nomine, virginem iam nubilem, in propria domo tenebat, quam* Agathopo *in matrimonium coniunxit, illi dotis nomine Oppidum* Noia, *& duos portus in mari tradens, vt opulentiùs matrimonij onera, & auctoritatis munera sustineret. His sic peractis,*

Origo.

Augusto charus.

Vxorem duxit.

Patriam repedat.

Secundò nupsit.

Ad fidem conuertitur.

IACOBVS *Zebedæi filius, & Chriſti Apoſtolus*, in Hiſpanias *Deo annuente deuenit, totáſque* Iberiæ *de mari ad mare regiones decurrens*, Gallæciam *luſtrauit, ſed à* Luparia Irienſi *Regula, ab vrbis, & dominij terminis amandatus*, Noiam, *vbi cum vxore, & filiabus primi matrimonij commorabatur* AGATHOPVS, *Oppidum accedens, ipſum & filias ad Chriſti fidem conuertens, de ſalute ſpirituali ſocrûs, & vxoris, tunc fidem refutantium, diuinitus præſagiuit. Poſthac in Chriſti pietate permanens*, Accim *in* Bœtica, *quâ plurima poſſidebat dominia, cum vxore* Claudia, *& filiabus deueniens, illius eſt vrbis Senator renuntiatus, cuius honor aliquantulùm licèt nobilitaret Virum, tamen, cùm* Lupariæ *vxoris in Gentilium ritibus proteruiam haudquaquam ſuperare quiuiſſet, ab illa cum filiabus Chriſtianis diſcedens* Syriam *transfretauit, vbi* Ignatio *Antiocheni vrbis Sanctiſſimo Epiſcopo feliciter adhærens, illius fuit ad vſque martyrij lauream indiuiduus factus ſectator, & ſocius, vt ipſe* S.Ignatius *in eius Epiſtolis honorifico teſtatur elogio. Talis ergo fuit* AGATHOPI *fides; talis prudentia, talis virtutum apex, vt ab* Ignatio *Diaconi Antiocheni Eccleſiæ munus, poſthabitis plurimis, promereret, cuius, & aliorum conſilio Diſcipulorum, tàm in opere prædicationis, quàm in labore itineris, quando Romam delatus in vinculis, omnibus pro fide Præſulibus patientiæ ſe præbuit exemplar, vtebatur in verbo Domini. In huius enim Deiferi* Ignatij *Antiochiâ Romam captiuitate, vnus* AGATHOPVS *cum filiabus, & cæteris fidelibus, quorum in Epiſtolis mentio eſt, S.Epiſcopum eſt comitatus, donec eo per martyrium ſublato, ipſe cum ſocijs itineris, & alijs Chriſticolis oſſa Sanctiſſimi Præſulis, & Martyris à feris voracibus in amphitheatro relicta ſuſtulit, & honorificè compoſita, illa reuerenter in loco inſigni extra vrbem depoſuit, quæ ſub noctis ſilentioſâ periodo cumulata ad Antiochenam vrbem* (*relictis Romæ filiabus*) *feliciter reportauit, & in cæmeterio ad Portam Daphniticam Ciuitatis honorificè collocauit. Poſtmodùm à filiarum onere liber, & à Sancti Præſulis conſortio alienus, ſic martyrij agonem ardebat, ſic pro Chriſti nomine tormenta experiri ex intimis viſceribus percupiebat, vt deſpectâ Romanorum Principum perſecutionis procellâ, tunc temporis Syriæ & Orientis vrbes graſſantis, liberè per totius regionis ambitus, ciuitates, oppida, & vicos, Chriſti Euangelium intrepidus prædicabat. Sed demùm à Gentilibus tentus, & carceri mancipatus, vnà cum* Philone *Tarſentis Eccleſiæ Diacono, Traiano iubente apud* Antiochiam, *diù deſideratam martyrij palmam feliciter reportauit* VII. Kalend. Maij *Anno Domini* C. III.

Syriā proficiſcitur.

Ignatio adhæret, à quo fit Diaconus.

S.Præſulem Romam comitatur cuius oſſa Antiochiam reportat.

Patitur.

Actorum probatio remiſſiuè.

Hæc ſunt quæ potius ACTA colligere; quorum ecphraſis probationem ſi deſideras, prolegomena ſuperiùs præſcripta perlege, vbi originem S.Martyris; primum coniugium cum *Iunia Epicteſi*, è quâ *Aureliam Epicteſin*, & *Aureliam Irenem* filias, aliam *XXV. Septembris* apud *Anagniam*, alteram *XV. Octobris* apud *Argentoratum*, martyrio coronatas, ſuſcepit: ſecundum cum *Claudia Luparia Accitana* filia *Lupariæ Irienſis*: acceſſum in Syriam, vbi *Ignatio* adhæſit cuius fuit indiuiduus comes vſque ad martyrium, poſt quod, eius ſacra oſſa ſuſcepit, & *Antiochiam* reportauit, ad amuſſim probatum in omnibus intueberis.

Diluitur aliquorum coniectatio.

NON me latet, aliquos noſtræ Prouinciæ eruditos Viros crediidiſſe hunc AGATHOPVM eundem vnum fuiſſe, ac illum C. CARPVM AVG. LIB. *Pallantianum*, qui nupſit *Claudiæ Lupi Calenſi*, cuius meminimus ſupra *Tom.1. die XXII. Februar. fol.*212. eo quòd conueniant in conditione, & in coniugio. Sed proculdubio hallucinantur, licèt, vt illi volunt, ſuppleatur cognomen AGATHOPI, ita vt integer ſit: C. CARPVS AGATHOPVS, quia inter illos inſunt inuincibiles diſcrepantiæ. I. Nam noſter duas filias *Aurelias* habuit, vt ex Inſcriptione, & Iuliano colligitur. *Pallantianus* autem nullas, quas recenſeat hiſtoria. II. Nam Noſter à IACOBO Noſtro adhuc viuo, & *Gallæciam* luſtrante cum filiabus conuerſus eſt; aſt *Pallantianus* Chriſto nomen dedit poſt Apoſtoli obitum; vt hymnus, & ecphraſis illo loco relata ſuadent. Ex quibus, & aliis quæ excogitari poſ-

I. Diſcrimē.

II. Diſcrimen.

ſent

ſent, liquidò conſtat hos *Auguſti Libertos* diuerſos fuiſſe, ſicque Portugallenſium traditio, & Scriptores teſtantur.

SEXTO KAL. MAII.

DIES XXVI.

A. Braccaræ *Auguſta in Luſitania* S. PETRVS RATENSIS, *eius vrbis I. Epiſcopus, & Apoſtolus, Diſcipulus* B. Iacobi, *poſt peragratas Hiſpaniæ ferè omnes nominis vrbes, quibus Verbum Dei euangelizauit, tandem apud Oppidum* Rates *eius Diœceſis pro fide valenter occubuit.*

B. S. RAYMVNDVS *Paſtor ad ripam* Anæ *fluuij Oppido* Metellini *in* Luſitania, *opinione Sanctitatis admirabilis, & miraculorum frequentiâ illuſtris, ad verè illam cœleſtem patriam coronaturus Confeſſor aſcendit.*

C. Toleti *celebris eſt feſtiuitas* Tranſlationis S. LEOCADIÆ, *Virginis, & Martyris, ipſius Regiæ Vrbis Ciuis, & Patronæ; Cuius ſacra lipſana ex* Hannonia *Belgij adlata*, Philippo II. *Rege Catholico procurante, ſumptuoſiſſimo & verè Regio apparatu recepta ſunt, & in Patriarchali Baſilica repoſita, vbi honorifico coluntur plauſu, & venerantur honore.*

NOTÆ.

SANCTVS PETRVS RATENSIS Epiſcopus, & Martyr.] Admirabilis, & ſtupenda ſeſe nobis offert de huius Sanctiſſimi Pontificis ecphraſis conuerſione. Quam referunt *Athanaſius* Epiſcopus Cæſarauguſtanus S. IACOBI Noſtri Diſcipulus, vt teſtis ocularis in ſuis fragmentis à *Binario*, *Acuña* & aliis infra citandis, relatis: *Ego noui* (inquit) S. Petrum, *primum Braccarenſem Epiſcopum, quem antiquum* Prophetam *ſuſcitauit* S. IACOBVS *Zebedæi filius, Magiſter meus. Huc venerat cum XII. Tribubus miſſis à Nabuchodonoſor in Hiſpaniam Ieroſolymis, Duce Nabucho-Cerdan, vel Pyrrho, Hiſpanorum Præfecto. Dictus eſt hic Propheta* Samuel Iunior, *vel* Malachias Senior, *propter morum grauitatem, & vultus pulchritudinem*, Vriæ *Prophetæ filius. Factus Epiſcopus multos Iudæorum ad fidem conuertit, dicens ſe veniſſe cum illorum maioribus, & prædicaſſe transmigratis, obijſſe vero XX. Annis, poſt aduentum eorum in Hiſpaniam. Hic Vir Apoſtolicus, acceptis à* S. IACOBO *inſtitutionibus Apoſtolicis, Euangelio, & Ordine Miſſæ, ac celebratione Sacramentorum, venit* Braccaram. *Epiſtolas Apoſtolico plenas ſpiritu ſcripſit ad Eccleſias, in quibus Epiſcopos inſtituit, vt Irienſem, Amphilochenſem, Eminienſem, Portuenſem, vbi* S. Baſileum *condiſcipulum poſuit;* A. Scriptores.

fuit; qui illi per martyrium sublato successit in Sede Braccarensi; Epitatium *in Tudensi. Isti Viri diuini, planéque Apostolici, instar Apostolorum, non in vna semper vrbe morabantur, sed vbi rapiebat illos Spiritus-Sanctus ferebantur; vt* Epitatius, *qui non solùm in* Tudensi *diœcesi, sed in vrbe Lusitaniæ* Ambratia, *prædicauit, qui signis, & varietate linguarum prædicationem illustrabant: nec soli ibant prædicatum, sed multis discipulis comitati, vt fecit Christus, Petrus, Iacobus, & Apostoli cæteri.* Hactenus *Athanasius.* Ferè eadem *Hugo Portuensis*, ex relatione *Caledonij*: his verbis: S. PETRVS *Ciuis* Braccarensis, *qui &* Samuel *dictus, à* S. IACOBO, *Ioannis fratre, Zebedæi filio, suscitatus, in Episcopum Braccarensem consecratus est, & ab eo missus multos ibi eius generis, ex Tribubus dispersis, & Gentiles conuertit. Inde digressus Tyde, Iriæque prædicat, & per totam maritimam oram, ad Promontorium vsque Cynthium, siue Vlysseum. Instituítque ex Discipulis sui Magistri, quos secum adduxerat, Episcopos Portucale, Eminio, Conimbricæ, Vlyssippone, & vltra Nereum Promontorium alios: & ad eius exemplum, non in vna tantum Ciuitate commorabatur, sed zelo fidei, mediterranea citra, & vltra Tagum, populósque sibi commissos ambiens, Egitania, Callentia, Emerita, Ambracia, & in alijs Vettonum, & Lusitanorum, vrbibus, Verbum Dei disseminat, & transacto ad Panonias Durio, in Braccaram Augustam rediit. Quindecim Mensibus, vix ferè elapsis, eius Magister* IACOBVS *ad Cæsaraugustam ædiculam excitarat in honorem Deiparæ Virginis, creatóque ibi Athanasio, discessit, & Braccaram venit, vbi sacrat eidem Dominæ, cum Pio Hispalensi, & Elpidio Toletano Episcopis, & alijs ex primis eius Discipulis, altam ædiculam, in quadam crypta, prope Balnea, iuxta Templum ab Ægyptijs Isidi quondam dicatum; & inde Brigantia nauim transcendens in Brittoniam appulit, relicto Braccaræ* S. PETRO *eius Vicario, & Primario inter alios, quos sacrarat in Hispania Episcopos.* Meus *Aulus Halus* de *Aduent. S.Iacobi vers.66. fol.11.* cecinit.

> *Ergo soluto velo, portu in Carthaginis altæ,*
> *Contiguis populis Christum prædicit* IACVS;
> *Post* Liberitanæ *priscæ vrbis litora lustrat;*
> *Quo antiquum è tumulo soluit, precante, Prophetam,*
> *Quem Primum Pastorem accepit Braccara diues.*

De hac eadem resurrectione agit Iulian. Petr. *Aduers.99. fol.26.* & *Aduers.189. & 190. fol.43.* A quibus ferè omnes recentiores *Lusitaniæ* Scriptores, videlicet P.Vasconcell. *in Descript. Lusitan. fol.436.num.9.* D.Roder. de Acuña, *Histor.Portuens. 1.part. cap.2. fol. 19.* & in *Histor. Braccar. tom.1.cap.7.fol.27.* Eman.Campos *de Translat. Reliquiar. Vlyssippon. fol.99. & 379.* Georg. Cardos. *in Offic. SS.Lusitan. hymn.2. fol.5.* & in *relat. SS. cap.2. fol.15.* F.Ludouic. de Sousa *Histor. S.Dominici Prouinc. Lusitan. lib.6. cap.1.* Gaspar Statius *in Antiquit. Lusitan. cap.57.58. & 59.* F.Bernard. Brito *in Monarch. Lusitan. tom.2.lib.5. cap.3. & 4.* Anton. de Sousa Macedo *in Excellentijs Portugall. lib.1. cap.9. excellent.5. fol.76.* Ego in *Notis ad Aulum Halum vers.69. fol.11.* Præter relatos agunt Moral. *lib.9.cap.8.* D.Maurus Castella *lib.2. cap.10* & quotquot de S. IACOBO scripsere. P.Biuar. *ad Dextr. Ann. 37. Comment.1. num.2. fol.56.* Vbi Roder. Car. Illustriss. Episcopus Turiasonensis *de Primat. Tolet. 1.part. fol.56.* Sandoual *Histor.Tudens. fol.12.* Bermudez de Pedraza *Histor. Granatens. 2 part. cap.1. fol.45. col.2.* Ego in *Vit. S.Epitatij cap.2. à fol.70.& seq.* Eius acta consarcinauit *Acuña*, à quo Latinitate donata excripsimus.

ACTA S. PETRI RATENSIS, B. IACOBI Maioris, Discipuli; Primi Episcopi Braccarensis, & Martyris; à D.Roderico de Acuña ipsius vrbis Archiepiscopo, & alijs.

Hispania prima Occidentis

PRIMA *inter vniuersas Orbis regiones (excepta Palæstina) Euangelij lumen accepit* Hispania, *licèt in vltimo sita mundi angulo, & à Iudæa ita semota*

semota sit, vt ab ea visa fuerit aufugisse; diuinus tamen Sol iustitiæ, qui in remotissima montium culmina sua lucis radios iaculatur, nobis suo in exortu statim lumine affulsit salutari, & æternæ salutis Nuntium IACOBVM *Apostolum*, Ioannis *fratrem*, & Zebedæi *filium*, *ad Nos misit*, *quem* Hispaniæ *delegerat Tutelarem. Est verum illud, non constare liquidò quo tempore in* Hispaniam *S. Apostolus transmeauerit. At probabilior sententia est, illum ad Annum* XXXVII. *Dominicæ Incarnationis*, Hispaniæ *littora tetigisse. In sinu maris ergò vbi* Durius *præterlabitur* Gallæciam *vsque, soluisse Apostolum Nostrorum fama contendit. Ab hinc* Braccaram *tuit* Augustam, *vbi prima Euangelij semina spargens, primos Christianitatis* Hispanicæ *recolligeret fructus. Ergo* Braccaram *adiens Apostolus, vt & tanquam Tonitrui filius intraret, tantum mirabile, & stupendum prodigium perficere constituit, vt eius operum strepitu, cuncti demirarentur ad inuicem. Sic ad antiquum vetustate ferè collapsum, cespitis instar, accessit sepulchrum, vbi ferè per* DC. Annos *iacuerat quidam Propheta, origine Iudæus, qui cum alijs ex Babylonia per Nabuchodonosor expulsis, illuc venerat, vocatus* Malachias *Senior, siue* Samuel *Iunior, filius* Vriæ, *& adstante innumerabili populorum caterua, illum in nomine D.N. Iesu-Christi, cuius doctrinam, & Deitatem prædicaturus aduenerat, cunctis stupentibus, suscitauit. Iam ad viuos reducto mortuo, post aliquot dies, illum sacro lauit baptismatis lauacro, & imponens illi* PETRI *nomen, inter ipsius Discipulos, antiquum Prophetam, & nouum Apostolum aggregauit. Tanto miraculo confusi Iudæi, & stupefacti Gentiles, deinceps* S. IACOBVM *debito prosequebantur honore; ex quo euênit, vt plurimi ad fidem conuerterentur, præcipuè ex Hebræis, quos* PETRVS *iam* Braccarensis *Ecclesiæ Episcopus ordinatus, tali verborum efficaciâ reduxit, tanquam vnus ex suis, vt libenter eius verba, quasi de altero mundo prolata, dispositis amplecterentur agminibus.*

Prouincia fidem suscepit. — *B. Petri Ratensis origo.* — *Suscitatur à B. Iacobo.* — *Fit Episcopus I. Braccarensis.*

SVAM *illicò* S. PETRVS *suscepit prouinciam, & ex Apostoli præscripto, felicissimo prouentu Euangelij culturam inijt, quæ ferentis ex animo procedens, indies fructus vberes pollicebatur. Statim quippè, vt ad Episcopatus apicem peruenit, ad Ecclesias, quas S. Magister, titulo designauerat Præsulatus, Epistolas Apostolico plenas spiritu, scripsit, quarum* Athanasius *catalogum enumerat. Postmodum, vt S. Magistri vicem compleret (illo iam Ierosolymam profecto)* Basileum *condiscipulum in* Portuensi *Sede constituit Episcopum, qui postea (ipso* PETRO *per martyrium sublato, ad* Braccarensem Cathedram, *ordinatus, adscendit: & in* Tudensi *posuit* Epitatium, *quem ex* Ambracia *Vettonum vrbe celebri, ad fidem conuersum secum traxerat, natione Græcum, & ex ipsa Ciuitate oriundum, cui plurimum deferebat, vt ipsius sese monstrauit affectus. Nam per prædicationem* Epitatij *ad fidem conuersis* Tudensibus, *illum in* Ambraciam *ipsius patriam ordinatum dimisit Episcopum, vbi ob Euangelij prædicationem tentus, carceratus & multifariè tortus, demùm à proprijs conciuibus, vnà cum* Basileo *Braccarensi Episcopo die* XXIII. Maij *Anno* LVII. *ad martyrij indeficientem coronam peruenit intrepidus.*

Scribit ad Ecclesias Hispaniæ. — *Constituit Episcopos.* — *SS. Epitatij, & Basilei martyrium.*

CVM *ergo* B. PETRVS *plures Hispanici lustrasset Orbis vrbes, & Dei Verbum, & Magistri iussionem adimpleret sedulus; ad suam se retraxit Ecclesiam, vbi proprias oues salutari pascebat eloquio; nec multum processit temporis, quin totius prouinciæ* Regina PETRI *doctrinæ aures, & animum vltrò aperiens, salutaribus ab eo præceptis instituta, Sacrum Baptismatis fontem ingressa fuerit. Simul Matrem* Filia *est insecuta, quam primò Præsul Sanctissimus à lepra mundatam, & in fide instructam, ipsis Parentibus, populo mirante, tradiderat. Magno igitur animi ardore Virgo Princeps deuota se Deo obtulerat, vt nuptias, & voluptates renuens maritales, se libentissimo castitatis voto, Sponso mancipauerit immortali. Ab his castimoniæ floribus* Braccarensis *ager primas cœpit primitias suo reddere conditori; statímque*

Primaria Gallæciæ fœmina cũ filia Christo nomen dedit.

statimque noua alia Virgines, tàm pudicitia laudibus, quàm Regio sanguine germana, & martyrij tandem gloria insignes, Lusitanam *Christi Ecclesiam intrepidè cohonestauerunt agone. Itaque felix ager iste Sanctissimi Pastoris sui* PETRI *tandem cruore irrigatus, vberrimos cœpit ex se emittere fructus illos, quos* Tertullianus *scripsit, è Martyrum sanguine pullulare.*

ERGO *Braccarensis* Regulus *vxorem, & filiam ex* PETRI *doctrina Christo deuotas cùm videret, agrè quidem id animo patiebatur, verum illud agriori, quod vna dotalis filia, quæ domum iure hæreditario foret adeptura, Doctoris sui monitis, nuptias constanter adeò respueret, vt nec Parentis obediret imperio. Animo igitur incenso, simúlque barbaris flammas itidem excitantibus, ita in* PETRVM *amens excanduit, vt iusserit statim Virum Sanctissimum detruncari, ferens iniquiùs castam filiam, quàm lepra fætidam intueri.*

Regulus aduersus Petrum desæuit.

AD *aures persecutio* Regali *exorta Sanctissimi Præsulis deuenit statim, qui credens suam esse vitam proprijs ouibus necessariam,* Braccaram *deserens,* Ophirinam *perlustrare prouinciam decreuit. Quod vt agnouit perfidus* Regulus, *suis vt* PETRVM *insequerentur præcepit satellitibus. Qui rabido furore inducti* XII. *fermè à* Braccara *Milliaribus ad oppidulum* RATES, *Sanctum inuenientes Præsulem: ibidem martyrio coronarunt,* die XXVI. Aprilis, *Anno Domini* XLV. *Ecclesiam gubernante* S. Petro, *& Romanum Imperium* Caligula, *&* Claudio *Cæsaribus. Eius sacrum* Corpus *ab ipsis interemptoribus in foueam tactum, lapidibúsque obtectum, ne à fidelibus honoraretur, per aliquod temporis, & dierum spatium iacuit, in ipsius martyrij loco; donec Deus, qui Sanctorum suorum ne vllum quidem de minimis capillis perire permittit, Eremita cuidam locum, & thesaurum prouidè reuelauit. Is (adhibito socio) ad locum pergens demonstratum, sacras exuuias corde humili, & lachrymantibus oculis, extrahens, in honoratiorem reposuit, vbi per multa sæcula quieuit; quousque Anno Domini* M. D. LII. *Dom.* Balthasar Limpus, *Archiepiscopus Braccarensis sacra in Cathedralem ipsius vrbis transtulit lipsana die* XVII. *Octobris, & in Capella S. Petri Apostoli honorabiliter collocauit. Vbi Petri vtriusque paritatem hoc curiosi versificatoris expressit epiphonema:*

Comprehēditur.

Coronatur & sepelitur.

Transferūtur sacra pignora.

O quàm sunt similes PETRVS *Pater Orbis, & Vrbis;*
Alter, & Occiduo, qui micat Orbe PETRVS.
Iura Italis Primus statuit cœlestia PETRVS:
Primus, & Hispanis dat sacra iura PETRVS.
Pastor vterque suo fidei documenta reliquit
Rara gregi; Hic Primus, Primus & Ille fuit.
Roma PETRO *felix, felix quoque Braccara* PETRO,
Braccara *nam* PETRO *est, Roma secunda suo.*

De Resurrectione S. Petri Ratensis remissio.

Hactenus Actorum series, in cuius ecphrasi, & præcipuè circa resurrectionem S. PETRI *Ratensis*, nonnulla ab aliquibus opponuntur, quorum argumenta quia soluit *D. Rodericus de Acuña*, & *P. Biuar.* in locis citatis, hîc subiicere non est visum, ne palæstram argutiæ introducere videamur, vbi agonum theatrum inquirimus Martyrum.

De Portu in quo soluit Iacobus Apostolus cautio.

De Portu in quo soluit S. IACOBVS, cùm *Hispanias* inuisit variè inter littorales Nostros disceptatur. Pro *Carthaginis Spartariæ* stat antiquorum recensio, de quo scripsi *in Not. ad Aulum Halum vers. 66. fol. 11.* Ideò ab opinione *D. Roderici de Acuña* cauendum est, quia in Anamnesi relata, suorum *Portucallensium* est insecutus sententiam. Ex hoc enim minimè intendo cuiusuis melius sentientis placitum, aut littoralium iura distrahere, sed vnicuique suum ius liberum esto. Cætera in relatione contenta videsis apud *Acuñam*, & Vasconcellos *d. fol. 436.*

BRACCARA

BRACCARA. De ea pluries in hoc & antecedenti *Tomo* locuti ſumus. Venio ad Oppidum RATES, in quo S. Epiſcopus martyrium pertulit. Hoc fuiſſe in regione *Ophirinâ* Braccarorum ſitum expreſsè fatetur Dext. *in Chron. Ann.* 67. Cuius locum Acuña *Hiſt. Braccar. cap.* 18. *num.* 9. explicans, contendit eſſe hodie hanc regionem, ab oppido FAON ad FEIRAM, vbi Caſtrum FARIÆ, à quo proſapia nobilis. Cætera alibi dicemus.

Rates vbi ſitus?

S. RAYMVNDVS Paſtor Metellinenſis.] Licet iſtius ſancti Paſtoris nulla hucvſque inueniatur memoria in antiquis Martyrologiis, attamen in Noſtrorum Hiſpaniæ Scriptorum ſchedis adhuc apparet de eius virtutum veſtigiis lux, & ſplendor

B.

Memoria apud Hiſpanos.

—Qualis cùm cerula nubes
Solis inardeſcit radijs, longéque refulget.

P. Hieron. Roman de la Higuera *in Martyrolog. MS. Hiſpania* his verbis eius tranſitum recolit. *En* Ciruelos *lugar junto à* Ocaña *el glorioſo Paſtor* Raymundo *natural de* Medellin *en la antigua* Luſitania, *que auiendo ſido muy caritatiuo con los Pobres paſo deſta vida à la eterna acompañado de Angeles, y buenas obras.* Latinè, ſic: *In Oppido* Prunis *iuxta* Olcadem *Carpetania natalis glorioſi Paſtoris* Raymundi, *ex Oppido* Metellini *in* Luſitania *orti, qui in pauperes, cum fuiſſet liberalis, & charitate plenus, ex hac vita ad æternam comitantibus Angelis, & bonis operibus migrauit.* Omnia hæc deſumpſit ex Luitprandi *Chronico*, qui *num.* 316. hæc de Noſtro Paſtore verba recenſet: *In Oppido* Prunis, *vel* Pruſæ, *in Carpetania* Raymundus Metellinenſis, *Paſtor* Luſitanus, *mirus in pauperes, Sanctus floret.* Iulian. Petri *in Chron. num.* 443. diſtinctè locum, & acta recenſet, ſic: *In Oppido* Prunis, Pruſæ, *vel* Cluſæ *in Carpetania* (*nunc* Ciruelos) Raymundus *Paſtor, patria* Metellinenſis, *Luſitanus, & opinione Sanctitatis, & illuſtrium ſignorum clarus habetur; cui erexerunt Ciues Prunitani, in loco Tago proximo Eremitorium. Celebratur ab antiquo tempore eius dies, tertia die Paſchatis Domini.* Idem Luitprand. *Ann.* 900. *num.* 321. cùm de eius tranſitu agit, hæc ſubiicit: Prunis *in Carpetania moritur Sanctus* Raymundus Paſtor, *Vir pius, ſimplex, manſuetus, largiſſimus in pauperes.* Vbi P. Higuera *in Not. fol.* 435. proſequitur: *Anno DCCCC. moritur in Oppido* Prunis *Sanctus Vir* Raymundus, *quem tametſi pauperem, meritis tamen ditiſſimum credo; nec defuiſſe multos Angelos, qui eum comitarentur; & miracula, quæ mortem eius facerent glorioſiorem.* De eo ſcribit *D. Ioann. Solanus* Archipreſbyter Metellinenſis in peculiari tractatu *de SS. ipſius Oppidi cap.* 6. quem MS. iàm typis paratum inuiſi. Ego *in Vit. S. Epitatij cap.* 2. *num.* 15. *fol.* 145. Eius acta temporum complicatione periêre; ex relatis aliqua componenda curaui, ne abſque hoc Symbolo tranſeat tanti *Paſtoris* encomium.

Scriptores.

ACTA S. RAYMVNDI PASTORIS Metellinenſis; ex Luitprando, & Iuliano Petri Toletano, & alijs.

RAYMVNDVS *natus fuit apud* Metellinum, *antiquiſſimam Romanorum Coloniam, à Q. Cæcilio Metello Hiſpania Proconſulo deductam in Vlteriori illius Regionis circulo, quem* Luſitaniam *dixere. Is ad Paſtoris exercitium inductus, gregem per adiacentia* Anæ *fluminis littora paſcebat, & hyemali tempore paſtum pecori quaritabat. Chriſtianam ab incunabulis eſt fidem amplexus, licèt per illa tempora Sarracenorum turba ferè totam* Bæticæ, *&* Luſitaniæ *partem ab Hiſpania excidio, tyrannica oppreſſione dirigeret. Vitam ergo* RAYMVNDVS *ſolitariam inter gregem agebat fidelis, dùm in vrbibus obſcena Machometis figmenta colebat effera Agarenorum ſoboles. Ille pauperibus ſubueniebat liberalis in nemore, cùm in vrbe vix egenorum famem agnoſcebat ſectarius. Eius opinio* Paſtoris *paulatim per circunſtantium oppidorum viciniam, ſic ſe extendit, vt ad collem* Anæ *fluminis incumbentem* (*qui adhuc nomen* Raymundi *vſurpat*) *accederet cateruatim*

Origo.

Exercitiũ.

Profeſſio.

Pietas.

& famelicorum copia, & languentium multitudo, quibus S. Paſtor *implorata* D. N. IESV-CHRISTI *ope, illorum neceßitatibus, iſtorum ſuccurreret languoribus. Demum, aut vt mundi gloriam ſubterfugeret, aut quia Sarracenorum controuerſias euaderet, aut alia conuenienti cauſa, qua adhuc neſcitur, patriam deſerens*, Carpetaniam *adiuit, & ad Oppidum* Prunas *ſiſtens, ibidem antiquum vitæ inſtitutum, & exercity ſtatum continuauit, donec miraculis plenus, & Sanctitatis laude conſpicuus, vitam temporalem cum æterna commutauit, die* XXVI. Aprilis *Anno Domini* DCCCC. *Eius ſacrum Corpus Chriſtiani iuxta ripam fluminis* Tagi *condiderunt, vbi poſtea ſuo Nomini Eremitórium eſt constructum, ad quod ſupplicatione indicta Oppidani confluunt quotannis.*

Patriam relinquit. *Moritur.* *Cultus.*

Diuerſus à Raymundo Abbate Fiteri. Nonnulli confundunt hunc *S. Paſtorem* RAYMVNDVM, cum *B. Raymundo Fiterenſi* Ordinis Ciſtercienſis de quo ſupra egimus *die XV. Martij*, & in *Vita S. Epitatij cap. 2. fol. 146.* vbi inter hos Sanctiſſimos Viros diſcrepantiam in Origine, die tranſitûs, inſtituto, & aliis circunſtantijs; aſſignauimus. Cætera, quæ ad Acta pertinent, iam in exordio huius notæ ex *Luitprando*, & *Iuliano* probauimus.

Religio Catholica apud Metellinum. METELLINVM. De hac magnifica *Colonia* diximus nonnulla *die XX. huius Menſis*, cùm de *S. Theodoro Eremita* egimus. Ibidem eius antiquitatem recenſuimus. Hîc vt conſtet de vetuſta apud illius accolas Chriſtianitate inſcriptionem vetuſtam ſubiiciemus; quæ hodie inuiſitur:

Inſcriptio Gothica.

✠ ☧

VIC::::::::::::::::::::::::
FAMV:::::::EL VIXIT.
ANNOS LXIV. REQVIE-
VIT IN PACE. ME. DIE.
IIX. KAL. DECEM. ERA
DE D. XX.

A. • Ω.

Qui eſt Annus Chriſti CCCC. LXXXII. tempore Regis Theudij Gothorum Arriani. Signata eſt ſigno Catholico, vt poſtremæ litteræ Græcæ manifeſtant.

C. TRANSLATIO S. LEOCADIÆ Virginis & Martyris TOLETANÆ.] Quatuor in tabulis Eccleſiaſticis agnoſco factas fuiſſe de huius Virginis tranſlationes exuuiis, licèt illa quam hoc die conſignat S. E. T. tanquam celebrior ſupremum recipit cultum.

I. Tranſlatio S. Leocadia. Prima TRANSLATIO fuit, tempore lachrymabilis excidij Hiſpanici, quo Toletanus Præſul Vrbanus, & alij Catholici ciues ab vrbe Regia Ouetum tranſtulêre ſacra Sanctorum pignora, de quo eſt mentio apud omnes Hiſpaniæ Scriptores; licèt Luitprandus *in Chron. Ann. 756. num.* 230. hanc Tranſlationem ita recenſeat: *Hoc Anno delatum eſt Corpus* S. LEOCADIÆ V. & M. *Toletanæ Ciuis, & Patronæ*, Ouetum Toleto *per Argericum Abbatem Agalienſem, & Petrum Abbatem S. Leocadiæ, & Andream Muzabem Aben-Lupi Ficulnei filium, & alios Viros Toletanos primores.*

II. Tranſlatio. SECVNDA tranſlatio ex Oueto ad Gallias, ad vrbem Sueſſonum, à qua in Monaſterium S. Medardi delatum per aliquod tempus quieuit, vt refert Iulian. Petri *Aduerſ.* 450. *fol.* 54. vbi hæc verba: *Comes* Bernardus, *aliàs* Milo de Angleres *venit in Hiſpaniam cum filio Abdelardo, cognomento Geneſio Abbate Corbeienſi, & Epiſcopo quondam Lugdunenſi, rectéque Regem* Aldephonſum, *dictum* Caſtum, *adiuuit, ab eóque Comes Andegauenſis N. Comite Geneſio*, Corpus S. Leocadiæ ſuſcepit, *quod tunc erat* Oueti (*hæc Virgo, & Martyr ſub Daciano Præſide Hiſpaniarum Toletana ciuis fuit*) *& in* Galliam *illud detulit ad* Sueſſones, *& rogatu Monachorum Benedictinorum* Sancti Medardi, *in eorum cœnobio reliquit.*
Luitprand.

Luitprand. *in Chron. Ann.* 799. *num.* 264. eadem refert, sic: *Venerunt auxilio Regis* Alphonsi, *cognomento Casti, quidam Duces; Comes Cenomanensis, Anselmus Comes Palatinus, Rolandus frater Abbelardi, cognomine Genesij, & postulauerunt* Corpus S. Leocadiæ *Virginis, & Martyris, Toletanaque Ciuu, Toleto delatum Ouetum; & Rex non potuit vllo modo negare. Delatum est ad vrbem* Suessonum. Et *Ann.* 810. *n.* 272. prosequitur: *Hoc Anno Comes Suessonensis ab* Alphonso *impetrat* Corpus S. Leocadiæ, *deféréque Oueto Suessonem.* De quo videndus P. Higuera *in Not. fol.* 418. D. Thom. Tamayo in illius *Notis fol.* 178. vbi in comprobationem huius assertionis referunt verba Nithardi *lib.* 3. *Histor.*

TERTIA translatio è *S. Medardo* ad *Gislense* cœnobium in *Hannonia*, de quo idem Luitprand. *num.* 264. prosequitur: *Et post centum annos à quodam Comite Montis Henao, in Hannonia,* Suessonibus *ad* Cellense *Monasterium* S. Gisleni *Episcopi & Confessoris,* delatum est. Iulian. Petri in *d. Aduers.* 450. *fol.* 54. itidem Luitprandum insequitur: *Inde Anno Domini DCCCC. I.* (sic est legendum cum Tamayo fol. 177.) *Comite Flandriæ procurante, translatum est* (Corpus S. Leocadiæ) *ad Monasterium* S. Gisleni *in* Cella Hannoniæ, *vbi magno cultu honoratur, & frequentia populorum.* *III. Translatio.*

QVARTA & vltima ex ipso Monasterio in *Toletanam* Ecclesiam *hoc die* Anno Domini M. D. LXXXVII. Cuius ecphrasim Ode Monocola felix Hispaniæ ingenium tunc sic panxit: *IV. Translatio.*

AD REDVCES DIVÆ LEOCADIÆ Virginis, & Martyris Toletanæ Exuuias.

ODE MONOCOLA.

SALVE *Diua potens, victima nobilis*
Vrbis, LEOCADIA, *& grandis honor, tua:*
Quam primam patrias sanguine proprio
Consecrare dedit Cunctipotens Pater
Aras, & reliquas ante puellulas
Casta munditiæ, vix habilem viro
Cælestes thalamos spargere floribus:
Non te carnificum duriloquentia,
Sæuus neque furor iudicis improbi,
Aut plaga indomito robore pertinax
Libares potuit vincere gentium
Cæcis dona Dijs, thura nec Idolis.
Obstas imperijs fortiter impij
Præfecti validis; flectere non valent
Inuictos animos verbera; nec tuum
Pectus mollificant insuperabile
Tortoris rabidi verba minantia,
Quod duros silices flexibili manu
Christi glorificam perpolit in crucem.
Tetris sub specubus trudier eligens
Vinciri in latebris funibus abditis
Gaudes. Antra manent nunc quoque mœnibus
In summis, obitus conscia flebilis

Quem passa es: pia quò turba fidelium
Lætanter properat commeritas preces
Impertire tuis carceribus sacris:
Impressa, & tenero pollice, marmore
In duro cupiens saluifica Cruci.
Hic tu, Diua potens; commiserans necem
Sacratæ Eulaliæ Martyris innubæ,
Quam cernis gladio carnificum mori
Insontem, miseras nec patiens lues,
Pœnas, & gemitus, verbera, vel cædes,
Aut luctus varios, sæuáque genera
Mortis multimodæ, suppliciter petis
Oratio S. Leocadia. *Connexis manibus:* Cunctisator bone
(Cui rerum series ardua subditur,
Et cœli superi quod rota circuit,
Quodque Orbis volucri turbine concutit.
Et quidquid celeris mobilitas rapit,
Reges, Imperia, & iudicia, & gradus,
Pompæ, ac iussa hominum stulta furentium)
Aut tantæ rabiem luxuriæ veta
Gentis Romuleæ, quæ cruciat tuum
Millia Christigenûm, multiplici nece;
Aut tolle hanc animam carnibus à suis:
Et fusô liceat sanguine perfrui
Optatis spolijs, ac Patris hostiam
Victricem fieri. Turbidus armiger
Ferro iam repetat me petulantius.
Huc, huc, Lictor, ades gressibus obuiam
Non tardis: trepidum te furor incitet
Cæcus, quo reliquos Christicolas necas.
Submitto gladijs, & caput, & manus:
(Vltor, iam fateor, languidus haud placet)
Exulta, propera, vota calentia
Imple: morte mihi nil potius citâ.
Hæc mucrone fero traijce viscera,
Sic sponsata Deo transiliam Polos
Cœlorum roseos, altior æthere.
Hæc fata est lachrymans vertice cernuo,
Leocadia obitus. *Auráque in tenues spiritus exilit:*
Sepserunt animam protinus Angeli,
Cúmque hymnis agiles dulcibus euehunt

Ad

Ad Diuos hilarem, tramite lucido.
Longis supplicijs non renuis mori,
Christi ne rutilam desereres fidem.
Quod si vita breuis spernitur, at pudor
Sanctæ perpetuus virginitatis est,
Et cum cælitibus viuere iugiter.
Ornat sic viridis laurea Virginem!
Ornat sic viridis laurea Martyrem!
Donatur reduces exuuias sacras
Non siccis oculis visere ciuibus
Et laudare tuis, tollere honoribus.
Quas primum tumulo de patrio expulit I. Translatio.
Ouetos, Arabum præcipitum pauor
Tristis, dum Lybia his præsidet Hesperis.
Post Flandrum populus finibus in suis III. Translatio.
Extorres tenuit sub niue frigida
Tot seclis gelido marmore conditas.
Donatur laribus sistere te tuis IV. Translatio.
Contrectare manu corpus amabile,
Et blandis labijs oscula figere.
Virgo, & Martyr, Iô, duplice laurea
Nostræ dux patriæ! te tua mœnia
Te casti pueri, te placidi senes,
Te lectæ reuocant, ad sua Virgines
Tecta: & præsidium, & dulce decus suum.
Quàm felix populus, aurea cui redit
Ætas iustitiæ, cui redeunt piæ
Leges, & proprijs numina iam sua
Exorare datur sub laribus sacris!
Nam te, Diua, procul dum tulit improba
Sors nobis, Boreas dum tenuit rigens,
Heu! tecum pariter defuit (ô malum
Infandum!) pietas, relligio, fides,
Ius sanctum, bonitas, puráque castitas:
Et mores rosei, firmáque fœdera
Nutant, atque animus deliciarum egens
Verarum, stygijs fluctibus æstuat:
Vix vlla in Superos est reuerentia,
Alternis odijs inclyta pax ruit,
Nec commune bonum mens hominum petit.
Non quales proauos pristina secula

Donarunt, sobolem ex patribus editam
Æqualem reputes; nec vir ab hospite
Securus venit, aut inualido valens
Tutus fraude mala, iurgia dum serit
Alecto furijs bella ciens malis.
Infelix populus, sic miseris modis
Afflictus iacuit mentibus impijs!
Maurorum subeunt arma furentium,
Audax & rabies per varium nefas
Audet nunc hominum perdere, nunc Dei
Conspurcare domos, ritibus improbis.
Has Ædes etiam, Diua Parens, tuo
Ornatas tumulo, & pignoribus sacris,
Quas olim fauor, aut gaza potentium
Regum, magnificis construit artibus,
Seu laudare Deum, premia Virginum,
Seu cantare tuûm carmina munerum
Condigna, & meritis vota dare ossibus
(O saua indomiti Muzarabis manus!)
Euertit penitus sedibus à suis;
Euertit tripodes, clara sedilia,
Splendore & nimio structa habitacula,
Aras, & pateras, munera cœlitum.
Ah, quàm à veteribus cerneris altera
Formis sacra domus! Quàm color est prior
Mutatus roseus sub faciem hispidam!
Quis frenet lachrymas, diruta sic videns
Summis culminibus templa Deorum? Vbi
Quondam verba loqui fas fuit inclytis
Cum Diuis, similes prospicere & Deas
Nobis, perceleres Nuntia cœlitus
Enarrare viris, ex tumulis pijs
Prodire, ac placidis gressibus obuiam
Stantes eloquiis terrigenas sacris
Solari miseros, donáque reddere,
Crescunt queis subito spes hominum, & decus.
Insperata tamen iam capiet tuus
Nunc, ô Diua, pius Ciuis, & Incola
Virtutis nitida iam pia gaudia.
Quando Soli Aries, Taurus, & Alipes
Iunguntur celeri cum Geminis, redit

Et Veris placidi temperies humo,
Tunc nec prata rigent, flumina nec strepunt
Hyberna glacie: Lilia vestiunt
Iam syluas vacuas floribus albidis,
Et campus nitidis fragrat odoribus.
Pinguescit gracilis gramine fertili
Agnus, ludiuagis atque sodalium
Occursus hilares saltibus excipit:
Dicítque in teneris carmina pascuis
Pastor centoculus dulcia fistulis.
Nascuntur virides arboribus comæ:
Nidum apponit auis non pigra pendulum
Ramis in medijs, quo benè procreet
Pullos per timidos, spem generis sui,
In cauum ex varijs floribus alueum,
Fauum mellifluum stridula fert apis.
Sic nunc, Diuapotens, te reduce, aurea
Ætas læta redit: Temperies noua
Nostris fert animis maxima commoda.
Annis à teneris Virgo puellula,
Semper cui roseus membra nitor lauat,
Nunc corpus referet virgineum Deo,
Puræ, & munditiæ candida viscera
Admirata tuos, ô Dea, lacteos
Mores. Ex violis conseret aurea
Mentes castificæ serta comantibus.
Spernet succineos suauiolentiæ
Flatus: respuet & fulua monilia,
Gemmas, & lapides diuitis Indiæ.
Claustris in medijs turba frequentium
Psallet ad numeros cantica virginum.
Sacras excubias Virginis abditæ
Christus virgineo proditus vtero
Auscultat vigili, gratus & accipit
Auditu, teneras præmiet vt preces.
Multi castra patent nil sitientium
Nudi, (nam sequitur cura pecuniam
Crescentem grauior) votáque diuitum
Spernent non pauidi multa petentium.
Quanto quisque minus quæsierit sibi,
Tanto plus feret, & sorte beatior

 Est,

Est, quàm qui segetes fertilis Africæ
Pingues condiderit grandibus horreis.
Amoto satiant pauca cupidine
Plus metens. Sitiens cor cupientium
Multas inter opes semper inops erit.
Pulchrè dictum igitur: Multa petentibus
Desunt multa: Benè est si Deus obtulit
Parcâ, quod satis est pauperibus, manu.
Haud ingrata tamen pauperies premet
Iam nunc agricolas; pallida nec fames
Vexabit stomachos non vacuos cibis.
Tinget riuus aquis semina iugerum
Multorum. Segetis certa fides datur
Pinguis. Quidquid erat non piger Hesperus
In culmos niueis confluet imbribus:
Fundet nec modicas diues ager dapes.
Crescent ingenuis vellera pascuis,
In syluis ouium pinguia montium.
Vili magnificas delicijs manus
Mensas omnigenis condifica instruet,
Seu malit locuples quidquid alit mare,
Seu quidquid generant aëra, & alma humus.
Venisti, & patrias commiserans lues
Spem præstas animis, ô noua gloria.
Non Ciues miseros crimina nunc tuos
Fœdabunt. Iaculis prælia non strepent,
Arces non ferient bella tumentia
Vrbis conspicuæ; mœnia nec ruent
Martis belligeri fulmine diruta;
Sed tutò in medijs concidet hostia
Munda altaribus. Et clara dies nigras
Cùm pellet tenebras, aut tetra cùm teget
Nox terras, superi thure pio Dij
Gaudebunt hilares ædibus in suis.
Virtus, & meritis, multáque pars boni
Iam vatum tiaras diuitibus pia
Cingent, & nitidas instruet infulas
Sacris eloquijs Spiritus igneus.
Pascet nunc sapido nectare Cœlitum
Errantes animos Pastor amabilis;
Dicétque in querulis carmina pulpitis.

Custos

Custos aſsiduus dulcia vocibus.
Narrabit pecori nuntia cœlitus
Custos aſsiduus , Paſtòr amabilis.
Naſcentúrque ouibus , montibus in ſacris
Turmatim pecorum millia pinguium.
Et dulces fluuios , & nemorum comas
Captauit virides grex ouium ſacer.
Noſtris auxilium colluuionibus
Nunc præſens referes. Nobilis incola,
Per te ſpiritus , & vita redit malis,
Ac rore ambroſiæ propitiabilis
Noſtrorum liquidò ſi iecur impleas,
Sanctum feceris , & caſtius æthere.
Ergo vt Sole dies lucidus arduo
Noctes , cùm exoritur , diſcutit horridas,
Digneris gemino ſic diademate
Cunctarum tenebras ſoluere mentium.
Et per te liceat , tramite candido,
Poſt mortem , pedibus , culmina ſcandere
Puris ſtelliferæ ; & ſydere clarior
Artus hos putridos corporis exuens,
Liber carceribus ſpiritus emicet,
Æternis radijs ductus ad exitus
Felices ; canat , & iuge melos Deo.

Poſt has Quatuor ſolemnes TRANSLATIONES, aliæ duæ memorantur ab Scriptoribus. PRIMA Anno Domini M.C.LXXX. De qua apud Molanum *in Addit. ad Vſuard.* Kalendis Iunij ſic : *Ipſo die* Tranſlatio *corporis S.P.N. & S.Sulpitij Epiſcopi, & Confeſſoris, &* B. LEOCADIÆ *Virginis.* Et licet annus iſtius *Tranſlationis priuatæ* non conſignetur ; in membrana verò pergaminea, quæ adſeruabatur cum S. Virginis lipſanis, inuentum fuit epigraphes auctographum huiuſmodi, quòd à *P. Michaele Fernandez* è S. I. in ſuo de *Tranſlat. S. Leocadiæ libello cap. 11. fol.* 105. refertur, cuius tenor talis eſt.

Aliæ Trāſlationes referuntur. I. Kalend. Iunij.

Anno ab Incarnatione Domini M. C. LXXX. Currente II. Epacta XXII. Indictione XIII. Luna IV. Die Dominica. Kal. Iunij repoſitum eſt corpus B. LEOCADIÆ, *Virginis, & Martyris, cum velo eius, & panno quo inuolutum fuit corpus prædictæ Virginis, & Reliquiæ plurimorum Sanctorum, quorum nomina ſola Dei tenet ſcientia, à* D. Rogero *Cameracenſi Præſide, reſidente Alexandro Papa in Sede Apoſtolica, necnon regente Frederico Imperatore Pop. Rom. intra in præſenti ſcrinio, Lamberto huius Eccleſiæ Abbate regulariter viuente, cum ſibi ſubditorum caterua.*

SECVNDA *Tranſlatio* Anno Domini M. D. fuit de oſſe cruris dextri, impetrante *D. Ioanna* Regina Hispaniæ, vt in Eccleſiam *Toletanam* portaretur, vt patet ex auctographo conceſſionis, quod idem P. Michael Fernandez exſcripſit *c.6. fol.68.* hoc tenore.

II. Precé Ioannæ Reginæ Hiſp.

ANNO *Domini Milleſimo Quingenteſimo. Menſis Octobris die decimaquinta, ad requeſtam, & petitionem Illuſtriſsimæ Dominæ, Dominæ* Ioannæ *Coniugis Illuſtriſsimi Principis, & Domini, Domini* Philippi *Archiducis Au-*

ſtriæ,

ſtriæ, Ducis Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Comitis Flandriæ, Hannoniæ, &c. Filiæ Ferdinandi Caſtellæ, Aragoniæ, &c. Regis, aperta fuit hæc capſa, in qua requieſcunt reliquiæ præfatæ Virginis, & Martyris LEOCADIÆ, *per Quinctinum Abbatem huius Monaſterij S. Giſleni, de conſenſu prædicti Reuerendi Patris, & Domini, Domini Henrici de Bergis, Epiſcopi Cameracenſis. Et vt memoria prædictæ Martyris; præſertim apud* TOLETVM, *locum paſsionis eiuſdem, & natiuum ipſius Illuſtriſsimæ Dominæ, Dominæ* Ioannæ *celebrior haberetur, petijt deuotè ipſa D. Ioāna à præfato Quinctino Abbate partem aliquam prædictarum reliquiarum ſibi donari transmittendam (prout promiſit) apud ipſum Toletum. Cuius dictæ Dominæ* Ioannæ *deuotæ petitioni ſatisfacere cupiens prædictus Abbas donauit eidem* Os CRVRIS *dextri ipſius Virginis, & Martyris* LEOCADIÆ, *quod protenditur à genu, vſque ad cauillam pedis. Actum in Eccleſia S. Giſleni, Anno, Die, & Menſe, quibus ſupra. Pontificatus Sanctiſsimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Alexandri Papæ VI. Anno IX. Præſentibus ibidem honorandis Dominis, & deuotis DD. Simone Mathieu, Theſaurario, & Paulo de Quercu, Subpriore dictæ Eccleſiæ, ſeu Monaſterij, Religioſis, vnà cum plurimis vtriuſque ſexus perſonis, ex familia ipſius D. Ioannæ, & me Lamberto Binche Presbytero dictæ Cameracenſis diœceſis, & Ioanne de la Deaze Presbytero dictæ Cameracenſis. L. de Binche Notarius.*

Traditionis Sacrorum pignorum auctographum.

His ſic prælibatis ad Noſtræ feſtiuitatis TRANSLATIONEM deueniamus, cuius ecphraſim licet *P. Michael Fernandez* integro volumine, typis excuſo, Toleti, apud Petrum Roderici Typographum Anno Domini M. D. XCI. recenſuerit, Nos codicis prolixitatem reiicientes, auctographum traditionis ſacrorum pignorum, in quo ſubſtantialia referuntur ſubiicere deſtinauimus. Cuius talis eſt forma.

VNIVERSIS *haſce literas inſpecturis*, Hieronymus Lietart *Abbas, Prior, & Conuentus Monaſterij* S. Giſleni, *Ordinis Diui Benedicti, in Domino Salutem. Notum facimus, quod (vt à maioribus noſtris accepimus) elapſis temporibus Comes Hannoniæ, propter latam Regi Hiſpaniarum (bellum aduerſus Mauros gerenti) opem, & auxilium, ab eodem, in collati beneficij gratitudinem, impetrauit venerabile corpus* S. LEOCADIÆ *Virginis, & Martyris, quod inde per immenſa locorum interualla, in Hannoniam tranſlatum, in hoc Noſtro Monaſterio, ſumma cùm Patrum noſtrorum, tùm populi deuotione, & reuerentia collocatum eſt, retrò ſummum Altare in parte ſiniſtra, in quo loco, inde ab ipſorum Patrum temporibus, ad noſtram vſque ætatem, reuolutis quampluribus annis, in capſa lignea, holoſerico rubro cooperta, permanſit. Sed cùm tot retro voluentibus annis, Eccleſia, & Ciuitas Toletana ob peculiarem deuotionem, quam erga prædictam ſanctam, vtpotè illiuc oriundam, illic educatam, & martyrij coronam adeptam, ſemper habuit; non per ſe modò, ſed & Imperatoris interuentu, omni ſtudio incubuerit, vt Venerabile Corpus dictæ Virginis in ipſam* Toletanam *ciuitatem transferretur, omni, quo potuit, conatu, hoc tantùm egit, vt à Patribus noſtris, S. Virginis tibiam impetraret. Quâ impetratâ, tantùm abeſt, vt ceſſaret priſtinum ſtudium, vt ad reliquam partem corporis S. Virginis, omnem conatum adhibuerit, & pro modo auctæ deuotionis, & reuerentiæ erga Sanctam, ob impetratam tibiam, creuerit etiam totius corporis habendi, deſiderium. Et tandem plurimam fecit inſtantiam per Sereniſsimum Principem* Parmenſem, *qui ad hoc negotium perficiendum miſit huc Reuerendum in Chriſto Patrem* Michaëlem Hernandez *Societat.* IESV, *datis, ad maiorem rei certitudinem, literis, propria manu ſubſignatis, vt ei venerabile Corpus dictæ Virginis traderetur. Nos igitur facta prius inter Nos diligenti conſultatione, licèt non modicus nobis dolor accedat, ob tàm dilectæ Matris à nobis filijs ſuis, ſeparationem, cuius patrocinium ſæpius experti ſumus; arbitrantes indignum eſſe, tot, tantiſque cultus, deuotioniſque officijs, & animarum inſuper fructu, qui ex* Tranſlatione *ſequeretur,*

Virginem

Virginem priuari: insuper etiam dicti P. Michaëlis Hernandez *instantiam, &* Toletani *Senatus pium desiderium attendentes, non potuimus nostram beneuolentiam ad hoc non extendere. Quapropter supremum Vale dicturi, supradictam ligneam capsam cum reliquijs ex suo loco, in quo tot annorum spatio permanserat, deposuimus, eáque supra summum Altare collocatá, solemne sacrum in prædicta Virginis honorem celebrauimus, quod & ipse Reuerendus P.* Michael Hernandez *fecit: quo finito Nos in præsentia D. Prioris, & Seniorum, totius denique Conuentus, unà cum prædicto P.*Michaële, *accedentes ad summum Altare, cistam aperuimus, in qua venerabilia ossa S. Virginis continebantur, quæ liberè Reuerendo in Christo Patri* Michaëli Hernandez *asportanda tradidimus, qui ea serico rubro inuoluta in cistam reposuit. Præsentibus Iacobo Sanctio Sacerdote S. I. Hispalensi, M. Antonio Lalier Quercetensi diœcesis Cameracensis, eiusdem Societatis, &, admodum illustri D. Petro de Paz, Tribuno Militum Hispanorum, quod lingua Hispanica dicitur Maestro de Campo Oppidi de Noya diœcesis Compostella, & Illustri D.D. Hieronymo de Anaya Capitaneo Militum Hispanorum, Salmanticensi; & Illustri D.D. Ioanne de Paz, filio prædicti Tribuni; & Antonio Gomezio Signifero Hispanorum, Zamorensi, in quorum fidem, & testimonium hasce literas nostra manu signauimus, & sigillo nostro, & Conuentus muniuimus. Simúlque Ego Hieronymus Lietart Abbas, & Ioannes Hazart Prior, & Seniores, vniuersus denique Conuentus iurauimus super sancta Euangelia, & in nostra conscientia, Nos tradere Corpus prædictæ Virginis, & Martyris* S. LEOCADIAE *sicut habemus, & à Maioribus nostris accepimus: neque aliud corpus posuisse loco illius, neque alia ossa, neque aliud reseruasse, excepto* OSSE *longitudinis medij palmi, quod ex prædicti Patris consensu, ad conseruandam erga S. Virginem, deuotionem, retinemus. Actum in præfato nostro Monasterio die VIII, Mensis Februarij, Anni M.D. LXXXIII. Hieronymus Abbas. F. Ioannes Hazart Prior. F. Nicolaus Lobe Subprior. F. Egidius Lecocus. Dampt. Pierre Menetz. Didacus Sanctius Sacerdos S. I. Antonius Lalier S. I. Pedro de Paz. Don Geronimo de Anaya. Don Iuan de Paz. Antonio Gomez.*

De istius traditionis Sacrorum pignorum certitudine, cum relatione huius auctographi fidem facit *Nicolaus Desmaustiers*, Presbyter Cameracensis diœcesis, Apostolica auctoritate, ac iuxta quondam piæ memoriæ Caroli V. Sanctiones, per supremum Hannoniæ Balliuum, Notarius admissus, cuius certificationis exemplar, quia eadem continet, reiicimus.

Nec sine auctoritate Romani Pontificis hæc TRANSLATIO executa est, nam vt ex Gregorij XIII. P. Maxim. diplomate apparet, Abbati & Conuentui Cellensi Corporis S. Virginis huiusmodi permittitur traditio, cuius tenorem, vt omnibus sit notum, hic assuere curauimus. *Pontificis diploma pro tradendo Sacro Corpore.*

Dilectis filijs Abbati, & Monachis Monasterij S. Gisleni in Cella, Cameracens. Diœcesis.

GREGORIVS PAPA XIII.

DILECTI *filij salutem, & Apostolicam benedictionem. Singularis deuotio charissimi in Christo filij nostri* Philippi *Hispaniarum Regis Catholici, totiúsque Ciuitatis* Toletanæ, *erga* S. LEOCADIAM *Virginem, & Martyrem*, TOLETI *ortam, in cuius honorem tres Ecclesiæ (vt accepimus) ibi antiquitus constructæ sunt, magnáque ibidem populi frequentia colitur, nos inducit, vt ipso Rege, corpus eiusdem Sanctæ, quod in Ecclesia vestra reconditum est, ne hæreticorum periculis subiaceat, ad ipsam Ciuitatem* Toletanam *transferri libenter permittamus. Quare (de quorum in Nos, & Sanctam Romanam Ecclesiam reuerentia, & obedientia, Nobis multa perhibentur testimonia) hortandos duximus in Domino: vobis*

nihilominus etiam mandantes in virtute Sanctæ obedientiæ, vt Corpus S. LEOCADIÆ *huiusmodi personæ, quam ipse Rex, seu Dilectus filius Nobilis Vir* Alexander Farnesius, *Parmæ, & Placentiæ Princeps nominauerit ad effectum præmissum, tradatis, & consignetis. Super quo plenam, & liberam, necnon eleemosynam, quam idem Rex ad sublenandas vestras necessitates, vobis propterea erogandam curauerit, recipiendi, & in vsus vestros conuertendi, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, licentiam, & facultatem vobis concedimus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud S.Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XXI. Maij. M.D.LXXXIII. Pontificatus Nostri, Anno XIII. C. Glorierius.*

Consensus Archiepiscopi Cameracensis. Item adfuit Episcopi Cameracensis, in cuius territorio extat prædictum *S Gisleni* Cœnobium, assensus, & auctoritas; præmissa de exuuiarum S.Virginis informatione, quam idem Archiepiscopus diligenti excussione peregit, vt ex ipsius testimonio liquet, quod est huiusmodi.

LUDOVICUS *de Berlaymont, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus, Dux Cameracensis, Comes Cameracesij, Sacri Romani Imperij Princeps,* &c. *Vniuersis præsentes literas inspecturis, salutem in Domino. Notum facimus, & attestamur, quòd cùm nobis pro parte* D. Philippi II. *Hispaniarum Regis Serenissimi, S. D. N. Papæ* Gregorij XIII. *tunc adhuc viuentis, consensum, suis ad Abbatem Monasterij* S.Gisleni *in* Hannonia *literis expressum habentis, instantia facta esset de corpore* S. LEOCADIAE, *ex dicto Monasterio in* Hispaniam *ad ciuitatem* Toletanam *transportando: Nos ad ipsum Monasterium accessimus, ac post debitam, & iuridicam ipsius Abbatis, & Seniorum Religiosorum, ac postea etiam Episcopi Tornacensis, & aliorum examinationem, & informationem factam; an huiusmodi corpus, & ossa essent* S.LEOCADIAE, *ex eorundem vniformi, & concordi depositione, & assertione comperimus, neminem vnquam dubitasse, quin illa essent corpus, & ossa S.illius* LEOCADIAE, *quæ olim ab* Hispania *huc fuissent translata: quin eidem* S. LEOCADIAE *in dicto Monasterio* S.Gisleni, *vbi illa, corpus, & ossa asseruantur, summum honorem, & venerationem exhibitam, & quotidiana commemoratione, & anniuersario festo postridie* Conceptionis B. MARIAE *Virginis, Mense* Decembri *semper fuisse cultam, & celebratam. Habito deinde præfatorum Abbatis, & conuentus de eisdem Corpore, & Ossibus* S. LEOCADIAE Toletum *transportandis, consensu, quem ritè, & voluntariè præstiterunt. Et Nos ipsi tanquam Ordinarius eorundem, approbauimus, & ratum habuimus. Datum, & Actum Montibus Hannoniæ Anno Dom. M.D.LXXXV. Mensis Octobris die XI. Ludouicus de Berlaymont Archiepiscopus Cameracensis. Preudhomme Secretarius.*

Secunda traditio S. Corporis ex testimonio Episcopi Tornacēsis. Extractis ergo sacris lipsanis S.Virginis, ex *Cellensi* Cœnobio, & traditis *P. Michaeli*, in Tornacensem vrbem fuerunt allatæ exuuiæ; & in Monasterio Cruciferorum collocatæ, vt secunda, & solemnior traditio subsequeretur, illam auctorantibus Archiepiscopo *Cameracensi*, & Episcopo *Tornacensi*, de quibus celebriora, & authentica existunt testimonia, quorum exemplar hîc esset inserere longum, & ideò solo *Tornacensis* diplomate contentus, illius transumptum referam.

MAXIMILIANUS Morilonius, *Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus* Tornacensis, *seria meditatione recolentes, quod Creator cæli, & terræ Deus, sicuti est mirabilis in Sanctis suis, ita etiam in ijsdem laudari, & honorari ducat dignum: cùm is honor, qui Sanctis exhibetur, ad Deum dubio procul referatur, concordante Regio Propheta:* Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. *Et S.Euangelista:* Si quis mihi ministrauerit, honorabit eum Pater meus, qui est in cœlis. *Ad laudem Omnipotentis Dei, & indiuiduæ Trinitatis, Sanctorúmque omnium, necnon quod ad præsentem actum pertinet,*

net, Sanctæ, & Beatæ LEOCADIÆ *Virginis, & Martyris, Vniuersis præsentes literas, visuris, lecturis, & audituris, notum facimus, & attestamur, quòd Anno Domini M. D. LXXXV. Indictione XIII. Mensis Octobris die XI. D. N. D.* Sixti *diuina prouidentia PP. V. Anno I. Pontificatus eiusdem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini, cùm rogati, & requisiti comparuissemus in Choro Ecclesiæ Conuentus* Cruciferorum, *in ea parte Ciuitatis* Tornacensis, *quæ ab antiquo ad diœcesim* Cameracensem, *flumine intermedio, pertinere solet; superuenerunt non multo pòst Reuerendissimus ac Illustrissimus in Christo Pater Dominus* Ludouicus à Berlaymont *Archiepiscopus, adstantibus, & ad id euocatis nobis, ac Reuerendo in Christo Patre Iacobo de Marqueix Abbate S. Martini Tornacensis, & Ioanne de Barbayse Metropolitanæ Cameracensis, Ioanne Spirinck Thesaurario, & Michaele Naueo, nostræ Tornacensis Ecclesiæ Canonicis, & compluribus Patribus Societatis Iesu, Prioréque, & Religiosis S. Petri Gandauensis, ac dicti Conuentus Cruciferorum, necnon multis laicis ad infrascripta congregatis, & intendentibus; admodùm Reuerendus Pater* Michael Hernandez *S. I. protulit, & exhibuit literas felicis recordationis S. D. D.* Gregorij PP. XIII. *in forma Breuis sub Annulo Piscatoris, iunctímque literas gloriosissimi Catholici Regis* Philippi, *quibus apertis, lectis, auditísque, & intellectis, petijt, & postulauit, sibi secundùm earum tenorem, ad id nominato, & designato dari, & decerni venerandas reliquias Corporis* S. LEOCADIÆ *Virginis, & Martyris, deportandas, & transferendas* Toletum, *ad locum suæ, & Natiuitatis, & Passionis, dummodo ad id legitimus accederet assensus, & consensus Reuerendi in Christo P. Hieronymi Lietar Abbatis Monasterij S.* Gisleni *in* Cella, *Ordinis S. Benedicti, Cameracensis diœcesis, in cuius Monasterio præfatæ reliquiæ ab antiquo requieuisse dignoscuntur. Qui quidem Abbas S. Gisleni ibidem existens, rogatus, vt præmittitur, præfatis literis, & mandatis Apostolicis obtemperans liberè, & de certa sua scientia, & voluntate, nobis, & supranominatis præsentibus, & audientibus, tàm suo, quàm Conuentus sui nomine, in prælibatam donationem consensit, & concordauit: ac insuper ad petitionem eiusdem P.* Michaëlis *solemniter iurauit, prænominatas reliquias eas esse, quæ hactenus in suo prædicto Monasterio, magna cura, & obseruatione pro veris Reliquijs S. & B.* LEOCADIÆ *Virginis, & Martyris habitæ fuerunt, & requieuerunt, sicuti per manus, tàm ipse quàm sui Religiosi à prædecessoribus suis veraciter acceperũt, & multis argumentis ratum habuerunt, & crediderunt, nihilque de præfatis Reliquijs S.* LEOCADIÆ *in præfato suo Monasterio reseruatum, præter assensum, & voluntatem eiusdem P.* Michaëlis Hernandez, *ideóque spontè, & liberè consentiens, vt idem P.* Michael *prænominatas Reliquias S. Virginis acceptaret, & leuaret, &* Toletum *Illustrissimo D. D.* Gaspari *Cardinali, Archiepiscopo, ac Capitulo Toletano consignandas transferret, & transportaret. Quibus omnibus visis, factis, attentis, & consideratis, prælibatus Illustrissimus D. Archiepiscopus Cameracensis prænominatam donationem, resignationémque, ratam, & legitimam habendo, & declarando pro sua etiã potestate laudauit; & confirmauit, in eámque consensit, & præfato* P. Michaëli, *nomine quo suprà, acceptandi ius, & potestatem fecit, easdem, vt supradictum est, leuandi, & in Dei nomine transferendi. Et quia hæc omnia, & singula ita fieri vidimus, & audiuimus, præsentésque fuimus; necnon nominatas reliquias S. &* B. LEOCADIÆ *cum suo velo in Magno Altari præfati chori pro tempore repositas lustrauimus, & vidimus, ac licèt indigni, cum veneratione attigimus, & deinde concludi, & occludi vidimus. Ideo rogati, & requisiti præsentes fidei, & veritatis gratiâ, dedimus, & concessimus, ac manu nostra, ac præfati Michaëlis Nauez Canonici sigilliferi nostri subscriptas, & subsignatas, nostri sigilli appensione communiuimus. Anno, Indictione, Mense, & Pontificatu, quibus supra, die autem XXIV. Max. Episcopus Tornacensis. M. Nauez sigil.*

Acceptis ibidem Reliquiis, cursum itineris peregit *P. Michael* per *Germaniam*, donec *Romam* peruênit die XIII. Februarij Anni M. D. LXXXVI. & Deo sic vo- *Romam appellunt Reliquiæ.*

lente, vt exuuiarum certitudini vltimus accederet calculus. Nam *P. Michaël* humiliter Pontifici *Sixto* huius nominis V. pedes exoſculans, de ſacris Lipſanis, quæ ſecum trahebat, certiorem fecit; à quo Iubilæum efflagitabat aſſiduè. Summus verò Pontifex rem maturè diſcutiendam commiſit *Cardinali Lancelloto*, ne in aliquo errore verſaremur, circa verum S. Virginis corpus. Exhibitis quippe Cardinali omnibus auctographis, omnia rimans, & factus de veritate certior, illicò Pontifici retulit. Qui, in tantæ rei comprobationem ſequens diploma in forma Breuis expedire præcepit.

Pontifex illas approbat.

SIXTVS PP. V.

VNIVERSIS *Christi fidelibus præſentes literas inſpecturis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Glorioſa Sanctarum Dei Virginum memoria, quæ præſertim duplicata Virginitatis, & Martyrij corona inſignita, beatæ in cælo, ſempiterno æuo fruuntur; decet ſanè, vt à Christi fidelibus congrua veneratione celebretur, ac debito honore, & frequentia recolatur. Ideóque Nos pro ſuſcepto Paſtorali munere, ſalutem Dominici gregis, noſtræ curæ commiſſi, omni ſtudio quærentes; prolatu etiam de cælesti theſauro, noſtræ itidem diſpenſationi diuinitùs credito, ſpiritualibus donis, illorum deuotionem indies magis accendere, & incitare contendimus. Cúmque Corpus S.* LEOCADIÆ *Virginis, & Martyris (quod antea in Monaſterio S.* Giſleni *in* Cella, *Cameracenſis diœceſis ſepultum erat) ne hæreticorum periculis ſubiaceat, & ad inſtantiam Chariſſimi in Christo filij Noſtri* Philippi, *Hiſpaniarum Regis Catholici, & opera dilectorum filiorum Religioſorum S. I. potiſſimùm vero, dilecti filij* Michaelis Hernandez *eiuſdem Societatis Presbyteri, ſufficienti ad id per Sedem Apoſtolicam facultate ſuffulti, ex dicto Monaſterio propediem transferendum ſit ad* Toletanam *ciuitatem, ex qua ipſa* S. LEOCADIA *originem duxit, & in qua ob perſecutionem Diocletiani Imperatoris, in dirum carcerem propter Christi confeſſionem coniecta, in loco cuius, antiqua, & religioſa memoria adhuc in veneratione eſt, miro quodam modo, ſpiritum Deo reddidit; ac tribus in eadem ciuitate, ſub eiuſdem Sanctæ inuocatione, antiquitùs constructis Eccleſiis, in magno honore habetur; & in Eccleſia Maiori* Toletana *ſit collocandum, vt inibi, pro ea deuotione, quam ipſe* Philippus *Rex, & totius* Hiſpaniæ *populi præcipuam gerunt, erga eandem* S. LEOCADIAM *(editis quoque olim miraculis) in illis partibus celebrem, maiori quadam reuerentia, & religione aſſeruetur, ad augendum etiam magis, apud pias fidelium mentes venerationis ſtudium, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum, eius auctoritate confiſi; Vniuerſis, & ſingulis Christi fidelibus vtriuſque ſexus, qui verè pœnitentes, & confeſſi, ac Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento refecti, dictam Eccleſiam Maiorem* Toletanam, *in ipſo die* TRANSLATIONIS *corporis eiuſdem Sanctæ, qui dies etiam ſolemniter, indictis ſupplicationibus, & proceſſione celebrabitur, vel per totam eiuſdem diei Octauam, ac etiam in die feſto eiuſdem* LEOCADIÆ *qui V. Idus Decembris quotannis recolitur, deuotè viſitauerint, atque inibi pro felici ſtatu, & exaltatione S. M. E. pace, & concordia Principum Chriſtianorum, & hæreſum extirpatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Præſentibus quoad diem Tranſlationis, & eiuſdem Octauam huiuſmodi, hac vice duntaxat; quoad diem verò feſtum V. Id. Decemb. prædictos, perpetuò valituris. Non obſtantibus contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris die V. Maij, M. D. LXXXVI. Pontif. Noſtri Anno II. Th. Thom. Gualterutius.*

Româ diſceſſit *P. Michaël* cum ſacris glebis die XX. Maij, & *Genuam* peruenit, vbi mari ſe fidens in *Barcinonenſem* portum intrauit die XII. Auguſti, quo relicto, per *Cathaloniam*, *Valentiam* adiuit, ex qua in *Caſtellam* tranſcendit, quouſque ad Reſidentiam Collegij S. I. Complutenſis, quam IESVS *del Monte* vocitant, acceſſit. Abhinc in locum *Olias*, è quo *Toletum*, vbi honorifico plauſu, & ſolemni cultu

Toletum perueniunt, vbi ſolemnis receptio paratur.

(prout

(prout assolet illa Patriarchalis Ecclesia) sacra Lipsana recepta sunt, & collocata *die Aprilis XXVI. Anni M.D.LXXXVII.* Cuius receptionis pompam, tripudia, apparatus, & processionem si agnoscere velis, adi libellum super hoc, prolixo calamo, consarcinatum. Postmodùm S. T. E. de recitando TRANSLATIONIS officio curauit, & re apud Sanctissimum, Patresque Congregationis Rituum, exposita, deuictis variis altercationibus, demum hocce concessit Pontifex, mira cum liberalitate diploma. *Officij à Pontifice ritus impetratur.*

SIXTVS EPISCOPVS
SERVVS SERVORVM DEI,
Ad perpetuam rei memoriam.

QVæ ad Sanctorum venerationem augendam, Beatarum præsertim Virginum, pertinere intelligimus, & earum in primis, quæ ad Virginitatis palmam, Martyrij coronam, per Dei gratiam in sexu fragili adiunxerunt, libenter pro nostro Pastorali officio concedimus, vt Deus in Sanctis suis, in quibus semper est mirabilis, impensiùs collaudetur, & Chisti fidelium deuotio populorum, præcipuè erga Sanctos Patronos vehementiùs accendatur. Sanè pro parte Charissimi in Christo filij nostri *Philippi Hispaniarum Regis Catholici*, nobis nuper exhibita petitio continebat. Annis superiobus fideli testimonio, eidem Regi relatum esse corpus S. LEOCADIÆ *Toletanæ Virginis*, & *Martyris*, quæ Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, Ecclesiam persequentibus, martyrij palmam *Toleti* promeruit, olim ex *Hispania* in *Hannoniam Belgij* prouinciam translatum, in insignique Monasterio *S. Gisleni* in *Cella*, Ordinis S. Benedicti, *Cameracensis* diœcesis collocatum, ibidem magna cum veneratione, annos supra CCCC. asseruatum esse. Quare cum ipse *Philippus Rex*, & *Belgij Dominus*, ob singularem deuotionis affectum, quem erga eandem Christi *Virginem*, & *Martyrem* gerit, *Sacri* illius *corporis* in patriam reportandi pio desiderio exarsisset, post non mediocrem diligentiam adhibitam, rei veritate bene cognitâ, & perspectâ, *Corpus* ipsum, licentiâ à felicis recordationis *Gregorio PP. XIII.* prædecessore nostro legitimè impetratâ, Religioso Sacerdoti S. I. ad id delecto solemniter tradi, ab eóque in *Hispaniam* magna cum diligentia deferri curauit. Cúmque demùm, sicut eadem subiungebat petitio, incredibili omnium gaudio *Toletum* peruenisset, à toto Clero, & Populo *Toletano*, magnificentissimo apparatu exceptum; ipsóque *Philippo Rege*, & *Principe filio*, Virisque Hispaniæ Proceribus suaue onus piè, ac deuotè ferentibus, idem venerandum *Corpus* in dictæ Ciuitatis *Toletanæ* primarium Templum *VI. Kal. Maij. Anni Domini M.D.LXXXVII.* illatum, ac Regiâ manu, Venerabili fratri Nostro Archiepiscopo, ac dilectis filiis Decano, & Capitulo Ecclesiæ Toletanæ traditum fuit, vbi tanquam preciosus, & planè cœlestis thesaurus religiosissimè asseruatur. Cupiens igitur prædictus *Philippus Rex*, ob eius maximam, & totius populi, nedum Ciuitatis, & diœcesis *Toletanæ*, sed omnium *Hispaniarum* Regnorum erga ipsam S. LEOCADIAM deuotionem, & venerationem, vt eiusdem S. LEOCADIÆ Martyrij, & *Translationis dies*, Duplici Officio colantur, & celebrentur; Nobis cum prædictis Venerabili fratre Nostro Archiepiscopo Toletano, & Dilectis filiis Decano, & Capitulo eiusdem Ecclesiæ humiliter supplicari fecit, quatenus eius desiderio huiusmodi annuere, aliásque in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos autem ipsius *Philippi Regis* erga Deum, & Sanctos suos eximiam pietatem plurimum in Domino commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, hac nostra perpetuò valitura

valitura constitutione, statuimus, atque decernimus, quod eiusdem S. Leocadiæ martyrij dies *V. Idus Decembris*, in ipsa Ecclesia *Toletana* Duplici Officio de Communi vnius Virginis, & Martyris, vbi deest proprium, à prædicto *Gregorio* prædecessore nostro approbatum, tanquam de *Patrona*, iuxta Rubricas Breuiarij Romani, in omnibus autem Regnis Hispaniarum, ipsa dies martyrij dicto Officio Duplici: Dies autem Translationis corporis prædictæ S. Leocadiæ, quæ vt præfertur facta fuit *VI. Kal. May*, tam in dicta Ciuitate, quàm in tota diœcesi Toletana, etiam dicto Officio Duplici, vt in die martyrij, quotannis in perpetuum celebrentur cum Lectionibus, per Venerabilem fratrem Nostrum *Alphonsum* Episcopum Portuensem *Gesualdum*; & dilectos filios Gabrielem S. Laurentij in Lucina, Paleotum; Nicolaum S. Cæciliæ, Cremonensem; Vincentium S. Clementis, Montis-Regalis, titulorum Presbyteros; Ascanium S. Nicolai in Carcere Tulliano, Columnam; ac Federicum S. Mariæ in Dominica Diaconos Borromæum, nuncupatos S. R. E. Cardinales, Congregationi super sacris ritibus, & ceremoniis Ecclesiasticis præpositos, ac alios doctos, & peritos Viros, ad id ab eadem Congregatione, auctoritate nostra delectos, accuratè recognitis, & examinatis: Mandantes omnibus, & singulis Venerabilibus fratribus Nostris Archiepiscopis, & Episcopis, cæterisque Ecclesiarum Prælatis in omnibus *Hispaniarum* Regnis constitutis, vt faciant in suis quisque Ecclesiis, Prouinciis, Ciuitatibus, & diœceses, præsentes nostras solemniter publicari, & ab omnibus Ecclesiasticis personis secularibus, & quorumcumque Ordinum Regularibus, qui diuinum Officium, secundùm R. E. ritum celebrare tenentur omninò obseruari. Decernentes ipsum Officium S. Leocadiæ separatim, & seorsum à Rom. Breuiario imprimi, & impressum diuulgari, & in Ecclesiis, & locis prædictis in vsum, & consuetudinem introduci, ac in Kalendariis Ecclesiarum *Hispaniæ*, ad eum diem S. Leocadiæ nomen, & Duplicis notam adscribi, atque ad alios proprios *Hispaniarum* dies festos, qui ex indulto Apostolico, in eorum Ecclesiis celebrantur, hanc quoque solemnitatem addi debere, ita vt omnes, & singulæ vtriusque sexus personæ, tàm seculares, quàm regulares huiusmodi Officium *S. Leocadiæ* in Martyrij ac per Octauam, ac *Translationis* diebus prædictis recitantes, debito suo perinde satisfecisse censeantur, ac si horas Canonicas, & alia diuioa Officia, iuxta ipsius Rom. Breuiarij præscriptum recitassent, nec desuper à quoquam molestari, perturbari, vel inquietari possint. Volumus autem, quòd præsentium transsumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, mandati, decretorum, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ M. D. LXXXIX. Nonis Aprilis, Pontificatus nostri Anno IV. E. Card. Prodatar. A. de Alexiis. M. Vestrius Baruianus. Locus † plumbi. R. apud Marcellum Secretarium.

Scriptores qui huius Trãslationis meminêre. Hæc de hac *Translatione* inserere placuit, ne temporum labilitate depereant, & licèt à multis huiusmodi *Translationis* memoria recenseatur, attàmen in nullo relata diplomata comperies, nec tanto soliditatis, circa acta, symbolo in aliquo ex Scriptoribus *Toletanis* fruêris. Illam Aubert. Myræus *in Fast. Belgius die 9. Decembr.*

&

& Arnald. de Raiſſe *in Auctuar. SS. Belgic. eadem die fol.* 363. *col.* 2. honorificâ referunt commendatione.

Post celebrem ſacrorum pignorum receptionem,& in Sancta *Toletana* Baſilicâ apud Maius Altare collocationẽ, cùm omnia hucuſque geſta de Noſtri Catholici Regis munificentiâ *Gaſpar* Cardinalis Archiepiſcopus *Quiroga*,& Capitulum Toletanum perfecta fuiſſe cognoſcerent, vt in integrum ſacris Patronæ glebis frueretur Eccleſia, à Rege humiliter illas, Regia interueniente largitate depoſcunt. Qui protinus magnificâ liberalitate petitis accedens, S. Leocadiæ Corpus illuſtriſſimæ Eccleſiæ abſque hæſitatione donauit, vt ex ſequenti liquet autographo:

In Dei nomine, Amen. *Apud Vrbem* Toletum, *Feriâ ſecundâ, die XXVII. Menſis Aprilis, Anno Natiuitatis Dominicæ M.D.LXXXVII. Cum in Maiori Capellâ huius almæ* Toletanæ *Baſilicæ* D. Petrus de Ayala *ipſius phonaſcus, & Canonicus,* Corpus *glorioſæ Virginis, & Martyris* Leocadiæ, *ipſius vrbis accola, & Patrona, quâ martyrium compleuerat, Regi Catholico tradidiſſet; Regia Maieſtas illius ciuitatis perpenderis affectum, vt ſuo muneri ſatisfaceret, & quod potius eſt, vt integre venerationi ſacrorum pignorum occurreret, per præſentes ipſi S. E. T. & eius nomine* Gaſpari *Cardinali* de Quiroga *nuncupato, tanquam ipſius Eccleſiæ Archiepiſcopo, necnon Decano, & Capitulo einſdem, præſentialiter conſtitutis, prædictum* S. Leocadiæ *Corpus tradidit, vt perpetuò in ipſa Sancta Eccleſia condatur, & aſſeruetur, ita vt in poſterum nec dimoueri, transferri, aut permutari totum, aut pars illius, abſque Regia Maieſtatis, aut eius ſucceſſorum Regum Catholicorum vllatenus poſſit, expreſſa facultate. E cuius ſacris pignoribus ſibi* Os, *Imperatrici eius ſorori germanæ,* Coſtam, *& Philippo Principi eius filio aliud* Os paruum *reſeruauit, permittens, vt* P. Michaëli Fernandez *è Societate Ieſu, qui ſacrum* Corpus *è Cœnobio* S. Gisleni *in* Hannonia *transportauit* Toletum, *eius ſolaminis, & in partem remunerationis laboris, partem mandibulæ cum vnico dente tribuatur. Hinc etiam præcepit, quòd* S. Corpus *prædictum pro nunc in* Sacrario *præfatæ deponatur Eccleſiæ, in capſa Quatuor clauium, quarum vna apud ſuam Regiam Maieſtatem, & poſt eius longæuam, & felicem ætatem, apud ſuos Succeſſores Hiſpaniæ Reges, ſeu apud quos, quibus illam habere commendauerint, extet; Altera apud Toletanum Antiſtitem, nunc ſtantem, aut in poſterum ſuccedentem; Tertia apud Decanum, & Capitulum S. E. & Quartam apud illius Theſaurarium, quouſque, ſi placuerit, permittentibus Rege, & eius ſucceſſoribus, in alium locum eiuſdem Toletanæ Baſilicæ transferatur. Cui donationi, & traditioni fuêre præſentes Dux Naxarenſis, Marchio Dianij, Comes Fontis-ſalientis, Oeconomus Regius, Comes Bona-dies Regij corporis ſubuncularius, D. Ioannes de Mendoza Decanus, & Canonicus Toletanus, Garſias de Loayſa, Guadalſagarenſis Archidiaconus, & Canonicus Toletanus, nec non Eleemoſynarius Regius, & Principis Magiſter, & alij complures vtriuſque ſexus perſonæ in huiuſmodi actu intereſſentes, & ipſum inſpectantes.* Et quia Ego Mathæus Vazquez de Leca, Regi à Conſiliis, eiuſque Secretarius, necnon & Generalis Inquiſitionis ad hæc omnia præſens extiti, de illis fidem facio.

Donatio, & traditio Regia.

Quâ donatione, & traditione factâ, *Gaſpar* Cardinalis, & Archiepiſcopus Toletanus ſacris indutus infulis, carmine per chorum modulato, & ab eo Oratione S. Virginis, & Martyris decantatâ, vnà cum Decano, & Capitulo, Corpus Beatiſſimæ Virginis, in capſulâ, Quatuor clauibus clauſâ, tradidit Theſaurario S. E. vt poſt nouendiale feſtum, illud in Tabernaculo ad hoc conſignato, in medio Sacrarij honorificè collocet, ita vt omnium venerationi pateſcat; necnon vt illud in Inuentario ſacrarum Reliquiarum, quas hæc poſſidet Toletana Baſilica, debitâ authoritate reponat, vt teſtatur *Ioannes Baptiſta de Chaues* illius Sanctæ Eccleſiæ, & Capituli Secretarius. Poſt hæc ad Virginem reducem, Regem diſponentem, Cardinalem inſtantem, Capituli Decanum & Canonicos mouentes, quidam homo pius coram omnibus carmine dixit:

Traditur S. Corpus Theſaurario.

Ad S. Leocadiam in Patriam reducem.

Virgo decus cœli, decus ipsa illustris & vrbis,
Quam Tagus auriferis cingit amœnus aquis;
Salue exul, tandem votis reuocata tuorum
In patriam, lachrymis vsque petita pijs.
Aduenias felix, patrios agnosce penates,
Primo quos inter es veneranda loco.
Gaudet amans populus, vicina quoque Oppida gaudent,
Te postquam Arctoïs huc remeasse vident.
Ecce Tibi reduci plebs tota effusa per vrbem
Obuia, Iô, ingeminans, carmina læta canit.
Rustica turba simul per compita cuncta choreas
Ducunt, & palmis tympana pulsa sonant.
Quacumque aspicias, montes, vallésque profundæ
Exultant, Phœbus clariùs ipse micat.
Eia age, quid cessas? Te cuncta parata morantur,
Vt tandem antiquos ingrediare Lares:
En subit Ordo sacer, cui sunt cœlestia curæ,
Hymnos multiplici dulciter ore canens.
Pars auro induti, incedentes agmine longo,
Te gestant humeris per fora, pérque vias.
Ingrederis Virgo Procerum frequente Senatu
Lætitia, & multa Te venerante prece.
Egregij circum ciues comitantur ouantes,
Certantes varijs te celebrare modis.
Instituunt ludos, præbent spectacula passim,
Tauris, & multis exhilarata iocis.
Ingentes Arcus claris insignibus ornant,
Sunt tua vbi magnis facta adaperta notis.
Omne hominum genus indictos largitur honores,
Quæque valent omnes munera ferre ferunt.
Accipias igitur placido LEOCADIA *vultu,*
Et Toletanis *redde benigna vicem.*
Te facilem præsta; dextram conciuibus ægris
Porrige, & è diti pectore profer opem.
Tu Nostri Tutela volens, mortalia corda
Suscipe, & ardenti blanda reconde sinu.
Antiqua in primis fidei præcepta tenere,
Doctrinísque nouis se abstinuisse mone.
Confirma veterem pacem, bellíque furores,
(Si qui sunt) nostris sedibus eijcias.
Candida fac ciues inter concordia regnet,

Et

Et ſeſe cuncti mutuo amore iuuent.
Obſcœnámque famem Stygijs compeſce tenebris,
Ne miſeros tantis vexet acerba malis.
Imbribus aſsiduis madefacta aret arua colonus:
Floribus & vario germine vernet ager.
India mittat opes; ſæuos arce inde Tyrannos,
Ignotas aurum quos docet ire vias.
Inclytus, & vaſta imperij ditione Philippus,
Regna diu ſtabili religione regat.
Atque Quiroga *pius Paſtor, pecoríſque Magiſter,*
Commiſſas longo tempore paſcat Oues.
Cœtus & ipſe ſacer Patrum concorditer omnes,
Quâ pietate ſolent Numina rite colant.
Hæc tu ſi præſtes; grati noua Templa ſacrabunt,
Quæ tanti teſtes muneris igne micent.
Thura Sabæa ſimul ponent flagrantibus aris,
Suſpendéntque cauo plurima vota tholo.
Necnon perpetuô inſtaurabunt Sacra quotannis,
Indigena es Patriæ quâ repetita die.
Annue ſic ſemper Chriſtus noſtrâ Vrbe colatur;
Ne patrijs iterum finibus exul eas.
Inclyta facta canant tua Rex, ô Magne Philippe! *Ad Regem Catholicum Hiſpaniarum.*
Æternis cupiunt, qui dare ſcripta libris.
Te cunctis animi celebrent virtutibus auctum,
Magnanimos Reges quæ decorare ſolent.
Ingentes mirentur opes, celebréſque triumphos,
Aucta quoque imperijs Regna paterna nouis.
Pacis amatorem, dulci grauitate benignum,
Solicitum cunctis rebus adeſſe patrem.
Iuſtitiâ populos, & religione regentem,
Afflictæ fidei dulce patrocinium.
His, aliíſque extollant Te ſuper Aſtra beatum,
Sed longè his præſtat, Te cecíniſſe pium.
Quòd patrios Diuos ſua quoſque in tecta reducis,
Extorres poſtquam delituêre diù.
Sic Pater Eugenius, *ſic nunc* LEOCADIA *Virgo,*
Antiquas Sedes lætus vterque tenet.
Vnus adhuc ſupereſt, nempe Ildephonſus *alumnus,*
Vrbis amor noſtræ, deliciæque ſimul.
Hunc Tu ſi reddas, Toletum *tunc Tibi grates*
Has referet, quantum quòd ſibi numen eris.

Ad Cardinalem Quirogam

Vt quondam tumulo erumpens LEOCADIA *Diua*
Diuo Ildephonso *talia verba refert:*
Per Te cœlorum Domina, Christique Parentis
Illæsus viuit virginitatis honos:
Sic eadem tibi; nunc ait, ô mi chare Quiroga,
Per te illæsa Dei viuit & alma fides.

Ad S.E. Toletana Senatum.

Vnde fit, ô Patres (cœtus quo illustrior alter
Non est in terris sub pietate Dei)
Tempore quòd vestro potius quàm ætate Parentum,
Toletum *Martyr, Virgo & Alumna redit?*
Indigetis reditum Deus ad vos vsque moratur,
Pro merito vt posset dignius illa coli:
Cùm probitas morum, recta & doctrina refulget,
Et manet in vobis intemerata fides.
Sacrorum cultus, Diuûm quo iugiter Aras
Lustratis, nunquam sanctior ille fuit.
Cantibus aßiduis reboat venerabile Templum,
Placatísque piâ Numina Sancta prece,
Instruitis populum exemplo, paritérque docetis,
Nil procul à Christi relligione sequi.
Prospicitis viduis, miseros subleuatis egenos,
Vtcumque afflictis denique fertis opem.
Concordes animis vos, Pastor & ipse Quiroga,
Certatis Christi pascere vtrique gregem.
Sic dùm vos inter felix concordia regnat.
Exultant ciues, & bona cuncta patent.
Præbet ager flores, reddunt grata arua colonis
Semina, multiplices terra refundit opes.
Opportunè ergo in Patriam nunc Diua reuertit,
Cùm tantis, tôtque est vndique plena bonis:
Cúmque etiam in patrios tanta est reuerentia Diuos,
Miratur quantam vos tribuisse sibi.
Quæ per vos rediens, per vósque excepta benignè,
Promittit vobis grata patrocinium.

Ad Vrbem Toletum.

Non alter stringit plenè data colla lacertus,
In nodum sese nectat vterque decet.
Altera LEOCADIÆ *cùm se tibi tenderet vlna*
Hactenus, amplexus dimidiatus erat
At gemina admissum dùm stringunt brachia collum,
Nunc verè amplexu te fouet illa suo.
Quod toties tot secla tuis, Vrbs Regia, votis

Optasti, hic felix attulit ecce dies.
LEOCADIA *& decus, & columen tua gloria tandem*
Sponte sua cupida se tibi restituit.
Ergo alacres attolle manus ad sidera, ouánsque
Excipe sacrata Virginis exuuias.
Vnde boni tamen nobis potuisset, IESV *Ad Societatem Iesu.*
Sancte, nisi à Sancto Nomine adesse tuo?
Qua tibi pracipuo seruit Gens dedita amore,
Cuíque tuum sola est gloria nomen, ea
Per mare, per terras, sauis Aquilonis ab oris
LEOCADIAM *Sedes pertulit ad patrias.*
Hactenus Arctoas gentes, populósque regebas, *Ad B. Leocadiā.*
Diua potens, gentem iam rege quaeso tuam.
Gens tua Nos; ergo acceptâ Nos claue guberna,
Inque clientelam suscipe, Virgo, tuam.
Nam si tu clauim teneas, clauúmque gubernes,
Si clauo nostram tu moderere ratem,
Sanguinolenta trucis non formidabimus hostis
Arma, nec angusti caca fluenta freti.
Quod si indignatum se tollat fluctibus aequor,
In tumidis mortem non metuemus aquis,

Hactenus Poëta Toletanus fulmina gratitudinis, & fluenta eloquentiæ feliciter perorauit; sed non hactenus aliorum Musæ, quarum symbola referre prolixum. Ast *P. Michaelis Fernandez*, cuius curæ hæc fuit commissa TRANSLATIO, extremum Virgini, & Martyri Vale dicentis Epigrammatum omittere ingratitudinis notâ sugillaremur, ideò illud en tibi lubens do.

Ergo iam tandem Virgo seiungimur? Ergo
LEOCADIA *amplexu separor alma tuo?*
Heu dolor! heu dolor! ingeminant mea pectora planctus,
Dántque locum lachrymis gaudia prima nouis.
Virgo vale, pia Virgo mea spes fida salutis,
Virgo Toletani *gloria prima soli:*
Corpore disiungor, tamen est (te testor) eritque
Æternùm, menti, mens mea iuncta, tua.

Sed vt huic festiuitati vltimam imponamus manum, necessariò Lectiones, quibus hac die S.E.T. vtitur, referre compellimur, vt & muneri pareamus, & ne incuriæ culpâ notemur.

ACTA TRANSLATIONIS PIGNORVM S. LEOCADIÆ Virginis & Martyris Toletanæ, Hannoniâ Toletum; ex Manual. Toletan.

QVO *tempore Diocletianus, & Maximianus Imper. immani crudelitate Ecclesiam Dei persequebantur*, B. LEOCADIA *Virgo* Toleti *in illo teterrimo carcere, vbi à Daciano Hispaniarum Praefecto, dirâ custodiâ ob Christi confessionem* *Lectio IV.*

confessionem macerata fuerat, Spiritum Deo reddidit. Cuius venerandum Corpus *à Christianis honorificè in suburbio sepultum est, vbi postea Gothorum Reges Catholici insignem Basilicam ædificarunt, quæ Toletanis Concilys, Sanctorum Episcoporum sepulturâ, & eximio eiusdem Virginis miraculo nobilitata est: nam festo suo, natali die, palam è sepulchro consurgens, Rege* Recesuintho, *multisque præsentibus* B.Ildephonsum *Episcopum allocuta, eius pietatem in defendenda SS.Dei-Genitricis virginitate, egregiè commendauit.*

Lectio V. Sarracenis *Hispaniam deuastantibus, cùm fideles ad munitiora loca confugerent, secumque complures SS.Reliquias pio deuotionis affectu deferrent, Corpus quoque* B. Leocadiæ *primò* Ouetum, *vt creditur, deinde in* Hannoniam, *quæ Galliæ Belgicæ regio est, translatum, in vetusto ac nobili Monasterio* Sancti Gisleni in Cella *Monachorum S.Benedicti, quod est in diœcesi Cameracensi, decenter repositum, magnum apud loci habitatores, vicinosque venerationem habuit per annos supra* CCCC. *Quòd* Philippus II. *Hispaniarum Rex Catholicus, & Belgy Dominus re diligenter cognitâ, pio Sacri Corporis in patriam reportandi desiderio exarsit. Quare à* Gregorio XIII. S.P. *facultate impetratâ, Archiepiscopus Cameracensis, & Abbas Monastery, Corpus ipsum ex Arca extractum, Religioso Sacerdoti ad id delecto solemniter tradiderunt, à quo in Hispaniam magna cum diligentia est perlatum.*

Lectio VI. Cum *igitur B.Virginis Corpus, quod viuum Spiritus Sancti templum fuerat, ad* Toletanos *fines ingenti omnium lætitiâ peruenisset, & Catholicus Rex ipse (qui eius rei causâ* Toletum *venerat, vnà cum* Maria *sorore vidua Augusta,* Philippo *Principe filio, &* Isabellâ *primogenitâ Infante) præsens adesset, statuto die in frequentissimo hominum conuentu, vniuersus Clerus, S.P.Q.T. processionis ritu maximè solemni, obuiam prodyt, & Ciuem suam, Patronámque optatissimam, incredibili pietate, & magnificentissimo apparatu excepit, ipsóque Catholico Rege, Principe filio, Virísque Hispaniæ Proceribus, suaue onus, piè, ac deuotè efferentibus, Sacræ Reliquiæ in nobilissima Vrbis primarium Templum, cunctis præ gaudio conlachrymantibus illatæ sunt,* VI. Kalend. Maij, *Anno Salutis* M.D.LXXXVII. *Quæ deinde Regia manu Cardinali Archiepiscopo, & Canonicis traditæ, ac* Toletanæ *Ecclesiæ perpetuò dicatæ, tanquam pretiosus, & planè cælestis thesaurus religiosissimè adseruantur. Eius autem Translationis anniuersaria memoria* Sixti V. Pont. Maxim. *auctoritate celebratur.*

Hæc breui compendio, vt Officio Ecclesiastico deseruirent, Acta conscripta huius Translationis in Tabulis Toletanis conspicimus, & recitamus quotannis. Cætera, quæ ad pompam, & ornatum festiuitatis illis temporibus euenêre, qui legere cupit, Libellum de hac Translatione supracitatum inquirat, vbi ad amussim.

QVINTO KAL. MAII.

DIES XXVII.

A. Bilbili *in Celtiberia Hispaniæ,* S. Marci, *Apostolorum Petri & Pauli Discipuli, qui cùm apud vrbem Atinam in Equicolis Italiæ, ab Apostolorum Principe ad fidem fuisset conuersus, ipsum & Paulum comitatus, Bilbili in Celtiberia prædicauit Hispaniæ, cuius Aposto-*

lus factus urbis, postquam in horreum Ecclesiæ plura fidei grana sedulus induxisset, Romam reuersus, & à B. Petro Atinensium Episcopus ordinatus, ibidem, Domitiano imperante, à Maximo Campaniæ Præside pro fide captus, & tortus, tandem coronam agonis Martyr intrepidus reportauit.

B. CARTHAGINE NOVA *Hispaniæ* S. FELICIS *ipsius Ciuitatis Episcopi, qui in Diocletiani Imperatoris persecutione, pro fidei confessione vexatus, variísque tormentorum cruciatibus affectus, demùm ad martyrij lauream strenuus Agonista cucurrit.*

NOTÆ.

SANCTVS MARCVS Episcopus, & Martyr.] Huius rei anamnesim pluribus circumfusis intueor inuolucris, maximè cùm *Iuliani* Archipresbyteri Toletani periodum, cuius clausulas obseruare compellor, oculis caligantibus intrepidus illustrare desidero. Is ergo nostrarum Antiquitatum eruditissimus Index in *Aduers. num. 2.* hæc verba conscripsit: *Florebat adhuc Sancta memoria* MARCI *cognomento* IOANNIS, *qui comitatus* Petrum, *&* Paulum *prædicauit* BILBILI *in* Celtiberia; *rursus alibi, ac postea Roma à* Petro *Apostolo* Episcopus *ordinatus, missus est* ATINAM *in* Equicolis, *& ibi prædicans in persecutione Domitiani, sub Maximo passus est.* Postmodum in ipsis *Aduers. num. 390. fol. 86.* ista recensuit: *Florebat adhuc Sancta memoria* S. MARCI *cognomento* IOANNIS, *S. Barnabæ Apostoli consobrini, qui comitatus priùs* Petrum, *pòst*, Paulum *ad* Hispanias *prædicauit* BILBILI, *in* Celtiberia: *rursus* ALLIÆ, *pòst*, *Romæ à* B. Petro *Apostolo* Episcopus *ordinatus, missus est.* (ATINAM) *in* Equicolis, *& ibi prædicans in persecutione Domitiani, sub Maximo passus est* XXVII. Aprilis: *cuius corpus, pòst, translatum est* Braccaram *in* Hispaniam; *quod ego vidi, coluíque ibi reuerenter, cùm essem* Braccaræ, *cum Domino meo Archiepiscopo* Bernardo, *ibidem nonnullos Menses commorante. Alibi* 27. Septembris. Hæc sunt in edito codice verba; quæ quantis glossematum interlineationibus imperiti laborent, sequentibus palàm fiet.

Iuliani periodus elucidatur.

Glossematis vitio laborant.

NVLLI dubium est quanta sit inter Scriptores Ecclesiasticos discrepantia, circa distinctionem Discipulorum, quos passim MARCOS appellant, scilicet inter MARCVM cognomento IOANNEM filium Mariæ, de quo S. Luc. *in Act. Apostol. cap. 12.* & inter MARCVM consobrinum Barnabæ, de quo idem *in Act. cap. 13.* quos diuersos constituit Dorotheus *in Synops.* Nam filium Mariæ *Byblidis* Ecclesiæ, & consobrinum Barnabæ, *Apollonidis* facit Episcopos. Nec non inter MARCVM interpretem *Petri*; quem *Euangelistam* vocitamus. Nullus istorum *Atinensium* fuit Episcopus, ergo à fortiori QVARTVM ab his distinctum MARCVM subiicere compellimur. Et licet non desint Patres, qui MARCO Barnabæ consobrino Euangelium adscribant, prout fuere S. Ieronym. *in Epistol. ad Philemon.* Theodor. Studit. & alij quos citat Baron. *tom. 1. Ann. 45. num. 45.* attamen contraria sententia tenenda est, vt probant idem Baron. *ibidem*; & Lorin. *in Act. Apostol. cap. 12.* ex eodem Ieronym. *de Script. Eccles. c. 8.* Isidoro Nostro *de Vit. & Obit. Patr.* & ex Basilio *contr. Eunom. lib. 5. cap. 57.* Hinc Baronius concludit: *Ex his igitur corrigendi sunt, qui dixerunt* MARCVM Euangelistam *illum esse, qui filius Mariæ* IOANNES *dictus*, MARCVS *cognomento est appellatus.* Quibus agnosces secundùm *Dorotheum*, alium esse MARCVM filium Mariæ *Byblidensem* Antistitem,

Quot fuerè discipuli vocati Marci?

Dorothei error.

An idem Marcus Euãgelista cum cæteris?

Tres MARCOS ex Dortheo.

tistitem, alium MARCVM consobrinum Barnabæ, Episcopum *Apollonidis*, & tertium MARCVM, *Euangelistam*. Sed si verum amamus, MARCOS, quos separauit *Dorotheus*; non duos, sed vnum fuisse hominem, probat *Baronius* hac serie: *Vnum quidem eundémque fuisse* IOANNEM MARCVM, *&* IOANNEM, *consobrinum Barnabæ, satis Lucas persuadet, dum* cap. 13. *ait*; IOANNEM *adhæsisse Paulo, & Barnabæ, cùm illi Antiochia accepissent Apostolatum; illúmque esse cognominatum* MARCVM, *idem Lucas* cap. 15. *inferius docet: Cuius occasione, quòd semel recessisset ab eis, & Paulus illum ampliùs recipere noluisset, ortâ dissensione inter eos, Barnabas (sic disponente Spiritu-Sancto) cùm relicto Paulo* MARCVM *assumpserit, eundémque in patrium solum Cyprum secum perduxerit; euidens est coniectura, eundem* MARCVM *Barnabæ consobrinum fuisse.* Hinc colliges, *Dorothei* errorem, & quod MARCVS Mariæ filius, & consobrinus Barnabæ vnus, & idem fuit. Quâ verâ amplexatâ opinione, remanet disquirendum, quâ Orbis parte, MARCVS iste Mariæ filius, & Barnabæ consobrinus Episcopatum egerit? Si stemus assertioni *Iuliani* Nostri prout editæ, & superiùs relatæ, quis dubitabit istum MARCVM fuisse Apostolum *Bilbilitanum*, & postmodum Episcopum *Atinensem* in Italia, maximè inspectis D. Didaci Portocarrero *in Histor. Ercauicens. cap.* 15. *fol.* 148. & D. Rodet. de Acuñ. *Histor. Braccar. tom.* 1. *cap.* 23. *fol.* 107. relationibus, quibus, sine examine, totam *Iuliani* ecphrasim suis idiomatibus traduxere? Si ergo assertioni Græcorum in Menolog. *die XXVII. Septembr.* à quo Martyrolog. Roman. *eod. die* vbi Baronius *in Not. lit. F.* conquiescimus illum Episcopum *Bybliensem* in Phœnicia fuisse, fatebimur; non tamen *Atinensem*; quia de isto *Atinensi* Præsule MARCO, tanquam diuerso agit Martyrolog. Roman. *die XXVIII. Aprilis*, vbi Baron. *lit. C.* ex quibus liquet, quòd aut falsò in Codice edito *Iuliani* commiscetur MARCVS filius Mariæ, & consobrinus Barnabæ cum MARCO Antistite *Atinensi*; aut quòd mutilâ relatione Græci, & Latini, MARCI *Bybliensis* Episcopi texuerunt elogium, eo quòd omiserint *Atinensem* infulam, & prædicationem *Celtiberiæ*.

Eius error Cōuincitur à Baronio.

Marcus filius Mariæ, & Barnabæ consobrinus, cui Sedi præfuit.

I. Opinio.

II. Opinio.

HVIC sic propositæ difficultati, in cuius solutione nō pauculùm desudauimus, vt veram intelligentiam, & lucem veritatis his dubiis clausulis afferamus, respondendum duximus; vtramque & *Iuliani* & *Menologij* periodum, glossematis vitio laborare: & patet contra *Iulianum* Nostrum; nam MARCVS Episcopus *Atinensis*, nec fuit nomine, aut cognomine IOANNES, nec *filius Mariæ*, nec *consobrinus Barnabæ*, sed quidam *Hebræus*, quem *B. Petrus* baptizauit apud *Atinam* vrbem Campaniæ, dùm Apostolus Romam iret ageret, vt deducitur ex *Actis MSS.* & aliis quorum meminit Baron. *tom.* 1. *Ann.* 44. *n.* 28. & nos infra dabimus, ergo perperam sciolus confarcinator, qui *Iuliani* textum coagulauit, duos MARCOS diuersos, vt diximus, in vnum fœdè coniunxit. Hinc expungenda veniunt, in vtroque textu *Iuliani* verba illa: *cognomento Ioannis*, in *Aduers. n.* 1. & illa *in Aduers. n.* 390. dicentia: *cognomento Ioannis, S. Barnabæ Apostoli consobrini*. Ita vt textus iste, his tantùm clausulis perseueret: *Florebat adhuc Sancta memoria* S. MARCI, *qui comitatus priùs* Petrum, *pòst*, Paulum *ad* Hispanias, *prædicauit* BILBILI *in* Celtiberia, *rursus* ALLIÆ, *pòst, Roma à B. Petro Apostolo Episcopus ordinatus, missus est* Atinam *in* Equicolis, *& ibi prædicans in persecutione Domitiani, sub Maximo passus est* XXVII. Aprilis. Hac sic formatâ periodo, & expunctô glossemate, remanet *Iuliani* ecphrasis genuina, pura, & *Actis MSS. Atinensibus* conformis, vt postmodùm patebit.

Opinionis I. relatio respuitur, & glossema in Iuliani codice propalatur.

DIXIMVS, *Menologij* quoque clausulam claudicare, & consequenter eandem additam à Baronio in *Martyrologio Romano die XXVII. Septembris*, à Græcis extractam; quatenus MARCVM filium Mariæ, & consobrinum Barnabæ, Episcopum *Byblensem* constituere Græci conantur. Probatur: nam auctoritas *Menologij* sæpè sæpiùs excidit, maximè si *Dorothei* relatione fulciatur, cuius fabellas passim irridet *Baronius*; istam ergo MARCI cognomento IOANNIS infulam Græci ex *Dorotheo* deduxêre, vt inquit ipse Cardinalis in omnibus Cæsar, *d. Ann.* 45. *n.* 45. vbi de hac re agens: prosequitur: *Ex his planè erroris redarguitur* Dorotheus, *qui in sua* Synopsi, *quamplurima confarcinauit mendacia, dùm distinguens* MARCVM *consobrinum Barnabæ, à* IOANNE *cognomento* MARCO: *illum quidem Ecclesiæ* Apollonidis,

Opinionis II. ecphrasis cōuincitur, & Menologij auctoritas interpretatur.

Apollonidis, *hunc vero* Byblidis *præpositum dicit Episcopum*: ergo Græcorum auctoritas claudicat, & ex consequenti additio in *Martyrologio Romano*, quatenus ad MARCI Episcopatum *Byblensem*: & eò magis, quia ipse Baronius *in Annal.d.n.45.* eandem quatenus à *Dorotheo* respuit emanatam.

PROBATVR *secundò*, nam nullibi (præter Græcos ex *Dorotheo*) huius *Byblensis* infulæ memoriam in relato MARCO perleges, quin potiùs contrarium. Audi *Petri* Apostoli Acta apud *Metaphrast.* vbi recensentur vrbes, quas lustrauit Apostolus, & quibus Episcopos constituit, apud Lippoman. *fol.311.* his verbis: *Cùm ab Ierusalem venisset* Cæsaream, *& ibidem* Episcopum *constituisset, venit* Sydonem, *vbi cùm multos curasset, &* Episcopum *constituisset, venit* Berytum, *in qua, cùm ex his qui sequebantur vnum ordinasset* Episcopum, *venit* BYBLVM, *deinde* Tripolim; *& apud Marsonem, virum quendam prudentem diuersatur, quem cum fidelibus, qui erãt* Tripoli *Phœnicia* Episcopum *constituisset, venit* Orthosiam, *deinde* Antardum, *deinde in* Insulam, *quæ dicitur* Aradus, *deinde* Balanæas, *& illinc* Panta, *deinde* Laodicæam, *in qua cùm multos curasset, qui morbis laborabant, & vexabantur à dæmonibus, Ecclesiámque congregasset, &* Episcopum *constituisset, venit* Antiochiam *Syriæ ciuitatem.* En Petrum Apostolum per *Phœniciam* Episcopos constituentem, & BYBLI prædicantem, nec prorsus Episcopum in ea relinquentem: ergo perperam Petrus constitutum Episcopum MARCVM apud *Byblum* somniauit. Quod & retulit Baron. *Ann.44.n.10.* vbi *Petri* per *Syriam* itinera recenset. Nec obstat si dicatur, MARCVM Mariæ filium, & consobrinum Barnabæ non à *Petro*, nec *Paulo* Episcopum *Byblensem* constitutum, sed ab alio Apostolo: Quia respondetur, Menologium *die 27. April.* expressè ab *Apostolis*, scilicet *Petro*, & *Paulo* fuisse *Byblensem* Episcopum ordinatum, affirmare, his verbis: MARCVS *verò est, quem consueto nomine* IOANNEM *vocabant, cuius* Lucas *meminit in* Actibus Apostolorum. *Fuit autem* Episcopus *ab* APOSTOLIS *in* Bibliopoli: ergo eo ipso, quòd Episcopum fuisse constitutum ab APOSTOLIS dixere, intelligendum erit per antonomasiam à *Petro*, & *Paulo*; vt & euênit Nostris Septem Episcopis Hispaniæ, de quibus Martyrol. Rom. *die 15. Maij*, vbi post eorum natalem, & nomina, prosequitur: *Qui Roma à Sanctis* APOSTOLIS *Episcopi ordinati*, &c. Quæ verba expendens Gregorius VII. Pontifex Max. *in Epist. ad Alphonsum Regem*, fatetur: *Septem Episcopos ab vrbe* Roma *ad instruendos* Hispaniæ *populos à* PETRO, *&* PAVLO Apostolis, *directos fuisse.* Ergo idem erit dicere quenquam ordinatum fuisse *Episcopum* ab APOSTOLIS, ac dicere à PETRO, & PAVLO. ergo cùm dicat *Menologium* quod MARCVS iste fuit *Episcopus* ab APOSTOLIS in *Bibliopoli*, intelligendum est de PETRO, & PAVLO: hoc nullibi constat, nisi ex *Dorotheo*, sæpius à *Baronio*, etiam circa hoc, confutato; igitur textus vtriusque *Menologij*, & *Martyrologij*, quatenus de Episcopatu MARCI *Byblensi* agunt, prorsus euanescunt.

Episcopi constituti à Petro in Phœnicia.

Nullũ apud Byblum reliquit.

Apostolorũ nomine, per antonomasiam intelliguntur Petrus, & Paulus.

PROBATVR *Tertiò*, nam Anno Christi LX. & Neronis IV. & Pauli vinculorum II. erat Romæ cum Apostolo Gentium, MARCVS iste filius Mariæ, & consobrinus Barnabæ, absque vllo Episcopatus munere, vt ex *Epistol. ad Coloss. cap.4.* liquet, quâ scribens *Paulus*, hæc ait: *Salutat vos Aristarchus concaptiuus meus, &* MARCVS *consobrinus Barnabæ.* Et in *Epistol. ad Philemon. cap.1. in fin.* vbi eundem MARCVM vnà cum cæteris *adiutorem suum* appellat, & eius salutes Philemoni mittit. Si ergo MARCVS ab eo, aut Petro *Byblensis* fuerat *Episcopus* ordinatus, proculdubio eius Sedis meminisset in chartis, nec huius qualitatis obliuisceretur; ast cùm de infulâ altum silentium; ergo signum est ad hunc annum nullam induisse. Et confirmatur, nam Anno antecedenti scilicet LIX. Christi, MARCVS iste commorabatur apud *Ephesum*, & quia *Paulus* eius ministerio vti cupiebat, scripsit *Timotheo* Episcopo Ephesino: MARCVM *assume, & adduc tecum: est autem mihi vtilis in ministerio.* Vt ex *Epist.2. ad Timoth. cap.4.* liquet. Si ergo MARCVS apud *Ephesum* moras trahebat, ergo nequaquam Episcopus *Byblensis* erat; nam si fuisset, proprias oues relinquere non curasset.

Quo tempore Marcus erat Romæ cum Paulo. I. Opinio.

SI ergo adhæremus SECVNDÆ opinioni, quâ docemur, MARCVM *Epheso* Romam aduentasse propter *Pauli* ministerium *Anno LXIX.* hoc est *vltimo* Apostoli vitæ, vt viriliter contendit Euseb. *lib.2. Histor. Eccles. c.21.* dicens: *Pòstquam vrbem Romam* PAVLVS secundò *aduenerat, beato martyrio, extremum vitæ diem obiturus,*

II. Opinio.

SECVNDAM *texuit ad Timotheum* EPISTOLAM, *in qua migrationis suæ ex hac vita, quæ è vestigio secuta est, mentionem fecit.* Hanc opinionem etiam secuti sunt S.Ieronym. *de Scriptor.Eccles.c.*5. S.Ioann.Chrysostom. *hom.*1.*ad Epist.*1.*ad Timoth.* Nicephor.*Hist.Eccles.lib.*2.*c.*34.Theodoret.*in Ep.*2.*ad Timoth.* Anselmus,& Theophylactus, & alij relati à Caietano, Magalhano, Seruatio, Cornelio à Lapide *in d.*2. *Epist.ad Timoth.*& Perer. *in Prolegom.Epist.ad Roman.n.*42.efficaciùs nostræ huius secundæ probationis apex roborabitur; nam eâ probabimus, MARCVM ad vsque Apostolorum vltimum vitæ deliquium, nullibi Episcopali insignitum Cathedra, nec constitutum inueniri.

QVÆ si ita sunt, & non liquet de Episcopatu MARCI Mariæ filij, & consobrini Barnabæ, ex authore probato; imo nec ex Martyrologio Romano, cùm tantùm Bybli illum esse defunctum, referatur, vt quid non pari modo credemus irrepsisse mendum apud *Dorotheum*, & *Menologium*, apud qnos MARCVM, Episcopum *Byblensem* intuemur, & hunc filium Mariæ, & consobrinum Barnabæ, cum re verà alius nomine MARCVS, Apostolorum Discipulus extiterit Prædicator *Bilbilitanus*, & Episcopus *Atinensis*? Nulli dubium est, fuisse MARCVM Discipulum Apostolorum, cuius præconiis in fide *Bilbilim* fuisse Christi excitatam, & erectam, pro vt inquit Primus Cabilonens. *in Catal. Discipul.* vbi MARCVM *Bilbilitanum* Episcopum vocat, licèt Græcorum errore ductus, illum cognomento IOANNEM appellitet. Hinc crediderim confusas esse apud Scriptores res gestas horum Sanctorum, quæ MARCORVM nominibus circunferuntur; & quæ MARCI *Atinensis* Episcopi, & Prædicatoris fuêre *Bilbilitani*, hoc non cognito, tribuêre MARCO cognomento IOANNI. Quin vt faciliùs Græcorum confusio cognoscatur, instare compellor, vt quid ipsi in *Menologio*, duplici elogio, diuersis diebus, scilicet XXVII. *Aprilis*, & XXVII. *Septembris* de eo meminere? Si coniecturis est standum, crederem, in primo, hoc est, *die XXVII. Aprilis*, proculdubio de MARCO *Atinensi* verba facere intendere, quia in elogio huius diei, illum Episcopum *Bibliopolitanum* constituunt, quod non fecêre *die XXVII. Septembris*; ergo signum est *Græcos* locutos *die XXVII. Aprilis* de MARCO apud *Bibliopolim* Episcopo; & *die XXVII. Septembris*, de alio MARCO cognomento IOANNE, titulo Episcopi, sed sine Sede. Nec obstat, quòd repetunt *die XXVII. Aprilis*, agnomen IOANNIS, quia insequendo vestigia *Dorothei*, quid mirum, si omnia inuertere sunt aggressi. Hinc etiam elicimus, omnia hæc, etiam in die agonis, conuenire cum *Iuliano* Nostro, explosis glossematibus.

Error Dorothei, & Menology.

Conuincitur ratione, & coniecturis.

HIS sic delibatis, venio ad probationem sanctitudinis Nostri B. MARCI, *Bilbilitani* Apostoli in Celtiberia Hispaniæ, & *Atinensis* in Campania Italiæ, Episcopi, & Martyris. De ea Martyrolog. Romanum isthæc verba subiungit: ATINÆ *Sancti* MARCI, *qui à S.Petro Apostolo, Episcopus ordinatus, Equicolis primùm Euangelium prædicauit, & in persecutione Domitiani, sub Maximo Præside martyrij coronam accepit.* Cui conueniunt P.Vazq. in Martyrolog. *Castellano.* P. Lobo *in Lusitano*, & Constant. Felic. *in Italo.* P. Higuera *in MS. Hispano*, hæc verba, *Iuliano* adhærens, profatur: *En* Atino *Ciudad antiguamente Episcopal en la Campania* S. MARCOS [*llamado* IVAN] *que acompañò à* España *à S. Pablo, y predicò en* Calatayud *de* Aragon, *y bolviendo à Roma pasò à los Equicolos, y en la dicha ciudad de* Atino *ordinado Obispo por S. Pedro, padecio martirio en tiempo de Domiciano.* Quæ Latinè sonant: ATINÆ *olim vrbis Episcopalis*, S. MARCVS [*vocatus* IOANNES] *qui Paulum in* Hispanias *est comitatus*, Bilbilim *in* Celtiberia *prædicans*, *Romam reuertitur, vbi à Petro Apostolo* Atinensis *Episcopus factus, ibidem sub Domitiano martyrio coronatur.* Philipp.Ferrar.*in Topograph.SS.verb.*Atinæ *fol.*15. & in *Catal.SS.Italiæ fol.*221. Baron. *in Annal.Eccles.tom.*1.*Ann.*44.*n.*28. Amicus Noster D.Didac. Portocarrer. *Histor.Ercauicens.c.*15.*fol.*148. D:Roder.Acuñ. *Histor.Braccar.*1.*p.c.*23.*fol.*107. Eius ACTA scripsisse fertur tam versu, quàm prosâ *Petr.Paul.Florius* Romæ typis edita, *Anno* 1599. quæ nondum ad manus peruenêre. Illa ex *Iuliano* Nostro, & *Philippo Ferrario* extrahemus, vt integra proferamus.

Martyrologia.

Scriptores.

ACTA

ACTA S. MARCI DISCIPVLI *Apostolorum Petri, & Pauli, Bilbilitani in Celtiberia Apostoli, Atinensis Ecclesiæ Episcopi, & Martyris; ex Varijs.*

ANNO *secundo* Claudij Cæsaris *post fundatam, & erectam Antiochenam Ecclesiam,* B. Petrus *Apostolus Romam, vt vniuersalis Ecclesiæ thronum futuris seculis illibatum, vsque ad vltimum constitueret, pergere destinauit; & optimè, nam ad totius mundi principem ciuitatem accedere Principi debebat Apostolorum, vt quæ primaria erat Orbis vrbs, primum, & maximum haberet Pastorem. Perrexit igitur, Domino iubente, Apostolus in vrbem, vnà cum* Marco, *qui postea ab eodem* Petro *acceptum scripsit Euangelium; cum* Apollinare, *qui ab eodem postmodum* Rauennati *est præfectus Ecclesiæ; cum* Martiale, *qui est inde missus ad* Gallias; *cum* Ruffo, *qui fuit* Capuanus *Antistes; cum* Pancratio *Tauromenij; cum* Martiano *Syracusis; & alijs commilitonibus. Ergo* Tharsum *deueniens, cùm ibidem* Vrbanum *constituisset Episcopum, &* Epaphroditum *Andricæ Liciæ, &* Phigellum *Ephesi, quem aiunt à rectâ viâ diuertisse, & cum Simone Mago sensisse, & Smyrnæ* Apellem, *qui erat frater* Polycarpi, *venit in Macedoniam. Cùm enim Philippis* Olympum *Episcopum constituisset, & Thessalonicæ* Iasonem, *& Corinthi* Silam, *nauigauit in Siciliam, & cùm Neapolim Campaniæ vrbem nauigio delatus accederet, ibidem vnà cum suis Missam celebrauit. Post iterum Neapoli soluens, vi ventorum defertur Liburnum, indéque Pisas conscendens, ibi etiam ex more sacrificium obtulit incruentum, qui locus in tantæ rei memoriã, adhuc celebris perseuerat. Reuersus igitur Apostolus, sedatâ tempestate, Neapolim, pedestri itinere Romã deuenire cõstituit, & ad* Atinensem *vrbem Campaniæ accedens, in domo cuiusdã nobilis, & præclarissimi viri, cui* Palatianus *nomen, iuxta Templum Iouis, prope portã maiorem, hospitatus est. Ibidem (vt traditio est) S. Apostolus exoluens brachia ferro, & mentum pectine attondens, hospitis est charitatem expertus. Sed cùm aliquando inter loquendum, esse in eadem domo Galilæum quendam,* MARCVM *nomine, vitam in peregrinatione ducentem, cognosceret; illum coram se accersitum, de genere, & patria interpellatum, ipsum esse Hebræum, & in Galilææ finibus ortum, verâ relatione percepit.*

S. Petrus Antiochia Romã proficiscitur.

Itinerarium Petri.

Atinam peruenit.

Marcum Hebræum inuenit.

TVM *Petrus, qui in homine illo ingenium ad pietatis ministeria obeunda, & prudentiã ad religionis mysteria tractanda efficaciter explorauerat, illum Apostolicis instruere verbis, & Euãgelicis adstruere vocibus, incepit.* MARCVS *verò, qui fulminantia à Petri ore veritatis emissa fundamina percipiebat, monitis cedens, & doctrinis succumbẽs, suaui Christi iugo, collum humilis agonista submisit. Cuius Apostolus conuersionem conlaudans, futurum Domini Discipulum integrâ fide conspicuum, & strenuum Martyrem constanti confessione percelebrem, post baptismi lauacrum, securâ ponderatione prædixit. His itaque apud* Atinam *peractis, Petrus cæptum iter peragere cupiens, absoluto conuersionis negotio, Vale dicens* Palatiano, *secum referẽs, vt promiserat,* MARCVM, *Romam ingreditur, vbi nouum Discipulum Christi regulam perfectâ catechesis admonitione perdocens, egregium Ecclesiæ obtulit assertorem. In contubernio equidem Petri moras traxit* MARCVS, *quousque Claudius Imperator, eius Anno IX. & Christi LI. post erectam Sedem Romanam VII. publico præcepit edicto, vt Iudæi Româ pellerentur; cuius præcepti rigorem singuli continentes Hebræi, vrbem relinquentes, Petrus Ierosolymam,* MARCVS Atinam, *breui itinere rediêre. Domo demum heri* Palatiani *benignè* MARCVS *susceptus, in ea, vigilijs, & orationibus vacans perstitit, omnibus admirabilis, donec Paulus Apostolus Anno III. Neronis, Christi LIX. & Petri in Romana Sede XV. Ierosolymâ Romam vinctus ob inuidiam Iudæorum, à Festo Præfecto dimissus est. Cuius ibi vinculis catenas deosculatus sæpesæpius* MARCVS, *ei adhærens, fluenta doctrinæ prouidus ebibebat Apostolicæ.*

Illum ad fidem conuertit.

Romam defert.

Marcus Atinam reuertitur.

Paulo adhæret, quem ad Hiſpanias comitatur.

POSTHÆC *ſolutus è carcere* Paulus, Hiſpanias (*vt promiſerat*) *adire compulſus, iter incepit, plures ſecum Diſcipulos referens, inter quos* Paulum Sergium, *quem apud Narbonam*, Trophimum *Arelate, apud Viennam* Creſcentem *reliquit Epiſcopos, &* MARCVM *Noſtrum, cui* Celtiberiæ, *& maximè* Bilbilis *prædicationem totis viribus commendauit, donec Regionis ambitus Apoſtolus, ob debiti ſolationem, & à* IACOBO *Hiſpaniæ Apoſtolo, cui ſucceſſerat, erectas Eccleſias, propriâ interuentione luſtraret. Annuit* MARCVS *Pauli præceptis, &* Celtiberiam *ingreſſus, omnes illius prouinciæ vrbes inuiſens, Chriſti fidem ſingulis ciuibus, & accolis prædicabat.*

Celtiberiæ prædicat.

Tandèm Bilbilim *concedens, & ibidem fidelium agmina referens Euangelicæ veritatis ſemina iaciens, breui fideles fructuum prouentus copioſiſſimos Eccleſiæ Matri collegit. Poſtmodùm* Manliam *vrbem deueniens, quæ ab alijs etiam dicitur* Ercauica, *in* Celtiberiæ *finibus ſitam, veritatis dogma ſpargens, non paucos in rete Catholicæ Religionis immiſit, qui inpoſterum pro Chriſti nomine ſtrenui milites conflixère.*

Item Bilbili, & Manlia.

DENIQVE *Hiſpaniam deſerente* Paulo, MARCVS *Romam reuertitur, vbi inuento Apoſtolorum Principe, cui miſſionis patefecit ſtatum, ab eo benignè ſuſceptus, grates in Domino à* Petro *ſuſcepit, qui* MARCI *pietatem, doctrinam, & prudentiam expertus*, Atinenſium *Epiſcopum ordinatum, ad propria Deo annuente remiſit. Veniens itaque* MARCVS Atinam, & Palatiani *hoſpitis ſui vxorem defunctam inueniens, dùm illum ſtudet conſolari, multa de huius vitæ caducæ vanitate, & fragilitate, ac de æterna felicitate, quam Deus in ſe credentibus, & ſperantibus, ſéque diligentibus pollicetur, effatus, ita ad fidei Chriſtianæ ſuſceptionem diſpoſuit, vt breui eam cum tota familia baptizaret, templúmque Iouis in Eccleſiam conuerſum, quæ Cathedralis* Atinæ *fuit, conſecrarit. Cùm autem ex illo phano Tonantis* MARCVS *abſtuliſſet ſtatuam, Gentilium ſic liuor furibundus exarſit, vt illum apud* Maximum *Campaniæ Præfectum, turbis tumultuantibus accuſaret. Præfectus verò re ad Imperatorem* Domitianum *delatâ, reſcriptum, de puniendis Chriſtianis quibuſlibet, accepit. Hinc aduerſus omnes Chriſti fideles, qui erant* Atinæ, *cruentam furibundus perſecutionem excitans,* MARCVM *Sacerdotis Idolorum ſuggeſtione protractus, funeſto carceri mancipauit. Poſtmodùm S. Præſulem educens ex cuſtodia, vt Deos venerari velit ſuadet. Aſt B. Antiſtes, Idola, homines ſceleſtiſſimos fuiſſe recenſens, purâ animaduerſione calcauit. Cuius audaciam* Maximus *audiens, irâ commotus, S. Virum in obſcuriſſimo carceris ergaſtulo detrudi præcepit, quo cùm per ſeptem dies detineretur incluſus, nec cibi copia miniſtraretur eidem, licèt Angelicis roboratus cibis, tandem è carcere eductus, poſt longam diſceptationem de Ioue, & de alijs Dijs, & de mundi opifice, cùm conſtans in fide reputaretur, nec ab eo Gentilium fraus minis, aut promiſſionibus aliquid adipiſci valeret, tandem dictâ in eum ſententiâ, extra vrbem deducitur, vbi duobus clauis per frontem, & tempora transfixis, capite truncatur,* V. Kalend. Maij, *Anno Domini* XCVI. *Cuius* Corpus *à Chriſtianis tumulatum, cùm diù abſque veneratione, quæ Sanctis debetur, fuiſſet, quo tempore innumerâ luporum, qui homines deuorabant, multitudine, & maximâ ſiccitate, tota ferè Campania, & Latium affligebantur, in viſu S.* MARCVS *cuidam Sacerdoti apparuit, & ſi populi ab ea calamitate liberi eſſe velint, vt pœnitentiam agerent, & feſtum ſibi diem, vt olim, celebrarent, admonuit. Quod vbi factum eſt, & imber copioſus de cœlo deſcendit, & lupi fines Atinæ deſerunt qui finitimos agros, vna cum ſiccitate vexabant. Proceſſu autem temporis S.* MARCI *pignora ſacra* Atinâ Braccaram *delata, in propria Eccleſia condita, illius inclytæ vrbis ſplendorem adaugent; quorum Deus impetratione innumera ægrotis continuò beneficia admirabiliter elargitur, vt tabulæ, & vota in Eccleſiæ parietibus pendentia teſtantur.*

Romam repedauit.

Epiſcopus Atinenſis fit.

Comprehenditur.

Torquetur.

Coronatur.

Corpus Braccaram transfertur.

Hactenus

Hactenus ACTA: Circa quorum intelligentiam nonnulla exploranda veniunt, quibus huius ecphrasis recensio solidetur; & in primis disquirendum est, an MARCVS Noster fuerit dominus domus, quâ *B. Petrus* apud *Atinam* diuersatus est? Cui quæsito in hæc verba respondit Cæs. Baron. *Ann. 44. num. 28.* ex MSS. Atinensibus: *Inde verò Romam venisse* (Petrus) *licèt in aliquibus MSS. quibus res gesta MARCI Episcopi* Atinæ, *narrantur*, Petrum *pedestri itinere Neapoli Romam venisse, & Atinam ad MARCVM gentilem suum, Galilæum hominem diuertisse, scriptum habeatur.* Sed saluâ pace tanti calami, contrarium *ex MSS. Atinensibus* elicitur, vt videre est apud Vghell. *tom. 1. Ital. sacr. in Appendice fol.* 494. vbi *Breue Chronicon* Atinensis Ecclesiæ, ante CCC. ferè annos scriptum inseritur, quo agens Author de Claudij imperio, prosequitur: *Secundo anno eius*, Petrus *Apostolus, cùm primus Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam mittitur, ibique Euangelium prædicans XXV. annis eiusdem vrbis Episcopus perseuerat. Sed interdum ad* Atinensem *se contulit ciuitatem, hospitatúsque est in domo cuiusdam nobilis, & præclarissimi Viri* PALATIANVS *nomine.* Et post pauca: *Inuenit autem in eadem domo Galilæum quendam, vitam in peregrinatione ducentem*, MARCVS *nomine.* Ex quibus verbis deprehenditur, dominum domus, non MARCVM, vt innuit *Baronius*, sed PALATIANVM fuisse vt *Atinensia MSS.* suadent.

An Marcus dominus domus Atinensis?

Error Baronij.

II. QVÆRITVR an post conuersionem fuerit ordinatus MARCVS à Petro Episcopus Atinensis? Chronicon Atinense *vbi supr. d. fol.* 494. in hæc verba respondit: *Quem* (MARCVM) *Apostolus futurum Christi Discipulum intuens, Apostolicis verbis eum instruere cœpit. Qui eius suscipiens monita, & lauacrum suscepit Baptismi. At Apostolus cœptum peragere cupiens iter, eundem* MARCVM, *nouum Discipulum Romam secum adduxit, ibidémque in fide Christi perfectè instruens eum, ad olim quam deseruerat ciuitatem Pontificatus infulis decoratum, remisit illum, dans in mandatis Euangelium Christi inibi prædicare.* Sed non hæc verba sic intelligenda *Chronici* sunt, vt excludant discipulatum Pauli, & cum eo aduentum in *Hispanias* ante Præsulatum *Atinæ*; quæ qualitates ignotæ *Atinensibus*, Nostratibus fuere communes, & quas omisit *Chronicon* vetustum, supplebit *Iulianus* vetustior Chronographus, illum audiamus: *Florebat adhuc sanctæ memoriæ* S. MARCI, *qui* (Romam) *comitatus priùs Petrum; pòst, Paulum ad* Hispanias, *prædicauit* BILBILI *in Celtiberia, rursus* ALLIÆ (lege MANLIÆ) *pòst, Romá à B. Petro Episcopus ordinatus missus est* ATINAM *in Equicolis.* En ante præsulatum *Atinensem*, qualiter fuerat MARCVS discipulus Pauli, cuius comes factus, in *Hispanias* deuênit, & *Celtiberiæ* Apostolus factus, prædicauit BILBILI, & MANLIÆ. Non est audiendus D. Roder. de Acuña *Hist. Braccar. d. c.* 23. qui perperam vrbem ALLIAM (quæ corruptè in edito codice sic scribitur, pro MANLIA) posuit in Italia; cùm *Iulianus* loquatur de vrbibus Hispaniæ, sic: *Prædicauit* BILBILI *in Celtiberia, rursus* ALLIÆ: & protinus sequitur: *Pòst Roma*, &c. ex quibus clausulis colligitur quod MARCVS prædicarit BILBILI, & MANLIÆ *in Celtiberia*, & postmodùm Romam reuersus, à B. Petro *Atinensium* Episcopus ordinatus, ad Sedem remittitur. Sic sunt intelligenda hæc *Iuliani* verba, prout illa intellexit *D. Ioseph. Pellicerius* méus, sæpiùs laudatus à me, imò ab omnibus, qui eruditionis agonalia perlustrant, relatus à *D. Didaco Portocarrero* Extrematuræ meæ origine nobilissimo, & Charitum proculdubio doctrinâ charissimo *d. cap. 15. fol.* 148.

Quo tempore fuit ordinatus Episcopus?

Supplentur Chronicon Atinense ex Iuliano.

Error Roderici de Acuña.

III. QVÆRITVR, quo Anno MARCVS martyrio coronatur? *Petrus Paulus Florius*, qui Nostri Martyris Acta publicauit, martyrium ad *Annum L X.* reiicit, sed eius errorem adnotauit *Ferrarius*, & optimè: Nam si vt ille fatetur sub *Domitiano* patitur, & iste Imperator Romani Orbis gubernacula *Anno Domini L X X I I.* suscepit, quo potuit modo, duodecim ante *Domitiani* dominationem, coronam S. Martyr in agone percipere? Irrepsit ergo mendum in *Florio*, quod emendauimus in Actis, & *Annum X C V I.* expressimus, ducti ex citato Chronico Atinensi *d. fol.* 494. in Domitiano, vbi hæc verba: *Sub huius temporibus passus est Beatissimus* MARCVS, Atinensis *Episcopus, Discipulus B. Petri Apostoli*, à Maximo *Præside totius Campaniæ Anno post passionem Domini* LXIII. *Quarto Kal. May.* En post passionem Dominicâ, LXIII. Annus, cui si addas XXXIII. arithmeticâ ratione summabis martyrium consummatum fuisse *Anno X C V I.* Nec dies *in Chronico Atinensi* consignatus te terreat,

Quo Anno coronatur?

Error Petri Pauli Florij.

Dies agonis apud Hispanos. prout nec *Martyrologium Romanum*; Quia licèt ille sit verus dies passionis, Nos nostrarum Ecclesiarum diem festum, & memorabilem intuentes, potius nostris, quàm exteris adhæremus. Hinc est, quòd hoc die Nostri MARCI memoriam veneramur, quia *Iulianus*, hoc die, celebrem in *Hispania* fuisse fatetur.

Quo Anno Translatio effecta est? IV. QVÆRITVR, quo tempore sacra pignora Atinâ Braccaram fuêre translata? De quo altum silentium apud Nostrates. Illud in comperto est, quòd Anno M. C. X. quo *D. Bernardus* Toletanus Antistes iuit *Braccaram*, vt refert Iulian. *in Chron. n.*613. *fol.*131. iam pignora sacra in templo peruetusto apud illam vrbem erant condita, vt refert idem Iulian. *Aduersn.*390. *fol.*86. vbi agens de S. MARCO *Atinensi* prosequitur: *Cuius Corpus, post, translatum est* Braccaram *in* Hispania: *quod ego vidi, colui que ibi reuerenter, cùm essem* Braccaræ *cum D. meo* Bernardo, *ibidem nonnullos menses commorante.* D. Roder. Acuñ. *d. cap.*23. ista profatur latinitate donata: S. MARCI *venerabile Corpus exinde* Braccaram *translatum est, vbi in Antiquissima Capella, suo Nomini dicatâ, ad Campum* dos Remedios, *in iaspidino sarcophago, decentissimè iacet: ibidem plurima Deus beneficia, sancti Martyris impetratione, hominibus impartitur: ibidem* Interamnensium *accolarum concursu S. Præsulis pignora visitantur, muneribus afficiuntur, & totis visceribus venerantur, & coluntur. Humi puluis è sarcophago extractus, varijs medicamen est ægritudinibus. Iuxta Capellam, Xenodochium conspicitur. Via est in vrbe, qua* S. MARCI *vocatur, ideo quod per illam ad Oratorium deueniatur, à quo nomenclaturam accepit. Quo tempore hæc facta fuerit Translatio ignoratur, aut Scribentium incuriâ, aut annorum labilitate.* P. Anton. Vasconcel. *in Descript. Portugall. fol* 521. *n.*3. de hisce Reliquiis itidem meminit.

Iam erant translata pignora Anno 1110.

Monimenta Atinensia contra Braccarenses proclamant. SED valde hisce sententiis Nostratium refragantur *Atinensia* monumenta, quibus colligitur, nullibi exinde extracta S. MARCI lipsana fuisse; nam licèt ex einsdem vrbis *Chronico* constet, Arcadium Imperatorem ciuitatem istam penitus diluisse, ita vt nihil, extra rudera, in eius ambitu viseretur, quo excidio S. Præsulis pignora prorsus laterent, attamen ad *Annum M. XLIV.* tempore *Leonis* Episcopi *Atinensis* illa, Deo annuente, reperta sunt; en Chronici *fol.*500. verba: Leonis *Episcopi tempore à ciuibus constructa est Ecclesia* S. MARIÆ *in Templo Saturni: huius etiam tempore inuentum est* CORPVS *Christi Martyris* MARCI, *quod latuerat in Episcopio* Atinensi, *sub Altare Maiore.* Quâ periodo monemur, quatenus tempore *Leonis* Episcopi *Atinensis* CORPVS S. Præsulis adhuc in Ecclesia *Atinensi* esset. Quòd fuisset *Anno M. XLIV.* patet ex *Catalog. Episcopor. Atinens.* relato à Michael. Monach. *in Sanctuar. Capuan. fol.* 233. vbi agens de *Adenulpho* Archiepiscopo Capuano, ait: *Anno Dominicæ Incarnationis* M. XLIV. Adenulfus *Capuanus Archiepiscopus, cùm iam sceptrum Archiepiscopale sumpsisset, in Sede* Atinensi *ordinauit* Leonem *Præsulem.* Et paulò post: *Leone autem Episcopo* Atinensi, *inuentum est* CORPVS *Sancti* MARCI. I. *Episcopi illius Ecclesiæ: quare* Adenulfus *Archiepiscopus totum Officium* S. MARCI *versibus Leoninis composuit, Ecclesiæque* Atinensi *recitandum tradidit. Inuentionem quoque Hexametris, & pentametris scripsit; lubet hic apponere saltem Versus Inuentionis.*

Atina inueniuntur lipsana Anno 1044.

Inuentionis Carmen scriptum ab Adenulfo Episcopo Capuano, eodem Anno.

Concio læta canat, exultet corpore MARCI,
Qualiter ista dies glorificata fuit.
Sedis Atinensis LEO *Præsul iura tenebat,*
Cum sic gleba sacri Corporis aucta fuit.
Quidam Romanus vrbem deuênit Atinam,
Pontificem quærens, inuenit, alloquitur.
Martyr honorandus me misit, nomine MARCVS,
Quæ mihi monstrauit notificare tibi.
Ante sepulturam, quæ Martyrus esse Nieandri
Dicitur, inuenies, OSSA *beata Viri.*
Præsul ad hæc lætus, venit huc, tumulúmque requirit,

Vir

Vir monstrat: lapidum magnus aceruus erat.
Tolluntur lapides, titulum lapis obtulit vnus,
Incipiunt nomen cernere: MARCVS *erat.*
Presbyteris terram iussit Pater inde cauare,
Cœpit, lassatur, Presbyteri fodiunt.
Dum sic certatur, dum quisque labore grauatur,
Ad tumulum veniunt, panditur & tumulus.
Exit suauis odor, voluit Pater ista latère,
Fama replet populum, turbâque tota ruit.
Tunc verò clamor ad sydera tollitur ingens:
Plebs, pariter clerus glorificant Dominum.
Vesper erat, leuat OSSA *Pater, capsâque reponit,*
Nox ruit in terris, ad sua quisque redit.
Mane ruit Clerus, Procêres, animæque potentes,
Vir, puer, atque senex, nupta, triennis, anus.
Pontificem dignè tegit infula Pontificalis,
Et Clerus sacris vestibus induitur.
Accipiunt CORPVS *tota plaudente choreâ;*
Imponunt humeris, suscipiúntque viam.
Terra sonat pedibus, ferit aurea sydera clamor,
Lætitiam, plausum, vóxque manúsque ferunt.
Sic tendunt omnes Christi Genitricis ad aulam;
Hic cupiunt CORPVS *ponere,* MARCE, *tuum.*
Sed tibi nec placuit, nec quæ cupiêre patrarunt,
Atque domum propriam Martyris OSSA *volunt.*
Ante Pedem-Silicis CORPVS *stetit, inde moueri* *Ped-Silicis.* Locus vbi olim fuerat Téplũ S. MARCI.
Non potuit, cunctos cœpit habere timor.
Tunc omnes spondent propriam sibi condere Sedem,
Et sic OSSA *ferunt ad loca quæ cupiunt.*
Vnde Patri Summo, Nato, cum Flamine Sacro
Gloria sit perpes, laus, decus, imperium.
Amen.

Si ergo ista sic se habent, quo euentu potuêrẽ hæc sacra lipsana *Atinâ Braccaram* deferri, ita vt *Ann. M.C X.* iam essent in Oratorio apud *Braccaram* condita, vt inquit *Iulianus*, qui eadem & vidit, & coluit reuerenter? Crederem sine præiudicio veritatis non integrum CORPVS sed aliquam partem translatam, & apud *Braccaram* conditam. Quidquid fuerit, relationi *Archipresbyteri*, & traditioni *Ecclesiæ Braccarensis* stare compellimur. *Traditio Ecclesiæ Braccarensis conseruatur.*

BILBILIS Vrbs antiqua in Celtiberia, & BILBILIS quoque fluuius in Gallæcia, de altera, & altero breuiter agemus, & vt illius corographiam describamus ex more, & istius situm consignemus ex voto. De VRBE, quæ in Hispania Tarraconensi in Celtiberia sita fuit, Strabo *lib.3. Geograph.* Ptolom. *Tabul. 2. Europ. cap.6.* licet apud istum ΒΙΛΒΙΣ pro ΒΙΛΒΙΛΙΣ inueniatur. De ea provt de propriâ patriâ Martialis huius vrbis Ciuis *lib.1. Epigramm.50.* *Vrbis Topographia.*

Videbis altam Luciane BILBILIM
Aquis, & armis nobilem.

Quem locum emendasse *Ieronymum Zurita* fatetur Ludouicus Nonius in sua *Hispan.cap.*75. Nam dùm passim legebatur: *Equis, & armis nobilem*, reposuit: *Aquis, armis*; quasi aquæ *Salonis* fluminis vrbem circumdantis nobilissimè ferrum temperarent, vt ipse quoque Martialis *lib.*4. *Epigramm.*5. diceret:

Grato non pudeat referre versu
Sauo BILBILIM *optimam metallo:*
Qua vincit Chalybásque, Noricósque,
Et ferro plateam suo sonantem:
Quam fluctu tenui sed inquieto
Armorum Salo temperator ambit.

Ast quo pacto sint intelligenda hæc verba *Martialis*, & per transennam quale in *Gallacia* flumen BILBILIS fuerit, Lupum Vasquium de Figueroa(*in Apolog. MS. contra D. Francisc. Fernand. de Cordoua in Didascal. cap.*45. Gallæcos suos contra Cordubenses defensantem, ausculta: Commendet (inquit) suam BILBILIM Martialis, *Equis* (seu mauis *Aquis*) & armis nobilem, quam *Salo* fluctu tenui, sed inquieto, armorum temperator ambit. Applaudamus illi libenter omnes. Quæ tamen *Martiali*, seu *Celtiberis* irrogabitur iniuria, si quis dicat *Bilbilitanas Aquas* non ad *Celtiberos*, sed spectare ad *Callaicos*? Inter tot cygnos obstrepere audebit coruus? Et quod tantorum Virorum applausu receptum inueterauit, ab hominum mentibus erademus impunè? Nihil interest, si nouum aliquid in medium adducamus, dùmodò verum. Sed quid nouum (prosequitur Figueroa) quod Chao antiquius est? Si verò modò inauditum alicui videatur figmentum, ex temporum longissimâ serie, vel forsan hominum euênit iniuriâ, quòd *ad ignotos* (vt ait Cordubensis) Callaicos *vel non peragrarunt, vel non peragrabunt olim*, dùm tot supersint Classici Auctores consulendi, à quibus possent veritatem extrahere; Lubens ergo examen subibo, & qualiter, hunc locum *Martialis* intelligam, palam proponam; si verò non cohæserint, ipsa suo pondere ruent; sed tamen nequaquam pessumdari veteat, quæ ex veris, & ptimi Ordinis Auctoribus, germana vbique agnouerit lectio. Et *oppido*, & *fluminis*, licèt in diuersis terrarum tractibus, eandem appellationem contingere, aut denominationem; quid mirum? SALO vicus est in *Gallacia* ad ripas *Auia* fluminis, vitibus, & vini generositate satis commendatus. SALO verò apud *Celtiberos* aquis suis stridens, ferrum & cogit, & temperat. Sed aliis exemplis omissis ad rem veniamus. *Trogus Pompeius*, siue eius Abbreuiator *Iustinus*, dùm *Hispania* situm, & res nobiliores, odiosâ tamen breuitate, perstringit, hæc de *Gallacia* differit: *Regio cùm æris, & plumbi vberrima, tùm miny, quod etiam vicino fluminis nomen dedit.* Et post pauca: *Pracipua his quidem ferri materia, sed aqua ipso ferro violentior, quippè temperamento eius ferrum acrius redditur, nec vllum apud eos telum probatur, quod non aut* BILBILI *fluuio, aut* Chalybe *tingatur: vnde etiam* Chalybes, *fluuy huius finitimi appellati, ferróque cateris prastare dicuntur.* Iam in *Gallacia* flumen BILBILIM habemus, in cuius aquis ferrum temperatur, acriúsque redditur. Quis ergo SALONIS aquas BILBILITANAS appellabit immunis, dum non apud *Celtiberos*, sed apud *Callaicos* fluere inficiari non poterit? Nec armorum conficiendorum artis ignaros *Callaicos* incusat Silius Italicus *lib.*2. *de Bell. Punic.* quinimò eos scientissimos laudat, qui dùm egregia arma *Annibali* quæreret contra Romanas acies, & arces, ea tanquam optima adducit è *Gallacia*, & ferro, & temperaturâ, & arte præstantia.

Lib. 44.

Bilbilis fluuius in Gallacia.

Ecce autem clypeum sauo fulgore micantem
Occeani gentes Ductori dona ferebant,
Callaicæ *telluris opus.*

Et paulò pòst, *Chalybis* fluminis, hodie CABE, & *Limicam* ciuitatem, nunc

Monfort e

Monforte de Lemos Dinastiæ & Statuum Excellentissimæ Domus *de Castro* Metropolim, vocatam, præterlabentem, temperaturam significans, ait:

> *Hæc ære, & duri* Chalybis *perfecta metallo*
> Callaicæ *fecêre manus.*

Quibus Scriptorum Classicorum locis inspectis, quis negabit Gallæciæ AQVAS BILBILITANAS? & tunc non SALONIS fluminis Celtiberorum, sed BILBILIS fluuij Callaicorum. Hactenus *Figueroa*: apud quem & vrbis, & amnis topographiam agnosces; de quo etiam alibi & Nos dicemus.

Quæstio an de Prædicatore alicuius Regionis possit Officium recitari de communi?

SED nunc sese nobis offert QVÆSTIO singularis Ecclesiastica ventilanda: *Vtrum Sanctus iste* MARCVS, *& cæteri Præsules, qui Prouincias, tantùm prædicationis Euangelicæ munere fungentes, illustrarunt, possint inter Regionis illius Sanctos veridicè adnumerari, ita vt Municipes, qui alicuius horum Præsulum in nascentis Ecclesiæ exordio veritatem exaudiêre diuinam, possint, tanquam de* Naturali Diuo, *virtute priuilegiorum hoc concedentium, Officium secundum* Breuiarij Romani *regulas, inconsulto Pontifice, recitare de communi, absque aliquo proprio; præcipuè in* Hispania, *vbi accedentibus* Pij V. *&* Gregorij XIII. *Romanor. Pontif. diplomatibus in* Breuiarij Romani *corpore inclusis, quibus* Hispaniæ *indulgetur Ecclesiis, vt de suis Sanctis* Naturalibus *possint de Communi Officium recitare, prout libet, & passim in ferè omnibus diœcesibus obseruatur Hispaniæ?*

Cuiusdam Abbatis neoterici opinio.

Et licèt quæstio isthæc apud Doctos, & Eruditos futilis, & vacua sit, quiâ Euangelicæ doctrinæ in nascentis Ecclesiæ exordio seminatio constituebat domicilium, vt infra patebit; attamen quia aliquando quidam *Abbas secularis* doctrinâ, vt dicitur, pollens; & eruditione in prædicatione, vt refertur, peritus, contrariam asseruit sententiam, breui synopsi illius fundamenta subiiciemus, quibus postmodùm respondere conabimur. Illa ergo sunt huiusmodi.

I. Nam cum in Decreto S. Rit. Congregationis ab *Vrbano* VIII. probato, & à *Barbosa* in *Collect. Bullar.* relato; inque exordio *Breuiarij* inserto, dicatur, quòd nequaquam, post *Pij V.* Bullam, quâ omnibus prohibet Ecclesiis ne extra *Breuiarij* illius regulas recitent, potuêre, nec possunt Ordinarij absque Sedis Apostolicæ licentiâ, Kalendariis aliquid addere, nec proprios Sanctos apponere, nec de illis Officium conficere; consequens erit, quòd esto, quòd Sanctus iste de quo in *Quæstione*, etiam inter proprios adnumeretur, nequaquam locum in Officiis Ecclesiæ habebit. *Argum. I.*

II. Nam Diplomata Hispanis à *Pio V.* & *Gregorio XIII.* concessa nihil proficiunt, quia illud à *Pio* emanatum, declarationem, & limitationem accepit ex *Gregorij* decreto: hoc tantùm de *Naturalibus Hispaniæ Diuis*, non de *Prædicatoribus* exteris, qui domicilij titulum non recipiunt, loquitur; ergo priuilegium istos minimè tangit. *Argum. II.*

III. Quia etiamsi daretur quod *Sanctus* iste de quo in *Quæstione*, in muneris prædicatione apud quamlibet *Hispaniæ* vrbem, vitam martyrio exueret, dummodò pignora extra *Hispaniam* sacra quiescerent, adhuc domicilij titulum non adquireret, ita vt possit *Gregoriano* vti priuilegio, circa Officium in diœcesi recitandum inconsulto Romano Pontifice; cùm ita diffinitum appareat in dicto decreto, in primo fundamento allegato, his verbis: *De SS. Episcopis locorum Martyribus, Cimbus, & alijs festis, de quibus in Kalendario Romano, seu Rubricis Breuiarij nihil habetur, nihil propriâ auctoritate constituatur, sed omninò consulatur S. R. C.* ergo itidem in *Prædicatore Extero.* *Arg. III.*

IV. Quia solùm Sanctis Exteris à *Gregorio* Officium conceditur in *Hispania*, quando eorum sacra lipsana apud Nostras quiescunt, aut partem Reliquiarum insignem aliqua custodit Ecclesia, & tunc non in tota diœcesi, sed tantùm in illa Ecclesia, quâ corpus, aut insignis requiescit Reliquia. Ast cum *Sanctus* iste de quo in *Quæstione* fuerit indigena, licèt apud Nostros *Prædicator*, & *Apostolus*, nequaquam, inconsulta Apostolica Sede, de eo valebit Episcopus Officium instituere. *Arg. IV.*

SED saluâ tanti *Abbatis* pace, proculdubio in omnibus hisce fallitur fundamentis,

Iſtius Abbatis opinatio diluitur.

mentis, maximè in *Hiſpaniarum* Regnis, quorum Eccleſiis *Pius V.* & *Gregorius XIII.* priuilegia, quibus non eſt hactenus aliquid derogatum, ſingularia conceſsêre, vt poſſint de *proprÿs Diuis* Officium de Communi ad libitum inſtituere, & recitare, dummodo quælibet diœceſis ſuos tantùm, non tota *Hiſpania* vniuerſos Officij recitatione percolat. Ita patet ex *Bulla* præpoſitâ *in Offic. SS. Hiſpan.* & fatentur Trullench. *in Decal. lib. 1. cap. 7. Dub. 14. num. 14.* Caſtr. Palao *Tom. 2. Diſput. 2. Punct. 2. num. 10. & 11.* quos ſequuntur omnes qui hac de re veraciter ſcripsère. Aſt ne in horum fide controuerſiæ ponamus apicem, hallucinationibus *Abbatis* reſpondere compellimur, ne tantam παραφρονῶν ſubterfugere videamur.

Quâ formâ derogatur priuilegio?

PRIMO; eius argumentum corruit, nam decretum à *S. Congregatione* emanatum, & abs *Vrbano VIII.* firmatum, nihil detrahit *Hiſpania Diuis*, quatenus ad Officium de *Communi* ex prædeceſſorum Pontificum indulgentiâ conceſſum; quia cùm hæc priuilegij vires retineat, haudquaquam potuit reuocari niſi interueniente ſucceſſoris derogationis de verbo ad verbum clauſulâ ſpecificâ: probant Gloſſ. *in Auth. Quas actiones. C. de Sacroſ. Eccleſ.* Gloſſa *in l. ſciendum. D. Qui ſatiſdar. cogant.* Gloſ. *in l. Decarionibus. C. de Silentiar. Lib. X.* Ieronym. Ceuall. *tom. 1. Commun. quæſt. 103. num. 19.* & Nos probauimus ad longum *in Defenſor. Iuridico-Hiſtorico-Eccleſiaſt. pro SS. Placentin. in Reſponſione ad Dubia ex S. Congregatione emanata cap. 3. fol. 50.* Ratio eſt, quia *quando lex, ſeu decretum ſubſequens negatiuum, prima legi, ſeu priuilegio contrarium, expreſsè non tollit primam legem, vel priuilegium contrarium, tunc prima lex, ſeu priuilegium remanet in ſua viridi obſeruantia*; ſic in his ipſiſſimis terminis ex *Suar. Bonac. Azorio, Fillucio*, & aliis probat P. Bernardinus Villegas è S. I. in *Memoriali edito pro SS. Vrgabonenſ. Punct. 5. num. 219. fol. 99.*

Propriâ auctoritate factũ, quid dicatur.

SECVNDO illius primum argumentum corruit, quia decretum illud à *S. Congregatione* expeditum, loquitur quando *Ordinary* propriâ auctoritate *Officium* alicuius Sancti in *Breuiario* non deſcripti Clericis recitandum exponunt: Aſt quotieſcumque illud non *propriâ auctoritate*, ſed miniſterio priuilegij à S. Sede Apoſtolica conceſſi recitare præcipiunt, tunc non dicetur *propriâ auctoritate* factum, ſed conceſſione Pontificis. Sed ſic eſt quod Eccleſiæ *Hiſpania* poſſunt de ſuis Sanctis *Naturalibus* Officium de *Communi* peragere; ergo decretum *S. Congregationis* non intelligitur pro *Ordinarys Hiſpania* circa ſuorum Sanctorum Officia, cùm iſthæc non *propriâ auctoritate*, ſed Pontificum *Pÿ*, & *Clementis* priuilegio, recitanda præponant. Ita in hoc eodem caſu reſpondet P. Anton. Quintana-Dueñ. *in Animaduerſ. 1. pro SS. Toletan. num. 9.*

Honoris delatio Ciues facit.

NON obſtat Abbatis noſtri SECVNDVM argumentum, quo nititur probare APOSTOLOS ſiue PRÆDICATORES Euangelicæ doctrinæ in exordio naſcentis Eccleſiæ prouinciam luſtrantes, non comprehendi ſub nomine, & appellatione NATVRALIVM, ita vt de illis virtute priuilegij *Gregoriani*, poſſit Officium confici: quia veritas in contrarium exurgit. Nam cùm Ciuem faciat honoris in aliqua ciuitate delatio, vt notat Gloſſ. *in l. Ciues, de Incol.* & obſeruat Tuſchus *lit. C. verb. Ciues, concluſ. 275.* & *Apoſtoli* huiuſmodi, & *Prædicatores* hoc honore fruantur, ſequitur illos inter *Ciues* adnumerandos eſſe, provt in ſimili illos adnumerant plurium Eccleſiarum Officia, vt Compoſtellana Eccleſia *Torquatum* & Socios; Auguſtana *Narciſſum*, & Pampilonenſis *Saturninum*, quos cùm tantum *Prædicatores* agnoſcant, nec in earum prouinciis coronati, aut ſublati reperiantur, nec eorum Sacris lipſanis ditentur, illo tantum titulo munitæ, eorum Sanctorum Officia anniuerſariâ recolunt commemoratione Municipes. Sic Quintana-Dueñ. *Animaduerſ. 4. à Num. 7. & ſequent.*

Prædicatores, & Apoſtoli vrbiũ quo titulo venerentur.

Proprÿs Epiſcopis Martyribus, & Confeſſoribus Officia præbẽt Eccleſiæ Hiſpaniæ.

NON obſtat TERTIVM Argumentum, quod prorſus contra practicam Eccleſiarum Orbis, & præcipuè *Hiſpaniarum* eſt: Nam nullus eſt qui dubitet *Prælaturam* conſtituere *Naturalitatem* vt optimè probat idem Quintana-Dueñ. *Animaduerſ. 4. num. 3. & ſeqq.* ideóque Eccleſiæ vniuerſæ Officia de ſuis Sanctis peragunt Epiſcopis, licèt eorum Sacra pignora non obtineant, vt olim Eccleſia Toletana de *S. Eugenio*; Hiſpalenſis de *S. Laureano*; Cæſarauguſtana de *S. Valerio*; Eborenſis nunc de *S. Mantio*, Vrcitana de *S. Indaletio*; Iliturgitana de *S. Euphraſio*; Aſtigitana de *S. Fulgentio*, & ſic de aliis, quorum catalogum longum erit recenſere.

Quod

Quod prohibetur in decreto *S. Congregationis* in hoc III. Argumento allato; duo sunt scilicet, quòd nequaquam fiat Officium de Sanctis nondum canonizatis. Quod nec de canonizatis, proprium, inconsultâ Apostolicâ Sede. Vt probat idem P. Anton. *d. Anim. 1. num. 9. 10. & 11.*

Duo prohibet decretum S. Cōgregationis; & quae?

DENIQVE minus obstat QVARTVM Argumentum, quia futile. Non ergo vllus sanæ mentis vnquā dubitauit, nec dubitabit quin priuilegiū *Gregorianum* comprehendere Sanctos voluisse *Exteros*, quorum Sacræ glebæ non sint in *Ecclesiis Hispaniæ*: prout nec aliquis dubitat, quòd Sanctis, quibus *Naturalitatis* titulus debetur, priuilegium illud specificè deferatur. Hinc quotiescunque inuenitur *Sanctus* hac prærogatiuâ suffultus, licet *Externus*, etiamsi eius Reliquiæ procul ab *Hispania* sint, illi Officium de *Communi* debebitur, etiam inconsultâ Sede, non ratione sui, sed ratione dignitatis apud *Hispanos* habitæ, quæ illum quoad hoc constituit *Naturalem*. Quibus sedabitur Abbatis istius argumentationis libido.

Quos Diuos respuat aut comprehendat priuilegium Gregorianū in Hispania.

B.

S. FELIX Episcopus & Martyr.] De hoc S. Pontifice *Carthaginensi* in *Hispania* Martyre, altum silentium apud Scriptores tam Exteros, quàm Nostros. Illum nobis aperuit Iulianus Petri Archipresbyter Toletanus in *Chron. numer. 132. fol. 36.* his formalibus verbis: *XXVII. Aprilis* (sic in MSS.) *Carthagine Spartaria* S. FELIX, *Episcopus eiusdem Ciuitatis, qui in persecutione Diocletiani passus est.* Quisve fuerit, quâ verò formâ coronam reportauerit, quibus sit afflictus verberibus non liquet. Hæc è Nostratium excidisse codicibus, quid mirum; si

De hoc S. Martyre altum silentium.

Tempus edax ferrum, silices, adamantáque duros
Deuorat ore truci, manibúsque attrectat auaris.

Et maximè in *Hispania* Nostra, vbi Gentium diuersitas varios mores induxit, monimenta deleuit, codices obliterauit, Pontifices dissipauit, Scriptores consumpsit, & solum in eius facie

Hispaniarū ruina.

Seu mortifer æstus,
Seu mors ipsa fuit, liuor peruēnit in herbas,
Deficiunt riui, squallent rubigine prata,
Et nihil à flatu viuit, pallêre ligustra,
Expirare rosas, decrescere lilia vidi.

Nuper de hoc Sanctissimo Præsule scripsêre D. Francisc. Cascales *Histor. Carthag. Discurs. 11.* Vargas *in Histor. Hortens.* §. 1. M. Ægid. Gonzal. Dauila Reg. Chronograph. *Tom. 2. Theatr. Eccles. Hispan. in Eccles. Carthag. c. 1.* & Nos supra *Tom. 1. die XXIV. Ianuar. fol. 278.* Et licet Iulian. Petr. *Aduersar. num. 470. fol. 109.* dicat: *Anno* CC. XCVIII. Quinto *die Mensis* Aprilis *agitur dies festus* S. FELICIS *Martyris, Episcopi* Carthaginis Spartariæ, *qui passus est martyrium sub Daciano*; intelligendus est de die festiuitatis annuæ, non verò de die passionis, cùm ad hunc diem idem in Chronico martyrium reiiciat, vt supra ex MSS. Codicibus prænotauimus.

Scriptores qui de hoc S. Episcopo egêre.

Annus & dies passionis.

CARTHAGO-SPARTARIA. Ciuitas Hispaniæ Citerioris; de ea pluries diximus, & insignia monimenta recensuimus in hoc opere, ideò alia non subiicimus, quia prolixum.

QVARTO KAL. MAII.
DIES XXVIII.

A. Apud CAPPARRAM *in Vettonibus Hispaniæ* SS. CARILIPPI, APHRODISII, AGAPPII, & EVSEBII

EVSEBII *Martyrum, qui cum ob fidei Christianæ confessionem à* Neronis *Imperatoris Præside tenti & varijs tormentorum generibus excruciati, strenui milites agonis palæstram viriliter compleuêre.*

B. TVRIASONE *in Hispania Citeriori* S. PRVDENTII *ipsius vrbis Episcopi, qui post suæ insignem diœcesis administrationem, pauperum subuentionem, posteris pietatis suæ, virtutum relatione specimen reliquit; tandem Confessor inclytus ad superos euolauit.*

C. *In* VACCÆIS *Hispaniæ* S. PAMPHILII *Valuensis Episcopi, qui* Corfinij *in Italia prædicationis munera sustinens, ibidem Confessor eximius obdormiuit in Domino. Cuius Sacra pignora apud* Sulmonem *recondita, miraculis elucentia, honorificè quiescunt.*

NOTÆ.

A. *Martyrol.*

SANCTI CARILIPPVS,& Socij Martyres.] Istorum memoria *Martyrum* elogiis repetitis apud *Bedæ, Vsuardi,* & aliorum Martyrologia perlegitur. Quibus *Romanum* adhærens, breui periodo, sic tantorum Martyrum conseruat agones: *Eodem die* SS. APHRODISII, CARILIPPI, AGAPPII, *&* EVSEBII *Martyrum.* Quod & fecerat Episcop. Equilin. *in Catalog. SS. lib.* 11. *cap. fin. n.* 6. Et licet in horum Scriptorum ecphrasi locus haud consignetur passionis, Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 76. illum expeditis periodis manifestat, hac serie: CAPPARRAE *in* Lusitania, CARILIPPVS, *& Socij Martyres.* En apud antiquam *Lusitaniæ*, siue *Vettoniæ* vrbem in *Hispania* Sanctorum Martyrum palæstram; quam ibidem consignant Roder. Car. *ad Dextr. Ann.* 76. *fol.* 44. P. Biuar. in *Comment. ad Dextr. fol.* 174. *num.* 3. Quorum & Nos insequentes vestigia etiam *in Vit. S. Epitatij cap.* 2. §. 5. *num.* 12. *fol.* 86. eadem recensuimus. Eorum Acta periêre; sequentia texuimus.

Locus palæstra.

ACTA SS. CARILIPPI, APHRODISII, AGAPPII, & EVSEBII Martyrum Capparrensium, ex Dextro.

Neronis crudelitas.

ANNO *ab Vrbe conditâ* DCCC. VIII. *Claudius* Nero *Augustus Quintus Cæsar, post Augustum, renuntiatus, orbem Romanum Tyrannus verbo, & opere maculauit; nam cùm* Caligulæ *auunculi scelerum amplexaretur exemplar, petulantia, libidinis, luxuria, auaritia, crudelitatis vitijs cohærens, nullum non quod amplecteretur peccati monstrum, ipse, natura monstrum, respuere prætermisit. Intra sæuitia deliria (vt cætera omittamus tanquam communia) quale maius, quàm vrbis incendium, quod* Christianis *insontibus tribuens, eius cupediarum horribilium delicta, Sanctorum Martyrum sanguine obnubere destinauit. Hinc primus* Romæ *ipsos supplicijs, & cruciatibus affecit, & cæteros per omnes totius Romani Imperij prouincias simili imperauit persecutione damnari.* Ad Hispaniam *efferi Imperatoris peruenêre decreta: & licèt iam antea, ab Anno* LVII. *plurimi Christi asceta per martyrij in cœlum conscendissent agones, illud factum creditur, propter conceptam Tyranni aduersus Christianos inuidiam;* *sed*

Christianis incendium Romæ imputat.

Hinc persecutio oritur I.

sed nunc instante publici iussione decreti, Præsides furibundi fidelium sanguinem sitientes totum Christi nomen è Republica euellere satagebant. CARILIPPVM *& socios* Lusitanos *Christi milites, qui apud* CAPPARRAM Vettoniæ *vrbem morabantur, seditiosa inquisitionis rumor innenit, quo cognito in fide constantes, per orationis auxilium, à Domino martyrij gloriam humili propensione petebant. Annuit eorum Deus misericors votis, &* Compre-henduntur Martyres. *tentis* CARILIPPO, APHRODISIO, AGAPPIO, *&* EVSEBIO, *quos in fidei confessione intrepidos agnouit crudelitas, post varia supplicia, demum ad coronam peruenerunt æternam,* IV. Kalend. Maij, *Anno Domini* LXXVI. Coronãtur.

Iam ex huius ecphrasis periodis, & locum deprehendes agonis, & annum, quo martyrio fuêre coronati cognosces, quæ omnia à *Baronio* prætermissa, silentium aliis Scriptoribus posuêre. Quo verò martyrij genere occubuissent SS. Martyres, nec aperit *Dexter*, nec alia Martyrologia conscribunt: ergo sinamus Deo; quod inuestigare non possumus. Hoc vnum hîc addendum est, quatenus D. ac D. meus *D. Didacus de Arze Reynoso* Episcopus *Placentinus*, & Consilij Supremi, Sanctæ, & Generalis Inquisitionis Hispaniæ Mystarcha, cognito horum, & aliorum Sanctorum, in Martyrologio Romano descriptorum, intra suæ diœceseos *Placentinæ* circulum, martyrio, & exitu glorioso, tanquam eiusdem Episcopatus *Ordinarius*, virtute Priuilegiorum à Romanis Pontificibus, Hispanis Præsulibus, circa Naturalitatem suorum Sanctorum declarandam, ipsisque Officia consignanda, concessorum, Nostros, & alios suæ diœcesis Sanctos, Naturales declarauit, & Duplicibus cohonestauit Officiis; vt ex Edicto ab ipso publicari mandato patescit huiusmodi:

EDICTVM DE PVBLICATIONE SANCTORVM Diœcesis Placentinæ, eorúmque Officij consignatione.

D. DIDACVS *de Arze Reynoso Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Placentinus, Consiliarius Regis, & in omnibus eius Regnis, & Dominijs Generalis Inquisitor*, Dilectis, & Venerabilibus Fratribus nostris *Decano*, & *Capitulo* nostræ *Placentinæ* Cathedralis Ecclesiæ, necnon Vicariis, Archipresbyteris, Parochis, Beneficiariis, Clericis, Religiosis Ordinum, & omnibus tàm Ecclesiasticis, quàm Secularibus personis, intra præfatæ vrbis, & diœcesis terminos commorantibus, salutem in Domino Nostro Iesu-Christo. Admirabilis in Sanctis suis, & liberalis est Dominus, qui in cœlo, eius Ecclesiâ Triumphanti, non solum præmia inenarrabilia concedit eisdem, sed etiam in hac Militante, decernit, quòd eorum ab omnibus sanctimonia laudetur; quòd propter eorum gloriam, & in eorum honorem Altaria construantur & Templa; quòd ipsorum Acta puro calamo conscribantur; quòd eorum effigies depictæ venerentur; & demùm quòd eorum festiuitates solemniter celebrentur, vt his omnibus diuina glorificetur Maiestas, fideles vt adhæc singularia exempla imitanda feliciter excitentur, & in eorum nominibus inuocandis faciliter exardescant. Horum enim omnium pensitatione protracti, discussis variis peruetustis Ecclesiasticis Historiis, & recentioribus, & visis aliis tàm editis, quàm manuscriptis autographis, & ecphrasibus, quibus liquidò constabat S. EPITATIVM fuisse ex antiqua vrbe AMBRACIA ortum, cuius situs, post eius ruinam, adhuc perseuerat, in ea parte, quâ PLASENCIA, nostræ Sedis caput, hodie conspicitur; & similiter agnoscentes, qualiter fuerit ex Discipulis S. IACOBI, Hispaniarum Patroni, & *S. Petri Ratensis* eius Vicarij, in Sede *Tudensi* Episcopus I. constitutus, & pòst *Ambratianus* (in quarum Sedium onere, licèt indigni, Deo miserante successimus) Præsul, qui fidei semina per earum diœcesum circulos spargens, insignium patratione mirabilium præuiâ, tandem

apud AMBRACIAM vrbem ab eius Præfecto tentus, post varia, & grauissima tormenta, imperante Nerone, vnà cum S. BASILEO I. Episcopo Portucalensi, & II. Braccarensi, S. IACOBI Discipulo, martyrium consummauit. Attendentes igitur quanto tenemur amoris filialis affectu, Sanctorum Natales solemniter honorare, maximè illorum, quorum Ecclesiæ fuère ab origine constructæ cruore, & earum Apostoli constituti, coram Domino incessanter pro Naturalibus, Ciuibus, & Accolis vrbium, quibus moram traxère, seu quibus summum bonum, agonis gloriâ, fuère feliciter consecuti, preces paternâ charitate diffundunt; omnia hæc cum prælibatis Venerabilibus, & dilectis Fratribus Decano, & Capitulo prædictæ nostræ Cathedralis *Ecclesiæ Placentinæ* communicantes, de communi omnium assensu, & deliberatione præcedente, ad S. D. N. D. *Innocentium* Papam X. supplicia vota direximus, quatenus proprium *Officium* in die *Natalis* prædictorum Sanctorum, nobis concedere dignaretur. Qui causam *Sacræ Congregationis Rituum* Iudicibus emittens, illâ cognitâ, *die VIII. Mensis Octobris*, Anno proximè præterito M. D C. L. decretum de *Officij* recitatione cum propria *Lectione* Duplicis expediuit; vt ex testimonij auctographo satis liquet. ITEM postmodùm ex prædictis Historiis similiter cognoscentes, quòd in nostræ diœcesis ambitu plurimi extitère Sancti Martyres, & Confessores, quorum nomina in Albo Romanæ Ecclesiæ publico conscripta visuntur, qui *Naturales* ipsius fuere Episcopatus, vt Deus, & Sancti eius glorificentur assiduè, & eorum Ecclesia nostra, & diœcesis veneretur agones; & vbique ipsorum memoria, quæ tantopere illis seculis florebat in ipsa, copiosiùs celebretur, & Christi fideles eorum auxilia, & protectionem expostulent, cupientes, ne tantùm spiritualе solatium nostris deficiat clientibus, post maturam cùm dictis nostris venerabilibus Fratribus consultationem, & adhibitis aliis personarum grauium, & Ecclesiasticorum Virorum, tàm Secularium, quàm Regularium Doctorum, qui prouidè materiam discusserunt, placitis, & suffragiis, quibus omnes, & singuli huiusmodi Doctores conueniunt, Sanctos infrà referendos fuisse *Naturales* vrbium inferiùs consignandarum huius diœcesis, aut spirituali, aut temporali natiuitate, prout ex Scriptorum apparet sufficienti comprobatione; in illisque concurrere qualitates à *Breuibus*, & *Apostolicis diplomatibus* requisitas, vt hisce Sanctis Officia, & Missæ de Communi, secundùm regulas Breuiarij Romani planissimè concedantur: gratiis actis Deo, cuius altissimâ prouidentiâ, in his temporibus tantorum Beatorum Martyrum, & Confessorum memoria elucescit, hucusque ignorata, & occulta; nostrâ Ordinariâ, qua in hac parte fungimur auctoritate, & virtute Priuilegiorum à *Pio V.* & *Gregorio XIII.* Hispaniæ Ecclesiis concessorum, necnon ex antiqua possessione, quâ hæc *Hispaniæ* Regna nituntur, circa celebrationem *Natalium* suorum *Naturalium Diuorum* cum Officiis communibus, per præsentes literas declaramus fuisse, & esse Sanctos *Naturales*, infrà suis Mensibus referendos. Quapropter exhortamur, & mandamus dictis nostris venerabilibus Fratribus *Decano*, & *Capitulo* nostræ *S. E. Placentinæ* Vicariis, Archipresbyteris, Parochis, Beneficiariis, Clericis Secularibus, & Regularibus, & quibusuis eius diœcesis personis, cuiuscumque qualitatis, & conditionis, quæ ad canendum, seu recitandum Officium Canonicum sint adstrictæ, quatenus deinceps post harum nostrarum literarum publicationem, recitare Officia Sanctorum in hoc Edicto contentorum, tanquam de Sanctis propriis, & naturalibus huius diœcesis, eorum festiuitates suis diebus, Officiis Duplicibus, secundùm Regulas Breuiarij Romani, de communi, sequenti serie teneantur.

MARTIVS.

MARTIVS.

Die V. Martij de SS. EVSEBIO, *& Socijs, Martyribus* Metellinensibus *prædicta Diœcesis, de Communi plurimorum Martyrum Officium Duplex, cum Commemoratione Quadragesimæ.*

APRILIS.

Die XX. Aprilis, de S. THEODORO *Metellinensi Anachoretâ Confessore, de Communi Confessorum, Officium Duplex.*

Die XXVIII. Aprilis, de SS. CARILIPPO, *& Socijs, Martyribus* Capparrensibus, *eiusdem diœcesis, de Communi Martyrum, Officium Duplex.*

MAIVS.

Die XXIII. Maij, de SS. EPITATIO, *&* BASILEO *Episcopis, & Martyribus* Placentinis, *de Communi Pontificum Martyrum, Officium Duplex I. Classis cum IV. Lectione propriâ, à Sacra Rituum congregatione concessâ.*

IVLIVS.

Die III. Iulij, de SS. MARCO, *& Socijs, Martyribus* Capparrensibus, *de Communi Martyrum, Officium Duplex.*

DECEMBER.

Die XII. Decembris, de SS. HERMOGENE, *& Socijs, Martyribus* Turreiuliensibus *præfata diœcesis, de Communi Martyrum, Officium Duplex.*

Quorum omnium Sanctorum, *Officia*, prout supra sunt consignata, propriis diebus infallibiliter recitentur, obseruatis, in primis, occurrentiis, & concurrentiis, secundùm Regulas Breuiarij, & Missalis Romani. Et quia omnibus innotescat, præsentes literas, manu nostra signatas, & per nostrum infrascriptum Secretarium refrendatas, iussimus expedire.

HINC in Domino monemus omnes, & singulos tàm Ecclesiasticos, quàm Seculares, nostræ diœcesis, Ciues vtriusque sexus, & accolas, vt tantorum Sanctorum protectione confisi, à Deo misericordiam humiliter efflagitent, spectantes, magna, ipsorum interuentu, spiritualia, & temporalia, ab immensa pietate, miseratione, liberalitate, & magnificentia diuinæ Maiestatis beneficia sese misericorditer consecuturos. Quinimò omnibus, qui in diebus consignatis, horum Sanctorum Officia recitauerint, Quadraginta dies Indulgentiæ, & peccatorum remissionis, tam ipsis, quàm aliis secularibus, qui in relatis diebus Sanctorum huiusmodi intercessione, pro fidei augmento, hęresum extirpatione, pace & concordia inter Principes Christianos, & præsentium necessitatum auxilio, ad Deum preces effuderint, elargimur. Datis *Madridy*, die XII. Mensis Iunij, *Anno* M.DC.LI. *Episcopus Placentinus, Inquisitor Generalis.* De Mandato Illustrissimi Domini mei Episcopi, Inquisitoris Generalis. *Lic. D. Ioannes Tamayo Salazar Secretarius.*

Hactenus Edicti series ab *Illustrissimo Domino meo Episcopo Placentino* expedita, cuius consignatio ne temporum volubilitate penitus deperiret, illam in *Kalendarys Annualibus*, quæ *Madridij*, pro consignatione Officiorum, vno quoque anno cuduntur, imprimi procurauit, prout nunc effectiuè cuduntur.

CAPPARRA, CAPARA, & CAPARIS, sic diuersimodè legitur, Ciuitas olim perantiqua, & splendida in *Lusitania*, pòst compressâ prouinciâ, in *Vettonia*. Plin. *lib.* 3. *c.* 3. Capparrensium meminit Populorum. Hodie Ecclesia in diœcesi *Placentina*, oppidum in *Cauriensi*, & dicitur LAS VENTAS DE CAPARRA. Fuit olim celebris eius memoria, propter horribilem congressum ibidem agitatum inter *Aul. Trebonium*, & *Cn. Pompeium*, de quo in lapidum visceribus, adhuc Romanorum Militum lachrymabiles leguntur querimoniæ, vt ex *Smetio*, *Grutero*, & Moral. *lib.* 8. *c.* 48. deprehendes. Huius vrbis origo, licèt confuso verborum inuolucro, describitur à Florian. de Ocamp. *lib.* 2. *cap.* 3. vbi fatetur *Capparrenses* fuisse gentem *Celtiberam*, qui cum *Beronibus*, seu *Vettonibus* Hispaniæ interiora progredientes,

Topographia.

Conditores.

dientes, vrbem condidêre, quam à proprio nomine CAPPARRAM, seu CAPAXIM perdixêre, Anno ante Christi Aduentum DCCCC. XXX. vt ipse etiam in *d.lib.2.c.10.* prolixiùs contendit. Alia de hac vrbe suis locis dicemus, vt nihil intactum relinquamus.

B. S. PRVDENTIVS Episcopus, & Confessor.] In magno fuit, & est pretio apud Hispanos huius S. Præsulis anamnesis, licèt aliquorum Scriptorum opinationibus inuoluta; vix in eorũ dicteriis aliquidconstans & firmum; omne inuersum namque & sine ratione conscriptum comperies. Ad probationum regulas venio.

Quo tempore vixerit?

I. Opinio.

Alphons. Venerus *in Enchirid. Tempor. fol.* 155. Vass. *in Chron. Ann.* 305. Mariana *Hist. Hisp. lib.4.cap.15.* Baron. *in Not.ad Martyrolog. Rom. h.d. lit.H.* D. Martin. Carrillo *Histor. S. Valerij, cap.4.* & in *Catalog. Præsul. Turiassonens. fol.* 332. Michael Martin. *in Patronat. Bilbilitan. fol.* 512. & Goldast. *in Not.ad Prudent.* asserunt, S. Præsulem temporibus *Diocletiani* vixisse, nam ipsum fuisse, qui *S. Encratidis* Virginis, & Martyris *Cæsaraugustana* corpus tumulauit, contendunt, ad *Annum CCC.*

II. Opinio.

Tarrafa verò *de Regib. Hispan. in Gratiano, Ann.* 382. P.Truxill. *in Thes. Concionat. tom.2. fol.* 967. & Philipp.Ferrar. *in Topograph. SS. verb.* Tarraco. *fol.* 122. & *verb.* Turiasso. *fol.* 130. Cardinal. Baronius *in Ann.* 390. *in margine Martyrology Romani*, hunc fuisse nostrum *V. C L. Aurelianum Clementem Prudentium*, qui illa Christiana carmina scripsit, cuius codex in omnium manibus inuenitur, credidêre, & hoc *ad Annum CCCXC.*

III. Opinio.

S.M.Maxim. *in Chron.Ann.* 570. vbi Roder.Car. *fol.* 197. *lit.V.* & P.Biuar. *num.3. fol.* 540. successisse *Sanctio* in Sede *Turiassonensi* scribunt, ad *Annum D. LXX.*

IV. Opinio.

Ast P. F. Antonius Yep. *in Chron.Benedict. tom.5. Ann.* 950. *cap.2. fol.* 87. floruisse ab *Anno DCC.* ad vsque *DCCCC.* autumat.

V. Opinio.

Denique Sanctorus *in Flor.SS. tom.1. die 28. April. fol.* 300. & P.Mariet. *Hist.SS.Hispan. lib.5. cap.28.* vitam egisse ad *Annum M. C. XXVI.* tempore Regis *Alphonsi I. Aragonensis* dixere. Quid inter tot opinantium Scriptorum deliria, verum, & firmum eliciemus? Sed attende paulisper Lector erudite, donec tibi *Quinque* etiam PRVDENTIOS Hispanos, doctrinâ celebres, & Sanctitate illustres, his ipsissimis temporibus coruscantes offerimus, quorum Acta Nostri Scriptores percipientes, nec temporum discrimina pensitantes omnium res gestas confundentes, in vnum coagulatas, pro vnius tantum PRVDENTII actis, illa turpiter venditarunt.

I. Prudentius, Anno 300. quis?

Ad *Annum CCC.* Opinio I. meminit vnius PRVDENTII. Quis inficiabitur, maximè si Acta legerit *Encratidis*? Hæc si non vidisti integra, supra legito *die XVI. huius Mensis*, vbi hæc verba ex MS. *Corpus sacrum ab Episcopo* PRVDENTIO, *debitâ veneratione collectum, & marmoreâ theca inclusum, vltimum accepit, Angelis exultantibus, honorem.* Et istum Scriptores primæ opinationis confundunt cum *Turiassonensi*, & perperam.

II. Prudentius, Anno 390. quis?

Ad *Annum CCCXC.* Secundæ opinionis Auctores alterius PRVDENTII commemorant. Hunc esse Virum Clarissimum, *Aurelium Clementem* Poëtam Christianum, cuius memoria in benedictione est, & apud Dextr. *Ann.* 380. Cæsaraugustanus Episcopus insinuatur, & vitam exuit *Anno CCCC. XXIV.* vt ipse innuit, & notauit P.Biuar. *n.13. fol.* 446. Nec iste *Turiassonensis* Præsul, de quo agimus.

III. Prudentius, Anno 570. quis?

Ad *Annum Domini D. LXX.* ex opinione *Maximi* Tertiû, fuit alius PRVDENTIVS Episcopus, de quo hæc verba: *Post Dydimum in Sede* Turiassonensi *sequitur* Sanctius, *& post hunc* Sanctium *in eadem Sede sequitur* PRVDENTIVS. Ecce verus *Turiassonensis Episcopus*; de quo hac die Ecclesia Hispaniæ festum celebrat; & cui aliorum huius nominis Sanctorum res gestas turpiter tribuêre.

IV. Prudentius, Anno 854. quis?

Ab *Anno DCC.* vsque ad *DCCCC.* alium appingunt Quartæ opinionis Auctores, PRVDENTIVM; & optimè: nam vt superiùs *die VI. huius Mensis* probatum reliquimus, is fuit *Treccarum Episcopus* in *Gallia*, de quo hæc Martyrolog. Gallican. *tom.1. fol.* 190. verba profatur: *Augustæ Treccarum* S. PRVDENTII *Episcopi, & Confessoris. Hic ex* Hispanicis *oris ortus, diuinisque ornamentis præditus, maximéque religionis zelo, & doctrinarum sacrarum scientiâ illustris, cùm in* Galliam, *à Sarracenis pulsus, perfugisset, omnium amorem, ac admirationem in se traxit.* Iste vt ex Baron. *Ann* 851. liquet, ad Annum DCCC. LIV. peruênit. Vltimo Quintæ opinionis Auctores fatentur fuisse PRVDENTIVM alium Episcopum *Turiassonensem* ad Annum M. C. XXVI. Quod & fatemur, & fatetur Iulian: Petr. *in Aduers. num.* 499 *&* 501. *fol.* 118.

Sed

ſed neutrum *Turiaſſonenſem*; illum auſculta: *Probabile eſt olim duos fuiſſe* PRVDENTIOS *Epiſcopos* Tarraconenſes, *alterum ſub Diocletiano, qui tranſlatus* Cæſarauguſtam *ſepelinit* S. Encratidem, *tranſlatus poſtremo* Tarraconem. *Alterum longo decurſu temporis inferiorem. Vterque prædicauit* Calagurritanis; *hic Gentilibus; ille verò Mahometanis, magno cum fructu.* Poſt, *num.* 501. proſequitur: S. PRVDENTIVS *prior floruit Anno Domini* CC. XCVII. *Poſterior verò Anno* M. X. *Prior dicitur* Calagurritanus, *&* Cæſarauguſtanus; En nullum ex his *Turiaſſonenſem* nominatum, niſi adſit mendum in Codice *Iuliani*, vbi vice, *Epiſcopos Tarraconenſes*, ſubſtituatur vox, *Turiaſſonenſes*, quod & credo, & notauit Biuar. *ad Max. Ann.* 570. *fol.* 546. *num.* 30.

V. Prudentius Anno 1110. quia

Ex ſuperiùs relatis diſtinctionibus, neceſſariò fateri compellimur DVOS fuiſſe Turiaſſonenſes Epiſcopos, eóſque ſanctitate celebres PRVDENTIOS, annorum intercapedine diſtinctos, nam PRIMVS hoc die Anno Domini D. LXXXVI. vt inquit Maxim. *in Chron. Ann.* 586. *num.* 3. apud Biuar. *num.* 3. *fol.* 636. *& fol.* 641. & apud Roder. Car. *fol.* 205. *lit. I.* vitam hanc ærumnoſam cum cœleſti glorioſâ commutauit. SECVNDVS die XIV. Nouembris ad Annum Domini M. C. XXXV. vt ex Biuar. *ad Maxim. d. Ann.* 572. *n.* 3. *fol.* 547. §. 6. *n.* 33. colligitur, & ex *Epigrammate* in meo Codice MS. delineato, quod alibi dabimus, vbi in vltimo illius diſticho agens de ſecundo PRVDENTIO perlegitur:

Duo fuere Prudentij, Turiaſſonẽſes Epiſcopi.

Probatur ex diebus & annus tranſitus.

Obyt in pace Antiſtes cum ſæpè Kalendas
Decembriſque Nouem bis agit orta dies.
ERA. M. C. LXXIII.

Bis Nouem Kalendas Decembris in diſticho, quid aliud, quàm *dies XIV. Nouembris?* Era reſpondet ad *Annum M. C. XXXV. Domini*, ergo diſtinctio inter ipſos liquidò pateſcit, prout euênit cum *Turibijs, Iſidoris, Fulgentys, Æmilianis*, & aliis Sanctiſſimis Epiſcopis, & Confeſſoribus, quorum acta homonymiæ vitio confuſa, poſteris anſam præbuerunt erroris. Ergo hæc ita, dubitatione poſtpoſita, dilucidè enucleata; ad ACTA à PELAGIO nepote, & Archidiacono S. PRVDENTII huius nominis I. conſcripta deuenio, quæ, prout illa retulit, extracta è Quatuor Codicibus, emaculata, & caſtigata, dabimus ſic:

Exempla de homonymia Sanctorum paſſim.

ACTA S. PRVDENTII, EPISCOPI Tyraſſonenſis, à Pelagio eius Nepote, & Archidiacono edita, Extracta ex Quatuor Codd. MSS. Ferrarienſi, & S. Prudentij, & Buxenſi, & Lectionar. Ciſtercienſi.

PRVDENTIVS *Epiſcopus* Tyraſſonenſis *in* Hiſpania *ortus fuit, parentibus, ſecundum ſeculi dignitatem, locupletibus, in fide Chriſti claris, & in bonis actibus optimè deuotis: qui ſuſceptam prolem, ab ipſa penè infantia cœperunt fide ſanctâ, ac literis erudire. Ille verò, diuinâ inſpirante clementiâ quamuis puer eſſet ætate, tamen virtutibus cingebatur: vt ei cunctos coæuos ſuperaret ſapientia, vt Scripturas ſanctas, quas legebat, penè omnes memoriter retineret. Erat enim tàm ſacro ingenio, & manſuetudine pollens, vt diſcordes coæuos ſuos velociter ad concordiam pacis reuocaret; & ipſe ieiunans, cibo proprio pauperes aleret. Meditabatur, adhuc infans, Dei verbum, & fidem, quam poſtea Paſtor docuit. Igitur, vt diximus,* PRVDENTIVS *è patre nobili, ac religioſo nomine* Ximeno *extitit procreatus, & ex villa quæ vocatur* Armentia *fuit oriundus, cuius generis linea ſemper floruit, nobilitatis, religioſitatíſque norma generoſiſſima claruit.*

Origo.

Indoles.

Parentes.

CVM *autem puer* PRVDENTIVS *ad Quintum Decimum pernenisset annum, & totus integerrimè in Dei amore flagraret, patriâ, parentibúſque relictis, tranſiuit alueum, qui nuncupatur* Ebrus, *atque in ipſa nocte, cum paſtoribus quibuſdam quieſcens, totam noctem in Dei laudibus tranſegit,*

Patriam deſerit.

psalmodiam corde perfecto retexit; pastorésque incredulos fidem Catholicam, ac verbum Dei docens, erraticam, & immundam, bestialémque eorum vitam, sanctè, & religiosè corrigens, eosdem in pluribus emendauit. Mane facto, valedicens pastoribus, recessit; itinere aggresso, vsque in Serram-Albam *peruenit, capere iter non desistens; in virentibus locis super torrentem, qui* Dorus *dicitur, descendit, atque ipsâ nocte in quodam molendino cum paucis hospitatus est.*

S. Saturij famam audiuit.

In eadem nocte famam audiuit, quod in concauo lapide super ipsum fluuium, quidam Eremita maneret. Quo audito gratulatus corde, orto sole arripiens iter, circa locum illum peruenit, ex alia parte fluminis introitum speluncæ in arduo loco prospexit. Sanctissimus vero puer PRVDENTIVS, *intra se considerans, quâ arte, torrentem transiret, huc, & illuc cæpit gyro vagans ambulare, à Deo postulans consilium perfecto corde. Sic deambulans frequenter, contra foramen speluncæ inspiciebat, septémque Psalmos Pœnitentiales canebat. Exiens autem de Oratorio suo Eremita ad ostium speluncæ prodijt, vidénsque puerum miratus est, quomodo sic incautè ambularet. Qui voce multâ insonuit, puérque audiens, illum respexit; hominémque Dei super lapidem stare videns, gaudio est repletus; & in Deo perfectè confidens, super undas Dorij sicco vestigio transijt, & rupem, vbi spelunca erat, ascendit, pedésque hominis Dei amplexatus est.*

Per vndas ad S. Saturium pergit.

SATVRIVS *verò (sic enim vocabatur Eremita) videns tantum miraculum, quòd aqua, sicco vestigio, transituro se præbuit puero ad calcandum, tremens ad terram cum lachrymis iuxta puerum se prostrauit. Ibi ferè vnâ horâ ambo lachrymantes iacuerunt, vnus ab altero petens benedictionem. Eremita verò cum non posset puerum vincere, porrectâ manu eleuauit eum à terra, signánsque illum signaculo S. Crucis, & per manum trahens in Oratorium intromisit. Post orationem, multa eum interrogauit: in primis, vt discipulum ad erudiendum suscepit, quem postea eruditum in bonis velut magistrum dilexit; quia tantam in eo gratiam Deus collocauerat, vt venerabilis & mirabilis esset cæteris, non solum à mediocribus, verumetiam à senioribus honore præuentus. Mansit autem sanctus puer in eadem spelunca cum prædicto Viro Dei ferè septem annis, & ambo velut animalia duo, diu, noctúque ruminantia pascua diuina vnà in vita laudabili perstiterunt, quovsque felix anima Saturij, Domino inuitante, de huius valle inedia ad mensam Domini pergeret saturari.*

S. Saturius Prudentio benedixit.

Moritur S. Saturius.

DISPONENTE *itaque Deo actus præfati iuuenis, idem iam optimè eruditus, speluncam, quam prædiximus, reliquit, & clausit ostium. Qui semper Deum præ oculis habens, ad ciuitatem* Calagurriensem, *non longè à flumine* Ebro *sitam, vbi multi à fide defecerant, accessit. Cùm autem ciues* Calagurritani *essent ad saniorem mentem, monitis, & prædicatione* PRVDENTII, *& ad tramitem veritatis reducti, eius vrbis Episcopus reuelatione Angelicâ præmonitus elegit* B. PRVDENTIVM *in Clericum Ecclesiæ suæ. Itaque Vir Dei* PRVDENTIVS *præcepta Dei fideliter, & operosè custodiens, superni Regis obsequio, se totum iugiter impendebat. Cúmque non possit abscondi ciuitas supra montem posita, peruênit eius fama, quæ diutiùs latêre non potuit, ad omnes vicinas vrbes, & castella, infirmíque varijs languoribus afflicti ad pedes eiusdem Beati afferebantur, atque sanitatem ipsius meritis recipiebant.*

Relictâ speluncâ Calagurrim adijt.

Miracula patrat.

ENIMVERÒ *cùm populi fauorem sibi applaudere nollet, diuino instructus spiritu, certo tempore, ex eadem vrbe, occultè abijt, vrbémque* Tyrassonam *humilis adijt. Ingressus vrbem frequens in Ecclesia Sacristis sociatus est, & officium sibi iniunctum humili solicitudine exercens, vt ouis Pastor futurus, in Ecclesia sine querela permansit. Tempore peracto, mortuus est Sacrista, & in loco eius* B. PRVDENTIVM *constitui iudicauerunt idoneum: sub quo degens officio ad Sacros Ordines promotus est. Procedente tempore, eiusdem Ecclesiæ Archidiaconus obijt in Domino. Et quia* PRVDENTIVS *in rebus Ecclesiasticis prudens inuentus est, Dei nutu, qui eum gradatim*

Calagurrim deserit, & Tyrassonam contendit.

Officia quæ habuit.

gradatim ad maiora trahebat Archidiaconus fauore omnium ſubſtitutus eſt. Qui quaſi bonus diſpenſator Archidiaconatum viriliter rexit, & præcepta Chriſti corde deuotus impleuit, orphanos recreando pauperes viſitando, omni clero Eccleſiæ conſulendo, ſua largiter pauperibus erogando, diſcordantes in bonam partem reformando: tantis etiam in eo loco refulgebat virtutibus, vt ægroti de locis adiacentibus, & remotis ad eum affluerent, quibus Deus Beati Viri precibus, & Sancta ſignaculo Crucis ſanitatem priſtinam annuebat.

Fit Epiſcopus Tyraſſonenſis.

DEHINC Tyraſſonenſis Epiſcopus grauatus infirmitate cum Sanctis Patribus obdormiuit in pace. Poſt obitum ipſius Epiſcopi, multis clericis, & laicis, & mulieribus, per Spiritum-Sanctum in iuſſione Angels manifeſtatum, atque reuelatum eſt, vt electio ſuper B. PRVDENTIVM Archidiaconum firmaretur. Septimo die poſt ſepulturam Præſulis, Clerici omnes ciuitatis, ſimúlque ciues, orphani, & pauperes à maiori vſque ad minimum congregati ſunt, & vna voce electionem ſuper eundem præſentem PRVDENTIVM Archidiaconum clamauerunt, aientes: Curam Epiſcopalem B. PRVDENTIVS ſuſcipiat, & Cathedram, quia eſt pater omnium noſtrûm, & conſolatio infirmorum, & refectio pauperum. Domino itaque concedente, electione ſolemniter factâ, poſt ſexdecim dies conſecratus eſt Epiſcopus in ipſa Eccleſia Tyraſſonenſi.

Cõſecratur in ipſa Eccleſia.

VIXIT longo tempore B. PRVDENTIVS cum magna dilectione, & humilitate in Epiſcopatu ſuo: & vbi diſſenſio, & ſchiſma erat vicinis vrbibus, idem B. Vir, tàm Clerum, quàm Populum diligenter in pace reformabat. In diebus illis cùm ad pacem componendam inter Oxomenſem Epiſcopum, & Clerum eius Eccleſiæ aduocatus veniſſet, & prope Oxamam eſſet, duo tintinnabula, quæ in feſtiuis diebus ad Tertiam pulſari ſolita erant, Deo præcipiente, in aduentu B. PRVDENTII ſine tactu hominis ſonuerunt, vſque dum ante Altare in oratione ſe proſtraret. Epiſcopus, & Clerus Eccleſiæ cum magna reuerentia eum admiſerunt, cognoſcentes proculdubio, ipſum eſſe Sanctum Domini. Manſit autem idem Pontifex Tyraſſonenſis per triduum in Oxama ciuitate, & diſſenſum, quem inimicus pacis ſeminaueras inter Epiſcopum, & Clerum eiuſdem vrbis, Deo volente penitus diluit, & ipſius meritis exigentibus, Dominus pacem reddidit Eccleſiæ Oxomenſi. Iam verò die aduesperaſcente, omnibus dicens Valete, ad cœnam cum Clericis reſedit. Poſt horam Completorij Oratione factâ, lectum petijt, & vt conſuetus erat Septem Pſalmos pœnitentiales cecinit, & ſigno S. Crucis ſe muniuit, & illicò obdormiuit. Tranſactâ hora gallicinij, ſomno euigilans, tantâ infirmitate grauatus eſt, quòd Clericos ſuos vix vocare potuit. Qui audientes vocem Sanctiſſimi Patris ſui citò ſurrexerunt, omnéſque ante eum venerunt. Qui videntes, quòd tantâ grauaretur infirmitate, monuerunt eum, vt Corpus Chriſti acciperet. Viatico verò, ineffabili deuotione, accepto, reuelatione Spiritus-Sancti omnibus apertè prædixit diem, & horam ſuæ diſſolutionis.

Tintinnabula ſonuerunt per ſe in aduentu S. Viri.

Pacem reſtituit Oxomenſibus.

Infirmitate grauatur.

Mortis horã prædicit.

PELAGIVS igitur Archidiaconus ſuus poſt tertium diem videns & cognoſcens, quòd iam Dominus eum de via ad patriam vocaret, ſic ipſum allocutus eſt: Pater dies obitus tui appropinquat: poſt obitum tuum vbi vis ſepeliri? Beatiſſimus PRVDENTIVS reſpondit: O Pelagi, ſcit Dominus meus Ieſus-Chriſtus vbi corpus meum ſepelietur. Sed precor veſtram beneuolentiam, & præcipio, vt corpus meum imponatis ſuper mulum, cui inſedere conſueui, & vbi requieuerit ibi ſepulchrum mihi parate. Itaque venerandus heros die, & horâ, qua prædixit migrauit ad Chriſtum, fide plenus, ſanctitate illuſtris, amator pacis, & doctor mirabilis. Facta eſt ergo diſſenſio inter Clericos S. Prudentij, & Clerum Oxomenſem volentem ad hoc intendere, vt Beatum Corpus apud Oxamam retinerent. Pelagius verò Archidiaconus volens ſedare diſcordiam, Clericos Oxomenſes ſic affatus eſt: Fratres chariſſimi, iurgia

De ſepultura ſatagit.

Moritur.

Quo pacto iurgium de retinendo corpore ſedatum.

inter nos deleantur; à quibus se permiserit à loco moueri, ipsi Corpus accipiant. *Quæ res omnibus placuit. Illico* Oxomensis *Episcopus, & omnis Clerus suus cum ornata processione ad feretrum accesserunt, & mouere illud non potuerunt vllo modo, in labore totum diem frustrà expendentes & noctem.*

ALIA *die post celebratam Missam, Clerici* Tyrassonenses, *qui B.Viri obsequentes erant Discipuli, strauerunt mulum, & corpus venerandum leniter ab Ecclesia trahentes, illud super mulum imposuerunt. Valete omnibus dicentes, & gratias reddentes, mulum in via absque ductore miserunt, & post eum perrexerunt. Mulo autem sic totâ die, subsequentibus Clericis, præeunte, idem animal beatam ferens Sarcinam, vbi dies occasum petijt, metam fecit itineris, & quieuit. Supradictus igitur* Pelagius, *& alij putauerunt, quòd Sanctus elegisset illic speluncam, volentésque deponere corpus, minimè potuerunt. Aliâ die ante Solis ortum, mulus se cum Corpore erigens, iter incæpit, atque illâ die multorum arduitate locorum, magnis conatibus superata, declines valles descendit, & transacto torrente, qui Lecia nuncupatur, ascendere rupem terribilem, & deformem cæpit. Præibat animal; Archidiaconus, & alij Clerici vestigia eius sequebantur fatigati, lassi, cruciati, pauentes, atque mirantes, quomodo mulus cum tali impetu, illum terribilem locum ascendere posset. Circa horam Nonam peruenit iam prope summitatem, & se flexit in dexteram partem, vbi erat spelunca. Ibi introiuit mulus cum corpore* S.PRVDENTII, *& genu flexo ibidem pausauit. Pelagius verò Archidiaconus, & qui cum eo erant, feretrum Sanctum in terra deponentes, cereos, & candelas accenderunt, & post orationem cibum sumpserunt, & per totam noctem orationibus institerunt. Sepultus est* B.PRVDENTIVS, Pridie Idus Aprilis *à filijs cum magna deuotione.*

Super mulum imponitur corpus.

Ad mõtem Laurcensẽ defertur.

PELAGIVS *humilis eius in vita, & obitu Archidiaconus, plus humili & veraci stylo, quàm sublimi sermone, & composito, hæc de vita eius breuiter descripsit: & in loco sepulturæ Ecclesiam magno ædificio fundauit, in quo Omnipotens Deus multa, & magna miracula pro amore sui Confessoris operatus est ipse, cui est honor & gloria, potestas, & imperium, per immortalia sæcula sæculorum. Amen.*

Sepelitur, & miracula patrat.

Priuilegia referuntur de antiquitate Ecclesiæ S. Prudentij.

Hæc sunt Acta puriora, rescissis, quæ imprudenrer de *Prudentio II.* interlineatâ confusione permiscuit Scriptorum ignorantia, credens vnum tantùm fuisse PRVDENTIVM, cùm reuerâ duos fuisse ex superiùs relatis liquidò dignoscitur probationibus: quod vt ad oculum deprehendas, nonnulla subiiciemus instrumenta *Regum*, & *Abbatum*, aliorúmque, quibus elicitur *ab Anno* 846. *ad* 1065. Septuaginta ante obitum *Prudentij II.* nonnulla donaria Ecclesiæ S. PRVDENTII in spelunca *Laturcensi* erectæ concessère. Quæ ab Scriptoribus referuntur.

I. de Anno 846.

I. Priuilegium *Ranimiri* Regis est, ad *Annum DCCC. XLVI.* qui cùm victoriam à Sarracenis ope S. IACOBI Apostoli, in *Laturcensi*, hodie *Clauijo*, monte reportasset, *Tum Rex Ramirus* (inquiunt Tabulæ Laturcenses, & Rod. Tolet. *lib.*4. *cap.*13. Luc. Tud. *in Chron. Er.*880. Mariana *lib.*7. *cap.*13.) *in Ecclesia B.Vincentij intrauit, vbi corpus* B. PRVDENTII *quiescit, & ibi Dominum orauit, & lætus factus de victoria*, B. PRVDENTIO *suas terras adiacentes tribuit, & concessit.* Hinc patet minimè *Prudentium II.* ibidem potuisse illo tempore tumulari apud *Laturcum*, cùm nondum in viuis esset, ergo de *Prudentio I.* verba illa intelligenda sunt; cùm ab hac relatione ad mortem secundi intercedant CC. LXXXIX. anni.

II. de Anno 950.

II. Priuilegium *Adicanis* Abbatis est, qui *Anno DCCCC. L.* se, & fratres Monasterij *Laturcensis* contradidit, *Dulchito* Abbati *Albeldensi*, his clausulis: *Sub nomine Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis, Ego* Adica *Abbas, cum fratribus meis Christophoro, Fortunato, Sarracino,* &c. *Nos supra nominati Ecclesiam S.Vincentij,* & D.PRVDENTII *Basilicam, vbi requiescit Corpus eius venerabile, quæ sita est ad radicem Montis Laturci.* De eo meminit P.Yep. *tom.*5. *Chron. Bened. in Append. scriptur.*10. En quoque PRVDENTIVM sepultum apud *Laturcum*, ante C. LXXXV. *annum*, à morte secundi.

III.

III. Priuilegium *Sanctij* cognomento *Tremuli* Regis Nauarræ in Tabulario Monasterij *S. Prudentij Laturcensis* adhuc seruatur, qui *Era M.C.II.* Anno Christi *M.LXIV.* concessit prædicto Monasterio aliud *de Nalda*, hac serie: *Hæc est charta donationis, quam Ego* Sanctius *Dei gratiâ Rex facio pro remedio animæ meæ, vel parentum meorum Deo, & Ecclesiæ* S. PRVDENTII, *vbi corpus eius quiescit,* &c. *Facta charta in Naxara, Era M.C.II.* Iam etiam vides S. PRVDENTII corpus ibidem tumulatum, *Anno* LXIX. *ante* secundi *obitum*; vnde dignoscitur PRVDENTIVM, cuius Corpus fuit conditum, in Monasterio *Laturcensi*, alium distinctum fuisse ab eo, qui *Anno M.C.XXXV.* diem clausit extremum. *III De Ann.1064.*

IV. Priuilegium editum etiam inspicitur ab eodem *Sanctio Rege Nauarra* Anno M.LXV. quo alia offerens donaria eidem Ecclesiæ, ait: *Ego* Sanctius *gratiâ Dei Rex iussi fieri hanc chartulam. Denique placuit mihi, vt concederem donum aliquod illi cœnobio* S. PRVDENTII, *in loco qui vocatur* Laturcæ, *eo quòd ibi requiescit corpus Beatissimi Viri* PRVDENTII *Pontificis, & concedo sibi decimas de* Valle de Arnedo. Ergo inspectis hisce Priuilegiorum ecphrasibus, iam per illa secula S. Antistitis corpus ad radices *Laturci Montis* tumulatum erat, nec corpus *Prudentij II.* potuit consignari, cum istius transitus post *LXX. annos* euenerit. *IV. Anno 1065.*

PRO coronide subiungo *Epitaphij* epigraphem in sarcophago S. PRVDENTII, Episcopi *Turiasonensis I.* conscriptam, quam falsò *Pelagio* eius Archidiacono tribuunt, cùm carmina ex metri compositione recentiora videantur, licèt venerandam præ se ferant vetustatem: *S. Prudētij I. epitaphium.*

EPITAPHIVM IN TVMVLO BEATI Prudentij Episcopi Tyrassonensis.

Sic fuit in mundo prudens PRVDENTIVS *iste,*
Corde quòd ex mundo seruiuit Rex tibi Christe:
Morte dolet cuius Tyrassona; *Præsulis huius*
Facta stupenda canet, quâ viduata manet.
Funus sacratum non mortali duce latum:
Sed proprio mulo, conditur hoc tumulo.
Quem sepeliuit ita Pelagius *Archileuita,*
Vel consobrinus, quem dedit huic Dominus.

In eodem Cœnobio, quod hodie Cisterciensibus Monachis paret, & vbi S. Præsulis adhuc sacra lipsana requiescunt, adhuc etiam, lapideam tabulam conseruat cura ascetarum, in cuius plano coæuum *Pelagij* Nepotis Epitaphium, *Leoninis* itidem versibus exaratum, perlegitur, sic: *Pelagij epitaphium.*

Continet hæc petra, quæ non possent mea metra
Commendare satis, propter pelagus bonitatis:
Pelegius *dictus, quem mortis substulit ictus,*
Archileuita bonus, factor domus, atque Patronus.
Viuum nutriuit Tyrassona, *nec sepeliuit:*
Nam voluit patruo se sociare suo.

De S. PRVDENTIO absque aliqua distinctione, imò nominum confusione hallucinantes scripsêre Ambros. Moral. *lib.12. cap.74. fol.*87. D. Francisc. Padill. *Histor. Eccles. Hispan. tom.1. cent.4. cap.31. fol.*202. Vasseus *in Chron. fol.*640. Lanuz. *Histor. Aragon. tom.1. lib.4. cap.41. fol.*436. D. Ioann. Briz. Martin. *Histor. Pinnatens. lib.5. cap.20. fol.*767. P. Truxill. *in* Thes. *tom.2. fol.*967. Pat. Mariet. *Histor. SS. Hispan. lib.5. cap.29.* & omnes superiùs citati. Necnon ferè omnia Hispaniæ Breuiaria.

TVRYASSO, siue TYRASSONA. Ciuitas antiqua *Hispaniæ* Episcopali Sede decorata, *Topographi.*

decorata, olim in *Tarraconensi Citeriori*, hodie in confinio *Castella*, & *Aragonia*, ita vt diœcesis pars in illa, & pars constituatur in ista, vocatúrque TARAZONA. Simplici S. à Ptolom. *lib.2. Geograph. Tabul.2. Europ. cap.6.* consignatur, sic *Turiaso*. Duplicato SS. in *Plinianis* codicibus inuenitur. In *Nummo Augusti* apud me, quem alibi dabimus, *Ptolomei* fulcitur opinio, prout & in *Inscriptione* relata à Briz. Martin. *in Histor. S. Ioann. Pinnatens. lib.5. cap.20. fol.*708. quam etiam suo loco subiiciemus, vt ad vrbis originem deueniamus. Rodericus Archiepiscop. Toletan. *in Histor. Hispan. lib.1. cap.5.* de istius vrbis fundatione hæc verba profatur: *Verùm* Hercules *in radice Montis* Caci, *ex ijs qui secum de* Tyro, *&* Ausonia *venerant* (*de qua Lucanus*

Opinio I. de Conditore.

Cúmque superba foret Babylon spolianda trophæis
Ausonijs)

Ciuitatem propter victoriam habitam auxit, & ex Tyriis, *&* Ausoniis *nomen indidit* TYRASSONAM. Quam etiam opinionem secuti sunt *Tarrapha, Marin. Sicul.* & alij à Roder. Mendez *in Populat. Hispan. tit.* de Celtiberia. *cap.6. fol.129.* qui hanc *Herculis* extructionem ad A.M.M.M. CCC. III. ante Christi Aduentum M. DC. LVIII. ita vt ab illo Anno ad nostrum M M M. CCC. IX. intercesserint.

C. S. PAMPHILIVS Episcopus, & Confessor.] Huius Sanctissimi Pontificis nomen recensent Ecclesiasticæ Tabulæ, in *Martyrolog. Roman. h. d.* sequenti periodo. CORFINII *in Pelignis* S. PAMPHILII *Valuensis Episcopi, charitate in pauperes, & gratiâ miraculorum illustris; cuius Corpus Sulmone conditum est.* Eadem suis idiomatibus P. Dionys. Vasq. *in Martyrolog. Castellan.* & P. Lobo *in Lusitano*; necnon Const. Felic. *in Italo*. A quibus Philipp. Ferrar. *in Topograph. SS. verb.* Corfinium, *fol.42.* & in *Catal. SS. Ital. fol.233.* qui contendit S. Præsulem fuisse *Italum*, ex eo solo motus, quòd apud *Corfinium* prædicauerit, & *Sulmone* Sacra pignora requiescant. Cuius rationes quàm fallibili fulcimine nitantur, quilibet etiam leuis literaturæ insectator agnoscet. Pro Nostris est S. M. Maxim. *in Chron. Ann* 459. apud Roder. Carol. *fol.186. lit.B.* & *Ann.*460. apud Biuar. *n.6. fol.195.* §.32. qui hæc de eo verba subnectit: *Sub idem ferè tempus*, S. PAMPHILIVS Valuensis, *in* Vacceis *Hispania Citerioris Populis, Episcopus: Profectus est in Italiam,* Corfinij, *& in* Pelignis *Populis pradicat, largitate in pauperes, & gloriâ praclarorum miraculorum illustris.* Ecce, ex *Maximo Casaraugustano*, S. Antistitem ex *Hispania Vacceis Valuensem*, non *Italum* origine, & insulâ, sed prædicatione Apostolum, & sepulturâ homopolum. Audi P. Ieronym. de la Higuera *in Martyr. MS. Hispan.* h. d. sic: *En Vilinis, o Valnas de Castilla la Vieja* S. PANFILIO *Obispo deste Lugar, Varon insigne en vida, y mayormente en caridad con los pobres.* Latinè sonant: *In Oppido* Valuensi *in* Vacceis S. PAMPHILIVS *ipsius Episcopus, Vir vitâ celebris, & maximè in pauperes charitate conspicuus.* Ferdinand. Vghellius *in Ital. Sacr. tom.1.2. part. tit. de Episcop. Valuens. & Sulmonens. fol.252.* etiam de Nostro S. Præsule scribit, quem fuisse Episcopum *Valuensem in Italia* contendit, eiúsque Acta descripta à *Paulo Regio* Episcopo *Equensi* affirmat. Nos Nostrorum vestigia sequentes eadem dabimus, additis, quæ à *Maximo* referuntur.

Martyrol.

An Italus, an Hispanus disceptatur?

ACTA S. PAMPHILII EPISCOPI VALVENSIS in Hispania, apud Corfinienses in Italia Apostoli; ex Chron. S. M. Maximi, & Catal. Ferrarij.

Origo.

PAMPHILIVS *ab ineunte ætate in religione nutritus, & Sacris literis eruditus, primas apud* Vacceos Hispaniæ *Citerioris doctrina regulas diffundens, illius religionis accola numeratur. Ad inuentutis quippe flammantem accersitus ætatem, omnia mundialium deliciarum dulcoramenta conculcans, pijs operibus, orationibus, vigilijs, & abstinentijs operam dabat, ita vt suas facultates in adiuuandis viduis, & orphanis, ac in alendis pauperibus,*

Indoles.

peribus, & peregrinis munificentia liberalitatis insumeret. Hos virtutum cumulos, cùm Clerus, & populus Valuenis *in* Hispania Vacceorum *ciuitatis conspiceret, Sanctum Virum ad sua Ecclesia Episcopale fastigium euexit. Tanti ponderis munera subiens* PAMPHILIVS *nouum vita tramitem excogitauit, ad supremum acuminis apicem in colligendis virtutum flosculis, Domino disponente, peruenit. His enim mirabilibus facinoribus, sic ad sublimia opinionis cacumina pertigit, vt iamiam admirantium populorum assiduâ voce perterritus, & propriam Sedem, & patriam compelleretur deserere; ne vanitatis laqueis inuolutus, humana gloria se auris subdere fallacibus videretur. Omnia vt diffugeret, in* Italiam *profectus,* Corfinij, *& in* Pelignis *populis omnium admiratione prædicauit; vbi factus* Episcopus *denuò onera muneris, ipso reluctante, recepit. Ex tunc hanc vita rationem obseruabat assiduè: Mediâ nocte ad horas matutinas surgebat, quibus expletis, Missam aurorâ elucescente celebrabat; postmodùm populo Sacra mysteria legis exponebat, demùm pauperibus, & peregrinis, vt moris erat, eleemosynam distribuebat; & ad prandium festinabat, & hoc festiuis diebus, nam reliquis hebdomadæ ieiunans, nonnisi post horas vespertinas cum pauperibus refectionem sumebat. Quæ cùm Clerici indignè ferrent, S. Episcopum ad Pontificem deferre curarunt, apud quem quòd Sacros Canones, circa diuinum cultum, violaret, accusant. Pontifex ministros* Corfinium *mittens, qui Episcopum ad se perducerent, illum ex domo propriâ extrahentes* Romam *vsque deducere sunt aggressi. In media ergo itineris viâ peruenientes, euênit, vt pane, & vino deficientibus, fame sitique maximè affligerentur; sed illis* S. PAMPHILIVS *compatiens ad orationem confugit, quâ finitâ, Cerua vbera plena gerens, ex proximo monte repentè adfuit, ex cuius lacte suauissimo sitim & famem ministri expleuêre famelici. Vbi verò* Romam *ventum est, mulierem adulteram, infantem, quæ nudiustertius pepererat; in manibus tenentem in platea, præsente populo, ac* Seuerum *Presbyterum, patrem illius falsò asserentem, conspexit. Quam falsitatem S. Episcopus vt detegeret, infantem ad se perductum, vt verum patrem suum coram omnibus proderet, adiurauit. Tunc infans dixit:* S. PAMPHILI Episcope, patrem meum vrbis Præfectum esse clarâ voce confiteor. *Quo miraculo peruulgato, S. Episcopus à Summo Pontifice susceptus est, ac cùm, eo, post galli cantum, surgente, psallentéque, & celebrante, Angeli simul canentes exauditi fuissent, multis affectus muneribus, quæ in propria Sede pauperibus distribuit, liber, & alacer est dimissus. Reuersus* Corfinium, *à dæmone hominem oppressum, qui se, dentibus, laniabat, manum imponens, liberauit. Ieiunijs (vt antea, orationibus, eleemosynis, ac prædicatione vacans, vbi vita finis aduenisset, Clerum, & populum ad fidem Catholicam seruandam hortatus* IV. Kalend. Maij *migrauit ad Christum, domo odore suauissimo, admirabilique luce, completâ, cùm iam nubes super corpore Diui fuisset visa perlucida. Eius sacrum corpus apud Sulmonensis Ecclesiæ Sacrarium honorificè custoditur: licèt Annus transitûs ignoretur.*

Fit Episcopus.

Italiã proficiscitur.

Exercitia quotidiana.

A suis clericis accusatur.

Pontifex illum ad se trahere iubet.

Miraculũ.

Presbyterũ ab impostura liberat.

Benignè suscipitur à Papa.

Corfinium reuertitur.

Vitã exuit.

Toto cœlo aberrauit P.F. Francisc. Biuar. *in Not. ad Maxim. d. fol.* 195. enixè contendens, nullibi gentium, præter *Hispaniam*, fuisse, vel esse vrbem nomine VALVENSEM, nam si Geographos, & cæteros Italiæ Scriptores perlegisset, nequaquam in tantum erroris deuenisset commentum. Ergo adeat Blond. *de Ital. Illustrat. lib.* 1. *Region.* 12. *fol.* 398. Leandr. Albertum *in Antiquitat. Ital. titul. de Pelign. fol.* 395. Fernand. Vghell. *in Ital. Sacr. titul. de Episcop. Sulmonensib. & Valuens. tom.* 1. *part.* 2. *fol.* 250. Ferrar. in *Geograph. Orbis verb.* VALVA. *fol.* 654. Sed non ex hoc euacuatur *S. Maximi Cæsaraugustani* sententia; quia licèt Sedes *Valuensis* in Italia successerit antiquæ Sedi *Corfiniensium*, seu *Pelignorum*, vocabulo *Valuensis*, & *Sulmonensis*, vt referunt prædicti Scriptores Itali, hoc euênit ad *Annum DCC. Christi* vt inquiunt *Blondus*, & *Vghellius*, quod minimè poterit adaptari S. PAMPHILIO, qui iam erat Episcopus *Valuensis* in Vacceis Hispaniæ ad

Error Biuarij.

Quo anno Corfinium Valuensis cœpit vocitari?

Annum C C C C. L I X. ferè ante nomen *Pelignis* appoſitum, per C C. X L I. *annos*; ergo S. PAMPHILIVS non *Italiæ* Sedis Epiſcopus *Valuenſis*, quæ illo ſeculo non erat in rerum natura, ſed *Valuenſis Hiſpaniæ* conſendus eſt. Crederem illam Regionem *Valuenſem* dictam ſequentibus ſeculis, ob Pontificalis infulæ S. Præſulis, illius Regionis Apoſtoli, honorem, quem ex *Hiſpania* delatum cognouêre Oppidani, ne tanti muneris functio deperiret. Nec eſt audiendus *Vghellius*, qui S. Antiſtitem ad annum *Sergy Papæ* conſignat circa D C C. cùm contrarium conſtet ex *Maximo*. Hinc venit reformandus Catalogus Epiſcoporum Sulmonenſium, vbi ante *Palladium* ad Annum C C C C. X C I X. quem Primum vocant Epiſcopum reponendum eſſe S. PAMPHILIVM.

Ob S. Præſulis antiquam in Hiſpania Sedem, Peligna Valuenſis vocata eſt.

VALVÆ. Duo ſunt Populi in Antiquis Hiſpaniæ Vacceis inter Palentiam, & vrbem Burgenſem, quos VALVASES vocitant, alius ſuperior, alius inferior, infra quorum confinia amnis amœniſſimus præterfluit, qui illorum terminos diſcernit, & ſeparat. Hodie eſſe Domum de Spinola, qui *Marchi de los Valuaſes* dicitur, pro certo mihi renuntiatum fuit.

TERTIO KAL. MAII.

DIES XXIX.

A. S. AGAPIVS *Epiſcopus* Carthaginis *Hiſpaniæ ſub Valeriani Imperator. impia perſecutione* Cyrtem *Numidiæ vrbem exulauit, vbi à rabidâ ſæuientium crudelitate extortus animam Domino Martyr inſignis obtulit.*

B. Ibidem S. SECVNDINVS Braccarenſis *Eccleſiæ Pontifex qui è ſua ab ipſo Tyranno Diœceſi eiectus, in* Cyrtem *quoque exul factus, cum calicem martyrij lentè ebibere cœperit, tandem conſtanter illum martyrio conſummauit.*

C. Barcinone *in Hiſpania admirabilis* INVENTIO *Sacrorum pignorum* S. CVCVFATIS *ipſius vrbis Martyris, apud Cœnobium S. Benedicti nomine illius Sanctiſſimi Athletæ condecoratum, in cuius Eccleſia anniuerſariâ commemoratione coluntur, & illuſtri tumulo ſeruantur.*

D. In HISPANIA *celebris eſt feſtiuitas* S. PETRI *Martyris ex Ordine Prædicatorum, cuius nomini* Sanctum Inquiſitionis Officium *contra hæreticam prauitatem, dicatum conſpicitur, & ſub cuius tutamine tanti Tribunalis ſodalitium erectum abſque intermiſſione ſeruatur.*

NOTÆ.

NOTÆ.

SANCTVS AGAPIVS Episcopus, & Martyr.] In Antiquis *Vsuardi, Beda, Equilini, & Notkeri* Martyrologiis, & in *Romano* antiquo, & recentiori, licèt nomen, & passionem istius Martyris inuenies, attamen *Cathedram* Præsulatus non agnosces. Temporum ingluuies hæc & similia consumpsit; licèt non tantâ obscuritatis efficaciâ, vt penitus infularis titulus ignoretur. Ad tanti boni restitutionem prodiit in lucem *Iuliani Petri* opus, qui in *Aduers. n.533. fol.124.* agens de eius translatione, & nomen, & martyrium describens, itidem Episcopatus sedem propalauit. *Corpora* (inquit) *SS. Martyrum* Agapij *Episcopi* Carthaginensi *Hispania, & Secundini, vel Secundi Braccarensis ex Hispania missorum Cyrtem vrbem Numidia in exilium, vbi passi sunt sub Valeriano, à quo passi sunt exilium (praeesset Secundus Calidonium Episcopum Braccarensem) relata sunt ad Hispanias, missa dono Comiti Raymundo, genero Imperatoris Aldefonsi VI.* In Martyrio conueniunt verba Iuliani cum antiquis relatis Martyrologiis, pro omnibus Romanum hoc die in hæc verba: *Cirtha in Numidia, Natalis SS. Martyrum* AGAPII, *& Secundini Episcoporum, qui post longum apud prafatam vrbem exilium, in persecutione Valeriani, in qua tunc maximè Gentilium rabies ad tentandam iustorum fidem inhiabat, ex illustri Sacerdotio, effecti sunt Martyres gloriosi.* Circa locum præsulatus, & corporum translationem, apud ipsos altum silentium, aut quia aliqui Scriptores antiquiores fuère, aut quia vt exteri domesticas *Hispania* ignorarunt actiones. De *S. Agapio* agunt Cascales, Vargas, & D. Roder. de Acuñ. *Histor. Braccarens. tom.1. cap.36. fol.151.* & Nos supra in *Cathalog. Episcoporum Carthaginis Spartaria die XXIV. Ianuarij.* Baronius Acta apud *Surium* inter res gestas *SS. Mariani, & Iacobi* (à Surio recensitas) contineri fatetur. Ex quibus acta coniungemus, vt ad instituti scopum deueniamus.

A. — *Vbi Episcopi ex Iuliano.* — *Scriptores.*

ACTA S. AGAPII, EPISCOPI *Carthaginis Spartaria in Hispania; ex Iuliano, & Surio tom. 2.*

AGAPIVS, *vt coniectatur, ex peruetustis* Hispaniæ *incolis originem traxit. Ad* Carthaginis Spartariæ *infulam deuenit Antistes, cuius Sedem sic mirificus fidei gubernauit operibus, vt sauiente Imperatoris Valeriani persecutione, in Numidiam exularit. Apud* Cyrtem *ergo cùm deuenisset vrbem, antiquam illam Maßinissa Curiam, & ad Magnas ipsius Colonia suburbium accessisset, plurimos Christi inuenit ascetas, quos cruenti, & caeati Prasidis furor per militares manus requirebat, & incredibili quadam crudelitatis insania, iam antea exilio mulctatos requirebat, & vt se sanguine inebriaret, auidis faucibus anhelabat. In his* AGAPIVS *Antistes carnalis continentia sanctitate eximius, à certamine ad certamen aliud euocatus est, vt qui captiuos à seculi pompis in obtinendo Christi nomine subegisset, etiam mortis aculeos, consummata fidei virtute calcaret. Contigit autem, vt* AGAPIVS *ex illustri Sacerdotio, Martyr gloriosus, in eo transitu, quoad beatum passionis sua pralium, Prasidis quidem temporanea potestate, sed Christi electione pergebat, fidelium interim dignaretur hospitium. Cui tantus inerat gratia, & viuificationis spiritus, vt tàm sancto, & praclaro Dei testi parum iam esset, quòd ipsi fideles martyrio pretiosum Sanguinem destinassent, nisi etiam alios Martyres fidei sua inspiratione fecisset. Cuius tanta fuit charitas, tantáque dilectio, vt licèt tacitis insita virtutis exemplis fidelium fidem, satis supérque extrueret, tamen paucis illis diebus, quibus cum illis degit, adeò omnium mentes diuinis sermonibus inflammauit, vt Marianum,*

Origo. — *Ad Numidiam exul factus.* — *Christianos fouet.*

& Iacobum, exemplo & magisterio suo dispositos, incredibili quodam martyrij amore ebrios relinqueret. Demùm AGAPII *apud Præsidem exilij ex* Hispania, *& exhortationis ad Christicolas fama peruenit, qui illicò comprehensus, per varia cruciatuum certamina ad coronam indeficientem cucurrit agonis* III. Kal. Maij *Anno Domini* CCLXII. *Pontificatum Maxim. obtinente Dionysio.*

Comprehēditur, & coronatur.

Cùm ergo S. AGAPIVS, *dùm in carcere versaretur, pro Tertulla, & Antonia puellis Christianis, quas sibi charissimas, ad vicem pignorum diligebat, repetitis frequenter precibus oraret, vt secum, & illæ Dei dignatione Martyres fierent, retulerat meritorum suorum tali reuelatione fiduciam.* Quid assiduè petis, quod vna oratione meruisti?

Martyrium SS. Virginum reuelatur.

Post illius verò passionem, agente Iacobo *in carcere, secundùm quietis tempus, apparuit illi* S. AGAPIVS. *Quem se vidisse* S. Iacobus *est fassus, inter omnes alios lætiorem, quos vna Cyrthensis carcer incluserat, solemne quoddam, & lætitia plenum celebrare conuiuium.*

Apparet S. Iacobo Martyri.

Eius sacrum Corpus sepeliuit fidelium cœtus, quod illiac delituit, donec quidam Rex Numidiæ illud dono dedit Comiti Raymundo, *genero* Aldefonsi Sexti, *& in* Lusitaniam *translatum est.*

Corpus Hispaniam defertur.

Hæc sunt quæ de S. AGAPIO Episcopo *Carthaginis Spartaria* in *Hispania* colligere libuit, cætera Deus scit, cuius est Sanctorum suorum memorias, etiam obsistente temporis oblitione, & hominum incuria, tempestiua relatione, imò reuelatione proferre.

Topographia. CYRTE, siue CIRTA. Olim Ciuitas Episcopalis, Mauritaniæ Cæsariensis, siue vt propriè hæc Regio dicitur Africæ, in Mauritaniæ confinio. Vrbs est antiqua, nobilis, ingens, & Regia ad Amphagam fluuium in colle excelso constructa; hodie CONSTANTINA. Perperam Facellus somniat ALGER esse, in cuius portu Carolus V. Imperator inuictissimus, & Hispaniarum Rex, Anno M. D. XXXVII. naufragium pertulit, nam contrarium liquet ex Aluaro Gomezio in Vit. F.Francisci Ximenij, vt notauit Abraham. Ortell. in Thesaur. Geograph. & Philipp.Ferrar. & alij Geographi, quibus lubens adhæreo.

B. Martyrologia. S.SECVNDINVS, Episcopus, & Martyr.] Hic fuit Socius S. AGAPII *Carthaginensis* in Episcopatu, in exilio, & in agone. Ille *Hispanus* ex *Carthagine*; Iste *Gallæcus* ex *Braccara*. Ille Antistes suæ vrbis; Iste suæ Ciuitatis Pontifex. Ille exul in *Africa* propter fidem; Iste propter Christum relegatus *Cyrthem*. Vterque ibidem pro nomine IESV martyrio coronatus, & ex illustri Sacerdotio ambo sunt Martyres effecti. Martyrologia in *S. Agapio* relata, itidem istius Sedem ignorarunt, sed ope *Iuliani* Nostri iamiam ipsius Ecclesiam agnoscimus. *Scriptores.* De eo post Iulian. *d. Aduers.* 533. *fol.* 124. scripsit D. Roder. de Acuña *Histor. Braccarens. tom.* 1. *cap.* 36. *fol.* 151. & Nos infra *in Catal. Præsul. Braccar.* Eius acta communia ferè sunt cum actis *S. Agapij*, exceptis nonnullis, quæ vt theurologiam vitemus, separabimus.

ACTA S. SECVNDINI EPISCOPI *Braccarensis, & Martyris; ex Iuliano, & Surio, alijsque.*

Origo. SECVNDINVS *ex* Hispaniæ *natus origine*, Braccaram Augustam *incolebat, eo tempore, quo* Gratus *Episcopus* Braccarensis *viuere desijt, in cuius locum suffectus est. Illius quippe vrbis Cathedram fideliter rexit, quousque immanis Valeriani, & Galieni Imperatorum crudelitas persecutione prosilijt. Ergo S. Pontifex à satellitibus tentus, in* Cyrthe Numidiæ *exilium sustinere compulsus est. Ad* Spartariam Carthaginem *aduectus, cum* S. AGAPIO *ipsius vrbis Episcopo, etiam in ipsam Ciuitatem* Numidiæ *relegato, amicitiam contraxit. Qui iunctim* Cyrthem *aduentantes, Christianos, quos præ timore persecutionis occlusos agnouerunt*

In Cyrthem relegatur.

feruida

feruida spiritus charitate fouentes, ad Martyrij desiderium absque trepidatione incitarant. Quod vt agnouit Numidia Præses, & quod S. SECVNDINVS *ex relegatis extiterat* Hispaniæ, *illicò in carcerem includi iussit Episcopum, qui post innumera cruciatuum certamina, demum ad palmam martyrio peruenit æternam.* XXIX. Aprilis, *Anno Domini* CCLXII. *Eius corpus cùm per ferè nouem secula in Africa delitesceret, deinque in patriam redux, dono Regis Numidiæ* Raymundo *Comiti*, Alphonsi VI. *Regis genero, missum est.*

Comprehenditur, & coronatur.

Corpus Braccaram redijt.

Quo loco nunc seruentur istorum Sanctorum Pontificum lipsana, me latet. Fortè apud *Lusitanos*, inter obscura Cadauerum sacrorum nomina, temporum intercapedine, delitescunt. Quod haud mirum, si sequentem *S. Cucuphatis Barcinonensis* historiam percurreris; vbi istius S. Martyris pignora, etiam si inter Monachorum manus haberentur, cum titulo *Martyris Incogniti*, continuò ad Deum precibus indictis, quæritabant, donec Deus illis veritatem, per mendacij patrem, miraculo demonstrauit.

INVENTIO Corporis S. CVCVPHATIS Martyris.] Fuit hic Sanctus Martyr celebris inter *Barcinonenses* Martyres; cuius natalis dies *XXV. Iulij* anniuersaria celebritate colitur. Hæc INVENTIONIS eius sacrarum jexuuiarum festiuitas apud Monachos *S. Cucuphatis del Vallès* prope *Barcinonem*, vbi euênit miraculum, annuatur. Acta desumpsit P. F. Vincent. Anton. Domenec *in Histor. SS. Cathalon. fol.* 30. ex antiquo *MS. Legendario* ipsius Cœnobij, quod etiam in manus peruenit meas, cum *Breuiario* antiquo illius Monasterij, beneficio eruditissimi Amici *Doctoris Ioannis Francisci Andreæ de Vztarroz* Aragonensis Regni Chronographi, quorum talis est litera:

C. Memoria huius festiuitatis apud Scriptores.

ACTA INVENTIONIS CORPORIS S. Cucuphatis Martyris Barcinonensis; ex Legendario Antiquo MS. Cœnobij del Vallés.

INCIPIT *Historia Inuentionis* S. Cucuphatis *Martyris, quæ euênit* Anno *ab Incarnatione Domini Nostri* IESV-CHRISTI M.LXXIX. *& Era* M.C.XVII. *Indictione* II. *&* III. *Kalend. Maij.*

Quo Anno inuenta hæc Sacra pignora.

INVENTIO *Corporis Beatissimi Martyris Christi* CVCVPHATIS, *quæ facta est in Cœnobio ipsius, quod ab Antiquis vocatum est* Octauianum, *distans ab vrbe* Barcinone VIII. *Milliario. Huc veniens quidam Vir à partibus Hispaniæ in præfatam vrbem* Barcinonem, *nomine* Lazarus, *cùm audisset famam prædicti Cœnobij, gloriosissimi Martyris Christi* CVCVPHATIS, adiit *Andream Venerabilem Abbatem eiusdem loci, & cum lachrymis amplectens eius vestigia, deuouit se Monachum fieri prædicti Monasterij.*

Lect. I.

Lazarus Hispanus venit in Cœnobium Octauianum.

Quod primùm renuens Abbas, noluit assensum præbere, tandem victus lachrymis eius, & precibus, cunctorum bonorum hominum consilio fultus, adquieuit, secúmque duxit in Monasterium. Qui cùm aliquot diebus ibi moraretur, contigit religiosissimum Abbatem Riuipollensem *in prædicto Cœnobio aduenire. Præfatus verò Abbas Andreas videns iam dicti hominis assiduam humilitatem, vnà cum consilio fratrum, & eiusdem Abbatis Riuipollensis, habitum ei Sanctæ religionis tradidit.*

Lect. II.

Petit cucullam, sed reijcitur. Tandem illam suscepit.

Postmodum autem inter fratres humiliter consistens, omnium bonorum inuidus inimicus testamentum suæ calliditatis intulit. Peractis namque Sanctæ Resurrectionis Dominicæ diebus, & veniente Litaniarum die, feria secunda, quod est ante Ascensionis Dominicæ festum, hora diei prima, cùm intentis precibus vniuersi fratres pro defunctis sacrificia offerrent Deo, stans prædictus Lazarus *ante Altare Sanctæ Dei-Genitricis, sempérque Virginis* MARIÆ *in eodem Cœnobio Deo consecratum, subitò arreptus à Diabolo cecidit.*

Lect. III.

A diabolo arripitur.

Lect. IV. *Obmuteſcit diabolus.*

Quo tremefacti fratres aduenerunt ferentes ſecum lignum Dominicæ Crucis, adiurantes eum per virtutem eiuſdem pretioſiſſimi Ligni, vt manifeſtaret eis, qua ex cauſa præſumpſiſſet eum arripere: noluítque confiteri. Hora verò eiuſdem diei tertia, atque ſexta, iterum, atque iterum vexatus, diù permanſit mutus. Veſpertina verò Synaxim celebrantibus fratribus, iterum arripuit eum dæmon.

Lect. V. *Tandem diabolus loquitur, & quæ?*

Prædicti verò fratres venerunt ad eum ferentes ſecum Vexillum Dominicæ Crucis, & adiurantes eum per virtutem eiuſdem Ligni; cum vi magna confeſſi ſunt, ſe eſſe duos immundiſſimos dæmones, nomen vnius *Zenap*; alter verò dicebatur *Ninth. Simul etiam confeſſi ſunt.* Quoniam propter nimis maximam iram, quam ſemper habebat, occaſionem inueniſſent introëundi in eum.

Lect. VI. *Orant fratres pro Lazaro.* *Et ſacra faciunt.*

Totam verò noctem inſomnem ducentes fratres, atque vigilias ante venerabiles Martyres Cucuphatem, *&* Seuerum, *ſimul facientes, aſſiduis precibus Dominum rogauerunt, vt dignaretur ei ſubuenire. In craſtinum verò vniuerſi pro eo Miſſas celebrantes, & in magna triſtitia permanentes, cùm iam hora diei eſſet, vt in Capitulum more ſolito cuncti fratres reſiderent, & de eo quod acciderat, mente conſternati fabularentur; ſubitò iterum arripuerunt eum dæmones. At illi conſurgentes venerunt ad eum.*

Lect. VII. *Lignum Crucis, & Corpora SS. ſuper obſeſſum imponunt.*

Et inuenientes eum clauſis oculis, ſtrictiſque dentibus, iacentem in terra, ante Imaginem B. MARIÆ, *intus in Clauſtro, cœperunt pro eo enixiùs Pſalmos, & Litanias Domino decantare. Cum magna autem veneratione, & cum cereis, & thuribulis, & incenſo, & aqua benedicta adduxerunt* Lignum Domini, *& Beatiſſimum Martyrem, atque Pontificem* Seuerum, *ſimúlque, & alium glorioſiſſimum Martyrem, qui ab Antiquis vocatus eſt* MARTYR OCCVLTVS.

Lect. VIII. *Dæmones quorũ eſſent illa Corpora SS. propalant.*

Quò vt venerunt, ſtatim conturbati ſunt dæmones. At fratres imponentes Corpora Sanctorum ſupradictorum ſuper pectus vexati, clamare cœperunt dæmones. Quod duo montes magni ſtarent ſuper eos. Cúmque interrogarentur à fratribus: Qui eſſent illi? *Dæmones vlulando, & in pecorum ſimilitudinem nimium vociferando, claras voces emiſerunt, dicentes:* Vnus dicitur CVCVPHAS, alius verò Seuerus Martyr, atque Pontifex.

Lect. X. *Caput S. Cucuphatis in Francia.*

Fratres autem non credentes, & contrariè illis dicentibus, quia ſpiritus ille mendax eſſet, ſicut & pater eius; & quia Corpus Beatiſſimi Martyris CVCVPHATIS *non eſſet ibi: iterum confeſſi ſunt: Quoniam erat* CVCVPHAS *abſque dubio, cuius Corpus eos torquebat. Monachi verò in ea dubietate, adhuc permanentes; nimiúmque eos acriùs increpantes, iterum confeſſi ſunt dæmones: Quòd verè eſſet Corpus glorioſiſſimi* CVCVPHATIS, *quod ſuper hominis vexati pectus tenebatur, ſed omninò non erat totum, quia caput eius in terra maiore, quod eſt Francia, erat humatum.*

Lect. XI. *Sanatur obſeſſus:* *Zenap dæmon aufugit.*

Cúmque inſtanti animo prædicti fratres cum lachrymis, & precibus Dominum exorarent, vt pro ſua clementia dignaretur eis oſtendere virtutem glorioſiſſimi eiuſdem Martyris. Iterum clamantes dæmones dixerunt: Quod cùm vnum ex ipſis nomine Zenap, *Sanctiſſimus Martyr Chriſti* CVCVPHAS *exire compelleret, ſe ſtare ibi non poſſe ille fatebatur, quia per ignem maximum eum exurens compelleret egredi, & ſic clamans eum multùm diſcerpens, atque ſtridens dentibus adhæreſcens cum magno fœtore diſceſſit, & homo factus eſt velut mortuus. Et cùm à fratribus interrogaretur, quare taceret, & nihil reſponderet, manifeſtè confeſſus eſt: Quod præfatus dæmon nomine* Zenap *inde eſſet expulſus per virtutem Dei; & eiuſdem meritis glorioſiſſimi Martyris Corporis* CVCVPHATIS, *qui vſque nunc vocabatur* OCCVLTVS, *modò verò ſine dubio eſſet manifeſtè patefactus.*

Lect. XII. *Ninth dæmon aſpectu SS. Apoſtolorum diſceſſit.*

Tunc prædicti fratres cœperunt ineffabiliter gratias Deo reddere, quia per Sanctum ſuum Martyrem talia dignatus eſt ſeruis ſuis oſtendere præ-

ſtita

ſtita miracula. Demùm verò fratres cœperunt interrogare alium dæmonem, nomine Ninth, *quare moram faceres in egrediendo. Tunc cœpit clamare, & dicere; non ſe egreſſurum inde, niſi per reliquias Sanctorum* Simonis, *&* Iudæ. *At vbi fratres cum magna veneratione illas attuliſſent, petijt dæmon, vt eas illi adorare permitterent. Quas cùm adoraret, confeſſus eſt, ex eis ignem ardentem egredi, qui eum combureret, ſéque ante illas ſtare non poſſe, quia* Simon, *&* Iudas *Apoſtoli Dei, iam alia vice eiecerunt eum, ex quadam fœmina vltra mare. Sicque fratres prædicti in precibus, & lachrymis commorantes; Dei virtute, & precibus Sanctorum Apoſtolorum ſanatus eſt homo, auxiliante Domino Noſtro* IESV-CHRISTO, *qui Martyrem ſuum ſuſcipiens in pace, miraculis coruſcare facit, cui ſit honor, & gloria, virtus, & poteſtas, per indeficientia ſecula ſeculorum, Amen.* — *Reliquiæ SS. Apoſtolorum Simonis, & Iudæ.*

Hactenus *Acta MS. in Legendario* pervetuſto *Cænobij S. Cucufatis del Valles.* Ex quibus agnoſces, quanta erroris obſtinatione contendant Galliæ Scriptores, totum apud ſe, in *S. Dionyſij Baſilica*, corpus adſeruare, dicentes. Quod vt diluas commentum, auſculta Andreæ Suaſſay *in Martyrolog. Gallic. tom. 1. die 25. Iulij fol.* 461. verba dicentis: *Eius corpus à Chriſtianis ibidem, eo quo tunc licuit cultu, conditum, poſtmodùm* Mauris Hiſpanias *inuadentibus, in* Galliam *aduectum fuit, atque in Alma Martyris* Dionyſij, *Sociorúmque* Baſilica, *repoſitum: proprio in Sacello, quod in Superiori Ædis ſacra regione eminet, condecenti etiamnum potitur honorificatione.* Si ergo in Hiſpaniæ excidio, quod contigit *Anno DCCXIV.* in *Galliam* tranſvectum fatentur iſti Scriptores, quo modo ad *Annum M. LXXIX.* vt inquiunt *Acta* recenſita, potuit hoc ſacrum *Corpus* apud *Octauianum Cænobium* inueniri? Iam à multis retrò ſeculis tota illa *Cathaloniæ* regio in manus Chriſtianorum deuenerat, eo anno, quo Deus mirabilem inuentionem Sacrati corporis euenit, cum fuiſſent tunc temporis Comites Barcinonis *Berengarius Raymundi*, & *Raymundus Berengarij* fratres, filij *Raymundi Berengarij* Senioris, qui vltimum diem clauſit XXVII. Maij, Anno M. LXXVI. poſtquam fere totas Hiſpaniæ plagas feciſſet ſub tributo, vt inquit Diag. *Hiſtor. Comit. Barcinon. lib. 2. cap. 65. fol.* 139. Quando ergo hæc *Tranſlatio* potuit euenire? Ad vſque relatum in Actis annum non potuit. Poſt illum, minùs; cum dicant *Galli*, illud accidiſſe in Maurorum inuaſione. Ergo ſacro Capite contenta ſit *Gallia*, relicto Noſtris, immemorabilem poſſeſſionem habentibus, S. Martyris corpore. — *Suaſſay error.* — *Conuincitur ex Annorũ computo.* — *Gallia Caput obtinet.*

MONASTERIVM S. CVCVPHATIS DEL VALLES apud Gotholanos in Citeriori Hiſpania, celebre, ex Benedictorum Ordine, in diœceſi Barcinonenſi, quod extructum creditur à *Carolo Magno*, vt refert P. Vincent. Domenec *in Hiſtor. SS. Cathalon. fol.* 68. in antiquiſſimo *Caſtro* abs Cæſare Auguſto poſt bellum Cantabricum extructo, cui ex ſuo nomine, titulo *Octauiani* appellationem indixit. Huius aſſertionis veritatem alibi diſcutiemus, pro nunc dicta ſufficiant. — *Topographia.* — *Conditor.*

S. PETRVS MARTYR *ex Ordine Prædicatorum.*] Celebris eſt apud Catholicas *Hiſpaniæ* Eccleſias eius memoria, & celebrior eius feſtiuitas fuit in earum Officiis, quia nullum erit *Breuiarium* antiquum, in quo tanti *Martyris* non reperiatur Officium. Et licèt (cùm indigena fuerit) cauſam ſæpe ſæpiùs exquirerem, hucuſque illam à nemine ſum expertus. Nos aliquando ſuſpicabamur, provt & nunc fatemur, huius commemorationis inſtantiam, ideò apud Noſtros in tanto fuiſſe pretio productam, quia cùm iſtius *Sanctiſſimi Martyris* paſſio, propter fidei defenſionem, dum *Inquiſitoris* contra hæreticam prauitatem miniſterio fungebatur PETRVS, executa noſcatur; & apud Noſtrates *Sanctæ Inquiſitionis* tribunal à multis retrò ſeculis conſtructum, adhuc in ſua viridi obſeruantia feliciùs perſeueret; hinc *Miniſtri* huius *Sancti Officij* PETRVM tanquam fideliſſimum *Miniſtrum* eius, ſibi, & ſuis Confraternitatibus Patronum, & Tutelarem iure optimo delegerunt; vt eius auſpiciis *Officialium* cœtus apud Deum maiora beneficia depoſcat, & puriora recipiat incrementa. Huius rei ratio eſt in promptu; nam — *Apud Hiſpaniæ Eccleſias celebris feſtiuitas.* — *Cauſa huius feſtiuitatis.*

ſicut cæteri Reipublicæ artifices pro ſuis *Confraternitatibus* deligunt Tutelarem, quem Sanctum ex ſua arte profeſſorem agnoſcunt; ſic *Inquiſitionis* Sanctæ *Miniſtri* B. PETRVM elegêre *Patronum*, prout *Miniſtrum*, & commilitonem tanti eorum feliciſſimi miniſterij. Hinc euênit, vt *Hiſpana Eccleſia* Officia deſumpſerint Catholicæ, quibus PETRI deuotione amplexatâ, & earum Catholicus manifeſtaretur aſſenſus, & *Officialium* Sanctiſſimi ministerij complacerent affectibus.

Quare B. P. Dominico non fuit ab Officialibus S. Inquiſitionis commiſſa tutela?

Martyrum dignitas maior quàm Confeſſorum:

Dicet aliquis: Cur non hæc fuit *B. Dominico Hiſpano*, & primæuo huius miniſterij Anteſignano, prælecta Tutela? Cui facilè reſpondendum duximus; quia cùm in Eccleſia Dei, potiùs defertur *Martyri*, quàm *Confeſſori*, licèt ſupremis titulis decorato; ideò *Sacræ Inquiſitionis* Miniſtri Eccleſiæ veſtigia ſequentes, PETRVM MARTYREM elegêre Patronum, omiſſo *Dominico*, qui Confeſſoris titulo tantum functus, vitam in ipſo executionis miniſterio non obtulit, licèt pluries hoc deſideraret affectio. Primò *Martyribus* datur protectioni locus, & iis deficientibus, *Confeſſorum* adintrat meritò Patronatus; ergo quid mirum, ſi omiſſo *Dominico* Confeſſore, PETRVS MARTYR, ab Officialibus eligatur Tutelaris? Et licèt huius rei probatio ex Eccleſiæ Vniuerſalis traditione pateſcat, quia ab eius exordio ſolùm *Martyribus* dabatur expreſsè locus in *Canone Miſſæ*, & in Templorum conſtructione, etiam ex ordine *Officiorum* in *Breuiarijs* & *Miſſalibus* deprehenditur, necnon in conſignatione Sanctorum *die I. Nouembris* quâ poſt Chriſtum, eius Matrem, Angelos, Patriarchas, Baptiſtam, & Apoſtolos, proſequitur Eccleſia:

Chorus ſacratus Martyrum,
Confeßio Sacerdotum.

Quod & obſeruatur in *Antiphonis*, & *Reſponſorijs*, necnon in *Litanijs*, & aliis publicis actis, quibus omnium Sanctorum ſpectatur concurſus, vel quia Noſter *S. Martyr* fuit primus ex Ordine Prædicatorum canonizatus, imò & primus Sanctus ab Eccleſia renuntiatus ex *Inquiſitoribus* contra hæreticam prauitatem. Sed ad

Auctores qui de S. Petro ſcripſere.

S. PETRI Martyris anamneſim deuenio. Eius meminêre Roman. Martyrolog. h.d. his verbis: *Mediolani* S. PETRI Martyris, *Ordinis Prædicatorum, ab hæreticis ob fidem Catholicam interempti.* P. Dionyſ. Vazq. *in Martyrol. Caſtellan.* P. Lobo *in Luſitan.* Conſtant. Felicius *in Italo.* Philipp. Ferrar. *in Topograph. SS. verb.* Mediolanum *fol.* 75. & in *Catal. SS. Ital. h. d. fol.* 224. Epiſcop. Equil. *in Catal. SS. lib.* 4. *c.* 98. Galleſinius, Maurolycus, & cæteri recentiores. Ex Scriptoribus Eccleſiaſticis Abraham. Bzouius *Annal. Eccleſ. tom.* 13. *Ann.* 1252. *n.* 5. Vincent. Bellouacenſ. *in Specul. Hiſtoriar. lib.* 31. *cap.* 103. S. Antonin. Florentin. *in Chron.* 3. *p. tit.* 23. *cap.* 6. Humbert. *de Fratr. Vit. lib.* 5 *cap.* 2. Thomas Cantipratan. *de Apib. lib.* 1 *cap.* 5. §. 2. Odoricus Raynaud. *Annal. Eccleſ. tom.* 13. *Ann.* 1252. *num.* 30. PP. *Fernand. del Caſtillo*, *Leander Albert. Anton. Senenſ. Maluenda*, *Grauina*, & cæteri Rerum Ordinis Prædicat. Scriptores: Poſt quos D. Angel. Manrriq. Epiſcop. Pacenſ. *Annal. Ciſtercienſ. tom.* 3. *Ann.* 1204. *cap.* 3. *à num.* 1. *& ſeqq.* Paramo *de Offic. & Origin. Inquiſ.* & Carena *eod. tract.* multis in locis, quorum, & aliorum citas referre prolixum. In Breuiariis antiquis aliquot *Hiſpaniæ*, & præcipuè Ordinis, tàm vetuſtis quàm recentioribus, *Officium* recitabatur *Duplex* ante decretum Sixti V. Pont. Max. *de Anno Domini* 1586. quo in Orbe toto Chriſtiano *Duplici* ritu recitari iubetur, vt ex Diplomate à Cherubino *Tom.* 2. *Bullar. Ann.* 1586. *die XIV. April.* collecto pateſcit.

Breue Conceſſum Miniſtris, & Officialibus S. Inquiſitionis Hiſpaniæ pro recitatione Officij Duplicis die S. Petri Martyris.

Ideò neſcio quâ occaſione ſequens reſcriptum à Sacra Rituum Congregatione fuit emanatum. *Cùm* S. PETRVS Martyr, *Ordinis Prædicatorum à pueritiâ acerrimus Defenſor extiterit Orthodoxæ Fidei, quam etiam moriens cum Symbolo hæreticis interficientibus, profeſſus eſt, & ob id magnam deuotionem erga dictum* S. Martyrem *gerere Regna* Hiſpaniarum *glorientur, ad hoc vt eius dies feſtus maiori veneratione celebrari queat, Rex Hiſpaniarum, & eius nomine Orator apud Sedem Apoſtolicam enixè ſupplicauit Sanctiſſimo, concedi, vt omnes Miniſtri, & Officiales Eccleſiaſtici S. Officij Regnorum Hiſpaniarum, dictum diem feſtum* S. PETRI Martyris, *cum Officio ſub ritu Duplici, & Miſſis cum* CREDO *impoſterum celebrare poſſint: Et ſupplicatione per Sanctiſſimum ad hanc ſacram Rituum Congregationem remiſſâ,*

eadem S. C. censuit, concedendum si Sanctissimo placuerit. Sanctissimus annuit. Die XIX. Mensis Martij 1635. C. Episcop. Portuens. Cardinal. Pius. Iulius Rospigliosius Secretarius. Quidquid sit in Hispania etiam ante rescriptum Sixti V. Officium fuit Duplex, & ex consequenti post rescriptum, ideóque hoc Sacræ Congregationis nihil addidit antiquæ consuetudini, & Pontificiæ iussioni. Ast si verum amamus optimè à Ministris, Regiâ interueniente auctoritate, supplicatum; quia licèt olim apud Hispanos Duplici Officium S. Martyris recitaretur ritu, illud Pij V. decreto suspensum, à Sixto V. restitutum fuit; sed Clementis VIII. ad Semiduplex præceptione redactum, meritò ad antiquum Duplex fuit redintegrari petitum. Quod in hoc Sacræ Congregationis decreto per Sanctissimi placitum, dignoscitur impetratum. ACTA S. Martyris prolixiora scripsit *Thomas Lentinus* Patriarcha Ierosolymitanus coæuus, quæ publica fecit Surius *tom. 2. Vit SS.* à quo *Thom. Truxillo, Villegas, Ribadeneyra, Sanctorus, Vega* & alij *Flor. SS. Scriptores.* Nos ea ex ipso Canonizationis diplomate subiiciemus.

ACTA S. PETRI MARTYRIS DOMINICANI ex Bulla Canonizationis eiusdem ab Innocentio IV. PP. expedita.

MAGNIS & crebris declarata prodigijs Christianæ fidei rectitudo iam nouo noui Sancti decorata martyrio signorum recentium fulgore coruscat, & multis hactenus roborata portentis, nunc singularium miraculorum insignijs confirmatur. Ecce de instanti, & moderno Fidei pugile noua gaudia prodeunt, triumphalia signa innotescunt; vox fusi sanguinis intonat; inclyti Martyris tuba clangit, terra non silet sudans aspersione cruoris; resonat Regio nobili prædita bellatore; ipséquemet gladius parricida proclamat. Hæc sunt certè certa Fidei Sacra indicia; hæc ipsius idonea testimonia; hæc eius dignissima monumenta; propter quod lætati sunt cæli, & terra pariter in tanti perceptione gaudij exultauit. Grandis adest Matri Ecclesiæ causa lætitiæ, multa ei materia iucunditatis aduenit. Habet vnde Domino Canticum nouum cantet, vnde immensæ laudis hymnum referat Deo suo. Habet plebs Catholica vnde plaudat, leuatis Altissimo manibus, sonoris iubilet vocibus, & lætis animis iucundetur. Habet Christiana concio, vnde deuotas Conditori concinat cantiones. De horto siquidem Fidei, nuper in mensam Regis æterni dulcis allatus est fructus: de vinea Ecclesiæ in Regium Calcem affluens nouiter liquor influxit: quoniam fæcundus palmes, hostili mucrone concisus, habuit plus humoris, quia propinquior viua viti. De Prædicatorum Ordine florido prodijt Rosa rubens, quæ Regalibus oblata conspectibus intulit suauitatem odoris. De huius Ecclesiæ fabricâ electus est lapis, qui pressurâ, & tunsione politus decenter supernis arcibus est insertus. In cælesti quoque rosario flos amœnus rubeo colore rutilans nunc est natus in mundo, & candido Sanctorum Collegio nouum munditia lilium est exortum, vnde factum est in cælo magnum gaudium, exultantibus Sanctis omnibus, & solemnitatem agentibus tanti festi.

SANE B. PETRVS *de Ordine Fratrum Prædicatorum* Lombardus *origine, prudenter attendens dolosi mundi fallacias, & deuia seculi defluentis, cuius blanditijs, quis læditur, cùm lenitur; cùm ab his in adolescentiæ annis prouidè declinasset, vitæ semitam eligens tutiorem, vt à lubricis cautè pede retracto, firmis posset incedere gressibus, ad diuina obsequia se totaliter transtulit, in Euangelicæ institutionis obseruantiam, cuncta sua studia conuertens, & vniuersas dirigens actiones, rectum, & lucidum callem sequens, salubrem videlicet ipsius Ordinis regulam, per quam regi valeret, & dirigi, duci etiam & induci ad speratam requiem post laborem: In qua vtique Triginta ferè annorum spatio fultus caterua virtutum, fide præambulâ, spe astante, comite, charitate, sic præualuit, & profecit circa ipsius* Origo.

maximè defensionem fidei, pro qua totus ardebat, quòd contra illius diros hostes, mente intrepidâ, feruentique spiritu, continuum certamen exercens, suum tandem agonem diuturnum, victrici superante martyrio feliciter consummauit. Et sic ipse PETRVS *firmus in petra fidei, petra demùm passionis allisus, ad petram* CHRISTVM *dignè laureandus ascendit.*

PORRÒ *ne sacra suorum actuum vos exempla prætereant, aliqua de vita ipsius ad instructionem, & profectum audientium referamus. Ipse namque veritatis filius, & bonitatis alumnus, conuersatione conspicuus, spectabilis fama, & opinione mirabilis, miro præfulsisse nitore munditiæ, virginitatem integrè custodisse, nec mentis habuisse, nec corporis corruptelam, & nullius mortalis criminis sensisse contactum, firmâ suorum Confessorum assertione monstratur. Et quia seruus delicatè nutritus proteruit in Dominum, carnem suam assiduâ cibi, & potus parcitate restrinxit. Ne verò per otij desidiam hostilibus pateret insidijs, in iustificationibus Domini exercebatur assiduè, vt eo circa licita totaliter occupato, locum in ipso illicita non haberent, & ab spiritualibus nequitijs tutus esset. Nocturna siquidem silentia humanæ deputata quieti, post dormitionem breuem decurrebat in studijs lectionum, & somni tempus vigilijs occupabat. Dies autem impendebat commodis animarum, vel sedulis incumbendo prædicationibus, vel confessionum audientiæ insistendo, aut hæreticorum dogma pestiferum, validis rationibus confutando, in quibus specialis dono gratiæ noscitur claruisse. Deuotione insuper gratus, humilitate lenis, obedientiâ placidus, benignitate suauis, pietate compatiens, patientiâ constans, charitate præstabilis, & in cunctis morum maturitate compositus, alios, profusis virtutum aromatibus attrahebat. Feruens quoque amator Fidei, cultor præcipuus, propugnator ardentior, sic animo suo illam impresserat, sic se totum in illius manciparat obsequium, quòd quæque ipsius verba, & opera, virtutem fidei redolerent. Cuius dulcedinem lingua illius velut redundans, fauus copiosè distillans, semper illius documenta suauia propinabat. Pro hoc autem mortem subire cupiens, hoc principaliter à Domino attentis, & crebris supplicationibus postulasse probatur, vt non sineret eum ex hac luce migrare, nisi sumpto pro illa calice passionis.*

VNDE *quia meruit tantus Athleta specialem palmam de pugna tàm strenuâ reportare, ac in cælestum patriam sertis præsignitus roseis introire, cùm de Ciuitate Cumana, vbi fratrum sui Ordinis, ibi morantium, Prior erat, Mediolanum pergeret pro exequenda inquisitione contra hæreticos, sibi ab Apostolicâ Sede commissâ (sicut in publica prædicatione prædixerat) quidam de ipsorum hæreticorum credentibus, prece illorum inductus, & pretio, in eum iter salutaris propositi prosequentem, funestus insilijt, in agnum vtique lupus, ferus in mitem, in pium impius, furibundus in mansuetum, in modestum effrenis, prophanus in Sanctum præsumit insultum, exercet conatum, mortem intentat. Sacrum autem illius caput gladio crudeliter impetens, diris in ipsum impressis vulneribus, & satiato sanguine iusti ense, venerandum illum non diuertentem ab hoste, sed exhibentem se protinus hostiam, & cæsoris sustinentem in patientiâ truces ictus dimisit, spiritu petente superna in ipso loco passionis, occisum. Ipso quoque sacrilego percussuras in Christi Ministrum geminas inculcante, ille non querulosâ voce murmurans, sed sufferens omnia patienter suum Domino spiritum commendabat, dicens: In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Symbolum etiam cœpit dicere fidei, cuius nec in hoc articulo desiit esse præco, prout ipse nefandus, qui à fidelibus captus fuit, & quondam Frater Dominicus, qui comes illius erat, & ab ipso lictore percussus, diebus aliquot superuixit, postea retulerunt.*

SIC *Granum frumenti cadens in terram, & infidelium manibus compressum, & mortuum, vberem consurgit in spicam. Sic botrus in torculari calcatus, liquoris redundat in copiam. Sic triticum attritum in area, in Dominicum horreum, excussâ paleâ, deportatur. Sic aromata pilo contusa*

odorem

odorem plenius circumfundunt. Sic enim Regnum cælorum à violentis percipitur: sic per fidem à Sanctis regna sublimia deuincuntur. O quàm insigne miraculum, quod titulus tàm gloriosus illustrat! Pro defensione namque ac exaltatione fidei, & obseruatione Romanæ Ecclesiæ Vir ille mirabilis acerbam mortẽ tulit. Hic in Ecclesia tanquam sydus radians & lumine fidei, & gratia prædicationis emicuit. Hic iam in cælo quasi luminare conspicuum, & splendore gloriæ, & multorum coruscatione signorum effulget: quia non vult Dominus ipsius abscondere sanctitatem, nec meritorum suorum abscondere splendorem in occulto, sed inter lucentia Sanctorum candelabra manifestius exaltare, vt omnibus, qui in Ecclesia domo habitant, proferat clarum lumen. Nam nec in vita latêre sic potuit, quin miraculorum gloria patêret. Cuiusdam enim Nobilis filiam pro nimio, & horribili totius gulæ tumore, nec loqui, nec spirare valentem, leuatis ad Dominum manibus, & Crucis in eam facto signaculo, illóque accipiente ipsius cappam, & infirmo supponentem loco, sanauit. Idem quoque nobilis vehementi postmodum corporis torsione grauatus, credens, & metuens exinde sibi mortis imminere discrimen, cappam ipsam, quam ex tunc conseruauerat, reuerenter fecit afferri: quâ suo appositâ pectori, mox vermem quendam duo habentem capita, & pilorum densitate villosum euomuit, plenâ liberatione secutâ. Cuidam etiam iuueni muto, immisso digito in os eius, suaque linguæ soluto ligamine, beneficium loquelæ concessit.

Miracula in vita.

HÆC *& alia plura dum viueret, dignatus est Dominus per eum operari. Post mortem verò ipsius, lampades ad sepulchrum eius venerabile dependentes, plures per se ipsas, absque omni humano studio, & ministerio, diuinitus sunt accensæ. Quia conueniens nimis erat, vt quoniam igne, ac lumine fidei excellenter claruerat, singulare de ipso ignis, & luminis miraculum appareret. Quidam autem dùm vesceretur cum alijs, & illius sanctitatem, & miracula deprauaret, sumpto quodam, sub hac attestatione, morsello, quòd eum non posset, si circa hæc delinqueret, transglutire, sensit mox ipsum gutturi suo sic hærentem, vt illum educere, vel inducere non valeret. Quare illicò pœnitens, & iam vultus mutato colore, quasi sentiens vicinæ mortis euentum, facto intra se voto, quòd linguam de cætero ad talia non laxaret, fuit protinus, illo euomito, liberatus. Hydropica quædam ad locum passionis ipsius auxilio viri perueniens, fusâ ibi oratione sanitatem integram mox recepit. Obsessas à Dæmonibus longo tempore mulieres, Martyr ipse, deiectis illis cum multo sanguinis vomitu, liberauit. Febres expulit, languores curauit plurimos, ac diuersos. Cuiusdam sinistræ manus digitum ex morbo fistulæ plurium foraminum concauitate defossum, mirâ consolidatione sanauit. Quidam insuper puer ex casu grauissimo sic oppressus, vt motu, & sensu penitus destitutus tanquam mortuus defleretur, mox appositâ de terrâ suo pectori, sacro eiusdem Martyris cruore contactâ, incolumis exurrexit. Quædam cuius carnem cancer edax sedulâ corrosione vorabat, linitis huiusmodi terrâ vulneribus, est curata. Alij etiam diuersis infirmitatibus occupati, qui sepulchrum eius in vehiculis, & alijs sustentaculis adierunt, exinde postmodùm, plenâ incolumitate receptâ, sine aliquibus subsidijs rediêre. Ad hæc magna hæreticorum, & ipsorum credentium multitudo, cùm tantam fidei aduerterent efficaciam, & ad eam tot certis, & apertis tot signorum indicijs, tanquam quibusdam clamantibus præconibus vocarentur, nec possent tam validæ illorum instantiæ non parêre, ad ipsius lucem fidei de sui erroris nubilo est conuersa.*

Miracula post mortẽ.

QVID *plura? His, & quammultis alijs miraculis gloriosis magnificauit Dominus sanctum suum, & colendum exhibuit vniuersis. Lætetur itaque totus fidelium cœtus, & laudum carmina Deo concinat altâ voce, quod à suis tanquam Christi cohæredibus mansiones cœlitæ possidentur. Exultet Mater Ecclesia, quòd palmes suus, quem in agro fidei plantauit, & coluit, in cœleste plantarium est translatus. Gaudeat & insignis Fratrum Prædicatorum Ordo quòd ex illo prosilijt stella micans, cuius fulgentes radij in lumen*

hic

hic peregrinantium diffunduntur. Erubescant fallaces hæretici, Euangelicæ falsarij veritatis, quod sua mendacia commenta vilescunt, & conualescunt Catholica, & Apostolica documenta. Obmutescant dolosa ipsorum labia, & impudentes frontes decidant tàm confusa, cùm ille cuius veracem instructionem & salutaria monita renuebant, cui mortis intulère supplicium, in cælo iam regnet inter agmina Beatorum. Et mirum cùm apertè conspiciant Dei Ecclesiam talibus fulciri columnis, talibus parietibus circumcingi, talibus consurgere incrementis, talibus propugnaculis communiri, talibus defensari Patronis, talibus miraculis illustrari, quòd nihilominus in noctis tenebris, & mortis caligine gradiantur: quódque à suis oculis squammas non abijciunt cæcitatis, vt verum lumen videant, & sequantur.

C Æ T E R V M *quia conueniat, vt quem Dominus in cælo magnificat, mundus colat; Nos de sanctitate vitæ, ac veritate miraculorum ipsius Martyris inquiri fecimus diligenter. Et quia post inquisitionem solertem, studiosam examinationem, & discussionem solemnem, plura etiam & maiora comperimus, quàm de ipso insinuata fuissent, cum de communi Fratrum Nostrorum, & Prælatorum omnium, tunc apud Sedem Apostolicam existentium consilio, & assensu, confisi de Omnipotentis Dei virtute, auctoritate quoque BB. Petri, & Pauli Apostolorum eius, ac nostra, Sanctorum Martyrum catalogo duximus adscribendum. Ideòque vniuersitatem vestram monemus, & hortamur attentè per Apostolica scripta vobis præcipiendo mandantes, quatenus* III. Kalend. Maij *festum eiusdem deuotè, & solemniter celebretis, faciatis à vestris subditis veneratione congruâ celebrari, vt piâ eius intercessione, & hic à noxis protegi, & in futurum sempiterna consequi gaudia valeatis. Et vt ad venerabile eius sepulchrum ardentiùs, & affluentiùs Christiani populi confluat multitudo, ac celebriùs eiusdem Martyris colatur festiuitas, omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui cum reuerentia illuc, in eodem festo annuatim accesserint, ipsius suffragia petituri, de Omnipotentis Dei misericordiâ, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, annum vnum, & X L. dies: accedentibus verò annis singulis ad prædictum sepulchrum infra eiusdem festi quindenam, X L. dies de iniunctâ sibi pœnitentiâ misericordiam relaxamus. Datum Perusij* IX. Kal. Aprilis *Pontificatus nostri Anno X.*

Hactenus *Bulla Canonizationis* B. P E T R I data Anno Domini M. CC. LII. quam refert Abrahamus Bzouius *d. tom.* 13. *Ann.* 1251. *a.* 4. *fol.* 591. sed non hactenus eius miracula; quia licèt Ecclesia per synopsim illa, prout moris est, qualia qualia retulerit, ne legentis animum sequestraret; ast Scriptores Ecclesiastici, qui historicâ texuerunt miraculorum narratione processum, omnia plenis manibus, in integris voluminibus coagulantes, illa copiosâ relatione conscribunt: quorum ecphrasim hìc recensere prolixum, tùm quia Sanctus ipse origine indigena consignatur, tùm quia à nostro diuerteremur intento, si alienigenarum acta communia eruditioribus, prout noua, subijceremus improuidi. P. Masculi *in Encom. SS. h. d. fol.* 186. *encom.* 138. pro omnibus sufficiat.

S. PETRVS ORD. PRÆDIC. MARTYR.

Synopsis.

Ab hæreticis parentibus ortus, veræ Religionis defensor acerrimus fuit. Cùm verba faceret, Solem obnupsit, ne auditores æstu grauarentur. Loquelam, aut dedit, aut abstulit. Tandem pro fide constanter cecidit.

ENCOMION.

Parentes impietatis inuoluti caligine
ediderunt te P E T R E *in lucem,*
immò ediderunt lucem;

Quippe

Quippe Solis instar exortus es terris;
Nisi quòd semel prodigiosè texisti Solem,
cùm sub dio verba faceres in summo æstu:
vt perfugas ad fidei signa reduceres;
impetrasti precibus nubis vmbraculum.
Cessauit Sol impendere terris radios,
vt in alijs compendium tu faceres lucis.
Subduxisti vertici æstum,
vt cor incenderes.
Qui tuo in omnes dominabaris eloquio,
aliorum imperasti loquelæ;
Aduersarium audacter oblatrantem tibi
fecisti elinguem.
Alteri nutibus à te poscenti opem,
vincula soluisti linguæ.
Vulnerauit vox tua virilis impios,
antequam tibi infligerent vulnus.
Quæsitor, & indagator es perfidiæ factus,
parentibus licet perfidis natus.
Mirum fuisset, si imbelles columbæ
genuissent ferocem aquilam;
Sed magis mirum, quòd perspicacem genuerunt noctuæ.

In Antiquissimo Codice literis pastranicis, (vt apud Nos dicitur) exarato, vbi carmina aliquot scripta conspeximus absque Authoris notulâ, erat sequens descriptum pro S. PETRO epitaphium.

Martyris hic recubant ossa sacrata PETRI;
In cuius tumulo mors veneranda viget,
In cuius morte, vita beata cluet;
Hic fidei custos, hicque Magister erat.
Pro fide tunc patitur, cùm capit arma fidus.
Symbola cum digito scripsit humo fidei,
Sanguine cum proprio, post & ad astra volat.

Nec desunt in vetustis, & recentioribus Breuiariis Ordinis Prædicatorum hymni in Sancti Martyris PETRI laudem, propriâ festiuitate, conscripti; quorum ecphrasim transcribere constitui, vt omnibus patescant:

PRO S. PETRO MARTYRE
AD VESPERAS HYMNVS.

Magna dies lætitiæ
Nobis illuxit cælitus:
PETRVS *ad thronum gloriæ*
Martyr peruenit inclytus.

Puer in fide claruit,
Parentum carens nebulâ,
Deo seruire studuit,
Sub paupertatis regulâ.

Carnem

Carnem affligit iugiter
In labore multiplici,
Viam ſequens humiliter
Patris ſui Dominici.
Vita, mors, ſigna varia,
Cœlum frequenti lumine,
Dant PETRO *teſtimonia*
De Sanctitatis culmine.

Quæſumus Auctor omnium
In hoc Paſchali gaudio
Per ipſius ſuffragium
Creſcat noſtra deuotio.
Gloria tibi Domine
Qui ſurrexiſti à mortuis,
Et fortes in certamine
Sertis ornas perpetuis.

AD MATVTINVM HYMNVS.

ADeſt triumphus nobilis,
Feſtúmque cœli curia,
Quo Roſa delectabilis
Offertur Regi gloria
PETRVS *flos pulchritudinis,*
Et virtutum ſacrarium,
Nullum mortalis criminis
Senſit vnquam cõtagium.

Roborare cùm nititur
Fidem verbi præconio,
Pro fide tamen cæditur
Hæreticorum gladio.
Dum ſic in petra fidei
PETRVS *tenet veſtigia,*
Ad petram Chriſtum, prouehi
Meretur cum victoria.

AD LAVDES HYMNVS.

EXultet claro ſydere
Fulgens Mater Eccleſia:
PETRVS *Martyr in æthere*
Noua profudit gaudia.
Pauper, pudicus, humilis,
Chriſto ſe totum dedicat,
In lege Dei docilis,
Verbis, exemplis prædicat.

Triumphat per Martyrium
Chriſti fortis in acie;
Conſeruans ſemper lilium
Virginalis mundiciæ.
Lux cœli vitæ meritum
Cum ſignorum frequentia,
PETRI *commendant exitum,*
Et prædicant magnalia.

Quare S. Petrus Martyr Epiſcopatũ recuſauit.

Denique hîc vnum animaduertendum duximus de S. PETRO *Martyre*, ſcilicet, quod ſæpiùs Epiſcopatum refugeret, non autem S. Inquiſitionis Officium, nam iteratò commiſſum, illud nouis viribus acceptabat, vt refert Param. *lib.* 2. *titul.* 3. *cap.* 2. *num.* 7. *fol.* 276. Quid in cauſa? Audi Parami reſponſum. *Vtpotè quia optimè nouerat magiſtratum hunc ſibi eſſe laborioſum, Eccleſiæ Catholicæ vtiliſſimum, & ad diuinam gloriam amplificandam aptiſſimum.* Quo etiam exemplo inſtructus *R. P. F. Thomas à Tarrecremata* facilè munus Inquiſitoris Generalis accepit, ſed Archiepiſcopatum *Hiſpalenſem* totis viribus recuſauit: & Eminentiſſimus *D. D. Franciſcus Ximenius*, qui Toletanam Metropoliticæ vrbis infulam, haudquaquam, niſi Pontificis Maximi iuſſione compulſus, regendam ſuſcepit; & Generalis Inquiſitoris onus, protinus fuit nemine compellente complexus. Imò & plurimi Epiſcopatuum culmina deſeruêre, vt efficaciùs muneri S. Officij vacarent, in quo licèt maiora laboris ſuggerunt impenſa, cùm illa ob Catholicæ Eccleſiæ vtilitatem, proximorum ſalutem, & fidei amplificationem, prouentura cognoſcunt, potius ad hæc onera dorſum apponere, quàm ad illa munera manum extendere ſatagunt.

DE

DE S. OFFICII INQVISITIONIS aduersus Hæreticos, & alios FIDEI *Catholicæ hostes, origine, progressu, & existentia in Nostris Hispaniæ Regnis, & alÿs Catholicæ Maiestati adiacentibus Prouinciÿs, ditionibus, & dominÿs, tàm in hoc antiquo, quàm in nouo Indiarum Orbe feliciter constituti, Breuis, Noua, & Accurata Disquisitio.*

CVM prorsus extra chorum sit, & à nostri instituti sensu alienum, aliarum Prouinciarum huius S. Officij origines recensere, ideò antiquam illam licèt piam inter Cistercienses, & Prædicatores Fratres controuersiam penitus amandare constitui. In alienam enim messem falcem immittere, nec erit Ecclesiastici, nec prudentis pars Scriptoris, idquecircò Lectorem ad D. Angel. Mantriq. Episcopum Pacensem *Annal. Cisterciens. tom. 3. Ann.* 1204. *cap. 3. fol.* 420. & quos refert, pro vna, & ad Maluend. *in Chron. Prædicator. tom. 1. Ann.* 1215. *cap. 5. fol.* 121. & quos enumerat pro altera, missum facimus: & maiora, & eruditiora si cupiat tam in Naturæ, & Gratiæ legibus antiquiora, disertum *Ludouici à Paramo* de S. Inquisitionis origine opus, *Cæsaris Carena*, & aliorum symbola, veraci conscripta recensione peruoluat. Quod verò ad meam attinet *Hispaniam*, quatenus ipsius Tribunalia sub tutela S. PETRI MARTYRIS consignata noscuntur, sequentibus *Corollarÿs* totius antiquitatis monimenta patescent, ne amplius historicâ narratione suffultus Lector Catholicus, hæreticorum nugas, & scommata meditetur.

PRIMVM Corollarium. *Quo tempore* S. Inquisitionis *Officium fuit apud* Hispanos *in vsu?* Circa quod variè disceptatur ab Scriptoribus; nam aliqui apud *Nauarros*, nonnulli apud *Aragonios*, & plurimi apud alias *Hispaniæ* regiones, vel ipsi regno subiacentes, primùm institutum fuisse *S. Inquisitionis* Officium piâ affectione contendunt. Quorum controuersiam sedabimus, si vniuscuiusque prouinciæ, quâ hoc *S. Officium* erectum creditur, tempora discutiamus; quod vt faciliùs percipiatur, ex ipsorummet Scriptorum schedis animaduersiones Chronologicâ comprehensione notabimus. *Corollarium I. De vsu S. Officij in Hispania.*

SICILIA, quæ licet *Italiæ* pars sit, tamen quia *Aragonensi* Regno subiacet, propriè *Hispaniæ Inquisitioni* paret, proculdubio prima *S. Inquisitionis* admisit Officium, quia eius institutionis memoria elucescit ab Anno Domini M. CC. XV. vt ex priuilegio *Frederici* Imperatoris liquet, Anno Domini M. CC. XXIV. Panormi expedito, & ab Alphonso Aragonum, & Siciliæ Rege Anno M. CCCC. LII. confirmato, quod refert Lodou. à Param. *de Origin. S. Inquis. lib. 2. tit. 2. cap. 11. num. 7. & 8. fol.* 197.

INSVLÆ BALEARES, quarum caput MAIORICA, & quasi Hispaniæ partes sunt; necnon ARAGONIA, & CATHALONIA, & demum VALENTIA itidem hoc S. Inquisitionis Officium receperunt Anno Domini M. CC. XXXII. instante *S. Raymundo de Pennafort*, qui cum à sacris esset Confessionibus *Iacobo* Aragonum Regi huius nominis I. agnoscens quot agmina hæreticorum VValdensium Aquitaniâ relictâ per Pyrenæi iuga Cathaloniam, & Aragoniam ingredientia virus suæ disseminabant liberè prauitatis, à Rege impetrauit, vt Gregorium IX. Pont. Maxim. interpellaret, quatenus hoc S. Officium in Regnis erigeret Aragoniæ, prout in Italia, Gallia, Germania, & Vngaria fuerat erectum. Annuit Regis supplicationibus Pontifex, ideóque apud Spoletum die XXVI. Maij, Anno M. CC. XXXII. suas literas incipientes: *Declinante iam mundi vespere.* Archiepiscopo Tarraconensi directas expediuit. Quibus eidem præcipit Archiepiscopo, vt vnà cum Fratribus Prædicatoribus contra hæreticos arma fidei viriliter exequantur. Pontificis ergo mandata Inquisitores compleuerunt ad vnguem; de quo certior Gregorius IX.

factus, Anno M. CC. XXXV. die XXX. Aprilis apud *Perusiam* aliud dedit Apostolicum Diploma, quo *S. Raymundo* committit, quatenus in Regnis, & ditionibus *Aragoniæ* hoc S. Officium Inquisitionis radicitus instituat, profundiùs instauret, & fideliter moderetur. *S. Raymundus* illicò manum ad aratrum apponens Anno sequenti *F. Petrum de Cadireta*, & *F. Petrum Tonenes* ex Ordine Prædicatorum primos Inquisitores Cathaloniæ nominauit, qui tanto fidei zelo munus S. Officij sunt moderati pervigiles, vt non solùm hæreticos ex Regni ciuitatibus expulerunt, & expunxerunt, verumetiam vnà cum *F. Guillelmo Colonico* etiam Inquisitore, memoriam Arnalidi Vicecomitis Casteluensis publicè damnantes, eius ossa arida exhumantes, Igni viriliter tradiderunt. Quam etiam sententiam aduersus Ermesindam eius filiam, & aduersus Rogerium Bernardum Fugensem Comitem eius nepotem, vt coram eis comparerent, veritatis fulmine præceperunt. Postmodum Innocentius IV. Pont. Max. apud *Lugdunum* die XIX. Octobris, Anno M. CC. XLVIII. Breue à Gregorio IX. prædecessore expeditum, & *S. Raymundo*, necnon *Prouinciali Hispaniæ* ex Ordine Prædicatorum directum confirmauit, subiungens vt in *Prouincia Narbonensi*, vbi imperium *Regis Aragoniæ* pertingebat, Inquisitores constituat, & concludit: *Tu verò Prior* (Prouincialis) *de consilio Seniorum, & discretorum Fratrum præfati Ordinis, eiusdem Regni* Inquisitores *huiusmodi, auctoritate nostrâ remoueas, transferásque, alios substituas, vel supersedere facias, cùm ex causa rationabili id videris faciendum.* Quod liquet ex Bulla ad Abraham. Bzou. *tom.* 13. *Ann.* 1248. *num.* 3. ad literam relata. Posthæc Vrbanus IV. & Clemens IV. Pontifices Maximi, ille die XXVIII. Iulij, Anno M. CC. LXI. Iste Perusij die II. Octobris Anno M. CC. LXV. sua edidêre Breuia, quibus *Ordini Prædicatorum*, & eius Fratribus totum S. Inquisitionis negotium in Regnis *Aragoniæ* commendant, vt ex ipsis à Nicol. Eymerico *in Director. Inquisit.* 2. *p. fol.* 129. ad literam relatis patescit diplomatibus.

HIS igitur progressibus S. Inquisitionis Officium in *Aragoniæ* Regnis in pretio fuit, quia à Fratribus Prædicatoribus vigilantissimè custoditum, & viriliter defensatum, vires Ministrorum integritate, & auctoritate Pontificum, & Regum fauore recepit. Ast diuisâ per Prouincias Hispaniæ huius Dominicani Ordinis compage ad Annum Domini M. CCC. antiquorum Breuium facultas suspensa est, donec Anno M. CCC. LI. die X. Aprilis, Clemens VI. Pont. Maxim. per suam Bullam cuius initium: *Fidei Catholicæ*. quam refert ad literam F. Francisc. Diago *Histor. Prædicat. Aragon. lib.* 1. *cap.* 6. *fol.* 12. *col.* 4. committit *F. Nicolao Rosellis* Prouinciali Aragoniæ, & suis successoribus, vt sicut antea *Prior Prouincialis Hispaniæ* poterat constituere, & destituere Inquisitores contra hæreticam prauitatem in *Regnis Aragoniæ*, & ipsi possent de Inquisitoribus ex eisdem Fratribus Ordinis, & Prouinciæ aduersus hæreticos, fautores, & receptatores eorundem in dicta Prouincia Aragoniæ ac omnibus, & singulis Regnis, & terris Regis Aragonum subiectis dominio, prouidere.

SVB gubernatione igitur *Priorum Prouincialium* Prædicatorij Ordinis CATHALONIÆ, ARAGONIÆ, MAIORICÆ, & VALENTIÆ Inquisitionis sanctæ Officium extitit ad Annum vsque M. CCCC. XX. quo Martinus Pont. Maxim. die XXV. Martij apud Florentiam per suum Breuis auctographum incipientis: *Romanus Pontifex.* quod ad literam refert Diagus *lib.* 1. *Histor. Aragon. cap.* 35. *fol.* 63. præcepit vt *Prouincialis Aragoniæ* Inquisitorem eligat præcipuum in Regno VALENTIÆ, qui separatim, & absque dependentia Inquisitorum Aragoniæ in Vrbe *Valentina* resideat, & causas fidei in eius Regno cognoscat. Cuius rei forma fuit ad Annum vsque M. D. XVI. in Fratribus Prædicatoribus obseruata, vt inquit F. Alphons. Fernand. *in Memorial. ad Philipp. III. Reg. Cathol. de Antiquit. S. Offic.* §. 1. *in fin.* In hisce quippe Aragoniæ Regnis infrascripti Inquisitorum titulo numerantur Fratres ex Ordine Dominicano.

CATALOGVS INQVISITORVM ARAGONIÆ ab Anno M. CC. XXXII. ad Annum M. CCCC. LXXXIII.

1. S. Raymundus Pennafort.
2. F. Petrus de Cadireta Martyr.
3. F. Petrus Tenones.
4. F. Guillelmus Colonicus.
5. F. Guillelmus Sanctius.
6. F. Ioannes de Lotgeric.
7. F. Bernardus Peregrin.
8. F. Arnaldus Burguet.
9. F. Bernardus de Puig-cercos.
10. F. Guillelmus Costa.
11. F. Nicolaus Roselli.
12. F. Nicolaus Eymeric.
13. F. Bernardus Emengaudus.
14. F. Ioannes Gomir.
15. F. Franciscus Sala.
16. F. Scemenus Nauasa.
17. F. Sanctius de Besaran.
18. F. Ioannes Orts.
19. F. Ioannes Enguerra.
20. F. Petrus Ioannes Paulus.
21. F. Christophorus de Galuez.

Hos omnes licèt F.Ioann.Gauaston *lib.* 1. *Regal. Beator. S. Dominici cap.* 24. *fol.* 45. Inquisitores vocitet *Generales*, proculdubio fallitur, quia vt infrà dicemus, *Corollar.* 3. huius tituli, nomenclatura multa post tempora sumpsit originem,& notauit Param. *de origin.S.Offic.lib.*2.*tit.*2.*cap.*2.*num.* 10.*fol.* 132.

NAVARRA post Aragoniam,& eius dominia, hoc etiam *S. Inquisitionis* Officium,tempore *Theobaldi II.* Nauarræ Regis est vnanimiter amplexata ad Annum M. CC. XXXVIII. vt refert Paramo *d.lib.*2.*tit.*2.*c.*22.*n.*1.*fol.*144. At si D.Prudentij de Sandou. *Histor. Pampilon. Ann.*234.*fol.*92. sententiæ adhæremus, fateri compellimur,haudquaquam *Theobaldi II.*sed *Theobaldi I.*qui ab Anno Domini M.CC. XXXIV. ad Annum M. CC. LIII. in *Nauarra* regnauit,tempore, S.Officium fuisse constitutum, cùm (vt inquit *Paramus*) Gregorius IX. Pont. Max. Anno XII. sui Pontificatus, qui ad Annum M. CC. XXXVIII. respondet, fidei Inquisitores, Ministrum Fratrum Minorum, & F.*Petrum de Leodegaria* Ordinis Prædicatorij in *Pampilona* degentes,pro Regno *Nauarra*,paterna pietate crearet. Huius Bullæ meminère Maluenda *tom.*1.*Chron. Prædicat. Ann.* 1238.*fol.*614.*col.* 2. F.Francisc. Diag. *Histor. Prædicat. lib.* 1.*c.*3.*in fin.fol.*7.*col.*3. Ast illam ad literam refert F.Luc.VVadingus *Annal. Minor. tom.* 1. *Ann.* 1238.*n.*6.*fol.*567. ex Vaticano extractam, illámque VIII.Kal.Maij recenset expeditam. *Sequentibus annis* (inquiunt Diago,& Maluenda) Nauarræ Inquisitio *in manus Fatrum Prædicatorum recidit , solique ex eo Instituto, erant in eo Regno* Inquisitores,*quos vel Prouincialis Prior,vel Magister Ordinis præficiebat,ad Annum vsque Domini* M.D.X.*quo* Inquisitor Nauarræ *erat* F.Anton.de Maya *Ordinis Prædicatorum* Præsentatus,*vt constat ex Capituli Prouincialis Manresensis actis, eodem anno celebrati.*Qui autem istorum temporum Inquisitores fuerint,non liquet.

CASTELLÆ, LEGIONIS, & PORTVGALLIÆ Regna si aliquorum opinio sequenda sit, longiùs *S.Officij* institutum recepisse, fatendum erit. Quia vt inquit Ludouic.Param.*lib.*2.*tit.*2.*c.*2.*fol.*130.prorsus *Inquisitorum* nomen,& potestas apud hæc Regna ad Annum vsque M. CCCC. L X. ignota fuit, de quo plura adducit exempla, hanc ignorationem confirmantia. Sed proculdubio (inquit ipse *Paramus*) falluntur huiusmodi opinatores,nam à tempore *Clementis IV.Pont.Max.* Anno M. CC. LXVII. iam nomen,& potestas *Inquisitorum* per totas circumferebatur *Hispanias*:& patet ex literis eiusdem *Clementis* datis Viterbij *Kalend.Februarij* eodem Anno, quarum exemplar in Archiuo *S.Catherina Martyris Barcinonensi* asseruatur,quod & referunt F.Alphons. Fernand.*vbi supr.*§.2. F.Franc.Diago *Histor. Prædic.Aragon.lib.*1.*c.*6.quo præcipitur Magistro Prouinciali Hispaniæ (sub cuius ditione,& magisterio tunc temporis erant CASTELLA, LEGIO, BÆTICA, PORTVGALLIA, & NAVARRA) vt ex eius Ordine Prædicatorio *Inquisitores* nominet,qui aduersùs hæreticos solicitè inuigilent , eorúmque errores , strictâ animaduersione condemnent. Ergo hac potestate Magistris Prouincialibus Ordinis Prædicatorij in *Hispania*,vt liquet,præmissâ,& constituendi in hisce Prouinciis *Inquisitores* facultas concessa videtur,nam aliàs in posterum,hoc est Anno M.CCC.L.non reuocaretur

in dubium, quæstio illa sæpiùs per eadem sæcula controuersa: *An scilicet discissis, ex antiquo Prouincialis* Hispaniæ *titulo, Prouincialibus* CASTELLÆ, *& aliarum Prouinciarum, hac concessio Prouincialibus* Aragoniæ, *qui iam non erunt Magistri Prouinciales totius* Hispaniæ, *creandi* Inquisitores *in cæteris Prouinciis, prorsus ab eius dominio separatis, continua in posterum videretur?* Cui dubio *Clemens VI.* Pont. Max. *IV. Idus Aprilis*, Anno M. CCC. L. Pontificatus sui *Anno IX.* apud *Villam-Nouam*, Auenionensis Diœcesis, *F. Nicolao Roselli* respondit, vt tantum posset in dominiis *Regni Aragoniæ Inquisitores* constituere; & hoc ne daretur confusio Prouinciarum; ergo quilibet illarum Prouincialis Magister similem concessionem habebat, & ex consequenti in suis Prouinciis *Inquisitores* efficaciter eligebat. Hanc etiam opinionem defendunt Param. *d. cap.2. num.7.* Diag. *d. cap.6.* qui Clementis VI. literas refert. Fernand. *d.* §.2. Si hoc ita; ergo & Magister Prouincialis CASTELLÆ *Inquisitores* in sua prouincia creabat, prout cæteri in suis ditionibus LEGIONIS, BÆTICÆ, & PORTVGALLIÆ, cùm separatæ & distinctæ prouinciæ fuissent. Quod & patet duplici auctoritate. I. Nam Anno M. CCC. XCIV. *Bonifacius IX.* Kal. Februarij concessit Magistro *F. Vincentio de Lisboa* tum temporis Prouinciali CASTELLÆ, LEGIONIS, & PORTVGALLIÆ facultatem creandi *Inquisitores* in Prouinciis huiusmodi suæ gubernationi assignatis, & ad suos isthæc extensa auctoritas ex diplomate colligitur successores, vt referunt Param. *d. lib. 2. cap. 2. num.* 8. F. Alphons. Fernand. *d.* §. 2. & ex ipso elicitur diplomate, quod in Cœnobio Beatæ Virginis MARIÆ *de Pralio* nuncupato adseruatur. II. Nam Anno M. CCCC. quo illustrissimus, & nunquam satis laudatus Ecclesiæ summum apex, *Alphonsus Madrigal.* Episcopus Abulensis, cognomento *Tostatus*, pietate, & religione sublimis, doctrinâ, & eruditione supra miraculum clarus, Commentaria in *lib. 2. Paralipom.* scribebat, hæc in *cap. 17. quæst. 14.* scriptum reliquit: *Hi enim sunt apud nos* Inquisitores *hæreticæ prauitatis, qui inquirunt circa eos, qui sunt infamati de hæresi.* Ex quibus rationibus, & auctoritatibus elicitur etiam apud relatas prouincias extitisse *Inquisitores* hæreticæ prauitatis ab Anno M. CC. LXVII.

HIS sic discussis venio ad tempora, quibus hoc Sanctum Officium Inquisitionis feliciter à Catholicis Hispaniæ Regibus *Ferdinando*, & *Elisabetha*, secundus fuit progressibus instauratum. Quod faciliùs vt agnoscat eruditus, Tribunalia, secundùm vniuscuiusque antiquitatem, non secundùm præsentem existimationem, describemus. Quibus verum ab apocripho circa huius S. Officij instaurationem discernet.

Corollarium II. De instauratione Tribunalii S. Officij. COROLLARIVM II. *A quo tempore fuit instaurata huius* S. Officij *auctoritas, & iurisdictio; quâ de causa; quave formâ, quibus auctoribus, & quibus Inquisitoribus?*

Quo Anno? CIRCA primam huius COROLLARII partem, apud omnes conuenit, initium sumpsisse huiusmodi instaurationem ab Anno M. CCCC. LXXXIX. quo *Sixtus IV.* Pont. Max. facultatem indulsit Catholicis Regibus, vt in *Castella*, & *Legionis* Regnis Inquisitores crearet, vt refert Param. *d. lib. 2. tit. 2 cap. 3. num. 4.* Huius equidem concessionis, & facultatis indultum postmodùm sic augmentum recepit, vt S. Officij auctoritas cresceret, succedente etiam illâ secreti formâ, & executionis methodo, sine quibus Tribunalium deficeret reuerentia; & eneruaretur auctoritas.

Qua causa? CAVSAM huic præbuit instaurationi Apostatarum Iudæorum insania; nam cùm penè innumeri qui Christo nomina dederant, Christum abiurare satagerent, atque ad perfidiam Iudaicam desciuissent, ita vt populi hisce similibus Apostatis pleni noscerentur, & quotidie malum per Hispanias serpere videretur; *Catholici Reges* de periculo Christianæ Reipublicæ à Viris piis, & sanctitate, auctoritate, & eruditione illustribus commoniti; de remedio efficaci gloriosâ tenacitate tractârunt. Inter celebres illius seculi monitores, qui Regum animos, vt *S. Officij* instauraretur auctoritas, acuerunt, & illorum spiritum inflammârunt, *D. Petrus Gonzalez de Mendoza* Archiepiscopus Hispalensis, *F. Thomas à Turrecremata*, Regum Confessarius, *F. Alphonsus de Hojeda* Prædicatorum Cœnobij

Hispalensis

Hispalensis Prior fuêre, vt refert Param. *d. cap. 3. n. 2.* Sed & proximam etiam fuisse adiutricem ad hoc *S. Officium* instaurandum insignem sanctitate fœminam, illustrem nobilitate Dominam *Mariam à Toleto*, dominam de Pinto in seculo, in religionis portu, *Mariam Pauperem* fundatricem Cœnobij S. Elisabeth Monialium S. Francisci Regum vrbis Toletanæ, de qua hæc D. Thomas Tamayo *in eius vita. c. 10. fol. 24.* verba recenset: *De huius Sanctissimæ fœminæ oraculo prodyt in lucem instauratio in* Hispania *S. Tribunalis iustitiæ integritatis, fidei defensionis, Sanctæ Inquisitionis, vt sit liberis ignorantijs frenum, & malitiosis subtilitatibus supplicium. Obgannitant licet nostri temporis heretici adversus eam, quia cum illa sit honoris Dei propugnaculum, sic illius est iustitia Deus defensor acerrimus.*

QVATENVS ad formam, ab exordio instaurationis constituti fuêre *Inquisitores* in qualibet nonnullarum diœcesum vrbe principe, veluti in *Gaditana, Castanensi, Ilerdensi, Balaguerensi, Oriolensi, Abulensi, Seguntina, Placentina* Ciuitatibus, vbi vnà cum Ordinariis diœcesis potestas fuit Inquisitoribus nominatis concessa inquirendi, & puniendi hæreticos, & apostatas, vt patet ex diplomate à *Sixto IV.* expedito Anno M. CCCC. LXXXII. quod refert Paramus *d. cap. 3. num. 6.* Ast pôst cognitis per *Regem Catholicum* rerum vicissitudinibus, per suum Regium decretum *die VII. Augusti* Anno M. D. VII. ordinauit *F. D. Francisco Ximenio* S. R. E. Cardinali, & Generali Inquisitori, vt Tribunalia S. Officij per regna diuideret, prout fecit. *Quà forma?*

SED nunc ad Tempora quibus vnum quodvis Tribunal fuerit erectum, calamum convertamus, vt cunctis pateat, quo Anno, quo Generali Inquisitore, quibus Inquisitoribus originem acceperit.

HISPALIS.

HÆC Vrbs prima ex Ciuitatibus vtriusque Castellæ S. Officij munus excepit; nam Anno Domini M. CCCC. LXXXI. in ea Inquisitores Fratres *Michaelem de Murillo*, & *Ioannem à S. Martino*, à Regibus nominatos, & à *Sixto IV.* pridie Kal. Februar. eiusdem anni approbatos fuisse dignoscitur. Ast cùm huius concessionis dispositio, haudquaquam fuisset executa secundùm formam, postmodum ab ipso *Sixto Pontifice* designatam, per suum diploma die XVII. Octobris Anno M. CCCC. LXXXIII. expeditum, quo *R. P. F. Thomam à Turrecremata* Generalem Inquisitorem constituit, cum facultate delegatos constituendi, necessarium fuit, vt idem Generalis Inquisitor supradictos *Hispalenses Inquisitores* confirmaret, prout fecit, ita vt ex tunc illud Tribunal acciperet incrementum.

TOLETVM.

ISTVS Regni Tribunal erexit prædictus Inquisitor Generalis in vrbe, quæ *Ciuitas Regalis* dicitur, Anno M. CCCC. LXXXIV. Cuius primi fuêre Inquisitores Doctor *Franciscus Sanctius de la Fuente*, S. E. Hispalensis Portionarius, & Licent. *Petrus Diaz de Costana* S. E. Burgensis Canonicus. Illud postmodùm idem Generalis Inquisitor *Toletum* transtulit, anno sequenti, vt refert Param. *d. lib. 2. cap. 7. num. 3. fol. 170.* in quo primus Inquisitor *D. Ferdinandus de Herrera* Sedem fixit.

CORDVBA.

TERTIA Vrbs, in quâ S. Inquisitionis Tribunal erexit *Turrecremata* Anno M. CCCC. LXXXIV. cuius gubernationi præfecit Inquisitorum titulo Doctorem *Petrum Martinez de Barrio*, & Baccalaureum *Antonium Ruiz de Morales* Canonicum Cordubensem.

CÆSARAVGVSTA.

LICET in *Aragonum* Regno, vt supradiximus, essent Inquisitores ex Ordine Prædicatorum à multis retrò temporibus, illorum iurisdictio (ante constitutionem Generalis Inquisitoris Hispaniæ) à Pontifice reuocata dignoscitur, ideóque constituto Generali Inquisitore *Turrecremata*, ille apud *Cæsaraugustam* Tribunal instaurauit Anno M. CCCC. LXXXV. primos eidem Inquisitores consignans M. *F. Gasparem Inglar* Dominicanum, & Sanctissimum, totísque honoribus Venerabilem *M. Petrum Arbues de Epila* Canonicum S. E. Cæsaraugustanæ, qui

A ventre in studia, à studijs in munera venit
Canonicus, Iudex, Doctor, qui semina verbi
Dispersit populis; causas fideique, sacrique
Iura Tribunalis rexit; qui Numine plenus,
Martyrio, vitâ, miraclis, nomine clarus,
Supremis ductus meritis super astra triumphat.

BARCINO.

EADEM ipsa fuit *Gotholanis* fortuna, & euentus, ac *Aragonensibus*, circa antiquitatem Inquisitorum ex Ordine Prædicatorio, sed reuocatis per Pontificem istorum iuribus, pari modo illorum potestas fuit; donec concessâ Inquisitori Generali *Turrecremata* facultate nominandi Inquisitores, & constituendi Tribunalia in Regnis *Aragoniæ*, die XIII. Februarij, Anno M. CCCC. LXXXVI. & die XXIV. Martij eiusdem Anni, pro *Gotholaniæ* Principatu: Idem Generalis Inquisitor apud *Barcinonem* Anno M. CCCC. LXXXVII. Inquisitorum Tribunal suscitauit, cui primos *Martinum Garzia* Canonicum Cæsaraugustanum, qui illuc non adiit, & *F. Alphonsum de Spina* Priorem vrbis de *Huete*, Iudices præfecit.

VALENTIA.

ANTIQVA forma Inquisitorum ex Ordine Prædicatorum in hac vrbe, diuturnior fuit, nam Anno M. CCCC. LXXXIII. adhuc *F. Christophorus de Gualbez* munus Inquisitoris obibat, donec à *Sixto IV.* die XXV. Maij eiusdem Anni reuocationem iurisdictionis accepit; & postmodùm Anno M. CCCC. LXXXVI. *F. Ioannes Ort* eadem Inquisitoris munia retinebat, quousque ab *Innocentio VIII.* reuocata, Inquisitor Generalis *Turrecremata* ad normam aliorum Hispaniæ Anno M. CCCC. XCVIII. Tribunal reformauit, cuius primus Inquisitor *Rodericus Sanz de Mercado* noscitur extitisse.

SASSARIS.

SARDINIÆ secunda Metropolis, Vrbs Septemtrionem, & Corsicam versus sita, in loco plano ac littore Occidentali. In ea, pro totius Insulæ regimine, Generalis Inquisitor *Turrecremata* S. Inquisitionis Tribunal constituit Anno M. CCCC. XCVII. Quamuis Ludouic. Param. *d. lib. 2. tit. 2. cap. 13. num. 3.* contendat hanc erectionem factam fuisse Anno M. CCCC. XCII. Primus Inquisitor eiusdem Tribunalis fuit *Sanctius Marin*, qui obiit Anno M. CCCC. XCVIII. & successit M. *Gabriel à Corduba.*

BIGASTRVM.

VRBS in diœcesi *Carthaginis Spartariæ* sita, quæ nunc MVRCIA dicitur, in qua hodie Cathedralis Ecclesia residet. In ea idem Generalis Inquisitor *Turrecremata* S. Tribunalis Sedem constituit, cui Baccalaureum *Ioannem de Villalobos* primum Inquisitorem præfecit.

MAIORICA.

PRINCEPS ex *Balearibus* Insula, cuius vrbs Metropolis eiusdem nominis ad sinum maris amplum sita dignoscitur. Ludouic. Param. *d. lib. 2. tit. 2. cap. 11. fol. 217.* postquam de antiquitate S. Inquisitionis ab Anno M. CC. XXX. prout & Nos suprà, verba fecisset, haudquaquam indiuidualem Anni de instauratione S. Officij, consignationem recenset. Illam fuisse factam Anno M. CCCC. XCVIII. decreto Generalis Inquisitoris *Turrecremata*, ex autographis huius Supremi Senatus liquet; in qua primus fuit Baccalaureus *Nunnius de Villalobos* Inquisitor consignatus.

CONCHA.

ANTIQVÆ *Valeriensis* diœcesis Ciuitas in Sede Episcopali successor; in qua idem Generalis Inquisitor *Turrecremata* Tribunal S. Officij Inquisitionis erexit; cuius primi Inquisitores fuêre Baccalaurei *Ioannes de Baysa*, & *Petrus de Gumiel.*

Post hac

Post hac cum R. P. F. Thomas à Turrecremata *Generalis Inquisitor Officij onus excutere decreuisset, ab* Alexandro VI. *Pont. Max.* die XXIII. Iunij, *Anno* M. CCCC. XCIII. *in eius subsidium insimul* D. Martinus Ponze *Archiepiscopus Messanensis, &* D. Alphonsus de Fuente el Sauze *Episcopus Mindoniensis* Inquisitores Generales *fuerunt electi, qui adusque* diem XVI. Septembris *Anno* M. CCCC. XCVIII. *quo* Turrecremata *è viuis discessit, vnà cum eo* Generalium Inquisitorum *munus explentes, & post eius mortem illud feliciter continuantes, sequentia Tribunalia erexêre.*

VALLISOLETVM.

VETERIS *Castella* antiquum Municipium, quod antiquæ vrbi *Pintia* creditur successisse in *Vacceis*; hic pro Regno ipsius *Castella Veteris* Tribunal ab ipsis *Generalibus Inquisitoribus* post *Turrecremata* obitum, constitutum, cuius primi Inquisitores agnoscuntur Doctor *D. Petrus de Barabona*, & Baccalaureus *D. Rodericus de Arguelles.*

NAVARRA.

OPVLENTVM, & Nobile Hispaniæ Regnum, vnicâ tantùm Episcopali Sede condecoratum ad vrbem Regni primariam, *Pampilonam*, cui, & aliis prouinciis adiacentibus vt iura daret iidem *Generales Inquisitores* Tribunal S. Officij ad vrbem *Calagurrim*, quam *Fibulariam* Antiqui dixere in *Vasconibus*, Anno M. CCCC. XCIX. erexêre, cui primi Inquisitores Licent. *Frias*, & M. *Arriaga* præfuêre. Postmodùm ad Oppidum *Durango* translatum. At verò Anno M. D. XIII. Eminentissimus *Cardinalis Dertosanus* Generalis Inquisitor, pro Regno *Nauarra* separatim apud *Pampilonam* Tribunal constituit, cuius fuêre primi Inquisitores Licent. *Franciscus Gonzalez de Fresneda*, & *F. Antonius de Maya* Prior Conuentus Prædicatorum Pampilonensis. Deinde hoc Tribunal ad *Tudellam* transiit, post *Calagurritano* vnitum permansit ad Annum M. D. LXX. quo *Nauarranum*, & *Calagurritanum* Tribunal, petente *Lucroniŷ* vrbe, illic cum suis iuribus, & dominiis transitum fecit.

GRANATA.

OLIM *Illiberis*, vetustissimis, & recentioribus seculis celebris ciuitas, in Superiori *Batica* ad *Tardetanos* sita, vltimum Sarracenorum in Hispania præsidium, & finalis in ea de Agarenâ superstitione triumphus Nostrorum Principum. In ea post septem à deditione Annos, videlicet M. CCCC. XCIX. suprascripti *Generales Inquisitores* S. Inquisitionis Tribunal constituentes, *Didacum Rodriguez Lucero* primum Inquisitorem elegêre; sed postmodùm ad *Cordubam* redactum, & ab ea Anno M. D. XXVI. iterum separatum, adhuc in sua Sede quiescit. Quod haud euenit *Giennensi*, nam proprium *Cordubensi* Anno M. D. XXV. vnitum, illi inposterum fasces submisit.

LLERENA.

OPPIDVM in confinio *Batica* ad Montes Marianos, quà *Extrematuram* attingunt, in Ordinis Iacobæi circulo, constructum, nunc Ciuitatis titulo decoratum. Anno M. CCCC. XCIX. *Generales Inquisitores* prædicti in eo Tribunal S. Officij erexêre, consignatis primis Inquisitoribus Baccalaureis *Didaco Fernandez de Bonilla*, & *Petro de Aranda*. Postmodùm ad vrbem *Placentinam* translatum, ad Annum vsque M. D. VII. permansit. Dehinc *LLerenam*, pòst *Emeritam* Anno M. D. XXIV. transvectum, demùm Anno sequenti *LLerena* restitutum, hodie ibidem iura *Extrematura* ministrat.

PANORMVS.

SICILIÆ Princeps Ciuitas, Caput Regni, & Proregum Sedes; vrbs ampla, & spatiosa, hominum multitudine, ædificiorum superbiâ, Ciuium opulentiâ insignis, & Archiepiscopali Sede nobilis. Olim vt suprà retulimus S. Inquisitionis Officium habuit, cuius Inquisitores à Sede Apostolicâ delegati, ad Annum M. D. ibidem permansêre, quo Regum Catholicorum precibus reuocati, Tribunal *Sicilia* in eadem ipsa vrbe, Hispanæ Inquisitioni parens, *D. F. Didacus Deza* ex Prædicatorum ordine alumnus, Generalis Hispaniæ Inquisitor designatus erexit, cu-

ius regimini primos nominauit Inquisitores *Episcopum Chephalensem*, & Doctorem *Ioannem de Isgalambro*; licet Param. *d. lib. 2. titul. 2. cap. 14. numer. 30.* aliter contendat.

CANARIA.

Primaria ex Insulis Fortunatis Ciuitas, Sede Episcopali decorata, multarum gentium commerciis nobilis. In eâ *D. F. Franciscus Ximenius de Cisneros* ex ordine Minorum asceta, Archiepiscopus Toletanus, & Generalis Hispaniæ Inquisitor, mense Nouembri, Anno M. D. VII. S. Inquisitionis Tribunal constituit, in quo primus Inquisitor *Baccalaureus Bartholomæus de Tribaldos* inuenitur, cuius haud meminit Param. *d. lib. 2. tit. 2. cap. 20. fol. 238.* qui aliter huius Tribunalis institutionem prosequitur, sed isthæc vera & genuina ex auctographis desumpta relatio est.

ORANIVM.

Vetusta Cæsariensis Mauritaniæ in Africa Colonia, quam perperam *Icosium* vocitat *Marius Niger*, & alij *Basbariam*, vt notauit Ludouicus Marmolius *tom. 2. Descript. Afric. lib. 5. cap. 28. fol. 194. col. 3.* qui *Vnicam Coloniam* à Romanis dictam fatetur, & ab Africanis *Guaharàn*. Vrbs fuit olim diues, & Europæorũ commerciis celebris. Illam propriis sumptibus, assistentiâ, & orationibus expugnauit Anno M. D. IX. die XVIII. Maij (vt infrà *Tom. 3.* dicemus) Eminentissimus *D. D. F. Franciscus Ximenius*, qui Anno M. D. XVI. tanquam Inquisitor Generalis, Tribunal in ea erigere constituens, *D. Martino de Baydazar* eius vrbis Vicario negotium commisit, qui vsque ad Annum M. D. XXV. iurisdictionem exercuit, quoad *Bigastrensi* vnitum, adhuc eius Iudicibus paret.

LIMA.

Ciuitas Regum in tractu Peruano in India Occidentali, seu Americâ, à valle, quâ sita dignoscitur, appellata, perpetuâ aëris temperie salubris, ædificiis pulcherrima, commerciis diues, Peruuij Metropolis, & Proregum Sedes. Ad eam primi Inquisitores nominati fuêre ab Eminentissimo Cardinali *D. Didaco de Spinosa* Generali Inquisitore, Licent. *Servandus de Cerezuela*, & Doctor *Bustamante*, qui apud *Panamam* obiit, & socius *Limam* accedens, ibidem Tribunal constituit, Mense Ianuario, Anno M. D. LXX. Vbi notandum venit, quòd licèt Anno M. D. XVI. Cardinalis *Ximenius* in Indiam Occidentalem *D. F. Ioannem de Quenedo* Episcopum, Inquisitorem exlegasset, prorsus de erectione alicuius Tribunalis S. Officij ab eo facta ignoratur: prout nec à *D. Alphonso Manso* Episcopo Insulæ S. Ioannis, & *F. Petro de Corduba* Viceprouinciali Ordinis S. Dominici, ab Eminentissimo Cardinali *Dertosano*, Anno Domini M. D. XIX. dimissis, & à *D. D. Alphonso Manrrique* Archiepiscopo Hispalensi, & Inquisitore Generali confirmatis ad eam rem, aliquid noscitur executum.

MEXICVM.

Novæ-Hispaniæ in Americâ opulenta Metropolis, Archiepiscopi, & Proregis Sedes, & maxima totius Indiæ ciuitas, in lacu quodam crescenti, & decrescenti sita. Ad eam Cardinalis *Spinosa* Inquisitor Generalis, Anno M. D. LXX. Doctorem *Petrum de Moya Contreras*, & Licent. *Ceruantes* emisit, qui Tribunal S. Officij in illis prouinciis erigerent, & licèt è viuis sublato *Ceruantes*, non ex hoc fidei negotium moras traxit; nam *Mexicanam* vrbem conscendentes *Moya* Inquisitor, & *Bonilla* fidei Censor, Mense Nouembri, Anno M. D. LXXI. S. Inquisitionis Sedem fixêre.

COMPOSTELLA.

Gallæciæ Ciuitas primaria, & celebris, ob Apostolicam Basilicam, in quâ S. Iacobi Nostri Corpus reconditur, Archiepiscopali Sede decorata. Illam *D. D. Gaspar de Quiroga* Generalis Inquisitor Hispaniæ cupiens honoribus accidentalibus illustrare, Tribunal S. Officij Inquisitionis in ea erigens, primos Doctorem *Guijano de Mercado*, & Doctorem *Aloa* consignauit Inquisitores, qui protipùs commissa munia compleuêre feliciùs.

CARTHAGO.

Incolis dicta *Calamar*, Nostris vero *Cartagena*, quia ad instar *Carthaginis*

Spartaria

Spartaria constructa perhibetur *Hispaniæ*. Vrbs Episcopalis in America, opulentum illarum Regionum emporium; In ea Mense *Februario*, Eminentissimus Cardinalis *D. D. Bernardus de Rexas, & Sandoual* Archiepiscopus Toletanus, & Hispaniæ Generalis Inquisitor, Anno M. DC. X. S.Officij Tribunal erigere constituens, Licent. *Petro Matthai de Salzedo*, & *Ioanni de Mañozca* primis Inquisitoribus, necnon *D. Francisco Bazan* fidei Censori commisit, vt negotium hoc fidel executioni mandarent, qui Mense *Septembri* illud efficaciter exeqnentes, Tribunal constituère feliciter.

Enimi Lector omnia S.Officij Inquisitionis Hispaniæ Tribunalia, provt erectâ suis annis, & temporibus fuère. Sed quia vniuscuiusque auctoritas hodie non secundùm antiquam erectionem, sed secundùm præsentem existimationem pensatur, operæ pretium duxi, nunc eorum nomenclaturam summatim cum prouinciis ad quodlibet pertinentibus præsenti topographiâ recensere.

COROLLARIVM III. *Quæ prouinciæ vnicuique Tribunali S Officij Inquisitionis respondeant, cum Nomenclatura præsentis existimationis?* Cui vt pareamus quæsitó; post erectionem Tribunalium supra memoratorum, duo tempora notanda sunt, quibus distributio Prouinciarum vnicuique Tribunali spectantium mutationem recepit, quâ cognitâ præsentem S.Officij statum facilè deprehendes, ita vt inposterum, de illo aliquid subdubitare otiosum erit, & inane. *Corollarium III. de districtu antiquo, & recentiori Tribunalium S.Inquisitionis.*

I. TEMPORIS status euènit ab Anno M. D. VII. Nam cùm *Reges Catholici* tot inquisitorum numerum per diœceses dispersorum agnoscerent, formam *Castella* Tribunalibus statuere volentes, decreuère, vt per Regna Inquisitiones erigerentur, vt per eius schedulam *die VII. Augusti* eiusdem anni expeditam liquet. Cuius decreti complementum ad vnguem Eminentissimus Cardinalis *Ximenius* obseruans, Tribunalia cum suis districtibus ita distribuit. *I. Tempus.*

VALLISOLETVM teneat Episcopatum *Burgensem, Palentinum, Abulensem, Segobiensem, Salmanticensem, Ciuitatensem, Zamorensem, Asturicensem, Legionensem, Ouetensem, Calagurritanum*, & *Oxomensem*, vnà cum Abbatiis *Vallisoletanâ, Metina-Campensi*, & *Sahaguntinensi*. Quod Tribunal pro Regnis *Castella-Veteris*, & *Legionis* constitutum est.

TOLETVM teneat proprij *Archiepiscopatus* districtum, necnon Episcopatum *Seguntinum*; & hoc pro *Castella-Noua*.

LLERENA teneat Episcopatus *Placentinum, Cauriensem*, & *Pacensem*, necnon Magistratus *S.Iacobi*, & *Alcantara*, cum *Prouincia Legionensi*; & hoc pro *Extrematura*.

HISPALIS suum teneat *Archiepiscopatum*, & *Gaditanum* Episcopatum.

CORDVBA teneat suam *diœcesim* cum Archiepiscopatu *Granatensi*, & Episcopatibus *Malacitano*, & *Almeriensi*, necnon & Abbatiâ *Astigitanâ*.

GIENNIVM teneat suam *diœcesim*, & *Accitanum* Episcopatum, vnâ cum Archidiacónatu *Castaonensi*.

BIGASTRVM teneat Episcopatum *Carthaginis Spartaria*, & *Conchensem*, pro Regno *Murciæ*.

CANARIA teneat totas *septem Insulas Fortunatas*, videlicet, ipsam *Magnam Canariam, Teneriffam, Gomeram, Palmam, Ferrum, Lanzarotam, & Forteuenturam*.

HÆC sunt vtriusque *Castella* Tribunalium S. Inquisitionis antiqui districtus abs *Ximenio*, Regum decreto factæ distribntiones, quæ postmodùm variis successibus, mutatæ, vltimam denique manum consultò feliciter accepère. Quod vt faciliùs innotescat ad *Sequens Tempus*, quo Nomenclaturam Tribunalium cum præsenti existimatione, quâ vnumquodque gaudet, & districtuum Topographiam, breui calculo subiiciemus, Lectorem missum facere constituimus.

II. Temporis status præsens est, ad quem post varia Regentium Generalium Inquisitorum conuenientia motiua, post varios casus, & rerum discrimina, annuente Domino, cuius sunt causam sequuti, deuentum est. Igitur non inspectâ vtriusque Tribunalis antiquitate, vt superiùs, sed pensatâ præsentis seculi vniuscuiusque existimatione corographiam eorum describere curauimus. *II. Tempus.*

TRIBV

TRIBVNALIA CASTELLÆ.

I. TOLETVM. Primas inter aliorum subsellia refert. Eius iurisdictio, & totius Regni, & Archiepiscopatus Toletani (excepto Oranio) necnon Episcopatuum Abulæ, Segobiæ, & Segontiæ cismontanensium, districtus complectitur. Eius Regni, & Vrbis insignia sunt, Imperialis corona depicta in parma, desuper Regiâ coronâ condecorata.

II. HISPALIS. Secundas post Toletum fert. Eius regimen totius Regni, & Archiepiscopatus (exceptâ Astigi vrbe) & Episcopatus Gaditani, necnon Abbatiæ Oliuarensis oppida moderatur. Illius Insignia sunt, Rex intra parmam in Sede subsistens, Regali diademate coronatam.

III. VALLISOLETVM. Eius districtus ad proprium Episcopatum, & diœceses vltramontanensium Abulæ, & Segobiæ, & totas Palentiæ, Salmanticæ, Zamoræ, Asturicæ, Vxamæ, Legionis, & Oueti, necnon ad Archiepiscopatum Burgensem, Asturiarum Principatum, & ad Abbatias Metinæ-Campensis, Sahaguntinensis, & Leramensis, prolixiùs extenduntur. Iuga verò montium Archiepiscopatus Burgensis ad *VVascones*, seu *Rioxanos* inspectantia ad *Lucronense* Tribunal spectanr. Vallisoletanæ Vrbis Insignia in parmula coronata deferunt quinque tænias à læua ad sinistram extensas ad vndarum formam, sed ad parmulæ dextram partem non attingentes, quin potius in medio parmulæ acutis cuspidibus finientes.

IV. GRANATA. Eius dominij districtus totum Granatense Regnum, & Archiepiscopatum, cum Episcopatibus Malacitano, Accitano, & Almeriensi, necnon Abbatiis Bazæ, & Antiquariæ. Pro Insignibus in scuto coronato Malum-Punicum defert Vrbs, & Regnum.

V. CORDVBA. Eius iurisdictio Cordubense Regnum, & Episcopatum, necnon Giennense, & Abbatiam, quam vulgo *Alcala-la Real* vocant, & vrbem Astigitanam diœcesis Hispalensis amplectitur. Quatuor fuscas tænias de latere ad latus in scuto coronato pro Insignibus pingit vrbs isthæc.

VI. MVRCIA, siue *Bigastrum*. Totius Regni Murciensis, & Episcopatum Carthaginensis, & Oriolensis, cum Vrbe Oranij in Africa territoria pro iurisdictione cognoscit. Sex corollas Regias, tres in superiore, duas in medio, & alteram in inferiore parte, intra parmulæ coronatæ ambitum, pro Insignibus, omnibus manifestat istius vrbis honorata compago, & Regni strenuitas.

VII. LLERENA. Cuius termini Episcopatus Placentinus, Cauriensis, Ciuitatensis, Pacensis, Magistratus S. Iacobi, vnà cum Prouincia Legionensi, & Alcantarensis olim fuère, & hactenus existunt. Fontem desuper defluentem, duabus vltro citróque arboribus associatam, pro Insignibus, in parmula coronata defert. Et hoc Tribunal totam Extrematuram amplectitur.

VIII. CONCHA. Huius Tribunalis dominium ad suum proprium Episcopatum, & ad populos diœcesis Seguntinæ vltramontanos, necnon ad Prioratum, quem *de Veles* vocitant, Ordinis Iacobæi, extenditur. Cuius vrbis Insignia sunt, Calix, supra quem stella conspicitur, intra scuti coronati, obalum.

IX. COMPOSTELLA. Totius Regni Galliciensis ambitum comprehendit, in quo Episcopatus Tudensem, Lucensem, Auriensem, Mindoniensem, & Archiepiscopatum Compostellanum recens enumerat topograpbia. Pro Insignibus Monumentum Iacobæum, & supra illum lucentem stellam, intra coronatæ parmulæ circulum, gestat Regni huius nobilitas antiquissima.

X. CANARIA. Eius ditionis ambitus, ad totas Insulas Fortunatas, videlicet, Magnam Canariam, Teneriffam, Gomeram, Palmam, Ferrum, Lanzarotam, & Forteuenturam circumfertur. Cuius Insulæ Insignia, intra scuti coronati circulum, septem Insulæ conspiciuntur.

XI. LOCRONIVM. Huius Tribunalis iurisdictio Nauarræum Regnum, Episcopatum Calagurritanum, Dominium Cantabriæ, Guipuzcuæ, & Alauæ, necnon populos omnes, à vertice montium Burgensium, & Rioxanorum vltrà, consistentes. Eius vrbis Insignia sunt pons, sub cuius arcubus flumen decurrit, cum tribus liliis ad oram ambitus parmæ coronatæ.

XII.

XII. Lima. Cuius territorij partes Archiepiſcopatus Limenſem, & Platenſem, necnon Epiſcopatus Conceptionis, & S. Iacobi in prouincia Chilenſi, Cuzchenſem, Quitenſem, & Tuaimanenſem adhuc, prout noſcitur, amplectuntur. In parmulæ coronatæ ambitu tres corollas Regias, & deſuper ſtellam, pro Inſignibus gerit hæc Regum vrbs.

XIII. Mexicum. Cui Archiepiſcopatus Mexicanus, & diœceſes Epiſcopatuum Tlaxcallenſis, Cumayaguenſis, Mecbocoanenſis, Nicaraguenſis, Verapacenſis, Nouagallicienſis, Guaxacanenſis, Iucatanenſis, Guatimalenſis, Chiapenſis faſces ſubmittunt. Pro Inſignibus vrbem ſuper vndas in coronata parmula præ ſe fert vrbs.

XIV. Carthago. Eius Tribunal Archiepiſcopatus S. Dominici Hiſpaniolenſem, & S. Fidei Bogotanenſem, necnon Epiſcopatus Carthaginenſem, Panamanenſem, S. Marthæ, S. Ioannis de Portudiuite, Popaianenſem, Charchenſem, Cubenſem, & Nicaraguanenſem, comprehendit. Eius ſtemmatis Inſigne Crucem binis Leonibus tentam intra coronati ſcuti circulum gerit.

Hæc XIV. Tribunalia hodie in Regnis numerantur *Caſtellæ*, & *Legionis*, quorum nomenclaturam inſimul congeſſimus, vt abs Tribunalibus Regni *Aragoniæ*, & eius adiacentibus eadem ſepararemus. En iſta ſuo ordine.

TRIBVNALIA ARAGONIÆ.

I. Cæsaravgvsta. Huius diſtrictus vniuerſum Aragoniæ Regnum, in quo Archiepiſcopatum Cæſarauguſtanum, Epiſcopatus Oſcenſem, Iaccetanum, Turiaſonenſem, Barbaſtrenſem, & Albarraſinenſem, & in Cathalonia, Epiſcopatum Ilerdenſem, complectitur. Rapidum Leonem intra coronatæ parmulæ circulum pro ſtemmate geſtat Regia Ciuitas.

II. Barcino. Iſtius Tribunalis regimen omnem Cathaloniæ Principatum comprehendit, videlicet Archiepiſcopatum Tarraconenſem, diœceſes Epiſcopatuum Barcinonenſis, Gerundenſis, Helenenſis, Vicenſis, Celſonenſis, & Vrgelitani. Cui etiam Comitatus Ruſcinonenſis, Cerdanienſis, & Vallium Araniæ, & Andorræ adhærent. In ſtemmate Inſignium quadripartitam coronatam parmam inſpicimus, in ſuperioribus quadrangulis Crucem, & binos vectes, totidémque è conuerſo in inferioribus.

III. Valentia. Cuius Inquiſitioni ſubſunt idem Archiepiſcopatus, & in Aragonia Epiſcopatus Teruelenſis, & in Cathalonia Dertoſanus. In parmula coronata pro Inſignibus vrbem ad maris fluenta conſtructam, geſtat.

IV. Panormvs. Eius ordinationi illius Regni Siciliæ populi parent, videlicet Archiepiſcopatus Panormitanus, Meſſanenſis, & Montis-Regalis, necnon diœceſes Epiſcopatuum Mazarenſis, Agrigentinenſis, Melitenſis, Liparenſis, Cephaledenſis, Catanenſis, & Syracuſani. Pro Stemmate intra parmulam coronatam, Regem, Aquilam extenſam per alas in manibus habentem defert.

V. Maiorica. Huius, iuriſdictionis munus ad Ipſam Inſulam, & Minoricenſem, necnon & Iuicenſem extenditur. Eius Inſulæ Inſignia ſunt, Intra parmam coronatam quadripartitam, in 1. & 4. obalo tres vectes nigri, in ſecundo & tertio tres caſtelli, ſeu turrium vertices.

VI. Sassaris. Illius Tribunal totam Sardiniæ Inſulam complectitur, qua tres Archiepiſcopatus, ſcilicet Calaritanus, Turritanus, & Arborenſis numerantur, & Epiſcopatus Sulcitanus, Læſenſis, Algerienſis, Boſenſis, Emporienſis, & Phaſaunenſis, qui omnes iura Saſſarim petunt. Parmæ angulum coronatum cruce partitum, quatuor Regum Maurorum capita monſtrantem, pro Inſignibus Inſula defert. Quibus ſic exantlatis, iam præſentem ſtatum Tribunalium S. Officij cum ſuis diſtrictibus ad vnguem agnoſces, ad alia pergo.

Corollarivm IV. *Quâ auctoritate huius* S. Officij Inquiſitionis *Tribunal inſtauratum eſt, quibus Generalibus Inquiſitoribus compactum, proſequutum, & continuatum, ad vſque præſentis temporis excurſum?* *Corollarium IV.*

Circa *Corollarij* quæſitum ſcire oportet, duas in vnum coadunatas, & cohærentes iuriſdictiones ineſſe, ſcilicet *Pontificiam*, & *Regiam*, ita vtriuſque auctoritate *Pontificia, & Regia*

auctoritate vtuntur in Hispania Inquisitores. ritate connexas, vt *Pontificia* Regum fauores agnoscens, suam continuis indemnitatibus cohonestaret, & *Regia* Pontificum subuentionibus innitens, suam assiduis priuilegiis, & commendationibus ampliaret. Hincque omnia superiùs relata Tribunalia ab hisce Pontificum & Regum supremis auctoritatibus suffulta, exercitium iurisdictionis vtriusque, liberâ iustificatione ministrant. Horum ministeria primus auctorauit ex Pontificibus Sixtus IV. auxit Innocentius VIII. & amplianit Alexander VI. omnes ad supplicationem Catholicorum Regum *Ferdinandi* V. & coniugis *Elisabethæ*, qui tanto fidei Catholicæ ampliarionis zelo perducti, post innumeras victorias, ad antiquum Inquisitionis S. Officij ministerium instaurandum, sic dispofuêre cooattis, vt posthabitis proprij patrimonij commodis, fidei lucra quærentes, omnia pro Religionis exaltatione irreuocabiliter maturarunt. Hinc illis Catholicis Principibus à Sede Apostolicâ concessum, vt *Generales Inquisitores* nominarent, & à Summo Pontifice approbati supremam exercerent iurisdictionem, vt refert Param. *lib. 2. tit. 2 cap. 3. num. 5 fol.* 136. *& cap. 4. num.* 10. *fol.* 150. qui ibidem plura refert de auctoritate, potestate, & iurisdictione Generalis Hispaniæ Inquisitoris, quæ quia prolixa lubens omitto. Nunc ad *Cathalogum* eorum, qui hac supremâ sunt vsi facultate, & auctoritate, prolixiùs accingor; nam, vt ex auctograpbis huius supremi Consilij elicitur, Generalium Inquisitorum Nomenclatura, quæ hucvsque circunfertur, mutila dignoscitur, vt ex infrà referendis apparebit.

CATALOGVS GENERALIVM *Inquisitorum Hispaniæ ab exordio instauratæ Inquisitionis.*

I. F. Thomas a Tvrrecremata ex Prædicatorum Ordine, Prior Conuentus S. Crvcis Segobiensis, Catholicorum Regum à confessionibus, qui cùm primùm inter alios in Regnis Castellæ, & Legionis simplex Inquisitor à Sixto IV. Pontif. Maxim. die XI. Mensis Februarij, Anno M. CCCC. LXXXI. fuerit electus, postmodùm ad supremum Inquisitoris Generalis in Regnis Castellæ, Legionis, & Aragoniæ, necnon in aliis Regnis, Catholicis Regibus, subiectis, ab eodem Pontifice Sixto IV. die XVII. Octobris, Anno M. CCCC. LXXXIII. gradum euectus est. Cuius electionem postea Innocentius VIII. Pontif. Maxim. die III. Februarij Anno M. CCCC. LXXXV. approbauit; & eius iurisdictionem ad Cathaloniæ Principatum extendit, vt patet ex Breui expedito die XIII. Februarij Anno Domini M. CCCC. LXXXVIII. Huius muneris exercitium tenuit ad Annũ vsque M. CCCC. XCIV. quo ab Alexandro VI. Pont. Max. propter hnius Generalis Inquisitoris senectam, vnà cum eo, Quatuor Episcopi Generales Inquisitores electi sunt, vt numero sequenti patebit. Obiit Turrecremata die XVI. Septembris Ann. M. CCCC. XCVIII. 1498.

II. D. Martinvs cognomento *Ponze* Archiepiscopus Messanensis, & D. Alphonsvs cognomento *de Fuente el Sauze* Episcopus Mindoniensis, necnon Enecus Episcopus Cordnbensis, & Franciscvs Abulensis, discussis per Alexandrum VI. excusationibus Turrecrematæ, in Inquisitores Generales Hispaniæ electi, hoc diplomatis Apostolici tenore fuêre:

ALEXANDER PP. VI.

VENERABILES *Fratres, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Dudum per felicis recordationis Sixtum IV. & Innocentium VIII. Romanos Pontifices prædecessores nostros accepto, quòd in Regnis, & Dominijs,*

nijs, charissimis in Christo filijs nostris Ferdinando Regi, & Elisabeth Reginæ Castellæ, Legionis, Aragonum, & Granatæ illustrissimis, subiectis, plures personæ, à viâ veritatis deuiantes in hæreticam prauitatem prolapsæ fuerant, vt hæresis huiusmodi extirparetur, & fides Catholica in eisdem Regnis propagaretur, diuersæ Literæ ab eisdem prædecessoribus Nostris super deputatione Inquisitorum hæreticæ prauitatis huiusmodi emanarunt. Et demùm idem Innocentius per alias suas Literas Dilectum filium Thomam de Turrecremata, Priorem Domus S. Crucis extra muros Segobienses, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Generalem Inquisitorem hæreticæ prauitatis huiusmodi, in vniuersis Regnis, & Dominijs prædictis deputauit, sibique in quibusuis Ciuitatibus, diœcesibus, & locis dictorum Regnorum, alios idoneos Inquisitores loco sui, qui adiunctis secum locorum Ordinarijs, seu eorum Vicarijs, vel Officialibus, aut deputatis ab eis, officium Inquisitionis huiusmodi, Apostolicâ auctoritate exercerent, nominandi, & deputandi, ipsósque quoties sibi videretur ab eodem Officio amouendi, & alios loco illorum deputandi facultatem concessit, & alia fecit, prout in Literis prædictis pleniùs continetur. Cùm autem sicut accepimus præfatus Prior in senili ætate constitutus, & nonnullis infirmitatibus grauatus existat. Nos de integritate vestra, & zelo, quem vos & quilibet vestrûm, ad orthodoxam fidem, eiúsque exaltationem gerit, fiduciam habentes, & sperantes ad Officium huiusmodi, zelo fidei, instituta suadente, exercebitis; Motu proprio, & ex certâ scientiâ, vos omnes, vnà cum dicto Priore GENERALES Inquisitores in vniuersis Regnis prædictis facimus, & deputamus, ac volumus, quòd vos omnes insimul, & illi ex vobis duntaxat, quos in Curia præfatorum Regis, & Reginæ pro tempore residere contigerit, omnibus, & singulis facultatibus, priuilegijs, gratijs, & indultis, eidem Officio, & dicto Priori, per eosdem Prædecessores, aut per Nos, & Sedem Apostolicam quouis modo concessis, vnà cum dicto Priore, vel absque eo, & illo viuente, & post eius obitum, vti liberè, & licitè possitis, perinde ac si dictæ facultates vobis specialiter concessæ fuissent, vobisque omnibus, & illi, vel illis ex vobis, quos in eadem Curia residere, vt præfertur, contigerit, etiam absque dicto Priore, vt quoscunque Inquisitores in quibusuis Ciuitatibus, diœcesibus & locis Regnorum, & Dominiorum huiusmodi, loco vestro nominare, ac deputare. Qui, aut vosmet Officium prædictum Apostolicâ auctoritate, vnâ cum Ordinarijs locorum, seu eorum Vicarijs, vel Officialibus, aut alijs personis per eosdem Ordinarios deputatis, vel deputandis, exercere, ac vos dùm in eadem Curia resederitis, alios Inquisitores, etiam per eundem Priorem, hactenus deputatos, ac vos, & ipsum Priorem in posterum pro tempore deputandos, si vobis videbitur, ab huiusmodi Officio amouere, & alios loco eorum deputare; & de quibuscunque causis, & negotijs Officium huiusmodi concernentibus, & illarum dependentijs, & emergentijs, tàm in prima, quàm in secunda, vel aliâ instantijs, coram eodem Priore, vel Inquisitoribus ab eo deputatis, pendentibus, & per eos inceptis, & quæ inposterum pendebunt, vos in eadem Curia residendo, vel deputandi à vobis, etiam absque dicto Priore, cognoscere, & illa decidere, nec inter vos, & Priorem prædictum sit aliqua differentia, vel locus præuentionis; Sed quòd vnus vestrûm inceperit, alter prosequi, & finire possit, ac omnia alia & singula, quæ ad Officium huiusmodi Inquisitionis spectant, & in posterum spectabunt facere, exercere, ac exequi liberè, & licitè absque vlla differentia valeatis, prout idem Prior vtebatur, exercebat, & exequebatur, seu, vti, exercere, aut exequi poterat, licentiam, & facultatem concedimus per præsentes. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibuscunque Literis, per eosdem Prædecessores, eidem Priori, sub quacunque verborum formâ concessis, ceterísque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XXIII. Iunij, M.CCCC.LXXXXIIII. Pontificatus Nostri Anno Secundo. L. Podocatharus.

HINC elicies quàm oscitanter hallucinati sunt Scribentes, qui D. ALPHONSVM Episcopum *Mindoniensem*, pòst *Lucensem*, & demum *Giennensem*, inter Supremi Senatus Inquisitionis *Consiliarios* adnumerant; cùm re verâ fuerit, non *Consiliarius*, sed *Generalis Inquisitor*, vt ex Breui superiùs relato liquet, quod ex eodemmet ipso Originali transcripsi, quocum concordat. Necnon aliorum Scriptorum ignorationem deprehendes, qui, immediatum successorem in *Inquisitoris Generalis* ministerio, *D. F. Didacum Deza* Dominicanum assignant; nam vt infrà patebit; & ex Breui dignoscitur, antea *Archiepiscopus Messanensis*, & *Episcopus Mindoniensis* electi fuêre, qui insimul Tribunalia *Vallisoletanum, Nauarranum, Granatense*, & *Llerenense*, constituêre, vt suprà diximus *Corollar.* 2. Quorum iurisdictio peruenit ad Annum M. D. Nam licèt Anno M. CCCC. XCVIII. Generalis Inquisitor Hispaniæ fuerat electus F. Didacus Deza, insimul cum relatis Inquisitoribus Generalibus fungebatur officio; quod patet: nam plura decreta sunt in Supremi Consilij Archiuis, in quibus subcribunt primo loco *Archiepiscopus Messanensis*, pòst, *F. Didacus Deza*, & vltimo loco *Episcopus Mindoniensis*, tunc *Lucensis*, & aliquando titulo *Giennensis*, secundùm temporum datas. Et licèt aliquis aliquando dubitauit, quâ de causâ D. F. DIDACVS *Deza* subscribat ante D. ALPHONSVM *de Fuente el Saux*, cùm iste antiquior *Dezâ* fuerit, & æqualis *Archiepiscopo Messanensi* in antiquitate electionis, vt constat ex *Breui*: facilis est responsio; quia omnes insimul Generales Inquisitores creati sunt, absque vlla differentia, & cùm æquales iurisdictione fuissent, decreta signabant, prout ad manus veniebant, sine ordinis obseruatione, aut anterioritatis circunstantiâ. 1508.

III. D. F. DIDACVS DEZA ex Prædicatorum Ordine, Principis Ioannis Magister, Episcopus Zamorensis, Salmanticensis, Giennensis, Palentinus, & Archiepiscopus Hispalensis, Regúmque Catholicorum Confessarius, cui Alexander VI. Kalend. Decembris Anno Domini M. CCCC. XCVIII. Regnorum Castellæ, & Legionis munus Inquisitoris Generalis; pòst Kalend. Septembris Anno M. CCCC. XCIX. cæterorum omnium Regnorum, commisit. Quorum Tribunalia fuit ad Annum Domini M. D. VII. moderatus. 1507. Huius tempore instauratum, & in forma redactum fuit Tribunal Sancti Officij Siciliense, apud Panormum, vrbem Regiam, vt supra diximus *Corollar.* 2. Qui cum senio, ac aduersâ valetudine confectus, tanto muneri minus vacare posset (licet alij alia motiui proferant specimina) eo se libenter abdicauit, vt inquiunt Param. *d. lib.* 2. *tit.* 2. *cap.* 5. *num.* 2. *fol.* 158. M. Ægidius Gonzal. *Chronograph. Reg. in Theatr. Madridens. fol.* 441. Obiit Anno M. D. XXIII. Cuius corpus in Collegio S. Thomæ Hispalensi à se fundato honorificè hac epigraphe quiescit:

✠

HVIVS ALMI COLLEGII FVNDATOR IACET
HIC. R. D. D. DEZA. ORDINIS PRÆDICATORVM
MAGISTER. ISTIVS INSIGNIS CIVITATIS
HISPALENSIS ARCHIEPISCOPVS. QVI
SVIS MERITIS, FAMA, ET SCIENTIA
AD ECCLESIAM TOLETANAM
PASTORE CARENTE VOCATVS. OBIIT
ANNO. M. D. XXIII. DIE IX. IVNII.
VIXIT ANNOS LXXX.

Igitur

Igitur *Elisabethâ* Reginâ Catholicâ, die XXVI. Nouembris, Anno M. D. IV. è viuis sublatâ, cùm Regnorum diuisio à fortiori exequenda erat, ob *Ioannæ*, & *Philippi Pulchri* coniugum aduentum, ita Inquisitoris Generalis munus ab Anno M. D. VII. diuisum agnoscimus: Nam eodem Anno *Duos Generales Inquisitores* fuisse constat, scilicet alterum pro Regnis *Ioanna* Reginæ, & alterum pro Dominiis *Ferdinandi* Regis Catholici, in hunc modum.

PRO REGNIS *Castellæ.*	PRO REGNIS *Aragoniæ.*
IV. F. D. FRANCISCVS *Ximenius de Cisneros*, Archiepiscopus Toletanus, & S.R.E. Cardinalis, tituli S. Balbinæ ex Ordine Minorum, electus à Iulio II. Pont. Max. die VII. Iulij M. D. VII. Qui Regnorum *Ioanna* Reginæ, tanquam hæredis Matris Catholicæ, Inquisitionis Tribunalia ministrans, Canariense, & Oraniense feliciter instituit, *vt supra d. Corollar. 2.* diximus. Quique in *Tempor. 1. Coroll. 3.* omnia antiqua Tribunalia, ad octo reduxit, quorum nomina superiùs rescripsimus. Hinc à Ludouico	I. F. D. IOANNES de Enguera Episcopus Viccensis, pòst Ilerdensis, & demum Dertosanus, ex Ordine Prædicatorum, electus à Iulio II. Pont. Max. die IV. Iunij M. D. VII. Qui ad Annum M. D. XIII. munus in hisce Regnis Inquisitoris exercuit, cui successére: 1513. II. D. LVDOVICVS *Mercader* Episcopus Dertosanus, & *F. Ioannes Paul* Dominicanus insimul, vt liquet ex Breui Leonis X. die XV. Iulij M. D. XIII. Qui ad Annum M. D. XVI. ministerium Inquisitorum Generalium expleuére. 1516.

Param. *lib. 2. tit. 2. c. 5. n. 4.* abstinere necessum erit, nam de rei veritate perperam instructus, *Ximenium* à Leone X. creatum Inquisitorem Generalem in tota Hispania, Anno M. D. XIII. contendit, cùm re verâ, nequaquam Regnorum *Aragoniæ* Generalem fuisse Inquisitorem pateſcat. Obiit sanctitatis opinione conspicuus die VIII. Nouembris Anno M. D. XVII. 1517.

V. ADRIANVS *Florentius de Vtrech*, Episcopus Dertosanus, S. R. E. Cardinalis, tituli SS. Ioannis, & Pauli, qui postmodùm ad Summi Pontificatus apicem peruênit, fuit à Leone X. electus Inquisitor Generalis die XIV. Nouembris, Anno M. D. XVI. pro *Regnis Aragoniæ*, die IV. Martij Anno M. D. XVIII. pro *Regnis Castellæ*, ita vt in hoc *Adriano* Inquisitore Generali, post *Ferdinandi V.* Regis Catholici obitum, vniuersa S. Officij Inquisitionis strues iterum Tribunalium vtriusque Regni coadunata resplenduit, quæ hactenus indiuisa Prouinciis pacem, Regibus munimen, vrbibus requiem, fidelibus concordiam, ingenuis splendorem, Vrbi exemplum, Orbi plausum, maleuolis stuporem, & hæreticis formidinem generauit. Munus Inquisitoris Hispaniæ deseruit, Supremâ Vniuersalis Ecclesiæ Thiarâ ad Annum Domini M. D. XXIII. Quo & vitâ functus, occubuit. 1523.

VI. D. ALPHONSVS *Manrrique*, Archiepiscopus Hispalensis, pòst S. R. E. Cardinalis, tituli Sancti Calixti, Inquisitor Generalis Hispaniarum ab Adriano VI. Pont. Maxim. fuit die X. Septembris Anno M. D. XXIII. renuntiatus, à quo vsque ad M. D. XXXVIII. hoc supremum munus exercuit, quo Carolus V. Imperator, & Hispaniarum Rex Inuictissimus, Cardinalem ad suas pascendas oues dimisit. 1538.

VII. D. IOANNES *de Tauera* Episcopus Ciuitatensis, Oxomensis, Archiepiscopus Compostellanus, Cardinalis S. R. E. tituli S. Ioannis ante

portam Latinam, & demum Archiepiſcopus Toletanus, qui cum Caſtellæ Supremus fuiſſet Præſes, munus Generalis Inquiſitoris accepit à Paulo III. Pont. Max. die VII. Septembris, Anno M. D. XXXIX. in cuius gubernatione ad vſque Kalend. Auguſti Anno M. D. XLV. quieuit; quo diem Valliſoleti clauſit extremum. 1545.

VIII. D. F. GARSIAS *de Loayſa* ex Ordine Prædicatorum, Archiepiſcopus Hiſpalenſis, S. R. E. Cardinalis tituli S. Suſannæ, cùm antea eiuſdem Ordinis Miniſter Generalis, Caroli V. Imperatoris Confeſſarius, Epiſcopus Oxomenſis, Generalis S. Cruciatæ Commiſſarius, Indiarum Conſilij Præſes, & Status Conſiliarius effectus, ad Inquiſitoris Generalis apicem tranſlatus dignoſcitur à Paulo III. die XVIII. Februarij, Anno M. D. XLVI. quo & itidem è vitâ diſceſſit. 1546.

IX. D. FERDINANDVS *de Valdés*, Epiſcopus primùm Hellenenſis in Catholonia, hinc Aurienſis, deinde Ouetenſis, pòſt Legionenſis, & Seguntinus, demùmque Archiepiſcopus Hiſpalenſis, Supremi Caſtellæ Conſilij Præſes, ad munus Generalis Inquiſitoris euectus à Paulo III. die XX. Ianuarij Anno M. D. XLVII. illud ad Annum M. D. LXVI. rexit, quo ſucceſſor futurus fuit nominatus *D. Didacus de Spinoſa*. Obiit Valdeſius die IX. Decemb. Ann. M. D. LXVIII. 1566.

X. D. DIDACVS *de Spinoſa*, Epiſcopus Seguntinus S. R. E. Cardinalis tituli S. Stephani in Monte Cœlio, Supremi Conſilij Caſtellæ, & Italiæ Præſes, à Conſiliis Status, & Belli, Inquiſitoris Generalis futuram ſucceſſionem à Pio V. Pont. Max. die IX. Septembris, Anno M. D. LXVI. accepit, in cuius munere præclara geſſit, nam Tribunalia S. Officij Inquiſitionis *Limenſe*, & *Mexicanum* in vtroque *America* Orbe conſtituit. Obiit die XV. Septembris, Anno M. D. LXXII. 1572.

XI. D. PETRVS *Ponze de Leon*, Epiſcopus Ciuitatenſis, pòſt Placentinus in Hiſpania, electus fuit Generalis Inquiſitor à Gregorio XIII. die II. Decembris, Anno M. D. LXXII. & ante adeptam huius ſupremi muneris poſſeſſionem die XVII. Ianuarij, Anni ſequentis obiit. 1573.

XII. D. GASPAR *de Quiroga*, Epiſcopus Conchenſis, pòſt Archiepiſcopus Toletanus, & S. R. E. Cardinalis, Tituli S. Balbinæ, Conſilij Status Conſiliarius, Præſes Supremi Italiæ, ad Inquiſitoris Generalis miniſterium euectus, illi Gregorius XIII. die XX. Menſis Aprilis, Anno M. D. LXXXIII. Apoſtolicum Breue direxit. Inſtituit Tribunal Sancti Officij in vrbe *Compoſtellana*, pro Regno *Gallaciæ*, & obiit die XX. Nouembris, Anno M. D. XCIV. 1594.

XIII. D. IERONYMVS *Manrrique de Lara* Epiſcopus Carthaginenſis, pòſt Abulenſis, ad Generalis Inquiſitoris munus euectus, eius nominationem Clemens VIII. Pont. Maxim. Kalend. Auguſti, Anno Domini M. D. XCV. probauit. Obiit Kalend. Septembris eiuſdem Anni. 1595.

XIV. D. PETRVS *Portocarrero*, Generalis Sanctæ Cruciatæ Commiſſarius, electus Epiſcopus Calagurritanus, poſtea Epiſcopus Cordubenſis, & demum Conchenſis; ad Generalis Inquiſitoris api[illegible] ſublimatus, eius præſentationem Clemens VIII. die X. [illegible] Anno M. D. XCVI. confirmauit. Aſt die XXVI. [illegible] Anno M. D. XCIX. cùm clauſam ſchedulam [illegible] Supremi Sanctæ Inquiſitionis Senatus emiſiſſet, Ma[illegible] relinquens Concham deuenit, vbi melancholicâ [illegible] febre

febre correptus die XX. Septembris, Anno M. DC. vitam finiuit. 1599.

XV. D. FERDINANDVS *Niño de Gueuara*, Regiæ Granatensis Cancellariæ Præses, quem Clemens VIII. ad purpurati Galeri honorem euexit, Philippensiúmque Antistitem fecit, deinde Generalis Inquisitoris Hispaniæ titulum approbauit, die XI. Augusti, M. D. XCIX. postmodùm Hispalensis Ecclesiæ eidem infulam induit Romæ, in Cœnobio S. Mariæ Angelorum Carthusiano, demum obiit Hispali VI. Idus Ianuarij M. DC. IX. cùm primùm Inquisitoris onus dimisisset Anno M. DC. II. 1602.

XVI. D. IOANNES *de Zuñiga*, Generalis S. Cruciatæ Commissarius, & Episcopus Carthaginensis, ad Inquisitoris Generalis ministerium à Clemente VIII. die XXIX. Iulij, Anno M. DC. II. euocatus, breui munus expleuit, nam XX. Decembris eiusdem anni vitam cum morte commutauit. 1602.

XVII. D. IOANNES *Baptista de Azeuedo*, Episcopus primò Gallipolitanus in Italia, pòst Dertosanus in Cathalonia electus fuit, quorum infulas non induit, denium Episcopus Vallisoletanus inauguratus, & Patriarcha Indiarum proclamatus, ad Generalis Inquisitoris culmen euectus per Clementem VIII. die XX. Ianuarij, Anno M. DC. III. hac conditione, vt translatâ *Madridium* curiâ Regis, officium prorsus Inquisitoris cessaret; at Curiâ translatâ nihilominus Paulus V. Pont. Maxim. conditionem dissoluit, & munus Inquisitoris *D. Ioanni Baptistæ*, die XXVIII. Aprilis Anno M. DC. VI. approbauit; in quo Officij onere ad Annum M. DC. VIII. moram traxit, donec inuitus ad Præsidis Consilij Castellæ pensum euocatus, eodem Anno vitam finiuit. 1608.

XVIII. D. BERNARDVS *de Roxas, & Sandoual*, Episcopus Ciuitatensis, Pampilonensis, Giennensis, S. R. E. Cardinalis tituli S. Anastasiæ, & Archiepiscopus Toletanus, ad Generalis Inquisitoris Hispaniæ munus à Paulo V. die XII. Septembris, Anno M. DC. VIII. ascitus, S. Officij Inqnisitionis Tribunal apud *Carthaginem Americanam* constituit. Obiit Madridij die VII. Decembris M. DC. XVIII. 1618.

XIX. D. F. LVDOVICVS *de Aliaga* ex Ordine Prædicatorum, Philippi III. Regis Catholici Confessarius, ab Status Consilio, Regni Siciliæ Archimandrita, ad Generalis Hispaniarum Inquisitoris apicem eleuatus, ab Paulo V. die IV. Ianuarij, Anno M. DC. XIX. in eius administratione quieuit, donec è viuis sublato Philippo III. in vrbem *Huete*, noui Regis placito, secessit ad Annum Domini M. DC. XXII. quo alius Generalis In- 1622.
quisitor suffectus fuit.

XX. D. ANDREAS *Pacheco*, Episcopus primò Segobiensis, & Conchensis postmodùm fuit, cui licèt Sedes Metropoliticas Burgensem, Compostellanam, & Hispalensem, sæpiùs Rex Catholicus obtulisset, prorsus illas respuit, & oblato munere Generalis Hispaniæ Inquisitoris, illud admisit, eâ conditione, vt ab onere Episcopali liberaretur. Quod factum fuit, per Gregorium XV. Pont. Max. die XIX. Februarij Anno Domini M. DC. XXII. quatenus ad Inquisitoris Generalis munus, cùm die XIII. Ianuarij eiusdem Anni iam renuntiationem admisisset Episcopatus. Demum aliis fauoribus onustus die VII. Aprilis Anno M. DC. XXVI. vi senectutis confectus in- 1626.
teriit.

XXI. D. Antonius *Zapata*, S.R.E. Cardinalis, tituli S.Crucis in Ierusalem, cùm antea Episcopus Gaditanus, pòst Pampilonensis, & demum Archiepiscopus Burgensis fuisset. Ad Inquisitoris Generalis apicem, Vrbano VIII. die XXX. Ianuarij, Anno M. DC. XXVII. concedente, peruenit, cùm iam ab Anno M. DC. III. Metropolitici oneris munus, in purpurei Galeri receptione respuisset. Tandem dimisso etiam Generalis Inquisitoris Officio, Anno M. DC. XXXII. Obiit in Oppido Barajas 1632. prope Madridium die XXIII. Aprilis, Anno Domini M. DC. XXXV.

XXII. D. F. Antonius *à Sotomayor* ex Ordine Prædicatorum, Regis Catholici Confessarius, Abbas *de Alcala la Real*, & Archiepiscopus Damasci, qui per dimissionem Cardinalis Zapata, ad munus Inquisitoris Generalis Hispaniæ euocatus, illud Vrbanus VIII. die XVII. Iulij, Anno M. DC. XXXII. suis consuetis literis expediuit. Postmodùm ad Generalis Commissarij S.Cruciatæ peruenit apicem, donec Anno Domini M. DC. XLIII. 1643. iamiam senio confectus, ab vtroque munere exoneratus vitam egit ad Annum M. DC. XLVIII. quo, mense Septembri, occubuit.

XXIII. D. Didacus *de Arce Reynoso*, primò Episcopus Tudensis, deinde Abulensis, & nunc Placentinus, è propriâ diœcesi ad Regiam Curiam euocatus, Generalis Inquisitoris ministerium suscipere compulsus, eius electionem Vrbanus VIII. die XX. Septembris, Anno Domini M. DC. XLIII. Apostolico firmauit diplomate. Cuius solertiam in restauratione Tribunalium, iam ferè continuis abusibus collabentium, sic breui demiratus est orbis, vt non antiquam erigere, sed nouam S.Officij compaginem coagulasse fateberis. Cum igitur per aliquot annos huius muneris pensum felici administratione duxisset, discussâ temporum intercapedine, quâ per ministerij huius existentiam, à proprijs oulbus absens, nec illis præsens, tandiu paternis manibus potiora ministrasset fomenta, hisce Pastoralibus compulsus affectibus, Regem sæpiùs Catholicum interpellauit humiliter, & etiam aliquando molestè, licèt modestè, quatenus illi, vt propriæ Ecclesiæ debitum residentiæ persolueret, vltrò concederet facultatem, pro cuius consecutione fauoris, omnia ab exordio vitæ obseqnia ab Episcopo fideliter cumulata rependebat. Cnius Catholicus Rex supplicationibus non assentiens, quin potius (exhibitis Episcopo singularibus honoribus) rescripsit Inquisitori: *Quòd supremus ille existimationis apex, qui eius Regia pectora sæpius ceperat, illum, ad constituendum Episcopum in Generalis Inquisitoris ministerio compulerat, prout excellentiori, & Republica Christianæ graniori, secundùm eius institutum; cuius quidem incrementa, & Regi grata, & omnibus cognita, sic eius Regium spiritum compescebant, vt nequaquam Episcopum ab exercitio cœpto, & felicibus auris prosecuto, discedere daret locum: quòd si eius seruitio satisfacere Inquisitor destinaret, decretis Regalibus pareat, & Episcopatum Placentinum, liberâ quantocyus resignatione, dimittat.*

Cognita quippè per Episcopum huiusmodi Regiâ voluntate, & pensatis muneris Inquisitoris Generalis anfractibus, maximè hoc in seculo, tot bellorum tumultibus complicato, & tot accidentium superuenientium fragoribus inuoluto, vbi frequens assistentia labori, continuus sollicitudini angor, inuincibilis oppositio delicto, & vniuersalis dispositio decretis, quibus & vt aliorum reprimantur excessus, & vt aliorum comprimantur abusus,

abuſus, à fortiori miniſtranda proponitur; iterum deſiderio proprij ſeceſſus, & ad ſuam Eccleſiam acceſſus, vbi vitam, à Curiæ curis liber, componere dilabentem, & mortem ſpectaro proximam ſatageret Catholicam pietatem obſequioſis ſubmiſſionibus interpellauit, vt Regia munificentia illi ſæpius expetita concederet. Renuit Catholicus, & iiſdemmet cauſis, quibus Epiſcopus circunſtantia onera miniſterij prolixius penſitabat, Rex ad ſuſtinendum Inquiſitorem in hocce munere compulſus, illi facultatem diſcedendi meritò denegabat. Hinc ei iterum reſcripſit: *Quòd à propoſito reſiliret, Officij curas amplecteretur obediens, & muneri prouidus ſatisfaceret de cætero, prout hactenus ſatisfecerat: Nam proculdubio, penſatis facinoribus in S. Officio hucuſque delibatis, tantoperè Regia ſatisfactione perfectis, & pleniſſimè Dei ſeruitio exantlatis, ab eo munus eripere religio foret; ideóque Epiſcopatus renuntiationem emitteret, prout ſæpius, & denuò illi, hoc in alijs conſultationibus commendauerat.*

Hacce denique. & aliis Catholici Principis irrefragabilibus diſpoſitionibus Epiſcopus conſtrictus, Dei obſequium, & Regis placitum adimplere conſtituens, primùm, (cùm ad ruinam dilabatur animus, qui ſine Doctiorum conſilio operatur incautus) omnia ſui pectoris arcana, ad caſum ſpectantia, inſignioribus, vitâ, literis, & eruditione, intra, & extra Curiam, præſtantibus Viris, libertate ſolidâ patefecit, vt in re tàm difficili, propriam conſcientiam ſpectante, & ſuarum ouium commodis conducente, conſtans edicerent ſuffragium eidem. Hinc inter omnes conuenit: *Quòd explosis proprijs vtilitatibus, neceſſarium Generalis Inquiſitoris munus eligere teneretur, quod vt felicius, & promptius exequeretur, Epiſcopalem infulam, annuente Pontifice, denudaret, eo quod illud in Eccleſia Catholica obſequium prouior, & excellentior hac exiſteret, cùm eius ſpecimina ex profeſſo in tot Regnorum orbibus, & Imperiorum vrbibus, Fidei puritatem, & exaltationem, hæreſum ruinam, & extirpationem funditus reſpicerent.* Cui ſententiæ alia addidêre dictamina, ſic efficaciora, & inſuperabilia, vt ea (Regiâ voluntate penſatâ) Inquiſitoris animom inducerent, ad proprium iudicium, tantorum virorum exhortationibus, genuinâ deliberatione cedendum. Nec ſine exemplo Sanctiſſimorum Virorum, & Venerabilium Præſulum, quorum alij Pontificalia renuentes onera totis viribus, Inquiſitorum munera placidis amplexibus recepêre; & alij qui, vt Inquiſitionis pondera ſuſciperent, Epiſcopales infulas denudarunt. Illorum *S. Raymundus Pennafortius* exemplar ſit, qui nunquam oblatas Eccleſias admittere quiuit, & Inquiſitoris titulum protinus acceptauit, vt ſuperiùs diximus *die VI. Iannar. Tom. 1. fol. 94. verſ.* Octavo. Et Venerabilis *F. Thomas à Turrecremata*, qui pluries infulas Epiſcopales induere renuens, Generalis Inquiſitoris miniſterium amauit. Et Venerabilis *D. F. Franciſcus Ximenius* (de cuius nunc Beatificatione tractatur) Archiepiſcopus Toletanus, qui vt Sedem Metropoliticam acceptaret, fuit Pontificiis Literis compulſus, & vt Generalem Inquiſitorem ageret, munus *ſtatim* ſine coactione ſuſcepit. Iſtorum *D. Andreas Pacheco* facem præbeat, qui cum Epiſcopus eſſet Conchenſis, ad Generalem Inquiſitorem accitus, tunc huius miniſterij apicem admiſit, cùm ab Epiſcopatu liber renuntiaretur, vt fuit à Gregorio XV. die XIV. Februarij, Anno M. DC. XXIII. nec inpoſterum alias acceptauit Eccleſias. Similiter Eminentiſſimus *D. Antonius Zapata* S. R. E. Cardinalis, & Archiepiſcopus Burgenſis, qui iam iſto dimiſſo ad Inquiſitoris Generalis faſtigium deuenit. Et in Regno Portugalliæ *D. Fernandus Martinus Maſcarenhas* Epiſcop. Syluenſis, & *D. Franciſcus de Caſtro* Epiſcopus Egitanenſis, qui ad Inquiſitorum Generalium magiſtratum acceſsêre tunc, cum ſe ab Ec-

cleſiarum ſuarum vinculis abſolutos efficaciter agnouêre, ille à
Paulo V. die IV. Iulij, Anno M. DC. XVI. Iſte ab Vrbano VIII.
die XIX. Ianuarij, Anno M. DC. XXX. Ita vt ſemper, & vbi-
que hoc Generalis Inquiſitoris muneris exercitium ab hiſce SS. Pon-
tificibus habitum fuerit pro ſufficienti, iuſtâ, & legitimâ cauſa, vt
Epiſcopatuum renuntiationi meritò fuerit locus. Quibus rationi-
bus, & exemplis protinus ſolemniter Præſulatui renuntiauit Epi-
ſcopus.

IGITVR hac authenticâ dimiſſione factâ, aliquantulum Epiſcopi
viſcera quieuêre, contuens ſe ab vno ex duobus oneribus liberum;
quorum quodlibet eſſe etiam *Angelicis humeris formidabile* doctè repe-
Paſtor. lib.1. cap.4. tebat *Gregorius Magnus*. Sed cùm nulla ſit humana lætitia longo tem-
pore permanens, & à frequenti aduerſitatis impetu vacua, maximè
ſi Numinis prouidentiæ nutu accidentium circulos moueat, aut pro-
pter vnius confuſionem, & pœnam, aut propter alterius exaltationem
& gloriam, euênit, vt Epiſcopum adhuc in illo tranquillitatis portu
quieſcentem, vis maior ſolicitudinũ impeteret, quâ & eius exerceretur
humilitas, & ipſius ad ambitum eluceſceret repugnantia. Erat autem
apud Regem, Proceres, & Populum quæuis Epiſcopi actio ſummis
laudibus commendata, ita vt ex eo omnium ora penderent, cuius rei
causâ ſæpiùs ad Catholici conſpectum Præſulis merita interpella-
rent, quorum Rex conſideratione conſtrictus, Epiſcopum ad *Supre-
mi Caſtellæ Conſilij Præſidis* faſtigium, iteratis Literis, euehere deſtina-
uit. Iſtis, illâ, quâ modeſtiâ, & reuerentiâ eſt præditus (diſcuſſis one-
rum angoribus iamiam ſuper humeros impoſitis, necdum excuſſis, &
denuò imminenti perſpecto, quod proculdubio aliorum prouinciam
duplicat) humiliter ſatisfaciens, munus, ſingularibus creditum ho-
noribus, dimittere; omnium admiratione curauit. Quid mirum?
Erant autem præteritarum ſolicitudinum cicatrices cruentatæ; &
nullus prudens pericula expertus, amabit periculum, & onera re-
ſpuens, maiora permittet incautus. Proculdubio, & meritò Epiſco-
pus anteactæ dimiſſionis de munere Inquiſitoris Generalis, Præſu-
latus nexibus obuoluto inſtantiam, periculum formidabat: Nam
cùm vnumquodque per ſe vires ſuperiores, & ſpiritum vacuum ex-
Paſtor.d. lib.1.cap.4. quireret, quid erit ſi tertium grauius, & prolixius adiungatur? *Im-
par quiſque* (inquit Gregorius) *inuenitur ad ſingula, dùm confuſâ mente
diuiditur ad multa.* Quapropter Sapiens conſulebat: *Fili, ne in multis
ſint actus tui*; & proſequitur Pontifex: *Quia nequaquam plenè in vniuſ-
cuiuſque operis ratione colligitur, dùm mens per diuerſa ſparſa partitur.*
Hinc fortè Moyſis exemplo, Epiſcopi vis doloris viſcera præoccu-
pauit, contuens, quâ Deus efficaciâ totius populi Magiſterium ſuper
Prophetæ humeros deferebat, cuius oneris pondus ſufferre non va-
Num. c.11. v.14. lens Moyſes, dicebat: *Cur afflixiſti ſeruum tuum? Quare non inuenio
gratiam coram te? Et cur impoſuiſti pondus populi huius vniuerſi ſuper me?
Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum, quia grauis eſt mihi.* Si
ergo Moyſes, qui ſanctus, & ad Numinis cordis menſuram extiterat
coagulatus, cuius decreta ab eius ore capiebat, vnius muneris tan-
tùm ſolus ſuſtinere penſum abhorret, quid mirum ſi Epiſcopus, obru-
tus penè duorum Magiſtratuum ſarcinis, tertiam incomportabilem
In cap.11. Num.q.36. num.fin. recuſet? Nec in hoc Propheta, Dei maieſtatem offendit: Quia vt
inquit *Abulenſis*, in Moyſis licet anguſtiâ, duæ inuolutæ cauſæ no-
ſcerentur ad vnguem, alia quæ ad eius laborem, altera quæ ad po-
puli luxum reſpiciebat, cum vtrique occurrere ſatageret Deus, *tamen
primò prouidit* Moyſi, *quia rationabiliter erat ſua querimonia.*

SED nec iſthæc Regij deſiderij expectationem humiles excuſa-
tiones pro tunc explere valuerunt, nec reuerenti epilogo ſupplices

preces collimato Catholicam persuasionem emollire potuêre, quin-
potius Rex, omnibus discussis, & illis, cum Viris magnæ auctorita-
tis, sancitudinis, & eruditionis, collatis resolutus adiecit: *Episco-
pum esse, qualem administratio iustitia, & Reipublica reformatio singu-
lariter postulabant. Hinc Regia sedulitas eius animum, ad explicati pro-
positi decretum conseruandum irreuocabiliter acuebat, quapropter iterum
Episcopum, melioribus consultum auris, Magistratum suscipere commone-
bat, suâ solertiâ fisus, ob Dei amorem, sui obsequium, & Reipublica bonum,
huius ponderis assumptum humeris imponere nec grauabitur, in cuius admi-
nistratione Deus auspicijs, Rex singularibus subuentionibus, prout ex tunc
efficaciter offerebat, adiuturi.* Huius strictior Regiæ iussionis stimulus,
licet animum Præsulis deturbauit, non compressit; sciebat enim om-
nes hos Regios honores, potius ex puro viscerum affectu, quàm ex
necessario opportunitatis affatu, prosiliisse, ideo debitâ submissione
subnixus, integrum suæ excusationis velum expandens, sic Regio sa-
tisfecit conamini, vt prorsus ab exercitio Præsidentiæ immunis eua-
deret. In vtriusque *Principis*, & *subditi* operatione, proculdubio magna
est Orbis demiratus exempla. *In Rege*, summam fulgentis iudicij
grauitatem, quâ donec potuit rationabilis iussio transcendit, sed non
pro voluntate, obstinata permansit, vt sic superioris intelligentiæ spi-
ritum in Regum cordibus attendamus. *In Subdito*, integram siqui-
dem ambitionis auersionem, quâ supra vires onerari respuens huma-
na fragilitas, omne quod contra liberæ possibilitatis specimen cu-
mulatur, expellit. Ergo in magnis Magistratibus amplexandis, Vir — *Scip. Amirat. Dissertat. Polit. lib. 15. disc. 1.*
Sapiens, si ambitus scabiem excutere satagit, conuiuarum pruden-
tium vsum, non epulonum abusum exquirere debet. Illi ad stoma-
chi calorem escas, isti ad appetitus saturitatem epulum, distinctâ
animaduersione deposcunt: quo fit, vt illi, semper de conuiuio illæ-
si, isti sæpiùs de commessatione morbidi resipiscant. *Omnia* (inquit — *De Regim. Princ.*
Plutarchus) *sine discretione complecti, est omnium solicitudines posthabere.*
Quod & docuit Imperator *Iustinianus*. Hinc sumpsit exordium apud — *L. Nemo 14. C. de Assess.*
Polonos lex. vt nulli vnquam vno, eodémque tempore, duplicia mi-
nisteria tribuantur, vel propter ambientium extirpandam cupidi-
nem, vel propter agnoscendam vniuscuiusque exactam in admini- — *L. 1. Stat. Pol. cap. 5. art. 1.*
strando munere delato, executionis, & promptitudinis solertiam.

Nec hisce, aut similibus excusationibus Subditus Principis man-
data contemnit, aut eius deficit obsequio. Quia, licèt Principum
iussio semper dirigatur ad optima, tamen in electionibus, subditi
semper est expectandus assensus, qui si proprij oneris grauitatem re-
censeat, vt quid non optimo iure excusatus euadet, exemplo *Corbuli* — *Lib. 15. Ann.*
apud *Tacitum*, qui cùm apud Parthos Ducis ministerium ageret, Ar-
meniæ eo ipso tempore Præfecturam respuit, Neroni rescribens: *Pro-
prio duce opus esse, qui Armeniam defenderet.* Quibus verbis Reges edo-
cuit, vnicuique muneri proprium, & separatum Ministrum consti-
tuendum. Anne *Corbulus* obsequio defuit? Minimè. Quinimo, vt
ipse *Tacitus* profatur, summis fuit laudibus euectus, quia sic in hac
vna operatione sublimatus discessit, quòd nec Principis obedientiæ
Vrbanus deficeret, nec à propriæ integritatis apice, validus deflecte-
ret. Tunc enim subditus reputatur obediens, quando propriâ fideli-
tatis altitudine inspectâ, non digerenda, imò nec dirigenda munia
dimittit, & Principi de officiorum sibi commissorum incompatibili-
tate, humili animaduersione perconsulit. Nec Regi, nec Reipubli- — *Lamprid. in seuero.*
cæ inseruit, qui munerum cumulis oneratus, *Camilli*, apud *Lampri-
dium*, derisum spectat, aut *Q. Flaminij*, apud *Liuium*, & *Plutarchum* — *Liu. lib. 39. Plut. in Vit. Flam.*
contemptum examinat. Vnusquisque ergo propriis viribus Magi-
stratuum pondera penset, nam qui intemperanter multa deglutiunt,
nullis

nullis ſatisfacere queunt, & tunc potiùs deſtruunt, quàm ædificant, & peius obſequuntur, quàm obtemperant. Nec minus à ſubmiſſionis titulo cadet, qui ſuperioribus obligationibus cumulatus, viribus trutinatis, maiora, ſeu æqualia miniſteria repellit, exemplo *Moyſis* in diuinis, & *Corbuli* in politicis qui vnus leuamen, alius proprium Miniſtrum expetiêre. Hinc euenit, vt Maieſtas proculdubio robuſtior, ſubditi proprij erroris propalatione ſubſiſtet, quàm fraude obſequij temerè inuoluti: Nam in primo caſu *reſpuens*, proprium defectum detegens, Regium honorem, & Reipublicæ commodum contuetur; in ſecundo, *cumulans*, vtriuſque, & Principis, & publicæ cauſæ bonum, quantum in ſe eſt, confundere, viribus attenuatus, aggreditur. Ergo proculdubio obſequela, iuſtâ excuſatione, prolata, in Regio pectore Sedem figet, ſi aliàs Miniſtet, & eius acta ruinæ pericula comminentur.

DEMVM ab hiſce anfractibus liber Epiſcopus, Præſulatus muneri renuntiare deſiderans, illud in manus S. D. N. D. *Innocentij* Papæ X. *die VI. Februarij*, *Anno* M. DC. XLIX. coram me, prout eius *Secretario* dimiſit. Et licèt Sanctiſſimus nondum opus hoc, vt continuò Epiſcopus deprecatur, ad perfectionem reduxerit, tamen inſpectâ rationis causâ, & perſpecto iuris ordine, quo, Summus Eccleſiæ Pater ſupplices ſimilium negotiorum preces adſolet expedire, illis commotus, breui Epiſcopi ſpiritum, trium annorum ſuſpenſione vexatum, Apoſtolicâ benedictione placabit.

HÆC vera eſt, & genuina Generalium Inquiſitorum *Hiſpania*, dempto *Portugallia* Regno, relatio. Nunc ad iſtius partis Hiſpaniæ imperium calamum conuertamus.

Corollariũ V. de Inquiſitionibus Portugallia Regni.

COROLLARIVM V. *Quo tempore* S. Inquiſitionis *officium in partibus Regni* Portugalliæ, *& eius adiacentibus Prouincijs fuit instauratum, & quot earum Tribunalia, quibúſve vrbibus ſita? Quique* Inquiſitores Generales *fuerint?*

CIRCA huius *Corollarij* expeditionem Ludouicus de Paramo *de Orig. Inquiſit. lib.2. titul.2. cap.15.* plura de origine, progreſſu, & ſtatu diſſeruit, & tandem quatenus ad inſtaurationem, à quodam *Saavedra* fuiſſe introductam, cuius hiſtoriam *num.6. fol.228.* narrat, contendit. P. F. Antonius de Souſa *in Aphoriſm. Inquiſit. Prælud. de Origin. Inquiſition. Luſitan. fol.1.* totam abs *Paramo* relatam Hiſtoriam abnegat, aſſerens eſſe commentitiam, ideóque aliam pro ſe hiſtoriam compaginat. Sed vt in hac parte antiquarum rerum ditare curemus ſtudioſos, vtriuſque & *Parami*, & *Souſa* hiſtoriolas breuiter referemus. Ille ſiquidem aſſerit: *N. Saavedram Cordubenſem* (quem *Ioannem Perez* vocat Salazar de Mendoza *in Chronic. Cardinal. Tavéra cap.37.*) *Scripturarum Breuium, ſeu Literarum Apoſtolicarum falſificatorem, Anno Domini* M. D. XXXIX. *falſis Literis ac Bullis ſe ipſum Cardinalem Legatum inſtituiſſe, ac pronuntiaſſe, à Summo Pontifice miſſum, vt Sacrum* Inquiſitionis *Tribunal in Regno* Portugalliæ *inſtitueret, quod Luſitania Reges recipere renuebant. Qui* Saàvedra *pluribus confectis technis* Portugalliam *ingrediens* S. Inquiſitionis *Tribunal inſtaurauit*, Inquiſitoris Generalis *munus, ſex menſibus, quibus in eo Regno commoratus eſt, exercuit, ac tandem in* Caſtella *agnitus, tentus, & comprehenſus ad triremes damnatus eſt.* Souſa aliter ſic enarrat: *Poſtquam* Reges Catholici *Iudæos è ſuis Regnis Caſtella, & Aragonia expellere decreuiſſent, illos* Ioannes II. *Portugallia Rex certis conditionibus, in ſuis dominijs recepit, Anno* M.CCCC.LXXXIII. *cuius admiſſionem demiratus* Emanuel *Rex ſucceſſor, Anno Dom.* M. CCCC. XCVII. *omnes Iudæos ſub pœna libertatis amittenda, ex* Luſitaniæ *Regnis, publico edicto migrare præcepit, & licet innumeri in pœnas incidiſſent edicti, tamen ob Regis clementiam, nequaquam fuerunt executioni mandata. Horum igitur Iudæorum pars abijt; plurima, & ferè tota baptiſmum fictè recipiens, ea conditione, vt ante viginti annos elapſos, de eis circa res fidei inquiri non liceret, intra* Portugalliæ *terminos impunita remanſit.* Emanueli *ſucceſſit* Ioannes III. *Portugallia Rex Anno* M. D. XXI. *qui Iudæorum inſolentiam agnoſcens, à* Clemente VII. *Pont. Maxim. Sacrum* Inquiſitionis *Tribunal* pro

Hiſtoria Saavedra circa inſtaurationẽ S. Officij in Portugallia.

Vera hiſtoria de hac inſtauratione ex Souſa.

pro suis Regnis assiduis precibus postulauit, qui post varias Iudaeorum apud Pontificem contradictiones, demum à Rege petita concessit, die XVI. *Ianuarij, Anno Domini* M. D. XXXI. *Quam concessionem postmodum* Paulus III. *Pont. Max. die* XXIII. *Maij, Anno* M. D. XXXVI. *confirmauit; ex quo tempore, hucusque sacrum hoc* Inquisitionis *Tribunal*; Inquisitorisque Generalis *munus in eo Regno continuâ successione peruenit.*

His sic explanatis Historiis, crederem hanc secundam veriorem, & temporum praeuentione, & litterarum Apostolicarum manifestatione, vt ex ipsis patet in *Collectorio Breuium, iussu D. Francisci de Castro Generalis Inquisitoris Portugalliae Olyssippone Ann.* 1634. excuso. Et manifestè de errore conuincitur ecphrasis *Parami*, quia vt ipse, & P.F. Alphonsus Fernand. *in Concertat. Praedicat. Ann.* 1541. *num.* 2. Salazar de Mendoz. *supr. cap.* 37. Zeuall. *in* 4. *Commun. Opin. quaestion.* 897. *num.* 339. Illescas in *Pontifical. Histor. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 4. *fol.* 21. qui *Paramum* sunt secuti, asserunt, *Saavedram* ad Annum M. D. XXXIX. in *Portugalliam* Legatum Cardinalem aduenisse, vt *Tribunal S. Officij* contra Regum placitum instauraret. Quod si ita euênit, iam ante *Decem annos* Portugallia de instaurando. Tribunali *Inquisitionis* à Pontifice decretum habuerat, & iam antè *Tres annos* ex Pauli III. diplomate *Inquisitor Generalis* Episcopus *Septensis* inauguratus extiterat, ergo perperam in Historia *Saavedrae* refertur, illum *Portugalliam* concessisse ad Annum M. D. XXXIX. ad Tribunalia *S.Officij* in illis partibus instauranda, cùm iam fuissent instaurata. Nec credi potest *Reges Lusitaniae*, vt innuit Historia *Saavedra*, repugnasse instaurationi huiusmodi *S.Officij*, quia vt Sousa refert *vbi supr. vers. Interim. fol.* 4. *&* §.6. *num.* 18. *fol.* 21. constat *Ioannem III. Portugalliae Regem* ab Anno M. D. XXI. huius institutionem Tribunalis summoperè curasse, vt ex eius epistola, quam ipse *Sousa* extare fatetur, liquet. Nec quod in eadem Historia dicitur de falsificatione chirographorum *Philippi II.* ad obtinendam Commendam Ordinis Iacobaei, stabit, eo anno: quia *Philippus II.* non fuit ad Regni apicem euectus, vsque ad Annum M. D. LV. vt omnibus patescit. Et alia in ea relatione cumulantur, quae re verâ prudentium hominum sensa praetereunt. Quidquid sit ab Anno M. D. XXXVI. in *Portugallia S.Officij* ad formam Castellae Tribunalia erecta sunt, ordine sequenti.

TRIBVNALIA S. OFFICII INQVISITIONIS in Regnis Portugalliae, & eius Dominijs.

I. Ebora. Antiquissima Lusitaniae vrbs. Ibidem *D. F. Didacus de Silua* Episcopus Septensis Generalis Inquisitor, postquam Pauli III. Bullam deinstaurando S.Inquisitionis Officio publicare fecisset die XXII. Octobris, Annô M. D. XXXVI. Tribunal erexit, & in eo *Ioannem de Mello* Inquisitorem deputauit, cui omnes necessarios ministros Inquisitioni nouiter fundatae constituendi suas vices indulsit.

II. Vlyssippo. Ciuitas Regia, & totius Regni Metropolis. In ea *Henrricus Cardinalis Infans*, Generalis Inquisitor, Tribunal S.Officij Inquisitionis erexit, die XVI. Mensis Iulij, Anno M. D. XXXIX. Cui *Ioannem de Mello*, qui prius à *D. F. Didaco de Silua* fuerat primus *Eborensis Inquisitor* electus, etiam primum praefecit Inquisitorem.

III. Conimbria. Vrbs peruetusta, & Academiâ nobilis. Idem *Cardinalis Infans*, Inquisitor Generalis in ea vrbe de instituendo S.Officij Tribunali cogitans, die XV. Octobris, Anno M. D. XLI. illud erexit, & ad eius rectam administrationem *D. F. Bernardum de Cruce* Dominicanum, S.Thomae in India Episcopum, Conimbricensisque Vniuersitatis Rectorem, vnâ cum *Gomezio Alphonso* in iure Canonico Baccalaureo, & Collegiatae Ecclesiae Vimarensis Priore, Primos Inquisitores direxit.

IV. Goa. Vrbs commerciis celebris, totius Indiae Orientalis Metropolis, in Insula cognomine sita, & Sede Archiepiscopali, ac Academiâ condecorata. In ea idem *Cardinalis Infans* S.Inquisitionis Tribunal erexit die XV. Martij, Anno

Anno M. D. L X. cui primum Inquisitorem, *Alexium Diaz Falcão* præfecit. Huius institutionis resolutioni causam præbuit Iudaica perfidia, quæ cùm non tantùm Regna *Portugalliæ* ferociter deuastaret, in partibus Indiæ Orientalis, eidem Dominio subiectis, transiliens, in illius regionis angulis serpere incipiens, totius illius orbis populos depascebat. Hinc *S. Franciscus Xauerius*, qui eo tempore in plagis illis remotissimis Apostolicus Legatus fidem mirificè propagabat, occasionem arripiens, zelo religionis accensus, per Literas sub datis X. die Nouembris Anno M. D. X L V. *Ioannem III.* interpellauit, vt in tantæ perfidiæ remedium, in eam regionem *S. Officij Tribunal* emitteret. Quibus Rex cum fratre *Cardinali Inquisitore Generali* collatis, Iste de remedio sollicitus *Goense*, vt diximus, *Tribunal* erexit, sicut & fecerat in *Vlyssipponensi*, & *Conimbricensi* ciuitatibus. Hæc sunt Tribunalia; quæ quos districtus habuerint, nihildum ob bellorum implicationem & turbatum commercium ediscere valemus. Ast ad Nomenclaturam Generalium Portugalliæ Inquisitorum deueniamus.

CATALOGVS GENERALIVM Inquisitorum Regni Portugalliæ, eiúsque Prouinciarum.

I. D.F. DIDACVS *de Silua* ex Ordine Fratrum Minorum Excalceatorum (non Minimorum S. Francisci de Paula, vt perperam ab aliquibus commentatur) Episcopus Septensis, pòst Archiepiscopus Braccarensis, ex Ioannis III. Regis Confessario electus; ad Generalis Inquisitoris apicem accessit per nominationem & commissionem Pauli III. Ponrif. Maxim. die XXIII. Maij, Anno M.D.XXXVI. qui cum in ordinem omnia quæ ad S. Officij pertinent institutum, redegisset, ob senectam, & sui Præsulatus negotia, munus sponte relinquens, Anno M. D. X X X I X. tandêm feliciter obiit Mense Decembri, Anno M. D. X L I. 1539.

II. D. HENRICVS *Portugalliæ* Infans, Archiepiscopus Braccarensis, Euorensis, & Vlyssipponensis, S. R. E. Cardinalis, tituli SS. Quatuor Coronatorum, Portugalliæ Regni Legatus à Latere, & in secularibus Gubernator in minore ætate Sebastiani Regis Nepotis, & eo in Africa infaustâ morte sublato, Rex inauguratus, Inquisitoris Generalis Portugalliæ munus accepit à fratre Ioanne III. Rege, virtute diplomatis Pauli III. quo de successore Siluæ Septensi Episcopo deligendo, Regi facultas conceditur. Hoc munus Cardinalis Infans per Quadraginta Annos exercuit, & licèt ad Regni fastigium euectus, alia Officiorum munera dimiserit, Generalis Inquisitoris ministerium per ferè Quindecim Menses retinuit; *vt Inquisitoris* (inquit Sousa) *officio, Regalis dignitas non deesset; omnibúsque fieret conspicuum, Regis officium, cum Officio Inquisitoris mirificè conuenire, alterúmque ab altero adiuuari. Nam fidei integritas Regi, & Regno stabilimentum est singulare, sicut ipsius corruptio, vtriusque certam minatur ruinam. Quemadmodum igitur olim in vno homine Regalis dignitas, & Sacerdotalis simul inueniebantur; sic Rex pijssimus, piè etiam Sacerdotalem, & Inquisitoriam dignitatem cum Regio diademate copulauit. Vt Rex, regno moderabatur; vt Generalis Inquisitor bonum Inquisitionis summoperè curabat, leges, ac ordinationes in eius vtilitatem, & iustum procedendi modum condebat, quarum principium erat:* Ego Rex, tanquam Inquisitor Generalis præcipio, &c. *Vt Sacerdos Sacrum Missæ sacrificium faciat. Itaque hic vnus Rex, Sacerdos, Cardinalis, Legatus à Latere, ac Generalis Inquisitor.* Hactenus *Sousa*, & iam dixerat Param. *d. cap.* 15. *num.* 9. Ergo tandem Inquisitoris Generalis pensum reliquit Anno M. D. L X X I X. 1579.

III. D. EMANVEL *Menesius*, Conimbricensis Episcopus, fuit Cardinalis Infantis coadiutor, futurúsque successor Literis Gregorij XIII. die XXIV. Februarij, Anno M. D. LXXVIII. Sed morte præuentus, hoc munus exercere non valuit, Obiit Anno M. D. LXXIX. De hoc non meminit Ludouicus à Paramo, meminit Soussa. 1579.

IV. D. GEORGIVS *de Almeyda*, Archiepiscopus Vlyssipponensis, Archiabbatiæ Abbas, Lusitaniæque Gubernator, Inquisitor Generalis ab eodem Gregorio XIII. creatus est, die XXVII. Decembris Anno Domini M.D. LXXIX. & tandem mense Martlj Anni M. D. LXXXV. obiit. 1585.

V. D. ALBERTVS *Austria*, S. R. E. Cardinalis tituli S. Crucis in Ierusalem, Archidux Austriæ, Imperatoris Maximiliani filius, eóque tempore Portugalliæ Prorex, Generalis Inquisitoris dignitatem obtinuit, deferente Sixto V. Pont. Max. die XXV. Ianuarij Anno M. D. LXXXVI. qui in hoc munere quieuit ad Annum M. D. XCV. quo è Regno discessit. 1595.

VI. D. ANTONIVS *Mattos de Noronha* Episcopus Heluensis, Generalis Inquisitor à Clemente VIII. Pont. Max. inauguratus est die XII. Iulij, Anno M. D. XCVI. qui è viuis sublatus est Anno M. D. XCIX. 1599.

VII. D. GEORGIVS *de Atayde* Visensis Episcopus, Capellanus Maior, Ordinarius Capellæ, & Domus Regiæ, totiúsque Curiæ Lusitanicæ, & Archiabbatiæ perpetuus Commendatarius, Philippi Portugalliæ Regis I. ex supremis Consiliariis Hispaniæ Curiæ, annuente Clemente VIII. Pont. Max. Inquisitor Generalis effectus est, die VII. Februarij Anno M. DC. Sed à Rege Catholico grauibus in Castella negotiis addictus, ad huius muneris possessionem non peruenit, licèt officium retinuit ad Annum. M. DC. II. 1602.

VIII. D. ALEXANDER *Portugallia*, Archiepiscopus Eborensis, Inquisitor Generalis à Clemente VIII. fuit declaratus die XXIX. Iulij Anno M. DC. II. qui ad Annum M. DC. IV. munus exercuit. 1604.

IX. D. PETRVS *de Castilho*, Episcopus Angrensis, pòst Leyriensis, bis Portugalliæ Prorex, eodem Clemente VIII. deferente Inquisitor Generalis fuit renuntiatus die XXIV. Augusti, Anno M. DC. IV. in quo munere ad Annum M. DC. IV. vitam prudentissimè gessit. 1616.

X. D. FERDINANDVS *Martins Mascarenhas* Episcopus Algarbiensis, supremi Consilij status Regis Catholici Consiliarius, Inquisitor Generalis à Paulo V. nominatus est, die IV. Iulij, Anno M. DC. XVI. Cuius officij munus accepit, factâ prius de Episcopatu renuntiatione, quam idem Pontifex admisit, & illum eodem die, & Anno, à vinculo Ecclesiæ Algarbiensis absoluit. Obiit Anno M. DC. XXIX. 1629.

XI. D. FRANCISCVS *de Castro*, olim Conimbricensis Academiæ Rector, pòst Tribunalis conscientiæ Præfectus, postmodùm Egiditanensis Episcopus, ad Generalis Inquisitoris apicem peruênit, deferente Vrbano VIII. Pont. Max. die XIX. Ianuarij, Anno M. DC. XXX. Qui etiam huius muneris dignitatem acceptauit, dimissione Sedis præcedente, quâ ab Vrbano admissâ, illum ab onere Pontificali protinus liberauit. Adhuc viuit.

PRIDIE KAL. MAII.

DIES XXX.

A. S. Indaletivs *Oſtiarius* B. Iacobi, *& ipſius Diſcipulus ſepulto corpore Sanctiſſimi Magiſtri Romam petit, vbi à* B. Petro *conſecratus Epiſcopus, in* Hiſpaniam *reuertitur*, Vrci, Illiberi, Carthagine Spartaria, *&* Eliocrotæ *verbum Dei prædicat; vbi verò martyrium conſummarit, adhuc ignoratur.*

B. Tridenti *admirabilis eſt memoria* S. Maxentiæ *Viduæ ex* Cauria *ciuitate* Hiſpaniæ *in* Luſitania *orta, Matris* S. Vigilij *Epiſcopi* Tridentini, *quæ pietate inſignis, & religione tenax, non ſine miraculorum copia ad cœlum conſcendit.*

C. Cordubæ *paſſio SS. Martyrum* Amatoris *Presbyteri,* Petri *Monachi, &* Lvdovici, *qui in Maurorum inuido furore comprehenſi, varijs cruciatibus extorti, lauream agonis perceperunt.*

D. *Ibidem* S. Ioannes, *qui poſt execrabiles Mahomethorum carceres, vincula, verbera, irriſiones, & contuſiones fortis Confeſſor euaſit.*

E. Nouariæ *in* Italia *memoria* S. Lavrentii *Presbyteri* Hiſpani, *qui cùm ex occiduis regionibus in* Italiam *migraſſet, & apud* Nouariam *pedem fixiſſet, Chriſtíque cultum excitaſſet, tandem cum aliquibus puerulis martyrio coronatus eſt.*

NOTÆ.

A. Sanctvs Indaletivs Diſcipulus S. Iacobi.] Iſte primæuæ cum Iacobo Noſtro lucis radios in Hiſpania, Euangelicâ interueniente doctrinâ diſperſit, ideò inter antiquos Noſtræ Eccleſiæ adnumeratur Magiſtros, & inter primos Noſtræ regionis indigitatur Epiſcopos. Celebris eius memoria tumultuariè cum ſex aliis *Martyrologia.* Sociis ab *Eccleſia* peragitur *die XV. Maij.* Eccleſia Burgenſis, & aliæ ad hunc referunt, eius feſtiuitatem, diem; vt notauit Philipp. Ferrar. *in General. Catal. SS.* ſic: *Breuiaria.* *Burgis in Hiſpania* S. Indalentij *Epiſcopi, & Martyris.* Quod in Antiquiſſimo, & recentiori Breuiariis illius Eccleſiæ, ſic notatur: *Eccleſia* Burgenſis *hodie* S. Indalentij *ſpeciatim agit ſolemnia: quo die ſcilicet* reliquiarum *eius, particeps facta eſt.* Quæ iſtæ ſint

sint reliquiæ; recurre ad *diem IX. huius Mensis num.* 9. Quo etiam die recolitur eius *Translationis* festiuitas apud Cœnobitas *Monasterij S. Ioannis Pinniatensis*, vbi ad longum scripsimus. De S. INDALETIO scripserunt, quotquot de Aduentu S. IACOBI Nostri egisse cognoscimus; ideò non est cur in hoc tempus & codices teramus. Eius acta ex variis Breuiariis, & Scriptorum schedis coagulabimus. *Scriptores.*

ACTA S. INDALETII EPISCOPI & Martyris SS. IACOBI, PETRI, *&* PAVLI *Apostolorum Discipuli, & Hispaniæ Episcopi Vrcitani; ex Breuiarijs, & alijs Scriptoribus.*

Videamus ergo Fratres Charissimi cuius hodie festiuitatem celebramus, S. *vtique* INDALETII, *& quid significat hoc nomen: Videamus, palpemus, sensibus mentis ruminemus, quod tenemus in visceribus cordis; quia nimirùm animalia sancta ruminantia esse debemus. Dicit quodam in loco Dominus per Ezechielem:* Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. *Nonne est hæc vox lætitiæ? Est vtique.* INDALETIVS *autem* INDEX *dicitur* LÆTITIÆ, *quia hanc lætitiam Christo iubente in primordio nascentis Ecclesiæ, omni studuit annunciare* Hispaniæ. *Est & alia (vt B. Paulus dicit) maior hac lætitia, quia Dominus* IESVS *venit in hunc mundum, peccatores saluos facere. Nos igitur qui pennata animalia esse debemus, vel in die tanta solemnitatis scrutando, & inuestigando Dei mysteria, paulisper à terra subleuemur. Videamus si adhuc maioris lætitiæ est Index Martyr, & Episcopus Noster. Scriptum est quia* Omne datum, optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum; *& hoc nimirum datum, perfectum, & optimum desursum est. Iste ergo* Sanctus, *vt dixi, nobis est datus* INDEX LÆTITIÆ.

Ex Antiquiss. Breu. Burgens. Lect. I.

Lect. II. Indaletius, id est Index-Lætitia.

Datur Hispaniæ quasi Index lætitia.

Ergo INDALETIVS, qui *Index lætitiæ interpretatur, ex antiquis illis* Hebræis, *quos immanis* Nabuchi *dispersio separauit, &* Pyrrhus *in* Hispanias *dimisit, Originem traxit. Cuius maiores apud* Carpetanos *sedem fixêre, è quibus ad* IESV-CHRISTI *Domini, & Seruatoris Nostri tempora effluxit* Indaletij *patrum, & auorum propago, quæ in Mosayca lege instructa, scripta legis mysteria tenaci obseruatione colebat. Cùm ecce apparuit benignitas Domini & Saluatoris, vt mundum in peccatis, & idololatriæ figmentis imbutum suo sanguine liberaret. Cuius igitur vitæ integritas, & operum mirabilia, sic Principibus Sacerdotum, & Scribis Ierosolymitanis infestauit, vt quâ viâ illum perderent, nullum non mouerunt lapidem; & vt omnes de semine Hebræo participes in peccato efficerent, scripserunt ad omnes orbis Synagogas, vt suffragarentur in mortem Christi. Hæc ad* Hispanias *peruenit iniquitatis epistola, quam protinus* Hispani *despicientes Hebræi, non solum non in suffragio deuenerunt, immò auditis Christi miraculis,* INDALETIVM, & Euphrasium *Ierosolymam dimiserunt cum literis ad* Petrum, *& alios Apostolos, rogantes vt statim* IACOBVM *mitterent, vt verbum Dei seminaret in Occidente. Peruenit quippe* INDALETIVS *Ierosolymam, & literas* Petro *tradidit, cuius doctrinæ soliditatem, & mirabilium frequentiam intuens, ad Christi fidem conuersus est.*

Vnde oriundus?

Dimittitur Legatus Ierosolymam.

IACOBVS *verò cùm Domini sortitione, in* Hispanias Apostolus *extiterit destinatus,* INDALETIVS *illi adhæsit, cum quo veniens, & apud* Iberiam *soluens,* Ostiarij *ordine insignitus, totam cum S. Apostolo perlustrauit regionem. Iterum cum illo Ierosolymam adijt, vbi Occiso Magistro, cùm alijs Discipulis corpus Sanctissimum deferens, & ad* Ioppem *portans,*

Adhæret Iacobo Apostolo Hispaniæ.

Romam perrexit.

portans, Angelo comitante in Hiſpaniam *reuerſus* Iriam-Flauiam Gallæciæ *vrbem peruenit, & ſepulto S. Magiſtri Corpore, Romam adiuit, vbi à Sanctis Apoſtolis* Petro, *&* Paulo *ſacerdotium ſuſcepit. Qui cum ſex ſocijs profectus, vt Catholicam fidem* Hiſpanis *reficeret, & Idololatris traderet,* Accitanæ *vrbis muros lætabundus acceſſit. Vbi tunc fortè Ioui, Mercurio, vel Iunoni deluſa gentilitas feſtum agebat rituale. Conſpectus igitur* INDALETIVS *à peſtifero illo Conuentu, ac de religioſo, Chriſtianóque cultu cognitus, infeſtis eſt mucronibus protinus impetitus, & ad flumen vſque, in quo pons operis erat antiqui, ſumma hoſtilitate fugatus. Iam pontem cruenta illa manus tranſcendebat,* INDALETIVM, *& Socios læſura, cùm repente opus, quod nullo æuo diſſoluendum videbatur, mirabiliter corruit: Sanguinariúſque ille populus fluminis alueo ſubmerſus eſt; Dei famuli canentes,* Equum, & adſcenſorem proiecit in mare, *liberantur. Viſóque miraculo* Luparia *ex genere Senatorio, cum eis, qui remanſerant, crediderunt. Poſt hæc* INDALETIVS *prædicat* Vrci, Illiberri, Carthagine Spartaria, *&* Eliotrocæ. *Quo loco vitam exuerit, neſcitur; hoc tantùm fatentur omnes, quòd eius ſacrum Corpus ex* Vrcitana *vrbe ad Monaſterium Regale* S. Ioannis Pinniatenſis *fuerit tranſlatum Anno Domini* M. LXXXIV. *Era* M. C. XXII. *vbi honorifica cultus veneratione adſeruatur.*

Miraculũ pontis Accitani.

Quibus vrbibus prædicat.

Error Brizij.

Hucuſque Acta quæ ex Noſtris Scriptoribus, & Breuiariis elicere potuimus. Nec me latet D. Ioan. Briz. Martinez *in Hiſtor. Pinnat. lib. 3. cap. 29.* ex Monachi Cluniacenſis *Ebretmi* hiſtoriâ, & Breuiarij antiqui illius cœnobij lectionibus, opinio, quâ probare conatur S. INDALETIVM, & ſex Socios fuiſſe ex LXXII. Diſcipulis Chriſti, vt patet ex dicto Breuiario *Lect. 2.* his verbis: *Inde contigit, vt ſicut cæteris Coapoſtolis, ita &* B. IACOBO *S. Euangeliſtæ Ioannis germano,* Hiſpanias *gratiâ prædicandi, petenti, præordinati ex prædictis* Septuaginta duobus Diſcipulis, *ad auxilium piæ prædicationis,* VIRI SEPTEM *iungerentur, diuinâ ſcientiâ præditi, morum honeſtate præclari, nec minus operum dignitate glorioſi.* Quod etiam in *Hymno* de feſtiuitate *SS. Votti*, & *Felicis*, fundatorum illius Monaſterij, repetitur, in quo Auctor cum cœnobio alloquitur, ſic:

Gaudes Votto, & Felice,
Gaudes Indaletio,
Fratribus his venerandis,
Hoc Chriſti Diſcipulo.

Probatur Legatio Indaletij, & qua de cauſa.

Sed licet hæc ſententia apud illos *Patres* inconcuſſa ſit, & *Hiſpania* glorioſa, crederem ex auctoritate *Iuliani*, haud ſuſtineri poſſe, cùm ex Epiſtola ab ipſo *Iuliano* repertâ in *Tabulario* S. Iuſtæ Toletanæ, & in Hiſpanum ſermonem tranſlata, conſtet, quod hæc Epiſtola *erat reſponſiua, quâ petebant Ieroſolymitani Iudæi de genere Sacerdotali, Annas, & Caiphas, Ioſeph, & alij, ne ſi venirent ad* Hiſpanias *Diſcipuli Chriſti (nam dicebatur venire iam* IACOBVS, *Zebedæi filius, eius Apoſtolus) nullo modo eos admitterent; ſed tanquam illuſores, & nebulones ſuis vrbibus arcerent. Illi verò miſerunt Euphraſium, &* INDALETIVM, *rogantes Petrum, & cæteros Apoſtolos, vt ſtatim* IACOBVM *mitterent. Qui venientes Ieroſolymam dederunt ſuas Epiſtolas Petro, & viſis eius miraculis conuerſi ſunt, & venerunt cum* B. IACOBO, *quem ad tàm honorificam miſſionem (vt Chriſtus eum deſignauerat) libenter illicò miſerunt.* Si ergo, vt ex Epiſtolæ ecphraſi patet, tempore, quo Ieroſolymitani, Hiſpanis Iudæis ſcripsêre, iam Prouinciarum ſors inter Apoſtolos effecta erat, & ad Hiſpanias deſignatus IACOBVS, quem vt citò dimitteret Petrus, per Legatos Hiſpani efflagitabant; & vnus ex his Legatus fuit B. INDALETIVS adhuc Iudæus, quo pacto de *Septuaginta duobus Diſcipulis Chriſti* potuit eſſe Noſter Epiſcopus? Imò quia à nemine inter Diſcipulos Domini adnumeratur.

Quod vero abſque dubio fatemur, illud eſt, nempe: S. IACOBVM in Hiſpanias

nias

nias Ierosolymâ aduexisse XII. Discipulos præcipuos, quorum nomina recenset Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 37. Inter quos Ostiarios nominat *Secundum*, INDALETIVM, & *Euphrasium*. Quod & notauit meus Aulus Halus *de Aduent. S. Iacob. vers.* 51. *fol.* 11. sic: *Venit cum Iacobo in Hispaniam.*

> *Euphrasio*, Indaletio *nunc simul atque Secundo,*
> *Ecclesiæ commendat amans tunc prospere claues.*

CIRCA originem, concors opinio est, illam ex Hebræis deduxisse, & ego adderem; ortum, & accolam fuisse ex vrbe Toleto. Ratio in promptu est, quia si vt inquit Iulian. *in Chron. num.* 9. Hebræi Toletani nequaquam in Christi mortem suffragari voluerunt, quinimò eius miracula cognoscentes, & eius Discipulorum aduentum spectantes, vt citiùs IACOBVS in sortem sibi commissam deueniret, Euphrasium, & INDALETIVM ad Apostolos dimisêre, ergo signum est, prædictos Legatos, ex Toletanorum Synagoga electos, nam extra inquirere Nuntios, erroris esset. Si autem fuêre ex Toletanis electi, igitur ex accolis, & prudentioribus, & quorum solertiam sæpesæpiùs haberent probatam. Hinc liquet quanto fundamine Nostrum Episcopum, ciuem, & natum Toleti suspicamur; prout & Euphrasius, & Athanasius I. Episcopus Cæsaraugustanus, qui etiam fuerunt à Toletanis Legati electi, ad Iudæos Ierosolymitanos, vt indicat Iulian. *num.* 8. & nos infrà. *Fuit natus, & ciuis Toletanus. Prout SS. Athanasius, & Euphrasius.*

VRCE, siue VRCI. Ciuitas olim Episcopalis in Hispania Bætica, apud Oram, & Sinum Virgiranum. Quæ ab Ambrosio VALERA, à Ferrario ORCE, & ab Hebretmo Monacho PVRCHENA vocitatur. Videsis quæ de ipsa alibi dicemus. Hodie oppidum in Regno Granatensi, vbi S. Præsulis memoria inest. *Topographia.*

S. MAXENTIA Vidua.] Hæc Sanctissima fœmina Mater fuit SS. *Vigilij* Episcopi *Tridentini*, de quo agemus *die XXVI.* Iunij. *Claudiani*, de quo egimus *die VI. Martij*, & *Magoriani*, de quo itidem scripsimus *die XV. eiusdem Mensis.* Istis igitur in locis probauimus omnes ex *Hispania* vrbe *Cauria Lusitania* oriundos, per lineam Nostræ Sanctissimæ MAXENTIÆ, quæ ab illa prosapiam deducens ciuitate, tot Sanctos fecit Matrona Venerabilis *Hispanos*. Eius sanctitatem recenset *Petr. Gales.* hoc die, sequenti elogio: *In finibus Tridentinorum* S. MAXENTIÆ *Vidua. Hæc* S. Vigilij *Episcopi* Mater, *singulari pietate, & religione ita præluxit, vt miraculis compluribus eius sanctitatis laudem Deus testatam fieri voluerit.* Philipp. Ferrar. *in General. Catal. SS.* hoc: *Tridenti S. Maxentia, Matris S. Vigilij Episcopi.* De ea sic scriptum reliquit Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 419. S. MAXENTIA *Hispana Cauriensis, Tridenti floret.* A quo *Martyrolog. MS.* P. Higuera nostro idiomate: *En Trento* Santa MAXENCIA *Española de Coria de Estremadura, que fue Madre de S. Vigilio Obispo de aquella Ciudad, y auiendo pasado de Coria à Roma con su marido, y de aqui Viuda à Trento con su hijo, llena de virtudes, y milagros murio en paz.* Latinè sonant. *Tridenti* S. MAXENTIÆ *Hispana ex Cauria Lusitania, quæ mater fuit S. Vigilij Episcopi Tridentini, & cum Cauriâ Romam cum Viro adijsset, & isthinc iam Vidua Tridentum cum filio aduentasset, ibidem virtutum, & miraculorum plena, in pace quieuit.* Agunt de ipsa P. F. Franc. Biuar. *ad Dextr. d. Ann.* 419. *Comment.* 1. *fol.* 4; 3. *num.* 2. Roder. Car. *fol.* 145. licèt hæc à Nobis relata subticeat. Sanctissimæ Viduæ Acta scripsit *Altimanus* Episcopus Tridentinus, vt refert Gales. *in Not. ad suum Martyrolog.* & Philipp. Ferrar. *in Not. ad Catalog. SS. Ital. fol.* 234. Qui etiam notauit, *Molanum* natalem Nostræ S. Viduæ ad diem *XXX. Martij* reiecisse, & perperam, cùm ex eius vitæ Actis, eam *Prid. Kal. Maij* migrasse constet. Eadem Acta breuiauit *Philippus Ferrarius*, quæ in subsidium aliorum dabimus. *B. Filij S. Maxentia qui? Martyrologia. Scriptores. Error Molani.*

ACTA S. MAXENTIÆ VIDVÆ, Hispanæ; ex Flau. Dextro, & Philipp. Ferrario.

Origo. *Romã cum coniuge venit.* *Vigilium filium vidua Tridẽtum sequitur.* *Lacum secessui elegit.* *Moritur.* *Sepelitur.*

MAXENTIA *nobilis ex vrbe* Lusitaniæ Cauria *extitit origine, quæ itidem honesto nupta Viro,* Romam *cum illo peruênit, vbi per aliquot annos degens, ex illo tres* Vigilium, Claudianum, Magorianum *liberos suscepit. Quos (defuncto marito) postquam domus curam suscepisset, in Dei timore, & in Christiana pietate educauit; curauitque vt in bonis artibus, honestisque disciplinis instruerentur. Cùm autem* Vigilius *diuino consilio* Tridentum *se conferret, illum, non sexus imbecillitate, aut longinquitate itineris deterrita,* Romæ *dulcedine, opúmve commoditatibus irretita, secuta est. Cùm autem ille ad Episcopatum* Tridentinæ *Ecclesiæ euectus esset,* MAXENTIA, *vt Deo liberiùs posset inseruire, in pagum* Maianum, *apud* Lacum Toblinum, *se recepit; vbi domo sibi constructa reliquum vitæ, ieiunijs, Orationibus, ac misericordiæ operibus transegit. Ibique sanctis operationibus, ac etiam miraculis clara ad cœlestem patriam euolauit.* Prid. Kalend. Maij. *Cuius corpus à fidelibus, qui Sacellum (adhuc* S. MAXENTIÆ *nomen conseruant) circa tumulum extruxerunt, ibidem conditum est; donec* Tridentum *sancta eius reliquia ab* Altimano *Episcopo translata, vnà cum* S. Vigilij *reliquijs collocata sunt.*

Quo Anno vixerit? Circa *Annum* transitûs S. MAXENTIÆ altum silentium apud *Scriptores Italos.* Noster Fl. Dexter ad *Annum CCCC.XIX.* eius memoriam refert. Sed an agat de vitæ Sanctimonia, an de transitu, penitùs ignoro. Quod enim certum est, quòd ex *Dextro* reiicitur opinio sentientium *S. Vigilium* eius filium vixisse tempore *Anastasij* Imperatoris, quo ferè vnum seculum postponunt. Ideo *Baronij* sententia erit amplectenda, vt in die *XXVI. Iunij dicemus.*

Quare dicitur Romana, cum sit Cauriensis? Non obstat, quòd in Actis S. MAXENTIÆ dicitur, illam fuisse *nobilem Romanam*; quia cùm Scriptores tantùm incolatum coniugum apud *Romam* agnouissent, & de origine *Cauriensi* ignorassent, hac qualitate relicta ad Romanam prosapiam cucurrerunt. Vide dicta in ecphrasi *Sancti Claudiani die VI. Martij.*

CAVRIA. De ea aliqua *VI. Idus Ianuarij*, & *Idibus Martij* diximus, quæ ad eius antiquitatem spectant, nunc propter plurium Sanctorum copiam in aliud mittimus tempus.

C. SANCTI AMATOR Presbyter, PETRVS, & LVDOVICVS Martyres.]

Martyrologia. Eorum memoria celebris extat apud D. Eulogium *lib. 3. cap. 13.* A quo Martyrolog. Rom. hoc elogio: *Corduba SS. Martyrum* AMATORIS *Presbyteri*, Petri *Monachi*, & LVDOVICI. De quibus patrio idiomate P. Martin. de Roa *Histor. SS. Cordubens. fol.* 77. P. Mariet. *Histor. SS. Hispan. lib. 2. cap.* 86. Ambros. Moral. *Scriptores.* *Histor. Hispan. lib. 14. cap. 23.* M. Rus-Puert. *Histor. Gienn. secul. 9. cap. 1.* Molin. *lib. 1. cap.* 8. Dux Ixarens. *in Catalog. SS. Hispan.* Petr. Gales. *in Martyrolog.* P. Dionys. Vazq. *in Castellano*, PP. Societ. Iesu *in Lusitano*, & P. Higuer. *in MS. Hispano.* A quibus *Sanctorus*, & alij florum Sanctorum Scriptores. Eorum Acta breui periodo describit *Eulogius*, his verbis.

ACTA

ACTA SS. AMATORIS PRESBYTERI, PETRI *Monachi*, & LVDOVICI *Martyrum Cordubensium*, *ex S. Eulogio.*

SVCCEDENTI *denique tempore*, *quidam* Presbyter *adolescens, nomine* AMATOR, *qui olim ex Oppido* Tuccitano *cum genitore*, *& fratribus suis* Cordubam *discendi gratia aduentarat*, *&* PETRVS *Monachus*, *ac* LVDOVICVS *contribulis noster*, *& frater* Pauli *Diaconi*, *cuius martyrium* Liber II. *exponit*, *ex Ciuibus* Cordubensibus *orti*, *vno se fœdere colligantes*, *ad prædicandam Euangelicam veritatem aptarunt*, *ideóque celeriter sub præcedentium professione perempti sunt* Pridie Kalend. Maias, *Era* DCCC. XCIII. *Quorum corpora fluuialibus immersa gurgitibus*, *Deo fautore*, *post aliquot dies litteri exponuntur*, *& cum penitus nullam sua quietis Sanctus Sacerdos notitiam dederit*, *manent tamen cæteri Sancti venerabiliter in præcognitis locis repositi. Nam* B. PERVS *in* Pinnæ Mellariensis *cænobio tumulatur*; Ludouicus *in vico* Italicensis *prouincia nomine* Palma, *qua* Singilio *flumini præsidet*, *digniter requiescit.* *Amatoris origo.* *Ludouici origo.* *Corona tantum?* *Vbi sepulti.*

Martyrologium Monasticum, & *Hugo Menardus* inter Sanctos *Benedictinos* consignant *B. Petrum*, cum quo transit *P. Tepet*, & *Breuiarium Vallisoletanum* huius religionis. Miror, vt quid non Nostrorum Martyrum huiusmodi inter Officia propria meminerit *Ecclesia Cordubensis?* Nisi fortè quia tot Sanctorum multiplici anniuersario implicata, aliquorum anamnesim amandaret. *Cur Ecclesia Cordubensis de eis non recitet?*

TVCCI vrbs, de qua originem traxit S. AMATOR, quæ sit, haud scitur. Duas huius nominis agnosco; Alia, quæ & VETVS, Altera, quæ & AVGVSTA GEMELLA dicitur. De *Veteri* agit Roder. Caro *lib.* 3. *cap.* 10. *Corograph. Hispalens.* qui ex *Plinio*, *Antonino*, & *Dextro* contendit hodie esse TOSINA. Ab illo dissentit M. Rus-Puerta *Secul.* 4. *cap.* 9. *numer.* 2. dicens esse viculum iuxta *Tuccim Coloniam*, quam S. Eulogius vocitat *Ossariam.* Iuliam Petri *in Aduers. n.* 169. credit (si illa glossematis consignatio illius est) esse ALCALA LA REAL. De *Tucci*, quæ *Augusta Gemella* dicitur in Turdulis, scripsit Roder. Caro *d. cap.* 10. M. Rus-Puerta *Secul.* 1. *cap.* 2. *numer.* 9. & *Secul.* 4. *cap.* 1. *num.* 4. Molin. *lib.* 1. *cap.* 15. quæ hodie MARTOS appellatur. Vide scripta per me in *Not. ad Aulam Halam vers.* 235. *fol.* 41. *Topographia.* *Duplex vrbs.*

S. IOANNES Confessor Cordubensis.] Licèt in Martyrologiis non extet huius Sanctissimi Confessoris anamnesis, attamen S. Eulogius *lib.* 1. *Memor. SS. & lib.* 2. *cap.* 10. & Auctor *Indiculi Luminosi* apud Morales *in Not. ad S. Eulog. & lib.* 14. *cap.* 6. P. Mariet. *lib.* 2. *cap.* 66. A quibus P. Mart. à Roa *de SS. Cordubens. fol.* 76. qui hoc die eius Natalem assignat, de illo honorificam agunt commemorationem, & eius Acta recensent. Quinimò & *Cyprianus* Archipresbyter Cordubensis ad ipsius sepulchri Sarcophagum similem scribere curauit inscriptionem. *D. Scriptoris.*

CARCERES, ET DIRA IOANNES FERREA VINCLA
CHRISTI AMORE RETVLIT. HAC FVNCTVS IN AVLA QVIESCIT.

Quam etiam referunt supra memorati Scriptores Nostri. *Martyrolog. Hispan. MS.* P. Hieronym. Roman de la Higuera itidem hoc die istius meminit Sanctissimi Confessoris. Eius Acta ex dicto *Indiculo Luminoso*, & *S. Eulogio* describimus.

ACTA S. IOANNIS CONFESSORIS Cordubensis, ex Indiculo Luminoso, & S. Eulogio Martyre.

Sarraceni infesti B. Ioanni, ob mercaturã.

POST *Anni reuolutionem, aut aliquid amplius, ille liuoris Gentilium oculus non quieuit: sed vt solitum est illis Christianissimum irridere, & nobis omnibus Christicolis insultare. Hunc* IOANNEM, *quem multo tempore carceris retinuêre claustra, negociationem, & mercimonium nundinandi in eo exaggerare conati sunt, & ipsum vexare: & ob gratiam mercimonij liuore vsi, multa exprobrando ingerere, dicentes:* Paruipendes nostrum Prophetam, semper eius nomen in derisione frequentas, & mendacium tuum per iuramenta, vt tibi videtur, nostræ religionis falsa, auribus te ignorantium Christianum esse, sæpè confirmas. *Ad quos ille confidenter, & nihil erga se doli suspicans, cùm se immunem ab ipsis, quæ contra eum opponebuntur, vellet ostendere: furor crepitans, & praeceps ira, eadem repetens, inculcans, & replicans crebrius, quæ sæpè dixerat, intentauit. Tunc ille non ferens, ex hac generationum talium nube se machabundus, & facetâ satis vrbanitate accinctus, eleganti mente respondit elatus:* Maledictus sit à Deo, qui Prophetam vestrum nominare desiderat. *Illo clamor ingens factus, & perditorum cuneus constipatus iniquitatis ex ore conuentus, velut apes in vnum perfidia aggerem congregati, vatus massa cumulo, malitia conspiratione respersi, semiuiuum ad Iudicem perduxerunt. Super quem inimici Dei Viuentis falsum coram iudice testimonium proferentes, huiuscemodi contra eum crimen deponunt:* Nouimus hunc, ô Iudex, in subsannationem Doctoris nostri semper insistere, cúmque maledicis verbis irreuerenter impetere. Ita vt cum fortè negocium mercimonij sui in nundinis velit exercere, non aliàs elicere poteſt ementes, nisi cum Sacramentum nostrum dictis paruipendulis subtilissimus irrisor proposuerit. Cuius rei nos testes sumus, & in veritate dignum hunc morte confitemur. *Verùm quia minus idoneorum accusatione testium impetebatur, nec poterat reis mortem inferre obiectio testationis eorum, damnatur Dei seruus acrioribus flagris, & crudeli verbere laceratus cogebatur Christum negare. Ille verò non se talibus obnoxium criminationibus solummodò confitebatur; sed etiam neque vsque ad mortem religionem* Crucifixi *deserturum clamabat. Cuius constanti confessione Iudex vehementer commotus, quingentis, & eo amplius hunc macerandum tradens flagellis, tandiu verberibus iussit insistere, quousque exanimis inter cadentium manus in solum prorueret. Illicò* IOANNES *odio nominis Christi ad necem verberibus eruentatus, retrorsum asello euectus, immensóque vinculorum pondere coarctatus, vt in parte stramentum reclinaretur iumenti, qua eius crura pendebant, praecedentibus illusorum praeconibus, sacrilega voce dicentibus:* Hæc merebitur exprobrator Vatis nostri, cultúsque irrisor perferre, *totam circumeundo vrbem satellitum ministerio ad spectaculum vulgi pertractus est. Et cùm hinc inde voces exprobrantium resultarent, dicentes:* Nullatenus dignam sui sceleris pœnam eundem adhuc persoluisse, quippè quem tantæ reuerentiæ Vatem subsannatione impetere non verentem, plectendum potius morte turpissima congruebat. *Extemplò futurus belliger amore compunctus martyrij, cælesti quodammodo flamine aspiratur, vt illud pro se fieri spectaculum crederet, causáque admonitionis sibi fuisse ostensum, ne scilicet formidare deberet eos, qui corpora trucidant, cùm nihil anxietatis*

S. Viro faceta responsio ad illorũ calumnias.

S. Eulog. lib. 1. Coram iudice accusatur.

Verbere, & flagris torquetur.

Lib. 2. c. 10.

Asello insessus per vias publicas ducitur.

anxietatis animabus possint inferre, sedillum potius pertimesceret, qui potest corpus, & animam perdere, & mittere in gehennam. Postquam verò ad vindictam sui Doctoris talia exercuerunt, ad vltimum grauissimo ferri onere coarctatum ergastulo deputarunt. Quem Nos ibidem religatum, adhuc dorso eius vigentibus plagis, inuenimus: nostróque contubernio, per idem tempus, quo detrusi sumus, acciuimus. *Matth.10.* *In carcerẽ reducitur.*

Quo tempore in carcere deliquerit, hactenus ignoratur: illud esse omnino compertum scribunt relati Scriptores, quòd istius S. IOANNIS custodia euenisset sequenti anno ab agone *S. Perfecti*, ex quo *Morales* ad Annum DCCC. LI. commemorat. *Annus agonis.*

S. LAVRENTIVS Martyr.] Duos ecce cum isto numerabis LAVRENTIOS, vtrosque Hispanos, Alterum *Baticum* ex vrbe CORDVBA Patritia; Alterum *Tarraconensem* ex vrbe OSCA Victrice. Illum apud *Nouariam* Ciuitatem Episcopalem Insubriæ antiquam passum; istum apud *Romam* Orbis matrem, & magistram occisum. Vterque pro Christi defendenda fide Gentilium furores constanti strenuitate calcauit, & vterque *Hispaniam* nobiliori certamine collustrauit. De *Oscensi*, suo scribemus die. De *Cordubensi* iste est illius verus locus. Martyrolog. Roman. h. d. isthæc protulit verba: *Nouariæ* S. LAVRENTII *Presbyteri, &* PVERORVM *Martyrum, quos ille susceperat educandos.* Vbi Baron. *in Not. lit. E.* & *tom.5. Annal. Eccles. Ann.* 397. *num.* 52. ex Actis S. Gaudentij Episcopi Nouariensis docet, Nostrum S. LAVRENTIVM fuisse ipsius S. Episcopi Magistrum. Quod & referunt Acta apud Mombritium *tom.1.* De eo itidem Galesin. licèt sine titulo Martyris, aut expressione Puerorum, & Philipp. Ferrar. *in Topograph. SS. verb.* Nouar. *fol.* 90. & in *Catal. SS. Ital. fol.* 228. Qui ex antiquis Lectionibus Ecclesiæ *Nouariensis* hæc conscripsit Acta, quæ additis omissis, exscribere compellor. E. *Duo Laurenty in Hispania.* *Martyrol.* *Scriptores.*

ACTA S. LAVRENTII PRESBYTERI, & Martyris Hispani apud Nouariam passi, ex Ferrario.

LAVRENTIVS *Presbyter ex* Occiduis *partibus, hoc est ex* Hispaniæ Bætica Corduba *vrbe* Patritia *oriundus, Italiam adyt, & apud* Nouariam *in* Insubriis *Ciuitatem antiquam pedem figens, Christi Domini fidem, (nondum ea Ciuitas Christiana effecta fuerat, aut habebat Episcopum) disseminare, ac Verbum Dei annuntiare, Idolorúmque cultum detestari cæpit. Cum verò quæ ab eo dicebantur, miraculis comprobarentur, multi ad fidem conuertebantur: quos ille extra vrbem, vbi non longè extructo, cum Sacro fonte, tugurio, habitabat. Qua in re* B. Gaudentium *(qui postea primus* Nouariæ *Episcopus creatus est) prius à se in Sacris Literis eruditum adiutorem habuit. Erat non solùm vita sanctimonia conspicuus, sed & doctrina celebris; multa enim scripsit, ex quibus* Liber *de Muliere Chananæa adhuc extare fertur. Cum autem quadam die innumeram Puerorum, quos erudiebat, multitudinem baptizasset, atque cum illis in vrbem rediens in hostes fidei incidisset, ab eis, cum paruulis, trucidatus est, & in puteum demersus* Pridie Kalend. Maij. *Cuius corpus à S. Gaudentio inuentum, & à fidelibus ibidem honorificè conditum est, Basilica eius nomini dicata. Quæ cùm postmodùm propter bella diruenda foret, S. Martyris, & aliorum reliquiæ in Ecclesiam Maiorem Anno Domini Nostri Iesu-Christi M. D. LII. translata sunt. Extat adhuc locus martyry, qui ad puteum* S. LAVRENTII *nominatur. Ex Corpore Sanctissimo sacer humor dilabitur, ideóque in sarcophago hoc insculptum inuisitur* Epigramma. *Origo.* *Italiam pergit.* *Magister S. Gaudentij.* *Multa scripsit.* *Coronatur.* *Corporis Translatio.* *Ex corpore sacer humor emanat.*

Aspicis

Aſpicis hoc marmor tumuli de more cauatum?
Id ſolidum eſt intus, rima nec vlla patet.
Vnde queat tellus occultas mittere lymphas:
Manat ab ingeſtis oſſibus iſte liquor.
Si dubitas, medio ſudantes tolle ſepulchro
Relliquias, dices: Vnda ſalubris vbi eſt?

Quo tempore vixerit?

Hactenus Acta, quæ licet *Annum* agonis non appingant, ex eo quod *S.Gaudentij* Nouarienſis Epiſcopi I. Magiſter extitit Martyr Noſter, & ad Annum CCC. XCVII. *Baronius* Epiſcopatum *Gaudentij* aſſignet, proculdubio aliquot retrò tempora martyrium eueniſſe S. LAVRENTII fatendum eſt. Maximè quia Ferrar. *in Not.ad Acta fol.* 229. aſſerit: *Vixiſſe Valentiniano Imperante, paulo ante S.Ambroſium Epiſcopum Mediolanenſem.* Ergo ab Anno CCC. LXIV. vſque ad CCC. LXXV. quo *Valentinianus* è vita diſceſſit, martyrium confectum eſt. Quod ſi ita fuit, fortè *Hoſij* Noſtri Epiſcopi *Cordubenſis* ſynchronos fuit LAVRENTIVS, & in eius contubernio edoctus; & tempore quo eius auctoritate *Conſtantinus* vniuerſas Orbis Eccleſias inſtaurare decreuit, fortaſsè delectus LAVRENTIVS illam *Nouarienſem* perluſtrauit, edocuit, & prædicauit, donec tempore *Valentiniani* martyrio coronatus eſt.

An Oſij Cordubēſis ſynchronos.

Quo titulo Hiſpanus?

SED iam Lectoris ſupercilium intueor, & quo titulo S.LAVRENTIVM Hiſpanum deſigno, interrogans. Rationem breuiter reddam. In Actis Eccleſiæ Nouarienſis peruetuſtis, vt inquit *Ferrarius*, LAVRENTIVM Noſtrum *ex Occiduis partibus Nouariam deueniſſe* manifeſtum eſt: Si ergo ex *Occiduis* præcisè, aut ex *Gallia*, aut ex *Hiſpania*, quæ reſpectu Italiæ Occiduæ Prouinciæ ſunt. E *Gallia* non, quia apud illos altum ſilentium. Ergo ab *Hiſpania*. Item quia illo tempore *Hoſius* Epiſcopus *Cordubenſis* Romam adiit, vt probat P.Biuar. *in Comment. ad Ann.* 312. *Dextri*, multóſque in *Italiam* ſecum portauit Presbyteros, & potuit accidere, vt vnus *Laurentius* Noſter in partes ſeceſſiſſet *Inſubriæ*, & apud *Nouariam* degens, Chriſti fidem Gentilibus prædicaret. Sed hæc, coniectationes ſunt, ad probationem fortiorem veniamus. *Aulus Halus* meus Poëta Burdigalenſis, & Ciuis Toletanus, qui vixit ad Annum M.D. XXXII iam ætate decrepitus inter alia, quæ in meo MS. Literis Gothicis exarato, ſcripſit Epigrammata, hoc Noſtro S.Martyri inſcripſit, quod vt publicam iterum adſpiciat lucem, & in noſtræ probationis argumentum, ſubiicio.

PRO S. LAVRENTIO CORDVBENSI Martyre apud Nouariam paſſo.

CHriſtum prædicare cupit LAVRENTIVS *Orbi;*
Italiam quærit, Corduba mittit eum.
Vrbis huius ſolum, Patria adnumeratur alumno:
Nouariæ ſolum, Martyris eſt patria.
Deſerit Hiſpanos *Lares iam Preſbyter almus:*
Nouariæ Inſubros *ſæpè requirit, amat.*
Iſthinc vt Chriſto viuat laudabile credit
Mortis complexum: pergit, amœnat humum.
Incipit in Pueros doctrina culmina ſancta
Diſſeminare Pater, ſicque trophæa capit.
Vltima cum pueris tunc lætabunda Magiſtro
Deuenêre citò; ſic & ad Aſtra volat.

En

En ex *Halo* patefacta omnia quæ ignorauit *Hispania*, & quæ nondum erat adepta *Nouaria*, licet lucis vestigia insequebatur.

Sedatur cōtrouersia inter Cordubenses & Oscenses.

ABHINC si mea me non fallit coniectatio, fortè seditionem inter *P. Martinum de Roa*, & Doctorem *Ioannem Franciscum Andream de Vztarroz*, contendentes ambos S. LAVRENTIVM Archileuitam fuisse aut *Cordubensem* ex *Roa*, aut *Oscensem* ex *Vztarroz*, sedabimus. Pater quippè *Martinus de Roa* in Libello de *Principatu Cordubensi*, Hispanò sermone conscripto *cap. 8. fol. 43.* & in prætermissis *in principio libri*, asserit, inter ciues *Cordubensis* vrbis sic adesse conceptum de *Natiuitate* apud ipsos *S. Laurentij Archileuitæ*, Romani Martyris, vt illos in contrarium trahere, vix poterit humana persuasio. Fulcitur illius, & Ciuium opinio, ex *MS. Legendario* adhinc CCCC. ann. exarato literis Longobardis, quod inter alios MSS. Codices Ecclesiæ Cordubensis asseruatur, in quo, die X. Augusti, in Vita S.Laurentij Leuitæ, hæc leguntur: *S.Laurentius Martyr, & Leuita* Cordubæ natus *à B.Sixto Romam deductus est.* Item ex auctoritate D.F. Fernandi de Talauerâ Archiepiscopi Granatensis I. qui in Libello, cui nomen *Impugnatio Catholica*, cap.47. refert. *S. Laurentium Martyrem, apud Valentiam, fuisse ex* Corduba *oriundum, prout legitur.* His auctoritatibus adiungit, sigilli formam ab Anno M. D. LV. inductam in Officio Sanctorum Cordubensium; aliam quoque effigiem adhinc CC. ann. depictam, in quibus inter *SS. Acisclum, & Victoriam, Cordubensis* diœcesis patronos, inuisitur *S.Laurentius*, quod non efficeretur (inquit) nisi *S. Leuita* itidem *Cordubensis* foret. Quibus & aliis rationibus, seu coniectationibus respondet *Vztarroz*, in toto integro Libello, cui titulus *Defensio S. Laurentij*. Cuius vindicias pro nunc omittentes, ipsâque veritate seruatâ, crediderim *Cordubenses* tinnitum de Ciue LAVRENTIO Martyre apud Italiam percepisse, & *Nouariensem* apud illos incognitum ignorasse; & cùm illo seculo inter Sarracenorum proteruiam, & captiuitatem, vix ex Muzarabibus aliqui reperirentur, qui Ecclesiasticas euoluerent historias, quid mirum, si obliterato *Nouariensi* Martyre, & proprio Conciue, & sonitum nominis in posteros absque distinctione transmittentes, postmodùm superstites successoribus LAVRENTII nomen propalantes, isti, qui alium non cognouerant, in tabulis, in schedis, in sigillis, & aliis similibus *Leuitam* pro *Presbytero*, *Romanum* pro *Nouariensi* Martyre substituerent. Quod passim inter Doctos, & de Historia Ecclesiastica benemeritos, euenit, & in antiquis, & recentioribus Chronicis reperitur; de quo exempla subiicere, longum, & inane erit opus. Si ergo hæc mea coniectatio ab vtraque parte probatur, CORDVBA suum etiam LAVRENTIVM, Martyrem, Presbyterum, Doctissimum, Apostolum Insubriæ, Magistrum S.Gaudentij habebit, vt habet, tantis hisce titulis condecoratum, quo, & aliis innumeris, quos Sancta illa Ecclesia recolit, aliarum non indiget vrbium Martyres mendicare.

Opinio Cordubensium, quibus fulciatur.

Omnibus satisfacit Andreas.

Quid ego sentiam.

Topographia.

NOVARIA. Vrbs Episcopalis inter *Insubriæ* Populos antiqua, quæ in paruo colle constructa, eius ager ad vsque protenditur *Alpes*. Pertinet ad *Mediolanensem* Ducatum. Hodie dicitur NOVARA. Eius situs, medius est inter *Mediolanum*, & *Eporediam*, vrbem *Salassorum*, XXX. M. P. vtrinque ferè dissitus, à *Mediolano* in Occasum hibernum secedens, quot à *Papia* in Occasum æstiuum. *Vercellis*, & *Vigliano* ad M.P. proximus. Eius Episcopus *Mediolanensi* Episcopo subditus amplam obtinet iurisdictionem. Eius antiquitates qui ediscere cupit adeat *Leandrum, Albertum, Blondum*, & alios Rerum Italensium Scriptores, nam Nos hac topographiâ contenti vltimam lineam huic *II. Tomo* apponere curauimus, & ad *Deum Optimum Maximum* reuersi cum *Sfortia Mutio* preces effundere proponimus:

Fons Sanctitatis, omnibus
Dans esse Sanctos, Spiritum
Sanctum tuum qui ceperint
O Sancte Sanctorum omnium:

Adsis

Adsis sacris solemnijs
Quæ condimus sub inclyto
Honore Sanctorum omnium
Quos Regna Iberi possident.
Vos laureati Martyres,
Præclara Doctorum agmina,
Vos candidatæ Virgines,
Audite vota supplicum. Amen.

INDEX
RERVM NOTABILIVM,
quæ in Anamnesi Sanctorum Mensis Aprilis continentur.

Facultatem

De

Ierosо

Eius

De

Gallæciæ

Mart. Hisp. Aprilis. Ẽ Ẽ Martyrio

Corpus

Aliud

F I N I S.